






IN
ROMANAS ET GRÆCAS
GRÆVII ET GRONOVII
ANTIQUITATES
SUPPLEMENTA.
TOMUS I.

NOVUS THESAURUS ANTIQUITATUM ROMANARUM,

CONGESTUS

AB

ALBERTO HENRICO DE SALLENGRE,

SERENISSIMÆ PRINCIPIS ARAUSIONENSIS CONSILIARIO.

TOMUS PRIMUS.

Cum figuris æneis.



I: Camerata in: *P: Monaco sc.*

VENETIS,

Typis Jo: Baptistæ Pasquali.

M. DCC. XXXV.

SUPERIORUM PERMISSU.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

A. H. DE SALLENGRE.



NOvus Thesaurus Antiquitatum Romanarum, quem tibi sistimus, Benigne Lector, duplici modo potest considerari: & primo quidem ut Opus absolutum ac omnino sui juris, deinde ut Supplementum Thesauri, quem ante annos aliquot congessit Vir celeberrimus ac de litteris humanioribus optime meritus, JOANNES GEORGIUS GRÆVIUS. Tanto Eruditorum applausu Opus illud exceptum est, ut mirum sit neminem, post elapsos jam sedecim annos, simile quid tentasse, præsertim cum Clarissimi Viri morte quamplurima in eodem genere intacta permanserint, quibus adjectis nihil amplius desiderandum superesset. Communicato igitur consilio cum doctissimis in Gallia & his regionibus viris, & hortationibus eorum fretus, animum induxi hunc in me laborem suscipere. Quid autem in congerendo hoc *Novo Thesauro* a nobis præstitum sit, paucis expediam. Auctores doctos & raro obvios, qui Romanorum ritus illustrarunt, conquisivi, selegi, & attento animo evolvi. Innumera inde Typographorum menda sustuli, Operis dispositionem & contextum multo meliorem feci. Quidquam vero immutare vel inde detrahere religioni duxi. Hac ratione Approbationes, Dedicationes & alia parvi licet momenti in integrum reliqui. Annotatiunculas etiam multis in locis subjeci, quibus tum Auctores ipsos illustravi, cum ipsa loca, ad quæ respiciebant, retuli, & aliquando etiam ipsos paucis confutavi. De Thesauro Cl. Grævii, minus accurate excuso, queritur Auctor *novæ Librorum Rariorum Conlectionis Hal.* 1709. in Fasciculi primi Præfatione: *Ipsi adeo Belgæ*, ait, *qui a bene longo tempore in emendata librorum impressione laudem sibi præcipuam vendicarunt, ac reliquis etiam Europæ gentibus hac in parte palmam præripuere, nunc quasi gloriæ hujus pertæsi multum a Majorum vestigiis declinant, nec adeo eleganti & pura charta utuntur, nec tantà, ut olim, accuratione libros exscribunt. De* JO: GEORG. GRÆVII *Antiquitatibus Romanis in fasciculos collectis & in Batavorum terra exscriptis quid edisseram? quoties Opus utilissimum adspicio (adspicio autem quotidie) & indignor plane & doleo etiam. Nihil in exteriore veste desideramus, chartæ nitor, literarum elegantia, cæteraque librum maximopere commendant, sed non æque emendandi ac corrigendi studium, quod penitus neglectum videtur: sæpe voces vitiose transcriptæ, & integra quandoque orationis forma omissa est, quod non inlustri quidem Operum conlectori, sed Operarum negligentiæ adjudicabis.* Hoc autem de Thesauro nostro, ut puto, nemo dixerit: Editionem enim hanc nostram accuratissimam esse affirmare prorsus ausim, & cuique illam perlegenti abunde patebit. Eam vero summa cura & diligentia emendavit Vir eruditissimus & hac in re peritissimus JOHANNES DE LA FAYE, cui plurimum Thesaurus hic debet.

P R Æ F A T I O.

Ordinem in Differtationibus inferendis me fere nullum fervaffe non diffiteor; & cum id a quibufdam reprehendi poffet, facti rationem reddam. Cum Cl. Grævius de edendo Thefauro cogitaret, omnes ejufdem argumenti Tractatus conjunxit & edidit, non tamen rerum ordine fervato difpofuit. Oportuiffet enim Auctores, ex. gr. qui de Roma veteri egerunt, inferere primo loco, cum in quarto tantum Operis Tomo reperiantur. Præterea variis in locis peculiares Differtationes, Infcriptionem quandam vel alia Antiquitatis monumenta illuftrantes, edidit. Et vere ita fe res habet, dummodo Auctores fint probæ notæ ac luce digni, non multum intereft quo in loco referantur; hæ enim Collectiones cum uno fpiritu legi non poffint, folum inferviunt iis, qui, ubi opus eft, eas confulunt. In quo autem Tomo quæque Differtationes exftent, Index in principio cujufque Voluminis docebit. Et cum hujus *Novi Thefauri* omnes Tomi typis erunt excufi, generalem Indicem Auctorum edi curabo, cujus ope, quid in toto Opere contineatur, uno intuitu cognofci poterit.

Multi plerumque Libri, cum iterum prælo fubjiciuntur, figuris æneis quamplurimis ornantur abfque neceffitate, ita ut multo cariores evadant. Longe aliter hic fefe res habet, cum neceffarias tantum figuras accurate in æs incidi curaverim. Sic factum eft ut quifque exigua impenfa complures Auctores fimul comparare poffit, qui feparatim, ultra conquirendi moleftiam, decies fere majori pretio perfolvi debuiffent.

Licet quamplurimæ elegantiffimæ Differtationes in Thefauro Cl. Grævii inveniantur, tamen abfolutum, ut fupra dictum eft, Antiquitatum Romanarum corpus conficere non valent, multa ibi non funt pertractata, de quibus in hoc *Novo Thefauro* fufe agetur: quo in ordine cenfendi funt, Jofephi Mariæ Suarefii *de Foraminibus Lapidum in prifcis Ædificiis* Diatriba; Georgii Greenii *de Rufticatione Romanorum* Commentariolus; Pauli Jovii *de Romanis Pifcibus* Libellus; Eybenii *de Ordine Equeftri veterum Romanorum* Liber; Philippi Hannekenii *de Cura Domeftica Romanorum* Differtationes quatuor; & innumeri alii qui in fequentibus Tomis locum obtinebunt. Proferentur quoque in illis Differtationes ex Italica, Gallica & Anglica Lingua in Latinam nunc primum verfæ, nec non inedita Eruditorum Opera quædam. Magna etiam in fpe fum, duas Viri celeberrimi Claudii Salmafii Lucubrationes pofthumas, unam *de Re Veftiaria Veterum*, alteram *de ipforum Inftrumentis Muficis*, addi poffe. Infuper brevi, ni fpes deficiat, Differtationem inferam, *de Educatione Liberorum apud Romanos*, argumentum a nemine hucufque ex profeffo tractatum. Præterea cum *Novus* hic *Thefaurus* plura continere debeat Volumina, fingula progreffu temporis fine intermiffione in lucem prodibunt.

Primas in hocce Volumine obtinent elegantiffimæ feptem Julii Minutoli *Differtationes Romanam Antiquitatem illuftrantes*. Prodierunt Romæ 1689. 8. & raro hifce in oris occurrunt. Fuit is Cæleftinorum Abbas, S. Theologiæ Licentiatus, facrorum Canonum & Hiftoriæ Ecclefiafticæ Profeffor. Librum hunc recenfuerunt Eruditi Lipfienfes in *Act. Erudit. Supplement.* T. 2. p. 565. & poft eos, quid in his Differtationibus notatu dignum occurrat, exhibebo. Earum *prima* Ur-

bis Romæ originem exponit, & communem Remi ac Romuli historiam, diversis narrationibus impeditam, quas videre est apud Plutarchum, Festum, & Dionysium Halicarnasseum, aut fabulis prorsus annumeratam, ut a Ph. Cluverio & Jo. Temporario factum, vindicat, & Æneæ adventum in Italiam adversus negantes Græcos Scriptores asserit; Zamoriensis etiam Floriani & Emanuelis de Faria y Souza ineptias, quorum ille Hispanos, hic Lusitanos, Romæ fuisse conditores contendunt, confutat. Latii deinde Reges hoc ordine enumerat; Janus, Picus, Faunus, Latinus, Æneas, Ascanius, Sylvius, Alba, Capetus, Capys, Calpetus, Tiberinus, Agrippa, Aventinus, Procas, Amulius, Numitor, Lausus, Romulus: denique conditæ Romæ historiam texit. *Secunda* incrementa & occasum potentissimæ hujus Urbis & Imperii describit. Ad incrementa refert Asyli exstructionem, descriptionem Civium in Tribus, Curias, & Decurias, divisionem in Plebejos & Patricios & Equites; constitutionem sacrorum & legum; matrimonia a Sabinis per vim impetrata, indeque cum vicinis gentibus bella, fœdera, augmentaque sub Regibus septem, Consulibus & Imperatoribus. Occasum sub Trajani temporibus cœpisse affirmat, Alaricum valde eum promovisse, tandemque sub Momyllo (quem per contemtum Augustulum appellabant) desiisse. *Tertia* Urbis Romæ topographicam descriptionem exhibet, Donatum & Nardinum, qui in eodem argumento se exercuerant, carpens interdum. Quadratam, non circularem, formam ejus fuisse contendit, mœnia a Servio Tullio dilatata, nec ab alio postea vel Consule vel Cæsare ampliata fuisse usque ad Aurelianum Imperatorem, contra Donatum, Panvinium, Marlianum, Fabricium, Lipsium & alios, Dionysio Halicarnasseo innixus, evincit. Quod de pomœrio ait minime accuratum est; locum Livii ad id spectantem allegat, sed mutilatum. Quid tamen proprie Pomœrium sit ex ipso illo loco Livii *lib.* I. *cap.* 44. perspicuum est: *Pomœrium*, ait, *verbi vim solam intuentes, postmœrium interpretantur esse. Est autem magis circa murum locus; quem in condendis urbibus quondam Etrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato consecrabant: ut neque interiore parte ædificia mœnibus continuarentur, quæ nunc vulgo etiam conjungunt; & extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli. Hoc spatium, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis quod post murum esset, quam quod murus post id, pomœrium Romani appellarunt, & in Urbis incremento semper, quantum mœnia processura erant, tantum termini hi consecrati proferebantur.* Situm deinde mœniorum Servii Tullii monstrat, & eorum magnitudinem non ad XIII. millia passuum, ut e Plinii *lib.* III. *cap.* 5. contendit Isaacus Vossius, sed VIII. milliaria extendendam; hac etiam ratione Plinii locum, & numerum restituendum esse, cum Fabretto & Saverolio existimat. Ampliata seu propagata mœnia ab Aureliano, ut Urbem validiorem redderet contra hostium insultus, e Flavio Vopisco in *Aurel.* tradit, & ampliationis eorum modum investigat. Denique de portis Urbis, de septem collibus, de fontibus, de cloacis, de viis, de vicis, de pontibus, de Tiberi fluvio, de Tiberina Insula, de suburbiis, de incolarum numero, & de Regionibus Urbis quatuordecim differit. *Quartam* domibus in Roma impen-

dit, earumque materiam, lapides, arenam, calces, lateres, crates, tum formam & tres antiquorum Græcorum ædificandi ordines, Doricum, Corinthium & Jonicum, Italicum item & Toſcanicum ſeu Ruſticum, genus porro reticulatum, incertum, ordinarium, lateritium, cæmentitium, formaceum, cratitium, ſpicatum exponit: ac dein ſex ætates Romæ conſtituit, & quod quavis ætate obtinuerit, tradit. Poſtea partes domorum deſignat, veſtibulum, januam, atrium, tablinum, cadædium, conclavia, cellas ſeu penus, triclinia, dormitoria, exedras, ſtabula, culinam, baſilicas, œcos, balnea, valetudinaria, armamentaria, viridaria, xyſta, caminos, feneſtras. Numerum ædium & inſularum (quo nomine parvæ ædes veniunt) in quatuordecim Regionibus Urbis Romæ indagat, de Auguſti magnificis ædibus a Tiberio, Caligula & Nerone ampliatis diſſerit. *Quinta* in ſacris locis verſatur, & Templa eorumque in Urbe Roma originem, cauſas, inaugurationes, religionem, partes, quæ ſunt area, atrium, fores, baſilica, prodromus aut pronaum, cella, adytum, penetrale, ſacrarium, donarium, tectum, ara, dein ornamenta, item ſpecies, quæ ſunt fanum, ſacellum, ædicula, lararium, teſca, lucus, dianium, minervium, bidental, delubrum, recenſet, ut & nomina, & præcipuas in ſingulis Urbis Regionibus præ cæteris magnificas ædes ſacras. *Sexta* in ſepulcris eorumque nominibus, ſpeciebus, materia, ſtructura, amplitudine, ornamentis, ſitu, conditoribus, conditis non ſolum hominum ſed etiam brutorum cadaveribus ſepulcri honore indignis, ejus religione, violatione, eorundem in Regionibus Urbis Romæ deſignatione, ac tandem lucernis ſepulcralibus & harum materia, magnitudine, perpetuo igne, & iſtius ratione inveſtiganda verſatur. *Septima*, eaque ultima, ædificiorum, quæ judiciis exercendis dicata fuerunt, deſcriptioni impenditur. Inter hoc primo loco ponit Forum, ejuſque vocis originem & varias ſignificationes, multiplicem uſum, figuram, numerum, & diverſa genera recenſet. Aliud enim rebus vendendis deſtinatum fuiſſe oſtendit, ut Boarium, Piſcarium, Olitorium, Suarium, Piſtorium, Argentarium, Archimonium, Salluſtii, Cupedinis, Macella &c. aliud judiciis exercendis idoneum, cujus generis fuerit Romanum, Cæſaris, Auguſti, Nervæ, Trajani, in quo inſignis illa Columna Trajani poſita. Poſt Fora enumerata adjunctas iis Baſilicas, in quas e foro translata fuerunt judicia, earumque ætatem, formam, partes, quæ ſunt ambulatio, Chalcidica, navis, pluteus; genera, quæ nominat Portiam, Semproniam, Opimiam, Juliam, Æmiliam, Caii & Lucii, Pompeii, Trajani, Gordiani, Antonini, Severi, explicat. Dein Roſtra deſcribit, & Curias recenſet, veteres, Hoſtiliam, Calabram, Pompeii, Pompilianam, Juliam, Auguſti, Geruſiam, Octaviæ, Lecadiam, Saliorum, Præturam præſentiſſimam, Græcoſtaſim. De Senaculis, qualia fuerunt Martis aut Bellonæ templum, aliudve extra Portam Capenam & in Quirinali Colle, pauca delibat; ac tandem de Comitio, qui locus, comitiis agendis deſtinatus, poſtea *ſeptum* & *ovile* dictus fuit, agit. Ad calcem cujuſque Diſſertationis, Auctores omnes, qui idem argumentum pertractarunt, recenſet Minutoli, ac quid peculiare ipſe præſtiterit, ſubne-

ctit:

ctit: & revera multa ſcitu digna in his reperiuntur, quæ earum lectionem utilem pariter & jucundam efficiunt. Multos Auctores illuſtrat, multos etiam cenſoria nota perſtringit. Secundum & tertium Tomum harum Diſſertationum multis in locis laudat noſter; ſed neuter horum unquam, niſi vehementer fallor, prodiit, forte quoniam morte præventus Auctor, vel aliis occupationibus impeditus. Duo adhuc Opera ibidem promittit, unum nempe quod jam in Schedis & Adverſariis ſe habere affirmabat, cui titulus, *Eccleſiaſtica Antiquitas luſtrata, & illuſtrata, atque in tres partes diſtributa, &c.* alterum vero partim mente conceptum, Schedis partim conſignatum, quod inſcripſerat *Progymnaſmata Philoſophica*, ubi magnetem quemdam ſe indicaturum ait, cujus vi aeris nitrum combuſtioni idoneum attrahi queat. An vero hæc edita ſint incompertum plane habeo. Sequuntur Lucii Fauni *de Antiquitatibus Urbis Romæ* libri quinque; Lingua Italica ab Auctore conſcripti ſunt, ſed in Latinam verſi lucem adſpexerunt Venetiis primum Anno 1549. & deinde ſæpius typis excuſi ſunt; nihilo ſecius liber ille raro occurrit, ac nunquam ſe vidiſſe teſtatur librorum diligentiſſimus ſcrutator Cl. Fabricius *Bibliographiæ Antiquariæ* cap. 3. §. 4. quod & aſſerit Ph. Labbe in *Mantiſſa Antiquariæ ſupellectilis* p. m. 373. Antiquitates Urbis Romæ accurate ſatis collegit Faunus, licet interdum hallucinatus ſit, multos etiam Scriptores allegat, ſed nunquam fere eorum verba refert, aut loca indicat, quod omnino vituperandum eſt. Quædam Fauni ſphalmata notata vide in Minutoli Diſſertationibus, nec non in *Lexico Antiquitatum Romanarum* Cl. Pitiſci T. 1. p. 303. T. 2. p. 591. 534. 1071. Egregia ſane eſt Joſephi Mariæ Suareſii Epiſcopi Vaſionenſis *de Foraminibus Lapidum in priſcis Ædificiis* Diatriba. Inquirebatur frequentiſſime ab his, qui ſpectabant in Urbe non ſine ſtupore, Amphitheatri Titi, vel alterius vetuſti ædificii ſuperſtites moles, cur ingentes Tiburtini lapides, & immania ſaxa, e quibus illæ conſtructæ fuere, quadrata licet affabre, dolataque, ac expolita, ſingula tamen, extima in facie præſertim, variis & crebris foraminibus interpuncta viſerentur. Hoc autem anſam præbuit Auctori hanc pertractandi Quæſtionem. Enumerat ſex varias hac de re Antiquariorum ſententias, has omnes ex parte admittit, ita ut ex ſex iſtis ſententiis unam conflet. Pleraque alia non contemnenda edidit Suareſius, *De Veſtibus litteratis*, Vaſion. 1652. 4.° Libros duos *Præneſtes Antiquæ*, Romæ 1655. 4°. *de Numiſmatis & Nummis Antiquis* Diſſertationem, Romæ 1668. 4°. *Arcum Septimii Severi* cum ipſius explicationibus, Romæ 1676. Folio, & alia. Hæc autem Diatriba Lugduni excuſa Anno 1652. non tantum bonitate, verum etiam raritate commendatur. Adjunxi brevem ſed accuratam Andreæ Alciati Juriſconſulti celeberrimi Diſſertationem *de Magiſtratibus, Civilibuſque & militaribus officiis Romanorum*. Præmiſit hanc Notitiæ Dignitatum utriuſque Imperii, Orientis ſcilicet & Occidentis, quam continet Tomus ſeptimus Theſari Græviani, & quæ ideo a nobis recudi non debuit. Alciati Diſſertationem excipit Laurentii Jouberti *de Gymnaſiis & generibus exercitationum apud Antiquos celebrium* liber unus; nec non ejuſdem *de Balneis Antiquorum* liber alter. Celeberrimus ille Medicus Monſpelienſis, fuit Conſiliarius ac Medicus ordina-

rius Henrici III. Regis Galliæ, multaque ſcripſit, & quinquagenarius obiit Anno 1582. Hos eruditos Tractatus inſcio Auctore edidit frater ejus Franciſcus Joubertus, Valentinæ Curiæ Judex major, Regiſque Navarræ a Supplicibus Libellis Conſiliarius. In primo agit Auctor *de Gymnaſiis*, id eſt, *publicis Exercitationum locis*; Gymnaſium enim proprie dicebatur locus in publica aliqua Urbis Regione exſtructus, quo ungendi, fricandi, lavaturi, diſcum jacturi, aut tale quippiam facturi confluebant. Hinc ad quodvis exercitii genus communiter & improprie Gymnaſii appellatio pervenit. Diſſerit Joubertus de Gymnaſiorum ſtructura, ipſorumque partibus & præfectis. Tranſit deinde ad exercitationes, quæ in Palæſtra fieri ſolebant; quarum præcipuæ quinque fuere, Lucta, Pugilatus, Curſus, Saltus, & Diſcus; fuit & παγκράτιον, ſed de hujus vocis ſenſu inter Eruditos non omnino convenit. Conſulendus eſt tamen Petrus Faber in *Agoniſtico* lib. 1. cap. 9. & 10. Quod ad Tractatum *de Balneis* attinet, non omnino ab Auctore eſt perfectus, caput unum aut alterum deeſt. Poſt Joubertum videbis Henrici Noris *De duobus nummis Diocletiani & Licinii Diſſertationem duplicem, cum Auctario Chronologico de Votis Decennalibus Imperatorum ac Cæſarum*. Prodiit liber hic Patavii 1685. folio. Maximam ſibi peperit famam Auctor multis eruditis Operibus. Natus eſt Veronæ Anno 1631. & juvenis adhuc Monachorum, qui Auguſtini regulam ſequuntur, cœtui ſe aggregavit. Magni deinde Hetruriæ Ducis Coſmi III. Theologus creatus, & paulo poſt Hiſtoriam Eccleſiaſticam in Academia Piſana profeſſus eſt. Tandem ab Innocentio XII. Romam accerſitus, Cuſtos Bibliothecæ Vaticanæ renunciatus eſt, Annoque 1695. Cardinalium numero adſcriptus ſupremum diem obiit Anno 1704. Vita ejus Romæ edita eſt inter Illuſtrium Arcadum Academicorum, ut vocant, Vitas part. 1. p. 199. a Joan. Mario Creſcimbenio. Occaſione deſumta ex duobus nummis, altero Diocletiani & Maximiani, altero Licinii Imperatoris, Faſtos Conſulares iſtius temporis antehac depravatos & confuſos nitori ſuo reſtituit. Dein de Votis Decennalibus erudite more ſuo agit. Antiquitus ſolebant vota pro Reipublicæ incolumitate tum in quinquennium, tum in decennium a Romanis nuncupari At civilibus odiis everſa Republica, ac Romani Orbis Imperio ad Auguſtum ac ſucceſſores Principes devoluto, Vota Quinquennalia ac Decennalia pro Imperatorum incolumitate concipi cœpere. Etenim Auguſtus veritus, ne populus plurium ſeculorum libertati aſſuetus, unius imperium excuteret, in decennium, deinde in quinquennium, denique in plura rurſus decennia, Romani Imperii regimine aſſumto, invidiam æque ac periculum ſe declinaturum putavit. Sequitur Poggii Florentini *de Fortunæ varietate Urbis Romæ, & de Ruina ejuſdem Deſcriptio*; & poſt hanc Felicis Contelorii Protonotarii Apoſtolici *de Præfecto Urbis* Liber, varia eruditione refertus, Romæ 1631. in 4°. Continet etiam ſeriem Præfectorum a Romulo ad Annum uſque 1631. Contelorium excipit *Marmoris Patavini inſcripti obſcuri Interpretatio, triplici Commentario, Thomæ Reineſii, Fortunii Liceti, & Lucæ Holſtenii, confecta*. Lucem adſpexit Pariſiis 1667. in 4°. edente Friderico Brummero. Accedit *Mantiſſa pro Antiquariis & Philologis Patavinis*, quibus variæ Inſcriptiones, Patavii repertæ, inter-

pretandæ exhibentur. Occurrit deinde *Delineatio Dianæ Arelatensis retractata & emendata a Francisco de Rebatu, Consiliario Regio & ejusdem Civitatis sedis Decano*, nunc primum e Gallico idiomate in Latinum versa. Gallice prodiit Arelate Anno 1659. non multo post Dianæ simulacrum, mille sexcentos circiter annos terra obrutum, ibidem effossum. Sequitur *Geminiæ Matris sacrorum titulus Sepulcralis* (Vesontione erutus) *explicatus & verus exequiarum ritus una detectus* a Joanne Jacobo Chifletio, Equite, Philippi IV. Hispaniæ Regis Medico a Cubiculis. Bruxellis Libellus hic typis est mandatus Anno 1634. in 4°. Sequentes duæ Dissertationes Antverpiæ Anno 1656. 4°. simul impressæ fuerunt. Prima, in qua *de Othonibus æreis* agitur, Auctorem habet Henricum Thomam Chifletium Joannis Jacobi filium. In illis probare nititur Auctor Othones æreos legitimos non exstare. In eadem sententia fuerat Antonius Piso, Ducis Lotharingiæ Medicus, nec non alii plures. Asserit Carolus Patinus in *Historia sua nummorum* Gallice conscripta, p. 203. ultra viginti Othones, de quibus dubitari non potest, Lutetiæ reperiri, decem alios se ipsum coemisse, & post discessum e Gallia, sexaginta fere a se variis temporibus visos. Ipse Chifletius quibusdam ex iis detectis palinodiam cecinit. Nihilominus Dissertatio ejus lectu digna est. Vide Vaillant in *Numism. Imp. Roman.* part. 1. in fine, & præcipue Patinum in *Famil. Roman.* ubi ipsius Chifletii ad Patinum Epistolam hac de re reperies. Altera est Claudii Chifletii, Dolanæ Academiæ Antecessoris, *de Antiquo Numismate* libellus posthumus. Chifletio subnectitur Georgii Greenii Holsati, qui deinde Electori Saxoniæ Jo. Georgio III. a sacris fuit, *de Rusticatione Romanorum, nec non de Villarum Antiquarum apud eosdem structura*, Commentariolus nec indoctus nec illepidus, qui primum Lipsiæ lucem adspexit Anno 1667. in 12°. Subjiciuntur Aldi Manutii Pauli F. Aldi N. *Dissertatiunculæ Epistolicæ tredecim*. Desumtæ sunt ex *Quæsitis ipsius per Epistolam*, quæ typis excusæ sunt Venetiis 1577. in 8°. Ejusdem Auctoris exstant Dissertationes 3. *de Toga, Tunica, & Tibiis Romanorum*, in sexto Tomo Thesauri Græviani. Sequitur Pauli Jovii, Novocomensis Medici & Episcopi Nucerini, *de Romanis Piscibus* Libellus, qui primum Romæ typis excusus est Anno 1554. in folio, in quo de iis tantum piscibus agit, quos Romani in deliciis habuere. Jovium excipit J. Baptistæ Donii Patritii Florentini *de restituenda salubritate agri Romani* egregium ac rarum Opus, quod Florentiæ Anno 1667. in 4°. prodiit. Ejusdem Auctoris Dissertatio *de utraque Pœnula* exstat in quarto Tomo Thesauri Græviani: scripsit & multa ad musicam veterem spectantia. Ait etiam p. 926. se collegisse post Gruterum ad sex millia fere Inscriptionum non Ethnicarum modo, sed Christianarum etiam veterum. Licet Donii Opus non proprie ad Antiquitates Romanas pertineat, hic tamen inferendum putavi, cum multa ibi reperiantur quæ non parum illas illustrant. Inscriptiones etiam occurrunt, quas in Grutero frustra quæsiveris. Invenies deinde, B. Lector, Gaillardi Guirani in Nemausensi Senescallia, Præsidialique Curia Regii Consiliarii, & in suprema Arausionensi Senatoris, Explicationem *duorum vetustorum Numismatum Nemausensium*

ex ære. Secunda usi sumus Editione, auctiore & emendatiore, quæ in lucem emissa est Arausione Anno 1657. in 4°. ac inter libros raros referri debet. Non duos nummos solum, sed etiam antiquitates Nemausenses (quas merito Romanas dixeris) erudite explicat. Nemausum enim fuisse Coloniam Romanam nemo ignorat: nam urbs illa, Arecomicorum caput, sub jugum Romanorum cum Gallia Narbonensi missa fuit, post Allobrogicum & Arvernum bellum confectum ad Isaræ & Rhodani confluentem, Anno Urbis conditæ 633. vel potius post Cimbricum a C. Mario, Anno 652. Vignierio & Dionysio Petavio *Rationar. Temporum* part. 1. cap. 14. & aliis Chronologis: ea autem non statim, ut aliæ Civitates Galliæ, stipendiaria & vectigalis facta fuit, sed tributorum onere immunis permansit, tanquam Juris Latini, vel Italici; quod ita accipiendum, ut non omnino libera Nemausus, sed vectigalibus, tributis ac capitationibus haud attrita fuerit, quædam enim tributa ac vectigalia ipsi Cives Romani pendebant, nec Proconsules etiam & Proprætores & alii magistratus in eam missi cum securibus, sicut in alias, ut asserit Sueton. in *Tiber.* cap. XI. & in *Caligula* cap. III. Sed Nemausensibus & illorum subditis suis uti legibus permissum ait Strabo *lib.* 4. Probat deinde Guiranus Nemausum septemcollem, Romæ æmulam, suos magistratus, sacros & politicos, (non tamen pari dignitate ac Romanos) habuise: Pontifices nempe, Flamines, Flaminicas, Vestales, Lupercos, Sodales, Legatos, Duumviros, Decuriones, Prætores, Ædiles, Quæstores, Tribunos militares, Centuriones, Præfectos vigilum & armorum, itidemque Fabrum; Sexviros, Quartum-viros jurisdicundi, & ab Ærario, aliosque ibi memoratos, nec non Corpora & Collegia, Ædes, Templa, Muros firmiores quam priscos Gallicos, judicio Jul. Cæsaris *Commentar.* VII. cap. 5. & Petri Rami *de moribus veterum Gallorum*, Pontes, Aquæductus, & invalescente luxuria, Thermas, Balnea, Palatia, Basilicas, Capitolium, Amphitheatrum cum Campo Marti sacro, Columnas, Statuas, Colossos, Tabulasque, Monumenta Romano caractere insculpta, Numismata, Gemmas incisas, Vias munitas ac militares, Pomœrium ampliasse, domos magnificas ædificasse, Prætoria ac Villas, quæ adhuc priscum nomen retinent. Ad calcem libri Guiranus apposuit Indicem eorum, quæ tribus voluminibus ab ipso conscriptis, antiquitatesque Galliæ Narbonensis maxime spectantibus, continentur. Guirano annectitur Jacobi Grasseri Basiliensis *de Antiquitatibus Nemausensibus* Dissertatio, qua præter Populi Romani magnificentiam varii ritus explicantur. Fuit edita Parisiis Anno 1607. in 8°. Multæ ibi Inscriptiones Nemausenses, quædam etiam aliorum locorum, recensentur. Hac occasione hic proferam Inscriptionem, quam nuperrime e Gallia accepi. Reperta fuit Anno 1710. prope Nemausum a fossoribus, & nunc asservatur apud D. Demissols in illa urbe Causarum Patronum.

D M

P R Æ F A T I O.

D M

C. VIBI. LICINIANI
ANN. XVI. M. VI.
C. VIBIVS.
AGATHOPVS. ET.
LICINIA. NOMAS.
FILIO. OPTIMO. PIISSIM.

ΑΝΘΕΑΠΟΛΛΑΓΕΝΟΙΤΟΝΕΟΔΜΗΤωΕΠΙΤΥΜ
ΒωΜΗΒΑΤΟϹΑΙΧΜΗΡΗΜΗΚΑΚΟΝΑΙΓΙΠΥΡΟΝ
ΑΛΛΙΑΚΑΙϹΑΜΥΟΥΧΑΚΑΙΥΔΑΤΙΝΗΝΑΡΚΙϹϹΟϹ
ΟΥΕΙΒΙΕΚΑΙΠΕΡΙϹΟΥΠΑΝΤΑΓΕΝΟΙΤΟΡΟΔΑ

Ανθεα πολλὰ γένοιτο νεοδμήτῳ ἐπὶ τύμβῳ,
*Μὴ βάτος αἰχμηρὴ *, μὴ κακὸν αἰγίπυρον,*
Ἀλλ' ἴα, καὶ σαμύουχα †, καὶ ὑδατίνη νάρκισσος·
Οὐείβιε, καὶ περί σου πάντα γένοιτο ῥόδα.

Quæ Latine ſic ſonant,

Flores multi ſint ſuper tumulo recens excitato,
Non rubus horridus, non malus ægipyrus,
Sed violæ, & amaraci, & narciſſus aquatilis:
Vibie, circa te ſint omnia roſæ.

* Leg. *αὐχμηρή.* † Rep. forte *σάμψυχα.*

Sequitur deinde *de Ordine Equeſtri veterum Romanorum* Diſſertatio ex Analectis patris ſui magnam partem hauſta & edita a Chriſtiano Wilhelmo Eybenio, Argentorati Anno 1684. in folio; nec non Joannis Servilii *de Mirandis antiquorum Operibus, opibus, & veteris ævi rebus, pace belloque magnifice geſtis*, libri tres, qui prodierunt Lubecæ 1600. in 4°. Agmen claudunt Ph. Lud. Hannekenii *De cura Domeſtica Romanorum* Diſſertationes quatuor, variæ doctrinæ notis perſperſæ, quarum prima eſt de ritibus quibuſdam nuptialibus & veſtibus privatorum; altera de ſervis & conviviis; tertia de liberis eorumque cura & veſtitu; quarta denique de bonis & facultatibus, agris, pecunia & cenſu. Edidit illas Auctor admodum juvenis Gieſſæ 1669. in 4°. idemque deinde (teſtante Cl. Fabricio *Bibliograph. Antiquar. cap. 22. 17.*) inter Germanos Theologos nomen haud obſcurum conſecutus eſt. Accedunt denique Indices duo accuratiſſimi; unus Auctorum qui in hoc Tomo vel explicati vel notati ſunt, alter rerum ac verborum. Vale, Lector, ac brevi ſecundum hujus Theſauri Tomum expecta.

Dabam Hagæ-Comit. Kalend. Octobr. MDCCXVI.

SERIES SCRIPTORUM
Quæ in Tomo primo
Novi Thesauri Antiquitatum Romanarum
inveniuntur.

NOI REFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOA.

HAvendo veduto per la fede di Reviſione, & Approbatione del P. F. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro intitolato: *Novus Theſaurus Antiquitatum Roman. del Sallengre Tomi tre in foglio* non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, & buoni Coſtumi, concedemo Licenza a Gio: Battiſta Paſquali Stampatore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di ſtampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 25. Novembre 1735.

(Z. Pietro Paſqualigo Reff.

(Michiel Moroſini Kav. Reff.

(Lorenzo Tiepolo Kav. Proc. Reff.

Agoſtino Gadaldini Segretario.

1735. primo Decembre.

Regiſtr. nel Magiſtrato Eccellentiſſimo della Beſtemmia.

Angelo Legrenzi Segr.

JULII MINUTOLI

Cælestinorum Abbatis, S. Theol. Licentiati, Sacrorum Canonum & Ecclesiasticæ Historiæ Professoris,

DISSERTATIONES SEPTEM HISTORICO-CRITICÆ,

ROMANAM ANTIQUITATEM ILLUSTRANTES:

QUIBUS

Prisci Scriptores emendati, dilucidatique: recentes castigati, inque meliorem ordinem digesti; veteres Opiniones novis fulcris firmatæ: propria demum Cogitata non infirmis conjecturis stabilita.

EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI

C A R O L O

S. R. E. C A R D.

B A R B E R I N O,

Cælestinæ Congregationis Protectori Vigilantissimo.



EA tandem est, Seneca teste, Beneficii vis, ut vel ferreos animos in obsequium flectat Benefacientis: feræque prorsus sit assimilandus is, qui gratitudinis non persentiat igniculos, sicut scite quidem Tullius asseruit. Hæc cum ita se habeant, diu mihi elaborandum haud fuit in perquirendo Operum meorum Patrono. Tot siquidem, tamque egregia sunt ea, quibus, tum me, tum Cælestinos meos (CAROLE CARDINALIS, re non minus, quam titulo Eminentissime) devinxisti, beneficia, ut nec, si possem, vellem, nec, vellem licet, potis essem, exiguo hocce grati animi monumento, meam erga Te clientelam haudquaquam contestari. Enimvero, ut privata prætercam, quæ tum multitudine, tum magnitudine etiam, omnem eloquentiam superant, publica ipsa quod attinet, inopem fateor me vel fandi copiam effecisse; nec unde exordium prætexuerim, mihi integrum superesse. Sive enim vigilantiam tuam perpenderim, qua nostræ Congregationis tutamini columitatique præes; sive comitatem illam eximiam, qua cunctis te pertractabilem offers, cunctis suavitatem minime aculeatam, ut fuit Plauti lusus, tuæ Apes mellificant; sive animi alacritatem, qua nostrum negotia æquo ac tua aggrederis conatu; aut erga studiorum nitorem profectumque zelum; aut in dijudicando æquitatem; aut in præmiorum largitionibus munificentiam inspexerim, semper Te, ut multis parasangis aliis superiorem, ita tibi ipsi ubique æqualem animadverto. Quid? quod nuper eos nobis Generales Præsules auspicato præfici curaveris, quos tum ditissimam ob virtutum segetem, tum ob diutinum prudentiæ experimentum, nos ipsi suffragiis nostris elegissemus, sicut jamdudum summis optaveramus votis, designaveramus auspiciis, plausibusque conclamaveramus. Ut longanimitatem illam tuam missam faciam, qua Generalibus nostris Comitiis non semel aut bis adesse passus es: ubi lacertosa Orationis suada, *mellisque medulla*, sicut loquitur apud Tullium Ennius, exemplo vero magis, ad æqui bonique studium singulos excitasti, allicuisti, provocasti. Quibus jam rite perpensis, inexpiabilis profecto me flagitii reum crederem, si primos mei ingenii flores tuis non exhibuissem Apibus: quippe cum satis superque perspecta sit Lycurgi lex, qui rerum omnium primitias munifico offerendas jusserat Principi, in obsequii gratitudinisque contesserationem. Alia his accessit non inæqualis ponderis ratio. Cum enim *Romanam Antiquitatem* pertractandam susceperim, eccuinam illam aptius inscripsissem, quam Romani Senatus inclyto Purpurato, Romanæ insuper Urbis nobili Præfectura insignito, Antiquis, cum morum integritate, tum animi candore equidem comparando? Urbem ergo Romam a me illustratam Illustratori ipsi Urbis jure omni litandam censui. Postremum his supervenit momentum, innoxii scilicet fœnoris cupiditas: quatenus e Barberinis Apibus, suavis, amplissimi mellis, usura, Patrocinii, inquam, ac tutaminis dulcedo meis studiis instillaretur. Quanta vero hæc evasura sit, is æque libraverit, cui Eminentiæ Vestræ incomparabiles dotes perspectæ fuerint. Ut enim Nobilitatem missam faciam, qua Triregnis, qua Purpuris, qua Sacris Tiaris, qua Civilibus Togis, qua Militari Sago, & Chlamyde, imo & Diademate, insignem; hæc potius mihi admirationi sunt, profusa nempe Tui in pauperes Charitas; non vacuus subditorum Amor; vigil commissi tibi Gregis Zelus; Sapientia illa, & Prudentia, miraque in rebus exsequendis Solertia, ob quas ne dum Italia, proximæque Nationes, verum & exteræ, efferæque indolis homines, ipsi etiam Balthici littoris Incolæ præsentissimum Eminentiæ Tuæ Patrocinium expostulant; & ubique Terrarum Magnum CAROLUM, Magni illius URBANI Nepotem, tum nomine, tum perfectione Octavi, (qui, ut Octavum Urbi dedit Urbanum, ita & Orbi Octavum Miraculum adjecit) suum Tutelare Numen proclamant. Unde Tibi profecto ccinit, quod Claudianus de suo cecinerat Probo, mutato solum Probi in Caroli nomine, imo ne hoc quidem variato,

> *Illum fama vehit trans æquora, transque remotas*
> *Tethyos ambages, Atlanteosque recessus.*

Sed quo me obsequii ardor, magis vero impensius veritatis studium, impulit, ut ex Historico Encomiastes, contra genium, jussumque tuum, evaderem? His ergo jam satis: Trajanos siquidem soli rite decantabunt Plinii: Nec pium Æneam alter æque commendaverit, quam aut Maro, aut Maroni par: utve cum Claudiano rem claudam,

> *Nec mihi centenis resonent si vocibus ora,*
> *Multifidusque ruat centum per pectora Phœbus,*
> *Acta Tui narrare queam:*

Siquidem, ut Censorini mutuer verba, *ad id virtutum omnium fastigium adscendisti, ut cuncta ista, quæ vel sapienter monentur, vel familiariter prædicantur, vita, moribusque superaveris*. Quare illud

reliquum est, ut munusculum hocce ea, quæ tuarum Apum est, suavitate, ea, quæ tuæ frontis est, hilaritate, suscipias; è summoque Clementiæ Tuæ Cœlo, benefico prospicere vesis adspectu Me

Eminentiæ Vestræ Reverendissimæ

Addictissimum interminabilis obsequii Clientem,

Dominum Julium Minutolum Cælestinorum Abbatem.

ARGUMENTUM PRÆSENTIS LIBRI
ab Auctore ipso Operis poetice elucubratum ad tædii diminutionem, & nonnihil levaminis.

EXcinerat Prima antiquæ primordia Romæ,
Vindicat, ac firmat Romulidum Genesim.

Pugnantes Aquilas, atque incrementa, Secunda,
Prolatos Fines, postea & Interitum.

Circuitum, Portas, Colles, Fontesque, Cloacas,
Pontes, atque Vias, Tertia, & inde Tybrim.

Exhibet & priscas Ædes, Formamque struendi,
Et Partes omnes ordine Quarta locat.

Reddit Quinta Aras, Templa, & Delubra Deorum,
Cellas, & Pronaon, ac Simulachra Deum.

Sexta sepulchrales Umbras, tristesque Cupressus
Lugens, atque Sacra Relligione colit.

Septima Basilicas pandit, Comitia, Rostra,
Tandem vendit, emit, judicat inque Foris.

JULII MINUTOLI

Cælestinorum Abbatis, &c.

DISSERTATIONES SEPTEM HISTORICO-CRITICÆ, ROMANAM ANTIQUITATEM ILLUSTRANTES.

DISSERTATIO PRIMA

De Urbis Romæ Origine, & Fundatione.



Quoniam nequit res, qua de agitur, rite exacteque pertractari, nisi apposita ad radicem securi, ejus origo, primaque omnino stamina acu, quod ajunt, indicentur; sicut probe quidem pluribusque in locis inquit Philosophus: hinc Romanas res explanaturus, piaculum me commisisse crediderim, si Urbis Romæ originem minime detexissem. Quapropter recto sane consilio Operis mei exordium ab exordio ipso Urbis prætexo.

Sed vero videor hic primo mei laboris in limine cogi, ut ab historico, quod suscepi, instituto paulisper digressus, palæstram, vel invitus, ingrediar, ubi Historiæ leges transgrediens, quæ pacem quietemque jubent, gymnasticis munitus armis in arenam descendam, ut pervulgatam, toto que Orbe celeberrimam, Romæ originem districto mucrone apertoque Marte propugnem; quippe quam derideri a plerisque comperiam, atque inter fabellarum omnino commenta amandari. Quod si in re tam nota prolixior fortassis, quam par sit, evasero, vitio id mihi verti nolim, sed potius iis, qui inanibus suis oppositionibus rem claram obfuscarunt, meque ad acuendum produ cendumque calamum coegerunt.

Nihil sane magis per ora hominum circumlatum, longaque temporis præscriptione stabilitum, quam Urbis Romæ Conditores fuisse Romulum Remumque gemellos fratres, Albanos, Rheæ Sylviæ filios, ab Ænea per Ascanium oriundos. Quia vero nulla veritas adversario caret, hinc mirum videri minime debet, prærogativam hanc multos Albanis fratribus abjudicasse, ut alios pro lubitu ea gloria insignirent. Id dumtaxat mirari subit, in re tam clara, ipsisque balneatoribus cognita, tot discordantes confingi sententias potuisse: Plutarchus [1] enim octo recenset, decem numerat Festus, Halicarnassensis [2] vero duodecim; ut nuperos missos faciam, qui nova figmenta commoliti sunt. At parcendum id tum temporis indoli, quod clariora quæque annorum umbris sæpe obnubilat: tum hominum ingenio, quibus nova semper placent, tametsi a veritate ut plurimum quam longissime aberrantia.

Ut ergo ex tot opinionibus celebriores saltem recenseam, in binas classes illas divido, ut ita or- A do in hoc Opere a nobis promissus rite observetur. Primi ergo longe ante Trojanum excidium conditam Urbem affirmant. Sic Aristoteles [1] a Græcis quibusdam illam ædificatam ait a procellæ impetu in Latium depulsis: Dionysius Chalcidensis [2] a Romo Emathionis filio: alii ab altero Romo Itali filio: alii a Roma e Leucaria genita: alii a Romo e Circe nato; in qua sententia Xenagoras etiam fuit [3]: alii apud Solinum [4] a Romo tyranno e Lycia in Italiam appulso: alii apud Plutarchum a Pelasgis: alii tandem, multis prætermissis, ab Euandro Arcade; quæ sententia præ cæteris probabilior Cluverio existimatur, ut infra.

B Altera Auctorum classis Urbis fundationem Æneæ, aut ejus filiis nepotibusque, attribuit. Sic Damastes Sigensis [5] censet ab Ænea Romam extructam, nomenque ei inditum a muliere quadam Trojana Roma nuncupata: Cephalo Gergithius [6] a Romulo & Remo Æneæ filiis post captum Ilium profugis; cui opinioni Demagoras, & Agathyllus adstipulantur: quidam [7] a Roma Æneæ uxore, vel nepte. Ita Græci Scriptores, quibus consentire videntur prisci etiam Romani ab Halicarnasseo recensiti.

Verum enimvero non hic litterarii nostri belli C exordium. Quandoquidem, si cum his dumtaxat pugnandum nobis esset adversariis, absque ullo sane congressu certamen finiretur. Scio a plerisque enarratas opiniones parvipendi, & fabulosas reputari: id quod & mihi quoque arriserat. Sed re ad æquiorem trutinam expensa aliter sentio: si enim veterum Scriptorum auctoritatem minuerimus, totius Historiæ debilitabimus armamentarium; nec scio quibus propugnaculis nostram tueri sententiam valeamus. Novam ergo lubet calcare viam, antiquis tamen fundamentis innixam, priscos scilicet supra laudatos Auctores nostræ pervulgatæque opinioni conciliando. Sed qua inquis D methodo? Filum porrigit in hac labyrintho Halicarnasseus. Ut enim a postrema Auctorum classe incipiam, sic ad rem nostram opportunissime eximius hic Auctor loquitur: Ὥστε διττὰς εἶναι τῇ Ῥώμῃ τὰς κτίσεις· τὴν μὲν, ὀλίγον ὕστερον τῶν Τρωϊκῶν γενομένην· τὴν δὲ, πεντεκαίδεκα γενεαῖς ὑστέραν τῆς προτέρας, &c Unde colligitur *Romam bis fuisse conditam, semel quidem paulo post bellum Trojanum; iterum vero decimaquinta ætate post priorem Urbem conditam, Romuli, Remique ductu.* Ex quibus concludere licet, Æneam, aut ejus

1 In Romuli Vita. 2 Antiq. Rom. l. 1.

1 Apud Halic. loc. cit. 2 Apud eundem. 3 ibidem. 4 C. 1. 5 Ex Halic. & Plut. cit. 6 Ex Halic. cit. 7 Plut. in Vit. Rom.

filios nepotesque, Romam quidem ædificasse, prout allati Auctores testantur, quam tamen antiquitate collapsam Albani fratres, sicut nostra fert opinio, reædificarint. En ergo priscos Auctores ad nostram vulgatamque opinionem perductos.

Sed quid, ais, dicendum de prima classe Scriptorum, qui longe ante Æneæ tempora conditam Urbem asseverabant? Nodum etiam hunc, ceu alter Macedo, idem Halicarnasseus rescindit his verbis: Εἰ δὲ τις ἀπιδεῖν βουλήσεται τὰ προσώτερα, καὶ τρίτη τις ἀρχαιοτέρα τούτων εὑρεθήσεται Ρώμη, γενομένη πρὶν Αἰνείαν καὶ Τρῶας ἐλθεῖν ἐν Ιταλίᾳ. *Quod si longius spectare, & res considerare velis, & tertia quædam Roma his antiquior invenietur, quæ condita fuit antequam Æneas & Trojani in Italiam venirent.* Ex quibus iterum, citra nostræ opinionis superiorumque Auctorum præjudicium, adstrui tuto potest, antiquiorem quidem Romam ante Trojæ excidium a commemoratis conditoribus ædificatam, diversam tamen ab ea, quam Albani in Palatino Monte condiderunt. Fuisse vero diversam, ejusdemmet Halicarnassei dubitatio confirmat, sic enim de antiquissima Roma inquit: Πότερον δὲ περὶ τοὺς αὐτοὺς ἦν τόπους, ἐν οἷς ἡ νῦν οἰκουμένη πόλις ἐστὶν, ἢ χωρίον ἕτερον οὕτως ἐτύγχανεν ὀνομαζόμενον, ἀσαφὲς ἐκείνου καταλιπόντος, οὐδ᾽ ἐγὼ δύναμαι συμβαλεῖν. *Sed utrum in eodem loco sita fuerit, in quo nostri sæculi Urbs incolitur, an vero alius locus ita vocaretur, cum ille* (Antiochum Syracusanum vetustissimum Scriptorem intelligit) *rem istam incertam reliquerit, ne ego quidem conjicere possem.* Hæc ille. Id autem, quod antiqui Auctores indefinitum reliquere, quis audeat definire? Stet igitur alias Romas antiquissime ab aliis conditas, dummodo hæc, quæ exstat, gemellos fratres conditores habuisse, firmum ratumque sit, aut minimum renovatores.

Sed est, qui instet, ampliatam dumtaxat vetustissimam illam Romam, non constitutam a Romulo fuisse. At ecce iterum Halicarnasseus hunc ictum retundit, sic inquiens: Ταύτην δὲ χρόνους τινὰς ἐρημωθεῖσαν, ἑτέρας αὖθις ἐλθούσης ἀποικίας, ἣν Αλβανοὶ ἔστειλαν, ἡγουμένου Ρωμύλου καὶ Ρώμου, τὴν ἀρχαίαν κτίσιν ἀπολαβεῖν. *Hæc quodam tempore deserta, iterum alius adventu coloniæ ab Albanis missæ, Romulo & Remo ducibus, veterem statum recuperavit.* Hæc ipse. Ubi non ampliavit, sed *veterem*, ait, *statum recuperavit*, quod idem certe, nisi me Latinus sermo deseruit, sonat, ac collapsam Romam renovasse, veteres muros ædesque refecisse, & novis Civibus solitudinem illius frequentasse; eo vel maxime, quod eandem *quodam tempore desertam* dicat.

Reconciliatis ad hunc modum Antiquis, ecce Jani portas nuperi aperiunt, bellumque nobis indicunt Philippus Cluverius [1], & Joannes Temporarius [2], qui intensis lacertis suadere conantur, omnia ea, quæ de Romulo & Remo, nec non de Albani Regni per Ascanium fundatione, imo quotquot de Æneæ in Italiam adventu circumferuntur, fabulam omnino sapere, adeoque distortis buccis exsibilanda. Operæ ergo pretium poscit, ut denudatis humeris Amphitheatrum luctaturi ingrediamur.

Primo vero omnium præfatorum Auctorum arma, quibus nos lacessunt, perpendenda sunt. Præcipua eorum ratio est, quod res Romuli & Remi multis fabellarum vero dissimilium involucris contegantur; ut sunt compressio Rheæ Sylviæ a Marte; expositio puerorum in Tyberi remoto, cum propinquior adeoque commodior adesset Albanus lacus; & lactatio puerorum a Lupa: tum quia incredibile est ministrum regium in ripa amnis vivos pueros reliquisse; magis incredibile, Romulum, Urbem suam, Romam appellare voluisse, & non potius e suo nomine Romulam; tum etiam quia Rhea, Romuli mater existimata, a priscis Scriptoribus dicitur Saturni uxor, a Latinis Ops, Cybele, & Vesta appellata [1]: Romulus vero Deus asseritur sub Quirini nomine [2]: ex quibus colligit Cluverius nec Rheam, nec Romulum homines umquam fuisse. His addit claros Scriptores: Plutarchus [3] enim, postquam dixit de conditione Romæ Peparethium Dioclem aliquid primum prodidisse, addit, suspectam haberi ejus narrationem, ut fabulosam atque commentitiam: Livius [4] deinde hæc eadem *poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis monimentis affirmat*. Salustius tandem [5] de Roma loquens, nullam Romuli mentionem facit.

De Æneæ in Italiam adventu quid dicam? Hunc videtur Homerus [6] penitus infringere, cum Neptunum introducit Æneæ prædicentem cum filiis dominaturum Trojanis: tum quia Dictys Cretensis Æneam ait Trojæ mansisse, solo Antenore discedente: id quod etiam affirmat Strabo [7], eum afferens in Regnum post Priamum successisse. Idem testatur Hellanicus [8]. Causam addit Menecrates Xanthius [9], Æneam inquiens prodidisse Trojam Achivis, inque præmium obtinuisse, ut omnis ab ejus domo injuria arceretur. Quæ ergo necessitas fugiendi, & peregrinas conquirendi terras? Esto autem fugerit, testes tamen sunt Cephalo Gergithius & Egesippus, Thraciam tenus perductum Æneam illic vitam terminasse; Aristus etiam [10] & Agathyllus scribunt Æneam toto vitæ suæ tempore in Orchomeno Arcadico habitasse [11]. Ex quibus inferunt eruditi Æneæ in Italiam adventum a Maronis Musa poetico more confictum fuisse: imo, quod magis mirere, Trojæ etiam excidium, quod peculiari libro Dio Chrysostomus [12] fabulosum ostendit: sicut & Didonis in Æneam amores, de quibus vide Ausonium [13], Trogum [14], & Macrobium [15], qui castissimam adstruunt Didonem. Quapropter corruente Æneæ in Italiam adventu, Albani Regni ab Ascanio fundati effictio corruat necesse est: quibus addit Cluverius Auctorum de Albanis Regibus scribentium discrepantias, cum alii [16] plures, alii [17] pauciores enumerent, in nomine quoque & ordine etiam dissentientes.

Hæ sunt balistæ, hi arietes, hæc jacula, quæ contra nostram vulgatamque sententiam laudati Auctores intorquent. Quorum tamen ictibus succumbendum nobis non est, neque a communi recedendum opinione, quæ tum Æneæ in Italiam adventum, tum Albani Regni ab Ascanio fundationem, tum Romuli Remique res pro ratis omnino habet; dummodo a paucis quibusdam fabulis purgentur, quod nostri erit operis ac laboris.

Abundantissima istorum omnium demonstratio peti posset ab antiqua traditione, non unius Populi Romani, sed omnium fere, non plebis dumtaxat, sed emunctæ etiam naris hominum. Quantum vero traditionibus deferendum sit, norunt jamdiu Sapientes: iis enim semel neglectis, multa erunt, quæ omni probationum fulcro carebunt; cum multa sint, quæ præter puram putam traditionem nulli solidiori argumento innitantur. Tunc autem vel maxime traditioni fidendum omnino est, cum veris chronologiis minime opponitur, cujus generis esse Romuli res, infra apparebit. Quare his

1 L. 3. c. 2. antiquæ Ital. 2 Chronolog. demonstrat. l. 3.

1 Strab. l. 1. 2 Ovid. 2. Fast. 3 In Rom. Vita. 4 Decad. 1. 5 De Bell. Catil. 6 Iliad. 20. 7 Lib. 13. 8 In Rebus Troicis. 9 Apud Cirinum in sua Roma c. 8. 10 In Rebus Arcad. 11 Apud Cir. c. c. 8. 12 Orat. de Ilio non capto. 13 In Epigr. 111. 14 L. 7. 15 Saturn. l. 5. c. 17. 16 Ovid. 4. Fast. 17 Vict. de Orig. Rom.

denegatis, ingens aperiretur via, qua universa antiquitas pessumdaretur.

Accedunt traditioni concordantissimi magnæ fidei Scriptores. Imprimis Halicarnasseus sæpius a nobis laudatus, qui, ut Romanas res summa puritate libris exararet, viginti annorum spatio Latinum sermonem didicit, omnesque Scriptores revolvit. Accedit Livius acerrimi vir judicii; item Vellejus Paterculus Scriptor brevis, sed sensatus; Aurelius Victor Auctor equidem diligentissimus; Florus elegans non magis quam veridicus; Sextus Rufus vir Consularis, Eutropius, Trogus, Justinus, Tacitus, uno verbo, omnes [1]; si unum, vel alterum excipias. Æneæ adventum, præter laudatos Auctores, testatum reliquit Dares Phrygius, quo in rebus Troicis fideliorem utique non habemus, quippe qui eodem tempore & loco vixerit.

Auctoritatibus & traditioni suppetias ferat praxis ipsa priscorum Romanorum. Hi enim firmissima hac opinione alte animo imbuti, semper tamquam primos suos parentes Trojanos venerati sunt. Hinc tot Senatusconsulta & Constitutiones Principum emanarunt, plenissimam immunitatem Iliensibus tribuentes propter eorum cum Romanis, ratione originis, conjunctionem. Sic testatur Callistratus J. C. [2]. Clarius vero Livius [3] ita scribens: *Iliensibus ex Senatus auctoritate immunitatem datam, non tam ob recentia ulla merita, quam originum memoriam; Iliensibus quidem ab se oriundos Romanos præferentibus, Romanis autem lætis origine sua.* Missos facio Strabonem, Tacitum, aliosque, cum solum lubeat Suetonium [4] afferre, qui sic ait: *Iliensibus, quasi Romanæ gentis auctoribus, Cæsar Claudius tributa in perpetuum remisit, recitata vetere epistola Græca S. P. Q. R.* Justinianus [5] etiam, *Si quis*, ait, *ad antiquissima Romanæ Reipublicæ tempora respexerit, Æneas Rex Trojanus nobis Reipublicæ Romanæ princeps est, & ab illo Æneadæ nos vocamur.* Id quod & alibi etiam inculcat [6]. Fuisse vero Romanos etiam ante Justinianum Æneadas appellatos, plura exempla testantur, præsertim Clypei illi argentei Delphis Apollini dicati a T. Flaminio, postquam Philippum Macedonum Regem profligavit. Legatur Augustinus [7], qui omnem prorsus hac de re dubitationis nebulam eliquat.

Non sum hic usqueadeo ipse ingenio hebes, ut non persentiam utramque nostram hanc probationem rideri ab adversariis posse, asserentibus, Auctores a nobis allatos parum accessionis facere, cum Augusti sæculum non excedant: praxim insuper Romanorum nihil roboris habere, quod ortum duxerit ab inani quodam rumore, mendacique fama a Græcis sparsa, Peparethii præsertim, quem primum de his rebus scripsisse, ab eoque Latinos suscepisse, testatur Plutarchus. Quis autem nesciat Græcorum jactantiam? Quare cum Trojanis origine fœderatos Græcos affirmet Halicarnasseus, nil mirum si a Trojanis, dicam melius, a seipsis oriundos fuisse Romanos in vulgus jactaverint Græci, *genus in gloriam suam effusissimum*, ut ait Plinius.

Huic objectioni ut satisfiat, nostræ partes erunt demonstrare traditionem hancce ab antiquissimis Scriptoribus, iisque non Græcis, sed Romanis ortum habuisse. Eja igitur antiquitatis monumenta priscaque perlustremus cimelia, ut ab ipsis sepulchralibus umbris facem nostris Scriptis afferamus. At ecce hic primo omnium occurret Halicarnassensis, qui in Præfatione sui Operis protestatur, singula, quæ de Romana origine scripsit, mutuatum se fuisse ex Libris Porcii Catonis, Fabii Maximi, Valerii Antiatis, Licinii Macri, Ælii, Gellii, Calpurnii, Antiochi Syracusani, aliorumque. Quos certe Romanos fuisse juxta ac antiquissimos idem testatur Halicarnasseus. Ubi ergo sunt Græci, quorum præfatus Auctor nec quidem meminit?

Ut vero penitius antiquitatem scrutemur, en sese nobis offerunt Pontificum Annales, quorum vetustatem Quintilianus [1] & Tullius [2] valde declarant, cum hic ita scripserit: *Memoriæ publicæ retinendæ causa ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mutium P. M. res omnes singulorum annorum mandatas literis a Pontifice Maximo.* Ubi notanda sunt verba illa *ab initio rerum Romanarum*, quæ horum librorum antiquitatem clare contestantur: Pontifices enim Maximos, qui eos exarare cœperunt, a Numa institutos fuisse, dicam *Tom. v. Diss. de Sacerd.* His adde Commentarios Servii Tullii, Librosque linteos, quos Livius pro rebus Romanis stabiliendis sæpe citat; imo iisdem Peparethium ipsum, aliosque Græcos usos fuisse, fatetur Cluverius. Ad hæc, aderant etiam Sacræ Tabulæ, de quibus sic ait Halicarnasseus: Ἐπὶ τὰς Ῥωμαίων ἐλεύσομαι συγγραφεῖς ... ἐκ παλαιῶν μέντοι λόγων ἐν ἱεραῖς Δέλτοις σωζομένων, ἕκαστός τις παραλαβὼν ἀνέγραψε. *Ad Romanos Scriptores transibo ... quorum quilibet ex antiquis sermonibus asservatis in Tabulis sacris sua descripsit.* Colophonem imponunt antiquissimæ Memoriæ Censuanæ, quas, ut loquitur Halicarnasseus, *διαδέχεται παῖς παρὰ πατρὸς, καὶ περὶ πολλοῦ ποιεῖται τοῖς μεθ' ἑαυτὸν ἐσομένοις, ὥσπερ ἱερὰ πατρῷα, παραδιδόναι, filius a patre accipit, iique homines multifaciunt illas, ut res paternas sacras descendentibus suis relinquerent.* Quibus Memoriis, atque Regestis quid antiquius, quidve veracius excogitari possit ignoro. Optandum sane esset, ut omnes historiarum narrationes pari fulcro inniterentur.

Unus remanet scrupulus, recensitas hucusque Memorias nihil ad rem præsentem pertinere. Sed ecce iterum Halicarnasseus, qui in tota hac Dissertatione tutelaris numinis loco mihi exstitit. Hic enim ingenue profitetur opiniones suas de Urbis origine ab adductis Memoriis, Commentariis, & Tabulis se decerpsisse. Unus sufficiat locus [3] pro mille, ubi de conditæ Urbis tempore loquens, inquit: Δηλοῦται δ' ἐξ ἄλλων τε πολλῶν, καὶ τῶν καλουμένων Τιμητικῶν Ὑπομνημάτων, ἐν οἷς εὑρίσκω. *Quod ostenditur, tum ex rebus aliis multis, tum ex Memoriis nomine Censuanis, in quibus ego quidem invenio.*

Ad. Æneæ in Italiam adventum quod spectat, non minor illi antiquitas favet. Audiatur Magister noster Halicarnasseus [4]: Τῆς δ' ἐπὶ Ἰταλίαν Αἰνείου καὶ Τρώων ἀφίξεως, Ῥωμαῖοί τε πάντες βεβαιωταί, καὶ τὰ δρώμενα ὑπ' αὐτῶν ἔν τε θυσίαις καὶ ἑορταῖς, μηνύματα, Σιβύλλης τε λόγια καὶ χρησμοὶ Πυθικοὶ καὶ ἄλλα πολλά· ὧν οὐκ ἄν τις ὡς εὐπρεπείας ἕνεκα συγκειμένων ὑπερίδοι. *Æneæ Trojanorumque in Italiam adventum, & Romani omnes asserunt, & res, quæ in diebus solemnibus atque in sacrificiis ab iis fiunt, & Sibyllina carmina, & Apollinis Pythii responsa aperte ostendunt, quæ nemo est, qui, ut ornatus causa dicta, sperneret.*

Ex his perspicue habes, ea omnia, quæ de Urbis origine a nobis tradentur, non esse recentium Romanorum, aut Græcorum commentum, sed ex antiquissimis Chartulariis petita. Hinc magnus ille Varro [5] tria distinxit tempora; Primum a creatione Mundi ad diluvium, quod obscurum appellat, eo quia Mosis libris caruit: Secundum a diluvio ad Olympiades, quod fabulosum nominat:

1 Apud eumdem Victorem. 2 Tit. de excusationibus, l. non tantum 17. ff. 1. 3 L. 35. 4 In Vita Claud. 5 Novell. 47. 6 Novell. 25. 7 De Civit. Dei.

1 L. 10. c. 2. 2 2. de Orat. 3 Lib. 1. 4 Ibid. 5 Apud Censor. de die nat. c. 1.

Tertium a prima Olympiade inchoat, & hiſtoricum vocat, quod inde Hiſtoria puriora habuerit cunabula. Cum ergo circa ſeptimam Olympiadem condita Urbs fuerit, ut infra oſtendam, omnis debet erroris ſuſpicio eradi. Hinc pariter graviſſimus Tertullianus [1] de Saturni rebus ſermonem habens, ait, *ſi quæras rerum argumenta, nuſquam invenio fideliora, quam apud Italiam.* Tantam certitudinem de rebus Saturni longe ac res Romuli antiquioribus ſibi ſpondet Tertullianus. Cur ergo circa Romuli res tot priſcis monumentis firmatas hæſitabimus?

Quapropter deridiculi omnino ſunt Cluverius & Temporarius, cum aſſerunt, primus quidem Peparethium ex Græcorum fabulis ante omnes Romanam hiſtoriam conſtruxiſſe, quam poſtea ipſi Romanorum vetuſtiſſimi Scriptores ſequuti ſint: ſecundus vero Romulum ait a Poetis fuiſſe confictum. Ut enim a poſtremo hoc incipiam, a quibus confictus fuit Poetis? cum Roma nonniſi poſt annos 445. in Conſulatu Centonis & Sempronii Poetas viderit, quorum primi Andronicus & Ennius, de quibus nec mentionem quidem habuit Halicarnaſſeus. Non minorem redolet abſurditatem primum illud de Peparethio, quem longe poſteriorem ſacris Tabulis, & Annalibus Pontificum, Memoriiſque Cenſuanis norunt jamdudum Chronologi. Nec video qua arte incohærentiæ notam effugere valeat Cluverius, cum ipſemet dixerit, *Peparethium ex quibuſdam*, ſunt ejus verba, *Romanorum Sacris probabiliorem hiſtoriam conſtruxiſſe*: & paulo ante idemmet aſſeruerat, *licet ex antiquis tabulis in templis ſuſpenſis eam (Romanæ originis hiſtoriam) priſcos Romanos collegiſſe affirmet Dionyſius.*

Operæ nunc pretium poſcit, ut iſtorum Auctorum argumenta refellamus. Ad primum de intermixtis fabellis ſolutio patebit inferius, cum fabularum lolia ab hiſtoriæ tritico critica vanno ſeparabimus. Neque enim quicquid fabulis commiſcetur, continuo fabuloſum cenſendum eſt. Præterquam quod ea, quæ fabuloſa exiſtimantur, quod admirationem ſuperent, vera eſſe potuerunt, quantumvis mira; ſupremo ſcilicet ſic ordinante Numine, ut imperatricis Urbis cunabulis admiranda quædam prodigia, velut tædæ faceſque, præluxerint. Id quod Plutarchus [2] etiam agnovit, inquiens: *Οὐ δεῖ δὲ ἀπιστεῖν, τὰ Ῥωμαίων πράγματα λογιζομένους, ὡς οὐκ ἂν ἐνταῦθα προύβη δυνάμεως, μὴ θείαν τινὰ ἀρχὴν λαβόντα, καὶ μηδὲν μέγα μηδὲ παράδοξον ἔχουσαν.* *Verum haud fas eſt fidem ei derogare, ſi conſideremus rem Romanam ſine divino aliquo auſpicio, & magno miraculo non fuiſſe eo potentiæ progreſſuram.* Ubi mirari ſubit *frigidum ac frivolum* vocari hic a Cluverio Plutarchum, quem antea jactato ſago commendaverat. Ea ſcilicet eſt nonnullorum inconſtantia, ut eum, qui cauſæ ſuæ non faveat, continuo carpant.

Illud de puerorum expoſitione nihil difficultatis faceſſit; ſolitum enim fuiſſe olim pueros exponere, alibi dicemus: tyranni enim ipſi quandoque a cæde & ſanguine abhorrent. Magis leve eſt id, quod de Romæ vocabulo additur, de voce enim lis eſt, quam certe prætermitterem, niſi mihi obvius occurreret Varro apud Feſtum inquiens, *Romam antea Romulam appellatam, deinde detortam vocem, detritaſque literas fuiſſe.* Reſponſionem omnino demeretur quicquid de Rheæ & Romuli divinitate adjicitur: non enim eruditis novum, homines per apotheoſim olim inter divos translatos: præterquam quod multas Rheæ nomine appellari potuiſſe quid obſtat? Auctoribus tandem, qui contra nos afferuntur, innumerabiles alios ſupra a nobis laudatos oppono. Id dumtaxat ſtupori ſit, qua fronte Livium & Plutarchum pro ſe adducat Cluverius, cum uterque rerum Romuli aſſertor ſuperius viſus ſit. Dubium unice eſſe poſſet de Saluſtio; qui tamen non ſolum Romuli hiſtoriam nuſquam inficiatus eſt, verum etiam, cum Romanam originem ad Æneam detulit, implicite res Romuli ratas habuit.

Æneæ adventum, fateor, plerique negarunt. Sed qui, aut cur? Negarunt illum ex invidia Græci. Audiatur Halicarnaſſeus [1], ita loquens: *Βούλομαι δὲ καὶ περὶ τῆς Αἰνείου παρουσίας εἰς Ἰταλίαν, ἐπεὶ τῶν συγγραφέων τοῖς μὲν ἠγνόηται, τοῖς δὲ διεφθόνηται ὁ περὶ αὐτοῦ λόγος, μὴ παρέργως διελθεῖν.* *Dicam adventum in Italiam Æneæ, Scriptoribus partim ignoratum, partim diſſimulatum invidia.* De Homero ſpecialis militat ratio, Pictoribus enim atque Poetis quodlibet audendi datur ampla facultas: quibus adde Poetam ſolum dixiſſe Æneam Trojanis dominaturum: at *nonne poterat Æneas imperare Trojanis illis, quos ducebat ſecum?* ſunt Halicarnaſſei verba. Utut ſit, unus Dares Phrygius pro adventu Æneæ tuendo firmiſſimum propugnaculum exſtat: præter omnes illos, quos adducit Bochartus in quæſtione de Æneæ adventu in Italiam.

Putabam hic Jani fores claudendas omnino eſſe, prælioque completo, conditæ Urbis palmam Romulo Remoque reſtituendam. Sed aliter res habet. Poſtquam enim hæc ſcripſeram, ad meas pervenere manus bini Auctores, ni verius unus, imo veriſſime nullus, cum uterque unam eandemque opinionem a falſo apocryphoque Scriptore ſuffuratus ſit. Sunt hi Zamorenſis Florianus, & Emmanuel de Faria, y Souſa, quorum primus Hiſpanus, ſecundus Luſitanus; ille in rerum Hiſpanicarum Hiſtoria Hiſpanice conſcripta [2], iſte vero in Luſitanarum rerum Epitome Luſitano idiomate exarato [3], Romæ conditores fuiſſe contendunt, prior quidem Hiſpanos, poſterior Luſitanos. Sic figmentum ſuum prætexit Zamorenſis, Italum inquiens Italiæ Regem fratrem habuiſſe nomine Heſperum in Hiſpanis regnantem. Ægre vero ferente Italo tam vaſtam Heſperi fratris dominationem, ingenti Claſſe comparata in Hiſpanias permeaſſe, ut Heſperum regno expelleret: quo obtento, Heſperum in Italiam miſiſſe, ipſumque in Hiſpaniis habitaſſe. Fatum autem, binis vix elapſis annis, obeunte Heſpero, iterum in Italiam navigaſſe Italum, relicto in Hiſpanico regno filio Sicoro. Appulit primo Italus ad Siciliæ oram, ubi multis relictis militibus, quos Hiſpanos fuiſſe perfricte fatetur Zamorenſis, inſulam illam, cæterum deſertam, coluit. Cum reliquis tandem Hiſpanis in Italiam tranſiens, Urbem Romam in Tyberis ripa primus condidit. Iiſdem pene ſenſibus rem explicat Emmanuel, in hoc ſolum a priori diſcrepans, quod eundem Italum in Luſitania habitaſſe aſſerat, ibique ex Leucaria filiam Romam nomine obtinuiſſe: e Luſitania vero in Italiam una cum ingenti Luſitanorum exercitu regreſſum, Urbem unam pro ſe in Aventino Monte condidiſſe, in Palatino alteram pro filia, e cujus nomine, Romæ nomenclaturam ſumpſerit. Poſthæc, velut parta jam victoria, pæana ſibi canens, ſic concludit Emmanuel: *De manera que ſus primeros fundatores* (de Urbe Roma loquitur) *fueron Portugheſes, no Romulo, como algunos penſaron.* Ubi Luſitani iſtius confidentia admirationi mihi eſt, ni dicam deriſioni, cum tam latum figmentum contra totius Antiquitatis fidem venditet, nullo Auctore, vel ratione, aut ad minus conjectura in ſuæ cauſæ patrocinium allata.

Si aliquod vel leve argumentum pro ſua opinione

1 Apologet. c. 11. 2 In Rom. Vita.

1 L. 1. 2 L. 1. c. 1. 3 L. 1. c. 2.

ne Auctores isti attulissent, facile nobis esset eos cum nostra sententia reconciliare, methodo, quam supra ab Halicarnasseo mutuati fuimus, asserendo aliam quamdam Romam ab Hispanis vel Lusitanis conditam quidem fuisse, quam postea solo æquatam Albani nostri excitarint. Quoniam vero nulla ad id confingendum nos necessitas urget, nullum enim ipsi referunt Auctorem, hinc commentum hoc lubet aliter refellere; & quidem fusius quam causa exposcat, cum animadverterim a nemine hucusque, quod sciam, confutatos eos fuisse.

Primo vero fontem ipsum, unde hæc fabella manavit, detegemus: sicut enim scite inquit Hieronymus, errores ad suas origines deduxisse, confutasse est. Narrationem suam e Berosi libro, quem Annius Viterbiensis edidit, dicam melius supposuit, Auctores nostros decerpisse, pro incomperto mihi omnino est; ita enim ad verbum singula in Berosi libro leguntur. De hoc autem Berosi Opusculo judicium penes Eruditos esto, qui jamdudum illud tamquam apochryphum subodorarunt; id quod agnoscentes præfati Hispani recto sane consilio a Berosi citatione abstinuerunt, ne vel hoc solo titulo se falsitatis proderent. A turbido igitur Berosi fonte, quæ nisi turbida aqua hauriri valuit? His adde Priscorum neminem, qui Romanam originem serio investigarunt, aut Hispanorum, aut Lusitanorum, usquam meminisse; imo nec Hesperi, nec Itali in Hispanias itus reditusque; non Halicarnasseum, non Plutarchum, non Livium, quodve magis mirere, nec Rufinum, nec Eusebium, nec Hieronymum in Chronicis, quantumvis ipsi pluribus in locis indicent se veri Berosi libros lectitasse. Ex quibus colligere est, fabellam hanc non a vero Beroso, sed ab eo, qui intra Annii cerebrum cunas habuit, confictam fuisse.

Sed age jam Nuperos istos intra propria castra aggrediamur. Referunt ipsi profectum ex Italia in Hispanias fuisse Italum, ut cum fratre Hespero pugnaret. Cum magna ergo potentique classe? At hæc non alia sane quam Italorum. Cum qua enim? Hispanorumne, cum quibus dimicaturus erat? Cum itaque in Italiam remeavit Italus, cum sua equidem Italorum classe remeavit. Eo vel maxime, quod ad superandum Hesperum, quem calamitatibus fractum asserit Berosus, non valde notabilem pati potuerit Itala classis jacturam. Ubi ergo sunt tot Hispani, vel Lusitani, a quibus Sicilia, Italiaque tota habitata sit? Quive in Hispaniis incolæ remanserunt? Suamne Itali imaginem, Hispanorum veneficiis & cantionibus amiserunt? Siciliæ vero Italiæque priores incolę quo terrę hiatu deglutiti sunt? Risum ne teneatis amici? Venusina repetit Musa: Idhæc enim adeo sunt distorta, ut vel Heraclitum ad cachinnos provocarent.

Postremum contra eosdem Auctores jaculum intorqueo, quo penitus jugulentur. Istud vero e duplici officina paro, prima est Politica, posterior Geographia. Docent Politici, supremi dominii indiculum esse urbes arcesque ædificare, quas in alieno solo nondum armis subacto exstruere totam dominationis juriumque pessumdaret œconomiam. E veteri autem Geographia discimus priscam Italiam comprehensam omnino fuisse intra duos sinus Scylleticum & Vibonensem, qui hodie appellantur, *Golfo di Squillace, e Golfo di Santa Eufemia*. Ita Strabo [1] & Aristoteles [2] ex Antiocho Syrac. cum hoc solo discrimine, quod Aristoteles Vibonensem Sinum Lameticum vocet, Antiochus vero Napetinum; quæ tamen voces diversitatem nactæ sunt a vicinis oppidis, aut fluviis, idem tandem sonant, ut colligitur ex prisco marmore opera Joannis Vincentii Pinellii e tenebris eruto. Sed clarissime om-

1 Geogr. l. 6. 2 De Repub. c. 7.

A nium Italiæ antiquæ fines describunt Bochartus & Stephanus summi nominis Geographi, asserentes eam nihil aliud fuisse, quam Brutiorum agrum, qui nunc Calabria, una cum parte Lucaniæ, quæ nunc *Basilicata* appellatur. Quibus concinere videtur Ovidius [1] cum ait,

Italam nam tellus Græcia major erat.

sumendo tamen solam Magnæ Græciæ partem. Quod miror a sagacissimo Cluverio in sua *Antiqua Italia* animadversum minime fuisse. Sed parcen-
B dum id homini Germano, qui in demoliendis solum Romuli rebus totos nervos intendit.

Ex his duabus veritatibus hoc argumentum conficitur. Esto Italus Romam quamdam cum Hispanis aut Lusitanis condiderit, debuit certe illam in sua Italia, cui dominabatur, condere: non ergo in Latio, quod longe extra Italiam tunc erat: non hanc igitur Romam Latinam, sed alteram ad summum struxit, cujus consideratio extra nostrum est argumentum.

Unicus remanet submovendus lapillus, angustam quidem fuisse primum Italiam, at non Itali tempore. Sed audiatur Halicarnasseus sic ex Antio-
C cho Syrac. inquiens: Μόργητος ἐν Ἰταλίᾳ βασιλεύοντος· ἦν δὲ τότε Ἰταλία ἡ ἀπὸ Τάραντος ἄχει Ποσειδωνίας παράλιος, &c. *Morgete in Italia regnante (tunc autem Italia dicebatur tota illa ora maritima, quæ a Tarento Pæstum usque protenditur) &c.* Hæc ille. Quod si tam angusti Italiæ fines tempore Morgetis, qui filius fuit Itali, id fortius de ejusdem Itali temporibus, dicendum est. Sed de his jam satis.

SECTIO UNICA.

D *Romanæ Originis series hucusque in generali exhibitæ, in particulari & chronologica methodo explicatur.*

STabilitis ad hunc modum, prout obscuritas tum materiei, tum ingenii mei pertulit, Romuli rebus, tempus adest, ut egressi schola, armisque depositis, interruptam historiæ telam resumamus, atque Romanam ipsam originem paulo clarius ad chronologicam normam describamus. Quoniam autem nunc præcipua Italiæ pars Roma est, hinc ut Italiæ ipsius faciem primo omnium contemplemur, perfunctorie tamen, ordo rei exposcit.

E At hic, antequam ulterius prosequar, corrigendus occurrit Sextus Aurelius Victor [2], qui asserit primum in Italia regnasse Janum, eundemque in Janiculo ad Tyberim monte, ab eo sic denominato, habitasse. Duo hic examinanda sunt: primum, an vere Janus prior fuerit Italiæ Rex: secundum, an in Janiculo habitarit. Quoad primum, Adversarium habemus Halicarnasseum, qui ex Antiocho Syracusano scribit, Οἰνώτρους πρώτους τῶν μνημονευομένων ἐν Ἰταλίᾳ κατοικῆσαι, ἄγοντος αὐτοὺς Οἰνώτρου Λυκάονος. *Oenotros primos post hominum memoriam in Italia habitasse, Duce Oenotro Lycaonis filio*: id quod & alii affirmant.

F Verum usquehuc tolerabilior esset Victor. Nonnihil enim ego meditatus sum, quo discrepantia hæc conciliari possit. Antiqua siquidem monumenta mihi revolventi occurrit, Jani vocem ab Hæbreo *Jain* * derivari, quod vocabulum vini repertorem sonat; unde plerisque Janus cum Noe confunditur: id quod indicare videtur Navis symbolum Jano tribui solitum; quam navem, Noe

1 Lib. 4. Fast. 2 De orig. Rom. * Hæc vox Hæbr. יין vinum notat, non vero vini repertorem.

arcam exprimere nonnulli opinati sunt. Reperio insuper Oenotrum idem apud Græcos valere, ac apud nos vini repertorem [1]. Ex quibus conjicere possem, Janum eundem cum Oenotro fuisse, diversitate penes solas voces manente. Unde quoad hoc facile esset Victorem cum Halicarnasseo reconciliare.

Quod vero majorem mihi ingerit difficultatem est, quod asserat Victor Janum in Janiculo Latii monte habitasse. Id quod intolerabile omnino est, tum si dicatur Janus idem cum Oenotro fuisse, hic enim nunquam Latium coluit; tum si distinctam ab Oenotro personam Janum finxerimus. inunibilia enim sunt isthæc duo, Janum Italiæ Regem fuisse, & in Latio habitasse, cum tunc temporis Latium, ut supra ostendimus, extra Italiam fuerit. Error Victoris, nisi fallor, ortum habuit, quod cum post quartum a Christi Nativitate ipse sæculum scripserit, quo tempore Italia Latium certe complectebatur, pro una eademque re Latium Italiamque sumens, Janum Italiæ Regem dixit, cum solius foret Latii Rex. Corrigatur igitur Victor, & quotquot cum eo scripsere, Janusque primus Latii Rex adstruatur.

Si autem quærat hic nonnemo, quinam primus fuerit Italiæ Rex; ecce præsto nobis adest Halicarnasseus, ita libros suos inchoans: Τὴν πόλιν, ἣν νῦν κατοικοῦσι Ρωμαῖοι, παλαιότατοι τῶν μνημονευομένων λέγονται κατασχεῖν βάρβαροι Σικελοὶ, ἔθνος αὐθιγενές. *Urbem, quam nunc incolunt Romani, primi omnium, qui memoriæ sunt proditi, feruntur tenuisse barbari Siculi Gens indigena*. De advenis vero paucis interjectis subdit: Χρόνῳ δὲ ὕστερον Ἀβοριγῖνες αὐτὴν παραλαμβάνουσι, πολέμῳ μακρῷ τοὺς ἔχοντας ἀφελόμενοι. *Sed postea eam longo bello ant quis Dominis ereptam occupant Aborigines*. De his duo scitu digna quæri possunt, de nomine unum, alterum de re. Circa primum, nominati creduntur Aborigines, quasi Aberrigines, seu aberrantes, unde etiam Leleges appellati, hoc est, legibus laribusque carentes; vel a cacuminibus montium, Græca scilicet appellatione: vel quod posteris suis originis ab se fuerint auctores. De re vero vestigandum occurrit cujusnam ipsi generis fuerint. Aliqui apud Halicarnasseum dixerunt, Λιγύων ἀποίκους αὐτοὺς γενέσθαι, *fuisse colonos Ligurum Italiæ indigenas*, quos refellunt Cato & Sempronius, qui Græcos eos faciunt. Quibus innixus Halicarnasseus Arcadici generis Aborigines statuit, hæsitanter tamen; sed mihi admiratione dignum videtur, quod in re hac hæsitet Halicarnasseus; cum enim ipse dixerit, Ἀβοριγῖνας πρώτους τὴν Ἰταλίαν παραλαβεῖν, *Aborigines primos Italiam occupasse*, & non multo post cum Antiocho asseruerit, Οἰνώτρους Ἀρκάδας πρώτους τῶν μνημονευομένων ἐν αὐτῇ κατοικῆσαι, *Oenotros Arcadas primos post hominum memoriam in ea habitasse*, consequens est Aborigines eosdem cum Oenotris Arcadibusque fuisse. Quare pro incomperto omnino habendum est Oenotros primos fuisse Italiæ Dominos. Eorum Dux fuit Oenotrus Lycaonis filius, qui in Italiam appulsus, Oenotriæ nomine eam donavit; sicut Apulia ab ejus fratre Peucetio Peucetia dicta fuit. Successit Oenotro Italus, unde Italiæ appellatio: deinde Morges, a quo Itali Morgetes nuncupati: qui tandem a Siculo quodam in duas factiones divisi [2].

Sed vero a prisca Italia, quæ nihil ad nos, ad ipsum Latium Romuli res nos propius avocant. Latii ergo primus Rex, juxta nostram superiorem Victoris emendationem, traditur fuisse Janus. Hic nihil aliud quam Religionem induxit; unde in sacris primum locum promeruit. Jano regnante [3] Saturnus e Cretæ Regno a Jove ejus filio ejectus, in Latium appulit, benigneque a Jano exceptus Capitolinum montem incolendum obtinuit, ubi Urbem Saturniam nomine struxit. Primus agriculturam docuit, civilemque convictum ex Virgilio [1], qui tamen correctione indiget cum ait, Saturnum omnium primum in Latium venisse. Jano successit Picus, quem Victor refert Aborigines in Latium advenientes excepisse, *permissos vivere ut vellent*. Post Picum regnum suscepit Faunus. Hoc imperante, in Latium pervenit Evander Arcas, qui eam gentem litteras docuit, bovesque primus junxit colendæ terræ causa. Unde magnis acceptis a Fauno agris, in monte, quem a Pallante Pallanteum, postea Palatium, & Palatinum dixerunt, Urbem condidit. Hoc etiam tempore ad eundem locum advenit Recaranus quidam Græcus, quem ob vires Herculem dixerunt, subque Aventino habitavit, multaque fortitudinis Religionisque argumenta reliquit. Fauno successit Latinus, quo imperante Æneas in Italiam venit.

Atque hic propositi argumenti ratio postulat, ut relictis Latii Regibus ad Æneam sermonem nostrum convertamus, Romanæ scilicet gentis fontem. Æneæ in Italiam adventum superius non infirmis conjecturis stabilivimus. Ejus navigationes accurate describunt ex Priscis quidem Halicarnasseus [2], Virgilius [3], & Victor [4]: ex Recentibus Ortelius [5], & Cirinus [6], quos non incuriosi consulant. Nobis enim satius erit paucis cum Livio [7] adnotare, *Æneam domo profugum, sed ad majora rerum initia ducentibus Fatis, primo in Macedoniam venisse, inde in Siciliam quætentem sedes delatum, ab Sicilia, Classe Laurentem agrum tenuisse*.

Hic vero, elato sipario, impleri jam fabulis scenam persentio, quibus Poetæ Æneæ adventum decorarunt, ne dicam, an conspurcarunt? Ut est illa de mensæ comestione, (apium intelligit Luctatius [8], quod mensæ vice cibis straverant, & fame oppressi comederant) ex qua, juxta Oraculi Dodonæi monitum, suorum itinerum finem agnovit Anchises: aut illa de Scrofa triginta natos enixa, de qua paulo post; aliæque plures, quas apud Cirinum vide loco citato.

At sublatis fabellis illud dubitatione caret, in Latini Regis gratiam se insinuasse Æneam, & paulo post Laviniam ejus filiam sibi junxisse, urbemque ædificasse Laviniam nomine; hodie *Civita Lavinia* appellatur. Summum ergo fœdus Æneam inter Latinumque juramento firmatum initur. Non multo post Turnus, cui antea Lavinia desponsata fuerat, ob repudium concitatus, arma in Æneam movet, a quo post varia certamina misere occiditur, cujus belli eventus apud Virgilium lege. Tandem vero Æneas ipse post tertium regni sui annum in congressu cum Etruscis, Mezentio Duce, aut necatur, aut in fluvium mergitur, ubi templum ei erigitur cum hac epigraphe, *Patri Deo indigeti* [9].

Defuncto Ænea, Latini regni clavum, omnium consensu, moderandum suscepit Ascanius, Æneæ ex Creus anteriore ejus uxore filius, cui nomen etiam Ilus ab Ilio, & postea Julus a prima barbæ lanugine. Hic, post triginta annos elapsos, Heleni vatis monitum recordatus, qui Æneæ prædixerat post tot, quot Scrofa natos pepererat [10], annos in uberiorem locum transferendum, id, inquam, recordatus, alteram in vicino colle Urbem condit, quam ab albæ Scrofæ auspiciis suæ colore, Albam, a fortuna vero Longam appellat,

1 Serv. ad 1. Æn. 2 Halic. sæpe cit. 3 Vict. cit. loco.

1 Lib. 8. Æn. 2 L. 1. 3 Æn. l. 1. 4 De orig. Rom. 5 In Theat. Geogr. 6 In sua Rom. 7 L. 1. dec. 1. 8 L. 2. 9 Apud Cirinum cit. 10 Victor de orig. Rom.

Laviniam urbem novercæ suæ Laviniæ cedens, quæ vita functo Ænea in sylvas confugerat. Octo annos apud Albam Longam regnavit Ascanius, cum triginta regnasset antea Lavinii. Tandem fato obtemperans obiit.

Ascanii successor in novo Albæ regno fuit Sylvius Æneæ [1] ex Lavinia posthumus filius, quamtumvis Ascanii natus imperium artibus omnibus affectarit. Regnavit ipse annos 29. post quem Æneas Sylvius ipsius filius principatum hæreditario jure obtinuit, & annos 31. imperavit. Post hunc Latinus 51. annos regnavit. Post hunc Alba 39. annos imperium rexit. Post Albam Capetus annos 26. deinde Capys annos 28. Post Capy Calpetus usque ad annum 13. Deinde Tiberinus, qui Tyberi nomen dedit, cum antea Albula vocaretur, regnavitque annos 8. Tiberino successit Agrippa, qui annos 41. regnavit. Post eum Aventinus 37. annos regnum tenuit. Procas post hunc annos 23. Deinde Amulius annos 42. Tandem Numitor imperium suscepit. Scio Livium aliosque aliter scripsisse; sed nos Halicarnasseum sequimur.

Sed jam, interrupta Albani regni successione, res Romuli nostri paulo accuratius considerandæ sunt. Ergo Procas morti proximus duos filios Numitorem & Amulium æquis partibus hæredes instituit, ea tamen lege, ut annuis vicibus regnarent. Cum vero Numitori, qui natu erat major, primum regni administratio obtigisset, ecce ab Amulio magis hoste quam fratre, viribusque præpollentiore, regno ejicitur: quo minime contentus Amulius Numitoris filium Lausum jugulat, filiam insuper Rheam Sylviam inter Vestales detrudit, ut virginitatis voto omnem ei spem prolis præfocaret. Sed, ita annuentibus Fatis, dum Rhea ad proximum lucum hauriendæ aquæ causa divertit, a Sacerdote quodam comprimitur, qui, ut exsecrandi sui voti compos celerius promptiusque fieret, se Martem simularat. Hinc fabellæ locus de Rhea a Marte compressa, unde e Marte oriundos se jactabant Romani. Verum, sicut ait Livius [2], *datur hæc venia antiquitati, ut miscendo humana divinis, primordia Urbium augustiora faciat*. Sunt qui scribant ab Amulio ipso, qui Rheam deperibat, Rheam compressam. Utut sit, duos tandem gemellos ipsa peperit. Quo comperto Amulius puerperam carceri mancipavit, pueris in Tyberim mergi jussis, non in proximum Albanum Lacum; Tyranni enim ipsi quandoque turpissima quædam facinora detestantur, & quam longissime ab se patrari cupiunt, sicut quidam Politicus animadvertit. At satelles tenellæ prolis lachrymis animo tactus gemellos non mergit, verum alveo impositos circa Palatini montis radices in Tyberi exponit, (erat tunc temporis puerorum frequentissima expositio, de qua alibi) qui ob repetitos imbres eousque excreverat. Detumescente vero fluminis ira, fici ramis, quæ imposterum Ficus Ruminalis dicta est, ad Palatinum adhæserunt. Horum gemitibus admonitus Faustulus pastor, regiique pecoris præfectus, mox exceptos Accæ Laurentiæ uxori suæ lactandos tradidit; quæ cum ob meretriciam, quam exercebat, artem Lupa a pastoribus vocari soleret, (sic tunc meretrices dicebantur, hinc lupanaria) inde fabulæ locus de pueris a lupa lactatis: quamquam non desint qui ita revera accidisse credant [3]. Auctores ab Halicarnasseo ibidem relati magis sensate tradunt, Numitorem binos, sed alienos, natos clam Rheæ supposuisse; ab Amulio occidendos, sicut accidit, persentiens, genuinis interim Accæ Laurentiæ lactandis traditis. Nomen uni Romulo a Græca voce *Romin*, quæ fortitudinem sonat, alteri Re-

A mo a tarditate, tardi enim Priscis remores dicebantur.

Cum adolevissent jam pueri, disciplinarum addiscendarum causa Gabios mittuntur, Numitore clam alimenta suppeditante, ubi Græcum sermonem, Jurisprudentiam, augurandi artem, liberales denique militaresque facultates ebiberunt. Edocti tandem a Faustulo de origine sua, deque Amulii in Numitorem excessibus, adunato colonorum globo Amulium Albæ aggrediuntur, interficiuntque, Rheam matrem libertati reddunt, & Numitorem Albano solio restituunt. Post hæc, non vulgare grati animi monumentum nepotibus Nu- B mitor obtulit: cum enim ipsi regiæ indolis adacti favillis regnum ea conditione Numitori cessissent, ut & ipsi regnarent, tum novæ Urbis condendæ facultatem Numitor iis permisit, ubi seorsim regnarent, pecuniis insuper, armis, jumentisque concessis. Alia ad hoc ipsum Numitorem compulit ratio, ut urbanam Albæ multitudinem vehementer auctam minueret, semotis potissimum adversæ factionis hominibus, ut liber a suspicione degeret.

Novæ ergo Urbis locum meditantur regii juvenes. Palatinum montem eligit Romulus, ubi fue- C rant primum educati: at Remus aliter sentit: alium enim collem, qui aberat a Palatino millibus quinque, præsignavit. His jurgiis alia accedebat de voce lis, sed non levis: Romulus namque de se Romulam, Remus vero suo de nomine Remuram, Urbem nuncupandam contendebant, quod Livius vocat *fœdum certamen coortum a satis miti principio*. Controversiæ arbiter Numitor instituitur, qui hac lege liti finem imponit, *ut utri eorum priori secunda auspicia advenissent, Urbem conderet, eamque ex suo nomine nuncuparet, atque in ea regni summam teneret*, ut loquitur Victor citatus. Annuunt juvenes: quare Romulus in Palatino, Remus in Aventino auguria captant. Cum ecce, eorum pri- D mus Remus sex vultures a sinistra conspicit parte, unde sibi palmam spondet: *Accedens*, sic loquitur Victor, *vero Romulus Remo ait, jam tibi duodecim demonstrabo: quo dicto tot vultures ei apparent subsequuto cæli fulgore, & tonitru: quare Remo, qui temporis antecedentiam obtendebat, indignabundus inquit, quid Reme affirmas priora cum præsentia intuearis?* Sunt qui putent vere Remum sex vultures vidisse, Romulum vero mentitum, cessisse tamen priorem regnum fato [1]. Aliud nonnulli addunt portentum, quod cum hastam Romulus ex Aventino in Capitolinum jecisset, solo fixa florue- E rit: hinc regni confirmata sibi auspicia hastaque Regibus pro sceptro habita. Quicquid vero de hoc sit, cujus fides penes suos Auctores stet, Romulo tandem facta est novæ Urbis condendæ potestas.

Antea vero quam ad tam grande opus se accingeret, a sacrificiis illud auspicatus est, ut Deos placaret, etenim *αὐτός τε προθύσας τοῖς θεοῖς, καὶ τοὺς ἄλλους κελεύσας κατὰ δύναμιν τὸ αὐτὸ δρᾶν, ipse primum sacris operatus cæteros idem pro viribus facere jussit*, ut ait Halicarnasseus. Sacris peractis auguria iterum inter libamina poscit, primum a tauro, vacca, & aquilis, a fulmine de- F inde, & tonitru, de quibus nos *Tom. 3. Dissert. Augur.* Mox populum flammam transilire jussum expiavit. Ἐπεὶ δὲ πᾶν ὅσον ἦν ἐκ λογισμοῦ θεοῖς φίλον, ᾤετο πεπρᾶχθαι, καλέσας ἅπαντας εἰς τὸν ἀποδειχθέντα τόπον, περιγράφει τετράγωνον σχῆμα τῷ λόφῳ, βοὸς ἄρρενος ἅμα θηλείᾳ ζευχθέντος ὑπ' ἄροτρον, ἑλκύσας αὔλακα διηνεκῆ ... ἐξ οὗ Ῥωμαίοις τοῦτο τὸ περιαρόσεως τῶν χωρίων ἐν οἰκισμοῖς πόλεων παραμένει. Ἐργασάμενος δὲ ταῦτα, καὶ τῶν βοῶν

1 Halic. l. 1. 2 Dec. 1. l. 1. 3 Hygin. cap. 252. & Plin. l. 8. c. 17. Tull. de Divin. l. 1.

1 Apud eundem Victorem.

ἑκατέρους ἱερύσας, ἄλλων τε πολλῶν θυμάτων καταρξάμενος, ἐφίστησι τοῖς ἔργοις τὸν λεών. *Satis deinde propitia ratus numina*, sic prosequitur Halicarnasseus, *convocatis in destinatum locum omnibus, circumscripsit Urbem figura quadrangula, continentem sulcum aratro ducentibus sub idem jugum junctis bobus mare atque fœmina ... unde Romanis hic mos circumarandi loca durat in condendis urbibus. Hoc exacto, & bubus mactatis ambobus una cum multis aliis victimis, operi populum adhibuit.* Hæc ille, cui adde Plutarchum, qui multos ritus ab Halicarnasseo omissos suggerit inquiens: Βόθρος γὰρ ὠρύγη κυκλοτερής, ἀπαρχαί τε πάντων .... Καὶ τέλος, ἐξ ἧς ἀφῖκτο γῆς ἕκαστος ὀλίγην κομίζων μοῖραν, ἔβαλον εἰς ταῦτα· καλοῦσι δὲ βόθρον τοῦτον ᾧ καὶ τὸν ὄλυμπον ὀνόματι, μοῦνδον. Εἶτα, ὥσπερ κύκλον, κέντρῳ περιέγραψαν τὴν πόλιν. Ο᾿ δ᾿ οἰκιστὴς ἐμβαλὼν ἀρότρῳ χαλκῆν ὕννιν, ὑποζεύξας δὲ βοῦν ἄρρενα καὶ θήλειαν, αὐτὸς μὲν ἐπάγει περιελαύνων αὔλακα βαθεῖαν τοῖς τέρμασι, τῶν δ᾿ ἑπομένων ἔργον ἐστὶν, ἃς ἀνίστησι βώλους τὸ ἄροτρον, καταστρέφειν εἴσω, καὶ μηδεμίαν ἔξω περιορᾶν ἐκτρεπομένην. Τῇ μὲν οὖν γραμμῇ τὸ τεῖχος ἀφορίζουσι, καὶ καλεῖται κατὰ συγκοπὴν πωμήριον, οἷον, ὄπισθεν τείχους, ἢ μετὰ τεῖχος· ὅπου δὲ πύλην ἐμβαλεῖν διανοοῦνται, τὴν ὕννιν ἐξελόντες καὶ τὸ ἄροτρον ὑπερθέντες, διάλειμμα ποιοῦσιν· ὅθεν ἅπαν τὸ τεῖχος ἱερὸν, πλὴν τῶν πυλῶν, νομίζουσι. τὰς δὲ πύλας ἱερὰς νομίζοντας, οὐκ ἦν ἄνευ δεισιδαιμονίας, τὰ μὲν δέχεσθαι μὴ καθαρά. *Fossa enim est rotunda circumducta, in eam primitias detulerunt omnium.... Postremo ex qua quisque venerat regione ejus terræ portiunculam collatam eo conjecerunt; fossam hanc eodem, quo cælum nomine vocaverunt mundum. Hinc Urbe sicut circulo centrum circumscripsere. Conditor aratro æreum vomerem adjungit, junctisque bobus ipse circum lineamenta, profundum inducit sulcum; sequentium munus est, ut excitatas ab aratro glebas intro vertant, nec ullam sinant extra ferri. Ita mœnia linea definiunt, idque elisis aliquot litteris pomerium dicitur, quasi post mœnia; ubi portam designare visum est, vomere exempto, atque aratro sublato spatium relinquunt: unde totum habent murum, præter portas, sacrum; nam eas si ducerent sacras, religiosum esset impura in Urbem recipere.* Ubi loco vocis *Urbe*, quæ sensum omnino perturbat, ego reponerem *Urbo*, quæ est aratri pars, & pro aratro ipso accipitur. Hæc fuse præter nostrum morem ex Plutarcho adduxi, quia condendarum urbium formam exhibent. Sed de his fuse *Dissert.* 3.

Numerus incolarum, qui ad condendam Urbem venerant, hic fuit ex Livio sic inquiente: *Supererat multitudo Albanorum Latinorumque, ad id pastores quoque accesserant, qui omnes facile spem facerent parvam Albam, parvum Lavinium præ ea Urbe, quæ conderetur, fore.* Magis vero exacte Halicarnasseus: Α᾿ριθμὸς τῶν μετασχόντων αὐτοῖς τῆς ἀποικίας ἀπὸ πολλοῦ τοῦ κατ᾿ ἀρχὰς ἐξαποσταλέντος, ὀλίγος ἦν ὁ καταλειφθεὶς, τρισχίλιοι πεζοὶ καὶ ἱππεῖς τριακόσιοι. *Numerus*, inquit, *colonorum missorum, magnus a principio, ad parvum redactus, tria millia peditum, triceni equites.* Et alibi: Η᾿ν δὲ ἐν τούτοις πολὺ μὲν τὸ δημοτικὸν γένος, ἱκανὸν δὲ καὶ τὸ ἀπὸ τοῦ κρατίστου γνώριμον, ἐκ δὲ τοῦ Τρωϊκοῦ τὸ εὐγενέστατον δὴ νομιζόμενον· ἐξ οὗ καὶ γενεαί τινες ἔτι περιῆσαν εἰς ἐμὲ, πεντήκοντα μάλιστα οἶκοι.... ὡς δὲ ἀνέστησαν ἐκ τῆς Α᾿λβας οἱ νεανίσκοι τῶν λεὼν, μίξαντες αὐτῷ τὸν αὐτόθεν, ὅσος ἦν τῷ Παλαντίῳ καὶ περὶ τὴν Σατορνίαν ὑπολιπής.... Τοῦτο δὲ αὐτοῖς δόξαν παρέσχε φιλοτιμίας, ἵνα θᾶττον ἀνύηται τῇ πρὸς ἀλλήλους ἁμίλλῃ τὰ ἔργα. *In his*, ait, *erat magna plebis pars, non pauci etiam ex optimatibus nobiles, Trojani quoque generis quisque optimus; unde aliquæ gentes ad nostram ætatem supersunt quinquaginta fermè familiæ..... Albanæ deinde multitudini miscuerunt indigenas quotquot circa Palatium & Saturniam erant.... Id visum est ad æmulationem conducere, ut operantibus certatim absolverentur opera citius.* Idem afferit Plutarchus addens, *eo convenisse florem juventutis bellicosissimum*; unde toto cælo errarunt, nisi fallor, Eutropius [1], & Jornandes [2], quorum hic de Romulo ait, *Imaginem Urbis potius quam Urbem fecerat, incolæ deerant.* Ille vero, *Romanum*, inquit, *Imperium, quo neque ab exordio ullum fere minus, neque incrementis toto Orbe amplius, humana potest memoria recordari.*

Locus, ubi condita Urbs, Palatinus mons fuit, in quo Evander sexaginta ante Æneæ adventum annos Urbem suam condiderat, quam temporis collapsam ingluvie Romulus noster restituit, sicut superius demonstravimus. Atque hæc in gratiam eorum dicta sint, qui nescio qua in Romulum livoris fuligine tincti, conditoris Urbis palmam ei abripiunt. Quibus ego, qui litibus de solo nomine semper abhorrui, lubens annuo: dummodo Romulus ipse afferatur primus Urbis e fundamentis renovator, priori dumtaxat Palatini montis situ retento. Utrum vero conditoris, atque e fundamentis renovatoris vocabula, re, vel puro puto discrepent sono, judicent, non quidem Grammatici, sed Eruditi. De situ, magnitudine, & figura Urbis &c. dicam *Dissert.* 3. De voce ipsa Romæ, quæ vel a Romulo, vel a *Romin*, seu fortitudine originem trahit, quæque diu tenebris obvoluta permansit, hostibus ut foret incognita, legatur Cirinus in principio suæ *Romæ* multa erudite ad rem differens.

Ad tempus vero conditæ Urbis quod attinet, varie a variis traditur. Lucius Cincius excitatam ait anno 4. Olympiade 12. Paulus Orosius [3] anno 3. Olympiade 6. Paulus Diaconus [4], quem sequitur Lipsius, anno 3. ejusdem Olympiadis 6. Polybius circa secundum annum 7. Olympiadis. At deserendus non est dux noster Halicarnasseus, qui ex Porcio Catone juxta Eratosthenis supputationem Urbem conditam ait anno primo Olympiadis 7. quod Cirinus acute infert ex Gallorum irruptione, Regumque Romanorum annis, & ex Capitolinis Fastis. Vertebatur tum ab O. C. annus 4103. ut vult Ado Viennensis [5], vel 4211. juxta Stradensem [6]. Non minor est circa mensem, diemque discrepantia. Aliqui ajunt 9. Kal. Majas [7], alii 10. [8], Manilius [9] Septembrem præfert, quem tamen Joseph Scaliger deridet. Vera opinio fert conditam Urbem 11. Kal. Maii, quod, præter multos Auctores, clare legitur in veteri Kalendario, ubi hac die N. Urbis adnotatur, seu Nativitas Urbis: eademque die Festa Palilia in memoriam conditæ Urbis celebrabantur ex Halicarnasseo, unde Censorinus ait [10], *ex Palilibus, Urbis anni numerantur.*

Atque hæc est illa Roma *terræ marisque totius domina*, ut ait Halicarnasseus [11]. Cujus tamen nobilitatem id unum videtur minuisse, quod Urbs hæc multo sanguine fœdata cunabula nacta sit: præter enim quam quod Evander prioris Romæ conditor fratrem cæciderat, Amuliumque avum Romulus, hic insuper fratris sui Remi superaddidit cædem. Cum enim Remus novam Urbem tamquam nimis angustam derideret, murosque ut superatu faciles saltu transiliisset contra Romuli legem, qui, ne vallum, utpote sacrum, quis transiliret, jusserat, statim a Romulo occiditur. Post quod facinus, terræ motus, pestis, & spe-

1 L.1. 2 L.1. 3 L.3.c.4. 4 L.1.Hist.misc. 5 Ætat.4. 6 In Chron. 7 Marianus Scot.apud Demp.in Rom.l.1.c.1. 8 Ex Eutrop.lib.1. 9 Astr.4. 10 De Die Natali. 11 Lib.1.

ctra, detestantibus velut tantam sævitiem Superis: quibus placandis, cum nil profuissent Lemuria, aliaque Festa a Romulo instituta, hic ex Oraculi monitu Remi statuam confinxit, quam in sella curuli locatam pone se perpetuo in Comitiis habuit; sique quicquam decreturus foret, tamquam suo fratrisque nomine id sanciret, his formulis utebatur, *lubemus*, *sancimus*, *&c.* quæ etiamnum apud Principes servantur; hincque spectra eliquata. Ita ex Fastis Siculis Cirinus [1].

Verumenimvero nil mirum Urbem, quæ cædibus & sanguine Orbem domitura erat, a cæde & sanguine militaris suæ gloriæ auspicia sumpsisse. Cum vero de auspiciis inciderit sermo, illud prætereundum non est, quod vultures ipsi a Romulo visi, Urbis durationem portenderint. Varro [2] enim ex duodecim illis vulturibus, 1200. annos Romam duraturam prædixit. Rationemque reddidit Brunettus Latinus [3], quod vultures sæculum denotent, cum ex Ambrosio sæculum vivant. Quod Varronis præsagium verificatum adamussim fuisse Rhodiginus [4] animadvertit, nam Romanum Imperium anno V. C. 1229. sub Imperatore Augustulo penitus corruit, de quo in *Dissert.* sequenti.

Syllabus Auctorum.

DE Urbis origine pauci ex professo scripserunt. Ex antiquis quidem Sextus Aurelius Victor, & quidam alius insertus in secundo Tomo *Scriptorum Latinorum Historiæ Romanæ*. Ex nuperis paucissima exaravit Marlianus, paulo plura Octavianus Ferrarius in Opusculo *De origine Romanorum:* nec non sæpius nobis laudatus Andreas Cirinus integro libro *De Urbe Roma*. Obiter vero de hac re plura adnotata reperies apud omnes fere Romanæ Historiæ Scriptores, e quibus potissimum totam hanc Synopsim elucubravi. Rerum Romuli polemicam propugnationem nemo penitus, quod sciam, ante me aggressus est.

DISSERTATIO II.

De Urbis Romæ Incrementis, & Casu.

PArum equidem esset Urbis exordia pervestigasse, nisi ejusdem incrementa pariter indicaremus, quibus adeousque se longe lateque propagavit, ut Orbis Domina, ni verius miraculum, habita sit. Postremo loco Urbis casum adnectemus; ut discant hinc qui de se tam alte sapiunt, maxima quæque ruere, & quæ Solem præ celsitudine splendoreque æmulari videbantur, suo itidem, ut ille, casui & ruinæ subesse.

Ordiamur autem a Romulo, seu potius Romuli historiam prosequamur. Hic exstructa vix Roma, domibusque, prout eorum temporum caritas ferebat, de quibus *in Dissert. de Domibus*, ad Civium statim augmentum & politiam animum contulit. Ἔπειτα δὲ πόλεως τὴν πρώτην ἵδρυσιν λαμβανούσης, ἱερόν τι φύξιμον τοῖς ἀφισαμένοις κατασκευάσαντες, ἐδέχοντο πάντας...... ὥστε πληθῦσαι ταχὺ τὴν πόλιν. *Ergo mox jactis Urbis fundamentis*, ut loquitur Plutarchus [5], *Asylum aperuerunt profugis, omnesque recipiebant... ita Urbs brevi frequentata est*. Hinc plerique Romam carpunt, quod pessimorum hominum exstite-

1 C. 38. 2 Apud Censorin. de Die Nat. c. 6. 3 In rerum Orb. Thes. Lect. Antiq. 4 L. 27. c. 8. 5 In Vita Romuli.

A rit sentina: Juvenalis [1] præsertim sic illam mordet:

Et tamen ut longe repetas, longeque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis Asylo.

Utut se res habeat, aptissimum id fuit Romuli stratagema, Atheniensium institutum imitantis, ut Urbem Civibus cumularet, convenas omnes pluribus juribus insigniendo, de quibus *Tomo* 2. *Dissert. de Asylo*.

Multiplicatis ea industria Civibus, illos Romulus in tres primum partes, quas hinc Tribus nuncupavit, divisit, quarum unam Ramnensem seu B Romanensem ab se dixit, in qua Albani; Tatiensem secundam ex Sabinis constantem; tertiam Lucerem ex iis, qui, Duce Lucero, Romam ex Ardeatibus commearant, vel mixtam ex illis, qui ad Asylum confugerant. Singulas Tribus in decem Curias, has vero in Decurias distribuit, quibus Curiones, Decuriones, Tribunosque præfecit, qui Sacra curarent, sicut apud nos sunt Parochi. Cives insuper alia divisione in Patricios dispertiit, & Plebejos; quos inter perpetuum ut firmaret vinculum, Plebejos, quos clientes vocavit, Patriciorum, quos patronos dici voluit, C tutelæ commisit. E Patriciis Senatores centum designavit, qui Reipublicæ Clavum moderarentur. Medium insuper ordinem constituit Equitum, e singulis Tribubus unam Centuriam eligendo, quibus corporis sui custodiam commendavit, ab officii celeritate Celeribus appellatis. Leges postea sanctissimas edidit, multaque Sacrificia & Sacerdotes invexit: recto sane consilio ratus nunquam posse sine bonis legibus Urbem augeri; nec nisi a Numinum cultu incrementa auspicanda. Legantur Livius, Halicarnasseus, & Plutarchus sæpe laudati: & exspectentur, ea quæ dicemus *Tom.* 2. *Dissert. de Civib. Rom.* & *Dis-* D *sert. de Magistr.* & *Tom.* 3. *Dissert. de Sacr.* & *Dissert. de Legibus*.

Instituta in hunc modum Urbe, auctoque Civium numero, ita ut *Res Romana*, sicut loquitur Livius [2], *adeo esset valida, ut cuilibet finitimarum Civitatum bello par esset*, de conquirendis uxoribus cogitari cœptum, ut prolis beneficio Urbs perennaretur. *Tum ergo ex consilio Patrum*, sunt ejusdem Livii verba, *Romulus legatos misit, ut connubia novo Populo peterent. Sed nusquam benigne legatio audita est, contemnentibus finitimis Romanam paupertatem*. Quare, ut ait Florus [3], *Matrimonia petita, quia non impetraban-* E *tur, manu capta sunt: simulatis quippe ludis equestribus, Virgines, quæ ad spectaculum venerant, præda fuere*. Hi ludi in honorem Consi, seu Neptuni consiliorum Dei, edebantur, de quibus *Tom.* 3. *Dissert. de Ludis*. Ad illos convenere Cæninenses, Antemnates, & Crustumini, confertius Sabini. *Et cum utriusque sexus multitudo venisset*, Victoris utor verbis, *dato suis signo, Virgines raptæ sunt; nuptiæque cum ipsis initæ*; de quo raptu plura *Tom.* 3. *Dissert. de Nupt.* Atque hoc stratagemate ampliata Urbs, perennataque.

Sed ecce hic prima bellorum semina; dicam melius, Romanæ magnitudinis inde strata basis, & F fundamentum. Ultioni inhiantes, seu potius invidia rerum Romanarum perciti, ut suspicatur Halicarnasseus, castra adversus Romanos moverunt Cæninenses, Antemnates, Crustuminique: Sabini interim, quantumvis ab ea gente ad vindictam capessendam exorati, ea, qua præditi erant, moderatione & prudentia, *lentius agere visi sunt*, ut ait Livius. At quid aliud illi sua ira præstitere, quam januam aperire, viamque sternere Roma-

1 Sat. 8. 2 L. 1. 3 Lib. 1. c. 1.

norum triumphis? Hostes omnes primo pene impetu Romulus fudit, Acrone etiam singulari certamine superato: de qua victoria triumphum egit Romulus, opimis spoliis ad templum Jovis Feretrii perductis, ut nos ex Halicarnasseo, Livio, & Plutarcho dicemus *Tom.* 3. *Dissert. de Triumphis*. Atque inde devictarum gentium occupati agri, coloniæ ductæ, hostes Civitate donati. Hæcque fuit prima Romani agri dilatatio.

Tantæ Romanorum felicitati invidentes Sabini novum bellum, Tito Tatio Duce, in eos parant, eo profecto periculosius, quod, ut ait Livius, *nihil per iram actum sit, nec ostenderunt bellum priusquam intulerunt*. Ergo obsessa Urbe, doloque Capitolina Arce occupata, ex Tarpejæ Virginis proditione, quam aurearum armillarum sponsione corruperant Sabini, *postera die*, ut Livius inquit, *in arma ruunt, cruento, sed æquo Marte*, ut notat Halicarnasseus. Post hæc secundum aggrediuntur certamen, ubi cæso Hosto Hostilio Romanorum Duce, Romuloque ipso vulnerato, terga jam milites vertebant: cum, votum Jovi Statori fundens Romulus, ut fugientes sisteret, votique compos factus, obtinuit, ut faciem in hostem vertentes, alacrius pugnarent: militante etiam pro ipsis Cælo: fama enim est e Jani templi foribus pluries occlusis, sponteque sua iterum reseratis, ingentem sulphureæ aquæ torrentem manasse, hostesque incendisse: ita præter Ovidium [1] narrat Macrobius [2]. Atque hinc mos aperiendi, ingruentibus bellis, Jani templi fores, ut alibi. Quibus portentis animosiores facti Romani Sabinos acriter impulerunt, ex Livio. Verum hos inter ancipites belli eventus Romanæ mulieres, Hersilia imprimis omnium facundissima, precibus & lachrymis pacem impetrant [3].

Ergo fœdere cum Sabinis inito multæ sancitæ leges, quarum insignior, ut Sabini Civitate donarentur. Quare Tatius cum aliis in Urbe habitat; & ut refert Livius, *non modo commune, sed concors etiam regnum duobus Regibus fuit*: appellarique cœperunt Romani, a Curibus Sabinorum urbe, Quirites, Romæ tamen vocabulo sarto tecto manente. Quod fœderis vinculum quinque annos duravit: quo tempore communibus armis Camerinos adoriuntur & superant, eorum agro occupato ex Halicarnasseo. Quoniam vero, ut non binos patitur cælum Soles, sic non capit Aula duos, ut notat Tacitus, hinc, quinquennio elapso, vanis quibusdam prætextibus, a Romulo Tatius occiditur, ut tradit Orosius, & Augustinus [4]; licet quidam ex Licinio a plebe occisum credant. Post Tatii necem dira orta pestilentia est, & cælum sanguine pluit, ut præter Plutarchum refert Zonaras [5]. Romulus tamen solus regnat, & Fidenates Vejentesque expugnat, agrosque eorum depopulatur.

Tot triumphis onustus in tumidam incurrit elationem Romulus, cujus insolentem fastum recensens Plutarchus [6] ait, *ἀλουργῆ ἐνεδύετο, ἐν θρόνῳ ἀνακλίτῳ καθήμενος ἐχρημάτιζε*, *vestiebatur purpura, responsa dabat ex solio reclinus*. Et, ut addit Zonaras, *Patriciorum nulla erat in rebus gerendis auctoritas, sed nomen dumtaxat*. His ergo de caussis Patricii in ejus perniciem conspirarunt; quibus & Cælum annuit. Quadam enim die, cum ad Capreæ Paludem concionis habendæ causa perrexisset Romulus, coorta mox sæva tempestate & fugientibus præ terrore militibus, Romulus a Senatoribus trucidatur; neve cadaver necem proderet, *frustatim descerptum a Senatoribus est*, sunt Halicarnassei verba, *elatumque sub togis, & clam terra obrutum*: quamquam ipse velit id in Curia evenisse. Ut plebem vero delinirent Senatores, Romulum ad Su-

1. Metam. 14. 2 Satur. l. 1. c. 6. 3 Halic. lib. 1. 4 De Civ. l. 3. c. 13. 5 2. Annal. 6 In Rom.

A peros raptum jactarunt: Julium etiam Proculum ad id contestandum impellentes [1]. Quare inter Deos relatus sub nomine Quirini Templum in Quirinali obtinuit [2]. Accidit Romuli mors anno V. C. 37. Romuli vero 55. juxta calculum Halicarnassei, vel 59. juxta Solini & Varronis supputationem.

Post Romuli obitum interregnum annum duravit: Patribus tunc Rempublicam regentibus quinos singulis dies, itaut per omnes imperium iret; unde orta interregni vox, ex Livio; ut nos *Tom.* 2. *Dissert. de Magistr.* Causa moræ fuit contentio Romanos inter Sabinosque Civitate donatos, utrisque e suo corpore Regem eligendum enitentibus. Interregni tædio affecta plebs Regem anxie postulabat, multiplicatam inquiens servitutem, centumque pro uno Dominos factos. Tandem contendentibus nuperis priscisque inter sese Senatoribus, externus creatus est Numa Pompilius Curibus Sabinorum urbe ortus, qui reluctans imperium sumpsit anno V. C. 39. Fuit hic vir sapiens, prudens, ac justus; pacisque & Religionis quam belli amantior. Quare Jani templum primus clausit: multos Sacerdotes & sacrificia instituit, ac leges sanxit, Urbem recte ordinavit, Civibus agriculturam, sordidas vero artes infimæ plebi commendans. Addidisse Urbi Quirinalem collem vult Halicarnasseus: sed non est ita certum, ut in *Dissert.* sequenti dicetur. Quapropter bonis artibus potius Civitatem exornavit, quam ampliavit armis. Tandem regni sui anno 43. Urbis 81. ætatis 80. senio confectus obiit.

Successit Numæ sequenti anno, modicum post interregnum, Tullus Hostilius, Medullia oppido oriundus, quod ab Albanis deditione captum, coloniam Romulus fecerat. Hic animo strenuus bellique amans adeo exstitit, ut fortior Romulo a Livio sit dictus. Templum Jani iterum aperuit, sopitamque diu sub Numa otio Romanam Juventutem excitavit. Albanos primum suos aggressus vicit, triumphumque ex S. C. de iis egit [3], quos, urbe eorum, in toto Latio dominatrice, expugnata dirutaque, Romam transtulit. Difficili deinde bello integri anni Fidenates profligavit: post hæc Sabinos, quorum agro equidem non brevi Urbs ditior evasit. Non minor in rebus pacis ejus gloria enituit: Senatum enim, Equestremque Ordinem ampliavit, Legiones auxit, Pomerium, adjecto Cælio Monte, dilatavit; populum novis ditavit donariis; agros enim, a Romulo & Numa sacris destinatos, pauperibus distribuit, sacris ipsis proprium patrimonium applicans. Tandem incensa ejus domo ex insidiis Anci Martii cum tota familia conflagravit anno imperii sui 32. Urbis 113. [4]

Post Tullum Hostilium ex populi unanimi assensu Regni habenas suscepit Ancus Martius Numæ ex filia nepos. Medium huic ingenium, nam religione Numæ, audacia Tullo similis exstitit. Quare plures sacrorum ritus sub bellicoso Hostilio tumulatos excineravit, publicavitque. Politiam coluit: hinc ad terrorem increscentis audaciæ Carcerem ad Forum primus struxit. Ut res belli curaret, cæremonias quasdam ab Æquicolis desumptas præscripsit, ut bella non inique intimarentur; & Feciales huic muneri obeundo destinavit, de quibus *Tom.* 2. *de Magistr.* De Latinis post triennale bellum triumphavit, quibus, postquam oppida eorum expugnasset, Aventinum, & Janiculum habitandum tradidit, quos Urbi adjecit, & Sublicio Ponte junxit; Urbem insuper muro fossaque Quiritium appellata cingens. Livius immerito hujus dumtaxat Latini belli meminit, cum ex Halicarnas-

1 Plut. in Rom. 2 Varro l. 5. de L. Lat. 3 Halic. lib. 3. 4 Plut. & Halic. loco cit.

ſeo rebellantes etiam Fidenates ſubegerit, deinde Sabinos, poſtea Vejentes bis, inde Volſcos, Velitris obſeſſis, ad deditionem fœduſque compulerit; iterumque Sabinos expugnarit. Quare hic Rex Urbem non ſolum adjectis Montibus ampliavit, ſed agrorum etiam fines; nam Sylva Mæſia Vejentibus adempta, uſque ad mare imperium protulit: Oſtiam etiam coloniam duxit, factis ibi Salinis, e quibus ſex millia modia ſalis in congiario dedit: vicinas ſylvas ad uſum navium pariter primus publicavit [1]. Tandem Imperii ſui anno 24. V. C. 137. e vita deceſſit, violenta quidem morte ex Plutarcho, qui tradit omnes Numæ ſucceſſores, uno excepto Tarquinio Superbo, qui in exſilio vitam finivit, violenter obiiſſe.

Succeſſor Anci Martii fuit L. Tarquinius in Etruria natus, ſed e Græcia oriundus. Damaratus enim Corinthius ejus pater tyrannidem fugiens, Tarquiniis Etruriæ urbe conſederat, ubi duos genuit filios Aruntem & Lucumonem. Hic divitiis pollens Romam commigravit, mutatoque nomine L. Tarquinius Priſcus e Patria ſua vocari voluit: & ob eximias, quibus exornabatur, artes, brevi in Patrum ſe inſinuans gratiam, inter Patres ipſos allicitur; tutor inſuper liberorum Anci Martii ex teſtamento inſtituitur. Mortuo Anco Martio, poſtquam Regios pupillos venationis prætextu ablegaſſet, Regnum ultro petiit contra priſcum ſane morem; Regnum enim non petebatur, ſed auguriis captatis concedebatur. Sed utut ſit, poſt patheticam recitatam orationem, imperium omnium conſenſu adipiſcitur, quod ei uxor ſua Tanaquil augurandi artis perita prædixerat, aquilam cernens pileum e Tarquinii capite rapientem, reponentemque. Hic, ut imperium ambitioſe petitum firmaret, centum novos Senatores e ſua factione creavit [2]. Tres etiam addidit Tribus, ſeu potius antiquas Tribus numero Civium duplicavit, iiſdem nominibus ob Religionem retentis [3]. Primum cum Latinis bellum geſſit, duplicique prælio victor, oppidum eorum Apiolas vi cepit, diviti præda onuſtus; a cæde etiam reliquos ſub haſta vendidit, pueros mulieresque in ſervitutem redigens [4]. Alia oppida ſine armis in deditionem coegit. Rebellantes Latinos domuit pacemque petentibus dedit. Ex devictorum manubiis ludos opulentiores celebravit, pro quibus Circo Maximo locum deſignavit, aut, ut probabilius infra oſtendam, illum exornavit ſedilibus: Forum item Romanum porticibus cinxit. Etruſcos, quod Latinis auxiliares fuiſſent, decennali clade afflixit, multaſque eorum depopulatus urbes, Urbem ditavit: unde Etruſci pacem poſcunt, impetrantque; ſed id mirum, nihil ab iis Regem petiiſſe præter Principatus inſignia; cum quibus triumphum egit, togam nimirum purpuream pictam, tunicam palmatam, coronam auream, ſceptrum eburneum, ſellam curulem, currum quadrijugum auratum, trabeam, anulos, phaleras, & duodecim, pro Etruſcarum urbium numero, faſces, quorum inſignium luxus diu Romæ hæſit [5]. Sabinos etiam, quod cum Etruſcis conſpiraſſent, triplici bello vexavit, tandemque in gratiam admiſit, agro ſolum Collatino iis adempto, quem nepoti ſuo Egerio, ob ſummam egeſtatem ſic appellato, dedit [6]. Multa etiam pacis opera, aut perfecit, aut inchoavit: Urbis enim mœnia e quadratis lapidibus ſtruxit: loca inaquoſa cloacis ductis primus ſiccavit: Jovis Capitolini Templum orditur, perfecturus ſane, ni Sabino fuiſſet bello turbatus. Inſidiis tandem filiorum Anci Martii, quos ipſe contra omne fas exſules amandarat, circumventus occiditur ann. imperii ſui 37. V. C. 174. [7]

Poſt eum Regni gubernacula ſine interregno invaſit Servius Tullius defuncti gener, opera ſocrus ſuæ Tanaquildis Tarquinii uxoris. Hæc enim, mariti morte ſimulata, Senatui ſuaſit, permitteret Servio vicaria opera Rempublicam miniſtrare. Quod obtinens Servius, præſidioque interim firmatus, poſt publicatam Tarquinii mortem, *Injuſſu populi, conniventibus ſolum Patribus, primus*, ut ait Livius, *ſine interregno, Comitiis, populi ſuffragio, Senatuſque juſſu Regnum invaſit*, quod, viſa in ejus capite flammula, prædixerat Tanaquil. Auditis vero, qui ſpargebantur de ſuæ ambitionis iniquitate, rumoribus, agraria largitione populum ſibi callidus Rex conciliavit, a quo plenis votis eligitur, non ſine Patrum timore, quibus ſuſpectus evaſit tam inſolitus in Regem populi favor. Fuit Servius ſervilis, ut nomen indicat, conditionis, e ſerva etiam ortus; patrem tamen habuit non ſervum, contra ac multi credidere, ſed ingenuum, imo, ex Faſtis Capitolinis, Principem, qui in Corniculi expugnatione obiit. De Servii Tullii fortuna mira narrat Halicarnaſſeus. Cenſum primus inſtituit, *Urbi equidem ſaluberrimum*, ut ait Livius; *ut ſic ipſa ſe noſceret Reſpublica*, ut Florus loquitur, omnem enim Civium numerum & opes in tabulas retulit [1]. Poſt Cenſum, luſtrationem quater condidit, Urbem pluribus ritibus purgando, de quibus *Tom. 3. Diſſert. de Luſtr.* Populum jam cenſum in claſſes centuriaſque diviſit, pro fortunarum cujuſque ratione. Tribus ſupra modum quoad numerum auxit, de quibus *Tom. 2. Diſſert. de Jur. Pop. Rom.* Non impar in rebus belli micavit: Vejentes enim alioſque Etruſcos viginti annorum ſpatio una cum agris ſuis peſſumdedit, quibus tandem pacem conceſſit, præterquam Vejentibus, Tarquinienſibus, & Cæretanis, qui fuerant defectionis capita, & in Servii natales oblatrarant. Tandem anno imperii ſui 44. V. C. 218. necatur a Lucio Superbo genero ſuo, Tarquinii Priſci filio. Cui immanitati hæc etiam addita, quod occiſor occiſum ſepultura negarit, metuens ne congregata in funeratione plebs tumultum concitaret: occiſoris item uxor Tullia occiſi filia ſuper patris cadaver carpentum duxit. [2]

Regnum ergo Lucius Tarquinius Superbus inique capit. Utque nutans diadema capiti ſtabiliret, ſatellitibus perpetuo ſtipatus incedebat. Innumeros Civium, cumprimis nobiles, trucidavit; Senatum minuit, ut præ paucitate contemptui foret; Patres conſulere neglexit: peregrinos, præſertim Latinos, coluit ad Urbis invidiam, ſuique tutelam, connubiis etiam, & fœdere cum iis inito: Servii leges abolevit, præcipue quæ libertatem munierant: conventus omnes edicto ſuſtulit, ut conſpirationes evitaret: delatores frequentavit, qui murmura ad ſe deferrent: multos bonis expilavit, inque ſervitutem egit: populum ad opera publica impulit, otium ratus conſpirationum parentem. Exſilia, metalla, & latomias primus excogitavit; primus etiam vincula & fuſtes ingenuis admovit [3]. Quare multi Urbem deſeruerunt. Inter tot Tarquinii ſcelera quicquam adhuc boni enituit ad Urbis augmentum conducens. Capitolinum Templum magnifice ſtruxit. Circum Maximum, qui nihil præter gradus habebat, tectis porticibus circumdedit: Cloacas a patre inchoatas ad Tyberim uſque perduxit, alteram Maximam ſui nominis relinquens. Quæ inſignia opera eorum Civium miniſterio perfecit, quos in paupertatem redegerat, vili eos ſalario modicoque frumento ſuſtentans. Latinas item Ferias in monte Albano celebrandas inſtituit, quo Latini ſibi fœderati ad ſacrorum participationem convenirent. Libros Sibyllinos Duumviris cuſtodiendos tradidit. Volſcos prælio ſupera-

1 Plin. l. 31. c. 7. 2 Liv. & Hal. 3 Flor. l. 1. c. 5. 4 Hal. l. 3. vid. & Val. Max. l. 3. c. 4. 5 Halic. l. 3. 6 Eutrop. l. 1. 7 Meſſ. l. 1. & Halic. locis citatis.

1 Flor. l. 1. c. 6. 2 Halic. l. 4. 3 Euſeb. in Chron.

vit ductis in eorum agros coloniis. Rebellantes Sabinos ad tributa coegit. Isthæc tamen quamtumvis eximia Urbis ornamenta nusquam tanti habita sunt, ut Tyranni elogium e Tarquinii nomine deleverint. Quare cum tot ejus sceleribus immane illud Sexti Tarquinii filii sui facinus accessisset, qui Lucretiæ Matronæ vi stuprum intulit, statim furens populus in arma ruit. Ut enim acute notavit Florus [1], *tamdiu superbiam Regis populus perpessus est, donec aberat libido*. Ergo Collatiæ, ubi commissum fuerat stuprum, arma contra Tyrannum capiuntur, Lucio Bruto Tribuno Celerum Collatinoque Ducibus, *quibus ultionem sui moriens Matrona mandaverat*, ut ex Floro ad verbum, sicut & multa alia, Jornandes scribit. Post hæc universus populus Comitiis habitis imperium Tarquinio Ardeam tum obsidenti abdicat, bonaque ejus diripit, solo Campo, Martio inde dicto, Marti dicato. Unde Tarquinius cum tota familia Cærem in Etruria exsulat, ejus dumtaxat filio Gabios profecto, ubi necatus occubuit. Contigerunt hæc anno C. V. 243. nono Kal. Junii; quæ dies Regifugium, aut Tyrannifugium in Fastis & Kalendariis adnotatur; Libertatis insuper dies appellata est. Quare concludere cum floridissimo Floro lubet, *Superbi illius importuna dominatio nomihil, imo vel plurimum profuit; sic enim effectum est, ut agitatus injuriis populus, cupiditate libertatis incenderetur*.

Sed hic rei opportunitas poscit, ut quæ carptim hucusque a nobis de Romani agri augmentis dicta sunt, velut in patula scena exponantur, ut inde victricis Romæ majestas clarior effulgeat. Ergo sub septem Regibus 243. annorum spatio usque ad Portum atque Ostiam, intra 18. milliarium, ut vult Sextus Rufus [2], Romanum processit Imperium: licet Eutropius (qui, ut in antecedenti vidimus *Dissertatione*, dimissius de Rom. Imperii initiis sentiit) quindecim vix milliaria agnoverit. Romulus, ut visum est, Sabinos Cæninenses, Antemnates, & Crustumerios domuit. Numa solam auxit Religionem. Tullus Hostilius Albanos adjunxit. Ancus Martius pagos in Latio, Etruria, Vejentibus, & Sabinis addidit, inque Tyberis ora Ostiam struxit. Tarquinius Priscus Collatium & Apiolas: Servius Vejentes, Taquinienses, & Cæretanos: Tarquinius Superbus Gabios, Volscos, aliosque superaddidit. Quod si brevem dixeris hanc agrorum accessionem, rationem reddit Rufus, *Quod parva adhuc Roma foret, & a finitimis circum Civitatibus equidem antiquioribus potentioribusque premeretur*. Quare exordia isthæc habenda sunt Romanæ potentiæ: cujus insigniora incrementa mox apparebunt.

SECTIO PRIMA.

Urbis sub Consulibus & Imperatoribus augmenta vestigantur.

EXactis Urbe Regibus, partaque libertate, cujus auctorem fuisse Brutum, pileus, qui in Bruti nummis visitur, testatur, statim mutavit Romana politia faciem. *Non enim amplius creati Reges; sed Consules cœpere*, ut loquitur Eutropius, *pro uno Rege duo hac causa creari, ut si unus malus esse voluisset; alter eum, habens potestatem similem, coerceret: & placuit ne imperium longius quam annum unum haberent, ne per diuturnitatem potestatis insolentiores redderentur, sed civiles semper essent, qui se post annum scirent futuros esse privatos*. Adhuc tamen innumeras discordiarum clades Respublica passa est, variasque vidit dominationum peripetias, invectis primum Tribunis plebis, deinde Decemviris, Tribunis Consularibus, & Triumviris, qui Imperium regerent; unde tot factionum faces: donec tandem, deducta iterum ad unum, qui Imperator dictus est, dominatione, fatalem omnino rogum perpessa sit Romana libertas. *Consules a Bruto & Publicola usque ad Pansam & Hirtium*, sicut inquit Rufus, *fuere 417. novem enim annis Romæ Consules defuerunt: sub Decemviris annis duobus, sub Tribunis militum annis 3. sine Magistratibus annis quatuor Roma fuit. Totum vero hoc tempus usque ad Imperatores annos complectitur 467*. Sed quo extra oleam pergo? Exspectentur quæ dicemus *Tom. 2. Dissert. de Magistr*.

Interim in viam reducamur, incœptamque semel Romanæ fortunæ scenam repræsentare prosequamur. A singulorum certaminum narratione consulto abstineo; res enim & moræ & tædii esset plena, contentus prælia ipsa eorumque Duces indicasse una cum Urbis incrementis, quod nostrum est argumentum. Primum ergo post ejectos Reges bellum cum Etruscis susceptum est, qui Tarquinios ad se profugos patrocinandos assumpserant [1]: periculosæ equidem aleæ plenum, occupantibus Janiculum Etruscis Duce Porsena eorum Rege: qui tandem Romanam fortitudinem miratus, Horatii præsertim Coclitis, Mutii Scevolæ, & Cleliæ Virginis, pacem cum Romanis iniit; sed Tarquinii filium Aruntem Brutus Lucretiæ vindex occidit. Intulerunt postea bellum Romanis Sabini & ipsi Tarquiniorum patroni, quos Romana virtus superavit. Insurrexere Latini: sed levi opera de Veiis, Bovillis, & Volscis, Æquisque triumphatum virtute L. Quinctii, & Coriolani a Coriolis Volscorum urbe a se capta ita appellati. Alterum successit cum Etruscis bellum, Vejentibus item, Faliscis, & Fidenatibus, in quo 306. Fabii apud Cremeram cæsi; uno ex tota familia superstite, qui propter puerilem ætatem domi manserat. Sed pœnas paulo post luerunt a Cincinnato victi, deinde a Furio Camillo, qui eorum etiam urbes ceperunt.

Tot inter triumphos Galli Senones ferum hominum genus ab ultimis terrarum oris inter Alpes & Padum translati, post omnia vastata, per Italiam vagantes, Romam oppetunt. Occurrit Fabius, sed ad Alliam fluvium cum exercitu funditur; unde hæc dies Alliensis in Kalendario inter atras notatur. Post hæc Galli Urbem occupant, omniaque igne vastant, una excepta Capitolina Arce, quam Manlius propugnabat, qui fame laborans mille pondo auri cum hostibus pepigit, ut recederent; recedentes vero Camillus eos insequutus adeo cecidit, ut Romanum incendium Gallici sanguinis inundatione delerit; unde alter Romulus appellatus est. Alii deinceps Gallos insequuti trucidarunt, Manlius, C. Sulpitius, M. Valerius, & Dolabella, ne quis in ea gente exstaret, qui incensam a se Romam gloriaretur. Accidit hæc prima Urbis invasio anno 364. In hac Urbis invasione præter Romanæ fortitudinis ostentationem duo etiam consideratu digna occurrunt, quæ Romanam virtutem declarant, primo Sacerdotum Religio, qui res omnes sacras partim in doliis terræ recondiderunt, partim plaustris impositas secum tulerunt: postremo Senatorum sagacitas, qui hostilem furorem evasuri, in curulibus sellis prætextati sedentes, Deos se Geniosque simularunt.

E Gallico incendio illustrior, phœnicis more, erumpens Roma, alacriori impetu de hostibus triumphavit. De Volscis, & Æquis, Sutrinisque per Camillum; de Prænestinis per Cincinnatum; de

1 Lib. 1. cap. 6. 2 In Breviar. Hist. Rom. l. 1.

1 Eutrop. cit.

de Latinis per Manlium; de Sabinis per Curium Dentatum; de Tuſcis per C. Marcium; de Samnitibua per Quintum Fabium Maximum, qui quod contra Papirii Curſoris Dictatoris juſſum pugnaſſet, ejus juſſu occiditur. Non multo poſt vindictæ inhiantes Samnites rupto fœdere Romanos *ingenti dedecore vicerunt*, ut loquitur Eutropius, *& ſub jugum miſerunt apud Caudinas furcas, clauſo per inſidias intra eum ſaltum exercitu*. Sed poſtea pari pœna Samnites a L. Papirio puniti ſunt, ſeptem millibus eorum ſub jugum miſſis. Quos bellum reparantes Fabius Maximus, Publius Cornelius, Rufinus, & M. Curius Denatus iterum vicerunt; quod prælium annorum 49. ſpatio duravit; *Neque ullus hoſtis fuit intra Italiam*, ſunt Eutropii verba, *qui Romanam virtutem magis fatigaverit*. Interjectis aliquot annis Etruſci acervatim Samnitibus juncti Romanos laceſſunt, ſed a Fabio Maximo ſuperantur.

Inſignior Romanæ fortitudinis index fuit bellum Tarentinum. Hi a Romanis laceſſiti, quod legatis ſuis injuriam feciſſent, Pyrrhum Epiri Regem auxilio poſcunt. Quo obtento, pugna ad Heracleam initur Lævino Conſule, qui Pyrrhum ad fugam coegit, viciſſetque, niſi elephanti, quos Pyrrhus ſecum tulerat, Romanis incogniti, Romanis terrori, Pyrrhoque auxilio fuiſſent. Pyrrhus conjunctis ſibi Samnitibus, aliiſque, poſt vaſtatam Campaniam, uſque ad Præneſtem venit. Sed a Minucio, Fabricio, & Dentato pluries ſuperatus, in Græciam fugiens, ibi occiſus eſt, capto a Romanis Tarento, aliiſque Caſtris. In hoc congreſſu plura ſunt, quæ Romanam virtutem mire extollunt; primum Pyrrhi effatum, qui ait, *Se totius Orbis Dominum eſſe potuiſſe, ſi tales ſibi milites contigiſſent* [1]. Cyneæ inſuper, qui Roma ad Pyrrhum rediens, a quo legatus miſſus fuerat, qualem Romam comperiiſſet interrogatus, *Tales*, reſpondit, *illic fore omnes, qualis unus Pyrrhus apud Epirum*.

Expugnato Tarento ingens patuit Romanis via, qua ad univerſæ pene Italiæ dominationem progrederentur. Domiti enim ſtatim Picentes a P. Sempronio, Salentini a M. Atilio, & Vulſinii a Fabio Gurgite. Atque his ſuperatis quievere Romana intra Italiam arma, ſuumque bellicum furorem in exteros concitaverunt. Poſt annos ergo 500. ut vult Florus; vel ut ſentit Rufus poſt 467. Romani aut totam Italiam, ut vult idem Florus [2], poſſederunt, *uſque trans Padum*, ut Rufus loquitur, aut, quod verius judico, majorem ejus partem adepti ſunt, Auruncos, Fidenates, Tiburtinos, Capuanos, Latinos, Ernicos, Sabinos, Picentes, Volſinenſes, Samnites, Tarentinos, Lucanos, Brutios, Etruſcos &c. Totam vero Italiam non niſi poſt ann. 611. poſſederunt, nempe Inſubres, Cænomanos, Venetos, Liguriam, Pedemontium &c. Sicut ex Romanis Annalibus colligi poteſt; poſt id enim temporis Italia, pulſis omnino Senonibus, ad Rubiconem uſque dilatata eſt, cum antea Æſi & Macra fluviis terminaretur [3].

At non hic Romanæ fortitudinis metæ. Romulei ſiquidem Alcides Italiæ elapſis columnis plus ultra militarem gloriam protulerunt: emenſoque Siculo freto Siciliam inſulam primo invaſerunt, ſcilicet a Meſſanenſibus contra Pœnorum inſolentiam vocati: Pœni enim Meſſanam, Hieron Syracuſam poſſidebant: hinc bellum hoc primum Punicum eſt appellatum. Primo impetu Ap. Claudius de Afris & Hierone triumphavit: id ipſum alii effecere. *Neq; ulla victoria Romanis gratior*, inquit Eutropius [1], *quod invicti terra jam etiam mari plurimum poſſent*. L. Scipio Corſicam Sardiniamque vaſtavit. M. Atilius Regulus bellum etiam in Africam tranſtulit contra Amilcarem Carthaginis Ducem, ubi multis captis ur-

1 Eutrop. cit. ut etiam Livius. 2 L. 2. c. 1. 3 Panvin. de Imp. Rom. 4 L. 2.

A bibus, univerſa Africa devicta fuiſſet, niſi fames pro Africa ipſa pugnaſſet. Reparatis viribus varia committunt certamina Servilius Cępio, Metellus, aliique felici Marte. Tandemque poſt annos 22. cruenti certaminis pax cum Pœnis initur Sicilia retenta, quæ Provinciæ nomen prima eſt adepta, hoc eſt, procul ſeu extra Italiam victa. Poſt hæc retractis in Italiam armis Gallos Inſubres Marcellus expugnat, capto etiam Mediolano. Idem de Liguribus factum eſt, & Liburnis Iſtris, & Illyricis Fulvio Centumalo Duce.

Sed quid hæc, ſi cum ſecundo bello Punico comparentur, in quo totius pene Africæ vires, Hannibale Duce, Urbis exterminium minabantur? Cauſa belli fuit ſumma fœderum erga ſociam urbem B Religio, qua clariſſimi ſemper Romani exſtiterunt: vexantibus enim Saguntum in Hiſpania Pœnis, P. Scipio illuc mittitur, bellumque Pœnis indicitur. Magno ſtipatus exercitu in Italiam adveniens Hannibal Scipionem, & Gracchum, & Flaminium ſuperat ad Ticinum, Trebiam, & Traſimenum, ſuperandus & ipſe a Fabii Maximi patientia, *qui novum pugnandi genus invexit, abſtinendo a pugna* [1], hinc Cunctator dictus, niſi Varronis impatientia Hannibalem ad pugnam provocaſſet apud Cannas in Apulia; ubi tanto Romanorum ſanguine tellus C illa erubuit, ut tres annullorum modii e Romanorum militum ſublati digitis Carthaginem miſſi ſint. Illud vero de Romanis inſigne eſt, quod, cum Hannibal Captivorum redemptionem obtuliſſet, repoſuere illi *eos Cives neceſſarios non eſſe, qui cum armati eſſent capi potuiſſent* [2]. Omnia interim depopulatur Hannibal, & Romæ appropiat, quam certe expugnaſſet, *ſi* (ut de illo Maharbales protulit) *uti victoria ſciviſſet*. Siquidem Capuanis fractus deliciis, ita elanguit, ut in ultimum Italiæ ſinum ſe recipere coactus ſit. Eodem tempore Scipiones in Hiſpania contra Haſdrubalem Hannibalis fratrem pugnant, in Sardinia Manlius, in Macedonia Lævinus, in Si-D cilia Marcellus, omnes feliciter. Occiſis in Hiſpania Scipionibus, alter Scipio mittitur, qui Carthaginem Hiſpaniæ capit, & Haſdrubalem fugat, urbes inſuper 70. deditione accipit. Vocatur in Italiam Haſdrubal: ſed apud Senam ab Ap. Nerone & Livio Salinatore occiditur; unde Hannibal animo concidens, & ab Italis neglectus Italiam cogitat deſerere, Carthaginem avocatus, ubi Scipio, Hannone & Syphace ſuperatis, multiſque vaſtatis oppidis, Carthaginis excidium portendit, portis pene inſidens. In Africam regreſſus Hannibal a Scipione victus, & pene captus pacem poſcit, impetratque, duris tamen conditionibus: unde Scipio Romam re-E diens triumphat, & ob devictam Africam Africanus appellatur: omniaque priſtina in Italiam jura ad Romanos redeunt poſt annos 17. quot Punicum bellum duraverat.

Tranſacto Punico bello ſucceſſit Macedonicum contra Philippum, quem Lævinus, poſtea Flaminius debellavit. Paulo poſt Regem Antiochum, & una cum eo Syriam, Scipio Africani frater vicit; unde Aſiatici nomen ſumpſit. De Ætolis Fulvius, de Iſtris Claudius Pulcher triumphavit. Gallo-Græcos debellavit Manlius, cui Senatus triumphum denegavit, quod belli cauſam non approbaſſet. Macedones ſecundo L. Æmilius Paulus vincit, ſicut Illy-F ricos Anicius, Macedones tertio ſub Andriſco, qui & Pſeudo-Philippus dictus eſt, una cum 70. eorum urbibus a Prætore Metello profligantur.

Sed ecce bellum Punicum tertium, quo tandem Carthago deleta eſt: licet Scipio Naſica contra Catonis placitum ſentiret delendam non eſſe, ne metu ablato æmulæ urbis luxuriari inciperent Romani, quod & accidit. Carthaginis exciſæ alter Scipio auctor fuit: tutam ſcilicet Scipionibus Afri-

1 Eutrop. l. 3. 2 Idem loc. cit.

cam affervantibus Fatis. Diruta Carthagine, par nobilitate urbs corruit Corinthus, quam Mummius delevit. Poft hæc Hifpaniæ primo a Scipionibus agitatæ, a Catone deinde, Gracchis, Metello, & Lucullo 150 urbium captione reftrictæ, a Decimo Bruto penitus delentur: fub Viriatho autem rebellantes, a Claudio Unimano Cæpione & Fabio profternuntur. Numantini, contra Pompejum & Mancinum victores, a Scipione Carthaginenfi fame capiuntur.

Hæc ad Occafum. Summa in Oriente pax; Attalus enim Afiæ Rex hæredem Populum Romanum inftituerat. Sed cum Ariftonicus Romanos juribus fraudaffet, a Perpenna & M. Aquilio Afiatico debellatur. Mox ad Meridiem arma. Numidiam enim contra Jugurtham capit Calphurnius Beftia, deinde Albinus & Metellus, poftremo Marius & Sylla, a quo & triumphus agitur. Ad Septentrionem Allobroges a Domitio Ænobarbo & Fabio Maximo victi. Cimbri, Teutones, & Tigurini gens dura ab extremis Galliæ profugi, quorum impetum Silanus Manlius & Cæpio fuftinere non valent, a Mario miris artibus eluduntur; primum enim panis ufu, vini, & carnis coctæ dulcedine mitigati, deinde ad certamen provocantur; diem etiam eligit Marius nebulofam atque ventofam, ut pulvis eorum oculos lædens, & galearum fplendor obfufcans, Romanis armis victoriam præpararet. Feros Thraces Dalmatiam, & Theffaliam, Adriaticumque mare, fingulaque vaftantes, Didius intra eorum repulit Thraciam, Drufus ulterius egit, & Minucius vaftavit. Pifo Rhodopem Caucafumque penetravit Curio Daciam, Appius Sarmatas: fed a lucorum tenebris territi ultra progredi deftiterunt.

At vero inter illuftriora Romanorum facinora non medium fibi vendicat locum Mithridaticum bellum, quo pene Afia tota capta eft. Mithridates Rex Ponti capta Bithynia. quæ Romanis parebat, edictum edidit, ut quotquot Romani in Afia forent, trucidarentur. Quam immanitatem vindicaturus occurrit L. Sylla, & adeo fortiter Regem adegit, ut ad fœdus petendum Ponticos compulerit: quod obtinuerunt, reftituta tamen Bithynia, aliifque. Accedit poftea Lucullus per medias hoftium naves utre fufpenfus, & pedibus iter gubernans, & poft varia certamina hoftes terga vertentes infequitur. Sed callidus Mithridates fpargi pecunias jubet, ut infequentes Romanos moraretur. Advenit inter hæc Magnus ille Pompejus, qui ponte e navibus conftructo Euphratem primus tranfit, Regemque profugum in Armeniam ufque infequitur, & Ponticos inter noctis umbras trucidat. In Oriente Armenios, in Septentrione Colchos cædit: Hierofolymam victor ingreditur, & Regnum Hircano concedit, vincto catenis Ariftobulo. Totam denique Afiam, exceptis Parthis, qui fœdus maluerunt, & Indis, qui adhuc incomperti, Romanam fecit. Terminatis vix Afiæ rebus ecce Ciliciæ Piratæ maria invadunt: fed a P. Servilio primum, deinde a Pompejo exftinguuntur, fingulaque maris oftia navibus quafi portis obferantur. Cretam infelici fucceffu invadit M. Antonius; fed Metellus poftea expugnat. Balearicas infulas Piratarum fertiliffimas alter Metellus fudit; triplices enim fundæ, quibus infulani illi mire præliari folebant, Romanis pilis palmas concefferunt. Porcius Cato Cyprios capit, quorum opibus Roma ditata.

Aft hic egregiis Cæfaris geftis fcena impletur. Afia enim a Pompejo fubacta, reliquum Europæ Cæfari Fata affervarant. Vicit hic primo Helvetios, deinde Belgas, & Venetos: poftea Gallos & Germanos fudit: Ponte enim ultra Mofam e navibus confecto Rhenum tranfgreditur, hoftemque in Hercyniis fylvis latitantem trucidat: poft domitam, novem annorum fpatio, Galliam univerfam, quæ inter Alpes, Rhodanum, Rhenum, Oceanumque, Britannos etiam, *quibus ne nomen quidem Romanum cognitum erat*, ficut ait Eutropius, impetit, & ftipendiarios facit; viciffetque omnino, nifi cum Oceani procellis pugnandum ei fuiffet.

Rediens in Italiam Cæfar fecundum Confulatum armatus petit, cumque contradictus ei fuiffet a Marcello, Pompejo, & Catone, juffufque effet, ut dimiffo exercitu in Urbem rediret, ille ira furens ab Arimino, ubi milites habebat, adverfum Patriam cum exercitu venit: unde Pompejus, Senatufque, & Nobilitas in Græciam fugit, & Pompejo Duce bellum in Cæfarem parat. Cæfar vacuam Urbem ingreffus fe Dictatorem facit. Mox in Hifpanias pergens Pompejum fuperat, inde in Græciam tranfiens, ab eodem fuperatur. Poftea in Pharfalia Theffaliæ Pompejum toto pene Oriente ftipatum fundit, atque fugere Alexandriam cogit, ubi a Rege Ægypti, cui tutor a Senatu datus fuerat, occiditur, cujus caput ad Cæfarem miffum, eum ad lachrymas compulit. Hic poft multa alia bellica patrata facinora Romam regreffus, tertio fe Confulem facit. Mox in Africam profectus, Pompeii generum interficit. Romam iterum rediens, quarto fe Confulem facit. Inde in Hifpanias migrans egregie primum pugnat cum Pompeii filiis, mox apud Mundam civitatem vincitur, tandemque reparatis viribus Pompeii filium majorem occidit, minore in fugam converfo. Poft hæc Romam veniens, libertatem occupat, Imperii fafcibus a Marco Antonio in Roftris ei collatis, unde Dictatoris perpetui titulum fumit. Sed conjurantibus in eum 60. Senatoribus, ductu duorum Brutorum C. Caffii & Servilii Cafcæ, in Curia vulneribus 23. confoditur. Duo vero hic confideratione digna funt; primum, hos Brutos e progenie ejus fuiffe, qui Reges ejecerat, quafi fatale foret Romanæ libertati, ut nonnifi a Brutis captanda effet. Alterum, quod Cæfar contra omne fas in Curiam, ceu infulata victima, ierit, cum ea dies nefafta foret.

Trucidato Cæfare, una cum libertate, quies in Rempublicam invecta credebatur. Sed res aliter accidit: implacabiles enim inde ortæ difcordiæ, & civilia bella, Octaviano a Cæfare adoptato Cæfaris neci vindicandæ inhiante, Antonioque Cæfaris hæreditatem præ Octaviano affectante. Hinc bellum Octaviani cum Antonio, Caffio, & Bruto. Quæ tamen omitto, cum extra noftrum fint inftitutum, ficut etiam certamina inter Marium & Syllam, Sertorianum, Lepidi, Catilinæ conjurationem, feditiones Gracchorum, Apuleii, Drufi, aliafque, quæ in Urbe minime novæ fuerunt: ab invectis enim ufque Confulibus inceperunt plebejos inter & nobiles, tum ob creditorum infolentiam, qui plebem, quæ folvendo non erat, acriter cædebant, tum ob matrimonia plebeiis cum nobilibus denegata, tum ob agrorum divifiones, tum præfertim ob Tribunorum plebis importunitatem Senatui fe opponentium, de quibus *Tom. 2. Differt. de Magiftr.*

Tot inter mala id duntaxat Urbis utilitati eluxit, quod Imperii tandem fumma ad Octavianum Cæfarem devoluta fit. Poftea enim quam Triumviratus invectus fuit Octavianum inter, M. Antonium, & M. Lepidum, qui in agro Bononienfi convenerant, ut Imperium fibi diftribuerent, anno V. C. 710. Octavianus fociis bello fuperatis Imperii clavum folus affumpfit, & Auguftus dictus eft. Hic præter bonas artes propagatas, ædificia decorata, jactari inde folitus, *Se Urbem lateritiam reperiffe, reliquiffe vero marmoream* [1]. Imperii etiam fines dilatavit. Ægyptum enim in Provinciam redegit, Cantabros, Aquitanos, Rhætos, Vindelicos, Dalmatas provinciales fecit; Suevos Cattos,

1 Sex. Aurel. Vict. de Cæfaribus.

que delevit: Pannonios ſtipendiarios fecit: Sicambros in Galliam tranſtulit: Getas Baſternaſque ad pacem compulit: eidem Perſæ obſides obtulerunt, creandique Regis arbitrium. Scythes, Garamantes, Æthiopes legatos cum donis miſerunt: trans Rhenum tandem per eum arma propagata. Unde Auguſti felicitas adagio locum dedit. Atque hinc multi opinati ſunt maximam Imperii dilatationem ſub Auguſto fuiſſe, id quod paulo poſt falſum eſſe oſtendemus, demonſtrantes ſub Trajano ſummum fuiſſe Imperii culmen. Fines enim Imperii ſub Auguſto fuere ab Oriente Euphrates; ab Auſtro Nili cataractæ, Africa deſerta, & Atlas mons; ab Occidente Oceanus; a Septentrione Danubius cum Rheno [1].

Auguſtus in libello, quem de rebus Imperii ſcripſerat, monitum ſucceſſoribus reliquit, ut Imperii fines reſtringerent potius, quam dilatarent: qua de re merito dubitat Tacitus, an ex invidia, vel ſano conſilio protulerit. Utut ſit, auditus non fuit a ſucceſſoribus ſuis Auguſtus: hi enim propagando Imperio operam navarunt. Tiberius enim Cappadociam in Provinciam redegit, Getulos repreſſit, Armeniam a Parthis, Mœſiam a Dacis, Pannoniam a Sarmatis, Galliam a finitimis eripuit [2]. Nihil adjecit Caligula. Sed Claudius Tiberius Mauros provinciales fecit: Domitius Nero Pontum, & Alpes Cottias: Galba, Otho, & Vitellius ventrem ſolum auxerunt. Veſpaſianus, præter ædificia & templa ſplendide exſtructa, Parthos ad pacem coegit, Palæſtinam, Ciliciam, Comagenem Provincias fecit,& Judæos quoq;addidit.Domitianus deDacis, Cattis, & Sarmatis triumphavit. Nerva nihil Imperio ſuperaddidit, quaſi locum ceſſurus Trajano.

Trajanus namque præ omnibus Imperium auxit: addidit enim ab Oriente Arabiam, Armeniam, Meſopotamiam, Aſſyriam, Perſidem uſque ad Indiæ fines: a Septentrione Daciam, quæ complectitur Tranſilvaniam, Vallachiam, & Moldaviam: unde bene inquit Eutropius [3], *eum Romani Imperii, quod poſt Auguſtum defenſum magis fuerat, quam notabiliter ampliatum, fines longe lateque diffudiſſe*: ab Oriente enim, elapſo Euphrate, Tigrim attigit: a Septentrione, relicto Danubio, ad Iſtrum pervenit. In Aſia ergo poſt Trajanum tenuere Romani Colchidem, Iberiam, Albaniam, Pontum, Boſphorum, Cappadociam, Galatiam, Bithyniam, Armeniam, Syriam, Arabiam, Palæſtinam, Ciliciam, Pamphyliam, Lydiam, & Minorem Aſiam. In Africa Ægyptum, Cyrenaicam, Marmaricam, Getuliam, Numidiam, Mauritaniam, & Africam proprie dictam. In Europa Italiam, Hiſpanias, Gallias, Rhætiam, Noricum, Germaniam, Illyricum, Macedoniam, Epirum, Græciam, Thraciam, Mœſiam, Pannoniam, Daciam. Reges fœderati fuere multi, ſicut etiam tributarii. Atque tam vaſtum Mundi ſpatium ſpatio novem dumtaxat ſęculorum vix completorum adepti ſunt. Ideoque verius de Trajani quam de Auguſti tempore dicere potuiſſent Halicarnaſſeus, Petronius, & Ammianus, univerſum Orbem Romanis paruiſſe: unde Ovidius [4] cecinit:

Gentibus eſt aliis tellus data limite certo,
Romanæ ſpatium eſt Urbis & Orbis idem.

Id quod cum aliqua exceptione capiendum eſt: multa enim loca Romana arma non ſentierunt, ea contemnentibus potius alto conſilio Romanis. Quod ſi tanti incrementi cauſam quæras, dabit Ammianus, *quia virtus*, inquiens, *convenit, atque fortuna plerumque diſſidentes, quarum ſi altera defuiſſet, ad perfectam non venerat ſummitatem*. Clarius vero Sulpicia [5] ita canens,

—— Duo ſunt, quibus extulit ingens
Roma caput, virtus belli, & ſapientia pacis.

Adminiſtrabatur Occidentis Imperium a duobus Præfectis Prætorio, quorum unus dicebatur Italiæ, alter Galliarum. Singuli tres habebant Diœceſes, & ſuos inſuper Vicarios. Sub Præfecto Italiæ erant Diœceſes tres, Italiæ, Illyrici, & Africæ: Vicarii 4. Provinciæ 29. Sub Præfecto Galliarum Diœceſes 3. Vicarii 3. Provinciæ 29. Orientis Imperium a duobus etiam Præfectis regebatur, Orientis, & Illyrici. Sub primo Diœceſes 5. Aſiæ, Ponti, Orientis, Ægypti, & Thraciæ: Provinciæ 49. Sub ſecundo Diœceſes duæ, Aſiæ, & Macedoniæ: Provinciæ vero 11. Hæc fuit diviſio ſub Theodoſio. Alia fuerat ſub Auguſto, qui Provincias pacatas, præſidiiſque non indigentes, in 12. diſtribuit Diœceſes, duas Proconſulares, decem Prætorias, utraſque a Populo Romano regendas. Provincias vero, quæ præſidiis indigebant, in 14. Diœceſes diviſit,& Cæſaris Provincias appellavit: quarum Legatos,& Procuratores, Proprætoria quidem dignitate fulgentes, Rectores nuncupari juſſit, qui exercitibus præeſſent, a quibus excubiæ in limitibus agerentur, quas Germani vocant *Marchas*, eorumque Præfectos Marchiones, unde Marchionum titulus. De Legionibus præſidiariis dicemus *Tom. 3. Diſſert. de re Militari*.

SECTIO ULTIMA.

De Romani Imperii Caſu.

Romana celſitudo poſtquam ad culmen ſub Trajano devenerat, mole ſua, ut ait Livius, fatiſcens, vergere ad Occaſum cœpit. Fateor etiam poſt Trajanum nonnullos Imperatores Imperium protuliſſe, ut fecit Verus, Antoninus, Pertinax, Probus, Aurelianus, Conſtantius, Conſtantinus &c. [1] Attamen quoniam ſub aliorum dominatu multæ ob ſegnitiem Provinciæ amiſſæ ſunt, hinc fateri jure merito poſſumus poſt Trajanum ſenſim & ſine ſenſu Imperium occidiſſe. Ne tædio ſim, nolo, quas paſſa eſt Roma, jacturas ſingulatim narrare. Satis ſit cum Eutropio [2] adnotare, *Adrianum Trajani gloriæ invidentem Provincias, quas Trajanus addiderat in Oriente, reliquiſſe, idemque facere conatum de Dacia ab amicis fuiſſe deterritum. Sub Licinio Germani Ravennam uſque pervenerunt. Sub Gallieno Dacia amiſſa eſt, Græcia, Macedonia, Pontus; Aſia vaſtata per Gothos, Pannonia a Sarmatis Quadiſque populata; Germani uſque ad Hiſpanias penetrarunt: Parthi Meſopotamia occupata Syriam ceperunt*. Poſt quę idem Auctor concludit; *Ita ut jam deſperatis rebus, & deleto pene Imperio Rom. conſumptas Provincias Poſthumus reparaverit.*

Sed vero lenior hucuſque inconſtantis fortunæ luſus. Fatalem tragici Theatri ſcenam aperuit quintum a Partu Virginis ſæculum: in qua Romani excidii fabula agi cœpta eſt: cujus prologum repræſentavit Alaricus Gothorum Rex. Hic enim Anno Domini 409. imperante Honorio & Theodoſio, Urbem obſidione cingit, Stiliconis vindicaturus necem, verius regnandi cupidine [3]. Romani, ut ſe obſidione abſolverent, 5000. auri libras, argenti 3000. Alarico perſolverunt, qui ab Urbe ſtatim diſceſſit. Sed ecce ſecundo Urbem obſidet, ex impulſu quodam, ut ipſemet faſſus eſt, Numinis ad Urbis excidium eum impellentis [4]. Magna inter hæc fames, impedita per Alaricum frumenti ex Africa transvectione, ut matres filiorum carnibus ſatiari coactæ ſint: quare in Circenſibus ludis ad novum Imperatorem plebs clamavit, ut pretium imponeret carni humanæ. Tandem Anno Domini 410. V. C. 1162. Urbem proditione cepit in-

1 Lipſ. de magnit. Rom. & Ortel. in Theatr. Geogr. 2 Victor, & Eutr. loc. cit. 3 Lib. 8. 4 L. 2. Faſt. 5 In Carm. Satyr.

1 Eutrop. Vict. & Paterc. 2 L. 8. 3. Zoſim. l. 5. 4 Zoſim. & Socr. Annal.

ter noctis tenebras. Honorius vero Ravennæ degens, audito nuncio, qui perditam Romam clamabat, de gallo quodam gallinaceo Roma nomine, quem summe charum habebat, id intellexit [1]. Inter tot Alarici feras depopulationes id unum commendandum, quod per præconem edixerit, quotquot ad Basilicam D. Petri confugerent, una cum suis bonis immunitate gavisuros [2]. Quare cum Barbari a quadam Moniali sacram suppellectilem extorquerent, reponente illa eam esse D. Petri, relicta fuit; quo scito Alaricus jussit omnia ad Apostoli Templum reduci magna cum pompa, Hymnisque a virgine una cum Barbaris per viam decantatis [3]. Post hæc die tertio Alaricus præda onustus, Urbe illibata relicta, lætus discedit, reliquam Italiam vastaturus. Sed anno sequenti apud Consentiam repentino morbo opprimitur. Post quem Ataulphus uxoris suæ frater Romam aggredi intentat, eamque Gothiam appellare; sed Barcinone interimitur.

Anno tamen 465. Gensericus Vandalorum Rex Arianus ab Eudoxia Augusta accersitus, Romam capit & diripit, tribus dumtaxat Basilicis parcens, Lateranensi, Vaticanæ, & Sancti Pauli, a S. Leone ita e cælis admonitus. Post dies 14. Urbe excedit, præda, & captivis dives, inter quas Eudoxia cum filiabus.

Annus 475. Romano Imperio finem imposuit. Imperante enim Momyllo, (quem per contemptum Augustulum appellabant) ii, qui præcedentis Imperatoris, cui Nepoti nomen, partes sectabantur, Odoacrem Herulorum Regem Romam advocarunt, imperii fascibus eidem concessis, Augustulo in Lucullanum Castellum prope Neapolim relegato. Sicque Occidentale Imperium, ab Augusto cœptum, desiit in Augustulo, 12. ab V. C. sæculo, juxta magni Varronis vaticinium, de quo *Dissert.* præcedente, sicut Imperium Orientis a Constantino inchoatum desiit in Constantinulo. Mire tamen enituit Odoacris modestia, qui tum a nomine, tum ab imperialibus indumentis abstinuit, & res sacras summe excoluit. Cum vero R. Pontificis electionem sibi usurpare tentasset, a Theodorico Gothorum Rege impetitur, tandemque, post pacem initam, ab eodem inter epulas proditorie occiditur.

Theodoricus ergo, postquam Orientale Imperium frustra affectasset, Romam invadit anno 493. Regnum tamen optime administrat, cui Cassiodorus a secretis fuit. Catholicos, quamvis ipse Arianus, honoribus cumulat: Ministrum sibi charum, qui ex adulatione e Catholica Fide in Arianismum transierat, capite obtruncat, *Si*, inquiens, *infidelis fuisti Deo, quanto magis eris Principi?* Postea vero mutato animo Joannem Papam dire vexat, Symmachum & Boetium jugulat. At non multo post, inter cœnandum, ingentis piscis caput a Ministro appositum cernens, caput Symmachi minantis sibi adspicere visus, animam efflavit. Sufficitur ei Theodotus anno 534. cui per ignaviam a suis interempto substituitur Vitiges e Dalmatia vocatus. Sed hic anno 537. a Bellisario Justiniani Imperatoris Duce pellitur, Urbis clavibus Constantinopolim missis. Reparat interim Bellisarius Urbis mœnia. Redit anno sequenti Vitiges: sed post varia certamina Bellisarii virtus enituit. Id non prætereundum, quod tenentibus suburbia Urbis Gothis nullum passæ sint Basilicæ Apostolorum detrimentum.

Sed ecce anno 547. ex proditione Isaurorum post diram famem, cui sedandæ stercora adhibita, capitur iterum a Totila Gothorum Rege Urbs. At eodem anno a Bellisario expellitur, qui Urbe munita regressum Gothum denuo repulit. Anno vero 550. secundo Urbem obtinet Totila, sed post tres annos

1 Ex comput. Varr. 2 Hieron. ep. 16. 3 Cassiod. Variar. l. 12. c. 20

A Narses a Justiniano missus illum cum suo exercitu trucidavit; & paulo post Theiam etiam Gothum in Regem electum. Atque id non sine B. V. ope, a qua Narses de opportuno certaminis tempore admonitus fuerat. Mansit tamen diu intra suas ruinas Roma tumulata, de quibus audiendæ sunt D. Gregorii Papæ querelæ, ut in *Diss.* sequenti.

Post tot clades frui cœpit pace, seu potius pacis umbra, Urbs. Quantumvis enim Longobardi anno 570. & iterum 577. Romam invaserint, eam tamen non expugnavere, licet præsidiis foret destituta, Apostolis scilicet Petro & Paulo eam tuentibus.

B Anno tamen Domini 755. Aistulphus Longobardorum Rex fœdifragus & perjurus, contra initas cum Pipino Francorum Rege conventiones de Urbe non molestanda, restituendisque ablatis, post devastatas Romanæ ditionis civitates, Romam obsidione cingit, Sacra profanans, Imagines urens, Eucharistiam spernens, Sanctimoniales contaminans, omnia demum susquedeque agens. Compellat Stephanus Papa Pipinum, qui cum exercitu in Italiam veniens Aistulphum Papiæ obsedit, nec veniam ei umquam tribuit, quousque Ravennæ Exarchatum aliaque R. Pontifici restituisset.

C Quibus a Pipino peractis, obiit absque successore Aistulphus in venatione percussus. Post eum Desiderius ex R. P. Stephani munificentia Longobardiæ Regnum obtinet. Sed ingratus Princeps Romam veniens Stephanum male habet, Clericos necat, Urbemque cepisset, nisi Hadrianus Papa anathematum ictibus eum retardasset. Recusans Desiderius ablata reddere, bello oppetitur a Carolo Magno, a quo victus in Gallias ducitur. Post hæc Romam adveniens Carolus anno 800. in Templo D. Petri a Leone Tertio Papa Imperialem coronam recipit acclamantibus omnibus, *Carolo, Augusto, Magno, Pacifico, Imperatori Romanorum, &c.* Atque ita Romanum Imperium, quod etiam post

D Augustuli casum, invectumque per Odoacrem Italiæ Regnum, in Oriente perseverabat, in Occidentem translatum fuit. Succedentibus sæculis alias clades Urbs passa est, quas missas facio, cum ad Ecclesiast. Historiam potius spectent.

Unum dumtaxat curiose adnoto, præcipua Urbis excidia in quadam ferrea Romæ Porta prædicta, excisaque fuisse bis litteris, *PPP.SSS.RRR.FFF.* quas Beda Romæ contemplans, cum a quodam juvene ita se illusum audiret, *quid aspicis Angliæ bos?* ita respondit, *confusionem vestram adspicio*, litterasque statim sic declaravit, *Pater Patriæ perditus*

E *est; sapientia secum sublata est; ruet Regnum Romæ; ferro, flamma, fame.* Unde *Venerabilis* nomen ei inditum [1].

Syllabus Auctorum.

DE hoc argumento nemo ex professo scripsit. Lipsius enim de magnitudine Romanorum multa tradidit, sed alio scopo. Bulengerus & Pancirolus de Rom. Imper. pertractantes, nonnisi Imperii officia ipsi explicavere. Sparsim de Urbis incrementis multa exarata sunt a quotquot Romanam Historiam scriptis consignaverunt; ex qui-

F bus impigre pervolutis præsens enchiridium concinnavimus. Romanorum præsertim certamina & victorias floride quidem Florus, utinam pari cum legentium fructu: siccus enim ubique est, inque suis floribus meliora quandoque latent: quem tamen ex Rufo, Eutropio, Victore, & aliis supplendum illustrandumque, & non semel etiam emendandum curavi: ut ita Romanorum sub Re-

1 Jul. Cajus de antiq. Cantab. Acad. Rudolph. Reming. de Gost. Reg. Angl. Henr. Spelm. Gloss. Archæol.

gibus, libera Republica, & sub Cæsaribus incrementa, & ruinas postremo ipsas, unico oculi obtutu, easdemque velut in Orchestra repræsentatas, integrum sit unicuique conspicere: quod nullus hucusque præstiterat.

DISSERTATIO III.

De Urbis Romæ Topographia.

POst vestigatam, ea, qua potuimus, solertia, Urbis originem, incrementa, & casum, accurata ejusdem Topographica descriptio exaranda nunc est. Qua in re ipsosmet profecto Geographos imitabor; ut enim hi brevibus quibusdam lineis peramplas urbes designant, ita & ego paucis verbis multos Romæ situs, varios mœniorum gyros, portas, montes, fontes, & si quæ sunt alia ad puram Topographiam spectantia, complectar; ædificia enim, tum sacra, tum profana, particularibus Dissertationibus describam. Videbatur cuiquam in argumento hoc, quo versamur, non multum novi posse in medium afferri, quod operam hanc tot Scriptores feliciter navarint, Donatus imprimis, & Nardinus, a quibus pleraque etiam, quæ mihi inter meditandum obvenerant, præoccupationis animadverto. At vero non ita esse, Dissertationis ipse processus demonstrabit: multa enim superaddere nobis licuit: Nardinum quinimo & Donatum sæpius carpere; & quæ ab ipsis tradita sunt, meliori fortassis ordine concinnare: ut enim Plinius [1] ajebat, de magnis numquam satis.

Diximus jam *Differt. prima* Urbem Romam a Romulo super Palatino Monte, ubi nunc Farnesiani vernant Horti, aut funditus exstructam, aut supra antiqua rudera excitatam, non sine variis ritibus ibidem ex Plutarcho explicatis. Quadratam habuisse figuram, præter Halicarnasseum, aliosque, situs ipse Palatini Montis demonstrat. Unde erravit Plutarchus [2], & cum eo Pater Donatus [3], cum circularem figuram Urbi attribuit. Decipitur Donatus ab ipso Urbis vocabulo, quod ab orbe derivatum existimat; cum ab urbo satis commode duci possit, aratri curvaturam significante, quo urbium circuitus designabantur.

Mœniorum Urbis gyrum, eorumque designationis initium, nemo expressius breviusque delineavit quam Tacitus [4] his verbis: *Igitur a Foro Boario, ubi æneum Tauri simulacrum adspicimus, quia id genus animalium aratro subditur, sulcus designandi oppidi cœptus, ut magnam Herculis Aram complecteretur, inde certis spatiis interjecti lapides per ima Montis Palatini ad aram Consi, tum ad Curias veteres, tum ad sacellum Larium, Forumque Romanum.* Hæc Tacitus. Quod si antiqua nomina cum recentibus concordentur, res confecta omnino erit. Forum Boarium prope Templum Sanctæ Anastasiæ situm fuisse infra dicam. Hinc igitur primus designandæ Urbis sulcus inchoatus est. Plutarchus Comitium præfert, quem cum Tacito frigide nititur concordare Nardinus [5]; at frustra, cum Chæronensis iste in re Romana non semel hallucinatus sit. Herculis Ara non longe a Templo Sanctæ Anastasiæ ad radices Palatini sita erat. Inde ergo excurrebant mœnia ad Aram usque Consi, quæ prope primam Circi Maximi, nunc dicitur *Cerchi*, metam locabatur [6]. Atque hinc rursus Curias veteres permeabant, quas in eo Palatini angulo, qui Templo D. Gregorii opponitur, exstitisse, melior Antiquariorum pars sensit. A Curiis ad Sacellum Larium

1 L. 1. 2 In Romulo. 3 L. 1. c. 2. suæ Romæ. 4. Annal. 12. 5 L. 1. c. 2. suæ Romæ. 6 Tertull. de Spect.

A exporrigebantur, quod, ubi nunc arcus Titi, locatum fuisse, ex Solino colligitur [1]. Tandem vero ad Forum Romanum pertingebant inter Palatini & Capitolini Montium crepidines, ibique desinebant ad Sanctæ Anastasiæ Templum, unde incœpisse dictum est. Nardinus paulo diversum imponit mœniis finem, inter S.M.Liberatricis & S.Laurentii in Miranda Ecclesias, ubi cum Plutarcho mœniorum initia locaverat: sed ipse viderit.

Hic fuit primus quadratæ Urbis situs. Aucto autem Civium numero, post Sabinorum præsertim cum Romanis societatem, de qua *Differt. prima*, laxiori equidem ambitu Roma indiguit. Hinc ad- B jectus ei Capitolinus Mons, quem additum opinatur Marlianus [2] a Romulo, antequam cum Sabinis fœdus iniisset. At fallitur, tum quia ante eam unionem tanta amplitudine opus minime erat: tum etiam quia post occupatum a Sabinis Capitolium, servatam adhuc Urbem dixit apud Livium Romulus in supplici, quod ad Jovem fudit, voto: Capitolinus ergo tum extra Urbem erat; aliter, eo a Sabinis occupato, servatam Urbem falso jactasset Romulus. Nec instet Marlianus a Livio, ante Sabinum bellum, Capitolinum Romæ Arcem appellari. Quid enim hinc? Arx Urbis erat, at extra C Romam, & veluti Romæ antemurale. Stet ergo post Sabinum fœdus additum Capitolinum.

Gyrus vero hujus auctæ Urbis fuit a latere Capitolii Tyberim versus supra Forum illud, quod Montanarium dicunt, ita ut murus Circum Maximum complecteretur, e quo ad Constantini Arcum, & Colosseum: inde vero per viam, quam appellant *de' Pantani*, ad locum, qui dicitur *Macel de' Corvi*; a quo tandem mœnia ad alterum Capitolii extremum pervenirent. Ita Antiquarii pene omnes, uno excepto Nardino, cui tanta accessio minime arridet, tum quod necessaria iis temporibus non foret: tum quia ita Urbs iterum quadrata exstitisset D contra Halicarnasseum, qui, cum ait, *Vestæ Templum extra Romam quadratam Romuli fuisse*, declarare videtur semel tantum in Palatino Monte Urbem quadrata figura fuisse descriptam; tum tandem quia ante Tarquinium Priscum Circi Maximi loca a Tyberi inundabantur, hinc Velabri nomine tota ea Regio appellabatur, ut ex titulo S. Gregorii in Velabro liquet, eo quod per ea loca inaquosa velis & navibus vehi solerent; non ergo hinc mœnia Urbis excurrere poterant. Quare magis presse, ni dicam avare, auctæ Urbis situm definiens Nardinus ait, a Capitolio super Velabri ripas mœnia excurrisse, & non procul a Templo S.Theodori cum E veteribus ex una parte coivisse, ex altera vero prope S. Martinæ Ecclesiam exporrecta, ad priscos Palatinæ Urbis muros terminasse. Qua in re sicut Nardini subtilitatem commendo, ita ejus avaritiam non probo. Media ergo stet via, & ex una parte, quæ Tyberim respicit, Urbis gyrus cum Nardino restringatur, Velabri equidem palude eam amplitudinem vetante: ex altera vero cum reliquis Antiquariis mœnia, prout descripsimus, amplientur. Neque vero inutilis, sicut ait Nardinus, ea laxitas fuisset: Sabinorum enim accessio non tam modica, ut sibi videtur, existimanda, & majus in dies sperabatur auctarium, tum ob Asyli adinventum, tum F etiam ob Urbis famam post devictos Sabinos longe lateque propagatam; unde alios finitimos Romam confluxuros in votis erat. Ad illud de Urbe quadrata paucis dico, Halicarnasseum nobis non adversari, imo potius favere, non enim absolute ait, *Vestæ Templum extra Romam quadratam fuisse*, sed *extra Romam quadratam Romuli*, quæ appendix satis, nisi fallor, indicat alteram Romam quadratam post Sabinorum unionem fuisse, aliter enim su-

1 C.p.2 2 L. 1. c. 2. suæ Romæ.

pervacanea ea appendix foret. Præterquam quod restrictis circa Velabrum muris omnis quadraturæ metus eliminatur.

Præter Capitolinum additum etiam fuisse a Romulo & Tito Tatio Quirinalem sentit Strabo, imo Halicarnasseus etiam Cælium. Verum quoniam Livius & Tacitus oppositum testantur, hinc, ut uterque cum primis reconcilietur, dici potest sub Romulo, & Tatio, aucto populo, Quirinalem & Cælium tamquam suburbia habitari incœpisse, non tamen fuisse mœnibus clausos; id quod ipse Halicarnasseus, nisi fallor, explicare videtur [1].

Numa, qui Romulo successit, Religioni intentus, nihil Urbi adjecit, ad summum vero Quirinalis partem, sicut innuere videtur Halicarnasseus. Ancus Martius Aventinum addidit, & Janiculum a Latinis & Sabinis inhabitandum: utrumque vero montem Sublicio Ponte conjunxit, additis etiam in locis planis inter utrumque collem Fossis, Quiritium dictis, ad Urbis tutamen. Tarquinius Priscus nobilem e quadratis lapidibus Aggerem inchoavit. Servius Tullius Quirinalem integrum, Viminalem, & Esquilinum muris cinxit, Fossis, & Aggere. Tarquinius tandem Superbus ab Orientali plaga Urbem munivit, Aggerem etiam Tarquinii complevit, ulteriori tamen murorum dilatationi parcens. De his aggeribus & fossis dicetur infra. Singularum additionum situs & gyros describere, sicut operosum nimis esset, ita & inutile, quia incertum. Id pro rato habeatur, Urbis mœnia per imas ejus montis, qui Urbi adjiciendus erat, radices ducta fuisse. Muris dumtaxat a Servio Tullio dilatatis insistemus, quippe qui præ magnitudine sua accuratiorem observationem merentur.

SECTIO PRIMA.

De Servii Tullii mœnibus.

CIrca autem hujus Regis muros tria scitu digna vestigari possunt. Primo eorum amplitudo. Secundo situs, circuitusque. Tertio tandem utrum ad Aureliani usque tempora immutati omnino quoad situm permanserint, itaut Servium inter & Aurelianum nemo mœniorum gyrum ampliaverit. Ex his autem tribus dubiis postremum primo loco examinabimus, ordine inverso quidem, at non inutili; nisi enim serio stabiliverimus Servii Tullii muros illibatos ad Aurelianum usque mansisse, jam nusquam Auctorum mens, qui hoc de argumento scripserunt, innotescet: etenim si post Servium ampliati fuissent ante Aurelianum muri, de quibus, aut qua sub variatione Auctores loquutos divinabimur?

Quoad hanc vero controversiam discordantes animadverto Antiquariorum opiniones; Marlianus siquidem, Panvinius, & quotquot Topographiam Urbis concinnarunt, novissime autem omnium P. Donatus [2], ampliatos contendunt post Servium Romæ muros, a Sylla primum, deinde a Julio Cæsare, mox ab Augusto, Claudio, Nerone, & Trajano. Nardinus [3] e contra ad Aureliani usque tempora eosdem situ invariatos totis lacertis tuetur. Innititur Donatus Tacito, Dioni & Vopisco, qui auctum ajunt a Sylla, aliisque supra enarratis Urbis Pomerium. Affert in sui patrocinium Nardinus Halicarnassei textum, qui perspicue negat prolatos ulterius post Servium Urbis muros. Fateor sane in hac difficultate mihi pluries aquam hæsisse, diuque anxium consuluisse multos, plures perlegisse. Tandem vero vicit debita in Halicarnasseum, seu potius in veritatem ipsam, veneratio. Quapropter in favorem Nardini ita lubet contra P. Donatum ratiocinari. Inficiatur Halicarnasseus dilatata post Servium mœnia Romæ, verbis equidem non obscuris, nullamque ferentibus tergiversationem, ita enim loquitur [1]: *Οὗτος ὁ Βασιλεὺς τελευταῖος ηὔξησε τὸ περίβολον τῆς πόλεως ..... προσωτέρω δὲ οὐκ ἔτι προῆλθεν ἡ κατασκευὴ τῆς πόλεως, οὐκ ἐῶντος, ὥς φασι, τοῦ δαιμονίου. Hic (Servius) Regum postremus Urbis circuitum protulit ..... Ulterius postea non transiit murus Civitatis, vetantibus, ut dicunt, Religionibus*, aut, sicut alii vertunt, *Deo id non permittente*. Quis autem sibi effinxerit adeo veracem rerum Romanarum Scriptorem decipere alios voluisse in re, quæ vel ipso oculo falsitatis prodi potuisset; aut ipsum esse deceptum, qui sub Augusto, nec procul a Sylla vixit, scripsitque? Ex altera vero parte Auctores a Donato allati nunquam de mœniis Urbis loquuti sunt, sed solum de Pomerio, quæ duo quam longe inter se differant, mox ostendemus. Ex quibus sic concludere licet. Cum pro mœniorum Servii invariatione cordatissimum testem, eumque clarum, habeamus; pro eorumdem vero dilatatione nonnisi testes ambigui, & cum æquivocatione loquuti occurrant, æquum, justumque est, ut, juxta sanioris prudentiæ leges, in priorem controversiæ partem lancem inclinemus. Quod si Scriptores a Donato relati ampliatos post Servium muros Urbis vel semel innuissent, utique res æquilibrium obtineret: at ipsi Pomerii dumtaxat prolati meminerunt, mœnibus nec nominatis quidem. Unde mirari subit Patrem Donatum tanta cum fiducia dixisse, se magis Tacito & Dioni credere quam Halicarnasseo, perinde ac si utrique sub eadem loquendi perspicuitate scripsissent.

Huic rationi, quæ mihi demonstrativa est, altera non minus robusta accedit, ab ipsa autopsia petita: quod scilicet prisca vestigia contemplanti nulla alia occurrant prolatorum mœniorum indicia Servium inter & Aurelianum; quæ utique aliquibus saltem in locis apparerent, sicut murorum Servii Tullii, prout ab Halicarnasseo descripti sunt, rudera adhuc cernuntur. Adhæc, si Augusti temporibus Servii murum ampliatum dicamus, jam inepte a Varrone porta Carmentalis ad radices Capitolii reponeretur; inutilis enim remansisset ea porta, si mœnia ulterius fuissentr ea ex parte protracta: sicut Aureliani temporeinter inutiles a Victore & Rufo recensetur. Agmen claudat idem Halicarnasseus, sub quo certamen hocce auspicati sumus. Eximius enim hic Auctor [2] Urbis terminos suo ævo exstantes describens ait: *Terminari eam abruptis collium, Aggere Tarquinii, & Tyberi*: qui fines idem omnino sunt cum iis, quos Servius præscripserat, cum *septem colles*, ut idem loquitur Halicarnasseus, *muro cinxit*. Ubi ergo vel leve quidem vestigium, aut umbra saltem, aliarum Syllæ, vel Augusti ampliationum? Ex quibus perspicue liquet pluribus parasangis a veritate aberrasse Marlianum, Panvinium, Fabricium, Donatum, aliosque, qui Romæ muros Reipublicæ tempore ad locum usque, ubi nunc Pons Sixtus visitur, pertigisse ab una parte ajunt, ex altera vero versus portam Collinam, & Viminalem: longissime vero omnium Lipsium, qui ab Augusto Campum Martium Urbi inclusum somniavit: quod quibus conjecturis innixi Auctores isti protulerint, non video, contra Halicarnasseum, ratiocinium, & oculum ipsum.

Satisfaciendum nunc est Antiquariis oppositum sentientibus; cumque ipsi solum innitantur Tacito, Dioni, & Vopisco, qui dilatatum ajunt a Sylla aliisque nonnullis Pomerium, hujusce vocis

1 Lib. 1. 2 L. 1. c. 12. &c. 3 L. 1. c. 4. & 5.

1 L. 4. 2 Lib. 9. & l. 4.

A enuncleationi nobis insistendum erit. Pomerium ergo a Livio [1] aliisque describitur, *locus quidam sacer post mœnia, & pone mœnia*: à Festo appellatur *postmurium, id est, locus muro proximus, muros enim meros Prisci appellabant*. Controvertitur inter Eruditos, intra-ne, vel extra Urbem, an utrobique fuerit Pomerium? Sed nodum huncce Festus ipse satis festinus dissolvit, qui ex Antistio & Catone ait, *dictum fuisse Pomerium veluti post muros, id est, retro & intra muros*. Idem colligi aliquo modo videtur ex Livio, qui de Pomerio ait; *Est circa murum locus, quem in condendis urbibus, qua murum ducturi erant, certis terminis consecrabant, ut neque interiore parte ædificia mœnibus continuarentur*; sed quia
B protinus addit, *& extrinsecus aliquid pateret Soli*, hinc merito Andreas Dacerius in Notis ad Festum dixit Livium oppositæ parti favere. Idem habetur apud Plutarchum in *Marcello*, & Gellium [2], qui ait, *Pomerium finem facere urbani auspicii*; itaque intra Urbem erat. Multa alia ad hanc rem opportuna videantur apud Dacerium citatum. Erat ergo Pomerium locus sacer inter mœnia & ædificia Urbis, ubi Augures ritu Etrusco auguria e cælo pro Urbis incolumitate captabant. Pomerium Pontificale proprium erat Pontificum. In Pomerio tanquam loco summe sacro *Fas non erat serere, nec habitare*,
C *proindeque ædificia mœnibus non continuabantur*, ut ait Livius. Hujusce loci designandi consecrandique curam Auguribus committebant, *qui libros de Auspiciis scripserunt*, ut ait Gellius. Terminabatur variis lapidibus, qui dicebantur Cippi Pomerii, quorum plures affert Gruterus, & Boissardus [3], Romæque nonnulli visuntur, ubi nomen adnotatum ejus, qui Pomerium dilatabat. Hujus vero dilatandi jus iis solum concedebatur, qui Pop. Rom. agro de hostibus capto auxissent. Cum autem dilataretur, Augures hæc verba præire solebant apud Festum: *Dii tutelares Urbis Pomerium hoc, ne*
D *minus, majusque faxitis, sed iis, quibus terminatum e Regionibus efferatis*. Primum Romæ Pomerium intra muros Urbis quadratæ Palatini fuit, quæ Urbs sacra inde appellatur, Etruscis illis ceremoniis designata, de quibus *Dissert. prima*. Dilatatum postea ante Servium Tullium Pomerium non legimus; Halicarnasseus enim solum Servii & Syllæ meminit: post Syllam dilatavit Cæsar, aliique, quorum supra meminimus. Quo vero ab ipsis fuerit prolatum, hucusque ignoramus, si unus excipiatur Aventinus, ad quem Pomerium protulisse Claudium narrat Tacitus [4], addens insuper suo tempore hujus dilatationis terminos adhuc apparuisse: utinam allatum etiam extitissent vestigia;
E sic enim multæ perplexitates hac de re nos minime vexarent.

Explicato in hunc modum Pomerio, ostendit clare Nardinus Pomerii dilatationem diversam ab ampliatione mœniorum fuisse; tum quia Livius postquam de mœnibus a Servio ampliatis disseruit, tamquam de re omnino alia addit, *Item Pomerium profert*: tum quia Aventinus ab Anco Martio Romæ adjectus fuerat, & tamen extra Pomerium fuisse ad Claudium usque vulgo asseritur, cujus causam addit Festus citatus, *quod in eo male ominata auspicia captaverit Remus, avesque irritas habuerit*, ut nos *Diss*. 1. In ergo ampliatos Urbis muros, Pome-
F rio intacto. Tum tandem quia de Aureliano ait Vopiscus in ejus Vita, *protulisse Urbis mœnia, Pomerium vero non tunc, sed postea*; licet non desint, qui nunquam hoc ab eo dilatatum asserant, cum Imperium ipse non propagaverit, sed potius incuriose arctaverit. Ex quibus concludit Nardinus, protulisse quidem Syllam aliosque Pomerium, at non mœnia: deceptum vero Donatum, cum Pomerii dilatationem pro ampliatione murorum accepit, fortasse, quod Etrusci utramque ut plurimum conjungerent.

Isthæc sunt, quæ Nardinus ingeniose non minus quam sensate adducit. Nonnulla tamen in defensionem Patris Donati meditatus sum, quæ utrique quamtumvis omissa, non sunt tamen parvipendenda, & magnam afferre possunt his tenebris lucem. Relictis itaque aliis, huic uni insisto: percipi scilicet non posse ampliatum a Sylla aliisque Pomerium, mœnibus una non ampliatis. Duplici enim modo id confingi valet: vel quod Pomerium extra muros proferretur; at hoc absonum omnino est, cum Pomerium, ut supra adnotavimus, *pone mœnia*, & non longe a mœniis esse possit: vel alter excogitari potest modus, quem mihi eruditissimus Raphael Fabrettus, gloriæ & immortalitatis vere Faber, indicavit, ut scilicet antiquum Urbis quadratæ Pomerium a Servio primum ad aliquem e septem Collibus productum fuerit, cum antea soli Palatino institisset; á Sylla postea ad alium Collem sit prolatum, ad alium a Cæsare, atque ita deinceps, semper tamen intra Servii Tullii murum.

Non negaverim systema hoc clarissimi Fabretti apprime esse veritati conforme. Ut tamen res nitidior appareat, sic lubet contra illud ratiocinari, ostendendo Servium Tullium, cum septem Colles muro cinxit, Pomerium pariter circa eos, & quidem omnes, protulisse. Quod si demonstravero, illud a me in defensionem Patris Donati effectum erit, ut cum pro certo habeamus Syllam, Cæsarem, aliosque Pomerium produxisse, necessarium sit, ut novum murorum gyrum ab iisdem excitatum dicamus, circa quos Pomerium protulerint, cum intra Servii muros proferendi Pomerii locus non adesset. Illud vero duplici via ostenderem, ab auctoritate una, altera a conjectura. Hæc sit, quod cum Scriptores Aventinum ajunt ad Claudium usque extra Pomerium mansisse, tamquam rem novam atque insolentem id referant, causam tribuentes infaustis auspiciis a Remo captatis. Ex quo deduci videtur reliquos sex Colles intra Pomerium extitisse: si enim istorum nonnulli etiam extra fuissent, quid mirum aut novum, quod Aventinus suo caruerit Pomerio? Auctoritatem suppeditat Livius loco citato sic inquiens: *In Urbis incremento semper quantum mœnia processura erant, tantum termini hi consecrati proferebantur*. Itaque si tempore Servii mœnia ultra processerant, septemque Colles concluserant, termini etiam consecrati, id est Pomerium, illuc fuere prolati, uno excepto Aventino ob auspiciorum Remi infaustitatem. Ex quibus inferre posset Donatus, Syllam, Cæsarem, &c. cum Pomerium dilatarunt, dilatavisse & mœnia. Cui videtur non obscure annuere Tacitus supra laudatus, qui de Pomerio ab Augusto ampliato ait: *Iis, qui protulere Imperium, etiam terminos Urbis propagare datur*. Ubi manifestissime Tacitus cum Imperii propagatione, & dilatatione Pomerii, Urbis etiam, tamquam Imperii capitis, ampliationem conjungit. Hæc sunt, quæ ex rudi mea Minerva prolixius fortasse, quam meum ferat institutum, excogitavi: nec abs re, cum argumentum hoc a nemine fuerit luculenter pertractatum.

Verumenimvero his conjecturis deferendus minime est Halicarnasseus noster, qui satis clare testatur ampliatum fuisse post Servium Urbis Pomerium, intactis tamen mœnibus. Quare Livius & Tacitus in hac parte posthabendi sunt Halicarnasseo: cum hic loquutus sit de facto, illi vero de jure, ut cum Juristis loquar; seu clarius illi, id quod ut plurimum, ab Etruscis fieri soleret, & fieri rite posset, indicaverint, (poterat enim sane prolatis mœnibus Pomerium ipsum una proferri, at Halicarnasseus illud indicarit, quod factum est. Quod vero Auctores de-

[1] L. 1. [2] L. 13. c. 14. [3] Antiquit. l. 3. [4] Lib. 12. Ann.

solo Aventino signanter scripserint extra Pomerium permansisse, ideo fuit, quia hic solus tutus extra Pomerium mansit, cum alii sex Colles parte aliqua Pomerii præditi fuerint; non erant enim *malcominati*, ut ait Festus.

Transeamus jam ad secundam difficultatem de situ mœniorum Servii Tullii. Qua in re non valde mihi nec diu laborandum, quantumvis Antiquarios satis anxios atque hæsitantes comperiam. Elevat enim nos ab hoc onere Halicarnasseus, qui Urbis ambitum (de Urbe Servii intelligit, quam immutatam usque ad Aurelianum ostendimus) describens ait, *abruptis Collium*, *Aggere Tarquinii*, & *Tyberi terminatam*; id quod etiam Plinius [1] non absimili loquendi forma testatur, nec non Strabo, & Auctor *de viris illustribus in Servio*. Si itaque Halicarnassei facula manu apprehensa præfatos situs lustraverimus, jam absque tricis, & ambagibus, Servii Tullii muros compertos perspectosque habebimus. Relictis ergo Fabricio, Marliano, Panvinio, Donato, Nardino, & Antiquariis omnibus, qui, quod pro lubitu rem hanc confecerint, in turpes errores lapsi sunt, tuto & expedite, Halicarnasseo præeunte, modico itinere antiquam Urbem perlustrabimus.

Exordium autem itineris nostri ab ea ducimus Capitolini Montis parte, quæ ad Quirinalem Montem vergit, unum scilicet ex illis, quos Servius muro circumdedit. A radicibus ergo Capitolii mœnia per locum, qui vulgo dicitur *Macel de' Corvi*, ad crepidines Quirinales, hodie *Monte Bagnanapoli*, adscendebant: hinc per Hortos Columnensium & Pontificios ad Barberinorum Ædes: inde vero ad Hortos B. Mariæ de Victoria, & ad Villam Mandosiam, non procul a Porta Salaria, a qua abrupta incipiunt in lenem planitiem commutari. Quod vero huc mœnia Servii pertigerint, indicio est muri residuum e quadratis lapidibus Sanctę Susannæ Templum & Barberinos Hortos inter, quem Servii fuisse non insulse suspicatur [2]. Ad Villam Mandosiam Aggeri Servii Tullii mœnia ipsa nectebantur; cum Halicarnasseus Aggerem Servii inter Collinam & Esquilinam portas constituat; Collinam vero eandem cum Salaria, sed Magis Villæ Mandosiæ proximam, infra ostendam. Ab hac itaque Villa ad dextram flectendo per vineas PP. Carthusianorum muri Urbis una cum Aggere excurrebant, cujus vestigia in prædictis vineis adhuc supersunt. Hinc per Perettinam Villam, ubi rudera Aggeris quædam exstant, ad Portam usque Esquilinam, quam ante Ecclesiam S. Eusebii sitam fuisse infra demonstrabo. Unde falsus est Nardinus, cum prisca Servii mœnia, & Aggerem eodem ductu murorum, quo nunc, ad Portam S. Laurentii perducit: tam amplus enim gyrus ab Aggeris ipsius reliquiis ruderibusque minime indicatur. Nec quemquam decipiant portiones illæ murorum e quadrato lapide, quæ post Castrum Prætorium versus S. Laurentii Portam euntibus occurrunt, cum enim sint tumultuarii operis, ad refectiones potius, quam ad Servii Aggerem pertinuisse existimandæ sunt.

Nardinus ipse mœnia Urbis a Porta S. Laurentii ad Majorem usque una cum altero Aggere Tarquinii Superbi profert. Hunc vero ab Aggere Servii diversum fuisse demonstrare se putat [3] auctoritate Livii [4], & Halicarnassei [5], quorum ille, *Servium*, ait, *Aggere Urbem circumdedisse*, hic vero de Tarquinio dicit, *partem Urbis cinxisse Aggere*: Strabo [6] etiam de Aggere loquens, in numero semper plurali, *fecerunt*, inquit, *& constituerunt*. Porta tandem inter Aggeres vocata binos eos fuisse convincit. Verum loca allata solum suadent unum eundemque Aggerem a Servio inchoatum, Tarquinium perfecisse: id quod eruditissimus Fabrettus [1] ex ipsamet Græca Halicarnassei phrasi mala fide a Nardino exposita deducit. Adderem ego idipsum clare indicasse Strabonem, cum Aggerem in singulari nominans, *fecerunt*, inquit *& constituerunt* in plurali, perinde ac si diceret eundemmet Aggerem a pluribus factum. Unde mirum sit Strabonem a Nardino in sui favorem adduci; Strabo enim Nardinum jugulat, cum, postquam unius dumtaxat Aggeris *sex circiter stadiorum* meminisset, concludit, *hujusmodi est Romæ munitio*, quibus verbis omne aliud munimen excludit. Illud de porta inter Aggeres ingeniose conciliavit Fabrettus, Viminalem intelligens, quam Strabo *sub medio fuisse Aggere* asseruit.

Relicto ergo cum suo duplici Aggere Nardino, mœnium cursum prosequimur ab Ecclesia S. Eusebii per viam Sanctæ Crucis, cis tamen hoc Templum, ad Portam Cælimontanam, hodie S. Joannis; itaut extra muros relinqueretur tota illa planities, ubi nunc Villa Cultella, Templum S. Crucis, & Ecclesia S. Bibianæ; contra Nardinum, qui priscos muros cum iis, qui exstant, a Porta S. Laurentii usque ad Cælimontanam confundit, tam amplam planitiem mœnibus includendo, aperte contra Halicarnasseum, qui ait, *per abrupta Collium* prisca mœnia excurrisse. A Porta S. Joannis producebatur murus ad Arcum usque illum, per quem nunc aqua Crabra, vulgo *la Marrana*, Romam ingreditur. Hinc ad dextram flectendo per Cælii Montis juga, quibus Matthæiorum Horti terminantur, ad Aventinum Montem pertingebant. Atque hic toto cælo iterum aberravit Nardinus, cum, licet non sine hæsitatione, ad Portam Latinam & alteram S. Sebastiani protulit mœnia; quis enim capiat totam illam planitiem, quæ prædictas Portas, Templumque S Xysti interjacet, muro Urbis clausam, contra Halicarnassei fidem? Præterquam quod ibidem non pauca sepulchra se vidisse testatur Ligorius, quæ certe extra Urbem esse debuerunt: quibus adde lapidem milliarium graphice demonstrantem Portam Capenam nunc S. Sebastiani ad S. Xysti Ædem locandam esse, ut infra.

Mœnia igitur, post Cælium circumductum, Aventinum amplectendo, per imas ejus radices ad Portam S. Pauli, vel paulo cis, perlata, ad dexteram flectendo versus Aggerem Pauli Tertii & Arcum S. Lazari, in angulo, cui Ecclesia Prioratus, alias S. M. Aventinæ imminet, omnino desinebant: ibi enim Tyberis ipse mœnium munere, juxta Halicarnasseum, fungebatur: desiisse vero hic, indicio est lateritius Arcus, sicut & proximus in Aventini crepidine murus e quadrato lapide vetustus, qui jampridem visebatur. Tyberis ripa emensa, inter Pontem *Rotto*, alterumve *di quattro Capi*, (ubi muri portio e quadrato lapide adhuc prostat) assurgens illico murus, & ad dexteram flectens, juga illa, quæ Monasterio Turris Speculorum imminent, (crediderim hanc Tarpejam rupem fuisse) conscendebat: inde ad Aræcæli scalas, iterumque ad Macellum Corvorum, unde itineris nostri initia sumpsimus. Hic est germanus mœnium Servii Tullii gyrus juxta Halicarnassei, Plinii, & Strabonis itinerarium.

Remanet nunc postrema difficultas circa eorumdem mœnium magnitudinem. Quam determinare operosum minime foret; descripto enim eorum circuitu, integrum cuique esset illum mensoriis machinis ad calculum deferre. Sed ecce Plinius [2] novam obscuritatem nobis suffundit inquiens: *mœnia ejus collegere ambitu Imperatoribus Censoribusque Vespasianis anno* 828. *pass.* XIII. M. CC.

Alia

1 L. 3. c. 5. 2 L. 1. c. 7. 3 L. 4. c. 2. 4 L. 1. 5 L. 4. 6 L. 5.

1 De Aquæduct. Diss. 3. n. 254. 2 L. 3. c. 5.

Alia, quæ addit, verba infra dilucidabo. Ex Plinio ergo mœnia Servii XIII. milliaribus procurrebant. Loqui autem de Servii mœnibus Plinium, inde liquet, quod ante Aurelianum, qui longe post Plinium vixit, Servii murum intactum remansisse ostensum sit. Hac non contentus magnitudine Lipsius [1], & cum eo Cluverius [2], numerum XIII. qui in Plinii libris legitur, tamquam corruptum sic reformat, *mœnia collegere ambitu* XXIII. M. Hoc additamento nec etiam expletus Isaac. Vossius legit [3] *pass.* XXX. M. quam vocat *constantem veterum librorum scripturam*; & postea addit, *nisi quod & in vulgatis & in longe pluribus manu exaratis codicibus non* XXX. *sed vero* XIII. *millia & cc. insuper exhibeantur passus*. Quod verum utique est, nam Donatus testatur septem se Vaticanæ Bibliothecæ Codices vidisse, e quibus unus vetustissimus, omnes vero habere XIII. M. Quam varietatem Vossius Scriptorum imperitiæ adscribit, qui Plinii exemplaria depravarunt, Theodosii præsertim tempore, qui proinde anno 15. regni sui novas Orbis mensuras conquiri curavit.

In tanta eruditorum hominum licentia, qui ampliandæ Urbis libidine tot monstra ediderunt, quid dicam? Si Urbem imminuero, Urbis gloriæ videbor cuiquam invidisse: si tam monstrose eamdem exspatiari sinam, veritatis fronti turpem imprimi nævum patiar. At prævaleat, inter hæc, veritatis studium, & tam insolens Urbis magnitudo decurtetur. Quare putaverim, si corrigendus sit Plinii numerus, prima nota tantillum variata, pro XIII. M. reponendum esse VIII. M. Quam cogitationem, quæ nullo mihi duce subvenerat, non sine oblectatione comperii ab erudito Fabretto [4] præoccupatam, sicut mihi jampridem ostendit Marcellus Severolius eruditione non minus ac ingenio quam dignitate illustrissimus, cujus singulari erga me humanitati debeo, si quid in hisce studiis umquam profeci. Quod si descriptum supra mœnium Servii gyrum quis serio metiatur, octo illum milliaria non excedere observabit. Et sane si nunc Romæ circuitus quatuordecim vix attingit milliaria, quantumvis Campum Martium, Collem Hortulorum, Montem Testaceum, Vaticanum &c. comprehendat, quis reformidet asserere Servii gyrum, additamenta hæc excludentem, longe angustiorem fuisse?

Rationes, quæ Lipsii emendationem promoverunt, sunt, quod Halicarnasseus [5] Romam dixerit non minorem Athenis: Athenarum vero ambitus colligitur ex Aristide [6], qui ait itineris diurni latitudinem habuisse; & Thucydide [7], qui Athenis stadia tribuit 178. imo Dio Chrysostomus [8] 200. tum quia Plutarchus [9] Athenas comparat Syracusis, quæ ex Strabone [10] stadia complectebantur 180. quæ omnia fere milliaria 23. conficiunt.

Sed hæc argumenta modicum habent roboris, nam Aristides & Strabo cum Athenis & Syracusis allatam superius amplitudinem tribuunt; verbum addunt, *olim*, ut indicent suo tempore imminutam fuisse: at vero Halicarnasseus cum Urbem Athenis comparavit, Athenas, prout suo tempore imminutæ prostabant, consideravit. His adde Thucydidem Athenarum gyro comprehendisse etiam Murum Phalaricum, Pireæum, Longum Murum, & Munychiam Athenarum suburbia, quæ ab Athenis diversa fuisse Ptolemæus [11] indicat, cum Athenas inter mediterraneas reponit urbes, Pireæum vero & Munychiam inter maritima loca recenset. Clarissime omnium Plinius [12] ait: *Pireæus, & Phalera* V. M. *pass. muro recedentibus Athenis juncti*. Ut stet ergo Halicarnassei comparatio, sicut Romam ipse neglectis suburbiis accepit, ita Athenæ sine suburbiis capiendæ sunt, quarum circuitum ex Strabone colligitur fuisse milliariorum 9. circiter, quæ mensura adamussim congruit Plinii loco a nobis supra emendato, milliarium scilicet 8. Quod si hæc emendatio cuiquam displiceat vulgatæ lectionis tenaciori, dici rursus poterit, aut Plinium in mensura deceptum, non satis perspicue apparentibus Urbis mœnibus, ab ædificiis quippe omnino occupatis, ut testatur Halicarnasseus [1]: aut Turrium exporrectiones & peculiares Capitolii muros in allata mensura ipsum comprehendisse.

Superest Vossii commentum, qui Urbem nostram, supra quam ab aliis effectum sit, ampliavit, ex Plinii textu male a se intellecto. Ait citato loco Plinius [2]: *Ejusdem spatii mensura currente a milliario in capite Romani Fori constituto ad singulas portas efficit pass. per directum* XXX. M. DCC. LXV. *ad extrema vero tectorum cum Castris Prætoriis ab eodem milliario per vicos omnium viarum mensura colligit paulo amplius septuaginta millia passuum*. Super quo Plinii loco mirum est quam ingentem machinam, dicam fortasse melius, speciosum somnium, extulerit Vossius. Cogitavi deliria hæc cachinnis potius excipere, quam serio evertere. Verum cum animadverterim Vossium a nemine hucusque, quod sciam, impugnatum, suaque cæteroqui molimina, ni vera, ingeniosa saltem esse, Jubet his fabellis paulisper immorari.

Ergo fingit Vossius [3] milliarium Lapidem (situs erat hic in capite Romani Fori non longe a Tyberi, ad eumque omnes Italiæ vias terminasse creditur) veluti centrum fuisse, circa quod Romana mœnia semicirculi figura percurrerent, cujus semicirculi chorda, seu potius diameter, foret Tyberis, quippe qui a Lapide milliario, quem centrum ipse constituerat, non longe distabat. Hemicycli hanc figuram Urbi jamdudum a Fabio Pictore traditam ait Vossius. Semicirculi hujus diametrum vult ipse millia passuum comprehendisse 20. itaut a Lapide milliario tamquam centro ad singulas portas, æquali intervallo, (quod proprium circuli est) distantia foret milliariorum 10. qui numerus erat hujus imaginarii Circuli semidiameter. Atque ita opinatur ipse mœnia Urbis ad decimum usque Viæ Ostiensis lapidem prope Ficanam excurrisse, ab opposita vero parte usque pene Nomentum.

Hypothesi hac semel firmata obvium fuit Vossio triginta milliaria a Plinio asserta explicare: cum enim juxta Archimedis regulas circulus habeat triplam pene ad suam diametrum proportionem, & circularis Urbis diameter a Vossio constituta sit milliariorum 20. jam integer circulus milliaria habuisset 60. semicirculus vero 30. juxta Plinii textum. Ad explicanda vero milliaria 70. quæ idem Plinius in posteriori allati textus parte asseruerat, novum commentum comminiscitur Vossius [4]. Statuit ipse quatuor passuum millibus extra mœnia quaquaversum excurrisse suburbia, itaut priori diametro milliariorum 20 alia octo hinc inde accesserint: post quam accessionem, facto iterum calculo, ex proportione tripla circuli ad diametrum, integer circulus fuisset milliariorum 84. semicirculus vero 42. quem vult Vossius fuisse circuitum Urbis cum suburbiis. Cui si addatur diameter, seu Tyberis ripa ab Ostia ad Nomentum, milliariorum 28. integer conficietur Romæ cum suburbiis undique clausæ gyrus milliariorum 70. prout asseruit Plinius. Maximum hoc Urbis incrementum ait Vossius exstitisse sub

1 De magn. Rom. l 3. c.2. 2 Ital. l.3. c.2. 3 De Rom. magn. c.1. 4 Num. 261. 5 L. 4. 6 Orat. Panathen. 7 L.2. 8 Orat. de Tyrann. 9 In Nicia. 10 Lib. 6. 11 Tab.10. Europæ. 12 Lib. 3. cap. 7.

1 Lib. 3. 2 Lib. 3. cap. 5. 3 De magn. Rom. cap.1. & 3. 4 Cap. 5.

A Augusto & Nerone, non vero sub Aureliano, ut nos dicemus infra; Reipublicæ autem tempore mœnia a Tyberi, ex ea parte, quæ Ostiam respicit, ad Anienem usque perrexisse spatio milliariorum 22. magnitudini Athenarum æquali, juxta superiorem Lipsii explicationem: Ab Aniene vero ad Tyberim, ex ea parte, quæ Nomentum respicit, muro caruisse usque ad Augustum, qui illum produxit, semicirculum complens.

Summas debemus ingenioso Vossio gratias, quod Urbem nostram mirum in modum amplificaverit; utinam, ut magnifice, ita & vere; quid enim prodest fucata amplitudo nullis innixa fundamentis, B ruinæque exposita? Ad detegendum Vossii errorem satis essent ea, quibus supra ostendimus a Servio Tullio usque ad Aurelianum ampliatos non fuisse Urbis muros. Accedat his Scriptorum omnium de ingenti hac magnitudine silentium: Plinii vero genuinum sensum mox dabo. Ad hæc, tam vastæ molis nullo apparere in Romano agro vestigium, cum Serviani muri longe vetustioris exstent adhuc rudera. Præterea sepulchrum Cæstii, Mausoleum Augusti, & Moles, seu sepultura Hadriani, quæ utique extra Urbem esse debuerunt, ut in *Dissert. de Sepulchris* dicam, satis indicant ad ea loca mœnia Urbis non pertigisse: Portam Capenam, seu S. Sebastiani, C non ultra Almonem fluvium, hodie *Acquataccio*, exstitisse, testatur Statius [1]: Campum Martium etiam tempore Augusti exrra Urbem fuisse clare asserit Livius [2], aliique: extra Urbem etiam Janiculum ex Tuscanico bello colligitur; Etrusci enim Janiculum occupantes, extra Urbem adhuc erant. Sed quid plura commemoro? Exspectentur quæ dicam paulo post de Aureliani muri amplitudine.

Sensus Plinii est, omnium viarum ductus a milliaria Columna ad Portas usque una collectos milliaria 30. perfecisse: viarum vero universæ Urbis flexuosas mensuras & gyros milliaria complevisse 70. Quod satis aperte Plinius ipse indicat dicens, D *per vicos omnium viarum mensura colligit paulo amplius* LXX. M. *pass.* Ex quibus apparet numerum hunc non ex mœnium circuitu, sed ex vicis omnium viarum a Plinio collectum.

Quis enim, dum sanus sit, sibi persuadeat in Urbe Roma, quam Strabo *non delectum, sed necessitate conditam* ait *sine ulla lege, prout loci opportunitas ferebat*, tam certam exactamque rotunditatem statuere voluisse Plinium, ut ad mathematicas leges Roma devecta exactas circuli ad diametrum proportiones valeat reddere, sicut Vossius effinxit? Quid quod circularis Vossii figura, æqualisque a milliaria E Columna ad Portas distantia, Urbi minime congruat oblongæ potius, imo & irregulari, sinuosæ, & laciniosæ, montium scilicet flexuris & anfractibus se accommodanti? Abeat ergo cum suis imaginariis circulis male circinatum Vossii caput, & Romana amplitudo extra fabellarum fines stet.

SECTIO SECUNDA.

De Mœnibus Aureliani, & deinceps, ad nostra usque tempora.

F Circumscriptis in huncce modum Servii mœnibus, iisdemque a plurimorum injuria vindicatis, impræsentiarum Aureliani murus perlustrandus est, cum dictum superius sit ad hunc usque Imperatorem antiquum murum illibatum stetisse. Quapropter operæ pretium minime est, ut alias mœniorum ampliationes Servium inter atque Aurelianum, sicut facit Panvinius, & Donatus, consideremus, quippe quas imaginarias omnino esse demonstravimus.

1 Lib. 5. Sylv. 2 Lib. 2.

Imperatorem Aurelianum mœnia Urbis propagasse, certo certius est plurimorum auctoritate, quicquid effutiat Vossius nullo innixus fundamento. Tria vero circa hanc propagationem, sicut in muro Servii Tullii præstitimus, investiganda sunt. Primo horum mœnium amplitudo, secundo situs, tertio, an eadem cum iis, quæ nunc exstant, fuerint, quoad gyrum invariata. Incipiamus a postremo, sicut etiam supra observavimus, cum hoc sit reliquorum basis. Flavii Vopisci [1] sententia esse videtur, murum Aureliani ab eo, qui nunc est, diversum fuisse, cum eidem L. M. pass. circuitum attribuerit, ea vero quæ supersunt mœnia vix XIIII. M. æquent. Rem tamen serio consideranti aliter res apparebit his rationibus. Nam Aurelianus Urbem novo muro cinxit, ut eam validiorem redderet contra hostium insultus: tempore enim antecessoris sui Gallieni triginta Tyranni Romam invaserant: tam portentosa autem amplitudine, cui tuendæ infinita propemodum militum multitudine opus fuisset, infirmatam potius reddidisset Aurelianus. Audiatur insuper Eutropius [2], qui de hoc Imperatore ait, *Urbem muris firmioribus cinxit*: nulla tam vastæ amplitudinis facta mentione, quam certe, utpote extra ordinarias metas, prudens Historicus minime siluisset. Pendantur præterea Sexti Aurelii verba sic de eodem inquientis: *Ne umquam, quæ per Gallienum evenerant, acciderent, muris Urbem quam validissimis laxiori ambitu circumsepsit*: ubi significantiori phrasi muri validitatem quam laxitatem exaggerat. Accedat his, tantæ amplitudinis nullum in proximis agris apparere vestigium; quod si adspicere potuissent ii Scriptores, quibus e longinquo res Romanæ majores visæ sunt, in aliam certe sententiam ivissent. Ad hæc, P. Victor colligens singularum Regionum distributive, ut cum Schola loquar, sumptarum gyros, ait fuisse pedum 210995. qui, juxta Plinii regulam, passus conficiunt 42200. Si ergo distributive acceptæ vix milliaria 43. constituebant, quam summam constituent, si collective capiantur, cum ex mathematica demonstratione in quolibet circulo longe minor sit integra exterior peripheria, quam omnium figurarum circulo inscriptarum?

Adde his, non apparere a quonam tam eximia mœniorum vastitas decurtata fuerit. Ab Aureliano enim usque ad Honorium, toto annorum 257. spatio hostiles incursiones Urbs nusquam passa est. Alaricus & Gensericus mœnibus pepercerunt, prædæ solum inhiantes; a fortiori Odoacer & Theodoricus, qui Romæ solium figere decreverant: repararunt ipsi quinimo, ut *Dissert.* 2. dictum est. Totilas *muri quidem in partibus multis tantum diruit, quanta tertia pars totius esset*, ut ait Procopius [3], sed Bellisarius eos statim restauravit: quod vero eosdem minime angustarit, clare, nisi fallor, idem Procopius testatur de Bellisario inquiens: *Cumque non posset eam mœnium partem, quam Totilas diruerat, brevi instaurare, lapides, qui in proximo erant, in unum coacervatos, nullo ordine componebat*. Ubi notandum *restaurata* dici mœnia, non angustata. Item si lapidibus, qui in proximo erant, e ruinis scilicet superstitibus, usus fuit Bellisarius, consentaneum rationi est, ut dicamus in eodem ipsum situ muros refecisse, alias non lapides, *qui in proximo erant*, sed e longinquo perductos Bellisarium adhibuisse scripsisset Procopius, quem ita concludentem audiamus: *per dies* 15. *quod muri fuerat per Totilam disturbatum reficitur*. Quæ ergo fuit hæc angustatio, quam plerique Bellisario attribuunt, *si quod muri fuerat disturbatum*, tertia scilicet pars, refectum est? Muro enim decurtato jam non illud ipsum, quod disturbatum fuerat, tertia nimirum pars, re-

1 In Aurel. 2 Lib. 9. 3 Lib. 3. de Bell. Got.

fectum fuisset. Et tandem Gregorius [1] prophetiam adducit almi Patris Benedicti prædicentis Romam a Gentibus minime exterminandam, sed in semet-ipsa marcituram: id quod vere accidisse testatur Gregorius, *ædificia*, inquiens, *longo senio laxata, quia ruinis crebrescentibus prosternantur &c.* Nulla ergo imminutionis fit mentio, sed solum desolationis.

Aliam adducit rationem non contemnendam Donatus [2] ab autopsia pene ipsa petitam. Circumeunti etiam mœnia Urbis, quæ nunc extant, identitas, ut sic dicam, eorum cum antiquis statim apparet. Incipiamus, inquit ipse, a Porta Flaminia, hodie *del Popolo*; quam in eodem pene situ fuisse Procopius [3] indicat, cum ait Vitigem Gothum ad Pontem (de Milvio certe intelligit) quatuordecim stadia ab Urbe distantem accessisse: quæ distantia etiamnum servatur. Idem ex conflictu Constantini & Maxentii ad eundem Pontem facto colligitur, de quo Eusebius ait [4], *Deus ipse Tyrannum longissime a portis extrahit*: tunc ergo *longissime* etiam, sicut nunc, Pons Milvius ab Urbe distabat. A Flaminia versus Pincianam eunti murus obliquus apparet, vulgo *Muro torto*, quem a Bellisarii temporibus eundem in modum exstitisse testatur Procopius: credentibus vero tunc Romanis eam scissuram a B. Petro munitam, *nec resarcire imposterum quisquam ausus est*, ex eodem. Mœnia Salariæ Portæ ibidem olim fuisse, inde colligitur; nam Templum S. Susannæ fuerat ejusdem Divæ ædes, hæc vero ad Hortos Sallustianos, Horti ad Portam Salariam [5], igitur hæc Porta ætate Sanctæ Susannæ, nempe sub Diocletiano, a prædicto Templo non longe aberat, sicut etiam nunc eidem proxima est, interjectis tantum Sallustianis Hortis. Muros Portæ Piæ non alibi fuisse locatos inde colligitur; nam Templum S. Agnetis post primum erat ab Urbe lapidem, Constantini etiam tempore [6], quæ distantia hodieque servatur. Castrum Prætorium, quod post Portam Piam visitur, muros ibi ulterius non processisse aperte demonstrat. Templum S. Laurentii a Constantino conditum antiquis etiam temporibus dictum est *extra muros* [7]. Extra Portam Majorem prope S. Crucis Templum vetus Ædes apparet, ab Antiquariis Veneris & Cupidinis credita, quam P. Victor non longe a Porta Majori locavit eodem, quo nunc exstat, situ. Portam Latinam in eodem stare vestigio, S. Joannis ædicula, vulgo ante Portam Latinam testatur. Templum S. Sebastiani tempore D. Gregorii post secundum ab Urbe milliarium, ut etiam hodie, locatum erat: ait enim ipse [8]: *quædam Sanctorum corpora usque ad secundum Urbis milliarium ducta ad locum, qui dicitur ad Catacumbas*. Templum S. Pauli a Constantino erectum Procopius [9] ait *distasse a mœnibus stadiis 14.* hodieque totidem distat. De Transtyberina Regione idem liquet ex Portæ Portuensis structura, cum inscriptione Arcadii & Honorii.

Argumentum hoc Patris Donati, & ut ita dicam, ocularis inspectio, sua energia non caret. Instare tamen posset quispiam nullum adhuc habere roboris, eo quod Auctores ab ipso citati de Constantini solum temporibus loquantur. Unde ad summum colligi inde posse videtur, Constantini temporibus murum Urbis eandem, quam nunc habet, amplitudinem obtinuisse: non vero necessario infertur ejusdem etiam magnitudinis ab Aureliano exstructum fuisse. Quid enim vetat, ne dicamus mœnia sub Aureliano amplissima, imminuta postea fuisse toto eo tempore, quod Aurelianum & Constantinum inter fuit? Instantiam hanc Donatus non prævidit. Vim tamen sui argumenti minime infringit. Qui enim ajunt abbreviata fuisse mœnia Aureliani, a Justinia no utique inquiunt abbreviata, cum nonnisi post tot Urbis invasiones, imminutis Civibus, minori ambitu opus esset. Nemo autem asseruit ante Constantinum Urbis circuitum fuisse decumatum, tum quod nulla hujus tunc fuerit necessitas, invasionibus omnino quiescentibus; tum quod Aurelianum & Constantinum 31. dumtaxat anni intercesserint. Si ergo Constantini temporibus mœniorum circuitus idem ac nunc exstabat, semper talem fuisse, etiam sub Aureliano, credendum est.

Sed quid reponemus ad Flavium Vopiscum? Vossio enim, Cluverio, & Lipsio supra satisfecimus. Suspicatur Donatus, imo etiam Vossius, eum Vopisci locum corruptum esse: Blondus sentit Vopiscum suburbia etiam comprehendisse: Nardinus notat additam fuisse a Vopisco particulam, *prope*, quæ incertitudinem sonat. Credunt nonnulli Vopiscum rumore vulgi deceptum, qui res solet ut plurimum amplificare, eas præsertim, quæ nequeunt unico mensurari obtutu. At ego consentanee ad ea, quæ supra, Plinii textum explicaturus, asserui, dicerem nihil aliud Vopiscum intendisse, quam, mensura a milliaria Columna ad Portas recurrente, & muros circumeunte, adjectis etiam vicis, collecta fuisse milliaria 50.

Quoad secundum postulatum de mœniorum Aureliani magnitudine, paucis me expedio. Stabilito enim semel ea mœnia eadem cum nostris fuisse, consectarium est, ut dicamus illa, 14. milliaria non excessisse, tanta enim eorum, quæ nunc exstant, comperta est amplitudo. Circa situm Aurelianei muri non est cur diu immoremur, nostro enim, cuique obvio, semel explorato, antiquum etiam illum compertum habebimus. Latas implet paginas Nardinus, ut indicet singula, quæ Aurelianus Urbi adjecerat, suoque circumdederat muro, sed frustra; cum enim mœniorum Aureliani gyrus, idem quippe cum nostro, notus jam sit, circuitum insuper mœniorum Servii Tullii ex superius dictis perspectum habeamus; jam Aureliani additamentum clarissime nobis occurrit, eritque totum illud spatium, quod Servii muros, & Aureliani, scilicet nostros ipsos, interjacet: cum enim circulus minor majori inscribitur, diversitas utriusque areæ erit portio illa, quæ inter majorem minoremque circulum mediat, ut, vel sine mathesi, oculus ipse dignoscit. Ne tamen quoad hanc etiam partem quicquam deficiat, dico Aurelianum imprimis versus Portam Sancti Laurentii, & Majorem, nonnihil addidisse. Item versus Marranam, ubi murus angulum extrinsecus facit, totam illam planitiem, quæ inter Templum S. Xysti & Portas Latinam & S. Sebastiani jacet, muro inclusisse. Versus Portam S. Pauli Montem Testaceum mœnibus circumdedit cum tota sua, cui prostat, planitie. Erant hic olim Vasariorum officinæ, ut proximi Tyberis aquis suæ arti necessariis fruerentur: e fractorum vero vasorum testis Mons Testaceus inde dictus coaluit. At maxima omnium fuit additio Campi Martii. Quid nomen istud sonet dubium est. Sentiunt aliqui totam eam Planitiem complecti inter Colles & Tyberim. Alii angustiorem faciunt, eo quod ea planities prata etiam Flaminia comprehenderet. Alii e contra illum usque ad Pontem Milvium extendunt. Sed magis placet prior usurpatio innixa auctoritati Halicarnassei [1], qui ipsum ait *situm Urbem inter & fluvium, Marti sacratum, equis & juventuti in armis exercendæ accommodum*, cum antea Tarquiniorum fuerit, de quo alibi sermo redibit. Addidit insuper Aurelianus Collem Hortulorum, ubi hodie Templum SS. Trinitatis prominet, qui prius extra Urbem fuerat.

1 Lib.2. Dial. c.15. 2 Lib. 1. c.17. 3 Lib. 1. 4 Lib.1. c.33. in Const. 5 Bar. anno 294. 6 Pompon. Lætus in Vit. Gall. 7 Prud. l. 9. 8 Lib.3. epist. 30. 9 Lib. 2.

1 Lib. 5.

Post Aurelianum vix quicquam ultra Urbi adjectum est. Constantinus diruto Castro Prætorio, relictoque extimo dumtaxat muro, hoc ipso Urbis ambitum ampliorem fecit. Castrum Prætorium exstitisse non longe a Porta, quæ nunc dicitur Pia, exporrectio illa quadrata extra ordinem murorum, quæ adhuc visitur, clare demonstrat. Castrum hoc, ut & alia, exstruxit Tiberius monitu Sejani Prætoriis Cohortibus Præfecti [1]. Translato per Constantinum in Thraciam Imperio, imminui potius quam ampliari cœpit Urbis murus. Honorius & Arcadius illum instaurarunt. Post Gothicam illuvionem collapsa mœnia refecit Theodoricus ex Amphiteatri marmoribus, quæ a Senatu ipse petierat. Idem præstiterunt Bellisarius & Narses post Vitigis & Totilæ vastationes, ut in *Dissert*. 2. Eamdem operam impigre navarunt Romani Pontifices, Gregorius II. a Porta S. Laurentii murum restituit. Idem præstitit Gregorius III.& Hadrianus I.[2], Postmodum Leo IV. quindecim turres muro adjecit: eam quoque Urbis partem, quæ hodie *Borgo* appellatur, veteri muro producto, qui circa Molem Hadriani & Xenodochium S. Spiritus tantum protendebatur, mœnibus Urbis inclusit, dictaque est Urbs Leonina, quam Corsis habitandam dedit, ut Saracenis resisterent, qui jampridem Apostolorum Basilicam invaserant [3]. Callixtus II. muros collabentes refecit. Item Clemens III. Gregorius IX. Urbanus V. Martinus, & Nicolaus V. Pius, & Paulus II. Sixtus IV. Alexander VI.[4]. Molem Hadriani Bonifacius IX. munivit, & in arcem primus mutavit: cui Alexander VI. Propugnacula, Fossam, & Aggeres addidit, sicut & Paulus IV. at Paulus III. ingentem in Aventino munitionem inchoavit. Non dissimiles fuerunt Julius II. & III Clemens VII. Gregorius XIII. & XV. Xystus, & Paulus V. Urbanus VIII. & Innocentius X.

SECTIO TERTIA.

De aliis ad interiorem Urbis descriptionem pertinentibus.

UT coronidem huic *Dissertationi* imponamus, reliqua omnia ad Topographiam Urbis spectantia curiose lustranda sunt. At primo quidem ea, quæ intra Urbem, ut inde ad exteriora expeditius progrediamur. Hic autem mœnia ipsa Portas Urbis statim nobis ob oculos ponunt. Quas tamen si juxta Antiquariorum leges prosequi vellemus, spes omnis abriperetur tam cito Urbe egrediendi: diu enim Portarum inspectioni insistendum nobis foret, adeo plura eaque tricis atque ambagibus plena sunt, quæ de Romæ Portis a Scriptoribus circumferuntur, ut illas dixeris densissimis tenebrarum velis obductas, omninoque obseratas. Quare illud nobis propositum est, relictis inanibus vitilitigationibus, probabiliora solum in medium afferre, ipso oculo & judicio ducibus: cum animadverterim ab Antiquariis, Donato præsertim & Nardino, sæpius Tulliani muri Portas cum recentioribus Aureliani recinctus confundi. Præterquam quod cum ipsi antiquæ Urbis mœnia satis dilataverint, in Portarum etiam situ lapsos quandoque fuisse necesse est.

Incipiamus vero ab Urbe ipsa quadrata Romuli. Habuisse ipsam tres ad summum Portas testatur Plinius [5] inquiens: *Urbem tres Portas habentem Romulus reliquit*. Scio longe plures apud Varronem [6] & Festum reperiri, Mugoniam scilicet, Trigoniam, Pandanam. Romanam, Romanulam, Liberam, Carmentalem, Janualem &c. Existi-

A mandum tamen est unam eandemque Portam pluribus nominibus insignitam, ut diversitas solis vocibus insit. Prima fuit Romanula prope Velabrum, non longe a Divi Theodori Æde: eaque est, quam Livius veterem Palatii Portam appellavit. Secunda fuit Mugonia in altero Palatini latere, non procul ab Arcu Titi: quod inde colligitur, nam Ancum Martium, quem ad Portam Mugoniam ædem habuisse testatur Varro [1], ad Arcum Titi habitasse, *Dissert.* sequenti ostendam. Tertia Trigonia Mugoniæ opposita versus Circum Maximum collocanda est. Addi solet Pandana, quam non inepte Nardinus [2] non Urbis, sed Capitolinæ Arcis Portam existimat. Post adjectum Urbi Capitolium
B Romanula, quæ illum respiciebat, inutilis prorsus remansit, duabus tamen reliquis immutatis. Novæ hujus additionis Portæ fuerunt Carmentalis & Janualis: prior quidem ad radices Capitolii versus Tyberim non longe a Montanario Foro, itaut Marcelli Theatrum, sicut Festus ait, extra eam fuerit. Secunda vero a Macrobio [3] in radicibus Viminalis constituitur: a Nardino autem, qui secundi hujus Urbis recinctus terminos nimis avare restrinxerat, prope Sanctæ Martinæ Ædem collocatur. Mihi vero juxta superius exposita creditur Ja-
C nualis Porta exstitisse in Capitolini radicibus ad Macellum Corvorum, quo mœnia post Sabinorum fœdus produximus: dubio enim procul aliqua hic esse debuit, ut mox subnectam.

Sed age jam investigemus Servii Tullii Portas. Atque hic primo occurrit satis perplexus Plinii [4] locus, qui de Portis inquit: *quæ hodie sunt numero* 37. *itaut duodecim semel numerentur, prætereanturque ex veteribus septem, quæ esse desierunt*. Quorum verborum ambiguitas Antiquarios in varias coegit abire sententias. Lipsius hæc verba præteriit, cum tamen omnes Vaticani Codices eadem exprimant. Panvinius legit 34. Marlianus [5] 24. Dona-
D tus [6] Plinium explicans ait: *Portas duodecim semel numerandas idem esse, ac pro una habendas*: unde si septem prætereantur, quas desiisse ait Plinius, solæ supersunt 19. id quod consentire ait Donatus cum verbis Procopii, qui Urbis Portas quatuordecim, Portulasque alias quasdam admisit. Sed vero sensatissime omnium se gessisse mihi videtur Nardinus [7], qui Plinii mentem ita declarat, ostendendo plerasque in Urbe Portas Jani nomine fuisse appellatas, præsertim Carmentalem, de qua Livius, *a dextro*, ait, *Jano Portæ Carmentalis profecti &c.* Cujus appellationis causa ea fuit, quod hujusmodi Portæ duplices forent ad modum porticus, duplicique ostio prædi-
E tæ, ut dicam *Dissert. de Foris*: cujusmodi erat antiquior Porta Portuensis, item Sancti Pauli, & Major. Ex his facilis evadit Plinii mens, qui ad duplices hasce Portas respiciens ait, *itaut duodecim semel numerentur*, ne scilicet, cum duplices essent, pro viginti quatuor acciperentur. Ex quibus consequitur non bene sensisse Donatum, cum voluit, juxta Plinii mentem, duodecim Portas pro una habendas. Altera etiam superest Pliniani textus difficulas, utrum scilicet ex ipsis triginta septem Portis veteres septem, quæ esse desierunt, subtrahi debeant, sicut opinatur Donatus, an vero præter has septem, quæ non adhuc exstabant, superstites etiam fue-
F rint 37. Qua in re in Nardini etiam sententiam pedibus eo, qui posteriorem hanc partem ex ipsismet Plinii verbis satis ingeniose tuetur. Quare Auctor hic, qui in superioribus sæpissime mihi displicuerat, non sine laudis encomio prætereundus modo est. Quod vero minime omnium exstet memoria, temporis cumprimis culpetur ingluvies, insuper ejus ævi Scriptorum oscitantia: nonnullæ

1 Tac t. l.4. 2 Anast. in Vit. 3 Plat. in Vit. 4 Ciacc. in Vit. 5 Lib.3. c.5. 6 Lib.4. de L. L.

1 L.1. de Vit. Pop. Rom. 2 L.1. c.3. 3 L.1. Sat. 4 L.3. c.5. 5 L.1. c.6. 6 L.1. c.21. 7 Lib.1. c.9.

etiam impoſterum ſublatæ ſunt; quare Procopii tempore 14. dumtaxat durabant.

Ut Portas ipſas Serviani muri ſingillatim deſcribam, a radicibus ipſas Capitolini, quem Servius Urbi addidit, exordium duco. Inter Macellum Corvorum & Trajani Columnam debuit certe Porta aliqua ad proximam Viam Latam egreſſum parare. Donato creditur Ratumena; Nardinus nihil proſus determinat; alii aliter ſentiunt. Mihi vero juxta ſuperius dicta hic collocanda creditur Janualis, quam Romulus ipſe, addito Capitolino, conſtituerat: poſt adjectum enim a Servio Quirinalem, hęc eadem Porta, priori ſitu retento, vel paululum immutato, inutilis haud remanſit. In rupibus Quirinalis uſque ad Portam Salariam quænam exſtiterit Porta, adhuc obſcurum. In Quirinali Salutarem locat Nardinus, necnon Catulariam, ſed nullo fulcro. Ubi nunc exſtat Salaria creditur ſita fuiſſe Collina, at magis introrſum verſus Villam Mandoſiam, ubi Serviani muri terminum ex ea parte conſtituimus. Porta Pia ſucceſſit in locum Nomentanæ, quam Livius Figulenſem vocat: hæc tamen ante Aureliani dilatationem proximior erat Diocletiani Thermis, cum ulterius non protenderetur Servii Tullii Agger. De Porta inter Aggeres valde certant Antiquarii. Sed vero ex dictis conſtat eam fuiſſe Viminalem, hinc inter Aggeres appellatam, *quod in medio eſſet Aggeris*, ut ex Strabone & Fabretto ſupra demonſtravimus. Non minorem excitavit controverſiam Porta Eſquilina, de qua videatur Nardinus, Marlianus, & Panvinius, profuſi non magis quam confuſi. Nos juxta ſuperiorem Serviani muri productionem, illam collocamus ante Sancti Euſebii Ædem, quo terminari diximus Servii Aggerem, quem ab Halicarnaſſeo inter Collinam & Eſquilinam vidimus conſtitutum. Porta Nævia confunditur vulgo cum Majori; ſed male, cum eouſque non pertigiſſe Servii murum oſtenſum ſit; unde illam inter Eſquilinam & Cælimontanam conſtituerem, nec fortaſſis incongrue intra Alterianos Hortos, per quos antiqua mœnia produximus. Cælimontana eadem fuit cum illa, quam dicimus Sancti Joannis. A Procopio [1] nuncupatur Aſinaria, quam appellationem inde ſortitam ait Fulvius [2], quod per eam ingrederentur Neapolitani: at ego crederem denominationem hanc Aſinariæ ab ipſomet Fulvio Cælimontanæ inditam. Sed excluſis jocis, vere hoc nomen habuit vel ab Hortis Aſinii Pollionis, ut credit Donatus, vel ab Aſinio Gallo inſtauratore. Portam Metrodii, cujus meminit Gregorius [3], opinor fuiſſe illam, prope quam aqua Crabra, vulgo *la Marrana*, Romam ingreditur. De Latina fruſtra differit Nardinus, eo enim non producebatur Servii murus. Capenam, hodie S. Sebaſtiani, ad Ædem Sancti Xyſti exſtaſſe dictum eſt: atque indicio eſſe poteſt Milliarius Lapis ſignatus numero I. ſeu milliarii unius, in vinea Nobilium de Naris repertus, hodieque in Capitolio expoſitus, e qua retrocedendo ad Sancti Xyſti Ædem mille paſſus adamuſſim explentur. In Montis Aventini crepidine ad ſummum exſtitit Lavernalis. De Porta Trigemina, nunc Sancti Pauli, dubitari ſolet, an eadem fuerit cum Oſtienſi. Negat Nardinus [4], & Fabrettus [5], qui illam potius cum Navali confundit. Sed relicto nomine, ad ſitum quod ſpectat, a Panvinio juxta Scholam Græcam collocatur, quod tunc temporis Aventinus extra Urbem foret, a Claudio poſtea Pomerio incluſus. Denſiſſimus ſane error ex confuſione Pomerii cum mœnibus ortus: licet enim Aventinus ante Claudium extra Pomerium fuerit, a Servio tamen muro Urbis ſeptum fuiſſe oſtenſum nobis eſt ſupra. Quare non reformido

1 Lib. 1. de Bell. Got. 2 Lib. 1. cap. 17. 3 Lib. 9. epiſt. 69. 4 Lib. 1. c. 9. 5 De Aquæduct. Diſſ. 3.

Portam Trigeminam in eodem, vel paululum diverſo, quo nunc exſtat, ſitu collocare, Tyberi tamen aliquantulum propinquiorem. Prope hunc erat Flumentana, quam neſcio quo judicio inter Capitolinum & Quirinalem conſtituerit Donatus [1], cum ipſemet paulo ante dixerit: *hæc ab Antiquis Flumentana dicta eſt, quod Tyberis partem ea fluxiſſe affirmant*; quis enim ita deſipiat, ut Tyberim inter Capitolinum & Quirinalem fluxiſſe exiſtimet? Poſt Flumentanam ſequebatur Carmentalis una ex antiquioribus adhuc ſuperſtes. Tarpejæ rupis abrupta Portis carere debuerunt ad Macellum uſque Corvorum, unde iter noſtrum incepimus. Innumerabiles alias omitto hujus antiqui muri Portas, ſeu potius innumerabilia Portarum nomina, ne paginas impleam verbis, & mentes legentium umbris. Videatur Panvinius, & Marlianus, quibus magis lubuit Portas Urbis contemplari, quam Urbem ipſam. Fateor hic me univerſo Topographorum Urbis torrenti opponi: id vero non contradicendi œſtro, ſed ut ſapientiores ad meliora depromenda provocarem: a quibus dum emendationem exſpecto, palinodiam non tam pudoris quam profectus plenam præparo.

Aureliani recinctus novas Portas minime opus eſt ut conſideremus: nam oſtenſo ſemel ejus gyri ambitum adhuc ſupereſſe, Portas etiam eaſdem cum iis, quæ hodieque exſtant, fuiſſe neceſſe eſt. Dilatato muro multas paſſæ ſunt antiquæ Portæ variationes. Addito enim Campo Martio, ſublata Januali ad Capitolini radices ſita, ſubſtitui cœpit Flaminia, hodie *del Popolo*. Ob additionem Montis Pincii aperta eſt Pinciana, quæ vulgo exiſtimatur Collatina, refragante tamen Nardino. Porta Salaria, ampliato illic muro, ulterius proceſſit: ſicut etiam Nomentana hodie Pia, necnon Eſquilina nunc *di San Lorenzo*, pariter Nævia, hiſce temporibus *Porta Maggiore*. Latas ſcio impleri paginas ab Antiquariis, præſertim Nardino, ad veſtigandum, num vere Porta Major fuerit antiqua Nævia, ſicut Eſquilina eadem cum S. Laurentii, Nomentana cum Pia &c. ſed cur vocibus immorandum, cum ſitus ipſos ſtudioſe venandi onus nobis incumbat? Quare conſultius erit hunc pedibus & judicio, voces vero ſolis oculis apud Calepinos, Amaltheas, & Nizolios explorare. Ad rem, & in viam. Immota permanſit Cælimontana. Addita fuit Latina poſt adjectum Urbi Cæliolum. Proceſſit ultra Capena ubi hodie Porta Sancti Sebaſtiani. Cincto muris Teſtaceo modicam variationem paſſa eſt Porta Trigemina. Ab altera Tyberis ripa conſtituta fuit Portuenſis paulo ulterius ac nunc viſitur: Urbanus enim Octavus Urbis murum ab ea parte reſtrinxit. Acceſſit Porta Aurelia, Panvinio Janiculenſis, vulgo *di S. Pancrazio*. Septimiana, vel quod ſubtus Janum, vel a Septimio Severo ita appellata, etiam inter novas recenſenda eſt, quidquid ſomniaverit Panvinius. Poſt additam Leoninam Urbem alias etiam Portas apparuerunt Romani Pontifices Leo IV. aliique nonnulli.

Prolixam inſtituunt Diſſertationem de Porta Triumphali Donatus & Nardinus. Sed ego paucis hanc rem expedio. Olim Triumphalis erat Capena, extra quam erat Martis Templum, & Senaculum, ubi Senatus iis concedebatur, qui triumphum poſcerent. Cum poſtea frequentari cœpiſſet Campus Martius, Triumphalis Porta evaſit Janualis, e qua ad Campum Martium patebat aditus: unde legimus triumphaturis Senatum in Circo Flaminio, qui erat in Campo Martio, dari ſolitum. Tandem poſtquam Aurelianus mœnia juxta Tyberim dilatavit, ſublata Janiculari, cœpit triumphalis pompa per novam Portam in

1 Lib. 1. c. 11.

triumphali Ponte erecta, Triumphali imposterum appellata, perduci. De Triumphali autem Ponte dicemus paulo postea; sicut de universo hoc argumento nonnulla etiam redibunt *Tom. 3. Dissert. de Triumphis*.

Antequam e Portis egrediamur, septem Urbis Colles perlustrandi sunt. Palatinus quadratæ Urbis basis, antea Palantium, postea Palatium, *quod Palantes cum Euandro in eo habitarint*, ut ait Varro [1]; *vel a pecorum balatu, quasi Balantium*, ait Festus; vel quod pecudes ibi palare, id est, errare solerent, juxta Ovidii explicationem. Proximus ei est Capitolinus ita dictus, quod, cum fundamenta Templi Jovis ibi foderentur, hominis caput (quem Tolum appellatum fuisse scribit, nulli tamen Veterum innixus, Arnobius) repertum sit; antea enim dicebatur Saturnius, & Tarpejus; sicut laudatus refert Varro. Duas habet summitates, quarum una versus Tyberim Saxi Tarpeii nomine vocata, hodieque *Monte Caprino*, ubi Arcem struxit Romulus [2]; altera versus Quirinalem, ubi Ædes nunc Aræcæli, quæ absolute Capitolii nomine insignita est, ut potior Antiquariorum pars apud Fulvium adstruit. Ad alterum Palatini latus assurgit Cælius, cui nomen dedit Cælius Vibellus Tuscorum Dux, qui Romulo contra Sabinos suppetias tulit, ut testis ibidem Varro. Ad Meridiem Palatino jungitur Aventinus, *a Rege Aventino Albano, quod ibi sit sepultus, vel ab avibus, vel ab adventu hominum, quod commune Latinorum ibi Dianæ Templum sit constitutum*, nominatus, sicut etiam ait Varro. Ad radices Capitolini incipit Quirinalis, antea Salutaris, Mutialis, Latiaris, & Agon, postea a Templo Quirini, vel a Quiritibus eo commigrantibus, Quirinalis, hodie *Monte Cavallo*, a duabus marmoreis statuis Alexandri Magni Bucephalum domantis, quas Constantinus Alexandria Romam transtulit. Habet hic ab Ortu Esquilinum & Viminalem. Prior ex pluribus constans collibus nomen sumpsit, *quod excultus fuerit a Rege Tullo*, ut inquit Varro. Hic vero mons est omnium amplitudine maximus. Viminalis *vel a Jove Viminio, quod ibi aræ sunt ejus; aut quod ibi viminet a fuerunt*, cum eodem Varrone loquor, *seu viminum sylva*, ut explicat Festus. Atque hi sunt septem celeberrimi Urbis Colles: quatuor alii sequuntur minus illustres. Collis Hortulorum a proximis Hortis Sallustianis, alias Pincius a Pinciorum domo, hodie *la Trinità de' Monti*. Cæliolus prope Cælium, ubi nunc Porta sita est Latina. Janiculus in Transtyberi ita dictus, quod ibi habitaverit Janus, hodie *Montorius*, seu Mons aureus a flavis arenis, sicut e suo cerebro statuit Panvinius. Tandem Vaticanus, qui olim extra Urbem, a Vaticano Deo denominatus, ut indicat Varro. De Citorio aliisque minoribus Collibus dicam alibi.

E Collibus importunum minime erit ad Fontes digredi, quibus olim Roma, ante advectas e longinquo exteras aquas, irrigabatur spatio annorum CCCCXLI. Primus enim omnium Appius Claudius Censor cognomen Cæcus anno CCCCXLII. aquam Claudiam Romam corrivavit, ut in *Dissert. de Aquæduct.* dicam. Ante id temporis Urbs in montibus collocata modicis, quos mox adnectam, Fontibus contenta fuit. Aqua Mercurii Nardino creditur ad radices Cælii, vel Aventini, scaturiisse: ast alium etiam Nardino invisum Mercurii Fontem extra Portam Capenam insignem, cujus aquis religiose ablui mercatores solerent, alibi ex Ovidio indicabimus *Tom. 3. Dissert. de Festis*. Stagnum Juturnæ e crepidine Palatini versus Romanum Forum manabat: ex eadem Fons Lupercalis a Lupercalium caverna ita appellatus. Aquæ Lautulæ e radicibus Capitolii ad idem Forum profluebant. Fontes Pici

1 Lib. 4. de L. L. 2 Plut. in Cam.

A & Fauni e spelunca quadam sub Aventino orti tanquam religiosi habebantur. Accedebat his Almon parvus fluvius, hodie *Aquataccio* extra Portam Capenam. Fons Ægeriæ, sicut etiam Petronius, non magnæ erant utilitatis, quod ab Urbe distarent. Non deerant putei & cisternæ, ut in *Dissert. de Domibus*. Aqua etiam Tyberis usui erat, ut mox addam.

Ab aquis gressum facio ad Cloacas aquarum receptacula. Earum structura, licet minor cuiquam videatur, tantæ tamen fuit magnificentiæ, ut Halicarnasseus [1] pronunciaverit: Ἔγωγ' οὖν ἐν τρισὶ τοῖς μεγαλοπρεπεστάτοις κατασκευάσμασι τῆς Ῥώμης, ἐξ ὧν μάλιστα τὸ τῆς ἡγεμονίας ἐμφαίνεται μέγιστον, τάς τε τῶν ὑδάτων ἀγωγὰς τίθεμαι, καὶ τὰς τῶν ὁδῶν στρώσεις, καὶ τὰς τῶν ὑπονόμων ἐργασίας, οὐ μόνον εἰς τὸ χρήσιμον τῆς κατασκευῆς τὴν διάνοιαν φέρων .... ἀλλὰ καὶ εἰς τὴν τῶν ἀναλωμάτων πολυτέλειαν, ἣν ἐξ ἑνὸς ἔργου τεκμήραιτ' ἄν τις .... ἀμεληθεισῶν ποτε .... τοὺς Τιμητὰς τὴν ἀνακάθαρσιν αὐτῶν χιλίων μισθῶσαι ταλάντων. *Mihi sane tria magnificentissima videntur, ex quibus maxime apparet amplitudo Romani Imperii, Aquæductus, Viæ stratæ, & hæ Cloacæ: reputanti non solum utilitatem ..... verum etiam impensarum magnitudinem; quam vel hinc licet conjicere .... quod neglectas aliquando ... Censores mille talentis purgandas locaverint.* De iisdem ita scripsit non sine hyperbolis suspicione Cassiodorus [2]: *Quæ tantum visentibus conferunt stuporem, ut aliarum Civitatum possint miracula superare. Videas illic fluvios quasi montibus concavis clausos per ingentia stagna decurrere. Videas structis navibus per aquas rapidas cum minima sollicitudine navigari. Hinc Roma singularis quanta in te sit potest colligi magnitudo: quæ enim Urbs audeat tuis culminibus contendere, quando nec ima tua possint similitudinem reperire?* Primus Cloacas invexit Tarquinius Priscus ad siccandas paludes. Inter Palatinum, Capitolinum, & Quirinalem plurimis dispertitæ ramis ad Forum concurrebant. Cloacam maximam a Foro ad Tyberim Tarquinius Superbus perduxit ex Livio [3], qui addit: *quibus duobus operibus vix nova hæc magnificentia quicquam adæquare potuit*. Alias postea condidere M. Cato & Valerius Flaccus Censores [4]. Agrippa sub Augusto purgatis veteribus novas adjecit, *suffossis Montibus, atque Urbe pensili, subterque navigata*, ut ait Pinius [5]. Harum unam fuisse suspicatur Nardinus [6], quæ in Campo Martio prope Ripettam visitur, sicut etiam illam, quæ a vico *de' Chiavari* per Templum S. Ignatii ad Quirinalem excurrit.

Describendæ nunc forent Urbis Viæ, per quas si nostrum instituere vellemus iter, Urbe egressis universa pene Italia percurrenda nobis foret, absque spe subito Romam remeandi. Viæ enim ipsæ duplicis fuere generis, aliæ intra Urbem, aliæ a Columna Milliaria in capite Romani Fori sita incipientes, per universam Italiam propagabantur, cujusmodi fuere Appia, Flaminia, Æmilia &c. Secundi hujusce generis Vias saniori consilio omittendas duxi, tum quod de iisdem singularem libellum ad umbilicum pene perduxerit Reverendissimus Cælestinorum Generalis Guicciardinus ad universæ prope Italiæ splendorem mox in lucem edendum: tum quod non Italicam, sed Romanam dumtaxat Antiquitatem nobis perscrutari proposuerimus. Quare, ut nostro propius insistamus argumento, Vias dumtaxat Urbis percurram. Eæ, quarum nonnulla exstat memoria, fuerunt Sacra, Nova, Lata, Recta, Triumphalis, Alta, Fornicata, Subura, & Catinæ. Post quas nonnulla etiam de Vicis innuam.

Præcedat singulis Sacra Via ita appellata, *quod*

1 L. 3. 2 L. 3. epist. 3. 3 L. 1. 4 Liv. l. 9. 5 L. 36. c. 15. 6 L. 7. c. 5.

in ea fœdus ictum sit inter Romulum & Tatium, ut ait Festus. Hanc a Foro incepisse præter alios testatur Appianus [1], qui narrat Octavium e Via Sacra in Forum erupisse. Incipiebat ab Arcu Fabiano, de quo Asconius [2] inquit: *Fornix Fabianus Arcus est in Via Sacra a Fabio Censore instructus*. Hic vero situs erat prope Templum S. Laurentii in Miranda ex Trebellio. Hinc Via ipsa Sacra per Ædes Sancti Cosmæ & Pacis excurrebat, ut colligitur ex Vopisco [3]. Opinati sunt nonnulli e Templo Pacis flexisse Viam ad Arcum Titi. Hunc tamen errorem fuse quidem rejicit Nardinus ex situ ipso Arcus eminentiori; an vero probe, non ausim determinare, cum insolens minime sit vias quandoque per lenes clivos perduci, in Urbe præsertim Collibus utrinque coronata. In eo certe Nardinum laudaverim, quod Sacram Viam recto tramite per Templum & Hortos Sanctæ Mariæ Novæ ad Amphitheatrum Flavii, seu Colosseum, protendat; quam conjecturam aliter ac ipse ostenderem, observando inter omnes Colossei extimos arcus, seu ostia, unum, quod reliquos amplitudine excedit, Hortis Sanctæ Mariæ Novæ opponi: cum autem per majus illud ostium Amphitheatrales Machinas per Sacram Viam perduci solitas non raro legamus, consentaneum est Sacram Viam per eosdem Hortos recta linea excurrisse, ut ita in patulum illum Colossei arcum immitteretur; si enim ad Arcum Titi flexisset, cur Sanctæ Mariæ Novæ Hortis, & non potius Arcui Titi oppositum majus Amphitheatri ostium collocavissent? Viæ Sacræ ramus ab angulo Fori sub Palatino per Forum ipsum producebatur.

Via Nova Foro Romano juncta non longe a Templo Sanctæ Mariæ Liberatricis in Velabrum desinebat. Aperuit eam Tarquinius Priscus, cum Cloacam struxit a Foro ad Tyberim: tunc enim Cloacæ non sub ædificiis jacebant, *sed per publicum ductæ*, ut ait Livius [4]. Alteram Viam Novam per Circum Maximum ad Thermas Antonianas paravit Caracalla ex Spartiano: quam inepte Fulvius & Marlianus cum priori confundunt. Via Lata e radicibus Capitolii ad Forum Columnæ, ut vult Panvinius; aut potius ad Plateam *di Sciarra*; hinc enim initium ducebat Flaminia, una e Viis extra Urbem. Viam Rectam ut compendiose, ita falso definit Panvinius *prope Flaminiam per longitudinem Campi Martii*. Donato creditur inter Pontem Xystum & alterum Sancti Angeli: at cum postremus nondum adesset primis invectæ adhuc Viæ Rectæ temporibus, magis vere illam reponerem inter Pontem Xystum & Triumphalem. Huic Viæ successit Julia, inter præclariores nostræ Urbis, a Julio Papa excitata. Via Triumphalis eadem prorsus fuit cum Recta, quæ hanc appellationem meruit, quod per eam Triumphalis Pompa duci soleret. Via Alta erat in dorso Quirinalis, ab Equis marmoreis ad Portam Piam. Via Fornicata prope Fontem *di Trevi*, ubi Sanctæ Mariæ in Fornica Templum adhuc exstat.

Antiqua Subura & Carinæ non modicum in Antiquariorum Museis pulverem excitarunt. Creditur vulgo prisca Subura eadem cum illa, quæ hodieque hoc nomine appellatur; imo Donatus [5] illius fines longe lateque diffundit per clivum Sanctæ Luciæ in Silice ad Arcum *de' Pantani*, Forum Cæsaris, Colosseum, Ædem Sanctæ Agathæ in Quirinali, & Viminalem. At quam abs re is viderit, qui tam vastam mensus sit amplitudinem; ita enim una Subura integram absorbuisset Regionem quartam, parum quintæ, item sextæ, & tertiæ: cum tamen ipsa non Regio foret, sed secundæ Regionis Via ex Rufo & Victore. Quibus accedit nusquam legi Forum Cæsaris, Nervæ, Templum

1 Lib. 1. de Bello Civ. 2 In 2. Verr. 3 In Gallieno. 4 Lib. 5 L. 3. c. 10.

A Pacis, aliaque proxima ædificia in Subura fuisse. Collocat hanc Panvinius in valle ab Æde Sancti Gregorii ad Arcum Constantini inter Palatinum & Cælium; at nullo duce aut fundamento. Optime omnium Nardinus [1] antiquam Suburam protrahit a Templo Sanctorum Petri & Marcellini ad Colosseum, hac perductus ratione, quod Varro ita inquiat: *Suburam dictam puto Sucusam, quod succurrit Carinis*: Festus vero ex Verrio *a Pago Sucusano*: & paulo infra ita dictam opinatur *a Stativo præsidio, quod solitum sit succurrere Esquiliis, infestantibus eam partem Urbis Gabinis*. Ex quibus concludere sit tum Pagum Sucusanum, tum Suburam ipsam non B inter Cælium & Palatinum, aut alibi, sed in Esquiliis non procul a Porta Majori, qua ad Gabios itur, exstitisse, ut posset *Stativum præsidium* contra Gabinos Esquilias ipsas tueri, antequam hæ a Servio muris cingerentur. Adderem insuper Plinii Secundi domum collocari a Martiali [2] in Esquiliis, fateri vero Plinium [3] ipsum se in Subura habitasse. Hanc locum permutasse existimat Nardinus Gregorii Septimi tempore, cum exercitus Roberti Guiscardi, omnibus devastatis inter Capitolium & Lateranum, Suburanos alio transmigrare coegit. Fateor hic Nardini conjecturas evincere quidem Suburam C nec ad Arcum Constantini, ut sentit Panvinius, nec ad Quirinalem &c. ut Donati fuit placitum, pertigisse; nihil tamen obstare quo minus eo loci, ubi & recens prostat, veterem etiam collocemus Esquilinam versus Portam, vel Næviam, e quibus ad Gabinos etiam patebat aditus: ita enim optime valuisset Esquilias contra Gabinorum tueri invasiones, sicut Festus ajebat. Utut sit, hæc Via inter principaliores olim erat, omnium frequentatissima ob perpetuum in ea Emporium [4]; hinc lupanaribus erat referta, ut præter Rufum & Victorem Poetæ passim testantur. Hujus Viæ delicias explicare videtur Umbricius, cum apud Juvenalem [5] Urbis D illecebras fastidiens ait, *ego vel Prochytam præpono Suburæ*. Qua in re videsis Nardinum, quem inoffenso pede quoad hoc perlegi posse adjudico.

Supersunt Carinæ, quas Fulvius, Blondus, & Marlianus nihil aliud fuisse ajunt, quam Domus illas in parte Esquiliarum australi inter Ædes Sancti Martini de Montibus & Sanctorum Petri & Marcellini, eo quod lenes horum Collium clivi simul juncti Carinæ navium similitudinem referant. At obstat cum Victore Rufus, qui Carinas in quarta Regione, eaque plana, constituunt, cum Esquiliæ e quinta & tertia Regione fuerint. Non negaverim antiquius singulas Esquilini, Palatini, & E Capitolii valles Carinarum nomine ob navium similitudinem appellari solitas, tractu autem temporis vox hæc uni Viæ hæsit, quæ nullibi magis commode locari potest, quam inter Hortos Piorum & Esquilias usque ad *Tor de Conti*. Ædificiis ornatam declarat Servius [6], cum Carinas *Lautas* vocat.

Ne quicquam nostræ desit Urbis Topographiæ, Vicorum etiam insigniorum descriptionem subnectimus. Ut vero a proxime dictis Carinis iter ordiamur, occurrit primo Vicus Cyprius Carinis ipsis conterminus: etenim a Turri *de Conti*, ubi Ca- F rinas terminavimus, excurrebat ille ad Templum Beatæ Mariæ de Montibus, licet vulgo constituatur a Templo Pacis per Hortos Piorum ad Ecclesiam Sancti Petri ad Vincula. Cyprio proximus erat Sceleratus, prope Ædem Sanctæ Mariæ de Montibus versus Clivum Virbium in recenti Subura locatum quod colligitur ex Livio, qui de uxore Tarquinii Superbi, quæ super occisi patris cadaver duci jussit carpentum, ait, *flectente*

1 L. 3. c. 6. 2 L. 19. 3 L. 3. epist. ult. 4 Mart. l. 7. epigr. 30. 5 Sat. 3. 6 Lib. 8. Æneid.

carpentum dextera ad Virbium Clivum: e qua immanitate Scelerati titulus Vico huic mansit. Vicus Africus fuit in Esquiliis [1]. Vicus Ustrinus & Palloris prope Portam Esquilinam in Puticulis, ubi pauperum erant sepulturæ. Vicus Patricius etiam in Esquiliis prope recentem Suburam a Cloaca ad Sanctæ Pudentianæ Ædem. Vicus Lateritius non procul a S. Praxedis Æde. Vicus Africus etiam in Esquiliis. Vicus Fabricii ad Portam Capenam. Fortunarum ad Collinam. Fortunæ Despicientis in Palatino. Vicus Jani prope Marcelli Theatrum [2]. Jugarius ad Capitolini radices inter Forum & Portam Carmentalem. Creditur idem cum Thurario, sed apud Victorem distinguitur. Epimelius, qui in Jugario legitur, falso existimatur Vicus, cum potius esset Platea. A Jugario ad Velabrum, seu Pontem Sanctæ Mariæ, erat Vicus Thuscus. Vici Laureti Major & Minor in Aventino, ubi spelunca e lauris Titi Tatii. Mamertinus, hodie *la Salita di Marforio*. Mamurri prope Ecclesiam Sanctæ Susannæ. Mustellarius in Templo SS. Dominici & Xysti: Piscarius prope Forum ejus nominis. Publicus a Via Sacra ad Circum. Quirini in Valle ad Ædem S. Vitalis. Sandaliarius, ubi librorum officinæ, ab Arcu Titi ad radices Esquiliarum. Sigillarius Major a Foro Trajano ad SS. Apostolorum Ecclesiam. Minor a Foro Augusti ad Trajani, ubi Argentariorum tabernæ. Achimonius prope Ædem Sancti Nicolai jampridem de Archimoniis, nunc *a Capo le Case*. Bubularius prope Palatinum, idem fortassis cum Via, quæ *Capita Bubula* olim dicta est. Corneliorum in Hortis Columnensibus. Vicus Curiarum contra Divi Gregorii Templum. Vicus Colapeti, vel, ut in Capitolina basi, Colafiti Pastoris in Regione XII. Brutianus, quem Brutii incolebant, in Transtyberi ad Janiculum. Vicus Ursi Pileati, ubi S. Bibianæ Ædes. Vicus Solis in Quirinali. Argiletum a Foro Olitorio ad Vicum Thuscum. Sed de his satis.

SECTIO ULTIMA.
De reliquis extra Urbem.

MAnsimus diu in Viis, pulchritudinem Urbis inspecturi. Exteriora manent Urbi equidem nec amplitudine, nec majestate ipsa minora. Egressum vero non e Portis, quas jam inspeximus, sed e Pontibus auspicamur. Octo numerantur a Victore, Milvio etiam comprehenso: at intra Urbem soli septem. Horum antiquissimus fuit Sublicius ab Anco Martio exstructus, cum Transtyberinam Regionem Urbi addidit [3]. Sublicii nomen e lignis, quibus componebatur, promeruit, ligna enim sublicia appellari Priscis solebant ex Festo: unde etiam Roboreus dicitur Ovidio [4]: cum vero ferreis clavis ligna commissa essent, adeoque in bello Hetrusco ægre revelli potuerit, statutum fuit, ut imposterum nonnisi ligneos haberet clavos [5]. Ligneus stetit usque ad tempora Augusti, imo & Vespasiani, ut ex eodem Plinio colligi potest. Sub Antonino etiam ejusdem Pontis restauratore ligneum perdurasse ostendunt nummi apud Joannem Sambusium in suis *Emblematibus* circa finem. Unde non recte ab aliquibus creditur Æmilius quidam Prætor hunc Pontem e marmoribus refecisse; tum quod id minime apud priscos Scriptores reperire sit; tum quod reficiendi ejus cura solis Pontificibus commissa foret: unde Varro [6] Pontificis nomen a Ponte ipso derivat: nisi dicere velis ab Æmilio Lepido Triumviro & Pontifice Maximo exstructum, unde & nomen etiam Æmilii sumpserit apud Victorem, cui non abnuo, dummodo ligneus adhuc stet; cum nonnisi sub Hadriano Primo Summo Pontifice marmoreus reperiatur exstructus apud Platinam ex Anastasio. Circa hujus Pontis situm nonnulla est controversia. Etenim collocatus creditur ubi hodieque Pilæ visuntur prope Tyberis ripam, in qua navium statio, vulgo *a Ripa Grande*. Sentiunt tamen alii prope Scholam Græcam, *alla Marmorata*, situm fuisse contra Victorem, & Architecturæ ipsius leges; quis enim sibi suadeat Sublicium Pontem ibi locatum, cui propinquus alter Sanctæ Mariæ exstabat? id enim neque necessitas ulla, neque eorum temporum caritas pati videtur.

1 Varr. 4. de L. L. 2 Liv. l. 7. 3 Halic. l. 3. 4 L. 5. Fast. 5 Plin. lib. 36. c. 15. 6 Lib. 4. de L. L.

Pons vulgo *di S. Maria*, ab Æde S. Mariæ Ægyptiacæ propinquiori ita appellatus, idem profecto esse debuit cum Palatino, cujus meminit Victor. Vocari etiam solet Senatorius, at nullo inquit Nardinus [1] fundamento. Primus fuit e marmoreis intra Urbem erectis, unde Livio [2] absolute Pons nuncupatur. Instaurarunt illum primo Julius III. deinde Gregorius XIII. at nunc inundationibus proruptus feriatur. Duorum Tyberinæ Insulæ Pontium primus est Fabricius, qui ab Urbe ad Insulam ducit, hodieque dicitur *di quattro Capi* ob Jani quadriformis statuam: ejus Auctor Fabricius post Catilinæ conjurationem ex Dione [3]. Alter est Cæstius, qui ab Insula ad Transtyberinam fert Regionem, cujus Auctor Cæstius Gallus Consul sub Tiberio, ut sentit Panvinius; licet non insulse existimet Nardinus eum Reipublicæ tempore erectum, cum credi nequeat Tiberii superbiam pati voluisse, ut tam dives structura suo nomine non insigniretur. Eumdem restaurarunt Valentinianus, Valens, & Gratianus ex inscriptione, quæ adhuc in hoc Ponte visitur. Uterque fuit marmoreus: sed antea ligneos fuisse acute magis quam scite Nardinus suspicatur.

Pons Xystus communiter creditur Janiculensis, quod ad Janiculum præbeat transitum, postea, a Xysto Quarto refectus, Xysti nomen retinuit. Creditur Marliano ab Antonino e marmore conditus, nullo tamen nisi folius traditionis fundamento. Vaticani Pontis exstant adhuc Pilæ apud Sancti Spiritus Xenodochium. Idem appellatus fuit Triumphalis a proximo Vaticano Campo, & Porta, e quibus triumphalem pompam postremis temporibus perduci solitam diximus. Pons Ælius ab Ælio Hadriano ejus Auctore nomen sumpsit, hodie *di Sant' Angelo*.

Pontium extra Urbem primus fuit Milvius a Marco Æmilio Scauro ejus conditore primum Æmilius, hodie *Molle*; a Nicolao Quinto postea restauratus. Quatuor in Aniene fluvio, qui hodie *il Teverone*, inque Tyberim immittit, exstabant, exstantque adhuc Pontes, Salarius a Narsete refectus, isque antiquissimus a Gallica usque obsidione: Nomentanus a Via ejus nominis ita dictus: Mammolus, vel Mammeus, ab Alexandri Severi genitrice Mammea ædificatus: & Lucanus a Tiberio Plautio exstructus, ut ejusdem Pontis inscriptio præ se fert.

Admonent hic nos Pontes, ut de Tyberi fluvio, cui insident, nonnihil addamus. Dicebatur antea Albula ab aquarum, ut vulgo inquiunt, limpiditate: postea a Tyberino Albæ Rege Tyberis. Quod mihi non plene percipitur, qui Tyberis horridas aquas satis perspectas habeo: illas enim habet summe turbidas; quæ tamen in vasis reconditæ, subsidente statim sabulo, nitescunt. Quod adinventum antiquis Romanis minime incompertum existimo, iis præsertim temporibus, quibus nondum exteras aquas ebiberant; quidquid argutetur Lancellottus in suo Libro *dell'hoggidì*: quis enim adeo insipidos sibi effingat Romanos, ut tam obviam adinventionem fugisse eos omnino credat? Eo vel maxi-

1 L. 8. c. 3. 2 L. 10. 3 L. 17.

maxime, quod turbida Tyberis aqua summo sit nocumento, ut observat Petronius in suo *de victu Romanorum* Libro; id quod etiam jampridem Portuensium Salinarum operarii suomet periculo didicerunt, qui hac turbida aqua potati, in lethales statim morbos incidebant [1].

Hujus fluvii latitudo ab Halicarnasseo [2] quatuor asseritur jugerum, quæ juxta Plinii regulas efficiunt ulnas CXXVIII. Quæ amplitudo cum hodieque minime comperiatur, hinc optime observavit Donatus [3] ex Traductorum inscitia *jugerum* vocem in Latinum Halicarnasseum irrepsisse, cum ipse solum dixerit: Εὖρός ἐστιν τεττάρων πλέθρον μάλιστα· τὸ δὲ βάθος, οἷόν τε ναυσὶ πλεῖσθαι μεγάλαις· τὸ δὲ ῥεῦμα, ὥσπερ τι καὶ ἄλλο, ὀξὺ καὶ δίνας ἐργαζόμενον μεγάλας. *Latitudo est quatuor fere pletrorum; profunditas vero nav bus etiam magnis tranabilis; fluvius autem concitatus & vort cosus, si quis alius:* pletra autem minora esse jugeris ostendit Lucas Pætus [4], itaut quatuor pletra ulnas constituant LIII. His diebus longe minor comperitur; licet enim alveus, cui Sanctæ Mariæ insidet Pons, quinquaginta ulnarum spatio amplus decurrat, & ad Pontem Milvium LVI. procul tamen ab Insula angustior inspicitur. Neque hinc deceptum putemus Halicarnasseum, qui verbo *fere* incertitudinem significavit. Præterquam quod credi potest in Pontium exstructione, ad vitanda impendia, alveus fuisse restrictus. Tyberis profunditas Plinio [5] existimatur profunditati Nili æqualis, eo quod Ægyptio Obelisco, quem per eum Cajus Cæsar Romam duxit, sustentando par fuerit, *quo experimento*, sunt Plinii verba, *potuit non minus aquarum huic amni esse quam Nilo*. Ejusdem Tyberis alveus altior creditur postea evasisse ob ædificiorum ruinas eo collapsas, licet Nardinus [6] ex Pontium arcubus plateisque oppositum nitatur inferre.

Ante Tarquinium Priscum Tyberis ad Palatinum usque Forum, & Circum Maximum perveniebat, unde locus ille Velabrum dici cœpit, *quod velis transfretur*, sicut testatur Acron in *Notis ad Horatii Poeticam*. Sed Tarquinius Cloacis ædificatis eam paludem siccavit, sicut *Dissert.* antecedenti dictum est, licet Poetæ alvei etiam variationem a Tarquinio novis Aggeribus factam dicant; quæ tamen Donato, nescio quibus de causis, minime arridet. Illud mirari subit hoc Tarquinii opus ab Acrone [7] attribui Augusto, & a Porphyrio etiam Agrippæ. Id vere de Augusto narrat Suetonius: *Ad coercendas inundationes alveum Tyberis laxavit, ac repurgavit completum olim ruderibus & ædificiorum prolapsionibus coarctatum*: sicut etiam Trajanus Fossam adjecit [8]: & tandem Aurelianus ripis murum ædificavit ex Vopisco, cujus rudera in eo Tyberis loco, qui dicitur *Ripa*, adhuc prostant: olim enim crebriores fuisse inundationes, illud, præter Plinii testimonium, argumento est, quod tum minor esset Urbs.

In eam nonnulli Antiquarii ivere sententiam, quod interdictum esset priscis temporibus circa Tyberim ædificare, religionis quidem causa, cum fluvius hic inter Numina recenseretur. Sed oppositum indicant Reguli Porticus, quas Plinius Junior [9] *immensas* ait, *& ripam occupasse*. Addens insuper, *pluribus prope solus, quam cæteri in omnibus terris amnes accolitur, adspiciturque Villis*. Id quod etiam Claudianus [10] demonstrat, cum Gallos ad Tyberis ripam ædificantes describit. Tractu temporis non modo secundum Tyberim, sed etiam in Agro Suburbano parcissime ædificatum est, ob aeris insalubritatem, sicut Alexand. Petronius animadvertit.

1. Part. 2. 2. Lib. 8. 3. Lib. 3. cap. 21. 4. Lib. 1. de mensf. & pond. cap. ult. 5. Lib. 36. c. 9. 6. Lib. 8. c. 1. 7. In Hor. Poet. 8. Plin. lib. 8. epist. 17. 9. Lib. 4. epist. 2. 10. Lib. 2. in Stilic.

Cæterum Tyberim piscium feracissimum prædicat apud Macrobium [1] Varro ita inquiens; *Ad victum optima fert ager Campanus frumentum, Falernus vinum, Cassinas oleum, Tusculanus ficum, mel Tarentinus, pisces Tyberis*. Inter quos laudatissimus erat Lupus, ibi præsertim capi solitus, quo Cloaca Maxima sordes immittebat prope Sublicium Pontem & Palatinum, ex eodem Macrobio. Quænam autem piscium species foret Lupus, dicam *Dissert. de cibo & potu*, ubi etiam nonnullus de Moletrinis in Tyberi exstantibus sermo erit.

Hic vero operæ pretium poscit, ut paucula de Tyberina Insula libemus. Communis fert Antiquariorum opinio Insulam hanc primordia non aliunde habuisse, quam e spicarum segete e Campo Martio, qui tunc Tarquiniorum erat, collecta, & in Tyberim immissa, ibique in vadis hæsitante, & paulatim acervata. Deridet hoc, more suo, Lancellottus in Libro, cui titulus *I Farfalloni*. Sed ecce Livius, cui nescio, an subscribere vereatur perspicacissimus hic antiquitatis reformator, ni dicam & osor. Livius [2] ergo de Tarquiniorum agro, postquam Urbe ejecti fuerant, inquit: *Ibi tum seges farris dicitur fuisse matura messi, quem Campi fructum, quia religiosum erat consumere, desectam cum stramento segetem magna vis hominum simul immissa corbibus fudere in Tyberim tenui fluentem aqua, ut mediis caloribus solet: ita in vadis hæsitantis frumenti acervos sedisse illitos limo, Insulam inde paulatim, & ali, quæ fert temere flumen eodem invectis factam: postea credo additas moles, manuque adjutum, ut tam eminens area firmaque esset, &c.* Nosco Livium voce illa, *dicitur*, incertitudinem quamdam subindicasse: at cum idipsum affirmet Halicarnasseus [3], dubitatione omni carere debet. Verisimilior res fiet consideranti multas latere sub Tyberi cæcas Insulas, quæ æstivis temporibus, subsidentibus aquis, paulatim emergant: in quas tot farris manipulos impegisse, ibique hæsitasse & stetisse, atque in cumulum assurrexisse, quid concipi vetat? Quibus si addas lutum, aliasque immunditias, *eminentem habebis aream*, *quæ manu adjuta*, sicut Livius ait, *Porticibus sustinendis foret apta*, prout in Pontium structuris, & in Venetiarum ædificiis fieri solet. At Insula hæc primum navis formam obtinuit, in ejus navis memoriam, quæ Romam Serpentem illum, qui Æsculapius credebatur, Epidauro advexerat; unde hic Æsculapii Templum cum Xenodochio, de quibus alibi erit sermo.

Sed vero relictis aquis, quæ in hac anni, qua scribimus, tempestate plurimum lædunt, eja nunc reliqua Urbis exteriora perlustremus. Atque hic primo sese nobis exhibent Suburbia, Urbi ipsi nec pulchritudine, nec vastitate inferiora: ut illa non inepte appellares Urbem alteram extra Urbem: quid dico? Urbem quinimo Urbe ipsa ampliorem: ut, si vera forent, quæ de Suburbiis circumferuntur, Romam ipsam cogaris asserere Suburbiorum suorum Suburbium: adeo mira sunt, quæ de ipsis Nuperi scripsere, Donatus [4] præsertim, & Lipsius [5]. Prisci quidem, si unum vel alterum exceperis, qui Suburbia Romæ amplificarunt potius quam descripserunt, nihil de ipsis certo statuere, quantum ex eorum lectione excipere valui. E Recentibus, indicavimus jam supra Isaaci Vossii commentum, qui Suburbia circa semicircularem suam Romam quatuor milliarium spatio quaquaversum excurrisse somniavit. Donatus, Fulvius, Panvinius, & Lipsius eadem ad Gabios usque, Tybur, Ariciam, Ostiam, & Otriculum protendunt ad quindecim circiter milliaria, celebrioribus Viis Latinæ, Cassiæ, Fla-

1. Lib. 3. Satur. cap. 16. 2. Lib. 2. 3. Lib. 5. 4. Lib. 1. c. 16. 5. De magn. Rom. lib. 3. cap. 3.

miniæ, & Aureliæ imposita, *& ædificiis ex utraque parte plena*, sicut ait Panvinius: *nunquam, aut raro intermisso tectorum ordine*, sicut inquit Donatus [1]. Hinc Neroni, teste Suetonio, cogitatum, Ostiam usque murum producere, ut ita mare ipsum Urbi adnecteret, quamvis id non præstiterit. Innituntur ipsi potissimum Plinio [2] afferenti, *exspatiantia tecta multas addidere urbes*: tum etiam Aristidi, qui de Roma ait, *descendit etiam, & porrigitur ad mare ipsum*: *in quacumque autem ejus parte quis steterit, nullum est impedimentum, quo minus pariter in medio sit*. Quæ sane postrema verba infinitatem quamdam videntur obtrudere, cujus proprium est nec medium habere, nec finem. Accedit his Halicarnasseus [3], qui de Suburbanis inquit: Ἅπαντα τὰ περὶ τὴν πόλιν οἰκούμενα χωρία ἀτείχιστα .... εἰ μὲν εἰς ταῦτά τις ὁρῶν, τὸ μέγεθος ἐξετάζειν βουλήσεται τῆς Ῥώμης, πλανᾶσθαί τε ἀναγκασθήσεται, καὶ οὐχ ἕξει βέβαιον σημεῖον μέχρι τοῦ προβαίνουσα ἡ πόλις, καὶ πόθεν ἄρχεται· οὕτω συνύφανται τῷ ἄστει ἡ χώρα, καὶ εἰς ἄπειρον ἐκμηκυνομένης πόλεως ὑπόληψιν τοῖς θεωμένοις παρέχεται. *Omnia loca circa Urbem habitata sine mœnibus ... in quæ si quis intuens, magnitudinem Romæ exquirere velit, frustra eum fore, & hæsurum ubi desinat Urbs, ubi incipiat: adeo Suburbana ipsi Urbi adhærent & innexa sunt, & speciem immensæ longitudinis exhibent spectantibus*. Aliqui e contra apud Lipsium modo laudatum *hæc omnia non habitata ædificia, sed Villas, Prætoria, & voluptarias ejusmodi domos fuisse* sentiunt. Novissime Nardinus [4] hæc ipsa adulatorie Aristidi exaggerata existimat, non sine hyperbolis vitio: unde concludit Suburbana ab Urbe fuisse sejuncta; Ammiani [5] quidem verbis perductus, qui ait, *Vicum Alexandrinum tertio lapide ab Urbe sejunctum per Hostiensem Portam*.

In hac Antiquariorum discrepantia, quo me vertam nescio. Suburbiorum equidem vastitas vereor ne, non tam pedes, quam caput ipsum in errores agat. Angustiæ e contra Nardini, qui Suburbia eadem facit cum Villis ab Urbe dissitis, Halicarnasseo contradicit, qui Suburbana ait, *ipsi Urbi adhærent & innexa sunt*. Illud ergo nobis præstitutum est, media eaque tuta incedere via, asserendo loca quidem Urbi proximiora, Campum præcipue Martium, ædificiis frequentata, de quibus jure dixerit Halicarnasseus, *quod Urbi adhærent & innexa sunt*: cætera vero loca Ariciam versus, Otricolum &c. ea cumprimis, quæ circa insigniores vias insistebant, ædificiis quidem decorata, at non undequaque, & circa Urbem quaquaversum, itaut tota area ab Aricia, Otriculo, Tybure, & Ostia Romam usque, *ædificiis ex utraque parte plena essent*, ut ait Panvinius, continuatoque ductu, *nunquam intermisso tectorum ordine*, sicut asserebat Donatus: sed interrupte, & statis locis, certisque spatiis, prope vias præsertim, sicut paulo ante dicebamus.

Refectis aliquantulum Suburbiis, habitantium etiam nimia excrescens multitudo succidenda est. Lipsius supra laudatus ex Suetonio, qui *trecenta millia plebis Urbanæ fuisse* dixerat, hunc calculum ingeniose effingit: totidem scilicet ad minus esse debuisse nobiles atque divites: quibus si pueros addideris, (qui usque ad annos XVII. ætatis non censebantur) feminasque, jam duplo, triploque plures erunt: adjicias agmina & turbam servorum, qui præ multitudine ita dicuntur Senecæ & Ammiano, eorumque numerum *Tom. 2. Dissert. de Servis* investigabimus, jam quatuor, inquit Lipsius, hominum milliones habebis, omissis etiam servis & peregrinis, quos non minus duobus millionibus fecisse ait. Hac multitudine minime contentus Isaac. Vossius ait, *vel solos servos numerum, quem ille posuerit, superasse*; hoc instituto calculo: quia Athenis, quando viginti Civium numerabantur millia, simul quoque numerata fuere quatercentena servorum millia, ex quibus concludit solos Romæ servos octo effecisse milliones. Postea ex Londini & Parisiorum areis cum Romana comparatis, quam *vicies*, ait, *utramque illam superasse*, concludit, quatuordecim fuisse Romæ milliones: dimidiam sane partem totius Europæ incolarum, quos ipsemet alio in loco [1] vix viginti septem milliones attingere ait. Sed parcamus id Vossii libidini amplificandæ Urbis, plusquam par sit, studiosi, ut se novæ Urbis potius fundatorem demonstraret quam veteris illustratorem.

Ut autem nimis luxuriantem incolarum Urbis segetem non Tarquiniana, sed Censoria, Virga præcidamus, certa ab incertis secernenda sunt. Indubitatum ergo omnino est, quod, si de legitimis Civibus sermo sit, eorum maximus numerus tum fuit, cum libera adhuc erat Respublica, antequam a Syllæ primum, deinceps Pompeii, Cæsaris demum tyrannide opprimeretur. Eo enim temporis pauci admodum Civitate Romana donabantur, vixque ullis, nisi Romæ domicilium habentibus, honor iste concedebatur: siquidem ut in duabus aut pluribus urbibus jure Civitatis aliquis frueretur, stante Republica, non permittebant Romanæ leges. At vero post Syllæ dominatum plerique Italiæ populi jus Civitatis obtinuere, ideoque exteris Roma repleta est, ut dicam *Tom. 2. Dissert. de Jur. Pop Rom.* Maximi, libera adhuc Republica, census fuere, alter anno DCLXVII. quo censa sunt millia CCCCLXIV. juxta Eusebii Chronicon: alter anno DCLXXXIII. quo censa sunt millia CCCCL. ut Liviana habet Epitome; quamvis eximius Urbis amplificator Vossius, ex nescio quo manuscripto exemplari, millia referat DCCCC. Hicque fuit maximus legitimorum Civium census. Grassantibus postea Syllæ, Pompeii, & Cæsaris seditionibus, in censu, quem post civile bellum Cæsar peregit, inventa sunt nonnisi CL. millia Civium ex Plutarcho & Livio, quos frustra Lipsius sollicitat: unde Cæsar ipse præmia promisit illis, qui plures procreassent liberos [2]. Hanc tamen Civium paucitatem exteri compensarunt. Post enim Mithridaticum bellum, & denuo tempore Augusti, confertissime ex universo terrarum Orbe Romam confluxerunt, itaut Roma victarum gentium facta sit colonia, & merito illam Lucanus dixerit *Mundi fæce repletam*.

Quod si poscat quispiam, quotusnam fuerit hic convenarum numerus? Ingenue ego reponam me illum nescire; cum nusquam eorum habitus sit census: divinari autem cum Vossio & Lipsio, multum quidem habet ingenii, parum tamen certitudinis & firmitatis. Illud certo scio, Pop. Rom. multitudinem summis conceptis encomiis apud veteres Scriptores extolli, quos licet ab hyperbolis suspicione minime immunes crediderim, colligi tamen vel inde potest ingentis numeri excessus; hyperbolicus enim sermo nonnisi de maximis quibusque rebus institui solet. Audiatur Aristides, qui Romam vocat, *commune totius terræ Oppidum*: item ait, *omnes gentes quasi vicatim divisas ad hanc suam Arcem convenire, quæ nunquam ulli se negat, sed omnes homines capit*. Athenæus quoque Urbem vocat ἐπιτομὴν τῆς οἰκουμένης, *Orbis compendium* seu *epitomen*. Polemonis Sophistæ apud Galenum elogium fuit: *Roma Urbs urbium, quia videre in ea est omnes urbes collocatas*: deinde addit: *deficiat non unus dies, sed quotquot babet annus, si quis adnumerare conetur omnes urbes in cælesti illa Urbe posi-*

1. L. 1. c. 16. 2. L. 3. c. 5. 3. L. 4. 4. L. 1. c. 8. 5. L. 17.

1. De magn. Sin. c. 13.
2. Dio l. 45.

tiones illic simul & confertim habitant. Seneca insuper ad Helvidiam matrem scribit: *Adspice hanc frequentiam, cui vix Urbis immensæ tecta sufficiunt*: & paulo post, *ex toto*, ait, *Orbe terrarum confluxerunt*: quod iterat inquiens, *nullum non hominum genus concurrit in Urbe*. Lucanus tandem ait,

—— populis victisque frequentem
Gentibus, & generis, coeat si turba, capacem
Humani.

Si autem quæras tam immensæ multitudinis causam, illam dabimus *Tom. 3. Dissertatione de Principum donis*, ubi exponemus profusam Cæsarum in largitionibus munificentiam, sive frumenti ea foret, sive carnium, aut etiam pecuniarum: qua allecti omnes Romam confluebant, ut paulatim Italia universa pene deserta remanserit. Hinc Lucanus Poeta, *videmus*, inquit, *tot vacuas Urbes, generis quo turba redacta est humani!* Accedebant his ludi, aliæque voluptates: unde Varro jam suo ævo conquerebatur plerosque ex Agris in Urbem correpsisse, *& maluisse manus in theatro movere quam in aratro*.

Illud postremo loco adjiciendum est, tam amplam Urbem, vitandæ confusionis ergo, ab Augusto in quatuordecim Regiones fuisse divisam. Dictum supra, a Romulo tres institutas Tribus: Tarquinius Priscus eas duplicavit, priori tamen numero, ob religionem, retento: Servius Tullius Urbem in quatuor partes, seu Regiones, dispertiit: Augustus tandem in quatuordecim. *Regio a Rege derivatur, quod, priusquam Provinciæ fierent, Regiones sub Regibus essent, postea ab earum similitudine maiores in Urbe partes, Regiones appellari cœptæ*, sunt Panvinii verba.

Prima Regio dicta est *Capena*, totaque fere extra Portam Capenam erat usque ad Circum illum, qui hodieque post Divi Sebastiani Templum visitur. Secunda, *Cælimontana* nomine, supra Cælium Montem sita a Porta Capena per Latinam ad Cælimontanam: hinc per Ædes SS. Petri & Marcellini, & S. Clementis iterum ad Cælii rupes, quibus SS. Joannis & Pauli prostat Ecclesia. Tertia, *Isis & Serapis* nuncupata, a Colle Sanctæ Crucis ad Esquiliarum radices, recentemque Suburam, e qua per Ædem Sancti Matthæi in Merulana ad borealem Cælii angulum terminabat. Quarta, *Templum Pacis* dicta, a Colosseo ad Suburam; hinc ad Viminalem, Ædemque B. M. de Montibus; inde per Campum Carleum, & Sancti Hadriani Templum ad Titi Arcum desinebat. Quinta, *Esquilina* nuncupata, e Laterano ad Suburam, unde per Ecclesiam Sancti Vitalis ad Servii Aggerem ferebatur. Sexta, *Alta Semita* nomine, per Palatium Grillorum ad eum Campum, qui ante Ædem Sancti Vitalis exstat, ad Thermas item Diocletiani, Portam Collinam, partem Pincii, plateam Grimanorum, Pontificios Hortos, ac Columnensium, & ad Trajani Columnam producebatur. Septima, *Via Lata*, e platea Grimana per Viam Constantinopolis ad Fontem *di Trevi*: inde per Columnensium Ædes ad Macellum Corvorum & Capitolium: unde per Ecclesiam Domini Jesu & B. M. supra Minervam ad Fontem iterum *di Trevi*, Cloacam *del Bufalo*, Plateamque Grimanam. Octava, *Forum Romanum* dicta, Forum hoc amplexa, per Ecclesiam B. M. in Campo Carleo, & Collem *Bagnanapoli*, Columnamque Trajanam, ad Capitolium; e quo ad Montanarium Forum, indeque versus Sanctæ Anastasiæ Ædem, tandemque ad Forum Romanum. Nona, quæ *Circus Flaminius*, per radices Pincii ad Fontem *di Trevi*, Romanumque Collegium, & Capitolium; a quo per Ædem *di Tor di Specchi* ad

A Forum Montanarium, & Carmentalem Portam. Decima, *Palatium* vocata, tota fere supra Palatinum collocabatur. Undecima, quæ dicta est *Circus Maximus*, a Porta Flumentana ad Scholam Græcam, inde per Circum Maximum ad Portam Trigeminam, e qua ad Aventini angulum, ubi Ecclesia Prioratus eminet. Duodecima, cui *Piscinæ Publicæ* appellatio, universam illam complectebatur planitiem, quæ Circum Maximum & Antonianas Thermas interjacet, ad Aventini Montis radices. Decimatertia, *Aventinus* nominata, super eo monte constituebatur, e quo descendens, ad Tyberim perveniebat, juxta cujus ripam excurrens, Testaceum B Collem complexa, ad Portam Trigeminam Capenamque perveniebat. Decimaquarta, quæ & *Transtyberina*, quidquid ultra Tyberim situm erat comprehendebat, usque ad Vaticanum Collem, ejusque prata Mausoleo Augusti opposita, seu Oræ illi, quæ *Ripetta* vulgo appellitatur.

Atque hæc sunt, quæ de maxima urbium Roma, rudi potius adumbrare penicillo, quam accurate compingere, nostra scivit inscitia. Cujus si quis vivaciorem descriptionem exoptet, adeat Martialem [1], Dionem [2], Xiphilinum [3], Ammianum [4], Mamertinum [5], Athenæum [6], aliosque innumerabiles, apud quos, eo significantius quo brevius, Romam C nuncupatam reperiet *terrarum Dominam; Reginam; Deam; Virtutum omnium Domicilium & Larem; Mundi Asylum ac Templum; dum erunt homines, victuram; Mundi Epitomen & Compendium; Immortalem; Felicem; Orbem Orbis terrarum; Urbem Deorum; Æternam; Cælestem, Communem Orbis Officinam &c.* Quæ, idve genus plura, utique superfluunt; Roma enim laudatore non indiget, cum semet, vel silentio ipso suo, satis commendet; nec disertior Urbes encomiastes quam eadem Urbs.

D

Syllabus Auctorum.

TOPOGRAPHIAM Urbis quamplurimi sunt, qui descripserunt. Omissis enim veteribus. Fabio Pictore cumprimis, Catone, Halicarnasseo, Tacito, Rufo & Victore, qui illam indicarunt magis quam tradiderunt, scripsere de ea Flavius Blondus, Pomponius Lætus, Andreas Fulvius, Jacobus Poggius, Joannes Tortellus, Raphael Volaterranus, Fabricius Varranus, Franciscus Albertinus Bartholomæus Marlianus, Lucius Faunus, & Lucius Maurus, Bernardus Gamuccius, Manuel E Chrysolorus, Bernardus Oricellarius, Jacobus Questenbergius, Pyrrhus Ligorius, & Fabius Calvus, qui & Tabulas concinnarunt, Hieronymus Fabricius, Onuphrius Panvinius, Pater Alexander Donatus, Famianus Nardinus, aliique. E quibus, si hos binos posteriores exceperis, nemo est, qui in turpes non errores impegerit; quamquam nec isti quidem immunes sint, ut ex superius dictis perspicue apparere potest. Quod si quærat hic quispiam, ecquid ego præstiterim in studiosorum commodum profectumque? Reponam cito, illud a me post tot Scriptores effectum, quod Topographiam Urbis dilucidaverim, emendaverim, & ampliorem reddiderim, tum vel maxime, cum nimiam ejus amplitudinem resecui. Non enim illud vere magnum, quod latum & longum, sed quod verum; nec aurum tam splendide inter metalla emineret, si scoriis permisceretur. Quare e tot vulgo circumferri solitis, quæ probabiliora, veroque proximiora mihi visa sunt, judicio duce, rejectis aliis, excepi, paucisque in his tabulis exposui: absque tamen Tabulis & Figuris, quod & impostertum

1. Lib.12. 2. L.b.73. 3. In Epit. 4. Lib.14. 5. In Paneg. 6. Lib.1.

etiam continget: Amicorum enim pia importunitas, & importuna, ut ita dicam, curiositas, limæ adhuc impatiens, mea expleta vix Adversaria e calamo ad prælum transfert. Sermonis tamen, cui summe studeo, perspicuitas, Figurarum, nisi fallor, vices supplebit.

DISSERTATIO IV.

De Domibus.

DELINEATA, rudi quidem at impigra Minerva, Urbis Romæ Topographia, ordo ipse rei expostulat, ut ejusdem Ædificia perpendamus, quibus se toto Orbe illustrem exhibuit. Primo vero omnium de Domibus erit sermo, ex earum quippe structura, reliquorum ædificiorum forma clarior evadet.

Ut autem ab etymo incipiam, vox Domus a Græca *δόμος domos* ducitur, quæ a *δέμω demo*, id est, exstruo: unde Domicilium quasi Domicolium, a Domo scilicet colenda [1]. Dicitur etiam Ædes ab aditu, quod plano pede primis Romæ temporibus ob suam humilitatem Domus adirentur [2]. Unde fallitur Angelus Decembrius [3], dum ait Ædes dictas, quod editæ essent. Divitum Domus Palatia etiam appellantur, a Palatino Monte, qui Palatium a Pallante nuncupari obtinuit, ut *Dissert.* prima; ibi enim fuit Augustorum Domus, quæ Palatium inde dici cœpit, a quo Magnatum etiam ædes Palatia dicta sunt [4].

Ut a voce Domus ad Domum ipsam pateat aditus, ipsæ Domorum causæ examinandæ sunt. Finalis est securitas atque tutamen contra elementorum intemperiem. Colligitur hinc Ædium antiquitas: post primorum enim parentum labem Cain super terram profugus omnium primus Urbem, Ædesque, quibus se tueretur, exstruxit [5]; ab eo posteri omnes; ut nulla pene Natio exstet, quæ tecto careat, licet de Scythis referant mobiles in plaustris habere Domos. Causa Domorum efficiens sunt Fabri murarii, de quibus plura *Tom. 3. Dissert. de Artificibus variis.* Reliquum ergo est, ut circa Domorum materiam formamque nostra versetur consideratio.

Ad materiam quod attinet, exploratum omnino est ab usque Mundi crepundiis, cum nonnisi adversus Solis ardores tempestatumque injurias invectæ essent Domus, aliud eas non fuisse, quam aut speluncas, aut tecta e frondibus. Ingeniosiores deinde furcas erexere, virgultoque intertexto & luto inducto parietes struxere, inventore, ut creditur, Doxio Cælei fratre, sub idem tempus, quo a Josepho Prorege Ægyptus regebatur, ut tradit in suo *Lexico Universali* Hofman, nulli tamen innixus Auctori; unde dubitare liceat de hujus chronologiæ veritate; sub Josepho enim Ægyptus florebat: qui ergo stabit tum primum virgulteos luteosque parietes invectos? Quare longe antiquius rude hoc Doxii adinventum existimo, ab hirundinum in concinnandis sibi nidis industria petitum. Postea vero non solum necessitati commoditatique indultum, verum etiam voluptati inservitum, invectis lapidibus & lateribus, imo & ebore, argento, auroque parietibus ipsis splendide exornandis, de quibus mox sermo redibit. Hinc Architectonica ars reperiri cœpta, in Græcia cumprimis insignis; e qua celeberrimi Architecti prodiere Agatharchus, Democritus, Anaxagoras, Ctesiphon, Metagenes, Ictinus, Carpion, Philo, Hermogenes, Argelius, & Satyrus: e Latinis vero Fuffitius, Varro, P. Septimius, Cornelius Celsus, & Vitruvius. Qui

1. Vossius in Etymol. 2. Varr. l. 4. de L.L. 3. L. 7. de Polit. par. 17. 4. Voss. ibid. 5. Gen. c. 4.

A omnes aliquid scriptis prodiderunt, quorum tamen nihil exstat præter decem Vitruvii libros.

Sed in viam reducamur. Sublata rudi illa priscorum hominum inertia, jam virgultis, lutoque saxa, & coctilis terra, parietibus concinnandis, subrogata est. Ergo communis Ædium materia fuit, aut e lapide, aut e lateribus, una cum arena & calce. Lapidum plures recenset species Vitruvius [1]. Alii molles, ut Romani, Fidenates, Albani, quos Itali dicunt *Piperini*; alii temperati, ut Tiburtini & Amiternini; alii duri, ut silices Græcis familiares. Omnium mollissimi sunt tophi in Campania rubri, nigrique in Umbria, & Venetiis albi, qui *dentata serra, uti lignum, secantur*, sicut loquitur ibi-

B dem Vitruvius. Cæmenta etiam sunt lapidum species in Campania satis in usu, ubi & nomen etiam retinent, levitate tophis simillima. Ex tot speciebus molles commendat lapides Vitruvius, *quod facile tractentur, & si sint in locis tectis sustinent laborem; in apertis e contra pruinis dissolvuntur*. Duros laudat, *quia sufferunt onus & tempestatum injurias, sed ab igne non possunt esse tuti, quod careant humore*. Præter narratas a Vitruvio species, alias adducit Barbarus [2], gemmas, marmor, cotem, silicem, saxum. Longe plures enarrat Marius Grapaldus [3],

C Parium scilicet, Cararienſem album, Laconicum viridem, Ophitem serpentium maculas imitantem, Porphyritem rubrum candidis punctis intermixtum, Bossaltem ferrei coloris, Alabastriten candidum, Onychitem, aliosque, quos omitto, ne tot lapidibus caput legentium conteram.

Lateres arte perficiuntur ex terra non arenosa, sed cretosa, & albida, coctaque. Miscebant etiam marmoris pulverem. Ex cretis commendabatur Samia, Aretina, Modanensis, Saguntina, Pergamensis. Addebant & paleas minute concisas, ut levitatem conciliarent. Jubet Vitruvius [4], ut lateres Vere, vel Autumno comparentur; sic enim æquo te-

D nore siccati a scissionibus sunt immunes, contra ac in Æstu, qui superficiem siccando, internum humidum incoctum relinquit fissionibus aptum. Ex quibus colligi potest olim non coquendi, sed ad Solem siccandi, lateres Romæ morem fuisse, id quod Vitruvii Interpretes fugit. Triplicis erant magnitudinis apud Græcos, a quibus Romani mutuati sunt. Didoron pede latus, sesquipede longus; Tetradoron e palmis quatuor; Pentadoron e quinque quaquaversum: postremorum usus in majoribus fabricis: in publicis scilicet Pentadoron: in privatis vero Tetradoron; Didoron autem in minoribus.

E Romæ familiares ad sternendas præsertim vias, quod dicunt *a Spiga*, lateres digitorum sex longitudine, at latitudine trium, crassitie vero unius. In arcubus struendis lateres erant pedum duorum undique [5]. Leo Baptista [6] commendat triangulares, qui tamen Priscis incogniti. Meminit Vitruvius semilaterum, qui cum lateribus integris in structura sociati non injucundam pariunt symmetriam, quam ipse vocat *Anisodomon*, eo scilicet ordine, ut minor later supra duorum inferiorum, qui majores sint, colligationem innitatur, de quo vide Barbarum, qui schema etiam adjicit.

F De arena & calce plura tradit Vitruvius [7], eamque præfert, *quæ terram non habeat commixtam*, idque dignosci ait, *si confricata fecerit stridorem: item si in vestimentum conjecta, indeque excussa, illud non inquinaverit*, terra scilicet ibi non subsidente. Primas defert fossitiæ, quod Barbarus ibidem intelligit de minutiori, quam argillam vocat, cum crassior, quæ vulgari appellatione arena dicitur, ob sterilitatem inutilis sit. Si desint arena-

1. L. 2. c. 7. 2. In notis ad idem Vitr. Caput. 3. De part. dom. l. 1. c. 1. 4. L. 2. c. 3. 5. Barb. hic. 6. L. 2. c. 10. 7. L. 2. c. 4.

ria, jubet Vitruvius e fluminibus, & marino littore arenam excerni; licet vitio hæc non careat, quod ista difficulter siccescat, & marina insuper salsuginem emittat; quod ex parte vitaveris, si ripæ propinquior colligatur, & crassior, nigrique coloris, & lucida. Romani olim rubra utebantur; nunc passim nigra, quam Puteolanam, Italice *Puzzolana*, appellant, quod optimi generis apud Puteolos nasceretur, licet Vitruvius Bajanam & circa Vesuvium excavari solitam extollat. Fossitiæ quartam partem calcis addebant, fluviatili autem & marinæ tertiam. [1] Ab calcem quod attinet, inculcat sæpe Vitruvius, [2] *ut de albo saxo, aut silice coquatur, eoque spisso & duro pro structuris, e fistuloso vero & molliori pro tectoriis*. De lignis structioni quam opportunis fuse differit idem Architectus: [3] tum circa cædendi tempus, autumnale enim eligit, antequam favonii spirent: tum circa cædendi methodum; jubet enim, ut incidatur arboris crassitudo ad mediam medullam, ut facilius exsiccescat: tum quod arborum qualitatem, *Ulmum enim & Fraxinum sustinendo oneri minime idoneas* ait: *Abietem, Quercum, & Esculum multæ durabilitatis: Cerrum, Suberem, & Fagum marcescibiles: Populum, Salicem, Teliam, & Carpinum tractabiles: Cupressum, Cedrum, Juniperum, & Pinum a carie immunes*. Cætera ibidem vide.

Ut vero ab universalibus hisce Ædium materiebus ad Romanos nostros propius accedamus, crediderim illos primo ex tophis ædificasse; licet pro tectorum materie a paleis etiam & viminibus, ob inopiam, non abstinuerunt, ut dicam infra. Tophaceam structuram prisca mœniorum rudera, Tarquinii præsertim Aggeris, satis clare ostendunt. Successit postea opus lateritium ad Augusti usque tempora, qui, ut vidimus, jactari solebat, *Urbem se lateritiam invenisse; reliquisse marmoream*. Imo sub Augusto etiam lateritia opera perdurarunt, ut ex substructionibus Aquæductuum ab eo erectis, quibus Aqua Paula percurrit, liquet. Sicut e contra ante Augustum ipsum nonnulla exstarunt* marmorea ædificia, quæ primo scenam M. Scauri exornarunt, ut infra. Philander [4] cratitiorum etiam parietum ex Vitruvio meminit, quos e ligneis cratibus aut cannis in modum cratis insertis, & plexe intercussantibus, constare ait; calce tamen linitos, ut inquit idem Vitruvius, qui de eisdem addidit: *Velim, ne inventi essent, quantum enim celeritate prosunt, tanto majori sunt calamitati, quod ad incendia sunt parati*, & postea nimis sensate concludit: *Itaque satius esse videtur impensa testaceorum in sumptu, quam compendio cratitiorum esse in periculo*: quæ Vitruvii admonitio si ad moralem deflectatur sensum, non modicæ erit utilitatis. De maceriis ex cæmentis temere & sine arenato congestis, quarum in sepiendis hortis usus, non est hic locus dicendi.

Expeditis iis, quæ ad Domorum materiam pertinent, longe plura circa priscam earundem formam, seu Architectonicam rationem, forent prosequenda, ut sunt tres antiqui Græcorum ordines a quibus & Latini acceperunt; Doricus, quem fortem appellabant, modicique ornamenti, virilium Deorum Templi adhibitus, ut Martis, Neptuni &c. Corinthius, quam mollem vocabant, satis comptus. Deabus destinatus: & Jonicus inter utrumque medius: sicut & Italicus ex supradictis compositus; nec non Thuscanicus, seu Rusticus, Villarum proprius. Domorum insuper ornamenta varia, quæ cum Græcæ sint appellationis non modicam præ se ferunt perplexitatem. Sed quoniam isthæc præter historicum sunt institutum, & puram putam sapiunt Architecturam, consulto omittimus, *Tom. 3. Dissert. de Artibus* examinanda. Impræsentiarum ergo varia structurarum apud Priscos genera ex Vitruvio contemplabimur in generali, e quorum notitia integrum cuique erit, antiqua rudera contemplanti eorum antiquitatem statim divinari.

Duplicem ædificandi formam proponit expresse Vitruvius [1] reticulatam scilicet, & incertam: tertium paulo post, sed obiter, memorat genus, nempe ordinarium. Palladius [2] tamen alia insuper quatuor genera recenset, nimirum lateritium, cæmentitium, rude e saxo quadrato, & formaceum. Addit etiam Philander cratitium, & spicatum. Unde stupori mihi est genera hæc a Vitruvio non fuisse serio pertractata, quantumvis in eodem cap. eadem tetigerit. Reticulatum explicat Philander hoc modo, *cum cæmenta non jacentia, sed in latus stantia ponuntur, ea enim structura rete videtur referre*; & paulo post, *fit*, inquit, *ex lapidibus, aut laterculis quadratis, sed in angulum stantibus* & ut ait Barbarus, *in angulo se tangentibus*. Sed melius pro quadratis dixissent *quadrilateris*, multoties enim reticulatum ex rhombis componitur, Neapolitani dicunt *a mustaccioli*; ob quam figuram opus etiam amygdalatum appellatur, sicut etiam cancellatum: apud Græcos vocatur Dictyotheton. Genus hocce suo tempore valde fuisse familiare ait Vitruvius, qui illud vocat *venustius sed ad ruinas faciendas ideo paratum, quod in omnes partes dissoluta habeat cubicula & coagmenta*; seu, ut explicat Baldus, *quod lateres cuneatim se protrudant*.

Incertum genus ab eodem Vitruvio describitur his verbis, *incerta vero cæmenta alia super alia cadentia, interseque imbricata non speciosam, sed firmiorem, quam reticulata præstant structuram*. Ubi ego, pace Interpretum, loco vocis, *imbricata*, legerem ex antiquo Codice *implicata*: hæc enim implicantia a plerisque nos, ut sic dicere fas sit, implicantiis & difficultatibus eximit, magisque ob sui confusionem incerto huic generi congruit: Philandri enim explanatio rem magis implicat, cum inquit: *id est, ut unum duorum cæmentorum angulis, atque adeo cæmentis ipsis invehatur, sedeatque imbricum tegularum modo*: modus siquidem hic perpetuo servatus, imbricum ordinem referens, quem ipsemet structuris e lapide quadrato attribuit, ut mox apparebit, non videtur posse cum incerto struendi genere compati, quod juxta ipsum Philandrum nullum ordinem servat.

Sed vero postremum hoc Philandri assertum difficultate mihi non caret. In Incerto etenim genere summum admiror ordinem, & in ipsa lapidum confusione symmetriam & regulam; nam lapides ipsi quantumvis & magnitudine & figura inæquales, ita tamen exacte sibi invicem quoad latera & angulos respondebant, ut nullum relinquerent spatium calce replendum: quod ut obtinerent, utebantur Prisci, ut ibidem observat Palladius, Regula quadam plumbea, quæ posset ad angulos metiendos inflecti. quæ diligentia in tumultuario opere utique necessaria non fuisset. Hoc genere utimur hodieque in sternendis silice viis, Neapoli presertim, & Florentiæ: Imo crediderim multas Antiquorum substructiones, Arcus præsertim & Portas, Incerti hujusce generis fuisse, quod a nemine video adnotatum, ut est Arcus Gallieni apud S. Vitum, ubi lapides figura & mole diversi, tam miro ordine sine calcis nexu coagmentantur: unde musivo operi grandiori illud non inepte comparaverim. Quare censura inurendus est Barbarus de hoc genere inquiens: *la incerta è quella, che si fa di pietre di diverse figure a caso poste*. Quod certe Vitruvius, quem ipse commentatur, non asseruit, sed solum *alia*, ait, *super*

1 Vitr. ibid. 2 Cap. 6. 3 C. 9. * Leg. *exstiterunt*. 4 In c. 8. Vitr.

1 L. 2. c. 8. 2 Arch. l. 4. c. 9.

alia sedentia &c. Et sane nisi hoc structuræ genus summæ symmetriæ & artificii fuisset, inter genera structurarum una cum reticulato a Vitruvio recensitum minime fuisset. De incerto genere, quod hodie in usu est, verum quidem dixisset Barbarus: lapides enim habet tumultuarie & sine ordine compositos, interjacentibus non paucis vacuitatibus calce quidem infarctis. Incertum ergo ordinatum antiquissimum esse testatur Vitruvius, & valde tutum, licet non adeo speciosum, præterquam cum incertitudo ipsa ad symmetriam redigeretur, ut de Arcubus diximus.

Meminit tertii cujusdam generis ibidem Vitruvius, quod Ordinarium vocat Græcis familiare. Genus hoc, ait Philander, *medium esse inter illud, quod fit e quadrato lapide, & quod ex informi cæmento temere congesto, ubi lapides, etsi ad normam non respondent, a se invicem non abhorent, & ordine coagmentantur*. Quæ explicatio genus Ordinarium cum Incerto omnino confundit, prout hoc a nobis paulo ante declaratum est. Magis reprehensione dignus videtur Leo Baptista Albertus, qui ordinariam structuram ex quadratis lapidibus ad regulam compositis fieri ait aperte contra Vitruvium sic inquientem: *Insuper non est contemnenda Græcorum structura, non enim utuntur e molli cæmento, sed cum discesserunt a quadrato, ponunt de silice, seu de lapide duro ordinariam*: quod si hæc fit cum discedítur a quadrato. qui dici possit e quadratis fieri? Magis deridendum se exhibet Barbarus cum eadem verba ex Baptista Alberto referens, Vitruvium ipsum testem advocat, oppositum aperte asserentem: & non multo post sui immemor addit; *la quale*, de Ordinaria structura loquitur, *è mezzana tra la incerta, e quella, che si fa di pietra quadrata*, quod e Philandro sumpsit.

Quod si autem postules, quodnam tandem sit hoc ordinarium structuræ genus? dicam ingenue & modeste quod sentio, nulli Interpretum vestigiis inhærens. Putaverim esse idem quoad formam cum Incerto, solo penes materiam discrimine. Utrumque ex Vitruvio ipso colligo, qui, cum Ordinarii generis peculiarem non assignaverit formam, visus est ad alterutram e duobus a se allatis generibus illud reduxisse; at non ad reticulatum, quod quadratum erat, ait enim: *cum discesserunt a quadrato, ponunt ordinariam*: ad Incertum itaque. Quod vero ab hoc etiam penes materiam differret, ex eodem Vitruvio est manifestum, qui cum de Incerto antea dixisset: *cæmenta alia super alia sedentia &c.* de Ordinario postea addit: *non enim utuntur e molli cæmento, sed ponunt de silice, seu lapide duro*: discrimen ergo est penes silicem & cæmentum. Longior in minutiis hisce ex consilio fui, non ut contradicendi libidini indulgerem, sed ut agnoverint studiosi genuinos Auctorum sensus raro ab Interpretibus & Scholiastis hauriri, ab ipsis vero fontibus sæpissime: tum quod cum circa fabricas versemur, ingratum minime erit nonnihil novi exstruere.

Genera alia a Palladio relata perfunctorio dumtaxat indigent examine. Lateritium fit ex lateribus, aut tumultuarie congestis, aut ordine imbricato, de quo mox dicam. Cæmentitium e cæmentis, & tophis, aut rudibus, & ruditer coagmentatis, aut politis, & ordine quadrato dispositis. Structura e lapide quadrato speciosa non minus quam firma, quid sit, nomen ipsum declarat. Ab Antiquis ita adamussim lapides coagmentabantur, ut unus esse viderentur lapis, sine calce, & invisis pene commissuris, atque ex anteriori facie omnino perpoliti; licet interius rudes: de quo struendi genere plura vide apud Palladium. Dicebantur in hac structura lapides imbricatim compositi, hoc est, imbricum more, quatenus superior lapis supra duorum inferiorum commissuram jaceret, itaut commissura ipsa inferiorum lapidum meditullium superioris attingeret, nec inferiorum superiorumque lapidum commissuræ sibi correspponderent, ut videre est in Aggeris Servii Tullii muris, & figuram vide apud Albertum & Palladium; explicationem vero luculentiorem apud Philandrum, quem iterum miror hunc ordinem imbricatum adeo regulatum & pulchrum incerto generi attribuisse, quod Vitruvius *minime speciosum* vocat. Duo hujus structuræ genera recenset Vitruvius Isodomum, & Pseudisodomum: primum, cum omnes lapidum cursus, seu series æquales, secundum vero, cum inæquales forent, seu superior cursus latior, quam inferior, & sic deinceps. Formacei parietes fiunt e terra, erectis hinc inde duabus tabulis tantum a se distantibus, quanta latitudo muri facienda est, quod spatium terra & lapidibus tumultuarie impletur, *itaut muri*, sicut ait Philander, *infarciantur verius quam struantur*; sicut hodie in priscis Madriti mœnibus videre est, & Romæ in Villa Pii V. Ex priscis hujus generis Romæ muris nullum superest vestigium, vix enim duo sæcula durabant. Genus hoc a Palladio vocatur *a cassa, overo di riempiuta*. Sed verius putaverim id, quod ipse appellat, *a cassa*, idem fuisse, quod Græci dicebant, *Emplecton*, cum scilicet facies ipsa parietis ex quadratis & politis erat lapidibus, intus vero ex cæmentis temere congestis, ut sunt prisca mœnia Neapoli, quorum antica & postica facies e quadratis lapidibus, interjacens vero spatium terra oppletum. Craticei parietes e ligneis crateis, aut cannis in modum cratis infertis conformabantur, ut supra. Structura spicata, quam appellant Itali, *a Spiga*, nulli non patet: sicut & alia genera ut pedibus trita, ita & cognitu unicuique notissima, quæ hinc lubens omitto.

Illud solum adnotaverim, muros cujuscumque generis, præterquam e quadratis lapidibus compositos, variis procinctibus seu fasciis circumduci ab antiquis Structoribus fuisse solitos, quos procinctus Vitruvius Græca voce appellat *Coria*, nostri dicunt *Cursus*. Constabant e lapidibus vel lateribus solidioribus, quos ad quinos quosque muri pedes repetebant. Id maxime servatum in lateralibus ipsis murorum angulis utrumque murum copulantibus. Itali dicunt *le Cantonate*, Hi angulorum procinctus longe solidiores fieri solebant, dicebantur enim ossa parietum, sicut cursus murorum vocabantur nervi. Addebant quandoque ad majorem fortitudinem metallicas laminas.

Illud reliquum est, ut declaremus ex tot structurarum generibus quodnam apud Romanos magis fuerit in usu. Primis Urbis temporibus Incertum genus frequentatum fuisse ex Vitruvio colligo, qui illud *antiquissimum* vocat: non tamen rude, sed bene concinnatum; non enim deerant tunc Etrusci, Sabini, Gabiique Fabri, quos Romani accirent. Structiones e lapide quadrato, aut cæmentitio, vel Albano statim successerunt, Regum etiam tempore, ut ex priscorum Aggerum ruderibus aperte constat. Accessit cæmentitium & lateritium tumultuarium, postea reticulatum, quod suo tempore satis frequens fuisse testatur Vitruvius. Hujus generis fuit Mausoleum Augusti, & Palatium Pincii Senatoris, quorum adhuc exstant vestigia: extra vero Romam centum Camerellæ in Bajano sinu, & Amphitheatrum, quod Scholam Virgilii vulgus appellat. Formaceorum craticiorumque parietum nulla exstat memoria: fuisse vero colligitur ex Vitruvio [1] & Plinio, [2] qui illorum meminerunt. Declinante Imperio declinavit pariter structuræ decor: unde cæmentitium genus, & latericium inordinatum, frequentari cœpit: post

1 C. 3. 2 L. 35. c. 14.

invasiones præsertim Gothorum Vandalorumque, qui omnia pessumdederunt.

SECTIO PRIMA.

Romanarum Ædium structura per varias ætates magis in particulari investigatur.

SEd age jam, quoniam de variis Romanorum structuris sermo incidit, ut hoc idem argumentum meliori ordine, eoque chronologico pretractemus, age, inquam, Romanam Rempublicam in varias ætates distribuamus, ut quo in singulis splendore & sumptu ædificatum Romæ sit, graphice appareat. Sex vero ætates distinguimus. Prima sit ab Urbe condita ad Gallicum usque incendium; & complectitur annos CCCLXV. Secunda ab Urbe post incendium restituta usque ad deleta inter Marium & Syllam civilia bella; & annos continet CCC. Tertia usque ad decimum Neronis annum, quo Urbem cremavit; & annos habet CL. Quarta usque ad Gothicam obsidionem, captamque Romam Duce Alarico, & complectitur annos CCCXLVII. Quinta usque ad annum XXI. Principatus Justiniani, quo a Totila Gothorum Rege Urbs magna ex parte incensa; & comprehendit annos CXXXVII. Sexta demum ætas ad nostra usque tempora decurrit.

Ut a prima istarum exordium sit, nulli dubium erit prima ætate exiguas rudesque domos Romam habuisse. Nondum enim sub Regibus, sed exactis etiam ipsis regnabat in Urbe paupertas, ut enim inquit Cato: [1] *amplissime laudabatur, qui dici posset bonus agricola, bonusque colonus, possetque impendia bellorum sustinere, quæ sine publico stipendio tunc gerebantur.* Hinc quæsiti ab aratro Consules, & Dictatores, *quos angustiæ rei familiaris, bubulcos fieri cogebant*, ut ait Valerius: [2] Romuli casam sic describit Ovidius, [3]

Adspice de canna straminibusque domum.

Item Numæ,

Hic locus exiguus Regia magna Numæ.

Veteris Capitolii humilia tecta, & Vestæ focos fictilibus vasis contentos, vide apud Valerium. Plani pedis ædificia reperies apud Vitruvium, [4] qui ait: *cum area plana postea non posset Populi recipere multitudinem, ad altitudinem ædificiorum res ipsa coegit devenire.* De Templis eadem ratio. Capitolinum enim omnium tum munificentissimum depingens Ovidius [5] ait,

Juppiter angusta vix totus stabat in æde.

Hujus rusticitatis causa erat summa eorum temporum egestas. De priscis enim Romanis cum sui ævi comparatis Plinius [6] ait, *quorum agri minorem obtinent modum, quam cellaria istorum.* Opera quædam publica paulo ampliora hac ætate fuerunt, ut Porticus circa Forum, Aggeres, & muri Urbis, & Templum Capitolinum a Tarquinio Superbo in meliorem formam redactum; omnia tamen rudia & inornata.

Post ejectos Reges, ingruentibus bellis, nihilo melior evasit Urbis ornatus, paupertate adhuc regnante, ut enim Plinius [7] ait: *perniciosus intelligebatur Civis, cui septem jugera non essent satis: hæc enim mensura post exactos Reges assignata est*, imo Juvenalis, [8]

—— pro multis vix jugera bina dabantur
Vulneribus.

Unde Cornelius Rufinus duobus Consulatibus & Dictatura speciosissime functus, quod decem pondo vasa argentea comparasset, a Fabricio Censore Senatu motus est, ut testatur Valerius. [1]

Capta a Gallis incensaque Urbe, tanta inopia paucos superstites invasit, ut sint qui dicant apud Festum, *ob penuriam cibatus cœptos* LX. *annorum homines jaci in Tyberim.* Hæc fuit secunda ætas, de qua Florus [2] ingeniose magis quam vere dixit: *Pastorum casa signis ille & paupertatem Romuli abscondit.* Etenim postquam reluctantes Cives, qui Vejos discesserant, exilium quam ædificationem malentes, Camilli Dictatoris eloquentia ad ædificandum adducti sunt, eisque *tegula publice præbita est, materiæque cædendæ jus factum*, ut ait Livius, [3] qua magnificentia ædificia creverint, Livius [4] ipse declarat, *forma Urbis*, inquiens, *occupatæ magis quam divisæ similis: festinatio curam exemit vicos dirigendi, nam intra annum nova Urbs stetit*; & Tacitus [5] ait: *nulla distinctione erectæ domus, huc & illuc flexi & enormes vici.* Domorum pulchritudinem indicat Suetonius, [6] cum inquit, *deformitas ædificiorum, angustiæ flexuræque &c.* Marmora aliaque ornamenta adhuc invisa: area insuper domorum modica, etiam Magistratuum. Catonis enim viri consularis angusti penates: Pompeii ante tertium triumphum parva ædes; quam postea auctam ingressus Antonius, per jocum quæsivit, ubinam Pompejus cœnarit. Ditissimus ille M. Crassus anguste habitavit, sicut etiam Ælii, [7] Cæsar, & Augustus, cujus ædes *nec laxitate, nec cultu conspicuæ:* ut ait Suetonius, intellige id ante imperium. Non negaverim Q. Cæcilium Metellum hac ætate primum omnium ædem ex marmore molitum: unde a Paterculo, [8] *vel magnificentiæ, vel luxuriæ Princeps dicitur*; sed hæc rara avis. Non multo etiam post Scipio Nasica & Cn. Octavius splendide ædificarunt: sed hoc adeo insolens hac ætate visum, ut excanduerit Paterculus [9] dicens: *publicam magnificentiam sequuta privata luxuria est*: & Lepidus Ælius augur, *quod sex millibus ædes conduxisset, adesse jussus est a Censoribus*, ut ait idem. Templa hujus ætatis etiam parva; Jovis enim Feretrii fuit XX. palmos longum; Jovis Capitolini CCLXVI. quod sustinebatur pilis e latere coctili dealbatis. [10] Substructio Capitolii e saxo quadrato, cloacæ & stratæ silice viæ majestatem quamdam spirabant. [11] Sed hæc nihil ad domorum splendorem faciebant, de quibus impræsentiarum est sermo.

Post fœdata Marium inter & Syllam civilia bella, incepit tertia ætas, quæ jure dici possit adolescentia ædificiorum. Hinc enim Domorum magnificentia enitere cœpit. L. Crassus Orator ædem condidit in Palatino columnis Hymettii marmoris insignem: unde a Cn. Domitio Censore graviter reprehensus, & a Bruto Venus Palatina dictus fuit: ex Plinio, [12] qui sic sententiose concludit, *tam recens est opulentia.* Domus M. Lepidi crustis Numidici marmoris ditata: præter Q. Catuli, C. Aquilii, M. Scauri, P. Clodii, aliasque magnificas ædes. Quibus adde Pompeii Theatrum, Porticus, & Basilicam; Theatrum Marcelli & Balbi; Amphitheatrum Statilii; Forum Cæsaris; Basilicam Pauli Æmilii, omnia ad stuporem; adeo ut dixerit Plinius: [13] *Lepidi domum, qua pulchrior Romæ nulla fuerat, intra annos* XXXI. *nec centesimum quidem locum obtinuisse.* Statuarum, de quibus Cassiodorus ait *pene parem populum Urbi dedisse, quam natura procreavit*, innumerabilem nu-

1 De R.R. 2 L. 4. c. 4. 3 L. 4. & 6. Fast. 4 L. 2. c. 8. 5 L. 1. Fast. 6 L. 36. c. 35. 7. Lib. 18. cap. 3. 8 Sat. 14.

1 Lib. 2. cap. 4. 2 Lib. 1. cap. 13. 3 Lib. 5. 4 Lib. 6. 5 L. 15. Ann. 6 In Ner. 7 Valer. l. 4. c. 4. 8 L. 1. 9 L. 2. 10 Halic. l. 4. 11 Liv. l. 6. 12 L. 15. c. 1. 13 Lib. 36. c. 6.

merum describam *Tom. 2. Differt. de Statuis*. Qui luxus post devictam Asiam Romam translatus, sub Augusti Principatu summum culmen attigit. Hic enim, ut ait Suetonius, *Urbem pro majestate imperii excoluit, publica opera plurima exstruxit, & cæteros hortatus est, ut Urbem adornarent*. Hinc Agrippa omnia ædificia publica & vias privatis impendiis refecit. Idem Augustus pulchrum exstruxit Forum, & quæ Cæsar destinaverat perfecit, omnia e marmore, ut jure moriens dixerit, *Urbem lateritiam invenisse, at marmoream relinquere*: unde a Livio *Urbis conditor* appellatur. Eadem amplianda Urbis cura successoribus insedit. Tiberius enim Augustale Palatium in ampliorem formam struxit. In tanto autem Urbis splendore illud adhuc ad eam dehonestandam durabat, viarum scilicet flexura & angustia: excepta enim Recta Via in Campo Martio, & Via Lata, omnes aliæ angustæ erant. His adde domus non ad lineam rectas, sed fortuito positas. Accedebant collium abrupta & vallium ima, quæ turpem domorum inæqualitatem pariebant. Unde miror a magno Lipsio id laudi Urbis verti. Nec quicquam fecit Augustus, cum jussit domus ultra pedes LXX. non extolli.

Sed ecce jam quarta ætas sub Nerone, qui, ut ait Suetonius, *offensus deformitate veterum ædificiorum, & angustiis flexurisque vicorum, incendit Urbem*. Quo scito Timagenes felicitati Urbis inimicus ajebat teste Seneca: 1 *Romæ sibi incendia ob hoc unum dolori esse, quod sciret meliora resurrectura quam arsissent*. Atque ita evenit: nam cum ex XIV. Regionibus, in quas Romam distribuerat Augustus, tres solo tenus dejectæ, & septem plusquam semiustæ fuissent, statim e suis flammis pulchrior Urbs resurrexit. Ut enim ait Tacitus: 2 *Domus non, ut post Gallica incendia, nulla distinctione, vel passim erectæ, sed dimensis vicorum ordinibus, & latis viarum spatiis, cohibita ædificiorum altitudine, apertis areis, additisque porticibus &c.* Hinc Roma frequentata domibus, ordinata viis ornamentis decorata. Non multo post eadem conflagravit: sed mox a Vespasiano instaurata. Amphitheatro insuper, Templo Pacis, aliisque aucta. Arsit iterum sub Tito, a quo iterum reparata & ornata. 3 Idem præstitit Domitianus studio solum illustrandæ Urbis insignis: Capitolium enim tertio refecit, Templa erexit, laxavitque vias, quas institorum tabernis, qua artificum officinis occupatas. 4 Non minor fuit Trajani solertia, qui, præter illustre Forum, Urbem etiam egregiis aliis operibus decoravit. 5 Labente post Trajanum Imperio, minui pariter cœpit sensim sine sensu Urbis decor. Sub Commodo incensa iterum, ab eoque restaurata, Commodiana dicta est, cui statua aurea cum tauro & vacca, quasi Urbis conditori, erecta. 6 Severus ædes publicas, quæ vitio temporum labebantur, instauravit, *nusquam prope*, ut ait Spartianus, *suo nomine adscripto, servatis tamen ubique titulis conditorum*.

Majus ædificiorum Romæ excidium fuit, cum, detonante ubique Gothici furoris procella, Romanum ipsum Imperium corruit; Atque hæc est quinta ætas, & quasi senium ædificandi. Sub Honorio fateor Alaricum Urbem ingressum, paucis ædificiis incensis, statim discessisse. Neque Gensericus, prædæ solum inhians, in tecta desævìit. Odoacer Urbi, in qua erat regnaturus, pepercit. Theodoricus Romam paucis devastatam instauravit, novis etiam additis. Exstat ejus ad Sabinianum Urbis Senatorem epistola, qua constituit ut XXV. M. tegularum annua illatione in ædificiorum reparationem præstarentur, quarum nonnullæ nostro ævo repertæ sunt. Usque huc ergo mitis Gothorum furor. Sed Totilas Urbem magna ex parte post longam obsidionem demolitur. Reparant illam Bellisarius & Narses; at paulo post iterum a Totila capta, suis tumulata ruinis relinquitur; super qua, ceu Hierosolyma altera, audiendæ sunt Magni Gregorii 1 lamentationes, præter ea, quæ dixi *Dissert. 2.*

Ultima ætas a Justiniano ad hæc usque tempora perducitur. Post sedatas Gothorum procellas cœpit aliquantulum sub Pontificum Romanorum Principatu Roma resurgere. Verum, a Longobardis iterum vexata, non valuit ædificiorum ornatui operam navare; nec pacatis etiam per Carolum Magnum bellorum furoribus. Tam alta enim invecta fuerat a Gothis & Longobardis barbaries, ut Architectonica Ars pene corruerit; quam barbariem ad XIV. pene a partu Virginis sæculum productam, etiamnum in Italia lugemus. Sed tandem studiosorum industria, qui ab antiquis, quæ supersunt, melioris Architecturæ monumentis rectos exstruendi modos imitati sunt, ad tam splendidum nitorem hæc Ars assuerrexit, ut nihil nobis reliquum sit, quod Priscis invideamus. Si enim Augusti & Neronis tempora excipias; aliis ætatibus nostra quam longissime præstat, ut utrasque comparanti perspicuum erit.

SECTIO SECUNDA.

De Domorum Partibus.

EXaminatis Domorum caussis, earundem partes majori qua poterimus cura lustrandæ sunt. Eas vero in duas classes distribuo, ut aliæ sint generales: & sicut in Schola loquuntur, essentiales, sine quibus domus non essent; aliæ particulares, & ut ita dicam, integrales. Primæ a Baptista Alberto quinque afferuntur: fundamentum, parietes, aperturæ, (sub quibus comprehenduntur ostia fenestræ, camini, & scalæ) compartitiones ædium, & tecta: Pro quibus rite struendis multæ tradi solent regulæ ab Architectis, qui omnino consulantur, præter ea, quæ supra tradidimus, & trademus deinceps.

Partes igitur secundi generis investigabimus. Qua in re me non pudet fateri laborasse diu & hæsisse: licet enim pleræque domorum partes a nonnullis viris doctis explicatæ sint, omnium tamen collectim systema & ideam apud neminem video, nec ipsum quidem Vitruvium, aut ejus Interpretes mutilos in hac re nimis & jejunos; & quod deterius, nullum exstat integrum priscarum ædium vestigium. Conabor tamen has tenebras nonnihil dilucidare, si detur mihi venia ex meo cerebro aliqua promendi, idve non inanis auræ cupiditate, sed ut viam sternerem studiosis meliora commoliendi, quo ... ntius hic audirem quam ut audiri cupiam. Meæ igitur partes erunt Partes domus non tumultuarie, & Calepini more, sed ordinate describere, ut inde cito domorum idea confingi animo possit.

Primo vero omnium occurrit Vestibulum, quod inter ædium partes, & quidem principaliores recensetur, licet extra ædes fuerit. Erat enim locus ante domorum januam, seu clarius area inter domum, & viam, *per quam*, ut ait Gellius, 2 *a via aditus ad ædes est*. Etymon sumpsit, vel quod januam, quæ post ipsum erat, vestiret, vel quod Vestæ foret consecratum. Male autem Ovidius, 3 quod in eo ignis Vestæ dicatus accenderetur, qui enim extra ædes ignis accendi potuit? Inventum fuit Vestibulum, ut detinerentur in eo Clientes, qui ad præstanda Patronis officia venissent, antequam a Servis admissionalibus intus admitterentur,

1 Epist. 41. 2 Lib. 15. Ann. 3 Suet. 4 Mart. l. 7. epigr. 60. 5 Plin. in Pan. 6 Lamprid.

1 Hom. 18. in Ezech. 2 Lib. 16. c. 5. 3 L. 6. Fast.

tur, de quibus *Tom. 2. Differt. de Servis*, & *Tom. 3. Differt. de Salutationibus*. Hinc fit Vestibulum proprium fuisse Nobilium, quibus solis officia præstabantur, præsertim Magistratuum: unde Vitruvius jubet Vestibula juxta domos magnificas extrui. Confunditur ab aliquibus cum Atrio, quos tamen Gellius ibidem carpit, & nos infra. Credit Vossius [1], nec abs re, cum olim modicæ forent domus, idem fuisse cum Atrio Vestibulum, aucto vero luxu distingui cœpta. Nardinus [2] Vestibuli exemplum indigitat in Palatiis Columnensium, & Marganorum: at minus proprie; quæ enim sibi putantur Vestibula, Impluvii potius rationem & specimen præ se ferunt: habent enim clausuram anteriorem cum ostio, quibus Vestibulum caruisse necesse est, cum ex Gellio, *ante januam esset*. Potius ergo mihi adumbratur in area Farnesiani, aut Burghesiani Palatii, ut paulo infra dicam. Decipitur etiam ibidem Nardinus, cum designaturus Vestibuli terminos ait: *sporgendo ambe l'estremità* (le Case) *come corni, tenevano in dietro la parte di mezzo, dalla qual retiratezza si lasciava il Vestibolo tra la strada, e la porta*. Fallitur, inquam: perpetua enim hæc cornuum exporrectio in solo Nardini capite ortum habuit, a nemine indicata. Poterat igitur claudi Vestibulum area, aut porticibus, & columnis, ut de illo Neronis dicemus, (unde Scamozzius magna Vestibula cum Porticibus confundit) aut terminalibus quibusdam lapidibus, aut lateralibus ipsis viis, cum ampliores ædes Insularum more a viis ambirentur. Atque hoc indicat ex Aquilio Gallo Gellius, Vestibulum fieri, inquiens, *cum dextra, sinistraque inter januam, tectaque, quæ sunt viæ, spatium relinquunt*. Illud bene infert Nardinus apertum fuisse Vestibulum, & non habuisse immediatum ad viam prospectum.

Sequitur post Vestibulum Janua, de qua peculiarem instituam Dissertationem, ubi varias ejus partes, limen, superliminare, valvas, sicut etiam claves, seras, pessulum, aliaque scitu jucunda explicabo.

Post januam principalem ædium reperiebatur protinus Atrium, quod ostio conjungendum jubet Vitruvius. Illo Græci carebant, unde ab ostio ad peristylium, quod nos dicimus *il Cortile*, angustus erat aditus, quem Θυρωρεῖον Thyrore ion appellabant. Pars erat inter ædes ostiumque ipsum, eique conjuncta, itaut primo januam introeunti occurreret, quem Itali dicunt *l'Andito*. Nomen sumpsit vel ab Atriensibus Etruriæ populis [3], a quibus primum ejus petitum exemplum; vel quod fumo esset atrum; vel ob ignem in honorem Vestæ inibi perpetuo ardentem; vel ob Culinæ viciniam. Diversum fuit a Vestibulo, ut supra; imo & ab Impluvio, utrumque hoc enim tecto destituebatur, cum Atrium foret opertum, & utplurimum testudinatum. Quod pluribus conjecturis nititur demonstrare Nardinus, quia nimirum in Atrio ardebat ignis, cœnabant, feminæ texebant, congregabatur Senatus: ad hæc, quia Verrius Flaccus in Atrio Catilinæ Grammaticam docuit, in Atrio Libertatis erat Bibliotheca, & in Atrio tandem Justinus Imperator nuncios recepit, quæ sub dio facta fuisse repugnat. Sed, pace summi viri, hæc nihil ad rem, æquivocatur enim Nardinus in Atrii vocabulo: nam plura fuere Priscis Atria, præsertim interiora, ut dicam infra; quare actiones a Nardino allatæ in interioribus Atriis factas fuisse credendum est: quis enim sibi suadeat prope januam receptos nuncios, feminas texere, cœnari &c. eo præsertim, quod feminarum ædes penitissimas fuisse dicturus sim? Quapropter opertum fuisse Atrium ex Vitru-

1 In Etym. 2 Lib. 3. cap. 3. 3 Varr. 4. L. L.

A vio [1] unice colligo, qui de eo scribens, trabium & lacunarium meminit. Habebat pariter Atrium hinc inde columnas testudinatum Tectum sustentantes; quibus Alæ quædam formabantur, quas sæpe Vitruvius memorat. Mensura, & proportio Atriorum triplex ab eodem Vitruvio affertur; prima Diagonalis, cum nimirum latitudo latitudini esset æqualis: secunda dicebatur Bipartiens tertias, itaut ex quinque longitudinis partibus tres solæ latitudini attribuerentur: tertia Sesquialtera, ut ex tribus portionibus longitudinis duæ latitudini assignarentur. Altitudo erat quanta longitudo, quarta solum parte dempta.

B Non modica est controversia inter Antiquarios & Architectos circa Tablinum, quod Festus Atrio proximum collocat. Dictum existimat Nonius, quod e tabulis componeretur, & Varronem ipse in testem adducit; sed male, hic enim de alio Tablini genere loquebatur, loco scilicet ubi hyeme cœnare solebant. Nostrum autem Atrio propinquum aliter ac e lignis fuisse ex Vitruvio colligitur. Ita appellatum ait Festus a tabulis scriptis, seu codicibus in eo reconditis, ut idem foret cum Archivo, quod etiam Tabularium nuncupant. Cui opinioni ego diu hæsi.

C Verum re subtilius examinata aliter judicare cogor: Tablini enim situs, quem mox accurate rimabor, ipsum ab Archivo diversum fuisse evincit. Philander existimat Tablinum ita appellatum a tabulis non quidem scriptis, sed pictis, ut idem foret cum Pinacotheca Græcorum, in qua picturæ aliaque ornamenta recondebantur, Itali dicunt *la Guardarobba*. Huic opinioni calculum non defero, nam Vitruvius de Tablino & Pinacotheca tamquam de rebus diversis scripsit, de hac quidem in *cap. de Tricliniis & Exedris*, de illo autem in *cap. de Atriis*. His adde situm ipsum Tablini illud a Pinacotheca distinguere, ut mox dicam. Quare concludo, non aliunde, quid

D fuerit Tablinum, apparere posse, quam ab ipsius situ, quem si in tanta obscuritate invenerimus, ut in votis habeo, rem totam confectam habebimus.

De Tablini autem situ silet Vitruvius, totus circa ejus mensuras occupatus. Tacent etiam cum ipso Scholiastes & Architecti: unde ad eum inveniendum ratiociniis utendum est. Facem præbet, at modicam, in his tenebris Festus, qui *Tablinum*, ait, *proxime Atrio locus fuit*. Sed ecce aliæ non minores umbræ. Ubi enim? In eadem-ne recta linea cum Atrio, itaut ab hoc directe pateret ad Tablinum aditus: vel in lateribus porticuum, seu alarum peristy-

E lii inter alias Cellas? Quorum primæ parti adstipulor, quam pluribus demonstrare enitar, cum id sit nostræ conjecturæ & opinionis basis. Ad quod obtinendum ita ratiocinari lubet. Etenim Vitruvius de Tablino non in capitulo de Cellis, sed una cum Atrio scripsit. Fortius, nam idem post Atrii dimensiones exaratas, continuo, eodemque loquendi nexu, nullo verborum diverticulo, ad Tablinum se contulit, ut ex ipsiusmet verbis mox afferendis apparebit. Fortissime, nam Vitruvius, postquam determinavit Atrii proportiones, statim easdem pene Tablino attribuit inquiens, *Tablino, si latitudo Atrii erit pedum* XX. *dempta tertia, ejus spatio reliquum tribua-*

F *tur*, Quod utique non recte fecisset Vitruvius, si Tablinum e numero fuisset Cellarum; quid enim pertinebat ad Cellas Atrium? aut quandonam Atrii dimensiones Cellis ipsis fuerunt a Vitruvio attributæ? Tandem hic ipse jubet Tablini altitudinem Atrium superare, ut lumen superius acciperet. Ex quibus omnibus conjicere est, Tablinum non modo cum Atrio conjunctum fuisse, sed in eadem insuper recta linea cum illo, itaut ab Atrio in Cavædium eunti, per Tablinum recto itinere transeundum foret. Sed quo, inquis, situ? Puto longitudinem

1 Lib. 6. c. 3.

Tablini latitudini Atrii fuisse adaptatam, & per hanc excurrisse.

Stabilito semel Tablini situ, quid tandem illud fuerit, perspicue, nisi fallor, colligitur. Non enim potuit e Cellarum, aut Penuum censu fuisse, sive Archivum illud dixeris, sive Pinacothecam. Ad quod tam secure asserendum contra omnium, quod sciam, Architectorum fidem, duplex me cogit ratio. Prima, quia si e Cellis fuisset Tablinum, clausum utique fuisset: Cella enim a celando dicitur: id quod maxime credendum est de ea Cella, ubi res tanti momenti asservabantur, codices nimirum & suppellex. Si autem obseratum fingamus Tablinum, quomodo liber patuisset ab Atrio ad Impluvium, sicut par est, aditus, cum Tablinum inter Atrium & Impluvium medium exstitisse dictum sit? Altera ratio est, quia scripturæ & suppellex Armariis recondita nihil ad Atrium pertinebant. Itaque si Tablinum asservandis codicibus aut suppellectili destinatum erat, locatum utique non fuisset in Atrio prope ostium; quis enim ita desipiat, ut rem adeo magni momenti in loco tam aditu facili & obvio repositam velit, cum in penitiori, inter alias Cellas, ad alas peristylii locari potuisset? Ex quibus satis clare concludo, si Tablinum, ut ostendimus, inter Atrium & Impluvium situm erat, inter Cellas recensendum non esse, ideoque nec Archivum, nec Pinacothecam jure dici posse.

Quid ergo, inquis, fuit Tablinum? Ut ingenue dicam, suspicor nihil ipsum aliud fuisse, quam id quod Itali Gallica voce dicunt *la Galleria*, locum scilicet oblongum, apertum, ornatum, amœnum, expositum, in quo picturæ, statuæ, aliaque suppellex, non quidem recondita, ut in Pinacotheca, sed aperta, & ab omnibus cernenda exhibetur. Ita enim bene percipitur Tablinum locatum fuisse post Atrio, ut scilicet Imagines, quæ erant Nobilium Stemmata, ab omnibus cerni potuissent. Insuper, cum locus esset apertus, facilem præbebat ab Atrio ad Impluvium transitum. Momentum addunt huic meæ conjecturæ Servi Atrienses Atriis custodiendis destinati, necnon Janitores & Canes eidem muneri obeundo. Quis enim sciat, utrum non alia de causa tam vigilem custodiam in suis Atriis adhibuerint Romani, quam quod inibi, seu in proximo Tablino, suam suppellectilem expositam haberent? Ignoscat Lector, si plus æquo hac in re immoratus fuerim, cum rem hanc existimem a nemine hucusque sufficienter pertractatam. Mallem tamen meliora ab aliis audire. Protestor quinimo me nolle hæc pluris, quam ratio ipsa rei expostulet, venditare: intra conjecturæ enim fines singula collocaverim, sarto tamen tecto aliorum judicio, debitaque sapientioribus, præsertim Antiquis, reverentia.

Difficilioribus hisce de Tablino exantlatis, obvium erit reliqua expedire. Mensura Tablini, & proportio in hunc modum a Vitruvio [1] præfixa est: *Cum minora fuerint Atria, tribuantur Tablino duæ partes, ex tribus, quibus Atrii amplitudo constat: cum majora struenda erunt Atria, e quinque horum portionibus duæ concedantur Tablino. In mediis vero sit dimidio minus, quam Atrium. Altitudo ostii octava parte latitudinem superet: Lacunarium tandem sublimitas latitudinem tertia parte excedat.*

E Tablino introitus patebat ad Cavædium, insignem aliam Domus partem. In hunc modum per syllabæ diminutionem dictum est, quasi cavum ædium, Itali dicunt *il Cortile*: erat enim pars illa domus cava, circa quam Conclavia. Existimo idem fuisse cum Impluvio & Peristylio, sola penes magnitudinem & ornatum diversitate: Cavædia enim erant minora & minus culta: Peristylia columnis

[1] Lib. 6. cap. 4.

A (a quibus & nomen) & Porticibus circumducta: Impluvium dicebatur, si foret apertum, itaut in ipsum plueret, sicut locus, unde aquæ decidebant, Compluvium appellabatur. In Ædibus Nobilium sæpius tria hæc distincta erant; ex multis enim Cavædiis unum altero erat ornatius, sicut Romæ in Palatio Vaticano videre est. Male tamen a Scamozzio [1] Cavædium cum Atrio confunditur. Quinque eorum genera enarrat Vitruvius [2], Thuscanicum, Corinthium, Tetrastylum, Impluvium, & Testudinatum; quorum differentias satis obscure ipse tradit, obscurius ejus Scholiastes. Rem sic pro virili declarare conabor. Thuscanicum Cavæ-

B dium erat rude, circa quod, vice columnarum, lignea pegmata, ut Bononiæ in antiquissima Pepulorum Domo videre est: in hoc genere longitudo latitudinem superabat. Corinthia multis erant ornamentis splendentia, tribus aut quatuor columnarum ordinibus hinc inde insignita, qui ordines dicebantur Alæ, eo quod e lateribus essent. In his longitudo erat dimidio major latitudine, aut duabus etiam tertiis partibus. Tetrastylum, id est quatuor columnarum, sola forma a priori differebat, figuræ enim erat quadratæ. Duo reliqua nihil habent, quod speciali sit nota dignum, nisi quod Cavædia operta propria essent domorum non il-

C lustrium. Dicendum foret de columnis & porticibus, sed de his *Dissert. de Basilicis*.

Ab Alis Cavædiorum, seu, ut magis proprie dicam, ab ipsis Porticibus, aditus patebat ad ædium Conclavia, sic appellata, quod clavibus subjicerentur, Itali dicunt *le Camere*, a nonnullis Latinis male appellantur cubicula; hæc enim vox dormitoria dumtaxat sonat conclavia. De his, quantum licuit ex priscis monumentis conjicere, adnotavi, apud Antiquos minime usitata fuisse conclavia ita in eadem linea recte locata, ut ab uno ad aliud liber esset aditus, & nos dicimus *fughe di Ca-*

D *mere*. Hoc, inquam, genus Priscis invisum; imo testatur Henricus Wottonus [3] Eques Anglus hanc conclavium structuram extra Italiam omnino insolentem esse, & rationem affert, *nam intolerabilem servitutem imponit omnibus conclavibus, præterquam intimo, siquidem ad id nemo potest accedere nisi per reliqua*: & postea de Italis ludens addit: *animadverti nullam Nationem in toto Orbe, naturæ tam privatæ & secretæ, quam Italos, & quæ contra minus absconditas ædes habeat, itaut pugna sit inter eorum habitationes & ingenia*. Sed id obiter. Priscorum ergo conclavium situm, Monachorum Dormitoriis assimilarem, sed magis clare Carthusianorum in

E plano degentium Porticibus, e quibus ad singula eorum cubicula aditur; sic enim pariter circa Cavædium Porticus decurrebant, e quibus per diversas januas conclavia singula adibantur.

At hic rei opportunitas poscit, ut antiquarum ædium exemplum, quantum fas sit, proponamus. Post hanc rem sedulo perpensam mihi videtur in magno Burghesiorum Palatio ideam quandam priscæ domus adumbrari. Area enim illa columellis septa Vestibulum repræsentat, quod fuisse ante ostium dictum est. Post januam spectas aditum oblongum testudinatum, qui Antiquorum Atrio respondet: deest Tablinum; usus enim obtinuit,

F ut ipsum alibi apud nos collocetur. Ab Atrio ad Peristylium pervenitur, quod nihil ab antiquis Corinthiis Cavædiis differt. Hinc inde varia conclavia & officinæ, ut paulo ante de prisca domo monueram.

Sed nostram Antiquitatem resumamus. Conclavium varia, pro eorum usuum varietate, erant nomina, Cellæ, seu Penus, Triclinia, Dormitoria, Exedræ &c. de quibus ea pauca, quæ post diuti-

[1] Archit. p. 1. l. 3. c. 5. [2] L. 6. c. 3. [3] In Elem. Archit. p. 1.

nam lectionem observare potui, summa cura mox tradam. Cella, vel Cellarium a celando dicitur, quod reposita celet. Dicitur etiam Penus, Penarium, Promptuarium; sicut qui ejus curam gerebat vocatur Cellarius, Promus, & Condus, quod intus condat, & de intus promat. Varia Cellarum genera, Carnariæ, Farinariæ, Lignariæ, Librariæ &c. ex quibus illas in speciali describam, quæ aliquod continent præ aliis scitu dignum.

Cellæ vinariæ obvia apud Auctores mentio. Iconem ejus affert Pignorius [1] ex prisco marmore Augustæ Vindelicorum effosso, ubi fornices, & substructio antis nixa, super qua plura dolia ligneis nostris similia ordine collocata: ex quibus patet verum esse quod ait Plinius [2], *circa Alpes ligneis vasis condunt, circulisque cingunt*; sed de his in *Dissert. de Cibo & Potu*. Vinariæ Cellæ locabantur quandoque in plano: non raro in contignationibus, imo in editissimis locis, ut vini fumum biberent [3], quo purgari credebatur; unde Martialis ait [4],

Acccipit ætatem quisquis ab igne cadus.

Sed hoc raro. Cellæ subterraneæ Vitruvius non meminit, qui solum jubet, ut habeat a Septentrione lumina fenestrarum. Plinius quidem consulit, *ut vina debiliora demissis in terram doliis serventur*. Sed difficultatem omnem tollit Capitolinus, qui ait, *in horreis dolia defossa, supra terram patuisse*. Tandem Pirrhus Ligorius plures vinarias apothecas se reperisse testatur, non sub terra modo, sed sub cisternis ipsis aquarum: id quod etiam clarissimus Fabrettus & illustrissimus Ciampinus a se observatum, mihi jampridem communicarunt,

Post vinum sequatur aqua, quam quæ asservabat Cella dicebatur Cisterna, quod sit cis, id est, infra terram [5]. Erat concameratio testudinata pilis innixa, & tenaci crusta illita; apud Italos appellatur *Conserva d'acqua*. Hujusmodi plures Romæ fuerunt, & in Perettinis vineis unam non ignobilem vidi. Adnoto Priscis placuisse etiam Cisternas non sub terra, sed in plano habere, puto, ut aquæ magis ventilatæ purgarentur. Erat aliud Cisternæ genus suscipiendis imbribus accommodatum, unde Horatius [6] ait,

Collectos ne bibant imbres, puteosque perennes.

Ex quibus liquet, nec puteos Romæ defuisse, maxime ante conductas exteras aquas. Puteos primus invenisse creditur Danaus Beli filius ex Ægypto in Græciam advectus.

Cella condendis libris destinata, dicebatur Bibliotheca, quarum multas Romæ fuisse, easque insignes dicam *Tom.3. Dissert. de Script*. De Archivio & Pinacotheca dictum supra. Cella, ubi frumentum recondebatur, erat horreum, a spicarum horriditate sic appellatum: quanquam hæc vox rerum etiam omnium reconditoria sonet: unde Horatio [8] Cella vinaria horreum nominata; & Lampridius de horreis Alexandri ait, *ad ea singulos sua bona contulisse, qui privatas custodias non haberent*. Præter publica Granaria, privata enim in divitum domibus fuisse pro faciliori usu, non abnuo; quæ crediderim in superiori sæpius domus parte locata, ductus quibusdam Vitruvii [9] & Varronis [10] epithetis, quorum ille Granarii *sublimati*, iste vero *pensilis* meminit. Fenilia & Palearia nihil ad nos, cum ad Villas spectarent, non ad urbanas Domos: imo Vitruvius extra Villam, ob incendii periculum, collocari jubet. Alias Cellas, ut Lignariam, Caseariam &c. missas

1 L. de Serv. circa fin. 2 L.14. c.21. 3 Lambin. in Horat. l.4. od.12. 4 Epigr.36. lib.10. 5 Fest. 6 Epist. l. 1. epist.16. 7 Apul. l.3. de Asin. 8 L.4. od.12. 9 L.6. c.9. 10 L.1. de R.R.

facio, cum nihil habeant peculiare scitu dignum.

Expeditis Cellis reliqua Conclavia lustranda sunt. Occurrit primo Stabulum equorum, quod Equile appellatum est: ubi proprie apud Romanos fuerit locatum, hucusque non reperi; crediderim tamen illos Græcorum situm imitatos. Apud Græcos vero statim post domus introitum (Atriis enim caruisse diximus) erat Equile ad dexteram introeuntium, cujus alterum ostium ad Occasum vergebat, ante quod Hippodromum, ampla scilicet area exercendis equis destinata. Pavimentum erat silice stratum, aut glarea, & devexum, ut humorem transmitteret, aut sugeret. Ad Meridiem spectabat, ut a recrementis facilius siccaretur. Solebat testudine concamerari, ne ob fenum & paleas igni esset obnoxium [1]. De aliorum animalium stabulis, Ovili, Bovili &c. nihil dico, cum ad Villas potius pertinerent.

Culinam opinati sunt multi exstare solitam prope Atrium, itaut istud ab illius fumo atrum redderetur. At id mihi risum provocat; quis enim hoc dicat, de Atriis præsertim Nobilium? Quare potius putarem cum Baptista Alberto [2] ejus situm fuisse non valde procul a Triclinio. Triclinium, quod idem erat cum Cœnaculo, (cœnabant dumtaxat olim Romani, ut alibi) sic appellatur a tribus cliniis, seu lectis, in quibus cubantes cibum sumebant, licet quandoque lecti plures essent, unde Biclinia, Tetraclinia &c. ut *Tom.3. Dissert. de Conviv.* Triclinia etiam Diætæ vocabantur apud Plinium [3] ac Athenæum [4]: & rationem reddit Varro, quod in iis per diem edatur: item per contractionem dici solebant Zætæ, sicut Diabolus appellatur Zabulus. Videsis Velseri *epist. de Zæt.* Eorum proportio a Vitruvio [5] præfinitur, *ut longitudo foret latitudinis dupla, altitudo vero dimidium producti ex longitudine latitudineque simul sumptis*. Quam proportionem omnibus pene conclavibus ipse assignat. Quadratam formam non rejicit, dummodo altitudo sit dimidio major. Ex Tricliniis alia æstiva, quæ ad Septentrionem vergebant, alia verna & autumnalia, quæ ad Orientem, alia hyberna Occidentem versus. Meridionalem plagam rejecit Vitruvius, utpote humoribus scatentem: Quod de Bibliothecis fortius urget ad præcavendas tineas. Prope Triclinia ædiculæ erant, ubi cœnarum reliquiæ, una cum utensilibus, recondebantur.

Conclavia dormitoria, Cubicula a cubando dicuntur. Angustiora pro hyeme; carebant enim Prisci cortinis, aut velis, quæ nos dicimus *le Trabacche*. Æstate in amplioribus dormiebant; meridiabant vero in Exedris longe amplissimis, de quibus mox. Lectos satis angustos fuisse prisca marmora ostendunt, quorum formam, sicut & vela, tradam alibi, cum ad supellectilem potius domorum pertineant. Prope, vel intra cubicula quandoque Sacellum cum Deorum imaginibus, ut *Dissert. de Templis*. Dormitoria Servorum prope ostium domus, ut ad servitia expediriores forent. Feminarum e contra in penitiori secessu, ut ab omni commercio abstinerent; id quod & de aliis feminarum conclavibus notat Albertus [6], qui optat, ut idipsum a nostris feminis observaretur.

Frequens Exedræ, sed in Nobilium præsertim ædibus, usus. Ampla erat Aula peristyliis aliisve ornamentis decora, ita a sedibus appellata, quibus refertissima erat. Exedrarum usus vel ad meridiandum æstivo tempore, vel ad colloquendum, disputandum, aut festa celebranda; unde patet idem fuisse cum nostris Aulis, quas nuncupamus *le Sale*, nomine derivato, aut a saltando, aut a salutationibus, quæ ibidem apud nos Principibus exhiberi solent. Jubet Vitruvius [7], *ut amplis magnitu-*

1 Scam. p.1. l.3. c.3. 2 Lib.5. Archit. c.17. 3 L.2. epist.17. 4 Lib.6. 5 Lib.4. cap.5. 6 Loc. cit. 7 Lib.4. cap.5.

dinibus sint constituendæ: mensuras similes, quas Tricliniis assignat, puto easdem fuisse cum Basilicis & Oecis, licet quandoque ad majorem lautitiem loca hæc distinguerentur. Basilicæ erant Aulæ Judiciis exercendis destinatæ. Præter publicas, de quibus infra, privatas etiam in Magnatum ædibus fuisse, incompertum mihi non est. Remotæ erant ab aliis Conclavibus, ultra Cavædium, & contra Atrium collocatæ: at prospectum ad Viridaria ut plurimum habebant. Ejusdem pene structuræ fuerunt Oeci, aut Corinthii, aut Ægyptii, hoc uno inter se discrepantes, quod primi columnas haberent magis simplices, uniusque ordinis: postremi vero duplices, uno columnarum ordine alteri superimposito, de quibus vide Vitruvium [1]. Sed Dan. Barbarus hujusmodi Oecos Græcis solum familiares fuisse, recte ex Vitruvio colligit; aliud vero genus, quod Vitruvius vocat Cyzicenum, ad Rom. pervenisse. Ab œconomia ita dictos credit Scamozzius, quod ibi texere solerent mulieres.

Præter publica Balnea, privatorum etiam meminit P. Victor, qui hujusmodi DCCCC. propemodum numerat. Balnea pro domesticis prope Exedras; pro exteris vero prope Vestibulum, ubi etiam Hospitia locata fuisse existimo, majoris commoditatis causa. Valetudinaria diversa fuisse a cubiculis ordinariis indicat Seneca [2], qui illa tamquam quid distinctum capit, cum, *non video*, inquit, *quare sibi placet, qui robustior est in Valetudinario*. Armamentaria prope Exedras reponerem. Ultra Exedras Viridaria exstitisse ex dictis liquet, cum Exedras prospectum ad Viridaria obtinuisse indicavimus. Virgultis mire consitis ornata erant, quod munus Servis, Topiariis appellatis, committebatur, qui ex myrto & buxo varia hominum, navium, aliarumque rerum simulachra confingebant, de quibus *Tom. 3. Dissert. de Agricultura*. Lacus & Stagna erant collectiones perpetuæ aquarum in ipsis Viridariis, aquarum, inquam, immobilium; salientes enim qui continebant, dicebantur Fontes, quos Agrippa primus invexit, cum antea e solis Lacubus aquæ haurirentur.

Diu hæsimus in primo ædium plano, nec abs re; nam planis Conclavibus etiam post inventas contignationes gaudebant Romani: adeo ut superiorem partem, quæ quandoque duas vel tres contignationes complectebatur, inquilinis & pauperibus locarent ex Plutarcho, qui ait, Syllam superiora ædis suæ libertino habitanda tradidisse: unde Martialis suam paupertatem exaggeraturus ait [3],

Tribus scalis habito, sed altis.

Unde par est, ut credamus contignationes, seu solaria minus fuisse ampla & ornata, sicut sunt apud nos *le Camere locande*. Quare ad illas per diversas scalas adscendebatur extrinsecus locatas. Quia vero a nonnullis etiam Nobilibus solaria habitabantur, operæ pretium est, ut hæc etiam cursim perlustremus. Ut vero per scalas, a scandendo ita dictas, adscendamus, erant ipsæ, vel gradibus distinctæ, tum ligneis, tum lateritiis; vel unica continua devexitate inclinatæ, ut in ruderibus Palatini adhuc visitur. In scalarum apice erant aliæ Porticus inferioribus correspondentes: hinc inde Conclavia, Exedræ, aliaque, ut in primo plano, de quibus nihil ulterius superaddendum. In superiori contignatione Tecta ita erant conformata, ut in ea adscendi posset ad spectandas pompas [4]. In hoc eodem loco puto exstitisse Xysta; licet enim Xystus esset porticus tecta, ubi Athletæ per hyemem exercebantur, Xysta tamen erant subdiales habitationes. Quam differentiam miror doctissimum Mercurialem in sua *Gymnastica* fugisse. Quod si sub dio, non alibi certe opportunius quam supra Tectum. Quare putaverim Xysta fuisse areas quasdam amplas, eminentes, & columnis septas, quas Græci dixere περαδρομίδας, *Paradromidas*, Itali *Belvedere*, aut *Logge scoverte*. Crediderim insuper easdem fuisse cum eo, quod Plinius vocat Procestrium; quæ vox, si Latina est, mihi a procedendo, seu ambulando derivatur: & alio modo appellatur *Pergola* a pergendo: Xystum etiam cum Heliocamino confunderem, loco scilicet excipiendo soli idoneo: nisi credere velis Lucæ Holstenio, qui hos concameratos sibi effinxit, ut infra indicabo.

Quoniam autem ad Tectum usque domorum perventum est, opportunum hic esse videtur, ut de Caminis disseramus, quorum scilicet culmina Tectorum sunt, ornamenta-ne dicam, an impedimenta? Id quod eo lubentius aggredior, quod, expeditis principalibus ædium partibus, minores etiam examinandæ sint. Exstitisse semper Romæ Caminos dubio omni caret: non infrequens enim eorum mentio [1]. Quid vero vox hæc, quæ Græca quidem est, sonet, non levis est inter Eruditos disceptatio; vetera enim Lexica & Scholiastes furnos & hypocausta reddunt. Sed vox ex re ipsa innotescet.

At enimvero quoad antiqui Camini formam non unam reperio Scriptorum sententiam. Primo enim nonnulli [2] censent fuisse Vas quoddam ingens, aut metallicum, aut e coctili terra, sed mobile, quod Græci ἐσχάρα, *Eschara*, Itali dicunt *Braciera*. Nec aliam Camini formam agnoscit Brodæus. Existimant alii [3] præter Escharas exstitisse etiam fixos Caminos, a nostris tamen tum situ, quod non ad parietem excavati, sed in meditullio conclavis exstarent; tum forma, quod carerent gula, seu tubo, fumique emissario. Probat hanc opinionem Manutius locis quibusdam Catonis [4] & Columellæ [5], quorum ille *focum*, inquit, *circumversum habeas*; iste vero rusticum monet, ut circa focum epuletur: ex quibus postea concludit Caminum in medio exstitisse, quomodo enim, inquiens, circumverti focus posset, si fuisset more nostro in excavato pariete? Indigna sane tanto viro illatio. Esto enim non fuerit in excavato pariete, sed in medio Caminus, fixum tamen fuisse nullo modo infertur; potuisset enim esse Eschara mobilis in medio conclavis locata, adeoque *circumversa*. Gulæ, emissariique defectum nullo modo evincit Manutius. Tertia est opinio Danielis Barbari [6], qui gulis fumique emissariis antiquos Caminos donat. Quam sententiam Octavius Ferrarius [7] intensis lacertis propugnat.

Præter tria hucusque enarrata Caminorum genera, alia etiam in usu fuerunt non adeo quidem frequentia, at silentio non omnino prætereunda. Inter hæc fuerunt Heliocamini, Tubi, & Vaporaria. Primi erant loca Soli exposita, a quo innoxie quis calefieret, quæ loca eadem cum Xystis fecimus. Tubos clare explicat Seneca [8] sic inquiens: *Et impressos parietibus tubos, per quos circumferretur calor, qui ima simul & summa foveret æqualiter*. Horum exemplum e balneis captum est, necessitate impellente, ad arcendum fumum: calor enim ab igne, sub conclavi accenso, per tubulos adscendens, in cubiculum diffundebatur, parato per foraminula egressu, quæ aperiri claudique juxta opportunitatem possent. Hujusmodi tuborum ideam exhibet ædicula quædam ad Templum Sanctæ Cæciliæ. Eorumdem meminit Proculus J. C.

1 L.4.c.5. 2 In Quæst. Natural. 3 Epigram. 118. lib. 1. 4 Plin. in Paneg. & Eustath. in 10. Odyss.

1 Julian. in Misopogone; Paul. Ægin. lib.5. 2 Lips. Cent.3. epist.75. aliique multi. 3 Paul. Manut. in Not. ad Cic. lib. 7. epist.10. 4 De R. R. c.18. 5 L.6. c.50. 6 In Vitr. 7 Elect. lib.1. cap.9. 8 Epist.90.

in Legis cujusdam Commentario, quæ vetat tubulos habere admotos ad communem parietem. Vaporarium tandem sic Blondus explicat: sub conclavis pavimento circa parietum radices ingens gyrabat tubus, per quem fervida decurrens aqua calidum vaporem elevabat, qui in minores tubulos, majori tubo perpendiculariter adhærentes, ingressus conclave ipsum calefaciebat, foraminibus scilicet introrsum apertis, ut supra Sybaritarum luxus aliud genus invexit: cœnantes enim ipsi alveis calenti lympha plenis se, cubantium situ, immergebant, ut a calore tam intrinsecus quam extrinsecus foverentur. Verum hæc extra nostrum sunt argumentum.

Ut ergo propius ad Caminos accedamus, fateor in tanta Scriptorum discrepantia me diu Barbaro & Ferrario herbam dedisse. Sed postea, ut in aliorum abirem sententiam, qui fumi emissaria priscis Caminis abjudicant, hæc argumenta coegerunt. Tum scilicet, quod ita omnes ante Barbarum asseruerint traditione, nisi fallor, immemoriali, quod ajunt, adducti. Tum quia omnes Scholiastes, Etymologica, & Lexica Caminum pro furno & hypocausto accipiunt. Tum quod Veterum nemo Fumariorum meminit: oppositum quinimo indicarunt Poetæ, Horatius præsertim, & Juvenalis, cum domos vocant *fumosas*, *& lachrymoso non sine fumo*, ob fumi scilicet Emissariorum defectum. Cui conjecturæ majus accedit ex Polluce & Vitruvio momentum; quorum primo, cum peculiari capitulo ædium partes explicasset, Emissaria nec in mentem quidem venerunt. Vitruvius vero de iisdem in tota sua Architectura omnino silet: quinimo coronatum opus cælaturis illustre a Tricliniis excludit, ne fumo denigrarentur [1]. Nec reponat Mazzonus [2] multa alia Vitruvio prætermissa, ut columnas Athenienses quadratas, Heliocaminos &c. etenim non, sicut isthæc, parvi momenti fuisset Emissariorum Camini structura; non modica enim industria & arte opus habent, ut collocentur ad eum cæli cardinem & regionem, unde venti, fumi progressum impedientes, minime perflent: quare hanc artem minime omisisset Vitruvius, qui in multis Philosophum & Astronomum agit, & tales optat Architectos omnes fore. Accedit his, quod in ædium priscarum ruderibus nullum apparet Emissariorum vestigium. Nec dicat Barbarus hoc ideo esse, quod Camini in editioribus solariis locarentur, quæ cum ruinæ magis pateant, hinc nullæ supersint Caminorum reliquiæ. Quod qua fronte asseruerit Barbarus vix capio, cum ostensum abunde sit superiorem domus partem inquilinis locari solitam; quis vero credat alieno potius quam proprio commodo Romanos studuisse? Ad hæc, in prisco opere musivo Fortunæ Prænestinæ, ubi Urbs Roma cum suis ædificiis affabre repræsentatur, Emissariorum nec unum quidem videre est. Musivum hoc formis expressum, & mox Typis tradendum mihi ostendit illustrissimus Joannes Ciampinus, antiquæ eruditionis, sacræ præsertim splendor. Quid plura? Hanc tandem conjecturam confirmat impensissimum illud Romanorum studium ad fumum arcendum. Ligna enim amurca illita ad Solem siccabant, quæ ligna *acapna* vocabantur [3]. Cum vero industria hæc non adhuc evitando fumo par esset, Tubos, & Vaporaria, aut Heliocaminos invexerunt: quod certe dispendium inutile prorsus fuisset, si Camini gulas habuissent emittendo fumo idoneas. Quæ argumenta mihi pene sunt evidentissima inter fumi has, in quibus versamur, obscuritates.

Sed inquis, cujus ergo fuere generis Romanorum Camini? Putaverim in iis conclavibus, quæ cœnis non erant destinata, Escharis usos, ut in

1 L. 7. c. 3. 2 In Dantem l. 1. c. 41. 3 Plin. l. 15. c. 8. & Man. l. 13. epigr. 15.

Exedris aliisque Aulis. Triclinia vero fixos Caminos habuisse. Quod licet a Manutio sit assertum, ab ipso tamen nulla conjectura stabilitum, duplici ego argumento ostenderem, tum ex Suetonio, qui de Vitellio ait: *nec ante in Prætorium rediit, quam flagrante Triclinio ex conceptu Camini*. Nisi enim immobilis hic fuisset, eo incenso, non necessario Triclinium concepisset ignem. Item ex Plauto [1], qui inquit senem avarum sub Foco ollam auro plenam recondidisse: quod certe stulte egisset, si amovibilis erat Focus. Fixi hi Tricliniorum Camini vel in medio, ut vult Manutius, vel etiam ad parietem excavati esse potuerunt. Illud enim *de foco circumverso* Manutii nullam habet vim; nam Auctores de Re Rustica, ab ipso citati, de Focis Villarum loquuntur, qui sane in medio locati opportunius fuerant, ut singulis rusticis ab agro regressis sat esse possent. Existimarem insuper Tectum aliquod fixis hisce Caminis additum fornicarii operis tholum referentis, ad recipiendum, quamvis non emittendum, fumum. Id quod duplici etiam mihi ratione suadetur, tum ex allato Suetonii loco; nisi enim Tectum aliquod Foco adhæsisset, quod Lacunari foret adnexum, percipi vix posset quomodo ex conceptu Camini flagrasset statim Triclinium: tum etiam ex veteri Scholiaste Epigrammatum Græcorum, qui de Focis sic ait: *Super quos cameram atramento illiniebant, ut atrum id pictura inductum pro fumo videretur*. Nec dicas Cameræ hujus seu Tholi Vitruvium non meminisse; nam simplex Tectum specialem non exposcebat regulam præter eas, quas de fornicibus in generali tradiderat: non enim hæc concameratio Emissaria fumi habebat, pro quibus peculiare Architecturæ genus necessarium utique fuisset, ut dictum est.

Reliquum nunc est, ut ingeniosa satis Ferrarii argumenta, quæ fumi Emissariis favent, afferamus, diluamusque. Omnia vero ad tria genera reducuntur. Primum est, quod Virgilius [2] dicat,

Et jam summa procul Villarum culmina fumant.

Et apud Homerum Ulysses cupit videre fumum e patria terra egredientem: & apud Athenæum Diphilus Poeta Parasitum introducit optantem non vasa aurea aut lacunaria cedrina adspicere, sed culinæ fumum. At pace summi viri argumenta hæc nihil aliud evincunt, quam ignis proprietatem fumum esse, quod quis inficias eat? Poterat tamen fumus aliunde quam per Emissaria egredi, per fenestras scilicet, aut scandularum rimas, ut in quibusdam locis etiamnum videre est.

Secundum argumentorum genus magis ad rem multa complectitur loca Scriptorum, ubi Emissarii expresse fit mentio. Sic Appianus [3] ait nonnullos e proscriptis, cum Triumviratus sævities ubique grassaretur, in Fumariis & summis tegulis se abscondisse. Et Herodotus [4] ait Lebeæ Regem ab operariis mercedem petentibus sollicitatum, postquam Solem per Fumarium ingredientem respexit, dixisse se Solem illum pro mercede illis daturum. Adsunt etiam apud Athenæum [5] carmina Alexis, qui Caminum & Fumarium expresse nominat. Et Aristophanes in *Vespis* Phylocleonem senem introducit, qui a filio domi inclusus conabatur per Caminum effugere: quam vocem vetus Interpres reddit, *fumi conceptaculum instar tubi & canalis*, quæ interpretatio fuit etiam Flori Christiani. Adderem ego Martialem [6], qui ita inquit,

Improba Massilia quidquid fumaria cogunt &c.

Verum isthæc Auctorum loca, quantumvis a

1 In Aulular. 2 Eclog. 1. 3 De Bello Civ. l. 4. 4 L. 8. 5 L. 9. 6 L. 10. epigr. 36.

Ferrario ineluctabilia appellentur, nihil aliud probant nisi alteram naturalem proprietatem, fumi scilicet subtilitatem, qua sibi undequaque egressum paret, quam quis negaverit? Egrediebatur enim fumus per fenestras & scandularum rimas, ut dictum est; quibus quid quæso vetasset, ne a fumi exitu Fumaria rite appellarentur? Tuborum vero & canalium nusquam laudati Auctores meminerunt, uno excepto Græco Scholiaste, qui forsan quod in Græcia Camini fumarios tubos haberent, patrio more ita reddidit. Quod etiam notari velim de omnibus, quos Ferrarius adducit, Auctoribus, qui utique e Græcia sunt petiti.

Postrema argumentorum Ferrarii classis conjecturis innititur, quod incredibile sit Priscos fumo excæcari passos esse; acapna enim ligna caro vendebantur: dicere autem apertis fenestris in media hyeme mansisse, stultissimum. Sed dubitatio hæc futilis est, nam ex Martiali constat acapna etiam apud rusticos usui fuisse: quid enim pretiosi habet amurca, quo tam caro vendenda esset? Ulterius divites acapnis uti poterant, pauperes vero, qui utplurimum non sunt adeo molles, cur apertis fenestris vivere reformidassent, assuefactione præsertim sensus incommodum minuente? Nonne & usus obtinuit, ut Nobiles etiam nudo capite inter brumæ algores incederent absque tibialibus & fasciis cruralibus, imo & antiquius sine interula, ut alibi dicam?

Id quod a Ferrario & aliis prætermissum fuit, majus mihi facessit negotium: qui scilicet sagaces minimeque incuriosi Romani Fumariorum adinventionem, cæteroqui obviam, non perviderint? Fumo-ne excæcati Fumaria agnoscere non valuerunt? Non me pudet fateri pluries hac super re meditantem, & consulentem non paucos, nihil assequi valuisse, non dicam verum, sed ne vero quidem proximum. Venerat mihi in mentem, non potuisse commode fumarios tubos ab imo ad summum Tectum produci, eo quod superioris contignationis conclavia inferioribus adamussim non responderent, ut nostra, eodem scilicet communi pariete, per quem Emissaria excurrere ad Tectum possent, absque superiorum conclavium damno. Adducebat vero ad id cogitandum, quod, sicut dictum est, superiores contignationes inquilinis & pauperibus locari solerent: quare non, sicut in inferiori domus parte, Exedris, Basilicis, Oecis, magnisque Cubiculis, & Tricliniis opus erat: ex qua conclavium inæqualitate proportio inter superiorem imamque ædium partem tollebatur. Sed in hac re mallem alios audire, quam sine duce errare, aut insanire.

Fumus, quem paulo ante dixi e fenestris olim egredi solitum, hic me admonet, ut pauca quædam de Fenestrarum operimentis delibem. Vitreamina, quibus nos utimur, non sunt admodum antiqua, sicut nec vitrum ipsum, aut crystallus, ut *Dissert. de Cibo & Potu* ostendam. Temporibus Senecæ, vel paulo ante inventa fuerunt specularia vitreaminibus non dissimillima, quæ describens Plinius [1] ait, *lapis specularis finditur in tenues crustas*: unde puto eundem illum fuisse cum talcho. Hujus usum tempore Senecæ increbuisse ipsemet [2] testatur inquiens: *quædam nostra demum memoria prodiisse scimus, ut specularium usum, & impressos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor.* Unde par est credere post usum specularium tubos invectos fuisse, aliter calor e fenestris egressus nullius certe fuisset utilitatis. Tractu temporis satis familiaria esse cœperunt specularia, de quibus Martialis, aliique Poetæ passim scripsere. Iis lecticæ etiam claudebantur, necnon & Balnea [3]. Noc etiam tamen opinandum ante specularium usum apertas omnino fuisse Antiquorum fenestras: obducebantur enim aut carbaso, aut Ægyptia papyro, aut etiam velis, quorum apud J. C. frequens est mentio.

1 L. 36. c. 22. 2 Epist. 90. 3 Sen. epist. 87.

Cogitaveram sane velis hisce & specularibus fenestras omnino concludere, & e nostris Domibus egredi. Quoniam vero animadverto a Luca Holstemo asseri cæcos omnino Romanos fenestris prorsus lumineque caruisse, earumque vices Heliocaminis suppletas, locis concameratis, Solique expositis: quoniam, inquam, hæc animadverto, onus mihi certe incumberet Fenestrarum existentiam demonstrare. Sed quia satis mihi ipsæ patentes apertæque videntur, sufficiat Josephum Castaldum [1], Jacobum Rævardum [2], Joannem Baptistam Pacichellium [3], Joannem Baptistam Donium [4], & ex antiquis Plinium [5], & Vitruvium [6], de iis differentes adire. Illustrissimus etiam Ciampinus musivum Opus Templi Fortunæ Prænestinæ mihi humanissime demonstravit, ubi creberrimus visitur Fenestrarum numerus: Templum autem illud Syllæ temporibus extructum testatur Plinius. Ex quorum sedula lectione inspectioneque illud colligi posse videtur, Fenestras nempe primum luciferas tantum fuisse, seu ad solum lumen in conclavia admittendum, adeoque in eminentiori parietum situ: postmodum vero etiam prospectivas, inque commodiori ad prospectum loco, sicut ex Erasmo Enecpaur [7] laudatus Pacichellius subscribit. Fenestrarum figura multiplex fuit, quadrata, rotunda, & oblonga, quarum postrema hæc frequentior, ut apud Baptistam Albertum [8] videre est: licet Daniel Barbarus in laudatum Vitruvii locum *quadratam figuram Antiquis probatam* dicat. Ornamenta Fenestrarum, sicut etiam totius Domus, Priscis usitata, cum non sint hujus argumenti, mihi omittuntur, quarum tamen in descriptione Augustanæ Domus sermo redibit.

SECTIO ULTIMA.

De Domibus in Particulari.

A Summis Fenestris ad ima descendimus, seu ab universalibus Domorum structuris & Partibus ad particularem earumdem designationem. Difficile sane argumentum, quippe quod spissiores hic nos premant umbræ, nullumque supersit priscarum Ædium vestigium. Romanorum siquidem in ædificando majestas, quæ admirationem ipsam superavit, non valuit tamen ita edacissimi temporis ingluviei, ni dicam tyrannidi, obsistere, quin summa adhuc ædificia suismet tumulata ruinis jaceant, jacuerintque jamdiu. Ut stupori omnino sit ex tot saxeis molibus, quæ marmoreis innixæ pilis æternitatem videbantur æmulari, ne unam quidem superesse, non dicam integram, sed solum non omnino obrutam, priscæ magnitudinis testem. Quare illud reliquum erit, ut ex veteribus Scriptoribus lucem nonnullam fæneremur, aliquarum, quantum fas erit, Domorum situs investigantes, ex Rufo præsertim, & Victore, Notitia etiam Imperii, licet hæc mendis non careat.

Duo autem ipso in præliminari perpendenda sunt; & primo omnium quotus fuerit Romanarum Ædium numerus. At stellas cæli quis recenseat? Innumerabiles enim fuisse, illud, plurimis prætermissis conjecturis, argumento esse potest, quod vel ipsa Heliogabali fatuitas suggerit. De eo siquidem refert Lampridius, *servis imperasse, ut omnes araneas colligerent in Urbe, atque eos collegisse ad decem millia pondo*: & postea addit subjecisse Heliogabalum, *vel hinc intelligendum, quam magna Roma esset*: ut ita non jam dumtaxat ex ungue leo,

1 Decad. 7. Obser. in Crit. c. 6. 2 L. 1. c. 59. 3 De Distant. c. 6. memb. 4. 4 De Salub. restit. Agr. Rom. 5 L. 5. epist. 6. 6 L. 4. c. 2. 7 Exercit. Justinian. 6. §. 8. 8 L. 1. c. 12.

sed ex ipsa aranearum exilitate immensum Ædium A pondus agnosceretur. Quæ Heliogabali curiositas sicut domorum numerum mire exaggerat, ita miror a gravissimo Lipsio [1] ad ostendendam habitantium copiam afferri; cum non tam Romanorum multitudinem quam inscitiam segnitiemque declaret, quippe qui tam sordida aranearum suppellectili suas domos exornari passi sint; habitantium quinimo paucitatem liquido ostendit, quatenus nullos in Urbe exstitisse servos suadet, qui tot araneas excuterent; feriantes insuper ac solitarias indicat Romanas ædes; aranearum enim aulæa, inculta præsertim loca decorare solent. At relictis jocis, sat erit B ex collecto per Heliogabalum tot aranearum cumulo, Domorum multitudinem nos collegisse, sive vacuæ eæ fuerint, sive habitantibus confertissimæ, quod nihil ad præsens attinet, cum de Civium numero *Differt.* antecedenti satis superque dictum sit. Aliquarum Domorum censum mox instituam.

Alterum, quod examen exposcit, est Insulæ vocis enucleatio. Cum enim passim hic Domorum & Insularum occurrat mentio, jam quodnam fuerit inter utramque discrimen explanandum est. Mirari enim subit apud Rufum & Victorem legi in prima Regione exstitisse Domos tantum CXXI. Insulas vero IV. M. CCL. Hinc suspicati sunt nonnulli aliud C Insulas non fuisse quam modicas ædes, Domos e contra conspicuas, ut Italis Magnatum Ædes Palatia dici solent. Momentum addit huic conjecturæ Suetonius, qui de Neronis incendio ait: *Præter immensum numerum Insularum, domus priscorum Ducum arserunt*: ubi Ducum, seu Magnatum Ædes, Domos appellari vides. In aliam, sane ingeniosiorem, abivit sententiam Nardinus [2], existimans post Neronis incendium, ejusdem jussu, ex pluribus, iisque angustis, pauperum ædibus, unam prospectu quidem amplam coaluisse, ubi in diversis contignationibus & conclavium compartitionibus diversæ degerent familiæ: Insulæ vero il- D lis nomen ideo attributum, quod, sicut una Insula plures habet domos, ita hæc a pluribus familiis habitaretur, & velut plures minores domos caperet: ut hodie Neapoli videre est in ea Regione, quæ dicitur *il Lavinaro*, prope Emporium. Induxit ad id Neronem illustrandæ Urbis zelus, ut sublatis ædiculis pauperum, iisque in amplas domos commutatis, summa, quæ posset, structuræ uniformitas servaretur. Lipsius [3] tandem Insulas ait fuisse domos non communi pariete, sed propriis muris septas, nullique alteri adnexas, quod hodieque dicimus *in Isola*. Id vero ad præcavenda incendia constitutum, ne ex una in alteram domum serperet i- E gnis, ut antea acciderat, cum infrequentes forent Insulæ, ut ex Libris linteis Lipsius ipse infert. Opinio hæc universaliori plausu excepta est, sed judicium Doctis relinquo.

His explicatis, singulas Regiones cum Rufo, Victore, & Notitia lustrabimus, ut Domorum Insularumque numerum, & nonnullarum, quarum exstat memoria, etiam situm carpere liceat. Prima ergo Regio ex Rufo & Victore Ædes habuit CXXI. Insulas IV. M. CC. L. ex Notitia vero III. M. CC. L. Notabile sane discrimen aut erroris aut mendi in- F dex. Ædium nomina a laudatis Auctoribus omissa sunt; at neque ex aliis priscis Scriptoribus insignem ullam hujus Regionis Ædem excipere licuit, forte quod nulla foret singulari nota digna, cum ipsa jam fere tota extra Portam Capenam flueret. Nævii dumtaxat occurrit domus, & sylva ob suas infamias celebris, eo enim scelesti homines convenire solebant, ad nequitias commoliendas, ex Festo, qui ait: *hinc opprobrii eam objici ab Antiquis solere.* Theatra, Templa, aliaque, tum hujus Regionis propria,

1 De magn. l. 3. c. 3. 2 L. 3. c. 4. 3 In 15. Tac. Ann. l.

tum etiam aliarum, missa facio, suis peculiaribus locis describenda, ne sacra profanis admisceam.

Secunda Regio ex Rufo Ædibus insignita fuit C. XXIII. ex Notitia C. XXIV. Insulis ex Victore III. M. ex Notitia III. M. DC. Fuit hic Cæsaris Domus in Subura [1]. Ædes Laterani, ubi nunc Sancti Joannis ejus nominis Templum [2]. Ibidem habitavit Verus Imperator [3]. Domus Vectiliana in Cælio, sicut & Junii Senatoris & Mamurræ.

Tertia Regio decorabatur ex Rufo & Victore Domibus C. LX. ex Notitia LX. Insulis ex Rufo II. M. DCCC. VII. ex Victore II. M. CC. LVII. ex Notitia II. M. DCCLVII. Fuit hic eximia illa Neronis Domus, seu potius domorum portentum, quam infra describemus. Ædes Titi prope Templum Sancti Petri ad Vincula [4]. Stellæ vero Poetæ non procul a Sancti Clementis Ecclesia. Merulana Domus, ubi nunc Ædes Sancti Matthæi in Merulana: Plinii Junioris in Esquiliis inter Sancti Clementis & SS. Petri & Marcellini Ecclesias. Ibidem Pedonis & Pauli Ædes.

In quarta Regione ex Rufo & Victore fuerunt Domus C. LXXXVIII. ex Notitia LXXXVIII. Insulæ ex Rufo II. M. DCC. LVIII. ex Victore & Notitia II. M. DCC. LVII. Fuit hic Regia, ubi Rex Sacrificulus & Pontifices sacra peragebant; & sita erat prope Templum Sancti Laurentii in Miranda [5]. Ibidem pene ejusdem Sacrificuli Regis Ædes, necnon Pontificis Maximi & Vestalium [6]. Scipio Nasica habitavit ab his non procul. Prope Palatinum versus Titi Arcum habitavit Ancus Martius Rex [7]. Pompejus in Carinis inter Esquilias & Piorum Hortos [8]. Ejus postea dumum possedit M. Antonius, & postremo Gordianus. Atque hæc est Domus illa Rostrata apud Julium Capitolinum, Rostris scilicet ornata earum navium, quas Piratis a se devictis Pompejus abstulerat. Fuit etiam hic Balbini Imperatoris Domus [9], sicut & ædicula M. Manlii.

Quinta Regio ex Rufo habuit Domos C. LXX. ex Victore & Notitia C. LXXX. ex utrisque Insulas III. M. DCCC. L. Inter has Licinii Suræ ædes, ubi nunc Sanctæ Bibianæ Ecclesia. Prope S. Eusebii Monasterium habitarunt Ælii. Turris & Horti Mæcenatis ab Ecclesia Sancti Martini ad Montes ad alteram Sancti Antonii. Ab ea Turri creditur nonnullis Nero inspexisse Urbis incendium: sed aliis verosimilius ab altera in Hortis Columnensibus. Prope Hortos Mæcenatis habitavit Virgilius: Propertius in Esquiliis, item & Persius, ac Plinius Junior. Aquilius J. C. in Viminali, ubi pariter Catulus & L. Crassus. Domus Servii Tullii Regis fuit ubi nunc Domus Sfortiorum supra Ecclesiam S. Laurentii in Fonte.

In sexta Regione fulserunt Domus ex Rufo CXLV. ex Victore C. XL. ex Notitia C. XLVI. Insulæ ex Rufo & Victore III. M. D. V. ex Notitia III. M. CCCC. III. Insignis fuit Domus Corneliorum, cujus exstant adhuc apud Sanctorum Apostolorum Ædem rudera. Domus & Horti Sallustii ubi Ecclesia nunc Beatæ Mariæ de Victoria. Domus & Horti Luculli in Clivo Sanctissimæ Trinitatis de Montibus, hodie dicuntur *gli Orti di Napoli*. Ædes Pomponii Arsici* in Quirinali.

Septima Regio ditata fuit Domibus ex Rufo & Victore C. XX. ex Notitia C. XXX. Insulis ex Rufo & Victore III. M. CCC. LXXXV. ex Notitia III. M. DCCC. V. In hac Regione habitavit Martialis loco, qui dicebatur *ad Pyrum* inter Rosellam & Constantinopolis Viam. Ibidem Nosius Microspicus.

Octava Regio frequentata fuit Domibus ex

1 Suet. 2 Capitolin. 3 Tac. 4. Ann. 4 Suet. 5 Ascon. 2. Verr. 6 Dio l. 54. 7 Tac. 12. Ann. 8 Suet. de Illust. Gramm. num. 15. 9 Capitol. apud Nardin. hic. * Leg. *Attici*.

Victore c. L. Rufus vero hic deest: ex Notitia c. XXX. Insulis ex Rufo DCCC. LXXX. (deficiunt tamen in ejus codicibus aliquæ numerorum notæ) ex Victore & Notitia III. M.DCCC. LXXX. Huc pertinuit Tarquinii Prisci Habitatio sub Palatino versus Forum Boarium: & Publicolæ prope Sancti Theodori Ædem, cui e publico ædificata fuerat, sed portis extrinsecus ad viam apertis, honoris erao, cum antea privatæ Domus Romæ intrinsecus generentur, ut hodieque, qua de re *Differt. de Jannis*. Regia Numæ prope Ædem Sancti Georgii in Velabro. Domus Milonis in Clivo Capitolino: Manlii vero in Capitolina Arce prope Tarpejam Rupem. Habitavit etiam hic Titus Tatius Sabinorum Rex: sicut Theja meretrix inter Tarpejas Sylvas. Ædes Ovidii in Capitolio, seu potius in ejus radicibus, cum ipsemet fateatur non valuisse e sua domo Capitolium respicere. Domus Marii in Capitolii latere prope Forum Romanum. Romuli Casam stramineam negat Nardinus in eodem Capitolio exstitisse, & solum credit in Palatino illum habitasse: sed præter alios, apud Vitruvium reperitur Romuli Casa in Arce Capitolina stramentis tecta.

Nona Regio possedit ex Victore & Notitia Domos c. XL. Insulas ex Victore III.M.DCC. LXXXVIII ex Notitia II. M. DCC. LXXIV. Rufus hic omnino nos deserit, sicut & in sequentibus Regionibus. Enituit hic Octaviæ Porticus extra Portam Carmentalem, prope Ecclesiam Sanctæ Mariæ, in Porticu hodie appellatam, sicut etiam & Metelli non minus illustris. Ædes S. Ambrosii erat ubi nunc Monialium Ecclesia eidem dicata. Prope suum Theatrum, quod in Æde Ursinorum ad Floræ Campum exstitisse alibi dicam, Porticum etiam & Domum habuisse Pompejum credidere Antiquarii omnes, refragante tamen cum Donato etiam Nardino, qui præter Pompejanam in Carinis Domum, nullam ejus aliam admittunt. Ædes privata Alexandri Imperatoris prope ejusdem Thermas non longe a *Navonæ* Foro collocatur.

Decimam Regionem decorarunt Domus ex Victore & Notitia LXXXVIII. Insulæ ex Victore II. M. DC. LXIV. ex Notitia II. M. DC. XLIII. Ad quam Regionem pertinuere omnes illæ Ædes, quibus Palatinus Mons illustris fuit. Exstitit hic antiquissima Romuli Casa. Hic pariter Augustana Domus, de qua mox profuse sermo redibit. Habitavit ibidem Q. Catulus, & L. Crassus, quorum supra meminimus. Item Gracchi, Fulvius Flaccus, Cn. Octavius, & Scaurus. Ciceronis Domus ad radices Palatini vulgo collocatur. Donatus tamen ad montis apicem illam effert, quod Tullius ipse dixerit: *in conspectu præterea totius Urbis Domus est mea*. Hæc a Clodio combusta locum cessit Libertatis Templo. Emerat illam Tullius a P. Crasso non sine Sallustii calumniis. Antea vero fuerat Drusi, de quo rem minime prætereundam commemorat Paterculus inquiens: *Cum ædificaret Drusus Domum in eo loco, ubi est, quæ quondam Ciceronis, mox Censorini fuit, nunc Basilii Sisennæ est, promitteretque ei architectus ita eam se ædificaturum, ut libera a conspectu ab omnibus hominibus esset, nec quisquam in eam dispicere posset; tu vero, inquit, si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut quicquid agam, ab omnibus perspici possit*. Prope Tullii Ædem habitavit Clodius Tullii inimicus: unde hic œstro quodam ait: *tollam altius Tectum, non ut eo te despiciam, sed tu ne adspicias Urbem eam, quam delere voluisti*. Eundem montem coluit M. Antonius, Agrippa, Tiberius Nero, & quidam Dionysius; licet Pancirolus existimet hunc fuisse Dionem Cassium Historicum, quod in Notitia non Dionysii, sed Dionis nomen adnotatum sit. Credit Panvinius hic etiam habitasse AncumMartium & Tullum Hostilium, sicut & Servium Tullium; sed abs re, cum primi ad Viam Sacram, postremus ad imas montis radices ædes habuerint.

Undecimæ Regionis Domus ex Victore & Notitia fuere LXXXIX. Insulæ ex Victore M. DC. ex Notitia II. M. DC. Paucissimas comperio hujusce Regionis Ædes: præter enim Patilii Domicilium, & Q. Ciceronis in Argileto, vix quicquam aliud adinvenire licuit. Domus meretricum exstabat inter Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ & Sanctæ Mariæ in Cosmedin Ecclesias: quarum priori oppositam, quæ inspicitur, ædem, eamque cælaturis ornatam, scribit Fulvius suo tempore Pilati Domum appellatam, creditamque fuisse.

Ad duodecimam Regionem pertinuere Domus ex Victore c. IV. ex Notitia c. XIV. Insulæ ex Victore II. M. CCCC LXXXVI. ex Notitia II. M. CCCC. LXXXVII. Erat hic Palatium Caracallæ suis Thermis conjunctum; unde proxima Sancti Cæsarei Ædes, *in Palatio*, dicta est, ut ex ejusdem Inscriptione liquet: atque Marlianus ejus Palatii vestigia suo adhuc tempore exstitisse: quod nescio cur a Nardino in dubium revocetur. In hac ipsa Regione exstitit privata Hadriani Domus. Ædes Parthorum, quos Severus Romam perduxerat, hic item reponitur a Nardino; ut etiam Cornificii Domicilium.

Habuit tertiadecima Regio Domos ex Victore c. III. ex Notitia c XXX. Insulas ex Victore II. M.CCCC. LXXXVIII. ex Notitia II. M. CCCC. LXXXVII. Habitavit Suras Consul non procul a Sanctæ Priscæ Ecclesia. Hæc quondam Aquilæ & Priscillæ Domus: prope quam collocat Panvinius, ex veteri quadam Inscriptione, privatam Trajani Ædem. Habitaculum in Aventino habuere Ennius, Vitellius, Maximus, Gallus, Faberius Scriba, Umbricus Juvenalis amicus.

Postremæ Regionis Domus fuere ex Victore & Notitia c. L. Insulæ ex iisdem IV. M. CCCC. V. Cum Regio hæc trans Tyberim fuerit, nonnisi a vilissima plebe coli poterat: unde Martialis [1] Transtyberinum quemdam describens, ait:

Hoc quod Transtyberinus ambulator,
Qui pallentia sulphurata fractis
Permutat vitreis &c.

Quare Baronius [2] in ea est sententia Regionem hanc ab Hebræa Gente habitatam fuisse. Culta etiam fuit a Servis lecticariis, quos licet Lipsius [3] eosdem fuisse credat cum iis, qui lecticas ducunt, nos dicimus *i Lettichieri*; Pancirolus tamen ea voce Vespillones intelligit. In eadem Regione habitarunt Coriarii: sicut enim inquit Artemidorus [4], *coriariam exercere, malum omnibus, corpora enim mortua objectat cerdo: ideoque ab Urbe secluditur*. Nobilitavit tamen hanc Regionem Æde sua Symmachus Urbis Præfectus sub Valentiniano. Vaticanus Campus hortis utplurimum destinatus erat. Palatium hic habuisse Neronem prope suos Hortos & Circum testatur Anastasius in Petro: quidquid argueetur more suo ad ostentationem ingenii Nardinus.

Hæc sunt, quæ de particularibus Romæ Ædibus adnotare nobis licuit, brevi quidem, at non inordinata omnino methodo, prout ingens tum ruinarum, tum etiam Scriptorum obscuritas, & confusio nobis permisit. Singularum Domorum descriptionem consulto missam feci, vel quod inutilis, vel quod tota fuisset imaginationibus plena. Prætermittenda tamen non est Augustani Palatii, Neroniani præsertim, magnificentia, quam si ob oculos, brevibus tamen lineis, exposuero, toti huic Dissertationi colophonem imponam.

1 Lib. 1. epigr. 42. 2 L. 1. Annal. 3 Elect. l. 1. c. 19. 4 L. 1. c. 53.

Ut

Ut autem ab ovo, quod ajunt, rem repetamus, A recolendum memoria est duplicem habuisse super Palatino Monte Ædem Augustum, unam ejus cunabulis illustrem, in Via, quam dixere *Capita Bubula* prope S. Anastasiæ Ædem, ut suspicatur Nardinus: alteram, quam Suetonius vocat Hortensianam, *neque laxitate, neque cultu conspicuam*, ut supra dictum est: ubique erat locus in edito insignis quem *Syracusas* ipse vocabat. Partem hujus, publici juris declaravit Augustus, a Pontifice scilicet Maximo habitandam, cum ad hanc eandem ipse dignitatem fuerat evectus post Actiacam victoriam. Hujusce Ædis situm non alibi constituit B Nardinus, quam prope Veliam, non longe ab Ecclesia S. Mariæ Liberatricis. Ad ostii latera duas ex Senatus decreto habuit lauros, inter quas quercea corona cum epigraphe hac, OB CIVES SERVATOS, ut Nummi demonstrant. Tractu temporis augustiorem reddidit hanc Domum Augustus, Catilinæ, aliisve proximis ædibus ad eum finem coemptis.

Vita functo Augusto, ejus animi æmulator Tiberius Augustanam Domum ampliavit, nova superaddita Æde, quæ Tiberiana dicta est, [1] licet a priori minime diversa: ait enim de eo Josephus[2] *quod ita unum erat, ut tamen excultum esset ædificiis per* C *partem a singulis Imperatoribus, quorum appellationem retinebat*. De Tiberiani hujus additamenti situ digladiantur inter sese Antiquarii: Donatus Palatii prospectum prope Arcum Titi collocat, posticam vero partem ad Circum Maximum usque protendit: Nardinus tamen, qui ejusdem Palatii ingressum prope S. Mariæ Liberatricis Ecclesiam constituerat, posteriorem ejus partem ad oppositum Palatini latus, quo Divi Gregorii prospicit Templum, producit. Cum autem Tiberiana adjectio in postica parte Palatii asseratur a Suetonio, [3] Plutarcho [4] etiam, & Tacito, [5] illud videtur necessario existimandum, Tiberianam Domum versus Divi Gregorii Eccle- D siam exstructam fuisse. Attamen aliter laudati Auctores indicare videntur: cum enim Plutarchus de Othone ait, διὰ τῆς Τιβερίου καλουμένης οἰκίας καταβὰς, ἐβάδιζεν εἰς ἀγορὰν, *per Tiberii Domum, quam vocant, discessit in Forum*, Tiberii Domum Forum respexisse certe, nisi fallor, testatur. Tacitus etiam, *per Tiberianam*, ait, *Domum in Velabrum, inde ad Milliarium aureum*. Suetonius tandem de Vitellio inquit, *cum & prælium & incendium* (Capitolii) *e Tiberiana prospiceret Domo, &c.* Ex quibus aperte deducitur Tiberianam Ædem Capitolium respexisse. Sed quid, inquis, dicendum de E Nardini conjectura? Patebit inde responsio, cum Neronianum Palatium delineabimus.

Auxit deinde Augustanas Ædes Caligula, anteriorem earum partem per Palatini Montis oram ad Forum usque protendens, qua porticibus, qua scalis, qua areis decoratam. Adde his Vestibulum, cui struendo *Ædem Castoris & Pollucis transfiguravit*, sicut ait Suetonius: adde etiam Theatrum, quod ante Palatii ingressum constituit Caligula: adde & Templum sibimet erectum & Sacerdotes. *In Templo simulachrum stabat aureum, amiciebaturque quotidie veste, quali ipse uteretur*, ut idem loquitur Suetonius. A Palatio ad Capitolium usque, pontem F duxit, ad quem pertinuisse tres illas, quæ prope Sanctæ Mariæ Liberatricis Ædem adhuc prostant, Columnas asserit, sed falso, ut supra visum est, Martianus. In Capitolina area alteram inceperat Domum ponti utique conjunctam: at post Caligulæ fatum a Claudio successore & populo æquata solo fuit, sicut & Caligulæ Templum, Vestibulumque, pristino Castori & Polluci honore reddito: *restituit enim*, inquit Dio, *Templum suum Geminis*. Nihil adjecit Claudius, totus in demoliendo.

Sed quid enarrem de maxima Neronis additione? cujus Domus, præter Palatinum, quidquid inter hunc, Cælium, & Esquilias jacet, occupavit, Suetonius enim ait: *Domum a Palatio Esquilias usque fecit*. At magis clare Tacitus de Nerone inquit: *non ante Urbem ingressus est, quam Domui ejus, qua Palatium & Mæcenatis Hortos continuaverat, ignis propinquaret*. Quia vero Horti Mæcenatis partem illam Esquiliarum occupabant, ubi nunc Sanctæ Mariæ Majoris Divique Antonii templa, huc Neronis Domum pertigisse putandum est. Hujus ergo longitudo a Palatino ad Mæcenatis Hortos, per Clivum, quo ad Templum Sancti Petri ad Vincula adscenditur, ubi Titi Cæsaris Thermas collocabimus, quarum situm a Neroniana Domo occupatum testatur Martialis [1] inquiens,

Hic, ubi miramur velocia munera Thermas,
Abstulerat miseri Tecta superbus ager.

Latitudo fuit a Templo Pacis usque ad Colosseum, & amplius. Domus Vestibulum exstitit ubi nunc Reliquiæ Templi Pacis visuntur. Hujus tanta laxitas, ut Porticus Triplices Milliarias haberet, in tribus scilicet ejus lateribus cum triplici ordine Columnarum, quæ, vel quod mille fuerint, vel quod mille passus occuparent, Milliariæ dictæ sunt, quidquid Nardinus nugari maluerit. In medio Vestibuli exstabat Neronis Colossus ad Sacram Viam, (e qua per clivum adscensus erat in Palatinum) & prope Amphitheatrum, quod inde Colosseum dictum est. Marmoreus creditur Nardino, & aliis, cum Plinius [2] scripserit: *Ea statua indicavit interiisse funditus æris scientiam, cum & Nero largiri aurum argentumque paratus esset, & Zenodorus* (ejus Colossi faber) *scientia fingendi cælandique nulli Veterum postponeretur*. At non est hic silentio prætereunda satis efficax Benedicti Millini conjectura, qui æneum ait fuisse Colossum, licet a Plasticæ Artis imperitis ministris inconcinne fusum: id quod præter alia indicia, ex ipsomet Plinio deducit: inepte enim ille intulisset *æris scientiam funditus interiisse*, si Colossus e marmore exstitisset, quid enim cum ære marmor? si autem dicamus ex ære fusum, at male, recta tum erit Plini illatio. Exstat Millini Codex manu exaratus in pereximia Illustrissimi Severoli Bibliotheca, inter insigniores Urbis celeberrima & quo magis decoretur, omnium plene usibus humanissime exposita. Colossi sublimitas asseritur a Suetonio pedum c. xx. a Plinio c. x. a Dione c. a Xiphilino cc. xxiv. non sine mendi suspicione. Vespasianus detracto Neronis capite caput Solis radiatum reposuit. Hadrianus Colossum, loco motum alio transtulit. *Commodus Colossi caput dempsit, ac suum imposuit*, ut ait Lampridius.

Post Vestibulum sequebatur Atrium. Quod Donatus cum Vestibulo confundit, at contra ea, quæ adduximus supra ex Gellio. Blondus & Marlianus illud constituunt ultra Constantini Arcum in valle Cælium inter & Palatinum. At priori Vestibuli designationi insistendo, verosimilius existimandum est per Hortos & Templum Sanctæ Mariæ Novæ latitudine excurrisse, longitudine autem ad Titi usque Thermas, aut paulo cis. Atrium admirandis columnationibus innixum, Neronianam Domum & Augustanam Palatini conjungebat, indeque magnificis scalis aditus ad eandem patebat. Quoniam autem Sacræ Viæ pars Atrium occupabat, hinc *Transitoriæ* nomen huic Domui primo attributum, postea enim *Aurea* dici cœpit. Atque ex his liquet, quid reponendum sit

1 Vict. in Reg. 10. 2 Lib. 19. cap. 1. 3 In Vitell. 4 In Galba. 5 L. 1. Hist.

1 Lib. 1. epigr. 2. 2 Lib. 34. cap. 7.

ad superiorem Nardini conjecturam. Cum enim post Neronianam additionem, ab ejus Atrio, quod ad Hortos Sanctæ Mariæ Novæ constituimus, Augustana Domus adiretur, hinc jure Tiberiana adjectio, quæ versus Capitolium erat, postica pars dici meruit. Atrio adnectebatur Stagnum *maris instar circumseptum ædificiis ad urbium speciem*, ut loquitur Suetonius: ideoque Cavædii loco fuit. Situm ejus describit Martialis [1] inquiens,

Hic, ubi conspicui venerabilis Amphitheatri
Erigitur moles, Stagna Neronis erant.

Post Stagnum sequebantur Rura hortensia, & Sylvæ septis Domus inclusæ usque ad Mæcenatis Hortos, quos suis Nero incluserat: ut merito dixerit Tacitus de Nerone, *extructa Domo raro egressu in Hortis morabatur*.

Hujus Domus ornamenta si quæras, *Cuncta*, inquit in *ejus Vita* Suetonius, *auro lita, distincta gemmis unionumque conchis erant. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores, fistulatis, ut unguenta desuper spargerentur. Præcipua Cœnationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice Mundi circumageretur. Balineæ marinis & Albulis fluentes aquis*. Hinc ea Domus Aurea dicta fuit. Tamen, ut refert Tacitus, [2] *gemmæ & aurum haud perinde miraculo fuerunt, solita pridem & luxu vulgata, quam arva & Stagna, & in modum solitudinum hinc Sylvæ, inde aperta spatia & prospectus*. Hæc vero tantæ erant magnificentiæ, ut superbus Nero, referente Suetonio, *se diceret quasi hominem tandem habitare cœpisse*. Unde se stultitiæ prodidit Vitellius, cum apud Dionem [3] dixit, *Neronem male habitasse, usumque fuisse parvo & humili apparatu*. Quid enim hac Domo augustius confingi poterit? Cui exstruendæ, ut ait Tacitus, *conferendis pecuniis, pervastata Italia, Provinciæ eversæ, sociique Populi, & quæ Civitatum liberæ vocantur, inque eam prædam etiam Dii cessere, spoliatis in Urbe Templis, egestoque auro, quod Triumphis, quod Votis sacraverat. Enimvero per Asiam atque Achajam non dona tantum, sed simulachra Numinum abripiebantur*. Cœnationis rotundæ ideam, ut & alia ad rem, videsis apud P. Donatum. [4]

Ut vero ab ornamentis ad Domum ipsam redeamus, quæ super Palatinum etiam Collem a Nerone ædificata fuerat, hujus Domus pars, dirutis adhuc sub Vespasiano & Tito reliquis, quæ infra erant, incolumis permansit. Illam Domitianus auxit. [5] Ejus ornamenta Trajanus exornando Capitolino Jovis Templo destinavit. [6] Antoninus Pius obserato Neronianæ Domus ingressu, sola Tiberiana contentus fuit. [7] Sub Commodo incendium passa est, a quo refecta, Commodiana appellari meruit [8]. Alia hujus Domus propria videantur apud Nardinum, Donatum, aliosque.

Syllabus Auctorum.

DE Domibus Antiquarii passim: apud quos tamen, præter loca & situs, reliqua omnia desiderabis. De materia & forma struendi Architecti cum suo Vitruvio profusi: varias nihilominus ædificandi ætates ad Chronologiam, sicut nos præstitimus, accommodatas, ne quidem ipsi cogitarunt. Domorum Partes apud eorum nonnullos quandoque reperies, Scamozzium præcipue, Palladium, Philandrum, & Barbarum, sed adeo interrupte, ut ideam inde integræ Domus nusquam assequi valeas. Lautissimam mihi promiserat cœnam Marius Gripaldus in suo *de Partibus Domus* Libro; at jejunus inde discessi; digressionum siquidem dives, omnia, præterquam quæ specioso suo promiserat titulo, pertractat: sicubi vero partium Domus meminit, recentes potius spectat. Quod studiosorum curiositati indulturi præstitimus, illud est, materiei nimirum formæquæ structurarum accurata, quantum nostræ vires pertulerant, crisis: struendi ætatum chronologica syntaxis: partium Domus methodica collocatio: Domorum postremo insigniorum non omnino incuriosa descriptio: ut ita multa apponeremus unica super mensa ferculorum genera, quibus erudita, tyronum saltem, fames valeat expleri. Quod si a Vitruvii Interpretum Architectorumque vestigiis quandoque defleximus, nollem id arrogantiæ mihi verti, sed proficiendi studio & addiscendi; quo & deinceps etiam Lectorem monitum vellem.

1 Lib. 1. epigr. 2. 2 Lib. 15. Ann. 3 Lib. 75. 4 L. 3. c. 5. 5 Suet. 6 Mart. lib. 12. ep. 15. 7. Cap. 8 Dio.

DISSERTATIO V.

De Templis.

LUstratis jam Domibus, una cum quibus universa ædificandi majestate exposita, sacra loca religiose nos advocant, & cum primis Templa. Vox hæc plures habuit significationes: primo enim denotabat cœlum; secundo sepulchra; tertio loca quædam in aere, vel terra, quæ Augures captandorum Auguriorum causa suis virgis definire solebant, ut *Tom. 3. Dissert. de Auguriis*. Ab hac designatione & aereo Templo, quod oporteret esse circumquaque septum, nec plusquam unum introitum habere, factum est, ut omnia etiam loca septa, unico prædita ostio, Templa appellarentur, quamvis sacra non essent. Postea tandem loca tantum Diis sacra nuncupata sunt Templa, vel quod non minus ac aerea illa a Sacerdotibus designari solerent, vel quod undique septa, vel quod cælorum instar sedes Deorum forent. Aliam etymologiam adducit Varro a templando, seu tuendo. Scaliger apud Gyraldum [1] a Græca voce Τέμενος *Temenos* deducit, quod est a τέμνω, *abscindo*, eo quia Templum sit locus a profanis segregatus. Magis proprie Gyraldus ibidem a contemplando, quod in Templis majestatem Numinis propius contemplemur.

Templorum origo antiquissima quidem est, sicut enim ait Suetonius, & ex eo Isidorus, *cum primum homines exuta feritate, rationem vitæ habere cœpissent, seque ac Deos suos nosse, cultum modicum, ac sermonem necessarium commenti sibi, ut riusque magnificentiam ad Religionem Deorum suorum excogitaverunt. Igitur ut Templa illi domibus pulchriora, & simulachra corporibus ampliora faciebant, ita eloquio etiam quasi augustiore honorandos Deos putavere*. Et magis perspicue Tullius, [2] *Græci*, inquit, *atque nostri, ut augerent pietatem in Deos, easdem illas urbes, quas nos, incolere voluerunt: affert enim hæc opinio Religionem utilem Civitatibus: siquidem & illud bene dictum est a Pythagora doctissimo viro, tum maxime pietatem & religionem versari in animis, cum rebus divinis operam daremus: & quod Thales, qui sapientissimus inter septem fuit, hominem existimare oportere Deos omnia cernere, Deorum omnia esse plena: fore enim omnes castiores: est enim quædam opinionis species Deorum in oculis, non solum in mentibus*. Ubi non tam fucatam Tullii religionem commendo, quam ejusdem detestor impietatem, quippe qui ad opiniones existimationesque Religionem & Templa revocarit: unde merito atheus audiit, ejusque Libri *de Divinatione*, tanquam Religioni apprime noxii, ab Antonino vere Pio legi vetiti fuerunt.

1 De Diis Synt. 17. 2 Lib. 2. de Legib.

Sed ut ad rem nostram redeamus, illud ratum omnino est existimationem hanc opinionemque Deorum, ut Religionem, ita pariter Templa in universum pene Orbem invexisse: si enim paucas exceperis Nationes, aliæ omnes sacris Templorum ædificiis Deos suos honorarunt. Nonnullis etenim Populis eadem Deorum existimatio dissimilem suasit venerationis formam, qua Templis omnino abstinerent. Sic Persæ ex Magorum disciplina nulla Fana admittebant Solis, *quod majestatem ejus putarent nullis tectorum angustiis coercendam*, ut ait Strabo: [1] *nec esse parietibus includendos Deos, quibus omnia deberent esse patentia*, sicut ait Tullius. [2] Hinc in Græciam irrumpentes, impia quadam religione omnia Deorum Templa devastarunt. Plurimum vero falluntur, qui id credunt in Deorum comtemptum a Persis peractum; Origenes [3] enim ait, hoc ideo effecisse, *quia Deos non credunt esse humana specie, quæ Scriptorum est opinio*. Similis huic fuit doctrina Scytharum, Afrorum, & Numidarum; turpe enim existimabant Templis Deos circumscribere, quibus totus Orbis cœlo tectus Templum foret: unde nec Aras, nec Imagines ullas eorum habuere, Hostias interim loco in quocumque immolantes. Sic Sicyonii nullum Fanum, vel statuam suæ Deæ Coronidi erexerunt: nec suæ Deæ Clementiæ ullum simulachrum Athenienses, solo Luco in media Urbe eidem dedicato. Apud Græcos post invecta adhuc Templa nonnulli vetus dogma continuarunt de Templis Arisque non adhibendis. Hinc circa annos ccc. post Epimenidem, qui Templorum inventor credebatur, Zeno Citticus ejusque asseclæ Templa ex professo exstrui improbabant, tametsi exstructa tolerarent, ex Plutarcho.

Prætermissa vero hujusmodi irreligiosa quarumdam Nationum religione, quæ Templa omnino detestabatur, interrupta paululum Templorum origo retexenda est. Mirum sane quanta cum animorum contentione digladientur inter sese Populi fere omnes, ut adinventi Templi palmam unusquisque consequatur. Fertur vulgo Epimenides Cretensis primus omnium Templa dedicasse. Sed id credi nullatenus potest, cum quod ipse tempore, quo Hierosolymitanum Templum excidit, floruisse dicatur: unde aperte constat Templum hoc longe ante Epimenidem exstructum: tum quod apud Græcos etiam Templa ante Epimenidem exstitisse Pythagoras ipse demonstret, qui, Epimenide satis antiquior, Templorum passim in suis Symbolis meminit; fertur imo circa annos M.CCCC. ante Epimenidem in Creta etiam a primo illic Rege Crete Templum Cybelis exstructum, sicut in Delo Apollinis ab Erysichthone Cecropis filio. Hinc alii primam Templorum adinventionem Ægyptiis attribuerunt, [4] a quibus Græci desumpserint: & sane Mosis tempore in Ægypto Templa exstitisse testem habemus Eusebium. Circa eadem sæcula Palæstinam Templis decoratam satis clare Dagonis Domus declarat. Non desunt qui Phalegi templorum adscribant initia. Alii Auctorem faciunt Pelasgum, vel Thessalum, aut Eleutherum, vel Phoroneum, aut Otritam Amazonem, vel Lycaonem. Alii Melisseum, vel Ufonem Phœnicium. Meropem Æacum, aut Bacchum post Indos debellatos, vel Isim Ægyptiam. [5] Sunt qui Thraces, vel Arcades, aut Phryges vel Ciprios. [6] Alii Deucalioni primas deferunt. [7] In qua controversia, cum extra nostrum sit Forum, Judex esse nolim: videatur laudato loco Gyraldus, & Hospinianus. [8]

Sed ad Romanos nostros quod attinet, fertur in

1 Lib. 15. 2 Orat. 2. in Verr. 3 Lib. 7. contra Cels. 4 Herod. lib. 2. 5 Varr. in Admir. 6 Naz. cont. Julian. 7 Apollon. l. 3. 8 De Templ. lib. 1. cap. 5.

A Latio Janus primus omnium Templa struxisse; ideoque veteri instituto in sacrificiis Janum Latini perpetuo præfari solebant, ut nos alibi. Alii hoc honore insignire voluerunt Faunum, unde ab eo Templa appellari Fana meruerunt. Romæ vero Templorum Auctor creditur Romulus, deinde frequentius Numa. Huic tamen pervulgatæ jamdiu opinioni abstare videtur Varro, qui apud Augustinum [1] asserit: *Romanos primis* C. LXX. *annis prisco ritu Templis, simulachris, Deorumque statuis caruisse, & in Sylvis & Lucis Deos coluisse*. Id quod Tertullianus [2] etiam affirmat inquiens: *Etsi a Numa* B *concepta est curiositas superstitiosa, nondum tamen, aut simulachris, aut Templis res divina apud Romanos constabat*. Ex quibus collegere nonnulli sub Tarquinio Prisco, qui fuit Epimenidi, primoque Hierosolymitani Templi excidio, coævus, Templa Romæ incepisse, sumpta nimirum occasione ex pervagante de Hierosolymitana clade passim fama, unde Templorum phantasmata in Romanorum, Græcorumque mentes immitti potuerint. Verum enim vero, ut ingenue fatear, tamdiu Romanos, eosque, plusquam par esset, religiosos, Templis caruisse, nusquam, ut credam adduci potero. Nihil enim in Vita Romuli atque Numæ magis C obvium, quam ab ipsis Templa dedicata, ut illud Jovis Feretrii & Statoris, de quibus in *Dissert.* 2. Pro reconciliatione autem Tertulliani & Varronis dici posse crediderim, usque ad Tarquinium Priscum Templa fuisse adeo angusta, inornata, & inculta, straminibusque tecta, ut Templi etiam nomen minime mererentur, essentque potius cellæ quædam sacris rebus asservandis ritibusque peragendis idoneæ, & quod magis ad rem facit absque Deorum simulachris; indignum sane reputantibus Romanis Numina terreis imaginibus repræsentare. A Tarquinio vero splendorem quemdam Templa accepisse, unde Templorum D Auctor appellari jure potuerit.

Qui vero simulachra primus repererit, non est hujus loci disputare, illudque investigare conabimur *Tom. 2. Dissert. de Statuis*. Impræsentiarum vero, ut curiosis nonnihil indulgeam, indico solum adinventum hoc a nonnullis attribui Telchini apud Rhodios; ab aliis Cadmo apud Græcos. Sunt qui Hetruscis hanc palmam deferant; id quod ego ad solam Italiam limitarem, Hetruscos enim ab Ægyptiis multa hausisse alibi tradam, ab Etruscis vero Tarquinium, qui ex Etruria fuit: quare Ægyptios statuarum Auctores crediderim. Namque ex ipsis primus omnium Sirophanes, filio E suo superstes, ejus desiderio simulachrum domi constituit, ad quod familiares, Domini iram vitantes, confugerent: quo modo veniam ab Hero consecuti, idem met defuncti filii simulachrum floribus ornabant: indeque simulachrorum propagata consuetudo, ut refert Diophanes Lacedæmonius in suis *Antiquitatibus*. Quamquam & palma hæc Babyloniis concedi possit.

Post originem Templorum, eorundem causæ, sicut in Domibus fecimus, explorandæ sunt. Efficientem, seu Fabros, & Architectos ipsos alibi exponam. Finalis erat cultus & veneratio Deo-F rum. Hinc Diis pene omnibus Templa passim extructa; nedum majoribus, sed inferioribus etiam, ut Febri, Risui, Timori, Pallori, & sexcentis ejusmodi monstris, quæ enarrabimus *Dissert. de Diis*: Hominibus quinimo erecta Templa per Apotheosim inter Divos translatis, ut Cæsari, Augusto, Trajano &c. Quibus supersedendum censeo, cum Provinciam hanc non sine lauro susceperit illustriss. D. Severolus in præclaro suo Libro *de Apotheosi*, cedro equidem, imo

1 De Civit. lib. 4. cap. 31. 2 In Apol. cap. 25.

& Apotheosi ipsa dignissimo qui ad calcem pene & umbilicum perductus, utinam ea, quam juste meretur, lucis usura, ad universi litterarii Orbis profectum, quam citissime perfruatur. Materialis primo fuerunt Romæ stramina & cannæ, sicut *Dissert.* præced. ex Ovidio adnotavimus. Postea quadrati lapides, terra coctilis, tandemque marmorum crustæ, eæque e peregrinis Regionibus advectæ, imo & solida ingentis molis marmora, qua in columnas, qua in peristylia, qua in pilas & antas transformata.

Superest ut formam ipsam structuramque Templorum perpendamus. Quæ res cum tota fere ad Architecturam pertineat, ea solum eligemus, ut in superioribus etiam effectum est, quæ curiositati valeant satisfacere. Illud autem occurrit primo circa formam observandum, non temere olim Templa Diis exstructa, sed juxta eorum, quibus sacra erant, qualitatem & indolem; hinc Solis quidem ædem, Liberique Paris, rotundam Veteres probaverunt. *Jovis vero Templa, quod omnium rerum semina is Deus patefacere credebatur, perforato tecto esse oportere,* inquit Varro: id quod in Templo Pantheon integro adhuc post tot aliorum ruinas exstante, deque Tempore ipso triumphatore, cernere est. Ædem Vestæ, quam cum Terra eamdem putabant, rotundam ad pilæ similitudinem efformare moris erat. Utplurimum vero oblongam servabant figuram, ut ex Ichnographia Urbis a Petro Bellorio descripta apparet.

Circa structuram insuper nonnulla quædam religiose observabantur. Sicut enim inquit Vitruvius, [1] *Minervæ, Marti, & Herculi Ædes Doricæ fient: his enim Deis propter virtutem sine deliciis ædificia constitui docet: Veneri, Floræ, Proserpinæ, fontium Nymphis Corinthio Genere constitutæ aptas videbuntur habere proprietates, quod his Deis propter teneritatem graciliora, & florida, foliisque & volutis ornata opera facta, augere videbuntur justum decorem: Junoni, Libero Patri, cæterisque Deis, qui eadem sunt similitudine, si Ædes Jonicæ constituentur, habita erit ratio mediocritatis, quod ab severo more Doricorum, & e teneritate Corinthiorum temperabitur earum proprietatis institutio.*

Non minor erat quoad situm & locum observantia. Cœlitibus enim Templa a terra exstabant: inferis sub terra: terrestribus vero medias ponebant Ædes. *Jovi Fulguri,* sunt ejusdem Vitruvii verba, *& Cælo, & Soli, & Lunæ ædificia sub dio: horum enim Deorum, & species, & effectus in aperto Mundo atque lucenti præsentes videmus.* Generaliter vero Templa ad orientem Solem constituere solebant Veteres: qua de re audiatur iterum Vitruvius: [2] *Ædes autem,* inquiens, *Sacræ Deorum immortalium ad Regiones, quas spectare debent, sic erunt constituendæ, uti si nulla ratio impedierit, liberaque fuerit potestas Ædis, Signum quod erit in Cella collocatum, spectet ad vespertinam cœli Regionem, uti, qui adierint ad aram immolantes, spectent ad partem cœli orientis, & simulacbrum, quod erit in Æde, ipsaque simulachra videantur exorientia contueri supplicantes. Sin autem natura loci interpellaverit, tunc convertendæ sunt earum Ædium constitutiones, uti quamplurima pars mœnium e Templis conspiciatur; similiter si circum vias publicas erunt ædificia Deorum, ita constituantur, uti prætereuntes possint respicere, & in conspectu salutationes facere.*

Quoad locum, illud rite observari solebat, ut qui paci, pudicitiæ, bonisque artibus præessent Dii, eos intra mœnia collocarent; qui vero voluptatibus, rixis, & incendiis, ut Venus, Mars, & Vulcanus, ab urbibus excluderentur: tametsi hoc non ita ratum fuisse semper, ex historiis appareat, erat tamen in Hetruscorum Aruspicum scriptis sancitum, ne scilicet insuesceret in Urbe adolescentibus Venerea libido, & armigera dissensio. Eadem ratione Ædes etiam Bellonæ extra Urbem, ubi Senatus dabatur iis, qui triumphum poscerent. Vestæ item extra Romam, loco, quo non semper homines, nisi per sacrificium, adirent, ut religiosius coleretur; Jovis Minervæ, & Vestæ Templa in medio Urbium & Arcium locabantur, quod, sicut inquit Vitruvius, ante quem & dixerat Plato, *Horum Deorum Maximæ in tutela videtur Civitas esse.* Neptuni Ædem ad maris littus statuebant: Jani vero in excelsis montibus, quamvis & aliquando in Foro: hic etiam struebantur Mercurii Templa, & Gratiarum: Isidis & Serapidis in Emporio: Apollinis & Bacchi secundum Theatra: Herculis in Gymnasio, Amphitheatris & Circis: Veneris ad Portum, Templum Æsculapii in Insula Tyberina reposuerunt, quod ægroti maxime aqua indigeant, ut inquit Gyraldus, [1] nisi dicere velis, & sane magis vere, quod in hac Insula Serpens, qui Æsculapius credebatur, ab Epidauro advectus, reconderetur.

Isthæc sunt, quæ de prisca Templorum Architectura ex Veterum lectione licuit adnotare, nostro, in quo versamur, argumento propinquiora. Reliqua autem ad puram putam struendi formam pertinentia vide apud Vitruvium. [2] E quo hæc pauca dumtaxat colligere lubet. *Species autem Ædium* (de Sacris utique alloquitur) *sunt quinque, quarum ea sunt vocabula; Pycnostylos, id est, crebris columnis, Systylos paulo remissioribus, Diastylos amplius patentibus, rarius quam oportet inter se deductis Aræostylos, Eustylos intervallorum justa distributione.* Quartum specierum explicationes, symmetrias, & proportiones ex ipsomet potius Vitruvio, [3] quam ex ejus Scholiastis pete. Mensuras Templi idem Architectus ita determinat: *Distribuitur autem,* inquiens, *longitudo Ædis, uti latitudo sit longitudinis dimidiæ partis, ipsaque Cella parte quarta longior sit, quam est latitudo cum pariete, qui paries valvarum habuerit collocationem.* Paulo vero post Valvarum ipsas, Ostiorumque, & eorum Antepagmentorum rationes attingit, [4] quæ cum extra nostrum sint institutum, consultius omitto, id dumtaxat animadvertens, Antepagmenta fuisse lapides utrumque Ostii latus munientes, qui & Antæ dicuntur, ut explicat Philander hic. Adnoto insuper Templorum Ostia, ut & Fenestras, nonnisi quadrangula olim fuisse, hinc Vitruvio *Thyromaton* appellantur. Arcuata autem Ostia solum post invectam barbariem, e Germanorum & Gothorum arbitrio, inceperunt in Templis, ut de Domibus etiam in antecedenti *Dissert.* dictum est.

Sed hic alteram Templorum formam minime prætermittam, eamque haud materialem & ubique patentem, sed arcanam & mysticam. Consistebat hæc in nonnullis ceremoniis, quibus rite inaugurari & consecrari ea solebant; sine quibus, velut informia, nulloque modo sacra reputabantur. Templa siquidem antea vovebantur, ut *Tom.* 3. *Dissert. de Votis* dicam: sique id, propter quod erant vota, prospere successisset, cum diffiniebantur, seu certi illius fines constituebantur; id quod dicebatur *efferri* Templa, seu *effari*; unde Templi *effati* passim apud Festum & Varronem [5] mentio: idque muneris pertinebat ad Augures ex eodem Varrone, qui ait, *hinc effari Templa dicuntur ab Auguribus: Effatus, cum in his fines sunt &c.* Ubi ita definita erant Templa, tum condebantur. Condita vero dedicabantur ab his, qui ea voverant, sed nonnisi per Pontifices, qui certa & solemnia verba, formulasque proprias

1 Lib. 1. cap. 2. 2 Lib. 4. cap. 5.

1 Syntag. 17. 2 L. 3. c. 2. 3 L. 4. c. 4. 4 C. 6. 5 L. 4. de L. L.

A
proferebant, Postem Templi manu tenendo, aliosque adhibendo ritus, unctiones, coronationes, & similia, de quibus peculiariter sermo erit *Tom.* 3. *Dissert. de Consecrat.* Templa vota & dedicata tandem inaugurabantur, id est, Auguriis captatis sanctiora reddebantur: quod nisi fieret, Templa esse non poterant, sed Ædes, ex Festo & Varrone apud Gellium [1]: unde discrimen inter Templum & sacras Ædes facile intelligitur. Quamquam diversitatem hanc primis temporibus sancte observatam negligere postea cœperint, utramque vocem promiscue confundendo; id quod inepte Merula [2] nulla habita temporum distinctione indefinite asseruit.
B
Si quæ vero Templa his ceremoniis forent augurata, tunc sancta, imo & sacra dicebantur, nedum religiosa: quarum vocum diversitatem videsis apud Jacobum Gutherium [3], ex quo observare est, sanctum dici, vel quod foret sancitum, id est, lege inter religiosa adscriptum; vel a sanguine Hostiæ ita appellatum, quasi eo cruore consecraretur: Sacrum vero esse, quod si quis illud profanasset, sacer alicui Deorum esset, quæ formula Priscis idem prorsus valebat, ac diris omnibus esse devotum, seu posse impune occidi, ut dicam *Tom.* 2. *Dissert. de Pœnis*. Postea idem Auctor concludit sacrum omne dici religiosum, non e contra: hinc sepulchra religiosa,
C
sed non sacra. Quæ omnia, aliaque a laudato Auctore adnotata, obelum quidem nullo pacto merentur, præter illa, quæ in sequenti capitulo adjungit, ubi ait: *atque ut Templa sacra erant, non tamen omnia erant sancta*: perinde ac si magis foret *sanctum*, quam *sacrum*: quod manifeste contradicit superioribus, quibus demonstraverat in eminentiori loco collocari sacrum ac sanctum: id quod ex capite decimo expressius tradidit inquiens, *Portæ Civitatum sanctæ sunt, sed non sacræ*. At hæ nubeculæ potis non sunt tam splendidum Solem obnubilare.

D
Ex hac Templorum sanctitate ortum habuit summa apud Priscos eorundem veneratio. Habebantur enim Asyli loco, iisque injuriam inferre, sicuti etiam ad ea confugientibus, pessimum erat nefas. Sic e Templo Dianæ Ephesi nemo quovis crimine damnatus educi poterat [4]. Idem commemorat Justinus [5] de Æde Dianæ quidem, at non Ephesinæ, ut vulgo creditur, sed Epiroticæ. Non absimile refert Pausanias in *Corinthiacis* de Templo Hebes, ad quod si quis supplex confugisset, cujusvis criminis impunitatem consequebatur. Idem in *Laconicis* narrat de Templo Minervæ apud Tegeatas. Et in Leotychide ait religionem hanc Ar-
E
givis adeo conservatam, ut si apud eos quisquam se in Templum reciperet, nec postularetur quidem ut dederetur. Imo & idem Pausanias hanc Templorum observantiam in semetipso expertus fuit: proditionis enim accusatus, in Templum Palladis Chalciœcæ apud Lacedæmonios tuto confugit.

Idem Auctor plura enarrat exempla Numinum ob violata Templa iratorum. In *Atticis* enim ait non aliunde Syllam in diram incidisse calamitatem, quam quod Aristonem e Minervæ Templo extractum interfici jusserit. Et in *Achaicis* urbis Helicis excidium in similes causas refert. Apud eundem in *Achaicis* videre est Jovis Dodonæi Oraculum
F
Athenienfibus suadens Templi Martis & Eumenidum reverentiam his verbis:

Φράζεο δ᾽ Ἀρειόν τε πάγον, βωμούς τε θυώδεις
Εὐμενίδων, ὅτι χρὴ Λακεδαιμονίους σ᾽ ἱκετεῦσαι
Δουρὶ πιεζομένυς· τὺς μὴ σὺ κτεῖνε σιδήρῳ,
Μηδ᾽ ἱκέτας ἀδικεῖν· ἱκέται δ᾽ ἱεροί τε καὶ ἁγνοί.
Ara tibi Eumenidum fumans, & Curia Martis
Sit cordi: hinc bello domiti nam forte Lacones
Suppliciter tristes venient, tu projice tela,
Supplicibus parcens, Divum quos jura tuentur.

Præter Pausaniam abundant aliorum scripta similibus exemplis. Virgilius [1] enim de Oreste post necatam a se matrem tribus Furiis infestato recenset, in Templum Apollinis confugisse, nec ausas ingredi in eum Eumenides donec ipse e Templo exiret. Et Statius [2] Aræ Misericordiæ apud Athenas meminit ab Herculis nepotibus exstructæ, e qua nemo abduci poterat. Nec alia arte Heliogabalus insidias Macrini Præfecti Prætorio evasit, quam in Solis Templum se recipiens. Hinc immortali se laude dignum exhibuit Pisistratus, qui Apollinis Pythii Templo a se ædificato inscripserat, *sacer est locus, extra meite*: peregrinum vero inibi meientem deprehensum morte mulctavit: unde apud Suidam adagium, *in Pythio cacare, in Pythio deambulare*: cumque Pisistratus obambulantem per Templum inspexisset, legem sanxit, ut quilibet in eo delicto comprehensus, capite plecteretur, ex eodem Suida.

Eximia hæc Priscorum religio fortior erga Aras ipsas, equidem sacratiores, viguit. Inde *ad Aram confugere* proverbiali sententia dicimus extremum refugium designaturi. Quare Ovidius [3] recte cecinit,

Unica Fortunis Ara reperta meis.

Et apud Plautum Servus ait,

Ego interim hanc Aram occupabo.

Servis enim, quoties ab Heris suis male tractarentur, hoc refugii genus familiare fuit, ex Euripide. Quod si quis Aras ipsas amplexatus esset, deterrimum omnium fuisset facinus illum injuria afficere. Quare cunctorum ore celebratur Agesilaus, quod post victos Athenienses, quotquot Aras amplexarentur servaverit, ex Æmilio Probo in *ejus Vita*. Alarici insuper, Teodorici, aliorumque efferæ cæteroqui Regionis hominum erga eos, qui ad Aras Apostolorum confugerant, egregiam pietatem indicavimus *Dissert.* 2. Nec impune fuit Philippo Macedoni Aras Atheniensium evertisse, inde enim illi cum Romanis gravissimum bellum fuit: nam, ut ait Florus [4], *postea crevit implorantibus Athenis auxilium contra Regis injurias, cum ille ultra jus victoriæ in Templa, Aras, & Sepulchra ipsa sæviret*. Unde merito Virgilius [5] Pygmalionem impium appellat, quod ante Aras Sichæum interfecisset. Atque hinc tot Principum Sanctiones, quibus Templorum religionem sartam tectam haberi statuunt. Quod tamen ita accipi volebant, ut ad Aras confugiens nemini injuriam intulisset: aliter enim poterat inde impune evelli. Qua de re perlegatur celebris Dissertatio Cælii apud Tacitum [6] his verbis: *Fassus quidam est Principes instar Deorum esse; sed addit, neque a Diis injustas supplicum preces audiri, neque quemquam in Capitolium, aliudve Urbis Templum confugere, ut ea occasione arrepta, flagitiis magis ac magis inquinetur*. Unde libera Respublica non aliud præter Romuli Asylum reperitur.

Sed cur ergo incaute, vel nullius flagitii reus, in Asylum tam cito me recepi? Imo autem vel hoc ipso summi flagitii reus, quod ita præpropere, ni & præpostere in Asylum diverterim. Exspectetur *Tomus* 2. ubi specialiter de Asylo erit sermo. Interim vero, ut nonnihil hujusce loci magis proprium depromatur, illud prætermittendum minime est, Priscis, reverentiæ ergo, moris fuisse

1 Lib. 14. cap. 17. 2 De Sacrif. c. 7. 3 De vet. Jur. Pont. l. 3. c. 1. 4 Cic. in Verr. 5 L. 23.

1 Lib. 4. Æn. 2 Theb. 12. 3 Lib. 4. de Ponto. 4 L. 2. c. 7. 5 Æn. 1. 6 Ann. 3.

e Templis quicquam decerpere, secumque domum afferre, bonæ scævæ, seu felicis ominis gratia, puta aut libi frustulum, aut frondem virentem [1]; ea enim ipsa valetudini apprime conducere existimabant, ideoque *Fana* vulgo appellabantur apud Hesychium. Obsequii etiam observantiæque contestatio, ac monimentum erga ipsas sacras Ædes fuit, quod inibi controversiæ omnes, litiumque effervens bilis sedaretur [2]. Quid plura? Nonne in idem collimabat argumentum pecunia in Templis asservari solita, non sacra modo, verum & profana, nec solum publica, sed etiam privata [3]? Quare in Saturni Templo Ærarium fuisse *Dissert. de Pecun.* dicam: nolo enim his pecuniis, ut in parœmia est, legentium tædium, meique odium emere.

SECTIO PRIMA.

De Templorum Partibus, & Ornamentis, variisque sacrarum Ædium speciebus.

EXPLICATIS vix Templorum causis, eorumdem protinus Partes oculos nobis animumque prolectant. Qua in re non dissimile onus incumbit nobis illi, quod in expiscandis Domorum partibus experti fuimus: cum par sit utrobique obscuritas, & confusio, atque Scriptorum silentium: utinam haud etiam impar evasurus sit nostri quantulicumque laboris fructus! Duplicis ipsæ fuere generis, sicut in Domibus pariter admonuimus, aut scilicet generales, ut parietes, pavimentum, tectum, columnæ, antæ &c. aut magis peculiares, ut Area, Atrium, Ara, aliæque: de quibus dumtaxat postremis hic erit sermo, cum primas Architectis reliquisse sit satius. Atque de ipsis primo in universali delibandum, in quatuor partes singula Templa distributa fuisse, sinistram nimirum ab Oriente, dexteram ab Occidente, anticam ad Meridiem, posticam tandem ad Septentrionem: quarum omnium ordinem, dignitatemque, *Tom. 3. Dissert. de Auguriis*, tradam.

Modo ad particularem Partium descriptionem devenientibus primo occurrit Area. Hæc proprie pars Templi dicenda non est, sed ejusdem appendix: erat enim spatium illud ante Deorum Ædes [4], quod in privatorum ædificiis Vestibulum appellari diximus in *Dissert. de Domibus*. In profanis usibus erat Area locus in urbe sine ædificiis, ut alibi tradam: sed hæc nihil ad rem. In Area ergo, seu Templi Vestibulo, venales Hostiæ, cæteraque ad sacrificium pertinentia exponebantur [5]. Aderat quandoque Piscina Areæ adjuncta, seu aquarum Receptaculum pro sacrificiorum usu, ut ex Inscriptione Narbonensi apud Gutherium [6] apparet. Aulas, quarum Servius [7] meminit, puto fuisse septa quædam inter Vestibulum & Atrium ad turbas arcendas, ut in D. Petri Templo, ubi ante Atrium ferrea sunt clatra. Arearum mos nedum in Urbe, ubi nihil frequentius quam Vulcani Area, Jovis Capitolini, Fidei &c. ut apud Suetonium, Plinium, & Vitruvium passim, verum in coloniis etiam ipsis, quod ex Marmore Neapolitano collegit Dempsterus ad Rosinum [8].

Ab Area ad Atrium aditus. Erat id ædificii genus ante Templum, continens mediam quandam Aream vacuam, in quam collecta ex omni Tecto pluvia descendebat. Videantur quæ de Atrio profano attulimus *Dissert. de Domibus*, cum omnia sint utrique communia, puta Columnæ, Antæ, Porticus, Peristylia, Tectum &c. licet Columnæ & Porticus hic non in Atrio solum, sed circa universum Templum, (de insignioribus loquor) erigerentur, ut in descriptione Capitolini Templi mox apparebit. Præcipua Romæ Atria fuere Libertatis, Minervæ, & Vestæ.

Post Atrium statim Templi Fores apparebant: de quibus plura adducemus in *Dissert. de Januis*. Id dumtaxat non erit negligendum, religiose admodum culta fuisse Templorum limina, quod ibi Numen inesse crederetur: hinc mos limen coronandi, exornandique, amplexandi etiam, atque exosculandi, imo & salutandi: pedibus insuper illud terere, nefas; unde transiliendum erat ab eo, qui vellet Templum ingredi, ut suo loco ex Catullo ostendam.

Post Atrium Basilica, seu corpus ipsum Templi, variis Porticibus arcuatis ornatum: atque ipsæ concamerationes Columnis Antisque suffulciebantur. Hanc Templi partem Græci appellabant Prodomum, aut etiam Pronaum: continebatque quicquid Atrium inter atque Cellam jacebat, una cum Alis hinc & inde a Columnarum processu efformatis. Unde non immerito Polletus [1] Antiquorum Templa nostris assimilat: licet non sine quadam diversitate, a Polleto tamen prætermissa, scilicet quod prisca Templa ea caruerint parte, quam nos vocamus *la Croce Nave*. Qua de re plura tradenus in *Dissert. de Ædificiis Judicialibus*, ubi Basilicarum structuram graphice delineabimus, eisque potius Christianorum comparabimus Templa.

Basilicæ adnectebatur Cella, ita, nisi fallor, appellata, vel quod esset veluti Cœlum, cum in ea Deorum simulachra reconderentur, vel quod Numinum majestatem celaret, seu absconderet, erat enim inaccessa, & consequenter sanctior omnibus pars. Luculentissimam ejus descriptionem habes apud Polletum supra laudatum, quam eo lubentius afferam, quod universum pene Templum affabre depingat: *Constabant*, inquit, *Templa Cella sanctiore, nos Chorum vocamus, quæ Cella sanctior a Basilica & Porticibus distinguebatur Pluteo, & quasi altero Pronao, nos non male Pulpitum vocamus, quod in modum Pulpiti, aut tabulati erectum sit: Basilica vero, quam nos Navem, aut Carinam vocamus, Deambulationes, quæ utrinque sunt: Cella sanctior solis rebus sacris destinabatur: Basilica vero, & Porticus, & Pronaon fere usibus profanis exponebantur. Illic enim & nundinæ mercium, & prologi nuptiarum, & colloquia transactionum, ut hodie apud nos, nimis impie exercebantur.* Quam suam descriptionem a P. Victore, nisi erro, desumpsit Polletus; ille enim in Libello *de quatuordecim Urbis Regionibus* brevissime ait: *ante Cellam est Prodomon, post Templum Epistodomon*. In ea autem Polleti descriptione duo exoptarem; primo, ut Cellam non rebus sacris in generali destinatam asseruisset, sed simulachris, locus enim reponendis sacris rebus assignatus erat Sacrarium, ut mox dicam: secundo, ut Cellam non Choro assimilasset, verum nostris Tribunis, in quibus Sanctorum Imagines, & Reliquias, ipsumque Christi Corpus nos collocamus: nostris enim Choris Adyta potius Antiquorum correspondebant, ut statim indicabo. Ex quibus habes Cellas sitas fuisse in extrema Templi parte, seu Templi capite, Januæ opposita, ubi nos Tribunas constituimus. Quandoque erat una, aliquando plures, in Capitolino Templo tres demonstrabimus: unde Vitruvio [2] *interiores Cellarum*, *Angulares Cellarum &c.* passim memorantur. Ratio autem, cur religiose servatum, ut singulis simulachris speciales assignarentur Cellæ, ea fuit; si enim una pluribus inservisset, jam, cum hæc forte fulmine tecta esset, quo casu profanata utique fuisset, ut alibi tradam, utri Deo divina res fieret, sciri non posset.

1 Ath. lib. 3. 2 Plin. epist. 1. lib. 5. 3 Plaut. in Bacch. 4 Savar. in Not. ad Sidon. c. 13. 5 Tull. 2. de Divin. 6 L. 3. c. 6. 7 Ad 7. An. 8 L. 1. c. 13.

1 De Foro Rom. l. 1. c. 3. 2 In Præf. libri sept.

Hinc Dedicatio Templi, quod Marcellus Honori & Virtuti voverat, à Pontificibus impedita fuit, negantibus unam Cellam amplius quam uni Deo rite dedicari [1]. Id omnino dubium, utrum præter majores Cellas in capite Templi sitas, aliæ etiam minores e lateribus forent, nos dicimus *le Cappelle*. Qua in re mihi videtur negativæ parti adhærendum: tum quod nulla earum mentio; tum quod Basilica, ut dictum est, profanis usibus esset destinata. De simulachris nihil addendum puto, nisi quod lignea, aut etiam fictilia Romæ fuerint usque ad Asiam devictam, uno excepto Cereri sacro ex ære, annos ccc. ante illud bellum ex Plinio [2]. Alia in hanc rem *Tom. 2. Dissert. de Statuis* opportunius tradam.

Inter sacratiores Templi partes reponuntur etiam Adyta, Penetralia, Sacraria, & Donaria. Adytum ita appellatum ait Agrætius, *quod adiri non potest*; illudve sic describit Pollux [3]; *Templi locum, quem adire non licet Adytum nominaveris, intactum, sacrosanctum, tectum, & Oracularem*; & sicut Cæsar [4] addit, *quod præter Sacerdotes adire fas non est*. Adyti situs ancipitem, fateor, me diu detinuit. Sed tandem opinari lubuit fuisse locum illum ante Cellam, seu Cellam inter atque Basilicam, quem nonnulli Vestibulum Cellæ appellarunt, Halicarnassei [5] verbis perducti, qui de Minervæ Cella ait, νεὼ ὅ ἕτερός ἐστιν ἐν τῷ προνάῳ τῆς Ἀθηνᾶς, &c. *nunc altera est in Vestibulo Minervæ, &c.* Quare hæc Templi pars nostris Choris respondebat, seu ei, quam dicimus *il Presbiterio*, quo solis Clericis adire permissum. Eo loci moris fuisse Oraculorum responsiones & somnia captare, dicam *Tom 2. Dissert. de Oraculis*: & commodissime quidem, cum proxima Adytis fuerint Deorum simulachra in Cellis. Unde labitur Dempsterus infra adducendus, qui hæc eadem Delubris attribuit. In subterraneis quandoque Cryptis Adyta ipsa collocata non ab re animadvertit Salmasius [6].

Penetrale, quod Servius [7] vocant *Secretum*, confunditur a nonnullis cum Adyto; fuisse vero diversum inde liquet, nam in eo non solum Victimæ immolabantur, sed honoratiorum recondebantur cadavera, & pretiosissima quæque abdebantur [8]. Quis enim sibi suadeat recondi pretiosa potuisse in Adyto, Cellæ scilicet Vestibulo, utique patenti, & solis Sacerdotibus adiri permisso? Existimo itaque Reconditorium quoddam fuisse, seu Penum non absimilem illi, quem Græci Παστοφορεῖον *Pastophorium*, nos dicimus *la Sagristia*, sacræ asservandæ suppellectili dicatam, ab Adyto equidem non valde procul. Nec audiendus Dempsterus [9] inquiens: *quippe hic simulacrum ipsorum Deorum erat collocatum*; quod figmentum ex Claudiano [10] confirmat afferente,

—— *Penetralibus amens*
Prosilit:

at non sine amentiæ nota: ubi enim hic Deorum mentio ulla? Sed ne umbra quidem. Non negaverim quandoque Adytum, imo & Cellam ipsam, Penetrale, aut Sacrarium appellari: at nos non vocum synonymiam, sed res ipsas per voces importatas rimamur.

Unam eamdemque rem cum Penetrali existimo fuisse Sacrarium, quod describens Gutherius supra laudatus ait, *Sacrarium locus erat in Templo, in quo sacra reponerentur*: ex quibus patet, eumdem utriusque usum exstitisse. Quare miror Gutherium sui immemorem paulo post addidisse, *quod & Adytum dicere possumus*: quid enim huic cum Repositorio, ut modo dicebamus? Sacrarii etiam nomine intelligebatur Ædicula privata, ubi Deorum simulachra, præsertim Larium, reponebantur, unde Lararium dici meruit. Sed juxta hanc etiam usurpationem ab Adyto distinguebatur, quod proprie erat publicarum Ædium locus. Modicum Sacrarii Ostium *Festra* appellabant [1].

Donarium dicebatur ea Templi pars, ubi collocarentur Oblata: fortassis non longe a Deorum simulachris & Cella, verius in ipso Adyto: id quod in tam alto Scriptorum silentio divinare nobis liceat, judicio duce; cum congruum fuerit Oblationes coram Deorum Signis exhibitas. Postquam oblata fuissent Dona, suspendebantur, pompæ ergo & sacri cujusdam luxus gratia. Locus vero, ubi ipsa suspendi solerent, erat Tholus. Cujus variæ sunt acceptiones: nonnullis enim creditur fuisse breve quoddam scutum in medio Tecti constitutum, in quo trabes coibant, sicut explicat Gutherius: aliis existimatur Camera erectior, & fastigiata, quam Itali *Cuppolam* appellitant, ut placuit Philandro ad Vitruvium [2]; quæ explicatio nobis præ cæteris arridet. Sed illud superaddimus, Cameram hanc non in medio Tecti, sed in Adyto ipso elatam, sicut apud nos etiam moris est; ut ita Oblata coram Simulachris suspensa consisterent. In Tholis autem suspendi consuevisse Donaria testatur clare Virgilius [3], qui de Donis ait,

—— *si qua ipse meis venatibus auxi,*
Suspendive Tolo, aut sacra ad fastigia fixi, &c.

Cujus loci explanatio nobis mire favens apud Servium videatur; sicut etiam Statius [4], Arnobius [5], & Martialis [6].

Non est hic prætermittenda Dempsteri modo laudati sententia, qui inter penitiora Templi loca Delubrum collocasse videtur, cum inquit, *hic captabantur somnia*: horum siquidem captationem nonnisi in intimiori Templorum loco prope Deorum Simulachra haberi potuisse alibi tradam. At incohærentiæ, imo & contradictionis notam nullo pacto effugere valet Dempsterus, qui paulo ante de eodem Delubro fassus ex Isidoro fuerat, ita illud appellatum, *quod ibi sacrificaturi se abluerent*: cui vero credere placeat coram Deorum Simulachris ablui potuisse sacrificaturos, non sine patenti irreverentiæ labe? Eo præsertim, quod hoc certe sine ipsis in Templorum Areis Vestibulisque Piscinæ constitui solerent, ut supra adnotavimus. Quare id meum esto judicium: si Delubrum ab ablutione sit dictum, in Vestibulo Templi exstitisse; nec inibi captari potuisse somnia, sed in Adyto, ut jam indicavimus: si autem alia sit ejusdem vocis usurpatio, quæ inferius enucleabitur, aliter sentiemus.

De Templorum Tectis nihil speciale occurrit præter illa, quæ de Tectorio opere tradidit in generali Vitruvius [7], Architectique cum eo omnes, quæ nihil ad nos, cum nulli non pateat Tecta olim, ut hodieque, devexa hinc inde fuisse, ut ita ab utraque parte descensus aquarum pararetur, nullibique super Tecto ipsæ, non sine ejus ruina, subsisterent. Atque hæc eadem ipsa necessitas Fastigia quoque Templorum adinvenit, nos dicimus *le Facciate*: quæ utique ob Tecti devexitatem triangulari figura prædita esse oportuit, ut ex Numismatis apparet: super plano enim illo, quod a coronicibus circuibatur, statim triangulari assurgebat prospectu paries iisdem coronicibus insignitus. Audiatur hac de re Tullius [8]; *Capitolii Fastigium illud, & cæterarum Ædium non venustas, sed necessitas fabricata est: nam cum esset habita ratio, quemadmodum ex utraque parte Tecti aqua dilabe-*

1 Liv. l. 27. 2 Lib. 34. cap. 7. 3 Lib. 1. cap. 1. 4 Belli Civ. lib. 1. 5 Lib. 3. 6 In Solin. pag. 1212. 7 In 2. Æneid. 8 Lucan l. 2. & 5. 9 In Rosin. l. 1. c. 2. 10 De Rapt. l. 3.

1 Macrob. l. 3. Sat. c. 12. 2 L. 7. c. 5. 3 L. 9. Æn. 4 L. 1. Sylv. 5 Lib. 6. 6 L. 2. epig. 71. 7 L. 7. c. 3. 8 De Orat. l. 3

retur, utilitatem Templi, Fastigii dignitas consecuta est: ut etiamsi in cœlo Capitolium strueretur, ubi imber esse non posset, nullam sine Fastigio dignitatem habiturum fuisse videatur. Atque hinc Cellarum, seu Cappellarum etiam Fastigia, quæ non subdialia, sed tecta fiunt, triangulari hac figura decorari solent. Nostro attamen ævo ab antiqua trianguli forma nuperi Architecti abhorrentes, Borrhominus præsertim totius priscæ Architecturæ reformator-ne dicam, an deformator, miris modis triangulum ipsum deflectunt, effringunt, divexant, extorquent, difformantque: quod, ut & alia multa non sine pessumdatæ Antiquitatis jactura confingi solita, una cum eruditissimo Petro Bellorio, Antiquitatis non minus tenaci quam studioso, pluries deflevi. De Campanaria Turri, num vere in priscis Gentilium Templis, sicut in nostris, exstiterit, dicam peculiari *Dissert. de Campanis*.

Sed vero frustra ego, furum more, supra Tectum confugi, cum Aram ipsam habeam totius refugii locum. Ergo de Ara nonnihil carpamus bonæ scævæ causa. Circa ejus Etymon non unam comperio Eruditorum opinionem: Varro [1] enim ait: *Loca in Urbe pura Areæ dicuntur, a quo potest Ara Divum esse, quod pura: nisi potius ab ardore, ad quem, ut fit, fit Ara*. Cui postremæ Varronis explicationi adstipulatur etiam Pollux [2], & Isidorus [3]. Aliam affert idem Varro [4] originem ab *Ansa*, inquiens, *Aram derivari, quod qui precarentur, Aræ angulos, quasi ansas, apprehenderent*: cui concinens Virgilius [5] inquit,

Talibus orabat dictis, Arasque tenebat.

Hinc Passeratius in verbo, *Ara*, hanc ab Antiquis *Asam* primum, deinde *Aram*, appellatam ait. Aliter explicat Servius inquiens: *Ara ab ariditate dicta, quia in iis adoletur ignis*. Isidorus tandem ita inquit: *Alii Aras dicunt a precationibus, quas Græci aras dicunt*.

Quoad rem vero, Aræ ab Altari discrimen erat, quod, sicut ait Servius, *Aræ Superis & Inferis Diis consecratæ sunt, Altaria vero superiorum tantum Deorum, quæ ab altitudine constat esse nominata*: unde Isidorus addit, *Altare quasi alta Ara*. Attamen utramque vocem promiscue usurpari solitam asserit probe Berthaldus [6], cui & ego subscribo, licet Auctores ab ipso adducti oppositum potius videantur adstruere: affert etiam Tacitum [7], & Plinium [8]; quorum ille de Matrona quadam ait: *Altaria & Aram amplexa est*: hic vero: *ne propitiandis quidem Numinibus ascendi* ex his Altaria Aræque debent*. Ubi copulativa illa particula, & geminatio, diversitatem Altaris Aræque significare videtur, nisi aliud addatur luminis, quo hæ umbræ dissipentur. Quare ad locum Taciti dico, recte pro eodem Altare & Aram ibi usurpari; si enim utrumque Matrona *amplexa est*, jam in eodem debuit esse Templo, (de Concordiæ Æde intelligit Lipsius, ut infra) adeoque non potuit unum Diis Superis, alterum Inferis, juxta Servii explicationem, esse dicatum; hinc enim Numinum confusionem vitabant Antiqui. In Plinio autem adnoto verbum illud *ascendi*, non minus Aram, quam Altaria afficere; ex quo conjicere datur, Aram ab Altari minime diversam fuisse, non enim ascendi potuisset Ara, nisi alta exstitisset, adeoque eadem cum Altari, quod, ex Isidoro, *altam A-*

1 Lib. 4. de L. L. 2 L. 1. c. 1. 3 L. 15. c. 4. 4 L. 5. de L. L. 5 Lib. 6. Æn. 6 De Ara c. 2. 7 Lib. 16. Ann. 8 L. 15. c. 30.

* Omnes Edit. quotquot vidi, habent *accendi*, & ita esse legendum sensus postulat, ut cuivis locum inspicienti patebit: hinc quæ noster Auctor de voce *ascendi* adnotat, nihil ad rem de qua hic agit. Videsis doctiss. Harduini in hunc Plinii locum Notas.

A *ram* appellavimus. Sed opus non est ut in hisce quisquiliis diutius immoremur.

Materia Aræ passim e lignis & lapidibus apud Pausaniam in *Eliacis* [1], ubi Aræ etiam lateritiæ meminit. Rusticorum Aræ solebant e cespite & lignorum strue tumultuario opere componi: unde eas Lucanus [2] vocat,

*—— subitas congestas * cespitis Aras.*

Gramineas pariter Aras commemorat Virgilius [3] inquiens: *ergo instauratur Divis communibus Aræ Gramineæ*. Atque hæc Ararum pauperies primis præsertim Romæ temporibus viguit, cum, sicut B Tertullianus in suo inquit *Apologetico*, *nulla Capitolia certantia Cœlo, sed temeraria de cespite Altaria, & Vasa adhuc Samia, & nidor ex illis*. Ubi loco vocis *temeraria* ego legerem *temporaria*, seu extempore structa: ita enim vox hæc Altaribus e cespite factis magnis congruet. Hujusmodi Aræ facile solubiles erant. Solubilium autem, imo & portatilium Ararum mentionem fecit allato loco Pausanias.

Majori admirationi sunt duo alia Aræ genera, Cinereum & Corneum. Jovis enim Olympici Aram ita describit Pausanias [4]: Πεποίηται δὲ ἱερείων τ̃ θυομένων τῷ Διὶ ἀπὸ τ̃ τέφρας τ̃ μηρῶν. C *Conficta est illa ex Cinere collecto ex adustis victimarum femoribus*: & postea adjicit, moris fuisse ut Aruspices die 19. Februarii cinerem, e Prytaneo deportatum, aquis Alphei fluminis diluerent, eoque Jovis Aram illinirent. Apollinis etiam Aram e Victimæ cineribus congestam idem Auctor in *Bœoticis* [5] affert. Omitto Herculis Thebani immunditiem, qui Didymis Milesiorum urbe Aram e luto subacto Victimarum sanguine exstruxerat, apud Berthaldum [6].

Aræ Corneæ inter septem Orbis miracula recensitæ meminit Ovidius in *Heroicis* his verbis,

D *Miror & innumeris structam de Cornibus Aram.*

Et Martialis [7] inter Ægypti Pyramides illam reposuit inquiens,

Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis,
Dissimuletque Deum Cornibus Ara frequens.

Hanc Domitius Scholiastes in Libya apud Hammonis Templum collocat; Eustathius in urbe Ephesi; at vulgo in Delo reponitur. Quid vero ea fuerit, nemo satis declarat. Quare illud mihi potius miraculo est, quod inter septem Orbis miraE cula hæc Cornea Ara adscripta sit: quid enim admirabilis habere potuit? omninoque riderem stultæ Gentilitatis simplicitatem, quæ adeo cornua demirata sit, rem nec multum infrequentem, nec valde decoram; nisi præsto mihi adesset Plutarchus [8], qui illam sic describit: Τὸν κεράτινον βωμὸν εἶδον ἐν τοῖς ἑπτὰ καλουμένοις Θεάμασιν ὑμνούμενον, ὅτι μήτε κόλλης δεόμενος, μήτε τινὸς ἄλλου δεσμοῦ, διὰ μόνων τῶν δεξιῶν συμπέπηγε καὶ συνήρμοσαι κεράτων. *Aram Cornutam vidi inter septem Mundi miracula, quod neque glutine ullo, neque aliis vinculis cohærens, e solis dextris cornibus compacta est*. Unde videas iF terum, quam proni ad demirandum fuerint Prisci. Adeas Alexandrum Neapolitanum [9], & Angelum Politianum [10], qui plurima, Aris equidem digna, de hac Ara consignarunt.

Forma Ararum non unius erat generis: quædam enim quadrangulæ, nonnullæ oblongæ, aliæ

1 L. 6. 2 L. 9. 3 L. 12. Æn. 4 In Eliac. prior. 5 L. 9. 6 C. 4. 7 L. 1. epigr. 1. 8 Lib. 1. de anim. solert. 9 L. 6. c. 2. 10 In Miscell. l. 52.

* Leg. *congestu*.

ro-

rotundæ, ut patet tum ex Pausania in *Eliacis*, tum ex Numismatis apud Guillelmum Chovium & Adolphum Occonem, qui varios etiam afferunt Aræ Titulos, Inscriptiones, & Hieroglyphica. Solebant cumprimis Aræ latera fasciculis quibusdam herbarum hinc atque inde pendentibus insigniri: quos *Struppos* appellatos ait Blasius Vigenerius in suis ad Livium Notis, & ex eo Berthaldus; at quam bene non calleo, nam ex Festo, *Struppi vocabantur in Pulvinaribus fasciculi de verbenis facti, qui pro Deorum capitibus ponebantur*. Utut fuerit, illud dubio omni caret, Jovis Aram esculo aut quercu redimitam, Apollinis lauro, Minervæ olea, Veneris myrto, Herculis populo, Bacchi hedera, pampino, & ficu, Panis pinu, Plutonis & Sylvani cupressu, ut Alexander Neapolitanus 1 erudite nos admonet. De primo Aræ repertore sermonem instituam *Tom. 2. Dissert. de Diis*. Illud satis sit impræsentiarum perfunctorie adnotare, e Græcis ad Romanos ejus usum pervenisse: Aram enim Maximam sub Palatino Monte sibimet exstruxerat Hercules, Græcanico ritu & ipse excultus; Æneas vero ejusdem cultum ampliorem reddidit, ut *Dissert.* prima dictum est, & fusius *Tom. 3 Dissert. de Sacrif.* ubi Aræ etiam usus, aliaque id generis. Plura qui cupiat, Berthaldum ipsum adeat, qui de Ara non contemnendum exaravit Librum *.

Nos interea paucula quædam subjiciamus e re nostra magis, & Berthaldo ipsi, diligenti cætera Scriptori, prætermissa. Aræ situm Vitruvius 2 stabilit his verbis: *Aræ spectent ad Orientem, & semper inferiores sint collocatæ, quam simulachra, quæ fuerint in Æde, uti suspicientes Divinitatem, qui supplicant & sacrificant, disparibus altitudinibus ad sui cujusque Dei decorem componantur*. Id quod ex Nummis Domitiani perspicue demonstratur. Inter Deos autem hic ordo rite observabatur, ex Festo, ut Diis Superis altissimæ constituerentur Aræ; Terrestribus mediæ; Inferis vero nonnisi sub terra in scrobibus excavatæ. Quorum posterius neglexit Vitruvius, suis potius structuris intentus, cum ait: *Altitudines earum sic sunt explicandæ, ut Jovi, omnibusque Cœlestibus quam excelsissimæ constituantur, Vestæ, Terræ, Marique humiles collocentur*.

Locus Ararum erat varius pro earundem varietate. Plures siquidem Aras eodem collocatas in Templo certius est, quam ut probatione indigeat: minimum vero tres, semperque impari numero Superis, & Inferis pari, ut *Tom. 3. Dissert. de Sacrif.* dicemus. Harum prima erat præ Foribus Templi, ubi Victimæ immolarentur: secunda in Templi medio: tertiam demum ante ipsum Simulachrum constituerem, fretus sane tum Domitiani Nummo apud Gutherium sæpe laudatum, tum Arnobii 3 verbis ita inquientis, *thura injiciuntur Altaribus ante ipsa Numinum Signa*. Unde vix capio quo perductus argumento Gutherius asseruerit tertiam proprie Mensam fuisse, quam Festus *Anclabrim* appellat; cum Arnobius non Mensam, at Aram nominet: non negaverim Mensas quandoque, si sacræ forent, Ararum loco fuisse habitas; at alius earum situs, quam in sacratissimo prope Simulachrum loco, nec super eis Victima libabatur, sed vinum, ut alibi. Aras pariter extra sacras Ædes ex Augusti Numismate comperies. Aræ partes apud Josephum Scaligerum videsis, supremam scilicet superficiem, quæ a prunis Græce καυτὴρ, *cautir*, dicebatur, quod ibi Victima ureretur; basim, quæ & ἐπίπυρον, *epipyron*; & quæ supra basim partem βωμίσκος, *vomiscos* dictam. Atque hæc de Ara libasse sit satis.

1 L. 4. c. 17. 2 L. 4. c. 8. 3 Lib. 7. In 1. Astronom. Manil. lib.
* Is habetur in *Antiq. Rom.* Tom. VI. p. 233.

A Reliquum nunc est, ut nonnulla de Pulvinari & Lectisterniis subnectamus. Stulta siquidem Priscorum superstitio haud contenta Deos suos in Cella collocasse, insuper, velut si viverent adhuc & cum ipsis conversarentur, Mensas iisdem constituebant cibis refertissimas, quibus vesci possent, & Lectos, ubi ad Mensas ipsas cubarent. Hæcque sunt Lectisternia, aut alio etiam vocabulo, sicut Servius 1 ait, Pulvinaria, apud Scriptores frequentissima. In Templo præsertim Capitolino Jovi, Junoni, ac Minervæ Lectisternia consecrata, quamquam solus Juppiter lecto cubaret, istæ vero sellis insisterent, ut infra trademus. Hinc cœptum

B aliis promiscue Diis Lectisternia in Templis prope eorum Aras dicari, & ad Templorum ornamentum una cum ipsis consecrari, illaque vere Templa dici, in quibus Pulvinaria essent: quare cum Drusillæ Templum constituit Caligula, statim Pulvinaria adjecit 2: imo & pro Templis ipsis Pulvinaria usurpata passim sunt 3. Potuisse Pulvinaria ab Æde sacra alio transferri, sicut etiam de Supplicationibus, quæ Lectisternia dicebantur, in extremis Urbis periculis institui solitis, dicam *Tom. 3. Dissert. de Festis, & de Precibus*. Non erant continuo in Templis exposita, sed statis Solemnitatibus; interim vero in Sacrario aut Donario asservabantur,

C ex Porphyrio apud Rhodiginum 4. Eorum formam lectis haud valde absimilem ex Nummis Domitii Ænobarbi apud Gutherium 5 cernere poteris: plurima vero hac de re apud Hieronymum Bosium. Illud dumtaxat postremo adnoto, sæpe apud Scriptores Pulvinaris nomine usurpari locum in Templo apparatum, ubi diebus festis ea disponerentur, quæ in Sacrario aut Donario inclusa erant; sicut Lectisternii voce non raro sacrum Epulum intelligitur, de quibus alibi.

Ornamenta Templorum erant Lectisternia ipsa & Pulvinaria: præterea Currus, Bigæ, Quadrigæ, & id genus. Item Coronæ diversi generis,

D Vittæ, Teniæ, Spolia, Exuviæ, Vota, & Anathemata; Statuæ, Picturæ, Signa, Sigilla, seu parva Signa in suis Ædiculis, seu loculis posita, (quos nos *Nichias* appellamus) ad parietum honestamenta: quæ & Sigillaria & Sigilliola dicebantur, habebanturque etiam pro Diis, si forent consecrata. Pariter Clypei, quos primus Appius Claudius in publico loco dicare instituit, posuitque ipse in Æde Bellonæ Majores suos in Clypeis conspiciendos ex Plinio 6. Clypeorum forma ex Nummis Augusti & Lepidi apud Gutherium apparet. Vasa etiam sacra inter Templorum ornamen-

E ta censebantur. De quibus hic nihil differere visum est, quod hujusmodi rerum pluries redibit sermo, tum *Tom. 2. Dissert. de Donariis*, & *Dissert. de Statuis*, tum *Tom. 3. Dissert. de Sacrif.* & alibi,

Quare illud pro Sectionis hujus coronide præstandum nobis est, brevis scilicet quarumdam Templi specierum syntaxis, quæ sunt Fanum, Sacellum, Ædicula, Lararium, Tesca, Lucus, Dianium, Minervium, Bidental, atque Delubrum. Fanum proprie dictum, ait Festus, *a fando, quod dum Pontifex dedicat, certa verba fatur*. Quamquam Asconius Fanum appellatum censeat, *unde Fata*

F *petuntur*: & Capella *a Faunis Latinorum Diis, qui indormientibus responsa dare solebant*. Utut se habeat, Fanum erat locus sacer, & inauguratus, atque effatus, at sine Tecto, si Tullio 7 fides. Hinc, *sistere Fana*, erat locum futuri Fani designare, ex Festo: & *exaugurare Fana*, erat evocatis Diis locum Religionibus liberare 8, ut alibi explicabo. A Fano Fanula, quasi Fanula, seu parva Templa ex Festo.

1 In l. 3. Georg. 2 Tac. 14. Ann. 3 Serv. cit. 4 L. 12. cap. 1. 5 Lib. 3. c. 9. 6 Lib. 35. cap. 3. 7 Lib. 12. epist. 25. 8 Liv. l. 1.

Sacellum erat locus parvus, Deo sacratus cum Ara: addit Festus sine Tecto fuisse; unde a Fano parum differebat. Ædicula quasi parva Ædes Sacello utique non absimilis. Singulos Romæ Vicos suas habuisse Ædiculas, ex Rufo & Victore colligitur, qui in Urbis Regionum descriptione tot fere Ædiculas nominaverunt, quot Vicos. Lararia etiam privatæ erant Ædiculæ & Sacella, quæ unusquisque Domi suæ habebat, in quibus cubiculares Imagines seu Lares reponerentur. Sic in Larario suo Alexander Severus inter alias habuit etiam Christi & Abraham Imagines, quibus rem divinam quotidie faciebat, ex Lampridio. Magni Principes duo habebant Lararia, majus & minus: unde idem Severus in magno suo Larario Imagines habuit Alexandri Magni, Christi, Abraham &c. in minori autem Virgilii & Tullii. Tenuioribus, Lararii loco, erant Foci, ex Plauto, in quibus Lares suos colebant iis ritibus, quos dabimus alibi. Illud postremo loco non est prætereundum, quod Plato [1] in suis Legibus jussit his verbis: Ἱερὰ μηδὲ εἷς ἐν ἰδίαις ἐκτήϑω. Θύειν δ᾽ ὅταν ἐπὶ νοῦν ἴῃ τινὶ, πρὸς τὰ δημόσια ἴτω θύσων. *Sacella nemo in privatis Ædibus habeto. Cum alicujus animum sacrificandi studium incesserit, ad publica sacrificaturus accedito.*

Tesca erant loca sancta quidem, sed agrestia alicujus Dei, quales apud nos sunt Heremi in locis abruptis exstructæ; unde a Tullio aspera & difficilia dicuntur. Nomen sumpsisse ait Gyraldus a *tuendo*, unde ea Tuesca primum dicta ex Varrone subdit. In iis solebant Augures Auspicia captare, quæ utique solum in agris, sicut in sola Urbe Auguria, ut fuse ostendit Gutherius [2], ubi plura alia, quamvis de solis vocibus, reperies. Ejusdem agrestis pariter generis fuere & Luci Priscis inter sacra etiam loca habiti: imo ex Tacito Germanis loco Templorum soli Luci fuerunt, sicut Persis & Celtis. Horum in Urbe triginta duo exstitere; magis vero præcipui Dianium, apud Catonem [3] & Festum, ubi *Dianus* legitur, & Scaliger *Dianium* emendat: & similiter Minervium apud Varronem [4]: de quibus plura afferemus *Tom. 2. Dissert. de Asylo*, cui & Luci ipsi affines, ni & iidem fuere. Bidental vero ex Festo & Persio locus erat fulmine tactus, qui & pro religioso habebatur, Sacerdotemque in eo adhibebant, qui fulminis dispersa vestigia colligeret, & bidenti Hostia sacrificabat, unde & nomen, ut alibi tradam. Quia vero, ut ait Festus, nefas ducebant totum eum locum fulmine tactum contegere, hinc foramen inibi relinquebant apertum, quo cælum pateret: illudve *Lapide* quodam *pertuso* operiebant, cujus meminit Victor [5], & male apud Rufum legitur *Lacus pertusus*.

Quid fuerit Delubrum sub judice adhuc est: aliqui enim apud Festum ajunt, *esse locum ante Templum, ubi aqua currat, a diluendo dictum*: cui & concinit Isidorus [6]; eumdemque locum Festus *Favissas* appellat. Fronto dictum putat locum, *ubi homines pericula sua diluunt*. Sed placet magni Varronis apud Macrobium [7] opinio existimantis, *sicut locum, in quo figerent candelam, candelabrum appellatum, ita in quo Deum ponerent, nominatum Delubrum*. Quare idem erat ac Templum, ubi Dei cujuspiam Simulachrum situm esset. Sed pro omni Templo promiscue usurpatur: imo & passim pro Simulachro ipso Deorum. Sed a vocibus atque Templorum speciebus ad specialem eorum recensum deveniamus.

1 Lib. 10. 2 Lib. 3. cap. 3. 3 Orig. l. 2. 4 Lib. 4. de L. L. 5 In Reg. 7. 6 L. 15. cap. 4. 7 L. 1. Sat. cap. 7.

SECTIO SECUNDA.

De Templis in particulari.

Quantumvis scientias circa ipsa versari universalia probe asseruerit Philosophus, de metaphysicis quidem & mere speculativis intelligens; Historicas tamen notitias de solis esse particularibus, certo certius sane est. Quare ad pleniorem Templorum agnitionem, eorundem particularis descriptio exaranda foret. Quoniam vero id incertæ aleæ plenum prolixumque nimis foret, contenti erimus peculiarem illorum situm indicare, uno dumtaxat eorum liberaliori calamo exarato, ut ab eo reliquorum ideam sibi unusquisque confingat. Numerum vero Templorum, quæ universam pene Urbem implebant, * sicut arduum, ita & inutile omnino esset, cum neque e ruinis, nec e Scriptoribus certo id hauriri valeat. Illud ratum cuique sit, Romam superstitionibus addictissimam, sicut omnium fere Nationum Deos colendos suscepit, ita pariter omnibus Templa erexisse, nedum majoribus, sed infimis etiam, qui derisionibus cachinnisque potius fuissent venerandi, ut alibi tradam. Unde Leo Papa [1] de ea inquit: *Cum pene omnibus dominaretur Gentibus, omnium Gentium serviebat erroribus, & magnam sibi videbatur assumpsisse Religionem, quia nullam respuebat falsitatem*. Quot vero ea fuerint, non est nostrum divinare: unde satis sit ex *Notitia Imperii Occidentis* pernosse, præter Ædiculas, innumeraque Sacella, illustriora Templa fuisse CCCC. XXIV. Quibus perfunctorie animadversis, Templa ipsa Regionatim designemus.

In prima ergo Regione insigne imprimis fuit Ædes Martis Extramuranei non procul a Porta Capena, si Ovidio fides [2]; in Vineis fortasse Marchionum de Naris, ut ex Inscriptionibus inibi effossis conjici recte potest. Duo Martis Templa extra hanc Portam sibi effingit ex Fulvio Panvinius, sed contra Victoris Rufique fidem. In eodem hoc Martis Templo suspendisse arma milites e bello reduces, alibi ex Propertio ostendam. Prope idem Templum asservabatur Lapis ille Manalis, quem siccitatis tempore per Urbem solemni pompa deferebant, ut aquas a Jove impetrarent, ex Festo in hoc verbo. Proxime Mercurii aquas, alibi a nobis descriptas, Ædes etiam Mercurii, cujus meminit in hac Regione Victor, a nonnullis constituitur: at quoniam ejus nullam habuit rationem Ovidius in ejusce aquæ profusa satis descriptione, hinc dubitari hac de re merito potest. Prope eandem Portam Templa Honoris & Virtutis; insuper Tempestatis & Camenarum, quibus & Lucus etiam dicatus; Minervæ pariter, Apollinis, Isidis, & Spei: Dei etiam Rediculi in Via Appia, ubi Hannibal castrametatus fuerat, tandemque redire coactus discessit: demum Herculis in eadem Appia, necnon Jovis, Saturni, Junonis, Veneris, & Dianæ Ædiculæ, quarum elenchum apud Victorem & Rufum vide.

Secunda Regio multis illustrata erat Templis: imprimis Minervio in Monte Cælio, cujus præter Varronem meminit Ovidius [3], qui Minervam *Capitam* vocat, hoc est, ut ipsemet explanat, *Ingeniosam*. Jovis item Reducis Ædes. Templum S. Stephani, hodie *in Rotondo*, creditur vulgo Fauni, Donato vero Claudii, Nardino autem Bacchi, licet, more suo, non sine scrupulis & hæsitatione. In Cælio pariter Carnæ aut Carmæ Ædes. In Cæliolo Ædicula erat Dianæ. In eadem Re-

1 Serm. 1. 2 Lib. 6. Fast. 3 Lib. 3. Fast.
* Hic videtur deesse verbum *recensere*, vel quid simile.

gione Isium Metellinum, seu Isidis Templum a Metellis structum legitur: Arbor item *Sancta*, quam Pancirolus in *Notitiæ Imperii* explanationibus arborem quandam fuisse existimat Numini cuidam dicatam, ut moris olim fuisse, alibi ex Plinio[1] ostendam. Hic etiam erat Spoliarium, ut in *Notitia Imperii* legitur; quod ex Plinio[2] colligitur idem fuisse cum Saturni Templo: ita vero dictum ait Pancirolus, quod ibi Rei morte plectendi spoliari solerent: vix vero percipio, cur id Nardinus[3] derideat, cum ab eodemmet Plinio idipsum diserte tradatur, qui de eo Templo ait: *Nunc Templum illud non Spoliarium Civium, cruentarumque prædarum Receptaculum.* Negat etiam Nardinus Ædem Quietis, quam ubi hodieque SS. Petri ac Marcellini adest Ecclesia collocat Fanus, eo loci exstitisse, quod Livius[4] Quietis Templum extra Urbem reponat: at quis revelavit Nardino Faunum de Ecclesia SS. Petri & Marcellini intra Urbem, & non potius de altera extra Portam Majorem, a Constantino ædificata, intellexisse, ut ita cum Livio reconciliari Faunus recte queat?

Tertia Regio habuit Ædiculas Isidis & Serapidis, unde & nomen etiam sumpsit: quantumvis ex Fulvio Nardinus existimet non ab hisce Ædiculis, sed a duobus amplissimis Templis, quæ Augustus & M. Antonius iisdem Numinibus dedicaverant in Emporio, sicut Vitruvius ait, huic Regioni nomenclaturam inditam. Utut sit, Templa hæc in Hortis Sanctæ Mariæ Novæ, ubi binæ apparent Tribunæ, minime exstitisse, sicut Fulvio placuit, alibi tradam. Prope Colosseum Monetæ Ædes fuit. In Trajani Thermis Diocletianus Æsculapii Templum dedicavit, ut ex Sancti Severi Martyris Actis colligitur.

Quartam Regionem decorarunt Sacrarium, ubi Hastæ Martiæ asservatæ dicuntur Gellio[5], quas loco Martis Simulachri habitas olim, testatur Clemens Alexandrinus in *Protreptico* ex Varrone: item Regia Numæ, in qua Opis Continæ Ædes ex Festo: præterea Templum Veneris Cloacinæ prope Regiam ipsam; & Ædes Faustinæ, ubi hodie Sancti Laurentii in Miranda visitur Ecclesia. Non longe erat Templum Remi, quod Felix IV. in honorem SS. Cosmæ & Damiani consecravit ex Anastasio, qui ingentem aperuit dubitandi viam, cum Felicem Quartum inquit Ecclesiam ædificasse *in loco, ubi Ædes Remi ac Romuli fuisse ajunt*: unde creditum vulgo est, utrumque hic Templum habuisse. Quare toto cælo aberrat Baronius[6], qui solius Romuli Ædem hic constituit; sicut etiam Donatus, cum Quirini ibi collocat Templum; aliique, apud Baronium, Castoris ac Pollucis Ædes ibidem constituentes. Sed quid dicemus de augustissimo Pacis Templo, cujus exstantia adhuc rudera priscam redolent magnificentiam, leonemque illum vere regium contra Temporis insidias rugientem, ex ungue ipsa, quæ remanet, patefaciunt? Sat dicere sit ab Ammiano[7] inter præcipuas Urbis structuras recensitum*, Hormisdam vero Persam hæc dumtaxat Romæ demirari solitum, Templum Pacis, Capitolinum, Pantheon, Veneris, & Romæ, Amphitheatrum, Pompeii Theatrum, Trajani Forum, Thermas, Odeum, & Stadium[8]. Herodianus[9] vero asserit, *μέγιστον καὶ κάλλιστον γενόμενον τῶν ἐν τῇ πόλει ἔργων, quod unum scilicet opus cunctorum tota Urbe maximum fuit atque pulcherrimum*. Ejus Ichnographiam apud Serlium vide in sua *Architectura*[10]; Prospectum vero ex Nummo Vespasiani, quem affert Erizzus: ornamenta tandem apud Josephum Hebræum[1], qui testatur singula Hierosolymitani Templi a Tito deprædati Romam devecta, (ut in Arcu ipso Titi affabre expressum videmus) hic Vespasianum collocasse, Legis dumtaxat Tabulis, purpureoque Templi Velo exceptis, quæ suamet in Domo custodienda mandavit, necnon & Arca Fœderis, quam in Ecclesia Sancti Joannis in Laterano asservari, pluribus ostendere nititur laudato loco Nardinus. Hæc vero eadem ornamenta a Genserico Vandalorum Rege in Africam adsportata, postmodum a Bellisario triumphali pompa Constantinopolim perducta, Justinianus tandem iterum Hierosolymam misit, ex Procopio[2]; sed isthæc nihil ad nos. Plura qui cupit, adeat Lipsium[3]. Non minoris magnificentiæ fuere Templa Veneris & Romæ ab Hadriano exstructa: quæque satis recte Nardinus in Hortis Sanctæ Mariæ Novæ collocavit, aliorum rejectis opinionibus. Non valde procul erat Solis Ædes, quam prope Amphitheatrum plura Martyrum Acta testantur. Sacellum Larium, illudve antiquissimum, erat ad Palatini radices, ubi Titi postea Arcus erectus fuit, ut *Dissert.* 1. dictum est. Hoc proxime erat Orbonæ Ara, & Sacellum Streniæ, quorum meminit Varro, & in hac Regione etiam Victor. Telluris Templum in hujus Regionis limitibus. Ædes Concordiæ in Liviæ Porticu collocatur a Rufo; at magis sane prope illam, cum Porticus in tertia fuerit Regione. Templum Jani Quadrifrontis prope Nervæ Forum, (quod inde Transitorium dici cœpit) versus Romanum Forum, itaut e quatuor suis lateribus quatuor ipsa Fora respiceret: Jani siquidem Templa quatuor Arcus habebant ubique patentes, ut alibi tradam. Palladis hic etiam Ædes, cujus vestigia exstant adhuc in Via Recta inter Turrim *de' Conti* & Viam *de' Pantani*. Prope Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Montibus collocat Nardinus[4] Dianium: an vero Lucus fuerit Dianæ dicatus, cujus meminimus supra, an vero ejusdem Sacellum, anceps sum. Hic etiam exstitit Musarum Ædicula, cujus, ultra Rufum, Martialis[5] mentionem egit.

In quinta Regione enituere, præter Querquetulana Sacella, & Lucos in Esquiliis apud Varronem obvios, sicut & Fagutalem, Esquiliaremque Lucum, & Mephitis Varroni prætermissos, enituere, inquam, Veneris & Cupidinis Templum, cujus exstant adhuc ad dexteram Sessoriani Palatii & Ecclesiæ S. Crucis in Hierusalem rudera, quicquid oblatret Nardinus: Templum insuper Spei in Labicana Via: Quietis præterea, quam in Regione secunda indicavimus. Ædes Minervæ Medicæ creditur vulgo collocata post S. Matthæi Ecclesiam, ubi decagonum adhuc prostat ædificium. Ad Mariana Monumenta, prope S. Eusebii Templum, Ædes erat Honoris & Virtutis, ut ex Vitruvio[6] colligitur. Timoris vero & Palloris in Ustrino Vico super Esquiliis. In Vico Patricio Templum Isidis Patriciæ; item Dianæ, in quam viris ingredi vetitum, ut suo didicisse periculo incautum quemdam inibi a canibus dilaniatum testatur Plutarchus[7]. In Esquiliis etiam Ara Malæ Fortunæ[8], cui ego in Esquiliis degens quotidie sacrifico. Reponit etiam hic Panvinius Felicitatis Templum: at Nardinus in Regione Fori illud ipsum collocat, non in Esquiliis, & sane merito, nullam enim mihi in hac Regione licuit umquam felicitatem experiri. Sylvani Ædes vulgo ad radices Viminalis, Ecclesiæ S. Vitalis opposita, collocatur: in eodemmet Monte post Diocletiani Thermas Jovis Viminei, unde & nomen

1 Lib. 12. cap. 1. 2 In Paneg. 3 L. 3. cap. 7. 4 Lib. 4. 5 L. 4. c. 6. 6 In Martyr. ad 27. Sept. 7 L. 16. c. 10. 8 Plin. l. 36. c. 15. 9 L. 1. 10 L. 2.

* Sic quidem habetur in Accursii Editione; sed ipse hunc locum corrupit, nam hic agi de Foro Pacis, non vero de Templo, ostendit doctiss. Valesius, quem videsis.

1 L. 7. c. 37. 2 De Bello Wandal. l. 2. 3 De Magn l. 3. c. 6. 4 L. 3. c. 15. 5 L. 12. epig. 3. 6 L. 3. c. 1. 7 Probl. 3 8 Plin. l. 2. c. 7.

mons ipse sumpserat, Templum, ut Rufus sentit, aut ad minus Ara: extra vero Viminalem Portam, Næniæ Sacellum: sicut extra Salariam Ædes Veneris Erycinæ, Herculis, & Honoris: extra Nomentanam, Rubiginis; præter Lucos Pœtilinos, majorem, & minorem, aliosque, qui, ex Varrone, Esquilias nostras decorarunt ne dicam, an desertarunt?

Sextæ Regionis Templa hæc fuere: Divi Fidii, aut Sangi in Hortis Aldobrandinis. Item Quirini, seu Romuli in Valle S. Vitalis, e cujus inibi effossis marmoribus, Aræcæli scalas exstructas testatur Fulvius. Romuli Templum Numa ædificavit, angustum tamen juxta eorum temporum modulum, quod Papirius Dictator in ampliorem formam redegit, ex Halicarnasseo, primumque Solare Horologium, quod Romæ visum fuerit, ibidem constituit, ex Fabio apud Plinium [1]. Idem Plinius [2] narrat ante Quirini Templum binas exstitisse myrtos, quarum unam Plebejam, alteram Patritiam nuncupabant, eo tamen portento, ut cum Plebejorum prævaluisset Factio, Plebeja myrtus effloreret, & languesceret altera; prædominante vero Patritia, prior illa floribus despoliaretur; cujus fides apud Plinium sit. In eadem Valle Templum Fortunæ Publicæ, licet Victor super colle eam collocet: hic etiam Salutis Ædes. In Quirinali Sacrarium Saliorum Collinorum, sicut & Apollinis ac Clatræ Cancellorum Deæ. Floræ Templum prope ejus Circum in Platea Grimana. Non valde procul erat Ædes Fortunæ Reducis, ob Domitiani e Germanico Bello reditum ædificata [3]. In eadem Regione alia Fortunæ Liberæ, Primigeniæ, & Fortunæ Statæ Templa apud Rufum hic. Veneris Ædes in Hortis Sallustianis.

Septima Regio hæc jactat Templa: Quirini novum ab Augusto excitatum: Solis alterum ab Aureliano erectum: Novum item Fortunæ Templum, quod Donatus a Lucullo ædificatum ait, refragante Nardino: Ædiculam tandem Caprariam: alia non reperire licuit.

In octava Regione isthæc resplenduere Templa: Felicitatis in Curia, ibidemque Victoriæ Ara. Concordiæ Ædicula in Græcostasi, cujus in *Dissert. de Ædificiis Judicialibus* erit sermo. Alterum Romuli Templum in Lupercali. Ædes Deorum Penatium ad Titi Arcum. Castoris item & Pollucis in Palatino, ubi Tiberianam Domum ædificatam diximus: in eodem Palatini latere Julii Cæsaris Templum exstitisse Ovidius [4] satis indicat. Opis & Saturni in Thurario Vico, in quo Civium erat Ærarium [5], sicut alterum Saturni Templum commune fuisse Ærarium mox dicemus. Vertumni Ædes in Vico Thusco: Victoriæ vero sub Velia. Vestæ Templum cum Atrio & Luco prope Juturnæ Lacum ad Palatini radices; non procul fortassis a S. Georgii in Velabro Ecclesia. Concordiæ & Vespasiani Templa inter Capitolium & Forum ex Festo. Saturni Ædes, ubi Ærarium Pop. Rom. exstitisse diximus, locatur vulgo ubi hodie S. Hadriani prostat Ecclesia: quamquam & aucto postea Imperio, ampliatum etiam Ærarium, quod *Ærarium sanctius* diu * cœpit [6], alibi traditurus sum: Jani Templum in Foro, illudve est, quod Belli tempore aperiebatur ob rationem, quam indicavimus in *Dissert.2.* In Foro pariter Veneris Cloacinæ Signum & Templum, sicut credit Panvinius; Ædesque Hadriani. In Cæsaris Foro Templum Veneris Genitricis & Martis Ultoris. In Foro Trajani hujus ejusdem Ædes. In Velabro alterum Larium Templum, quod Victor Delubrum vocat. Ibidem Fortunæ Ædes a Lucullo excitata. In Foro Boario Templum Herculis Victoris rotundum; Matutæ pariter, & Fortunæ Virginis, sicut & Sacellum Pudicitiæ. In Capitolino Clivo Ædes Jovis Tonantis & Fortunæ; prope Tarpejam Rupem Junonis Monetæ: Concordiæ in Arce: in Capitolio ipso Ædes Jovis Custodis & Feretrii a Romulo primum Romæ erecti, ubi nunc Aræ cæli Ecclesia: Jovis item Sponsoris; Jovis & Herculis; Dianæ & Jovis. Item in Asylo Misericordiæ Templum, sicut Servio placet asserere, aut Vejovis, sicut credit Donatus. Ibidem Capitolini Jovis omnium magnificentissimum, quod infra opportunius describemus.

Nona Regio his Templis insignis fuit: Junonis atque Apollinis, quorum alterum certe primum fuit, quod Romæ e marmore fuerit a Metello exstructum, sicut Paterculus testatur. Templo item Pietatis eo loci, ubi postea Theatrum Marcelli conditum fuit, sicut testis est Plinius. In quo etiam situ antiquum Jani Templum exstitisse ex Victore habemus, quod Numæ Sacrarium a Servio [1] appellatum fuit. Extra Carmentalem Portam antiquissima Apollinis Ædes. Prope Circum Flaminium, ubi nunc Monasterium *di Tor di Specchi*, locatur Nardino Bellonæ Templum, cum Area, in qua Bellica Columna, unde Consul hastam jacere solebat, cum primum adversus aliquem Regem Bellum foret inferendum, ex Victore hic: ibidem etiam triumphum postulantibus Senatum concedi solitum alibi dicam. Prope ipsum Ædes Herculis Custodis; sicut etiam Herculis, Musarum, Neptuni, Martis, Vulcani, Junonis Reginæ, Dianæ, & Castoris, Delubrum Domitii, Jovis Statoris, & Bruti Callaici. In Pompeii Theatro Templum Veneris Victricis, aut etiam Victoriæ, ut Donato creditur, & Fortunæ Equestris. In Campo Martio Martis Ara & Templum, unde & appellationem ille sumpserat: ut & alia multa, scilicet Ara Ditis & Proserpinæ prope Plateam Nicosiam, Ædemque S. Luciæ *della Tenta*; quam posteriorem vocem inde derivat Nardinus, quod Ara illa a Festo *Terentus* appelletur: Ædes item Larium Permarinorum & Vulcani. Antonini Templum in ejusdem Foro, hodie *Piazza Colonna*; & ab eo non procul Neptuni etiam Ædes. Juturnæ Templum, quod prope Aquam Virgineam a Victore asseritur, Marlianus in Fontibus *di Trevi*, Nardinus proxime Romanum Nobilium Seminarium collocat. Serapium Nardinus ipse eo loci, ubi adest Ecclesia Sancti Stephani *del Caeco*, constituit; Isium vero prope Romanum Seminarium statuit Donatus. Minervium erat in eo situ, ubi Ecclesia Sanctæ Mariæ supra Minervam hodieque visitur, & a Rufo dicitur *Minerva vetus cum Luco*; unde a Minerva Chalcidica differre juste credit Nardinus. Sed ditissimum omnium, quibus Regio hæc ditescit, fuit Pantheon, hodie *la Rotonda*, ab Agrippa exstructum, quod pene integrum assurgens, temporis tyrannidem calcat. Cujus uberem descriptionem a Lipsio pete, Ichnographiam vero a Serlio.

Decimam Regionem illustravit imprimis Jovis Statoris Templum in Foro, ut vulgo creditur, aut prope ipsum, ut Nardinus [2] profuse demonstrat. Sacrarium Saliorum in Palatino Colle. Ædes ibidem Cereris, Victoriæ, & Fidei antiquissime ab Evandro exstructæ. Caligulæ Templum in Augustano Palatio; Apollinis alterum ab Augusto ibidem erectum, ubi Poetis passim carmina recitandi mos [3]: Augusti Templum in eodem Palatio, ut & Vestæ Palatinæ Ædes. Bacchi item & Cybelis in Palatino, una cum Junonis Sospitæ Delubro & Victoriæ Æde. Accedunt his Templum Fidei, Jovis Victoris, Deæ Viriplacæ, Rhamnusiæ, Diovis, Jovis Arbitratoris, quod & Pentapylon dictum, Heliogabali, Orci, divorum Cæsarum, Minervæ, Jovis

1 L 7. c. ult. 2 L.15. c.29. 3 Mart. l.8. epig. 64. 4 L.2. de Ponto eleg.1. 5 Tull. 1. Phil. 6 Tull. 3. Verr.
* Forte, *dici*.

1 In 7. Æn. 2 L. 6. c. 12. 3 Horat. l.1. Sat. 10.

Propugnatoris, Fortunæ Respicientis, Mutinæ, Mutini Titini, Lunæ Noctilucæ, Victoriæ Germanicianæ, & sexcenta ejusmodi, quæ sicut Romanos apprime quidem religiosos ostendunt, ita & omnino stupidos clare demonstrant, quippe qui tot saxea monstra colere voluerint, vero summoque Deo relicto.

Ad undecimam Regionem pertinuit Ædes Solis in Circo Maximo, qui & Soli dicatus. Templum etiam Murciæ, quod & Valli eidem nomen tradidit. Ædicula Juventutis itidem in Circo. A quo non procul erat Templum Liberi, & Liberæ, & Proserpinæ, Floræ, Pompeii, Veneris, & Mercurii. Aram etiam Maximam prope Circum exstitisse in Foro Boario, inter Circum, Palatinum, & S. Anastasiæ Ædem, ex Halicarnasseo [1] satis colligitur. Prope Portam Trigeminam Ara Jovis Inventoris. Ædes Portumni prope Sublicium Pontem. Ibidem Voluptiæ Templum, cujus rotunda adhuc exstant rudera. Ecclesia Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ creditur Nardino & Marliano Fortunæ Virilis, Volaterrano Bonæ Fortunæ, Blondo Misericordiæ, Fulvio Pudicitiæ: at judicium penes Lectorem esto. In Foro Olitorio Jani Templum & Pietatis: non procul Ædes Junonis Matutæ, & Spei, & Junonis Sospitæ. Quibus adde Ædem Ditis Patris, Castoris, Sacrarium Saturni cum Luco, & Apollinis Medici Templum.

E duodecima Regione fuerunt Ædes Bonæ Deæ Subsaxanæ, Fortunæ Mammosæ, & Ara Lavernæ, una cum Luco, quo commeare fures solebant, qui in ejusdem Deæ erant tutela, hinc fures *Laverniones* appellati ex Festo. Tandem hic Isidis Athenodoriæ Templum. Alia vero ulterius hujusce Regionis observare non valuimus.

Tertiadecima Regio his Templis ditata fuit: Dianæ Communis apud eum Aventini locum, ubi Sanctæ Priscæ nunc assurgit Ecclesia. Eodem in Colle Lunæ Ædes; item Junonis Reginæ, & Bonæ Deæ in eo præcise Collis angulo, ubi Sanctæ Mariæ Aventinæ prominet Ædes, vulgo *il Priorato*. Templum item Herculis Victoris in Aventino, sicut & Evandri Ara, Jovis Elicii, & Vortumni, Ædes Minervæ, Victoriæ, Libertatis cum Atrio, & Archivo, ac Bibliotheca, de quibus nos alibi; pariter Sylvani, Tutilinæ, Fortunæ Dubiæ, Hylernæ, & Spei.

In postrema Regione fuere Templa Fortis Fortunæ, Herculis Cubantis, Furinarum cum Luco, Deæ Maniæ, Æsculapii in Transtyberina Insula, eique proximum Jovis & Fauni. In Vaticano prope Neronis Circum Ædes Apollinis radiorum Numinis, cujus sub rutilis auspiciis hanc priscarum Ædium materiam tenebris equidem refertissimam, adeoque uberioris lucis indigam, terminamus: illud postremo loco protestantes, non his nos Templorum picturam tradere curiosis voluisse, sed tenui dumtaxat ea adumbrata carbone, Tyronum exhibuisse oculis, ordine solum observato, ut excitata hinc mentis prurigine, apud Antiquarios luculentior earum descriptio hauriri valeat; nos enim alio scribimus scopo, annusque, nedum dies, deficeret, si omnia prosequi vellemus.

Non est tamen unius saltem, ejusque omnium celeberrimi, prætermittenda delineatio; ut exinde totius sacræ structuræ forma una atque splendor appareat. Erit id Capitolinum Templum, Romanorum omnium facile princeps. Tradit Cassiodorus in *Chronico* fuisse illud a Numa ædificatum, de illo certe veteri atque primo intelligens; quamquam & id nesciam a quo antiquo hauserit Scriptore. Sed utut illud sit, certe Tarquinius Priscus idem Templum aut solo æquatum excitavit iterum, aut vile sane angustumque, sicut alibi dictum est, in ampliorem formam permutavit, dicam melius, permutare designavit; complanato scilicet Capitolini Montis jugo, jactisque fundamentis ex voto, quod bello Sabino ediderat, eque manubiis & præda, quam ex Apiolis oppido a se capto detulerat [1]; morte autem præventus rem imperfectam reliquit. Quam Tarquinius Superbus ejus nepos postea perfecit: licet Tacitus solus a Servio Tullio aliquid additum scribat. Tarquinius ergo *Suessa Pometia*, sicut Livius inquit, *e Volscis capta, divendita præda, cum quadraginta talenta argenti aut que recepisset, concepit animo eam amplitudinem Jovis Templi, quæ digna deum hominumque Rege, quæ Romano Imperio, quæ ipsius etiam loci majestati esset.* Ubi Lipsius, ex Halicarnasseo & Plutar. loco numeri *quadraginta* legit *quadringenta*, & sane ejus Templi majestati congruentius. Completo in hanc magnificam formam Templo, illud, *Regibus, Regioque nomine pulso ex Urbe, dedicavit Horatius Pulvillus Consul ea magnificentia, quam immensæ postea Populi Romani opes ornarent potius quam augerent*, sicut testatur Tacitus [2]. Sed post annos CCCC. XXV. incensum Sylla Dictator restituit, eoque vita functo Catulus dedicavit, *quod unum felicitati suæ defuisse*, Sylla ipse apud Plinium deflet. Arsit iterum sub Vitellio, refecitque Vespasianus: rursumque incendio correptum Tito Principe, Domitianus instauravit, ut ex Tacito aliisque liquet. Atque ita diu servatum, tandem in Gothorum alluvione devastationeque inter alia excisum fuit: unde D. Hieronymi tempore nihil ejus exstitisse idemmet [3] testatur. Quare non sine astu quodam Gentilium ejus Templi ruina Christianis attributa fuit; id enim nec Christiana tulisset Pietas, nec Imperatorum Sanctiones: nam Honorius [4] ita jubet: *sicut sacrificia prohibemus, ita volumus publicorum operum ornamenta servari*.

Sed age, reliqua prosequamur: & primo situm, de quo ita ait Halicarnasseus, *ἐποιήθη δ' ἐπὶ κρηπῖδος ὑψηλῆς βεβηκὼς*, *situm est in alta crepidine*: e quorum verborum brevitate jure disceptari cœptum inter Antiquarios, in quanam Capitolini Collis parte collocatum fuerit; diximus enim *Dissert.* 3. bina habuisse eum montem cacumina. Donatus [5] in Rupe Tarpeja, & Arce, quæ versus Tyberim est, Ecclesiæ Aræcæli opposita, illud constituit: Nardinus [6] e contra in ipso clivo, ubi Aræcæli prostat Templum: quorum argumenta, & discrepationes satis equidem ingeniosæ, apud ipsos videantur, ne nostra Dissertatio in immensum excrescat. Ut autem quid ego hic sentiam breviter exponam, Nardino certe herbam darem; quippe ipsum Capitolini Templi nomen, idipsum satis declarat; Capitolii enim vox illi solum Saturnii montis parti hæsit, ubi Aræcæli adest Ecclesia, sicut ex Historiis liquet; cum altera opposita pars Arcis nomine insigniri soleret, ut alibi diximus. Quare cum consonum utique sit Capitolinum Templum in ipso Capitolio proprie dicto exstitisse, nam a Livio [7] & Tacito [8] Capitolii nomine absolute Templum ipsum pluries appellatur, in ejus certæ Ecclesiæ situ collocandum erit. Sed de his jam satis.

Magnitudo, & forma hujus Templi ab Halicarnasseo [9] ita declaratur: *Ἐποιήθη δ' ἐπὶ κρηπῖδος ὑψηλῆς βεβηκὼς, ὀκτάπλεθρος τὴν περίοδον, διακοσίων ποδῶν ἔγγιστα τὴν πλευρὰν ἔχων ἑκάστην· ὀλίγον δ' ἔτι τὸ διαλλάττον εὕροι τις ἂν τῆς ὑπεροχῆς τοῦ μήκους παρὰ τὸ πλάτος, οὐδ' ὅλων πει-*

1 Lib. 1.

1 Plin. lib. 3. cap. 5. 2 Lib. 2. Hist. 3 Lib. 2. cont. Jovin. 4 C. Theod. leg. 15. de Pagan. 5 Lib. 2. cap. 3. 6 L. 5. c. 14. 7 L. 3. 8 Lib. 3. Hist. 9 Lib. 4.

πεντεκαίδεκα ποδῶν .... Ἐκ μὲν τοῦ κατὰ πρόσωπον μέρους πρὸς μεσημβρίαν βλέποντος, τριπλῷ περιλαμβανόμενος στίχῳ κιόνων, ἐν δὲ τῶν πλαγίων, διπλῷ. Ἐν δ' αὐτῷ τρεῖς ἔνεισι σηκοὶ παράλληλοι, κοινὰς ἔχοντες πλευράς. Μέσος μὲν ὁ τοῦ Διός· παρ' ἑκάτερον δὲ τὸ μέρος, ὅ τε τῆς Ἀθηνᾶς, ὑφ' ἑνὸς ἀετοῦ καὶ μιᾶς στέγης καλυπτόμενοι. *Situm est in alta crepidine, habetque in ambitu octo jugera, sic ut latera singula ducentorum fere pedum sint: exigua latitudinis & longitudinis differentia, nisi quod ista illam vincit vix pedibus quindenis.... Qua parte frons ejus meridiem spectat, triplici columnarum ordine circumcingitur, ab aliis lateribus duplici. In ipso sunt tres Cellæ, ex ordine, a lateribus communione parietum clausæ. Media est Jovis; utrinque altera Junonis, altera Minervæ, sub eodem laqueari eodemque tecto.* Qua descriptione nihil sane operosius, si pauca quædam explicentur. Observat primo Donatus, & ex eo Nardinus, octo Halicarnassei jugera pedes effecisse CC. XL. juxta Plinii [1] & Varronis [2] regulas: quare cum Halicarnasseus ipse CC. dumtaxat pedes lateribus attribuat, credi merito poterit loco vocis *Jugera* reponendum *Pletra*, prout in Græco ejus Textu, ab imperito Scriba male reddito, videre est; & hæc ex iis, quæ *Dissert.3.* ex Luca Peto adnotavimus, CC. circiter pedes reddunt. Cellarum descriptionem ex superioribus pete: solumve ex eodem Halicarnasseo animadverto, ante ipsas Vestibula quædam interiora exstitisse, quæ male Nardinus cum clatris, aut cancellis confundit; erant enim idem cum Adyto, nos dicimus *il Presbiterio*, ut supra explicavimus: quamvis id non negaverim, Cellas ipsas clatris clausas, ut Gellius 3 indicavit, qui de Scipione ait, *solitavisse noctis extremo, priusquam dilucularet, in Capitolium ventitare, ac jubere aperiri Cellam Jovis, atque ibi solum diu demorari.* In Cellis Signum Jovis in medio, in dextero latere Minervæ, Junonis tandem in sinistro, ut ex laudato superius Livio perspicuum est. Jovis Signum prius fictile, minio oblitum; post devictam Asiam eboreum, Jovis Olympici exemplo; tandemque Trajani tempore aureum, ut Ryquius ostendit, & nos *Tom.2. Dissert. de Simulachris.* De Templi gradibus eorumque situ plura disputant contra Lipsium Donatus & ex eo Nardinus, sed modico fructu, majorique tædio, temporisque dispendio. Reliquæ partes ex dictis sunt notæ, ut Basilica, Tholus &c. nihilque speciale ipsæ continent.

At quid tandem differemus de hujusce Templi ornatu, nos omni eloquentiæ ornamento destituti? Quare satius erit Auctores de ipso loquentes audire. Et ecce Tacitus 4 de Fundamentis sic ait: *Passim injectæ fundamentis argenti aurique stipes, & metallorum primitiæ nullis fornacibus victæ: prædixere Haruspices, ne temeraretur Opus saxo auroque in alıud destinato &c.* De Januis sic ait Livius 5, *ænea in Capitolio limina.* Quæ insuper aureis laminis stipata asserit Claudianus in *Stiliconis laudibus*, ubi ab eodem Stilicone sublata ait: unde ipse paulo post infeliciter periit, ex Zosimo. Columnæ a Plutarcho 6 describuntur: Οἱ δὲ κίονες ἐκ τοῦ Πεντελήσιν ἐτμήθησαν λίθου, κάλλιστα τῷ πάχει πρὸς τὸ μῆκος ἔχοντες. Εἴδομεν γὰρ αὐτοὺς Ἀθήνησιν· ἐν δὲ Ῥώμῃ πληγέντες αὖθις καὶ ἀναξυσθέντες, οὐ τοσοῦτον ἔσχον γλαφυρίας, ὅσον ἀπώλεσαν συμμετρίας. *Columnæ* (Templi ejus) *ex Pentelico lapide excisæ sunt, crassitudinem habent optime longitudini congruentem. Vidimus quidem ipsas olim Athenis; sed rursus Romæ extenuatæ & expolitæ, non tantum ex sculptura ornatus acceperunt, quantum mensurarum convenientiæ amiserunt:* Ubi Plutarchus de Columnis a Domitiano e Græcia allatis certe loquitur: at ante eum Sylla alias, licet minoris pretii, e Jovis Olympii Templo advexerat: primum autem, loco columnarum, antis suffulciebatur 1. Qui has Columnas videre cupit, Ecclesiam adeat Aræcæli, ubi in sacratiorem usum a Christianorum pietate translatæ sunt. De Laquearibus ita breviter Plinius 2, *post Carthaginem eversam Laquearia in Capitolio inaurata.* Idemmet de Tegulis ita monet, *eas Q. Catulus æreas inauravit primus.* Unde Seneca pater ait, *fastigiatis supra Tectis, auro puro fulgiens, prælucet Capitolium.* Quarum Tegularum dimidiam partem a Genserico Vandalorum Rege in Africam deportatam, testatur Procopius. Præter vero inauratas Tegulas totum item Templum inauratum erat: de parietibus enim subjicit Plinius, *parietes quoque jam tamquam vasa inaurantur.* Idipsum de Zophoris, Coronis, Fastigioque Templi asserit Donatus: hinc Templum hoc *fulgens*, *micans*, & *aureum* a Poetis passim appellitatum, deque eo jure asserere potuit Tertullianus a nobis supra laudatus, *Capitolia certantia cælo &c.* Quibus perficiendis inaurationibus quantum absumptum sit, audi ex laudato superius Plutarcho, qui ait: Τοῦ δὲ τὰ καθ' ἡμᾶς τὸν μέγιστον ἐν Ῥώμῃ τῶν ἰδιωτικῶν πλοῦτον ἐκλογισθέντα, τὸ τῆς χρυσώσεως μὴ τελέσαι ἀνάλωμα, πλέον ἢ δισχιλίων καὶ μυρίων ταλάντων γενόμενον, *solam inaurationem privatum omnem modum excedentes opes impensas, nempe supra duodecim millia talentorum*; quæ juxta Lipsii calculum efficiunt septem milliones: ubi enormis Nardini lapsus prætereundus non est, cum ait: *ma contuttociò que' cento millioni possono dar maraviglia*: cui persimilem errorem nescio, an in sua enumeranda pecunia Nardinus commisisset.

Præter fixa hæc ornamenta, & ad Templi integritatem pertinentia, alia erant adventitia extraneaque, dona scilicet, aut a fœderatis sociisque Imperii Romani Regibus, aut a triumphantibus, vel ex conceptis votis, vel ex mulcta, vel a Senatu Populoque oblata; ut Statuæ, Picturæ, Clypei, Aulæa, Peristromata, Aquilæ, Mensæ aureæ, Coronæ, Victoriæ aureæ, Candelabra, Vasa, Quadrigæ argenteæ inauratæque, quibus Arcus ipsos Templi & Tholum exornabant, & id genus sexcenta, quorum censum apud Ryquium, Lipsium, Marlianum, & Donatum vide, ne tot ornamentorum profusa enarratione nostram Dissertationem deornemus. Id dumtaxat postremo loco adnotaverim ad Romanæ Gloriæ elogium, *Augustum in Cellam Capitolini Jovis* XVI. M. *pondo auri, gemmasque, ac margaritas quingenties HS. una donatione contulisse*, ut loquitur Livius 3, qui addit insuper Carthaginenses Coronam auream pondo XXV. misisse: Attalum Regem pondo CC. XLVI. Philippum Macedonem pondo C. Alabandenses pondo L. Lampsacenos pondo LXXX. Pamphylii ex XX. millibus Philippeorum factam. Hieronem Syracusanum Victoriam auream pondo CCC. XX. ex Josepho 4 vero Aristobulum Judæorum Principem Vitem auream quingentorum talentorum; Ægyptios Coronam quatuor millium aureorum. Sed his finis, ne tam coruscus auri fulgor oculos nobis subripiat, inter ipsasque divitias, Tantali, aut Midæ exemplo, pretioso quodam naufragii genere immergamur.

1 Lib.18. cap.3. 2 De R.R. lib.1. cap.10. 3 Lib.7. cap.1. 4 Lib.3. Hist. 5 Lib.10. cap.3. 6 In Public.

1 Plin. lib.36. cap.6. 2 Lib.33. cap.3. 3 Lib.7. 4 Lib.14. cap. 4.

Syllabus Auctorum.

HOcce de Argumento nemo pertractavit, & omnes; nemo quidem sive professo, quod ajunt, peculiarique Libro, sive pro rei ipsius exigentia, consummateque: omnes tamen perfunctorie, arreptaque, aut data opportunitate quicquam de Templis fassi sunt. Et vero, Antiquos ut prætermittam, Rodolphus Hospinianus justæ molis Librum *de Templis* exaravit; at sacra dumtaxat Christianorum ipse describit: imo quid inquio sacra, cum hæc eadem sacrilegis suis cavillis ineptiisque adeo turpiter profanarit? unde Auctorem hunc omnino negligendum, aut ferreo graphio perlegendum consulerem: sicubi autem aliqua de priscis Romanorum attigit Templis, singula a verbo, ut in parœmia est, ad verbum e Lilio Gregorio Gyraldo exscripsit, ne jota quidem, aut commate uno immutato. Præfatus Gyraldus in suo *de Diis* Libro paucula delibavit solum; quæ famem acuant quidem, non expleant. Pauciora certe Rosinus, & in eum Dempsterus in *Paralipomenis*. Paulo plura Kippingius: at paucissima Barthius atque Turnebus in doctissimis cætera suis *Adversariis*. Pluscula, sed perturbate, suo ritu, Josephus Laurentius in *Polymathia*. Vix nonnihil Paulus Merula: tantulumque uberius Alexander ab Alexandro. Ornatissime, ita me Deus adjuvet, Lipsius, at de Pantheo dumtaxat, & Capitolino, de quo præclare etiam Ryquius, aliique supra memorati. Architecti cum suo Vitruvio toti quanti sunt, in sacrarum Ædium structura & symmetriis occupantur: sicut Antiquarii e contra in puris putis sitibus determinandis. Ichnographiam Templorum satis equidem, ingeniose-ne dixero, an vere, tradidit in suis *Architecturæ* libris Serlius, atque Scamozzius: Jacobus item Laurus in *Romana sua Antiquitate* pluribus Figurarum Typis expressa: necnon Jacobus Meursius in *Romæ Iconibus*: & præter Occonem, & Chovium, Joannes Jacobus Boissardus: apud quos Templorum etiam insigniorum Scenographiam comperies. Sed supra cæteros lectione dignissimam existimo Ichnographiam Cl. viri Petri Bellorii Urbis Antiquarii, deque Antiquitate ipsa optime meriti, qui e lapideis Tabulis Farnesianis, in quibus illustriorum quorundam Ædificiorum sculpta exstant Vestigia, seu, ut Italice dicimus, *le Piante*, egregium concinnavit Librum, qua æneis figuris, qua eruditis suis notis excultum: unde Romanæ magnificentiæ idolum, nedum Templorum, Domorumque situs, formasque, facile animo concipies. Partes Templorum non minus ac de Domibus diximus, in suis latent ruinis, inque Scriptorum paginis magis; situs præsertim, rectaque earum constitutio, collocatioque. De Ara docte scripsit Berthaldus, qui utinam de partibus aliis idipsum effecisset. Magnam, fateor, mihi mutuatus est lucem Jacobus Gutherius in suo *de Pontificio Jure* Libello, aureo sane, omninoque exoptando, nisi ordinem adhuc & majorem in eo diligentiam potius exoptare cogeremur. At quid, poscis, nobis in tam spissa Scriptorum turba, inque spissiori scribentium caligine, superfuit? Illud in votis saltem habuimus, ex iis omnibus præsentem Dissertationem elucubrare, in qua, aliorum placitis, aut rejectis, aut castigatis, certe reformatis, plura addidimus, quæ inde dumtaxat contemnenda judico, quod me virorum vilissimum habent Auctorem; cæterum enim puto veritati haud absona esse, Partium præcipue pene omnium syntaxim, distributionemque. De sacris Christianorum Ædibus nihil impræsentiarum edisserendum conduxi, quod Provinciam hanc in alio meo Opere, quod in Schedis & Adversariis habeo, suscepturus sim, cui titulus, *Ecclesiastica Antiquitas lustrata, & illustrata, atque in tres partes distributa, &c.* Quam divino favente flatu, profanam post pernavigatam Antiquitatem, ad Præli portum perducere in animo est.

DISSERTATIO VI.

De Sepulchris.

VIx Templo egressis occurrit statim Sepulchrum, illi quidem non proximitate loci affine, (nec in Templis enim, nec prope ea moris fuisse tumulari olim defunctos, infra ostensurus sum) verum religionis; erat siquidem utrumque religiosum, ac sanctum, nisi quoque & sacrum: imo si Gyraldo in *Sepulcralibus* suis, ita inquienti, fides: *Fuit usque adeo Sepulchrorum Veteribus cura, ut non aliunde Templorum & sacrarum Ædium originem deductam diligentissimi Scriptores tradant Eusebius & Lactantius*: id quod in *Dissert. de Templis*, hic apponendum, omisimus. Cui & ego adjicerem Clementis Alexandrini etiam in suo *Protreptico* verba, ubi ita ait: *Superstitio Templa condere persuasit: quæ enim prius hominum Sepulchra fuerunt, magnificentius condita, Templorum appellatione vocata sunt*. Quibus & accedit Prudentius [1] ita concinens: *& tot Templa Divum Romæ, quot in Urbe Sepulchra Heroum numerare licet, &c.* Sed de his jam abunde.

Quare ordo rei expostulat, ut post Templa nonnihil de Sepulchris subjiciamus: de Sepulchris, inquam, seu de materiali illo structuræ genere, ubi cadavera ipsa reconduntur: de Ritibus enim Sepulchralibus, universaque tumulandi ratione, dicam *Tom.3. Dissert. de Funeribus*. Sed hic ab etymo primum, more nobis sueto, exordiendum duco. Qua in re, minuscula licet, non ubique constantem reperio Philologorum sententiam. Imprimis enim antiquum Terentii [2] Interpretem mire se torquentem animadverto, cum addubitat, utrum sic dicatur per antiphrasim, *quod sine re pulchra sit? an quod ibi sine pulsu sint, id est mortui? an quod illic animæ a vivis sepeliantur, id est separentur?* quæ cum sibi ineptiæ omnino viderentur, non solum docto Grammatico, sed Grammatista vix dignæ, tandem concludit, Sepulchrum a sepeliendo dici: cui & assentitur Isidorus [3]. At non minor in verbi *Sepelio* significatione obscuritas: Kirchmannus [4] enim pro *humare*, vel *humo condere* accipit: at Quenstedt [5] pro *terra obruere*, aut *tegere*; aut, juxta Hebræam phrasim, pro *colligere, & congregare*. At omnium sane candidissime Christianus Becmannus [6] fatetur, originis admodum obscuræ eam vocem esse: quam non inepte crediderim unam ex Aboriginum vocabulis, aut antiquis illis Oscorum, vel Sabinorum vocibus, de quibus nos alibi.

Sed vero, si detur mihi venia quicquam e mea etiam promendi penu, dicam Sepulchri nomen a *Sepe* derivari; eo quod id moris Veteribus fuerit, ut Sepulchrum sepe circumdarent, luxu scilicet non adhuc invecto, ut infra trademus. Sed hasce minutias otiosioribus relinquo. Illud solum pro nostræ orthographiæ apologia non est omittendum, male a Kirchmanno asseri Sepulchrum sine adspiratione scribendum, Servii [7] scilicet unius uctoritate suffulto, qui sic ait: *Tria Veteres habebant nomina, in quibus C literam sequeretur adspiratio, Se-*

1 Lib.1. contra Symm. 2 In Andria 1. 3 Orig. l.15. c.11. 4 De Funer. Rom l.3. c.20. 5 De Sepult. Vet. l.9. 6 In Orig L. Lat. 7 In 3. Georg.

pulchrum, Orchus, Pulcher: e quibus Pulcher tantum hodie recipit adspirationem: male, inquam: Servii etenim auctoritati opponere possumus Gellium [1], & insuper, quod majorem facit accessionem, priscos Lapides, & usum ipsum, quem nos in sequentibus imitabimur.

Explicato, quantum nobis licuit, Sepulchri etymo, varia ejus synonyma enucleanda sunt. Variis enim appellationibus, prisca revolventi monumenta, vocatum occurrit Sepulchrum. Dicebatur siquidem Monumentum, Memoria, Conditivum seu Conditorium, Requietorium, Domus, Domus æterna, Stabulum, Thesaurus Orcivus, Tumulus, Sarcophagus, Cœmeterium, Polyandrum, Area, Pyramis, Mausoleum, Bustum, Urna, Puticuli, Dormitorium, Ergastulum, Cenotaphium, Quies, Sedes, Arca, Feretrum, Depositum. Quæ voces, vel in idem omnino recidunt, vel paululum diversa sonant. Sepulchrum enim dicebatur Monumentum, seu Memoria, quod, ut ait Festus, *ob memoriam alicujus factum sit*: seu, ut inquit in Epistola ad Cæsarem Tullius, *ad memoriam posteritatis*: hinc Sepulchrales Inscriptiones, quibus posteri admonerentur, ut infra: licet D. Hadrianus a *muniendo* dictum velit. Appellatur Conditivum, seu Conditorium, quod corpora in eo condiantur. Requietorium vero, aut Quies, vel Sedes, & Dormitorium, quod, ut ex veteri Poeta ait Tullius [2], *ibi, remota vita, corpus requiescat a malis*. Domus, vel Stabulum, quod usque ad Mundi fidem ibi simus permansuri: æterna vero, quia Ethnici eum finem minime agnoscebant. Thesauri Orcivi vocabulum ab Orco derivatur, funerum Deo. Item dicebatur Tumulus, quasi tumens humus, quæ, sepulto homine, elevatur [3]. Sarcophagi quandoque nomine Sepulchrum appellari solet: quamquam & vocabulum hoc proprie significet lapidem illum marmoreum, vel fictilem, in quo, ut testatur Plinius [4], *corpora defunctorum condita, ab eo absumi constat intra quadragesimum diem, exemptis dentibus*: unde Sarcophagus a Græcis vocibus σάρξ, σαρκός, *sarcos*, quod est *caro*, & φαγεῖν, *phagein*, quod est *comedere*, quasi comedens carnes, aut consumens. Cœmeterium quasi Dormitorium, quia Domus, in qua hospites dormire solebant, Cretenbus Cœmeteria dici solebant, a verbo *Cimen* *, quod sonat dulce, & *Sterion*, quod est *Statio*. Polyandrum quasi *pollutum antrum* *, cadaverum enim contactu res pollutas evadere creditum dicam alibi. Areæ appellationem hinc Sepulchris inditam crederem, quod sicut in illa triticum trituratur, ita & in Sepulchris cadaverum carnes. Pyramis a Græco verbo πῦρ, πυρός, *pyros*, quod *ignem* significat, eo quia in modum flammæ ignis cuspidatim adscenderet: Ægyptiis familiares, e quibus etiam ad Romanos, quibus mos Magnatum cineres in Pyramidum cuspide collocandi: hinc ex Herodoto pro Sepulturis accipi cœptæ. In idem ferme convenit Mausoleum, ita a Mausolo Rege Cariæ, cui tale ab Artemisia Conjuge exstrustum fuerat, appellatum. Bustum proprie locus, in quo corpora urerentur, quasi *bene ustum*; sed passim pro Sepulchro ipso usurpatum; sicut & Urna, vas scilicet, quo combustorum cineres recondebantur. Puticuli, in quibus corpora plebejorum humabantur, ut infra.

1 Noct. Attic. lib. 2. c. 3. 2 L. 1. Tusc. 3 Idem l. 3. 4 Lib. 36. cap. 17.

* Miseræ sane ac frigidæ etymologiæ, quas unde hauserit Auctor nescio; saltem ostendunt, eum esse Græcarum Litterarum plane inscium: nam qui mediocriter in his versati sunt, norunt, illud fieri ex Græco κοιμητήριον, quod a κοιμάω: istud vero ex πολυάνδριον, quod ex πολὺς & ἄνδρες, ubi *multi viri*: quam ultimam vocem usurpat Ælianus *Var. Hist.* lib. 12. c. 21. pro communi sepulchro; hac etiam usi LXX. Interpretes *Ezech.* c. 39. v. 15. ubi Vulg. habet *vallis multitudinis*. Plura adderem, si tanti esset.

Dictum quandoque fuit Sepulchrum, per antiphrasim, nisi fallor, Ergastulum, quod *laborem* sonat, a Græco verbo ἐργάζεσθαι, hoc est *operari*, per antiphrasim, inquam, quasi quod mortui in Sepulchro non laborent, sicut Lucus dicitur, quod minime luceat, Bellum quod minime bellum &c. Cenotaphium erat honorarius tumulus, nullo interim cadavere in eo exsistente; unde Græcis *inane Sepulchrum* dicitur; de quo nos infra. Arca erat Capsa Sepulchralis. Feretrum verius Machina, qua cadavera ad sepulturam efferebantur; sed passim pro pauperum tumulo, imo & quandoque divitum. Depositum tandem erat Capsa in altum locata, in qua corpora defunctorum condita. Plura qui velit, adeat Glossam [1], & Florentinum [2], præter Kirchmannum & Lavorium [3], in quibus plura, quæ deerant, supplevimus; loca vero Auctorum, quæ compendii ergo prætermisi, apud Kirchmannum legito.

Sed relictis vocibus, rem ipsam aggrediamur: & primo, Philosophorum more, intrinseca ipsa Sepulchrorum, deinde vero extranea perpendamus. Ex intrinsecis autem ante alia recensendæ sunt nonnullæ Sepulchrorum species, (quas enim modo adduximus, vocabula potius sunt & epitheta Sepulchrorum) nisi enim res probe dividantur, jam nequeunt, juxta Philosophi monitum, perfecte dignosci. Ergo Sepulchrorum, alia realia, fictitia alia. Primas deferamus postremis, seu fictionibus ipsis, quæ pluris quandoque quam res ipsæ æstimantur. Ficta ergo Sepulchra Cenotaphia appellata sunt, sicut initio etiam admonuimus: Græco quidem vocabulo, a Græcis enim originem ducunt, ut apud Suidam videre est. Exstruebantur ipsa illustribus quibusdam viris honoris ergo, & memoriæ egregie gestorum asservandæ causa; unde *honorarii tumuli* appellantur Suetonio; aut etiam Religionis, ut mox addam: cæterum vero ossa, aut cineres haud continebant. Ea vero duum fuere generum; vel enim alibi sepultis erigebantur, vel sepulturæ plane expertibus. Prima magis proprie *honoraria* dicta sunt. Sic Druso, qui in Campo Martio tumulatus fuerat, Cenotaphium prope Rhenum milites excitarunt [4], *& Alexander Cenotaphium in Gallia, Romæ sepulchrum amplissimum meruit*, sicut ait Lampridius. Quæ vero insepultis excitata, proprie Religionis causa fiebant; existimantibus scilicet Priscis non posse animas prius quiescere, quam Sepulchris essent conditæ, ut ita quorum corpora reperiri nusquam possent, iis inanis tumulus exstrueretur, ad quem animas mortuorum vocarent. Sic Cenotaphium Argivis, qui bello Trojano occubuerant, Corinthi constitutum memorat in *Corinthiacis* suis Pausanias: apud Romanos vero, Varianis Legionibus ab Ariminio occisis post sex annos Cenotaphium condidit Germanicus *gratissimo munere in defunctos*, sicut Tacitus [5] loquitur. Isthæc vero ficta Sepulchra, perinde ac si vera forent, inscriptionibus ornabantur [6]; quod & Græcis usitatum, ex Laertio in *Periandro*. Athenienses in Cenotaphii indicium constituebant Lignum navale, seu Tabulam, quod mari fere ex Attica disceditur, ut Marcellinus in Thucydide apud Kirchmannum [7]: Longobardi vero Perticas statuebant, si forte qui e consanguineis peregre obiisset [8]. Illud vero admiratione dignum, Pythagoricis eum morem fuisse, ut si qui e sua Philosophia defecissent, iis Cenotaphia tamquam mortuis exstruerent [9]. Sed hæc extra nos, quare de fictionibus satis.

Realium itaque Sepulchrorum alia erant, quæ sibi.

1 In leg. Quicunque de inst. act. 2 In leg. Monumentum, ff. de Relig. & Sumpt. fun. 3 Tit. 2. c. 6. 4 Suet. in Claud. 5 L. 1. Annal. 6 Ovid. 11. Metam. 7 Lib. 3. c. 27. 4 Paul. Diac. de Reb. Longob. l. 5. c. 34. 9 Orig. l. 1. in Cels.

sibimet, aut conjugi suæ quis ædificabat; alia vero, quæ sibi, familiæ, posterisque suis. Prima istorum nulli omnino hæredum patebant; id quod etiam pœnis præcaveri solebat, ut ex Inscriptione Hispanica colligit erudite Kirchmannus [1], adjungens, potuisse hæc *Privata*, vel *Priva* rite appellari: at ego malim *Singularia*, aut *Particularia* dicenda fore. Alia vero posterioris generis *Communia* dicta sunt, ex Tullio [2]. Horum vero rursus alia Hæreditaria erant, Familiaria insuper alia. Prima ex Ulpiano [3] definiuntur, *quæ quis sibi hæredibusque suis constituit*. Alio etiam nomine dicta sunt Sepulchra Majorum, item Patria, Avita, & Gentilitia, vel Gentilititia, ut apud Terentium, Suetonium, & Valerium passim. Inque hæc Sepulchra inferendi jus hæredes habebant: item & bonorum possessores: Liberi etiam, quantumvis hæreditate sese abstinerent: excludebantur tamen Liberti, sicut ex allato Ulpiani loco deducitur, & in Jureconsultis obvium. In Familiaria vero Sepulchra, *quæ quis sibi familiæque suæ constituit*, sicut ait Cajus [4], quotquot e Familia forent, licet non essent hæredes, inferendi jus habebant; Liberti etiam ipsi, quos utique e Familia fuisse alias opportunius ostendam. Ad præcidenda tamen litium semina moris erat, expresse de personis præcavere, quæ inferendæ erant, ut ex variis Inscriptionibus laudatus Kirchmannus observavit. Quibus adde, vivos etiam quandoque e Sepulchris fuisse exclusos, ut ex veteris Inscriptionis fragmento, ubi post alia ita perlegitur:

EXCEPTO HERMETE. LIBERTO.
QUEM. VETO, PROPTER DELICTA. SUA. ADITUM. AMBITUM.
VEL. ULLUM. ACCESSUM. HABEAT.
IN. HOC. MONUMENTO.

Aliæ Sepulchrorum species fuere Puticuli, vel Puticulæ, pauperes ubi humabantur, ut infra. Insuper Subgrundaria, qaæ erant puerorum sepulturæ.

Enarratis Sepulchrorum differentiis, intrinseca eorum compositio inspicienda est; & primo materia. Hæc autem aut lapidea, aut marmorea, aut etiam testacea, sicut ait Kirchmannus. Quibus ego adderem & lateritia, aut cæmentitia, & ut brevius dicam, Sepulchrorum materia eadem profecto erat ac aliorum ædificiorum, de qua in *Differt.* 4. tum præsertim, cum sumptuosæ ædificiorum moles Sepulchris apponi cœptæ sunt. Marmorea lapideaque Sepulchra ex Inscriptionibus apud laudatum Kirchmannum, & ex Cæstii Sepulchro: fictilia ex Plinio [5]: lateritia demum, cæmentitiaque ex Augusti, aut Hadriani Mausoleis, aliisque passim. Ex his priora, posterioraque ditiorum erant, cum fictilia pauperũ essent; cujusmodi apud Corinthios, plurima etiam effossa testatur Strabo [6]. Ad hæc, Priscorum Sepulchra absque lapideo opere, aut fictili, in pura puta terra excavari solita mox dicam, unde terrea appellare ea possis. Sepes, quibus Sepulchra olim circumvallare solitos principio diximus, & Pausaniam [7] testem habemus, fiebant partim ex maceria, partim e silice, aut marmore, ex Suetonio, partim etiam e ferro, ut de Augusti Mausoleo asserit Strabo [8], quod κύκλῳ περικείμενον ἔχοντα σιδηροῦν περίφραγμα, *cinctum ferrea sepe in orbem* ait.

Sed jam opportunum erit circa Sepulchrorum formam, structuram, amplitudinem, ornamentaque calamum convertere. Si primæva inspexerimus tempora, aliæ sane non occurrent Sepulchrorum structuræ, quam rudes, incomptæ, inornatæ, & squallidæ, unde illa vere mortis domos appellaveris. Privata Sepulchra aliud profecto non A erant quam scrobes in terra excavati, quibus infodiebantur potius, quam sepeliebantur defuncti, ut ex Etymologico veteri perspicuum fiet. Quæ scrobium simplicitas ad Neronis usque tempora vixit, eo solum ornatu superaddito, quod fossa ipsa lapidibus sterneretur. Audiatur de ipso Neronis Sepulchro Suetonius ita inquiens: *Ut quamprimum se impendentibus contumeliis eriperet, scrobem coram sibi fieri imperavit, dimensus ad corporis sui modulum, componique simul, si quæ invenirentur, frusta marmoris, & aquam simul, ac ligna conferri curando mox cadaveri:* ubi mira elucet Neronis temperantia, nusquam profecto moderatioris, quam cum *impen-* B *dentibus contumeliis* impeteretur.

Communia vero Sepulchra alius erant generis: consistebant siquidem plerumque in subterraneo quodam ædificio arcuato, pavimentis strato, ac parietibus circumsepto, in quæ per gradus descenderetur, foribus omnino clausis, solumque opportunitate exigente reseratis: quæ omnia egregie, more suo, demonstrat Kirchmannus [1] ex Petronio, & Inscriptionibus, quas apud ipsum videsis. Luculentiorem Sepulchrorum delineationem reliquere nobis Marlianus [2] & Fabricius [3], quorum ille sic ait: In eodem Campo (de Es- C quilino loquitur) plurima variaque Sepulchra effodi vidimus, variis exornata marmoribus. Quædam erant concamerata unica testudine, alia duplici concameratione, ut ex superiori in inferius Sepulchrum descensus esset. Erant & pavimenta tessellata, vermiculataque; in parietibus per ambitum loculi, in singulis urnæ binæ: extra cameram Sepulchri, longitudinis latitudinisque inscriptio. Quædam vero Sepulchra ex pluribus constabant parietibus parum invicem distantibus, in quibus urnæ similiter binæ fere contiguæ, modicoque intervallo: aliæ binæ, & super his totidem: itaut ex ordine decedentium urnæ additæ novo in- D cluderentur muro. Hæc pauperum, illa divitum Sepulchra fuisse opinamur. Hactenus Marlianus. Fabricius tandem sic inquit: Nos in Agro Viæ Appiæ in profundum sub terra fornicem descendimus plenum loculorum inter se dispositorum: ex ruina autem parietum vere cognosci ordo loculorum non potuit. Inter Puteolos & Atellam ad utraque Viæ silicibus stratæ latera, plurima Sepulchrorum lustravimus monumenta: quorum ædificia partim quadrata sunt, partim rotunda. Inter cætera pulcherrimum est, quod Arcum Cellæ nominant. Parietes ejus tetragoni cum laqueari vermiculato, in cujus medio Centauri imago pue- E rum vehentis. Loculi ultra sexaginta, medii ampli, fortasse patronorum; laterales contracti, libertorum, libertarumque. In loculis urnæ singulæ, pluresque dispositæ fuerunt, clausæ exterius tabellis marmoreis, in quibus nomina depositorum de more fuerunt adscripta. Hucusque Fabricius, qui non absimilem Græcorum structuram ex Cyriaco Anconitano demonstrat.

Quibus equidem descriptionibus quid locupletius tradi possit ignoro. Nonnihil dumtaxat de Loculis & Urnis esset adjiciendum. Sed hæc etiam satis nota: Urna enim erat vas modicum, F in quo cineres e rogo collecti (incensa enim olim corpora, tum alibi, tum mox inferam) condebantur: sicut Arca erat, ubi corpus integrum reponeretur, quam Plinius [4] *Solium* vocat: dicebatur etiam Urna alio vocabulo, *Ossuarium*, vel *Cinerarium*; unde *Cinerarii* dicti sunt, qui Martyrum cineres honorabant [5]: ipsæ vero Urnæ aut aureæ, aut argenteæ, aut marmoreæ, aut etiam fictiles apud

1 L.3.c.13. 2 Lib.1.Offic. 3 D. de Rel. & sumpt. Fun. 4 D. de Relig. 5 Lib. 35.c.12. 6 Lib. 8. 7 L. 2. Eliacorum. 8 Lib. 5.

1 Lib.3.c.15. 2 Lib.4.c.19. 3 Cap.21. 4 Lib. 35. c.12. 5 Hieron. epist. ad Ripuarium.

Scriptores comperiuntur. Loculos eoſdem omnino cum Urnis conſtituit Kirchmannus [1], cum ait, *ſic appellabant capſulas illas, quibus vel integra corpora, vel reliquiæ aſſervabantur*. At mihi omnino creditur, magnam interceſſiſſe diverſitatem: loculi enim erant vacuitates quædam in parietibus excavatæ, ut locum darent rei alicui inibi reponendæ, nos dicimus *le Nicchie*, ut in *Diſſert.* antecedenti adnotavimus: atque in his loculis conſtitutas exiſtimo Urnas: id quod ex laudatis modo Marliani verbis colligo, ubi ait, *in parietibus per ambitum loculi, in ſingulis Urnæ binæ*: ubi vides Urnas in loculis collocatas. Non negaverim tamen quandoque cum Urnis confuſos apud Scriptores: ſic Paulus Diaconus in Narſete inquit, *cujus corpus poſitum in locello plumbeo &c.* ſicut eodem etiam ſenſu *Capulum* accipit Nonius inquiens, *Capulum dicitur, quicquid aliquam rem intra ſe capit*. Sed hæc minora ſunt, quam ut diuturniorem moram mereantur.

In viam ergo redeamus. Hac non contentus mediocritate, lautitiem etiam atque ſplendorem in Sepulchris ipſis atque cineribus adinvenit hominum luxus. Tumuli enim ſupra terram elevari cœperunt, altiores quidem pro tumulandorum celſitate & eminentia: tumque vere tumuli dici meruerunt, a terræ ſcilicet tumore, ut initio admonuimus. Atque ita cum ſtructuræ proceritate, ornatus quoque, & luxuries invecta. Vetarunt eam Athenienſes, apud quos, ut Tullius [2] ait, *lege ſanctum eſt, ne quis Sepulchrum faceret operoſius, quam quod decem homines effecerint triduo; neque id opere tectorio exornari*. Id quod Plato etiam in ſua Republica [3] juſſit his verbis: *Exſtrui autem lex vetat Sepulchrum altius, quam quod quinque homines quinque diebus abſolverint, nec e lapide excitari plus, nec imponi, quam quod capiat laudem mortui inciſam, ne plus quatuor heroïs verſibus, quos longos appellat Ennius*. At apud, magnificentiæ utique amantiores, Romanos nuſquam id vetitum: imo Javolenus [4] ait *caveri, ut ad certam altitudinem monumentum ædificetur, non poteſt*. Inde tam, ſpecioſane dicam, an potius portentoſa Sepulchrorum in Urbe proceritas, & ſumptuoſitas? Qua enarranda hic prorſus abſtineo, quod hac de re in *Sectione de Sepulchris in ſpeciali* futurus ſit ſermo.

Ornamenta Sepulchrorum quod attinet, varia quidem ea fuere. Præter enim proprios architecturæ ornatus, conſiſtebant ipſa in ſtatuis, columnis, antis, aliiſque id genus, de quibus *Tom. 3. Diſſert. de Statuis*: quæ ſi quemquam morari tædeat, apud laudatum ſuperius Fabricium [5] plura comperiet ſcitu digniſſima; ut erant Emblemata varia defuncti vitam affabre exprimentia. Confer etiam Kirchmannum [6], apud quem Græcorum pariter ornamenta obſervabis. De lucernis ſepulchralibus, quæ & ipſæ inter tumulorum ornamenta abiere, dicam *Sectione* ultima opportunius. Illud duntaxat ſilentio obruendum omnino non eſt, præter Simulachra & Emblemata, Inſcriptionibus etiam atque Titulis Sepulchra inſigniri olim ſolita, unde aut Monumenti, aut Memoriæ nomen fuerint conſequuta, quod titulorum vocibus defuncti geſta admonerent. Interdum proſa oratione, ſæpe etiam verſu concipiebantur, ut ex antiquis Lapidibus, qui quotidie e ruinis effodiuntur, liquet. Solebant quandoque tituli minio conſcribi, ut clariores eſſent [7]. Plures notis conſignabantur, quarum frequentiores D. M. vel D. M. S. vel diſerte DIS MANIBUS SACR. vel D. I. M. ſeu Diis Inferis Manibus; nec deerat defuncti nomen, ut & vitæ ſpatium, & mortis etiam cauſa; integra interdum teſtamenta Sepulchris inſcribi curabant, item legata, & conditiones: geſta tandem ipſa defuncti, ut fieri ſibi juſſit Auguſtus [1], & alii; quæ omnia ex Inſcriptionibus apud Gruterum petere vales, cum nos magis curioſa jam maneant.

SECTIO PRIMA.

De Reliquis ad Sepulchra ſpectantibus.

EXaminatis jam intrinſecis Sepulchrorum, alia perluſtranda ſunt ipſis quidem extrinſeca, minime vero extranea. Et primo occurrit locus Sepulchrorum. Qua in re illud in præliminari perveſtigandum eſt nobis, prioribus Urbis temporibus intra-ne, an extra Romam corpora tumularentur? Atque hic duo celeberrimi viri in ſcenam ſunt adducendi, Servius ſcilicet antiquus Grammaticus, Virgiliique doctiſſimus Scholiaſtes, & Kirchmannus ſæpe nobis laudatus, recens quidem Scriptor, at ob doctrinæ prærogativam Antiquis omnino comparandus, qui in Re Sepulchrali ſupremos conatus eſt commolitus, immortalemque Gloriæ vitam e Sepulchris ipſis ſuo nomini mercatus eſt. Ait ergo Servius [2], *moris fuiſſe apud Majores, ut qui mortuus eſſet, domum ſuam deferretur, & in illa ſepeliretur*: & alio in loco [3] inquit: *omnes homines in ſuis domibus ſepeliebantur; unde ortum eſt, ut Lares colerentur in domibus; unde etiam umbras larvas vocamus*, a quo mutuati idipſum ſunt Alexander ab Alexandro [4], & Joannes Meurſius [5]. At diſplicent hæc Kirchmanno, ſi de Romanis intelligantur, quæ de Latinis ſolum populis ipſe fatetur [6], *at vero Romæ*, ejus recito verba, *ſub ipſis Urbis cunabulis, multo ante latas a Decemviris leges, more quodam receptum fuit, ut Urbem extra ſepelirentur vita functi*. Probat autem poſitionem ſuam hic Auctor, tum, quod Numa feratur in Janiculo humatus, ex Livio, Plutarcho, Halicarnaſſeo, & Plinio [7]; Servius item Tullius extra Urbem ex Halicarnaſſeo [8]; tum fortius, quod P. Valerio Publicolæ, virtutis cauſa, Sepulchrum in Urbe a Senatu fuerit conceſſum, ex Tullio [9]: id quod & de Fabricio atque A. Poſthumio Tuberto etiam narratur. *Quale autem*, inquit Kirchmannus, *illud honoris argumentum, vel virtutis fuiſſet præmium, ſi promiſcue omnibus in Urbe ſepeliri licuiſſet?* In cujus ego confirmationem adjicerem, hinc Philologos recte argumentari ritum aperiendi extrinſecus Domorum januas, Romæ quidem minime viguiſſe, ut apud Græcos in uſu, ſed ſolum intrinſecus, ſicut noſtris etiam temporibus ubique moris eſt; hinc, inquam, id recte deduci, quod eidem Publicolæ hic honos fuerit tributus, ut dicam *Diſſert. de Januis*; alias enim honoris ſpecies minime fuiſſet, nec privilegium ullum; cum hoc a Juriſtis definiatur, privatio legis, ſeu ab uſitato more deviatio. Ita ergo dicere poſſet in ſui patrocinium Kirchmannus, inſolentem fuiſſe rem, in Urbe ſepeliri, ſi id juris Publicolæ, honoris cauſa, fuit tributum.

Hac ergo in controverſia pugnantem video cum Servii auctoritate, Kirchmanni famam, & quod majus faceſſit negotii, rationes ab eo adductas. Quid ergo determinabimus? Mediam quamdam viam, novam quidem, at non omnino ſalebroſam, lubet aperire, quo & Servii auctoritatem, & Kirchmanni demonſtrationem integrum ſit conciliare: fidem enim omnem percelebri Grammatico, ſicut facit Kirchmannus, derogare,

1 Lib. 3. cap. 15. 2 Lib. 2. de Leg. 3 De Leg. lib. 12. 4 Leg. 4. Dig. lib. 8. tit. 4. 5 Cap. 21. 6 Lib. 3. cap. 18. 7 Plin. lib. 33. cap. 7.

1 Dio lib. 55. 2 In 5. Æn. 3 In 6. Æn. 4 Lib. 6. c. 14. 5 Exerc. crit. lib. 3. cap. 20. 6 Lib. 2. cap. 20. 7 Lib. 13. c. 13. 8 Lib. 4. 9 L. 2. de Leg.

temeritatem, certe audaciam sapit: illi siquidem plura Antiquitas, majora autem Philologi ipsi debemus. Opinor ergo cum distinctione quadam procedendum tuto esse. Aut enim de Sepulchris publicis, aut de privatis esse poterit sermo. Qua distinctione præmissa, meum hocce esto judicium: de postremis intelligendum esse Servium, cum in propriis cujusque domibus ea fuisse ait: at vero de publicis jure dixisse Kirchmannum, extra Urbem eadem exstitisse; nec aliud sane ejus argumenta ostendere mox indicabo. Hic autem privata Sepulchra pro iis accipi nolim, quæ pro singulis corporibus statuebantur, juxta superiorem explicationem; sed pro illis solum, quæ in privatis condebantur locis, quæque magis opportune *Clandestina* dici possent.

Ne autem videar mediam hancce meam viam temere, atque in medio aere pensilem, nullisque fundamentis innixam exstruxisse, conabor illam quadruplici fulcro obfirmare: & primo quidem ex celebri Tullii auctoritate; secundo ratione; tertio ex privilegio ipso Publicolæ, quod in sui tutelam Kirchmannus adducit; quarto tandem ex eodemmet Kirchmanno. Utque a primo istorum incipiam, ecce præsto nobis occurrit Cicero [1], qui ita ad rem meam opportunissime, legem duodecim Tabularum commentans, inquit: *In Urbe sepeliri l x vetat; sic decretum est a Pontificum Collegio, non esse jus in publico loco fieri Sepulchrum; statuit enim Collegium, locum publicum non potuisse privata religione obligari*. Ubi vides publicam dumtaxat sepulturam intra Urbem interdictam, ne locus publicus religione obligaretur: (erant quippe religiosa Sepulchra) quæ ratio de privatis minime militat, non enim sic *publicus locus* religione remansisset obligatus. Auctoritati succedat ratio, quam inde peto, quod privata Sepulchra domi constitui, nulla prorsus lex reperiatur, primis sub Romæ cunabulis, vetasse: cur ergo eo commodo se privare voluisse Romanos credemus? cum satis obvium esse cuique potuerit, in ea bonorum fortunæ caritate, in propriis hortis corpora tumulare, privato funere, absque pompæ & luxus impendiis, quæ sepultura extra Urbem exegisset. Accedit his tertia conjectura ex ipso Publicolæ privilegio petita, quod de publico intelligendum esse Sepulchro, inde, nisi fallor, evidenter constat, quod jus hocce ex Senatus decreto, utique publico, concessum fuerit, sicut Cicero inquit: tum quia locus Publicolæ sepulturæ assignatus fuit juxta Veliam in Palatino, publicum certe locum, imo omnium frequentatissimum: publicæ ergo sepulturæ jus tantum concessum, non vero privatæ; adeoque illam in Urbe fieri insolitam, rite credi potest, non istam. Utrumque id complexus est Plutarchus & pro mea quidem thesi significantius, his verbis: Ὁ δὲ δῆμος ὥσπερ οὐδὲν εἰς ζῶντα τῶν ἀξίων πεποιηκὼς, ἀλλὰ πᾶσαν ὀφείλων χάριν, ἐψηφίσατο δημοσίᾳ ταφῆναι τὸ σῶμα ..... ἐτάφη δὲ καὶ οὗτος τῶν πολιτῶν ψηφισαμένων, ἐντὸς ἄστεος παρὰ τὴν καλουμένην Οὐελίαν, &c. *Cum Populus* (Romanus) *nihil in eum* (Publicolam) *contulisse, dum viveret, arbitraretur, sed omnem ei gratiam adhuc debere, publicum honorem funeri decrevit, sepeliendumque in Urbe juxta Veliam suffragiis decreverunt, &c.* ubi *publicum honorem* expresse commemorat Plutarchus. Postremum argumentum ipsemet Kirchmannus suggerit, qui sequenti Capitulo causam vestigans Sepulchri extra Urbem exstructi, duplicem eam fuisse ait, alteram moralem, physicam alteram: primam, ne adspectu funerum sacrificia profanarentur: secundam vero, ne incendiis Urbs esset obnoxia. Ex quibus ego subinfero, publica dumtaxat Sepulchra extra Urbem fuisse: ista enim conspecta valuissent sacrificia profanare, non sic privata, quæ in propriis domibus quis constituebat: quæ enim necessitas ut clandestina hæc Sepulchra a Sacerdotibus conspicerentur? Majorem vim facit illud de incendiis; etenim, sicut Plinius [1] diserte testatur, *ipsum cremari apud Antiquos* * *non fuit veteris instituti: terra condebantur: at postquam longinquis bellis obrutos erui cognoverunt, tunc institutum: & tamen multæ familiæ priscos servavere ritus*. Unde Tullius supra laudatus mortuos terra condere *antiquissimum* vocat *sepulturæ genus; redditur enim terræ corpus, ac quasi operimento matris obducitur:* qua de re nos uberius alias. Cum itaque antiquis temporibus corpora non cremarentur, quodnam quæso fuisset incendii intra Urbem periculum, in privatis præsertim funeribus? Ex quibus clarum evasisse existimo, publica dumtaxat Sepulchra, non item privata, intra Urbem interdicta.

Atque ex his facile erit Kirchmanni argumentis obviam ire. Illud enim de Numa & Servio Tullio extra sepultis, præterquam quod universalem utique legem haud constituit, dici potest publica eorum, quippe Regum, fuisse funera, adeoque Urbem extra. Alteri de Publicola &c. satisfactum jam esse puto, cum publicam itidem fuisse ejus sepulturam evicimus. Quibus & ad majorem ubertatem addi potest, inde aliud non inferri, quam Publicolæ ævo, seu post exactos Urbe Reges, extramuraneæ sepulturæ morem invectum fuisse: quo etiam concesso, sarta adhuc tectaque erit nostra opinio, quod primis Regum temporibus intra Urbem fierent Sepulchra. Sed de his plura fortassis quam opus esset: ergo ad alia properemus:

Ut autem interruptum hujusce rei filum resumamus, illud pro rato habendum censemus, primoribus Romæ crepundiis privatos tumulos intra Urbem in propriis cujusque domibus initos, publicos extra. Cum vero honoris ergo publica etiam nonnullis Sepulchra conderentur, ut Publicolæ, Tuberto, Fabricio, & Vestalibus, quod *hæ legibus non tenerentur*, sicut ait Servius, jam inde evasit, ut plerisque idem honos concederetur, præsertim Imperatoribus: sic Cæsari ex decreto Senatus concessum, ut intra mœnia sepeliretur, ex Dione [2]: sic etiam de Cincia, Claudiaque Gente legitur apud Festum atque Suetonium [3]: idemque de Trajano narrat Eutropius [4]. Horum exemplo aliis etiam hæc patuit via; unde brevi Urbs tumulis repleta. Hinc duodecim Tabularum Leges sanxere, *Hominem mortuum in Urbe ne sepelito, neve urito*. Ubi prætereundus non est Rosini [5] lapsus, qui ait, *post latas duodecim Tabulas fuerunt quidam in ipsa Urbe sepulti, ut Valerio Publicolæ contigit;* quod & alibi repetit [6] non sine anachronismi nota; cum Publicolæ funus ante duodecim Tabularum latas leges contigerit: id quod apud laudatum Tullium legere potuisset Rosinus; ait enim ille, *ante hanc legem virtutis causa tributum fuisse, ut Publicolæ &c.* Utut id sit, exolescere cœperunt tractu temporis hæ leges: unde mutata Republica ab Imperatoribus restitutæ sunt: Hadrianus enim pœnam statuit quadraginta aureorum tam in eos, qui in Urbe sepelirent, quam in Magistratus, qui id passi essent, jussitque insuper, ut corpus alio transferretur [7]: idipsum præstitit Antoninus Pius [8], & Diocletianus [9]. Excipiebantur tamen insignium quorundam virorum corpora, præsertim Imperatorum atque Magnatum, ut modo adnotavimus. Verum Leo Imperator has leges iterum abolevit, liberam cui-

1 Lib. 2. de Leg.

1 Lib. 7. c. 54. 2 Lib. 44. 3 In Tiber. 4 Lib. 8. 5 Lib. 5. cap. 39. 6 Lib. 8. cap. 6. 7 Ulp. lib. 30. in Edict. 8 Capitolin. 9 C. de Relig.

* Leg. *Romanos*.

que sepulturam permittens: quod antea Antoninus ipse, pestis causa, effecerat [1].

Atque hæc de loco Sepulchrorum in generali adnotavimus. Particulares autem loci in *Sectione de Sepulchris specialibus* indicabuntur. Sat nunc sit præmonere, Sepulchra pauperum fuisse Puticulos extra Portam Esquilinam, ita dictos, vel *quod ibi in puteis obruebantur homines, vel quod putescebant ibi cadavera projecta*, sunt Varronis [2] verba. Appellabatur alio nomine locus hic *Sestertium* apud Plutarchum in *Galba*. Cæterum, cum vicinitas horum Puticulorum Urbi esset insalubris, Augustus loca hæc Mæcenati concessit, quæ & in Hortos ipse transtulit [3], aliis locis inopum sepulturæ destinatis, quæ forte fuere *Culinæ* appellatæ, de quibus Agennus Umbricus [4] ad Frontinum. Nobilium e contra Sepulchra erant passim in Campo Martio [5], sed nonnisi ex Senatus decreto licebat cuiquam huc inferri [6]. Frequentissime autem omnium Sepulchra in Agrorum marginibus ad publicas vias constituebantur, præsertim Appiam, Aureliam, Flaminiam, Latinam, Labicanam, Laurentinam, Ostiensem, Prænestinam, Salariam, Tiburtinam &c. ut præter veteres Scriptores autopsia ipsa declarat, & nos mox ostendemus. Ubi adnotanda diligenter est pia Romanorum sagacitas, qui ut viatores suæ mortalitatis admonerent, secus vias sua collocabant Sepulchra [7]: hinc formulæ illæ passim usitatæ, ADSPICE VIATOR, CAVE VIATOR, &c. in Lapidibus notissimæ. Quamquam & alia accederet, eaque œconomica ratio, ne, si in meditullio agri Sepulchra collocarentur, fructus terræ impedirentur, adeoque detrimentum inde caperent vivi, ut Plato [8] in suis Legibus jusserat. Quod de fertilibus intellige agris; si infœcundi enim forent, in ipsorum etiam meditullio Sepulchra exstruebantur, ut ex Siculo Flacco [9] habetur. Locum autem sepulturæ designare ad solos pertinebat Pontifices, ut ex Tullio sæpius nobis laudato, & ex Inscriptionibus apparet; id quod nos *Tom. 2. Dissert. de Sacerdot.* ostendemus.

Illud postremo loco curiosis indulgendum, utrum scilicet Gentibus, sicut apud Christianos moris est, Sepulchra in Templis fuerint. Qua in re negativæ parti adhærerem, si paucos admodum casus excipias: nusquam enim id reperire licuit, præterquam de uno, aut altero, at extra Urbem: de Pyrrhi enim dextero pollice ait Plinius [10], *quem cremari cum reliquo corpore non potuisse, tradunt, conditumque loculo in Templo*. De Græcis idem refert Arnobius [11]. Testatur insuper in *Medea* Euripides, Argivos cadavera in Templis sepelire consuevisse, dum Medea Jasoni promittit se filiorum corpora in Luco Junonis Acrææ sepulturam. Ex Plutarcho item in *Aristide* habemus, Platæenses Euchidam in Dianæ Euchiæ Fano tumulasse: pariterque Lycurgus, ut admonet in *ejus Vita* Plutarchus, Sepulchra Templis proxima ædificari voluit, ut assuesceret juventus mortem non timere. Illud solum de Romanis comperio, in Deæ Libitinæ Templo singula, quæ ad rem funeream pertinerent, asservasse, ut alibi dicam. Inter Christianos, a Constantini Magni temporibus, tumulandi in Templis mos invectus creditur; quem Gratianus, Valentinianus, & Carolus Magnus inhibuerunt, ut in nostra *Ecclesiastica Antiquitate* dicemus.

Explorato Sepulchrorum loco, eorum causæ extrinsecæ investigandæ sunt: a quo nimirum conderentur, & quibus. Condebantur autem ipsa, (de Fabris non loquor, de quibus alibi, sed de Dominis Sepulchrorum) seu jubebantur, aut a morti proximis, imo & sanis adhuc degentibus; aut ab hæredibus. De primis, præter Scriptores, testes habemus sepulchrales lapides, in quibus hæ observantur notulæ, V. F. seu *vivus fecit*; vel V. F. C. id est, *vivus faciendum curavit*; vel V. H. S. F. M. id est, *vivus hoc sibi fecit monumentum*. De hæredibus etiam, ex Inscriptionibus res liquet, quas apud Kirchmannum [1] vide. Sepulchrorum exstruendorum sumptus ipsi quandoque testatores definire solebant, sicut & structuræ etiam modum: aliquoties id hæredum relinquebatur arbitrio, ut apud eumdem Kirchmannum pluribus demonstratum Inscriptionibus reperies.

Ii, quibus exstruebantur Sepulchra, fuere quotquot Fato subessent, & mortis legibus forent obnoxii. Nulli enim hominum sepulturæ honos denegabatur, quippe qui a natura mortalibus insitus putatus est: unde Quintilianus [2] ait: *Neminem non mortalium favere hominis sepulturæ convenit, quia hæc una res est, cujus exemplum ad omnes pertineat*: & post paucula: *Certe rerum natura, ut in generandis alendisque hominibus, quæ necessaria erant ex se ipsa prospexit, ita cum rursus opus suum resolvit, corpora nostra quamprimum reducere ad principia festinat*: paucisque tandem interjectis: *Nobis vero adversus exanimes genuit, non solum miserationem, sed etiam religionem: inde ignotis quoque corporibus transeuntium viatorum collatitia sepultura*. Et hac sane de causa naturalis prorsus juris esse corpora sepulturæ committere, vulgo creditum est. Multi quinimo, ne sepultura destituerentur, se vivos tumulandos curarunt; sicut de Asdrubale, Labeone, M. Antonio, & Labieno, non sine Auctorum calculo refert Spondanus [3].

Atque hinc laudabilis ille mos non pauperum modo peregrinorumque corpora Sepulchro donandi, verum etiam hostium ipsorum bello obeuntium. Non solum enim Athenienses sepulturæ honore Medos insignire voluerunt, ex Pausania in *Atticis*; & Philippus Macedo Athenienses ipsos ex Polybio [4]; ut alias prætermittam Nationes: sed Romani ipsi religiosa hac pietate illustres fuere. Qu d enim magis notum, quam locus ille in media Urbe, cui *Busta Gallica* nomen, ubi ossa Gallorum, qui Urbem ipsam incenderant, recondita fuere [5]? Eandem humanitatem exercuit L. Cornelius in Hannonem Carthaginiensium Ducem eximium [6]: Idem & Cn. Pompejus Mithridati præstitit [7]: Idem tandem, ut innumera prætercam exempla, effecit in Archelai corpore Antonius, ut testis est in *ejus Vita* Plutarchus.

Sed nihil profecto isthæc forent, nisi & bestias ipsas tumuli honore decorassent. Equos enim (Alexandri Magni exemplo, qui Bucephalum suum exquisitissimis Exequiis donavit, ex Plutarcho) Augustus etiam sepultura nobiles reddidit [8]. Hadrianus item Borisstheni Equo monumentum ædificavit, & columnam erexit, Inscripto epigrammate, ex Xiphilino in *ejus Vita*. Idem factitavit Commodus Verus ex Capitolino. Mulæ tandem suæ Crassus Sepulchrum cum Inscriptione dicavit. Quem morem e Græcis crederem ad Romanos propagatum; apud illos enim Equi, qui in Olympicis Ludis victores fuerant, in Ceramico Athenis terra condebantur [9]. Simili honore affectos reperio & Canes: de Hadriano enim ait Spartianus: *Equos & Canes sic amavit, ut eis Sepulchra constitueret*. Quid quod idem de Avibus effectum

1 Suet. lib. 15. 2 L. 4. de L. L. 3 Horat. l. 1. Sat. 8. 4 Lib. 1. de controv. Agr. 5 Strabo lib. 5. 6 Dio lib. 48. 7 Varr. 5. de L. L. 8 De Leg. lib. 12. 9 De constit. Agr. 10 Lib. 7. cap. 2 11 Lib. 6.

1 Lib. 3. cap. 12. 2 Declam. 6. 3 Lib. 1. pag. 1. cap. 13. 4 Lib. 5. 5 Varr. 4. de L. L. 6 Val. lib. 5. cap. 1 7 Dio lib. 37. 8 Plin. lib. 8. cap. 42. 9 Ælian. lib. 12. cap. 40.

narret Statius [1]? referatque Plinius [2] Corvum, præcedente Tibicine, ab Æthiopum humeris ad Sepulchrum elatum. De Anseris funere, Cornicis, & Galli vide Ælianum [3]. Pisces etiam sepulturæ commissos apud eundem [4] reperies, qui de muræna Crassi ita ait: Ταύτην δὲ ἔκλαυσεν ὁ Κράσσος, ἀποθανοῦσαν, τὸν βίον καταστρέψασαν, καὶ ἔθαψε· καί ποτε Δομετίου πρὸς αὐτὸν εἰπόντος, Ω μωρὲ, μύραιναν ἔκλαυσας τεθνεῶσαν· Ο δὲ ὑπολαβὼν, Εγὼ θηρίον, ἔφατο, σὺ δὲ τρεῖς γυναῖκας θάψας οὐκ ἔκλαυσας. *Hanc ille mortuam flevit, & honore sepulturæ affecit: & cum aliquando Domitius in hunc dixisset, Stulte,* (Crasse) *murænam flevisti mortuam; Crassus inquit, Ob bestiæ mortem flevi, tu vero ne quidem ob tres uxores, quas terræ mandasti.* De ritu Ægyptiorum, qui Boves, Feles, Canes, Ursos, Lupos, aliasque bestias sepeliebant, vide Herodotum [5].

Non negaverim tamen quosdam fuisse Sepulchri honore denegatos. Erant hi hostes Patriæ, suspendiosi, & qui se ipsos necassent. Primum patet exemplo Gracchorum apud Valerium [6], item Lentuli & Catilinæ ex Plutarcho [7]. Nec immunes fuere ab hac pœna Imperatores, sicut ex Heliogabali in Cloacam projecti, ut Lampridius; exque Commodi & Maximini unco tractorum, ut Capitolinus, infelici fimis eventibus liquere potest. De secundis videatur Neratius J.C. [8], & Lipsius de Cruce [9]. De postremis audiatur Servius [10] ita inquiens. *Sciendum quod cautum fuerit in Pontificalibus libris, ut qui laqueo vitam finiret, insepultus abjiceretur.* Cujus pœnæ origo a Tarquinio Prisco fuit. Sed mitigarunt illam posteriores leges, de iis solum intelligi curantes, qui alicujus flagitii conscii e medio se sustulissent; secus vero si tædio vitæ id patraretur. Sed de his nos disertius *Tom. 2. Dissert de Pœnis*. Missos facio alios variarum Gentium ritus, qui vice sepulturæ mortuos suos frustatim conscios devorabant, ut in proprio ipsis ventre conditorium struerent: ita de Scythis enarrat Lucianus in *Toxari*, & de Hiberniæ habitatoribus Strabo [11]. At Sidones caput excipiebant, quod inauratum asservabant, tamquam omnino sacrum. [12] idemque de Essedonibus refert Herodotus [13]. Hyrcani, & Caspii, & Bactrii cadavera canibus projiciunt devoranda [14]: Vulturibus vero Iberi [15]. Æthiopes in aquas immergebant. Colchi patibulo suspendebant defunctos; quibus ineptiisne, an immanitatibus dicam, non est immorandum; sed videatur Lavorius [16], & Kirchmanus [17].

Quare satius erit ab aliarum Gentium feritate ad Romanorum erga Sepulchra pietatem & religionem gressum facere. Hæc vero tanta fuit, ut major Templis non adhiberetur; quare illa religiosa & sancta superius dixi. Erant insuper Asyli & confugii loco, ex Plutarcho in *Theseo*: imo & apud Sybaritas cum servus quidam ab hero suo cæsus, ad Templum confugiens nihil profecisset, ad Sepulchrum veniam meruit [18]. Hinc pecuniæ in Sepulchris asservatæ, custodiæ causa, ex Plutarcho in *Pyrrho*. Hinc etiam Sepulchrorum custodia servis commissa, ut alibi ostensurus sum: hinc pariter Gryphium figuras Tumulis insculpebant, ut vigili asservandos cura eos esse innuerent. Quod vero addit Spondanus [19], non licuisse in Sepulchra despuere, puto de solis Doliolis fuisse observatum, ut infra dicemus. Excipiebantur solum sepulturæ hostium, quæ sacræ non erant [20]; licet servorum Sepulchra sancta fuerint [21].

1 L. 11. Sylv. 2 L. 10. c. 43. 3 Lib. 6. c. 7. & l. 7. c. 41. & l. 8. c. 4. 4 Ibidem. 5 L. 2. 6 L. 6. c. 3. 7 In Anton. 8 In leg. Liberorum D. de iis, qui not. infam. 9 L. 2. c. 15. 10 In 13. Æn. 11 L. 4. 12 Zenob. centur. 5. 13 L. 4. 14 Strabo l. 11. 15 Sil. Ital. lib. 2. Punic. 16 De fun. cap. 21. 17 In App. ad c. 21. 18 Ath. l. 12. c. 3. 19 L. 1. p. 1. c. 9. de Cœmet. 20 Leg. Sepulchrum, D. de viol. Sep. 21 Ulp. leg. 2. D. de Relig.

Hæc vero Sepulchrorum sanctitas tum vere incipiebat, cum glebam seu terræ portionem in ipsa injiciebant; qua de re audiatur Cicero [1]: *Nam priusquam, ait, in os injecta gleba est, locus ille, ubi crematum est corpus, nihil habet Religionis: injecta gleba, & humatum est, & gleba vocatur, ac tum denique multa religiosa jura complectitur.* Ritus vero glebam injiciendi ortum habuit ex illo altero, terram scilicet ter plena manu jaciendi in cadavera insepulta, & fortuito oblata, quæque sepelire non liceret; de quo *Tom. 3. Dissert. de Funer.*

Post glebæ ergo injectionem sanctum erat Sepulchrum; illudve violare nefas maximumque crimen; quod hæ pœnarum species sequebantur, puta mors, relegatio, damnatio ad metalla, deportatio, pecunia, & manus amputatio, ut apud Juristas passim, & nos *Tom. 2. Dissert. de Pœnis*. Violabantur autem Sepulchra his potissimum de causis: scilicet demolitione, habitatione dolosa, illatione illegitima, & alienatione. Demolitione quidem, si quis *de Sepulchro abstulerit vel saxa, vel columnas, aliamque materiam fabricandi gratia* [2]: Habitatione, si quis in eo *dolo malo habitaverit, ædificium ve aliud, quam de Sepulchri causa factum sit, habuerit* [3]. Illatione illegitima, *si quis contra voluntatem testatoris in hæreditarium Sepulchrum quamvis hæres, inferat* [4]. Alienatione tandem, *si quis res Religioni destinatas contigerit, & emere, & distrahere non dubitaverit* [5].

Ad enarrata hucusque capita reducuntur contrectatio cadaveris, mutilatio, spoliatio, translatio. Profanari enim credebatur Sepulchrum, si corpus a quopiam contrectatum esset: quare in veteribus etiam monumentis reficiendis curabant, ne corpora contingerentur, ex Marciano J. C. Præterea profanabantur si membrum aliquod cadaveris amputatum esset: quæ amputatio passim ab homicidis fiebat, qui interfecti nasum, auriculam, aliamque partem abscindebant, eamque sub axilla ferebant, ita occisum credentes invalidum omnino reddi ad se ulciscendum, ut apud Sophoclis Scholiastem legitur. Quare inter reliqua Magicæ disciplinæ capita erat præfatæ mutilationis modus, ut apud Quintilianum [6] & Apulejum [7] videre est. Spoliatio cadaveris erat, cum quis res cum mortuo conditas clam auferret. Quamvis enim lex duodecim Tabularum aurum vetaverit cum defunctis condi; non obtinuit tamen vim suam, quin multæ e contra in tumulos divitiæ conjicerentur, ut ex Terentii & Plauti Comœdiis liquet. Hinc in Sepulchris notulæ istæ inscriptæ: I. M. I. ST. ABSC hoc est, *In Memoria ista sunt bona abscondita*. vel IN. HC. MM. S. P. SN FN. id est, *In hoc Monumento sunt pecuniæ sine fine*, ut Manutius interpretatur. Translatione tandem cadaveris Sepulchrum violabatur; perpetuæ siquidem sepulturæ tradita nequibant alio transferri, ex Marciano [8]; hinc in Tumulis passim inscriptum, PERPETUÆ SECURITATI, apud Veterum: unde domos æternas dici consuevisse Sepulchra supra indicavimus. Agnita tamen causa transferri corpora poterant, ut ob fluvii incursum, aut ruinæ metum [9]. Hujusmodi autem cognitio ad Pontifices pertinebat; postea vero quam Pontificatum Maximum sibi Imperatores adjunxerunt, hanc etiam facultatem sibi adscivere, ut *Tom. 2. Dissert. de Sacerd. & Dissert. de Magistr.* dicam. Atquæ hæc de temporanea tumulatione intelligi nolim, quæ enim ad tempus alicui loco commendabantur reliquiæ, poterant absque licentia alio transferri, quicquid in oppositum adducat Kirchmannus [10]; si nam-

1 L. 2. de Leg. 2 Leg. 4. C. de Sep. viol. 3 Ulp. leg. 3. D. de Sep. viol. 4 L. 3. D. de Sep. viol. 5 L. 22. D. de contr. empt. 6 Declam. 15. 7 L. 3. Magic. Officin. 8 Leg. 39. D. de Relig. 9 Leg. 1. C. eodem. 10 Lib. 3. c. 25.

que ea licentia opus fuisset, jam nullum foret temporaneam inter perpetuamque sepulturam discrimen: supplex vero hac de re libellus Severo Principi oblatus, vel quia unicus, vel quod ex adulatione conceptus, nihil profecto in favorem Kirchmanni evincit. Utut sit, in ea reliquiarum translatione multos intercessisse ritus, sacrificia, & preces, fuisseque a vectigalibus immunes, ut vectigalia pro iis exigere, summæ fuerit avaritiæ index, locumque proverbio dederit [1], alibi commodius demonstrabo; ut & alia multa in hanc rem opportuna; cum pure legalia e Jureconsultis peti valeant.

SECTIO SECUNDA.

De Sepulchris in particulari.

POST vestigatas, quantum Sepulchrorum obscuritas nobis permisit, tum partes intrinsecas, tum extrinsecas, particularis quædam eorumdem designatio, sicut in Domibus ac Templis præstitimus, tradenda est, brevis tamen: cui & unius, aut alterius delineationem adjiciemus, ut reliquorum modulus animo concipi queat. Extra Portas Urbis frequentiora fuisse Sepulchra, jam supra dictum est: nos tamen, quæ intra Urbem erant, aut Urbi proximiora, tamquam e re nostra magis, perquiremus.

Ut ergo Regiones singulas, sicut alias præstitimus, cursorio calamo hic lustremus, ecce in prima Regione non pauca exstitisse Sepulchra, præter Tullium [2], Pyrrhus Ligorius, cujus ævo rudera adhuc exstabant, testatur. Erat hic Collatini Monumentum; item Serviliorum, & Metellorum: Cæciliæ cumprimis Crassi uxoris Metellique Cretici filiæ, quod hodieque a Bovis Capite ibi insculpto, *Capo di Bove*, vulgo appellatur. Mutarunt illud in Arcem, cujus adhuc recinctus perdurat, Romani, cum Factiones ubique in Urbe grassarentur. Ibidem erat Q. Cæcilii Tumulus, in quo & Pomponium Atticum ejusdem nepotem sepultum asserit in *ejus Vita* Cornelius Nepos. Hic etiam fuit Basilii Sepulchrum, ubi latrocinia patrari solita ait in *Miloniana* Asconius. Extra Portam Capenam Horatiæ Monumentum, sororis illorum Horatiorum, qui cum Curiatiis certarunt, ex Livio. Horatiorum vero Sepulchra male ibidem a Panvinio collocantur, cum ex eodem Livio in Albano potius fuerint Territorio, ubi & prælium commissum fuit. Hic tandem Thessali medici Memoria. Nullum in secunda Regione adinvenire Sepulchrum licuit. In tertia erant *Busta Gallica* Livio [3] appellata, ubi scilicet Gallis in Romæ obsidione cæsis Tumulum Romana pietas excitavit. Reponuntur ipsa vulgo ad Palatini radices contra Piorum Hortos, ubi D. Andreæ Ædes hodie exstat, quæ, corrupto forsan vocabulo, *in Portugallo*, pro *in Busta Gallica*, nuncupatur. In hac eadem Regione erat Septizonium, quod Sepulchrum creditum est, de quo paulo post sermo redibit. Quarta Regio Sepulchris caruit, quod intra Urbem fuerit: de publicis loquor, privata enim quæ domi suæ unusquisque constituebat, rimari non lubet, nec vacat, nec, si vacaret, eorum notitia haberi posset. In quinta Regione, seu potius post eam, extra Esquilinam Portam, inque Esquilino Campo, erant Puticuli, ubi pauperes tumulari solitos supra dictum est; ibidemque Ustrinæ Publicæ, ubi corpora cremabantur, de quibus alibi differemus. In sexta Regione Campus erat Sceleratus prope Portam Collinam, cum subterra-

[1] Arist. 2. Rhet. [2] Lib. 1. Tusc. [3] Lib. 2. dec. 8.

A neo Antro, in quo Virgines Vestales, incestus crimine infames, vivæ adhuc tumulari solebant, ex Festo. An vero intra, vel extra Salariam Portam is Campus exstiterit, digladiantur inter sese Antiquarii: at intra Urbem fuisse clarissime Festus ipse indicat inquiens: *nec tamen licet nocentes*, (de Vestalibus loquitur) *extra Urbem obruebantur, sed in Campo proxime Portam Collinam &c.* clarius vero Halicarnasseus [1] de iisdem ait: *κομισθεῖσαι δὲ μέχρι τῆς Κολλίνης πύλης, ἐντὸς τοῦ τείχους, εἰς σηκὸν ὑπὸ γῆν κατεσκευασμένον.... τίθενται*, *delatæ usque ad Collinam Portam*, (Vestales) *intra muros, in monumento ad id parato .... deponuntur*: Plu-
B tarchus tandem in *Numa* inquit: *ἡ δὲ τὴν παρθενίαν καταισχύνασα, ζῶσα κατορύττεται, παρὰ τὴν Κολλίνην λεγομένην πύλην ἐν ᾗ ἐστί τις ἐντὸς τῆς πόλεως ὀφρύς*, *quæ virginitatem polluerit viva juxta Portam, quæ dicitur Collina, defoditur, ubi est tumulus intra Urbem*. In Salaria Via monumentum unius e comitibus Herculis [2]. In septima Regione nullum aliud reperio Sepulchrum, quam C. Poblicii sub Capitolino, Macellum Corvorum versus, cujus rudera cum Inscriptione eo loci apparent, ex qua constat publicum eum locum, honoris causa, Poblicio traditum, vel extra mœnia,
C ut suspicatur Nardinus, vel etiam intra; quod eximiis quibusdam viris concedi solitum observavimus: quare inepte quidem in suis *Dialogis* de ejus Sepulchri veritate dubitavit Augustinus. Hoc prope forsan fuit Gentis Claudiæ Sepulchrum, quod intra Urbem, honoris causa, eidem Genti tributum diximus. In octava Regione ad Veliam in Palatino erat Publicolæ Sepulchrum, cujus supra meminimus. Prope Cloacam Maximam erant Doliola, *ubi non licet despuere*: Varro loquitur, *eorum duæ traditæ sunt historiæ, quod alii esse ajunt ossa cadaverum; alii Numæ Pompilii religiosa quædam post mortem ejus infossa*, ut nobis alibi erit ser-
D mo. Accæ Laurentiæ Sepulchrum *in Velabro, qua in Novam Viam exitur*, ut ait Varro [3], ubi Accæ Simulachrum, prope quod Laurentina Festa peragi solita, alias traditam. Tarpeja Virgo in Tarpeja Rupe, ab ea sic appellata, Sepulchrum obtinuit, si Plutarcho in *Romulo* fides.

Sed vero Regio Tumulis præ omnibus ditissima fuit Nona, ob Martium Campum, in quo insigniores quosque tumulari diximus. Ergo in Campo Martio Augustorum cumprimis erat Mausoleum, cujus peculiarem descriptionem infra traditurus sum. In hujusce Sepulchri Nemore Libertorum Augusti Sepulchra; Ulpii præsertim Mar-
E tialis inter ruinas nuper repertum, sicut testatur Fulvius. In eodem Campo erat Bustum, in quo Augusti corpus combustum fuit: ejus situs sic describitur a Strabone: *Ἐν μέσῳ δὲ τῷ πεδίῳ, ὁ τῆς καύστρας αὐτοῦ περίβολος, καὶ οὗτος λίθου λευκοῦ, κύκλῳ μὲν περικείμενον ἔχων σιδηροῦν περίφραγμα, ἐντὸς δ' αἰγείροις κατάφυτον*. *In medio autem Campi, Busti ejus ambitus ex albo lapide ferreis in orbem cancellis septus, intus populis consitus*: præcisus autem Busti locus creditur Nardino eo loci exstitisse, ubi nunc Sancti Augustini Ædes. In eodem Campo
F Juliæ Tumulus: item Syllæ Felicis, Hirtii, & Pansæ Coss. Agrippæ, Drusi, & Britannici: Domitiorum vero Sepulchrum in Colle Hortulorum prope Portam *del Popolo*, ubi & Nero tumulatus fuit, ex Suetonio. Sed quid plura commemorem? cum Strabo Sepulchris refertissimum eum Campum asserat, inquiens: *Διόπερ ἱεροπρεπέστατον νομίσαντες τὸν τόπον τοῦτον, καὶ τὰ τῶν ἐπιφανεστάτων μνήματα, ἐνταῦθα κατεσκεύασαν ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν*. *Eapropter cum locum istum religiosissimum esse cogita-*

[1] Lib. 2. [2] Suet. in Vespas. [3] Lib. 4. de L. L.

rent, clarissimorum virorum ac fœminarum Monumenta in eo construxerunt. Quem tamen Strabonis locum non de omnibus promiscue & e plebe hominibus intelligi velim, sed de solis Magnatibus, qui non sine Senatus decreto inibi, honoris causa, tumulabantur: unde Appianus [1] de Sylla ait, διεκόμιζον εἰς τὸ πεδίον τὸ Ἄρειον, ἔνθα βασιλέας θάπτονται μόνοι, *transtulerunt in Campum Martium, ubi solos Reges sepelire mos est*. Hinc Juliæ Pompeii uxoris, Cæsarisque filiæ, in eo Campo tumulationi sese Domitius opposuit [2]; Marcique Oppii Ædilis ossa alio ex Senatus decreto translata fuere [3]. In decima Regione solum Cinciorum Sepulchrum apud Antiquarios reperio, in Palatini loco, qui, *Statuæ Cinciæ*, Festo dicitur: item Septizonium Severi, de quo infra erit mentio. In undecima Regione in extima Circi ora Sepulchra olim exstiterant Tribunorum militarium, qui in Bello Volscorum obierant, ex Festo. In duodecima Septizonium Vetus collocatur a Panvinio; sed verius Severi Sepulchrum in Septizonii speciem exstructum creditur Nardino: quam controversiam infra examinabimus. In tertiadecima erat Aventini Albæ Regis priscum Monumentum super Aventino colle, ex Varrone [4]; licet Sextus Aurelius Victor, de Romanorum Origine differens, ad ejus montis radices illud constituerit. In eodem Colle Titi Tatii Tumulus in loco, qui, a Laurorum copia, *Lauretus* dicitur Varroni. Caii tandem Cæstii pyramidale Sepulchrum in Campo Testaceo, ut mox subnectam. Postremam Urbis Regionem decoravit Numæ Sepulchrum in Janiculo colle [5]: testaturque ex Cassio Hemina Plinius [6] repertam ibidem *Arcam, in qua Numa; in eadem libros ejus repertos*: qua in re varia Nardini dubia, more suo, orta sunt, quæ apud ipsum [7] vide. In Janiculo etiam Ludiani Sepulchrum: item Statii Cæcilii Poetæ. Hadriani Sepulchrum, quod in Vaticano Campo situm est, mox describemus. Ab eo non procul erat Aurelii Imperatoris Tumulus. Scipionis Africani Monumentum creditum vulgo est ad Ædem Sanctæ Mariæ Transpontinæ collocatum, ubi ingens Pyramis alteri Cæstii similis; e cujus extimis marmoribus Donus Primus Pontifex D. Petri Atrium stravit, quicquid cavillis suis aliter Nardinus suadeat. In Vaticano etiam Honorii Sepulchrum, ejusque conjugis Mariæ. Equi tandem Lucii Veri, non sine insaniæ nota, eodem in Campo tumulati. Atque hæc sunt, quæ de nonnullis Sepulchrorum locis dignoscere licuit, multis aliis prætermissis, præsertim quæ extra Vias Appiam, Flaminiam, aliasque insigniores exstitisse diximus; cum nostrum sit interiorem Urbis antiquitatem perlustrare.

Sed age, jam postremo loco insigniora quædam prisca Monumenta rudi calamo adumbremus. Et primo omnium Hadriani Tumulum, quem paulo ante commemoravimus. Exstructus fuit ab Hadriano Imperatore, ex Augusti æmulatione, in Vaticano Campo ad Tyberis ripam. Ejus forma erat, e parte inferiori, quadrata; desuper vero rotunde, adinstar Turris, assurgebat, ut hodieque videre est. Tegebatur undique candidissimis Parii marmoris crustis; in summitate vero innumera emicabant qua virorum, qua equorum, qua curruum Simulachra [8], quæ a Græcis, Gothicæ invasionis tempore, in fragmenta comminuta, in Gothos ipsos jacta fuere. A Gothis ea Moles pluries capta, a Ravennæ postea Exarchis, Arcis loco, possidebatur. Donec Crescentius Romanus Civis in ampliorem Arcis formam eam redegit; & Bonifacius Nonus munivit; tandemque Urbanus Octavus

1 Lib.1.de Bello Civ. 2 Dio l.39. 3 Idem l.48. 4 L. 4.de L. L. 5 Halic.l.2. 6 L.13.c.13. 7 L.7.c.11. 8 Procop.1.Bel.Got.

A non sine magna auri profusione validiorem reddidit.

Augusti Mausoleum, unde Hadriani Molem exemplar sumpsisse diximus, in Martio erat Campo ad alteram Tyberis ripam, cujus cernuntur adhuc rudera reticulati operis circularisque formæ, tum prope S. Rocchi Ecclesiam, tum in Benedicti Floravantii Ædibus. A Marliano, cujus ævo minorem passum fuerat deformationem, ita describitur: *Exstat adhuc ubi vulgo Augusta dicitur, juxta S. Rocchi Ecclesiam interior circumferentia, reticulato opere: olim vero tres circumferentias fuisse, vestigia satis ostendunt, invicem ita distantes, ut in plures* B *partes intersecarentur, pluresque efficerent loculos, quo quisque seorsim a cæteris sepeliretur*. E tribus his circumferentiis, ea, quæ imiorem obtinebat locum, amplior erat, supra quam secunda angustior assurgebat, tertia tandem omnium erat angustissima: ut ita tria efformarentur plana populis consita; ut inde afferere valuerit Suetonius: *Quorum omnium præclarissimum est Mausoleum, Agger ad amnem supra sublimem albi lapidis fornicem congestus, & ad verticem usque semper virentibus arboribus coopertus: in fastigio statua Augusti, sub Aggere loculi ejus, & cognatorum, ac familiarium, a* C *tergo lucus magnus Ambulationes habens admirabiles*. Populos hasce Mausoleum inter & Populi Portam, quæ hinc nomen desumpsisse existimantur, Nardinus recte collocavit. Ejusdem Mausolei Porta ad Campum Martium vergebat, sicut asserit ex ruderibus sui ævi Ligorius. Bini ante eam Obelisci, pedum LXXX. quorum unus ante Ecclesiam Sanctæ Mariæ Majoris Sixtus Quintus erexit, alter post Sancti Rocchi Ædem jacere creditur.

Cæstii Sepulchrum integrum adhuc perseverat Portæ Sancti Pauli conjunctum, pyramidale e quadrato marmore assurgens. Extra Urbem fuisse, *Dissert*. 3. dictum est. Ejus altitudinem, latitudi- D nemque, ut & picturarum, quæ in interiori ejus cameratione repertæ sunt, explicationem, Cæstii denique conditionem, atque officium, aliaque ad hanc rem, in erudita *Dissertatione* Octavii Falconerii, quæ Nardini libris inseri solet, reperies.

Quare Severi Septizonium, cujus supra pluries meminimus, reliquum est, ut explicemus. Septizonii vox satis indicat molem quamdam fuisse septem solariis, seu planis, ceu totidem zonis quaquaversum circumdatam distinctamque, quæ plana ita locarentur, ut unum supra alterum foret; E quatenus alter eorum ordo, atque contignatio, alteri ordini, super columnis immineret, (ut de Mausoleo Augusti explicavimus) at septuplex. Tria apud priscos Scriptores reperire est Septizonia, unum vetus, cujus meminit Suetonius in *Tito*: alterum Severi Imperatoris apud Spartianum; tertium vero ejusdem Severi, *specie Septizonii exstructum*, ut ait in *Geta* Spartianus ipse. Ex his tribus Septizoniis postremum dumtaxat vere Sepulchrum fuisse opinatur acute Nardinus, quod illud *specie Septizonii exstructum* dicat Spartianus, ut ita Septizonium revera non foret, nec septuplici donatum ordine; sicut Septizonium erat vetus F Suetonio memoratum: duo vero priora non Tumulos fuisse censet, sed Xystos quosdam, nos dicimus *Logge*, aut *Belvedere*: quod ex Spartiano ipso colligit Nardinus, etenim inquit ille: *Cum Septizonium faceret*, (Severus) *nihil aliud cogitavit, quam ut ex Africa venientibus suum opus occurreret*: ubi nulla Sepulchri, sed magnifici cujusdam operis, mentio. Nos vero controversiam hanc curiosis dirimendam ultro concedimus. Illud e re nostra potius animadverterem, Sepulchrum Severi, *specie Septizonii exstructum*, in Via Appia fuisse ad Antoninianas Thermas, ut idem Spartianus testa-

tur: Septizonium vero Severi alterum, contra D. Gregorii Eccleſiam exſtitiſſe, ex iis, quæ exſtant ibi, ruderibus cerni poteſt: Septizonium tandem vetus in Eſquiliis vulgo locatur ſupra Sanctæ Luciæ in Silice Ædem, quam & *in Orthea* agnominatam reperimus; quæ Græca vox idem profecto ſonat, ac apud nos *Logge*, aut *Ringhiere*; quæque appellatio certe Nardini conjecturam recte confirmat. Utrum autem vetus ſolum Septizonium ſeptuplici inſignitum eſſet ordine, ſicut ſuſpicatur ex Marliano Nardinus, an etiam Septizonium Severi iiſdem ordinibus gauderet, ut vulgo creditum eſt, non audeo determinare. Illud dumtaxat ex Philandro [1] adnotarem, tam ingentem ſublimitatem minime cum inferiori, quod exſtat, plano cohærere, aut compati. Sed in his haud diutius immorandum, quod hæ Septizoniorum ſpecies ad Sepulchra non ſpectent, deque iis alibi futurus ſit ſermo.

SECTIO ULTIMA.

De ſepulchralibus Lucernis perpetuo ardentibus.

CUM dictum a nobis ſuperius ſit, inter alia Sepulchrorum ornamenta fuiſſe Lucernas; hinc operæ pretium erit, ut de iſtis etiam nonnihil attingamus potius, quam diſſeramus: eo vel maxime, quod ipſæ ad noſtros uſque dies ar ſiſſe compertæ, non levem accenderint in Lyceis curioſitatem: cui ut ſatisfacerem, illud a me præſtandum conſtitui, ex uberi ſcilicet Scriptorum, Fortunii præſertim Liceti, viridario, paucos floſculos colligere, quibus Sepulchra noſtra, priſco ſane more, ceu tot corollis exornem.

Lucernarum ergo Sepulchralium materia erat, aut e terra, aut e metallo; ſed frequentiores certe fictiles: auream memorat Pauſanias: argenteam vero D. Auguſtinus [2]: æneam tandem in Batavicæ Arcis ruinis inventam deſcribit Petrus Scriverius: lapideam etiam e Lunenſi marmore, Benavidii JC. Patavini Muſeum aſſervat: ligneamque indicare videtur Tullius [3], dum *Lychnum ligneolum* nominat: quamvis dubitent Eruditi, num vere totam ligneam intellexerit ipſe lucernam, an ligneam ejus thecam, vel candelabrum, lucernariumque. Utut vero ſe habeat, infrequentes erant poſtremæ ejuſcemodi materiæ, ſicut primæ frequentiores.

Lucernarum forma multiplex variaque utique fuit pro artificum varia indole & arte: ut mirari equidem ſubeat, quanta cum ingenii luxurie luſerint priſcorum hominum ingenia in ſuis diverſimode lucernis conformandis. Erant ut plurimum rotundæ, aut paululum oblongæ. Nobiliores vero nullam non exprimebant figuram, qua avium, qua ferarum, qua piſcium, qua etiam hominum, ut apud Caſalium & Licetum, fuſius vero in Muſeis, videre eſt. Singulæ vero hæ figuræ ſuis non vacabant ſignificationibus alluſionibuſque, emblematum Hieroglyphicorumque rationem imitantes; quorum explicationes interpretationeſque apud eumdem Licetum [4] habes ad ſatietatem uſque, at non ſine eruditionis lautitie.

Magnitudinem Lucernarum quod attinet, exiſtimat falſo Cardanus [5] ingentis ipſas molis fuiſſe, exemplo, ut idem cenſet, ejus, quæ in Minervæ Æde Athenis erat. Sed notat recte Licetus parum diverſas a noſtris, quæ quotidiano uſui ſunt, Priſcorum Lucernas exſtitiſſe; & merito ſane: ita enim ſuadent Neſidea, Olibiana, Piſana, aliæque, de quibus mox dicemus.

Sed Sepulchrales Lucernas in generali dumtaxat hucuſque attigimus. Ut autem propius ad rem accedamus, de Lucernis perpetuo ardentibus

1 In Vitr. l. 5. c. 9. 2 Epiſt. 164. 3 L. 3. Epiſt. 7. 4 Lib. 6. per totum. 5 L. 1. De Subtilit.

A differendum nobis eſt. Qua in re duo conficienda ſunt: primo earum ſtabilienda eſt exſiſtentia; cum a pleriſque aniles inter fabellas & commenta recenſeantur: ſecundo vero probabilior ejus perpetui incendii excogitanda eſt ratio.

Ut autem a primo iſtorum exordium ſit, occurrunt in præliminari priſca, eaque indubitatæ fidei, monumenta idipſum teſtantia. Pauſanias enim cumprimis in *Atticis* aureæ meminit Lucernæ, in quam oleum infuſum ad integrum annum duraret. Non abſimilem, imo & diuturnioris durationis, commemorat in libris *de Oraculorum defectu* Plutarchus, in Jovis Ammonis Templo ardentem. B Ejuſmodi etiam fuit, quæ in Fano Veneris micabat; Auguſtino [1], a nullo tempeſtatum imbriſque impetu exſtinguibilis aſſerta. Ejuſdem farinæ fuit Veſtæ ignis. Huc etiam ſpectat Lucerna Peionis * apud Pauſaniam in *Bœoticis*; Prytanæi apud Gyraldum [2]; Munychiæ apud Strabonem [3]; Vulcani apud Poetam Thebæum [4]; Proſerpinæ in Terentio ſuperius nobis explicato; Pyrethiorum apud Rhodiginum [5]; Mycerini Ægyptiorum Regis apud Herodotum in *Euterpe*: & ſexcentæ id genus aliæ inexſtinguibili igne oppido præditæ.

Verumenimvero, quoniam Scriptorum hac de re nonnullis ſuſpecta viſa eſt fides, C ocularis tandem patrum noſtrorum in vivis adhuc digentium inſpectio dubietatem omnem eliminabit. Cui enim non innoteſcat Lucerna illa, quæ Paulo Tertio P. M. regnante reperta eſt Romæ in Via Appia, e Regione Conditorii M. Tullii? cui hæc Inſcriptio, TULLIOLÆ FILIÆ MEÆ. De hac autem Lucerna retulere foſſores ardentem fuiſſe repertam, ſed admiſſo aere protinus exſtinctam, ſicut teſtatur Guido Pancirolus in ſuo *Rerum Memorabilium deperditarum* libro; cui & ſubſcribit Henricus Salmuth in ad eundem Notis, necnon Hermolaus Barbarus, ac Franciſcus Maturantius, aliique. D Similes huic fuere Lucernæ Ferentillæ in Agro Viterbienſi repertæ, Ruſcellio atteſtante. Alia fuit, quæ in Agro Patavino juxta Ateſtem, Anno M.D. noſtræ ſalutis, inventa fuit intra fictilem urnam ardens inter duas ampullas, cujus Auctor creditur Olibius. Ejus meminere Bernardinus Scardeonius *de Antiquitatibus Patavinis* [6], Gutherius [7], Hermolaus Barbarus in ſuis *Corollariis* [8], Geſnerus, Citeſius in *ſua Aſtinente Conſolentanea*, Petrus Appianus in *Inſcriptionibus*, Porta in *ſua Magia* [9]; Delrius in *Magicis* [10], Ruſcellius, Rubeus, Eritius, aliique. Non minus admirabilis fuit Lucerna altera Anno M. D. L. reperta in Neſide Inſula in E Neapolitano Cratere ſita, quæ rupta, illico exſtincta eſt, ſi fides præſtanda ſit eximio rerum naturalium indagatori Joanni BaptiſtæPortæ [11] Neapolitanorum decori. Alterius etiam meminit ſuo tempore in Monte Quirinali effoſſæ Jacobus Mancinus in epiſtola ad Licetum; quam effoſſores teſtati ſunt a ſe ardentem adhuc compertam fuiſſe: cujus lumen a ſemetipſo viſum ait Volfgangus Lazius [12]. Idem Mancinus aliam etiam commemorat Lucernam Piſanam in ruinis majoris Eccleſiæ adinventam, calentem valde, bitumineque refertam, prout Presbyteri Canonicique ejus Eccleſiæ faſſi ſunt. Bononiæ pariter plures ardentes Lu- F cernas effoſſas fuiſſe teſtantur, Porta [13], Julius Jacobonius in *Appendice de priſca Cæſiorum Gente*, & Hieronymus Ruſcellius *de illuſtrium Virorum*

1 De Civit. lib. 21. cap. 6. 2 Synt. 4. 3 Lib. 9. 4 In Helenæ Raptu. 5 L. 7. c. 29. 6 L. 1. claſſ. 3. c. ult. 7 L. 5. c. 21. 8 L. de Lucer. 9 L. 3. c. 18. 10 L. 1. c. 5. q. 1. 11 Mag. nat. lib. 1. c. ult. 12 L. 2. c. 37. 13 L. 12. c. ult.

* *Pionis* legitur libro cit. cap. 18. ubi tantum dicitur, quod e ſepulchro illius *καπνὸς αὐτόματος ἄνεισιν*, *fumus ſponte exſilit*.

Stem-

Stemmatibus. Sed omnium, quotquot vulgo circumferuntur, celeberrima fuit Pallantis Lucerna, Anno MCCCC. I. ab agricola quodam non longe ab Urbe inventa in Sepulchro lapideo, in quo proceræ staturæ Vir, qui e lancea, pectorisque vulnere, Pallas Arcas creditus fuit. Lucerna hæc nec aquæ injectione, nec flatu exstingui potuit; sed in fundo perforata statim exstincta est. Ejus meminit Martinus in *Chronicis*[1], Joannes Boccacius in *Genealogia Deorum*, Philippus Bergomensis in *Chronico Mundi universali*, & Volaterranus.

Hæc omnia satis superque, nisi fallor, Lucernarum perpetuo ardentium exsistentiam evincunt, nisi quis mala fide affectoque præjudiciis animo experimenta hæc inficiari maluerit; sicut efficit Paulus Aresius in Opere suo *sacrorum Emblematum*, qui nervis omnibus hæc ipsa demoliri curavit, Pallantis præsertim, atque Tulliolæ: tum ex Pallantei Sepulchri Inscriptione, quæ minime videtur illius ævi barbariem sapere; tum quod per ea tempora concremari corpora moris esset; tum quia divitiarum penuria hujusce inconsumptilis olei minime ferret impensas; tum tandem, quod testes pro hujusmodi Lucernis afferri soliti, ex auditu dumtaxat sint, non item ex visu. Quas, iisque affines Aresii dubitationes, apud Licetum[2] erudite ingenioseque prostratas vide. Nobis interea illud ratum omnino sit, plures adesse oculares testes, qui Lucernarum perpetuo ardentium exsistentiam contestati sint: Beltramus imprimis Eques, Cardinalis Estensis nobili servitio addictus, qui sub Paulo Tertio Tulliolæ Sepulchri inventioni adfuit: cui adde eruditum Virum Joannem Baptistam Casalium Romanum, qui in *suis veteribus Christianorum Ritibus*[3] se testem de visu fatetur: ejusdemque census fuit Frater Leander Albertus in *sua Italiæ descriptione*, ubi Joannem etiam Garzonium in testem advocat; ut alios plures missos faciam irrefragabilis fidei Viros. Quare hujuscemodi Lucernarum realitas pro incomperta * omnino habenda est.

Alterum, quod subindicavimus, punctum, qui scilicet hoc Lucernarum genus confici valuerit, fateor non rem parvi esse momenti, nec adeo facile assequibilem; circa eas enim inexstinguibiles flammas plura caligarunt ingenia, earumque fumus haud unius intellectus splendorem obfuscavit. Cum autem res non philologica, verum philosophica omnino sit, nobis satius erit varias hac de re opiniones referre, judiciumque ingenioso Lectori committere. Ergo ingeniorum Phœnix Augustinus credidit Dæmonum opera tamdiu eas Lucernas arsisse. Simon Majolus Vulturariensis Episcopus perennem illum ardorem Divino miraculo attribuit. Joannes Baptista Porta ad vacui fugam, vel penetrationis periculum, quibus evitandis tam enixe natura satagit, confugium tentavit. Franciscus Citesius ad ellychnium ex amianto incombustibili lapide, oleumque e metallis, aut ex amianto ipso eductum, recurrit: cui annuens Volfgangus Lazius auri etiam oleum pinguedinemque subnectit: Andreas vero Libavius pulveres insuper ramentaque Gagatis lapidis addit, supra quæ destillans aquæ gutta, vel vapor, tam diuturnam flammam excitarit. Plutarchus ad ambientis aeris frigiditatem, humiditatemque se recepit, quibus ignis vis, qua oleum consumere solet, retunderetur. Quas opiniones seu hypotheses Licetus integro secundo libro lacertose quidem confutat, suam postea adjiciens, quam utinam pari nervo ipse confirmasset. Supponit enim haud oleum esse, ut vulgo afferitur, ignis pabulum, sed flammæ hoc solum prodesse, scilicet, ut, vin-

A culi compedisque instar, ignem retardet, ne in suam avolet sphæram: Aristotelis scilicet somnio præjudicatus, ignis sphæram supra aerem constituentis, quo ignis ipse pernicissime ferri enitatur. Quare illud tandem concludit, oleum quoddam ex asbesto, & amianto, similique materia confici posse, eam servans cum igne proportionem, ut nec ab eo vinci, nec vincere illum vicissim valeat: quapropter perpetuo nexu societateque æterna cum suo oleo ignis inexstinctus asservandus foret. Quod ingeniosum Liceti placitum Aresius laudato expugnat loco: suam & ipse sententiam (si vera foret B earum Lucernarum exsistentia) exponens; quatenus per canales quosdam, subterranei specus bitumina in Lucernam confluentia, perpetuum ignis pabulum perennarint. Quod Aresii figmentum a Liceto ipso confossum etiam fuit.

In hac ergo contentionum & jurgiorum plena disputatione, duo sunt, quæ mihi præ reliquis arrident. Aut enim perpetuus hic ardor conceditur, aut omnino negatur: si primum, tum dici poterit, mechanicum artificium in hoc constitisse, ut perpetua quadam circulatione, flammulæ fumus sursum elatus, iterum in oleum addensaretur; atque ita replicato iteratoque circulo ignis perpetua- C retur: prout in alembico, & quotidie in Elementis videre est, cum aqua in vapores solvitur; hi iterum sursum in aquas agglomerantur, atque ita deinceps. Si vero lubeat negare hos perpetuos ignes, dici non omnino inepte posse crediderim, flammulas, quæ in Sepulchrorum effossione apparuere, non inibi arsisse semper, sed tum primum, ob aeris irruptionem, erupisse: quatenus e superstite olei unctuositate, aeris vi, igniculi in oleo sopiti, extricari, atque in libertatem educi potuerint, unde momentanea apparuerit flamma cito evanescens; haud profecto absimilis flammulis illis, quas in re- D cens jugulatorum frontibus ipse pluries vidi, e sudoris oleositate erumpentes. Quod si his ne quidem acquieveris, exspectes, precor, quæ in meis *Philosophicis Progymnasmatis*, partim mente conceptis, schedis partim consignatis, si Deus dederit, traditurus sum, ubi magnetem quemdam indicabo, cujus vi aeris nitrum combustioni idoneum attrahi queat.

Syllabus Auctorum.

E MIrum semper mihi visum est, quod Sepulchrales inter Cupressus tot pervolitarint ingeniorum Aquilæ; inque tumulorum oris tot Cycni, affabris quibusdam modulis, tristes nænias cecinerint: dicam clarius, quod tot eximii Auctores de Sepulchris scriptitarint. Ut stupore certe non vacet, pereruditorum hominum animas e Monumentis, Mortis sede, vitam quivisse adipisci; ditesque sapientię thesauros in excavatis hisce scrobibus valuisse effodi; tantamque e cineribus ossiumque ariditate exoriri fecunditatem potuisse. Nisi dicere mavis, novum minime esse, e cineribus Phœnices oriri; aut cineres, ignium ardorem diu asser- F vare incolumem; cineres demum ipsos, si Plinio credamus, mire fecunditatem conciliare. De Re ergo Sepulchraria pertractarunt imprimis Alexander ab Alexandro Neapolitanus in *suis Genialibus Diebus*; sola tamen suimetipsius auctoritate contentus, Auctorum, quibus usus fuerat, nominibus, locisque suppressis; quos postea Andreas Tiraquellus summo labore detexit, declaravitque. Successit Ludovicus Cælius Rhodiginus, & Lilius Gregorius Gyraldus: ex quibus Thomas Porcaccius suo sermone Italico Dialogos una cum variis figuris consarcinavit.

1 Lib. 11. cap. 67. 2 Toto lib. 5. 3 Cap. 32.

* Leg. *comperta*.

Amplissime vero idem Argumentum pertractarunt Joannes Baptista Asinius JC. Florentinus *ad Titulum Digestorum de Religiosis, & Sumptibus Funerum*; Claudius Guichardus Pedemontanus Gallico idiomate: deinde Joannes Meursius Batavus, & Joannes Kirchmannus Lubecensis, qui de Sepulchris nullum non movit lapidem, vixque unum, aut alterum successoribus reliquit. Ab eo omnia pene ad verbum suscepit Joannes Andreas Quenstedt. Sed plura prioribus superaddidit Henricus Spondanus in *suis Cœmeteriis sacris*, tanto equidem Viro dignis. De Jure Manium, Legumque Funerearum interpretatione plura tradidit Jacobus Gutherius Gallus. Non inconcinna reliquere Joannes Baptista Hansenius; Franciscus Peruccius Italico sermone; Julius Lavorius; Onuphrius Panvinius; Florianus Dulphus; Jacobus Gothofredus in *Diatriba de Cenotaphio*; Paulus Aringus in *Roma subterranea*; Henricus de Noris in *Cenotaphiis Pisanis*: Jacobus Gretserus; Franciscus Pomey; Joannes Baptista Casalius; Martinus Gejerus; Fridericus Mullerus; Julius Cæsar Bulengerus in *Imperatore Romano*; Rosinus cum Dempstero; Kippingius; Emmanuel Gonzalez Tellez in *Decretalibus*; Joseph Laurentius in *Polymathia*; Josua Arndius; Joannes Hoornbeekius in *Miscellaneis*; Franciscus de Mendoza in *Viridario*; Joannes a Chokier in *Face Historiarum*; Conradus Brunus; Nicolaus Cragius; Franciscus Ptolemæus; Joannes Hieronymus Soprarius; Joannes Stephanus Menochius in *Republica Hebræorum*; Elias Schedius *de Diis Germanis*; Polydorus Virgilius; Petrus Bellorius; Paganinus Gaudentius *de Funere Heroum, & Cæsareo*; Joannes Senebault; Guillelmus Bernard; Antonius Bosius in *Roma Subterranea*; Joannes Jacobus Chiffletius *de Linteis Sepulchralibus Christi*, & in *Geminiæ Matris Sacrorum Titulo Sepulchrali explicato*; Barthius; Turnebus, aliique. Antiquos omitto, quorum passim in decursu meminimus. De peculiaribus Sepulchrorum locis disputant Antiquarii: sicut de eorumdem structuris Architecti, Albertus præsertim, apud quem plures illorum Icones reperies. De Lucernis tandem Licetus, Aresius, Casalius, Porta, Foxius, Guilandinus, Maturantius, Scardeonius, & obiter alii, quos supra laudavi. Quare fateor inopem me tot Scriptorum copiam reddidisse. Illud nobis satius visum est, e tot sepulchralibus lucubrationibus cineres collegisse, sique nonnullæ superfuere, reliquias, e tot divitum mensis collectas, aut clariori ordine, aut novis etiam quibusdam saporibus conditas, amœniores reddidisse, inque præsenti *Dissertatione*, Parentali velut in Cœna, Tyronum expofuisse stomachis: ut sicut uno in Tumulo plura degunt corpora, unoque in Agro plures Tumuli, ita in sola hac elucubratione tota Sepulchralis structura resideat: de Sepulchralibus enim Ritibus *Tom. 3. Dissert. de Funer.* sicut de Christianorum Sepulturis in mea *Ecclesiastica Antiquitate* sermo erit.

DISSERTATIO VII.

De Ædificiis Judicialibus, scilicet Foris, Basilicis, Rostris, Curiis, Græcostasi, Senaculis, & Comitio.

SAcris locis hucusque a nobis, quantum fas fuit, explicatis, religione quadam affinia fuere ea Ædificia, quæ exercendis Judiciis dicata erant, ut Fora, Basilicæ, Rostra, Curiæ, &c. Isthæc enim quamvis minime sacra, certe sancta habeban-A tur, nec sine Ritibus & Cæremoniis dedicari solebant. De his ergo impræsentiarum ordine servato differendum est.

Ut vero a Foris ordiamur, vox hæc vel a *ferendo* derivatur, sicut sentit Varro [1], quod in Forum merces, tum etiam lites ferrentur: vel a verbo *foras*, eo quod foris essent, & sub dio, ut nonnulli opinati sunt apud Hofman in *suo Lexico*, suppressis tamen nominibus. Isidorus etymon deducit a *fando*, eo quia in Foro litigantes & ementes fari solerent, sicut etiam alii homines otiosi eo loci utplurimum convenire ad confabulandum solent, de quibus Seneca ait, *quibus trina non sufficiunt Fora*. B Verum derivationem hanc reprehendit Alciatus [2], & Polletus [3], quod syllabæ quantitas id minime patiatur, cum prima verbi *fandi* longa sit, *Fori* vero brevis. Quæ reprehensio utrum digna sit tantis viris, an potius Grammaticis, ni dixerim Proscholis, viderint Eruditi. Idem Isidorus Forum trahit a Phoroneo Argivorum Rege, primo fortassis Fori repertore. Quæ etiam derivatio displicet Polleto, *cum non sit verisimile* (sunt ejus verba) *Romanos exteri Regis atque ignoti memoriam, Forique constituti beneficium coluisse, Peloponnesum autem, Achajam, reliquamque Græciam, contempta* C *Regia nomenclatione, non Phoron, sed Dicasterion pro Foro usurpare maluisse*: & post hæc Isidorum vocat *virum non tam eruditum quam bonum*. Ubi certe mirari subit adeo displicuisse Isidorum, nedum Polleto, verum omnibus pene Philologis; fortasse quod Monachum, cellæ austeritatibus assuetum, amœniori litteraturæ ineptum existiment: cum e contra multa Monachorum solertiæ, eorumque Scholis debeant bonæ Artes, Latinæ præsertim Linguæ candorem, emortuarumque disciplinarum restitutionem: Isidoro cumprimis, qui *suo Etymologico*, quibusdam licet nævis respersο, eruditionibus tamen refertissimo, magnam lucem An-D tiquitati feneratus est. Unde portentum illud eruditionis Panvinius in principio sui *Operis de Circensibus Ludis* ingenue ait, *nec parum adjutus sum Isidori Etymologiarum libris*. Et ut propius ad rem nostram accedamus: idem Isidorus in Fori explicatione laudatur in Capite *Forus* de Verborum Significatione. Sed id obiter, & abs re, in qua versamur. Ut in viam redeamus, omittendus non est Nonius Marcellus, qui notat Forum masculino genere dici apud Lucilium & Salustium: sed magis vere ex Festo crediderim Forum masculini generis locum quemdam navis significasse, ut paulo post dicetur. Italis Forum dicitur *la Piazza*. Apud Græcos Fo-E ra dicebantur Διγαςήεια, *Dicasteria*, quorum Athenis, ex Solonis institutione, decem exstitisse notant Comici Interpretes, singula litteris quibusdam inscripta, ut in quo quisque Foro judicaturus esset, dignosceretur, sortitione antea facta. Sed hæc nihil ad nos.

Diu vocibus hæsimus. In re autem, sex Fori species adducit Festus, *Primo*, inquiens, *Forum erat negotiationis locus. Secundo, in quo Judicia & Conciones haberi solerent. Tertio, cum is, qui Provinciæ præest, Civitates vocabat, & de controversiis cognoscebat, & Forum agere dicebatur. Quar-*F *to, Forum Antiqui appellabant, quod nunc Vestibulum Sepulchri dici solet. Quinto, locus in navis; sed tum masculini generis est, & plurale. Sexto, Fori significant Circensia spectacula.* Sed nos omissis reliquis, de iis tantum Foris dicemus, quo res ferebantur, ut Varronis etymo insistamus. Quæ duorum fuere generum: alia enim ad Urbis splendorem, vel civilia negotia; alia ad communes populi usus & negotiationes, de quibus infra specialis erit sermo.

1 L.4.de L.L. 2 Lib.2.disp.c.24. 3 Hist.For.Rom.l.1.c.1.

Ut vero rem altius repetamus, Forique originem & diversitatem magis profunde vestigemus, scire oportet Forum primis temporibus in Urbe aliud non fuisse, quam aream vacuam, quo merces tum etiam esculenta deportabantur, emptoresque confertim conveniebant negotiorum causa. Occasione autem conventuum, inicebantur in Foris ipsis Judicia & Conciones ad populum; tum præsertim cum iis celebrandis non adhuc Basilicæ & Curiæ invectæ essent. Hinc Forum pro judicialibus rebus usurpari cœptum, & Tribunalia Fori nomine appellata; imo Jurisdictio ipsa eadem voce exprimi solita: dicimus enim Forum Laicale, & Ecclesiasticum, Forum conscientiæ &c. Quamtumvis vero Judicia in Foris exercerentur, erant tamen adhuc ipsa rudia, inculta, ornatusque omnis expertia; in quibus proinde Judiciorum majestas squallescere, ni etiam sordescere videretur. Quare cogitatum fuit Porticus, Atria, aliasque Aulas, quæ Basilicæ dictæ sunt, Foris adjicere, quo judicia translata, decentius tractarentur. Atque hinc invecta est distinctio Fori pure venalis, & ad communem populi usum & necessitatem, a Foro Judiciali, quod etiam splendorem & majestatem Urbi conciliaret.

Ex quibus jam perspicue apparet Fori usus. Primus enim fuit, res inibi venales exponere, & negotiationes exercere: lites deinde ibidem agitare, conciones habere, otiososque homines per apertam Fori aream obambulare: ludos denique, non exstructis adhuc Amphitheatris, eodem loci celebrare, sicut alias dicam.

Sed jam ad generaliora quædam alia, quæ Fora ipsa attinent, explananda pergamus. Et primo occurrit Fororum figura; quam Vitruvius [1] ita determinat: *ut longitudo in tres partes cum divisa fuerit, ex his duæ partes ei dentur*, sicut infra luculentius exponetur. Amplitudo Fori non poterat certo definiri, cum a situ ipso dependeret. Ejusdem ornamenta, Porticus nimirum, Columnæ, Peristylia, Antæ, Statuæ, aliaque id genus, in peculiari cujusque Fori descriptione explicabuntur.

Superest nunc, ut Fororum numerum recenseamus. Decem ea fuisse opinatus est Rufus; Tredecim Alexander ab Alexandro; Septemdecim Victor; Panvinius vero Novemdecim: quorum ista sunt nomina, nempe nobiliora, Romanum, Cæsaris, Augusti, Nervæ, Trajani, quibus & adderem Sextum Antonini. Minus nobilia erant Boarium, Piscarium, Piscatorium, Olitorium, Suarium, Pistorium, Argentarium, Archimonium, Sallustii, Cupedinis, Domitii Ænobarbi, Diocletiani, Aurelium, Cælidii, Gallorum, Rusticorum, & Macella, quæ inter Fora quoque adnumerari valent. Hic vero antequam illustriorum eorumque negotiis dicatorum descriptionem aggrediamur, venalia Fora, eaque minus splendida, delibanda sunt: atque una Emporia & Areæ, cum hæc sæpenumero in idem conveniant: breviter tamen, & velut per saltum; *Dissertationis* enim titulus Judicialia dumtaxat Ædificia complectitur.

Boarium ergo Forum, ut ab hoc exordium prætexamus, ita appellatum vulgo creditur, vel ab ænea Bovis figura [2] in medio collocata; vel quod ibi boves vendi solerent [3]. Ejus situs Donato & aliis vulgo fuisse existimatur inter Aventinum & Tyberim; ita ut latitudo ejus fuerit a S. Georgii Æde ad Aventinum ipsum; longitudo autem a Circo Maximo ad Sanctæ Mariæ Pontem. At verosimilius opinatur Nardinus [4] Forum hocce Tyberim non attigisse, summum vero Scholæ Græcæ Ædem: aliter siquidem per Circum Maximum majori sui parte transeundo, inepte a Rufo atque Victore in octava Regione fuisset collocatum, cum Circus ad undecimam pertinuerit. Boarium Forum ad Sancti Georgii Ædem pertigisse, indicio est tum ejus Ecclesiæ appellatio, quæ *ad Vellum aureum* vocatur, tum propinqui Arcus Inscriptio, ubi in fine sic legitur, *Argentarii & Negotiantes hujus loci devoti, &c.* quæ verba, negotiorum locum, consequenterque Forum fuisse eam Aream declarant. Erat hic rotundum Herculis Templum; item Matutæ, & Fortunæ, atque Pudicitiæ, ut alibi: Arcus item Quadrifrons, qui & Janus dici solitus, ut paulo post dicam. Præter rerum venditionem, Gladiatoria etiam exerceri munera hoc eodem in Foro moris fuisse, testem habemus Valerium [1]. Hic item, belli tempore, tumulare solebant Romani masculum atque feminam ex ea Regione, cum qua bellum gerebatur, ex Plinio [2]. E Boario Foro in Piscarium erat introitus, quod Varro prope fluvium locat. Hinc Donato creditur secundum Tyberim usque ad Urbis mœnia, juxta Sancti Nicolai in Carcere Ecclesiam, excurrisse: at longe melius Nardino, prope Sancti Eligii Sanctique Joannis Decollati Templa; cui & ego subscribo. Hoc in Foro, præter pisces, alia etiam vendi solebant. Diversum tamen fuit ab altero Foro, *Piscatorio* appellato, quod a M. Fulvio Censore exstructum testatur Livius [3]: hoc enim juste ab Antiquariis in Transtyberina Regione constituitur, ubi suos Piscatorios ludos a Piscatoribus celebrari solitos alibi tradam. Piscario proximum fuit Olitorium, ab oleribus, quæ in eo vendebantur, ita nuncupatum. Extra Urbem fuisse ex Livii, quem modo laudavimus, loco evincitur, qui Spei Templum, quod extra Carmentalem Portam exstitisse communiter asseritur, in Olitorio collocat Foro: præcisus autem ejus situs erat inter Marcelli Theatrum, Tiberim, & Flumentanam Portam, hoc est, inter Pontem *di quattro Capi* & Sabelliorum Domum. Hic erat Columna illa *Lactaria*, ubi infantulos lacte alendos deponere moris erat, ex Fasto. Ibidem, sicut & in Capitolio, vendi solebant sub hasta plurimæ res, ex Tertulliano [4]. Erat hic Templum Pietatis, item Jani, aliaque, de quibus alibi dictum est.

Præter hæc Fora, quæ conjuncta pene erant, sese offert Suarium, seu, ut ex prisca legit Inscriptione Panvinius, *Siarium*; quod ab omnibus pene Antiquariis eo loci reponitur, ubi nunc Lucensium extat Ecclesia, vulgo *i Capuccini vecchi*: cui argumento est proxima eaque antiqua Ædes Sancti Nicolai, quæ *in Porcis* appellitatur. Vendebantur hic aut sues, aut suillæ etiam carnes. Forum Pistorium a Domitiano excitatum, sed vero terminatum a Trajano post firmatum a se Pistorum Collegium, credi rite potest in Testaceo Campo exstitisse, in quo, aut prope quem, frumentaria Horrea collocanda esse dicam *Dissert. de Cib. & Pot.* Forum Argentarium, Panvinio commemoratum, idem forsan fuit cum Argentariorum Basilica, quæ in *Notitia Imperii* legitur, ubi argentea vendebantur ornamenta, in octava Regione eo loco, quem *la Salita di Marforio* appellamus, ut bene sentit Nardinus. Archimonium Forum prope Fontem *di Trevi*, ubi Sancti Nicolai Ædes, olim *in Archimoniis* vocata, nunc *a Capo le Case*. Forum Sallustii eo loci, ubi nunc Sanctæ Susannæ Templum, ut ex Actis ejus Divæ colligitur. Forum Cupedinis, vel, ut apud Symmachum, Cupedinarium, aut in Subura, aut in Via Sacra, Palatinum versus, constituitur. Vendebantur ibi esculenta lautiora, quæ *cupes*, aut *cupedia* a cupiditate, nisi fallor, dicebantur. Aliam affert denomina-

1 L.8.c.1. 2 Tac.12.Ann. 3 Liv.lib.2. 4 L.5.c.10.

1 L.2.c.4. 2 L.28.c.2. 3 L.10.Dec.4. 4 Apol.c.13.

tionem ex Varrone Donatus; fertur enim duos fuisse Romæ latrones, Cupem, & Macellum, quibus in exsilium missis, dirutisque eorum Ædibus, in illarum sitibus binas comparatas fuisse areas, in quibus esculenta venderentur, quæ ab eorum nominibus dictæ sint, a Cupe quidem, Cupedinis Forum, a Macello vero, Macellorum nomen invectum: quæ derivatio nescio cur Benedicto Millino in Manuscriptis displicuerit, cum non tam Donatum quam Varronem habeat auctorem.

Alia Fora, quæ Panvinius adducit, lubens omitto, cum nec apud ipsum, nec apud alios illorum explicationem compererim. Quare opportunius erit nonnihil de Macellis paulo ante memoratis, necnon de Emporiis, brevissime attingere. Duo fuisse Romæ Macella, certior res est quam ut probatione egeat; unum scilicet in Esquiliis non longe a Sancti Viti Ecclesia, quæ hinc *in Macello* appellata fuit; alterum in Cælio, quod *Macellum Magnum* vocatum legitur. Præter hæc duo, multa Romæ exstitisse certum est. Macellum enim erat locus quilibet, ubi nedum carnes, sed & pisces venderentur, aliaque hujusmodi, sed illa dumtaxat his nominibus insignita reperio: alia etenim dicebantur Fora, aut Emporia. Erant hæc, loca illa, ubi confertius res venales exponebantur. Principale Emporium prope Campum Testaceum fuisse, ob commodiorem rerum per Tyberim transvectionem, alibi dicam. At in insignioribus Viis sua erant Emporia, quæ & Fora nil dici vetat, ut in Subura, Via Sacra, &c.

SECTIO PRIMA.

De Foris Judiciorum exercitio dicatis.

EXpeditis minoribus Foris, quæque præter nostrum sunt argumentum, congruum jam est, ut Judicialia Fora expendamus: & primo omnium *Romanum* sane antiquissimum. Urbem quadratam Romuli suum habuisse Forum dubitatione omni prorsus caret: quis enim sibi suadeat consultissimum Romulum, Politiæ Urbis summe inhiantem, Foro abstinuisse? Quoniam vero nulla ejus apud Scriptores exstat memoria, silentio etiam a nobis præteritur. Addito Urbi, post Sabinorum unionem, Capitolino Monte, novum Forum apertum est; quod, aut quia primum, aut quia amplum, antonomastice Romanum Forum imposterum, invectis etiam aliis, appellatum est. Dictum etiam fuit Latinum, sive Latium: item Palladium ab Æde Palladis, quæ in eo fuit: præterea Vetus, & Magnum.

Antequam hujus magnitudo, figura, & ornamenta explicentur, situs ipse determinandus est. Cardinalis Baronius [1], quem sequutus est Justus Ryquius de Capitolio scribens, opinatus est Forum Romanum ad Ædem Sancti Nicolai, cognomento *in Carcere*, locatum fuisse. Nititur potissimum Baronius Livio [2] sic de Tullio Rege loquenti, *Carcer ad terrorem increscentis audaciæ media Urbe imminens Foro ædificatur*. Si ergo Carcer in Foro ædificatus fuit, jam Forum ipsum (de Romano est sermo, tempore enim Tullii Regis aliud utique non erat) prope Carcerem constituendum est, & consequenter prope Sancti Nicolai Ædem, ubi Tullianum Carcerem exstitisse, cognomentum ipsum Sancti Nicolai *in Carcere* indicat. Argumentum vero hoc adeo robustum Ryquio [3] visum est, ut concluserit, *si quis contra sentiat, nihil sentiet*. Verum, petita venia ab Eminentissimo Baronio, de Ecclesiastica Antiquitate optime quidem merito, pro ra-

1 Non ad Martyrol. ad diem 14. Martii. 2 L. 1. 3 De Capitol. c. 47.

A to mihi est singularem hanc suam opinionem nullo prorsus modo posse defendi. Cujus tamen accuratiori impugnatione consulto abstineo, cum operam hanc nimis lacertose navarit Pompejus Ugonius, & novissime Pater Donatus [1]. Quare nobis sat erunt ea, quæ mox afferemus ostensuri situm Romani Fori inter Palatinum & Capitolinum Montem fuisse, satis certe remotum a Sancti Nicolai Æde.

Baronii autem opinio facile corruet, si ejus fundamentum diruatur. Falso ergo supponit Baronius Tullianum Carcerem in Æde Sancti Nicolai *in Carcere* exstitisse, cum potius in altera Æde Sancti Petri, cognomento *in Carcere*, sub Capitolio locan- B dus sit. Cujus demonstrationem ex ipsismet Livii verbis peterem, qui Tullianum Carcerem *in media Urbe* fuisse ait. Quis autem ita insaniat, ut Ædem prædictam *in media Urbe* dixerit, quippe quæ prope Theatrum Marcelli, in Montanario Foro sita, extra Portam Carmentalem, ipsamque Urbem erat? Urbis enim mœnia, usque ad Aurelianum, ad Montanarium Forum minime pertigisse, *Dissert.* 3. satis ostendimus. Ædem e contra Sancti Petri *in Carcere* meditullium antiquæ Urbis occupasse, habitatis scilicet undique montibus, ex eadem *Dissertatione*, ubi prisca mœnia determinavimus, liquidissime con- C stat. Esto igitur alius Carcer eo loci exstiterit, ubi nunc Sancti Nicolai Ædes visitur, diversus tamen fuit a Tulliano, quem Livius *prope Forum in media Urbe* locavit. Et forsitan ille est, quem P. Victor in Regione IX. Carcerem CL. XVIR. appellavit, quæ notæ aut sonant, *centum sexaginta virorum*, vel *Claudi Decemviri*. Nec dicant Baronii asseclæ Ædem Sancti Nicolai, *in Carcere Tulliano*, aliquot ab hinc annis appellatam esse. Hæc enim appellatio apud imperitum vulgus rudibus sæculis invaluit, contra marmoreæ Tabulæ fidem, quæ prope Templi hujus fores hodieque visitur, ubi hæc verba: *Ego Romanus Presbyter divinæ dispensatio-* D *nis gratia Sanctissimi Confessoris Christi Nicolai, & Ecclesiæ quæ in Carcere dicitur Procurator & Rector*: ubi nullum *Tulliani* additamenti apparet vestigium.

Expugnata Baronii Machina, superest Marlianus [2], & cum eo non pauci, qui Romanum Forum excurrisse ajunt per Campum, qui dicitur *Vaccino*, ad Titi Arcum usque. Tantam vero longitudinem antiquiorem non facit Marlianus Augusti temporibus, quippe quem Forum ampliasse credit, ex Suetonio [3] male a se intellecto, cum antea vix primas Palatini Montis radices, ubi nunc Sanctæ Anastasiæ Ædes, attigisset. Nituntur ipsi potissi- E mum Halicarnassei [4] verbis, qui asserit, *Valerium Publicolam habitasse in Colle Velia, qui Foro imminebat*: Veliam vero prope Titi Arcum exstitisse pro incomperto sibi habet Marlianus. Sed vero eum non fuisse Fori Romani situm, inde apertissime constat, quod Templum Pacis, & Faustinæ, hodie Sancti Laurentii in Miranda, a Rufo & Victore non ad Forum, sed ad Sacram Viam exstitisse dicantur. Diversam quinimo Regionem obtinuisse; Forum enim in Regione VIII. locatur, prædicta autem Templa in Regione IV. Accedit his, omnia Ædificia, quæ planitiem Vaccini Campi olim im- F plebant, quæque a nobis *Dissert. de Dom. & de Templis* explicata sunt, aperte quidem suadere Forum, quod utique libera area esse debebat, per illum non excurrisse.

Argumentum Marliani falsum supponit, Veliam scilicet prope Arcum Titi exstitisse. Id quod quantum a vero abhorreat, ex ipsomet Marliano ita deducerem. Inquit enim ipse, ab Augusto ad Arcum Titi protensum fuisse Forum; quod licet mihi falso sit dictum, (Suetonius enim nunquam ait Fo-

1 L. 2. c. 19. 2 L. 3. c. 1. suæ Romæ 3 In ejus Vita. 4 L. 5.

rum Romanum ab Augusto ampliatum, sed alterum Forum Romano propinquum ab eo Principe exstructum fuisse) pro re tamen nostra satis est ita Marlianum credidisse. Tempore igitur Publicolæ, qui longe Augustum anteceslit, ad Arcum Titi Romanum Forum non pertigisse necesse est. Et tamen cum asseruit Halicarnasseus, *Domum Publicolæ fuisse in Velia ad Forum*, clare, nisi fallor, indicavit Forum ad Domum Publicolæ, & consequenter ad Veliam usque excurrisse. Velia ergo certe aberat a Titi Arcu: si enim hic exstitisset, jam Romanum Forum, quod usque ad Veliam traxit Halicarnasseus, ad Arcum Titi pervenisset Publicolæ tempore ante Augustum, quod Marlianus inficiatur. Advocet ipse propitiam Ariadnem, ut ab hac labyrintho se expediat. Circa situm Veliæ legatur Nardinus [1] clare ostendens in eo Palatini latere fuisse, quod Ecclesias Sanctæ Mariæ Liberatricis & Sancti Theodori respicit; in quo situ nos Forum locabimus.

Situs ergo Romani Fori in ea Valle fuit, quæ Palatinum & Capitolinum Montes interjacet. Veritatem hanc ab Antiquariis pene omnibus subscriptam, multis argumentis stabiliverunt Ugonius [2] & Donatus [3]; quæ hic adducere ab re existimo, tum quia satis sunt obscura & prolixa; tum quia res hæc tanti non est ut pluribus opus habeat. Unus sufficiat Livii locus [4], qui Sabinum Bellum describens ait: *Metius Curtius ab Sabinis Princeps ab Arce decurrerat, & effusos egerat Romanos tanto quantum Foro spatium est, nec procul jam a Porta Palatii erat.* Porta ergo Palatii in Foro. Illam vero in ea Palatini parte exstitisse, qua Capitolinum respiciebat, *Differt.* 3. dictum est. Inter utrumque igitur Montem Forum locatum erat. Videantur quæ attulimus initio *Differt.* 3. ubi Urbis quadratæ gyrum ex Tacito determinantes, ad Vallem inter utrumque Montem sitam eum terminasse ostendimus: quare cum Tacitus finem mœnium in Foro constituerit, consectarium erit, ut in ea Valle Forum ipsum constituatur.

Ad idipsum suadendum novam adderem conjecturam ex Vitruvio [5] petitam. Hic enim Fori symmetrias exponens ait, *Græci in quadrato Fora constituunt*. Ad Romanos paulo post deveniens inquit, *non eadem ratione est faciendum*: scilicet Urbis Forum non potuisse quadratam figuram obtinere; & rationem addit, *ideo quod a majoribus consuetudo tradita est Gladiatoria munera in Foro dari.* Ex quibus postea concludit, *igitur circum spectacula spatiosiora inter columnas distribuantur*. Et tandem Fori figuram determinat inquiens: *Latitudo autem ita finiatur, uti longitudo in tres partes cum divisa fuerit, ex his duæ partes ei dentur: ita enim oblonga erit ejus formatio, & ad spectaculorum rationem utilis dispositio.* Hæc Vitruvius: ubi anceps diu fui in assequendo Vitruviani textus germano sensu. Satis quidem percipio ampliora, quam apud Græcos, esse debuisse Urbis Fora, quod in iis Gladiatorii ludi inirentur. Illud vero mihi difficultatem ingerebat, quod, ut Fori amplitudo obtineretur, opus fuerit a quadrato recedere, oblongaque uti formatione, ut *ad spectaculorum rationem utilis foret dispositio*. Quid enim impedimento fuisset, ne Forum quadratum quidem esset, unaque amplissimum? Dubium hoc, quod a Vitruvii Scholiastis omissum animadverto, facem prætulit conjecturæ, qua Fori situs dignosci apertissime possit. Cum hæc scriberet, animum intendebat Vitruvius ad vetus Romanum Forum; quod cum inter duos montes locatum esset, nec potuerit ejus latitudo, obsistentibus montibus, ampliari, optimo sane judicio asseruit Vi-

1 Lib.4. c.4. & lib.6.c.12. 2 De Station. Urb. 3 Lib.2.c.16.& 17. 4 Lib.1. 5 Lib.8c.1.

A truvius debuisse oblongum constitui, ut longitudine latitudinis jacturam compensante, necessaria ludis amplitudo obtineretur. Quod si in Vaccini Campi planitie, aut alibi, ubi collium saxea pertinacia minime restitisset, Romanum Forum, sicut ait Marlianus, Baronius, aliique, fuisset, inepte desperasset Vitruvius amplitudinem Fori cum quadrata figura conjungere: Vaccini enim Campi area utrumque sane passa fuisset; eo vel maxime, quod primis Romæ temporibus ea planities minime habitaretur. Concludatur itaque, necessitatem ipsam constituendi Forum oblongum, clarissimo indicio esse, nusquam alibi, quam inter Palatini Capitoli- B nique Montis angustias fuisse locatum. Unde prætereunda non est docti cæteroqui Philandri oscitantia, qui cum Vaccino Campo Forum locasset, dubium tamen hoc minime persensit.

Figura Romani Fori, ex modo allatis Vitruvii verbis, quænam fuerit, apertissime constat. Ex tribus enim longitudinis partibus duæ latitudini concedebantur. Philander non improbat, *si Forum duplæ erit longitudinis ad latitudinem*. Sed id contra Vitruvii mentem, quem illustrandum ipse, non oppugnandum susceperat.

Stabilito Fori situ, & figura facile erit ejusdem C mensuras determinare. Latitudo fuit eadem, quæ inter Palatinum & Capitolinum montem adhuc visitur. Id quod ex vestigiis ipsis, quæ adhuc exstant, indubitanter colligi ait Nardinus [1]. Tres enim Columnæ Ædi Sanctæ Mariæ Liberatricis proximæ, Arcus Severi, & altera, quæ prope ipsum erigitur, Columna, clarissime indicant antiqui Fori latitudinem. Quod si ex Vitruvio longitudo tertia parte latitudinem superabat, perspicuum est Forum ab Æde Sancti Hadriani incipiens, oppositam Sanctæ Mariæ, quæ dicitur *della Consolatione*, minime attigisse; ad summum vero Ædiculam S. Mariæ Gratiarum. Quam longitudinem illud confir- D mare videtur, quod Ædes Sanctæ Mariæ Liberatricis dicta etiam fuerit *Sancti Silvestri in Lacu*, inde, nisi fallor, quod Lacum Curtium respiciat. Cumque hic Lacus meditullium Fori occupaverit, ut mox addam, par est, ut dicamus situm prædictæ Ædis, Fori Romani medietatem olim occupasse; quod si hodieque longitudo, quam supra indicavimus, rite perpendatur, eandem Sanctæ Mariæ Liberatricis Ædem in medio ejus constitutam comperiemus.

Sed age, jam investigemus Fori ornamenta. Primis Urbis temporibus præter puram putam aream nullo ipsum ornamenti genere fulgebat. Atque hoc E eodem squallore usque ad Tarquinium Priscum Regem permansit. Hic enim primus Forum Porticibus cinxit [2]. Non est tamen existimandum in Theatri modum Porticibus continuato ductu coronatum, quod magnam Fori portionem occupabat; ab altera vero Tabernæ & Templa. Quare jure conjici potest in illis dumtaxat vacuitatibus, quæ Tabernas & Templa interjacebant, additas a Tarquinio Prisco Porticus. Id quod Halicarnasseus [3] indicasse videtur, qui de Tarquinio ait: *Forum mercatorum ac fabrorum tabernis cingens, aliis ornamentis nobilitavit*: ubi nullam habuit specialem Porticuum mentionem. Livius etiam, *circa Forum*, ait, *Por-* F *ticus, Tabernæque factæ*; quæ argentariæ utique fuerunt. Tractu temporis Tabernæ Templis & Basilicis locum cessere: unde Livius [4] ait, *septem Tabernæ, quæ postea quinque &c.* Quod ad Porticus pertinet, erant ipsæ concameratione duplici, nixæ columnis, aut pilis Tiburtini lapidis, cum suis epistyliis: iis enim temporibus non adhuc marmoris usus, ut *Differt.* 4. ex Plinio docui. Cum ludi ederentur, ornari solebat Forum statuis

1 Lib.5.c.2. 2 Liv.lib.1. 3 Lib. 4 Dec.3.l.5.

& picturis [1]. Cæsar carbasinis velis Forum texit, ut spectacula innoxie conspicerentur. Idem præstitit Octavia Augusti soror, ut salubrius litigantes consisterent [2]. Sed aliter sensit Cato Censorius, qui litium osor, ne litigantes hoc Forum frequentarent, ipsum muricibus stravit, sicut ait Plinius [3], muricum nomine intelligens acutos lapillos, sicut Nonius interpretatur. Ut eadem spectacula commodius a populi multitudine inspici possent, exstruebantur tabulata & subsellia, de quibus Vitruvius, *circum spectacula*, inquit, *spatiosiora intercolumnia distribuantur, mœnianaque superioribus coaxationibus collocentur*: ubi Philander [4] notat, *coaxationes dixit pro tabulatis, ab axibus, id est, a tabulis*.

In medio Fori erat Colossus Equestris Domitiani ex ære inauratus: de quo Statius cecinit: *Quæ superimposito moles geminata*, (alii legunt *geniata*, alii *gemmata*) *Colosso, stat Latium complexa Forum, &c* Hic Colossus post Domitiani funus jussu Senatus sublatus fuit. Alias statuas vide apud Panvinium, quarum illæ duodecim Deorum Consentium inauratæ omnem admirationem superabunt [5]. Plures in Foro columnas exstitisse indubitatum mihi est, eo quod antiquior sit columnarum usus quam statuarum, ut dicam *Tom. 2. Dissert. de Trophæis*. Memoria solum exstat Pilæ Horatiæ, cui affixa erant Trigeminorum Horatiorum spolia [6]: item Columnæ Milliariæ in Capite Fori constitutæ, ad quam omnes Italiæ viæ desinebant, ut vidimus ex Plinio *Dissert.* 3. In eodem Foro prope Rostra Columnam exstitisse, in cujus apice solare horologium, Plinius [7] testatur: sicut etiam Columnam Mæniam, & Duiliam, de quibus idem alibi [8].

Lacus Curtius medium Fori locum occupabat. Lacus hic Curtius dictus est, quod Metius Curtius Sabinus in eo naufragium passus fuerit [9]. Hic Lacus creditur fuisse vorago illa repentino hiatu horribilis, in quam Curtius Romanus Eques se armatum projecit, ut, juxta Oraculi monitum, statim clauderetur [10]. Aliis existimatur locus fulmine tactus, proindeque ob Religionem a Curtio Consule clausus; numquam enim visus est aquas continere: unde de eo Ovidius ait [11],

—— *siccas qui sustinet aras*.

Ibidem erat olea, vitis, & ficus, quarum frondentibus ramis populus ab æstivi Solis ictibus se tueretur [12]. Fuit in Foro Cloaca Maxima prope Lacum Curtium, quem ab illa exsiccatum existimat Varro. Non longe a Cloaca erant Doliola, *ubi*, sunt Varronis verba, *non licet despuere: eorum duæ traditæ sunt historiæ, quod alii esse ajunt ossa cadaverum, alii Numæ Pompilii religiosa quædam post mortem ujus infossa*. Donatus [13] ex Livio [14] credit eum locum ita appellatum, quod invadentibus Urbem Gallis sacra quædam doliis inclusa ibi recondita fuerint, de quibus nos *Dissert.* 2. Verum Doliola hæc Livii, non in Foro, sed in Quirinali locanda esse alibi tradam. Ædificia & Templa, quæ circa Forum erant, *Dissertat.* 4. & 5. lustravimus. De Tabernis dicam *Tom. 3. Dissert de Artibus*. Basilicas Fori comites infra explicabimus. Ejus tandem situs ex superioribus satis liquet.

Sed tempus adest, ut a Romano ad Cæsaris Forum transeamus. Aucta Civibus Urbe, cum ampliori Foro opus esset, antiquum vero adjacentia circum Ædificia dilatari minime paterentur, aliud Cæsar aperuit eo tempore, quo in Gallia bellum gerebat; ut ita indicaret Cæsaris munificentiam potuisse miracula etiam e longinquo patrare. Suetonius inquit aream Foro destinatam a Cæsare coemptam *sestertium millies*, id est, aureorum duobus millionibus cum dimidio. Quam hyperbolicam summam quis sibi valeat persuadere? eo præsertim quod Cæsaris Forum magnificentia quidem, at non situs amplitudine, enituerit. Hinc Leonardus Portius apud Brodæum [1] *mille* legendum putat, *non millies*: idque confirmat Baptista Egnatius ex Plinio; & Polletus ex eodem: cujus verba hæc sunt: *Pyramides Regum miramur opera, cum solum tantum Foro exstruendo sestertiis mille ducentis emerit Cæsar.* Quam summam, ait Polletus, imparem omnino esse priori, cum ex ea tantum triginta millia coronatorum redigantur. Sed Lipsius Plinii textum aliter affert, non enim habet *sestertiis mille ducentis*, ut apud Polletum, sed *sestertiis millies*, qui numerus idem est cum Suetoniano. Utri credendum sit, judicium penes Lectorem esto. Mihi quidem uterque textus mendo non caret, cum tantus excessus insolens videatur modico solo coemendo: nec difficile admodum fuit imperitis Scribis *millies* pro *mille* reponere: & nos *Dissert.* 3. jam vidimus quot hujusmodi depravationibus obnoxius fuerit Plinii textus.

Hujus Fori situm Antiquarii quidam [2] in eo collocant spatio, ubi nunc Ædes Sancti Laurentii in Miranda, & Templum Pacis. At falso: hæc enim loca a Rufo & Victore in quarta Regione constituuntur, Cæsaris autem Forum in octava. Præterquam quod Forum hoc eousque translatum, Romano proximum minime fuisset, prout vulgo traditur: nec Ovidius Jani Templum jure dixisset utrique Foro conjunctum. Quare saniori quidem consilio reponendum illud existimo inter Sancti Laurentii in Miranda & Sancti Hadriani Ædes; itaut Templum Sancti Hadriani, quod initium erat Romani Fori, Cæsariani fuerit finis; dicam melius, utriusque nexus: quibus si proximum Nervæ Forum addideris, jure Anastasius Sancti Hadriani Templum *in tribus Foris* valuit nuncupare.

Fori hujus si capacitas inspiciatur, non magna equidem fuit: at si ornamenta, porticus, columnæ, & statuæ intercolumniis positæ, jure asserere potuit Dio [3], *Forum Cæsar exstruxerat Romano pulchrius*. Habuit hic Cæsar statuam loricatam; cum Romanæ militum ac Ducum statuæ thoraces forent, ut ait Plinius [4], & nos *Tom. 2. Dissert. de Statuis*. Cæsaris equus ex ære, suo, quo usus fuerat, persimilis: de quo Suetonius ait: *Pedibus prope humanis, & in modum digitorum ungulis fixis, eumque non patientem sessoris alterius, primus adscendit*. Suspicatur Donatus [5] hunc equum a Lysippo antea Macedone factum, transtulisse Cæsarem, mutatisque ungulis, suæ statuæ accommodasse. In medio Fori erexit Cæsar Veneri Genitrici Templum, a qua per Æneam & Julum originem jactabat; illudve exstruxit, ut votum solveret, quod ante Pharsalicum bellum conceperat [6]. Huic Templo *Cleopatra per illustrem Deæ imaginem contulit*, sunt Appiani verba *; qui etiam

1 Ascon.in 4.Verr. 2 Suet. in Vita. 3 L.19.c.1. 4 In Notis ad hoc c. 5 Varro de Re Rust. l. 1. 6 Halic.l.3. 7 L.7.c.ult. 8 L. 34.c.5. 9 Liv.l 7. 10 Varro 4.de L.L. 11 L.6.Fast. 12 Plin.lib. 15.c.18. 13 L.2.c.20. 14 Lib. 5.

1 In Notis ad Poll. de Foro c.3. 2 Fulv. & Marlian. 3 L. 43. 4 L.34.c.5. Cap.21. 6 Appian.de Bello civili l.2.

* Fallitur Auctor; nusquam enim reperiuntur apud Appianum, cujus Græca sunt, *Κλεοπάτρας τε εἰκόνα καλὴν τῇ θεῷ παρεστήσατο, ad deæ latus egregiam effigiem Cleopatræ statuit*, scil. J. Cæsar, ubi ne gry quidem de donario Cleopatræ; unde liquet eam nihil contulisse, sed tantum J. Cæsarem illius Reginæ effigie Venerem exornasse, de quo silet Auctor: qui sic festinans & parum sollicite circumspiciens, Scriptorum loca perperam citat.

addit, ad ejus latus statuam etiam Cleopatræ fuisse. Eidem Templo addidit Cæsar thoracem ex Britannicis margaritis: item sex dactyliothecas, id est, gemmas plures, quasi thecam gemmarum 1. Ajacis etiam & Medeæ picturæ præ cæteris micabant. Columnæ cujusdam rostratæ meminit Quintilianus, de qua re nos alibi. Adhærebat Templo Atrium, de quo disputant Antiquarii. At mihi creditur idem fuisse cum Basilica, ob structuræ similitudinem, ut mox videbitur. Atrium Libertatis, quod hic videtur a Tullio collocatum, existimaverim fuisse potius in Aventino.

Superest nunc ut Augusti Forum describamus. Princeps hic, Cæsaris non modo in Imperio, verum etiam in ipsa munificentia hæres, animadvertens duo, quæ descripsimus, Fora ne quidem auctæ multitudini sufficere, tertium addidit e suo nomine appellatum. Situm erat prope Cæsaris Forum, ut ab illo usque ad Capitolium & Ædem Sanctæ Martinæ protenderetur, e postica scilicet hujusce Ædis parte. Quare Sancti Hadriani Templum tria hæc Fora complectens, merito ab Ecclesiasticis Scriptoribus, *in tribus Foris*, dictum est. Hinc laudata superius Fora pro uno eodemque accepit Statius 2, illudve *trinum Forum* appellavit. Si ejus spectaveris molem, angustum fuit; quam tamen angustiam eximiæ Augusti moderationi attribuit Suetonius, inquiens: *Forum angustum fecit, non ausus extorquere possessoribus proximas Domus*. Si vero splendorem & pulchritudinem metiaris, augustum sane fuit, & tanto Principe dignum: unde *inter præcipua ejus opera* dicitur Suetonio, & a Plinio 3 inter quatuor admirabiliora Urbis Ædificia recensetur. *Causa exstruendi fuit hominum & Judiciorum multitudo, quæ videbatur, non sufficientibus duobus, etiam tertio indigere*, ut idem Suetonius loquitur; qui sic tandem concludit, *itaque festinantius publicatum est*. De qua festinantia salsum narrat lepidissimi Augusti scomma Macrobius 4, *Cum*, inquiens, *multi, Severo Cassio accusante, absolverentur, & Architectus Fori Augusti exspectationem operis diu traheret, ita jocatum esse, Vellem, Cassius & meum Forum accusasset*: quasi subindicans, quod si illud Cassius accusasset, absolutum statim fuisset: ubi æquivocationis lepor jucunditate non caret.

Ornamenta hujus Fori, Augusti magnificentiam æquabant. Duas habuit Porticus in oppositis lateribus: in Alis enim exstabat hinc Martis Templum, inde vero Basilica. Templum rotundum erat, Marti Ultori dicatum, cui ipse voverat in Philippensi Bello, quod cum Bruto & Cassio gesserat ex Suetonio. Templi hujus fastigium Statuis Deorum insigniebatur, quas elegantissime, more suo, descripsit Ovidius 5: magis insignis fuit Apollo ille eboreus a Plinio memoratus; apud quem & plures Tabulas pictas ejusdem Fori videsis. Insuper *Statuas omnium Ducum Romanorum triumphali effigie in utraque Fori sui Porticu dedicavit; Professus edicto commentum id se, ut ad illorum velut exemplar, & ipse, dum viveret, & insequentium ætatum Principes exigerentur a Civibus*, ut ipse ait Suetonius. Qui Romani Duces mihi creduntur fuisse Reges tum Albæ, tum Romæ ab Ænea usque deducti. Ab Hadriano postea restauratum, ornatu etiam auctum fuit, Simulachris scilicet e Græcia adductis, ut testatur Spartianus.

Usus Fori hujus fuit Judiciorum celebratio, ex Suetonio, qui ait: *In eo sic publicato cautum est, ut separatim publica Judicia & sortitiones Judicum fierent*. Martis Ludi inibi editi. Carmina item recitata, ut alia id genus prætercam.

1 Plin.l.9.c.35.& Lib.37.c.1. 2 L.4.Sylv. 3 L.36.cap.5. 4 Sat.l.2. 5 L.5.Fast.

A Post Forum Augusti, paulo remotius a Romano, fuit Nervæ Forum. Excitatum fuerat a Domitiano: eo autem occiso, Nerva successor perfecit ac dedicavit, ex Suetonio. Ejus situs fuit ab Augusti Foro usque ad Quirinalis radices, ubi nunc Ædes *de' Grilli*; cujus indicio est ingens e quadratis lapidibus murus, qui hodieque visitur, quique in partem Templi Sancti Basilii commutatus est. Pertinuisse vero ad Nervæ Forum inde liquido constat, quod elapsis annis Nervæ nomen in eo muro legeretur, ut ex Inscriptione, quam affert Faunus, videre est. Non procul ab eo muro tres proceræ Columnæ, quibus Campanaria Turris Ecclesiæ Sancti

B Basilii imposita est, reliquiæ esse dicuntur Templi Nervæ, quod utique in ejus Foro juxta antiquum morem fuit. Superioribus annis eodem in loco columnæ majores imposito epistylio, fastigioque exstabant, adjecto titulo, IMP. NERVA, quæ deformatæ, Paulo Quinto regnante, in tabulas sectæ, ad Janicularem Aquæ Bracchianæ Fontem exornandum translatæ sunt.

Forum Nervæ appellatum fuit *Transitorium*, non quia per illud in alia Fora transiretur, ut sentit Marlianus, & alii; id enim non erat hujus solum Fori proprium; sed quia Jani Templo insigniretur, cui

C quatuor inerant Portæ, sive Arcus: hanc enim formam Quadrifrontis Jani Templa sibi vendicabant: Jani autem hujusmodi quadrilateri *Transitiones* dicebantur; quod transeuntibus semper paterent, sicut *Differt. 3.* indicavimus. Hoc Jani illustre Templum Nerva ex humiliori Delubro in Forum transtulerat, ex Martiale 1. Ædem quoque Palladi ibi exstruxit Domitianus, quam velut sibi propitiam præcipue colebat; hinc *Palladium* Nervæ Forum dictum est, ex Aurelio Victore in *Nerva*. Ex his duobus Templis illud Palladis crediderim in medio Fori exstitisse; Jani vero quadrifariam pervium potius in transitu aditu que fuisse:

D id enim videtur huic Deo tributum, quod extrema conjungeret.

Forum Nervæ ornatissimum fuisse, illud persuadet, quod ædificatum fuerit a Domitiano, æmulatione quadam Cæsaris & Augusti. Accessit Alexandri Severi liberalitas eidem Foro exornando valde profusa; de quo audiatur in *ejus Vita* Lampridius; *Statuas Colosseas, vel pedestres, vel equestres locavit omnibus cum titulis, & columnis æreis, quæ gestorum ordinem continerent exemplo Augusti*. Credit Lipsius columnis additas etiam Porticus; deceptus, nisi fallor, Pausaniæ verbis, qui Tecti me-

E minit, & Camerationis æneæ: deceptus, inquam, (& cum eo Fulvius, ac Marlianus) loquitur enim ibi Pausanias de Trajani Foro, ut ex contextu ipso apparere potest.

In Foro Nervæ non solum Judicia exercebantur, verum etiam Rei quandoque mulctati sunt. De Vetronio enim Thurino, qui acceptis muneribus, multa, Imperatoris nomine, petentibus falso promiserat, sic idem Lampridius: *In Foro Transitorio ad stipitem illum ligari præcepit Alexander, & fumo apposito necavit, præcone dicente; Fumo punitur, qui vendidit fumum*.

F Sed vero sileant jam enarrata hucusque Fora, & Trajano, seu Ulpio nuncupato, omnium magnificentissimo, locum & sedem cedant. Hujus situm velut testis omni exceptione major confirmat immanis, ni dicam enormis illa Cochlis, *Trajani Columna* vulgo appellata, quæ hodieque visitur inter Capitolini & Quirinalis Montis radices. Cum enim Architecturæ leges dictent in meditullio Fori illam collocandam fuisse, necessarium est, ut circa ipsam Trajani Forum collocemus. Utriusque Collis abruptæ crepidines parvam sane aream Foro re-

1 Lib. 10. ep. 21.

linquebant; at hic enituit Trajani munificentia: complanata enim Quirinalis parte, & æquatis vallibus, latam planitiem, ipsa reluctante natura, comparavit, insignis illius Architecti Apollodori opera. Idipsum indicat Columnæ Inscriptio, quæ in ejus basi legitur: nam post Trajani titulos, hæc sunt verba: *ad declarandum, quantæ altitudinis mons, & locus tan... bus sit egestus*. In cujus postremo versiculo, cum aliquæ desint syllabæ, quarum defectum punctis adnotavimus, ita illas supplet Egnatius, *tantis opibus*; Marlianus *tantis operibus*; sed optime omnium ad rem nostram Donatus, *tantis ex collibus*; nec dissimiliter Janus Gruterus, *tantis ruderibus*. Hæc enim loquendi formula reperitur etiam in Inscriptione Arcadii & Honorii, ubi ita legitur, *ob instauratos muros egestis immensis ruderibus*, *&c.* Columna hæc alta pedes C. XXVIII. exprimit in extima facie, sculptura anaglyptica admirandi operis, facinora Belli Dacici, post quæ a Trajano feliciter gesta, a Senatu ei dedicata fuit. Continet II. M. D. hominum figuras partim integras, dimidias partim, præter equos, arma, aliaque insignia; omnia vero una manu unoque scalpro insculpta, sicut periti dijudicant. Unica hæc Columna loco multorum voluminum esse posset Eruditis: exhibet enim antiqua sacrificia, pugnas, victorias, trophæa, & hujusmodi sexcenta: ut merito in tot Hieroglyphicorum explanatione summi Viri insudarint, præsertim Petrus Ciacconius, Petrus Bellorius, & Raphael Fabrettus, quos omnino legi velim. In Columnæ apice Colossus Trajani stetit hastam tenentis, atque auream pilam, in qua ejusdem cineres recondidit Hadrianus, insolenti equidem favore, cum eo temporis extra Urbem recondi solerent, ut adnotatum nobis est *Dissert.* 6. Eminet nunc Divi Petri Simulachrum, qui Trajano summe illustrior, non Romanum Imperium, devicta Dacia, sed debellatis Inferis, cæleste Regnum propagavit.

Trajani Fori ornamenta non mediocrem vulgaremque eloquentiam poscerent. Attendatur emphasis Cassiodori 1, *Trajani*, inquit, *Forum*, *vel sub assiduitate videre miraculum est*. Quo nihil efficacius concipi ad elegantiam potuisset: pulcherrima enim quæque in assiduo adspectu fastidiunt: Accedat Marcellinus, qui de Constantio ait 2: *Cum ad Trajani Forum venisset*, *singularem sub omni cælo structuram*, *etiam Numinum assensione mirabilem*, *hærebat attonitus*, *per gigantæos contextus circumferens mentem*, *nec relatu effabiles*, *nec rursus mortalibus appetendos*. Ex quibus verbis nonnulli opinati sunt singulas Atrii columnas crassitudine ac celsitate Cochlidem, quæ exstat, æquasse: qui enim alii esse potuerunt *gigantæi contextus*, *nec relatu effabiles*? Sed meis diebus dubietas omnis sublata est, vidi enim ipse ingentium columnarum non modica fragmenta in Æde seu Monasterio Sanctæ Susannæ excavata, e quibus, ceu tot unguibus, qualis fuerit leo apparet: vix enim a Cochlide superantur. Tradit Pausanias Tectum, & Camerationes, Arcus, Epistylia, & Coronas ex ære fuisse; sicut & Statuas in Fastigiis positas æneas inauratas, præter Gellium, Numismata etiam Trajani ostendunt. De Templo id negat Donatus. In medio Fori ingens assurgebat equus ex ære, Trajanum ferens, cui cum similem condere vellet Constantius, respondit ei Hormisda Persa, *at prius stabulum tale condas*, sicut testatur Ammianus: ex quibus verbis colligit Nardinus 3, equum non in Foro, sed intra Basilicam exstitisse; aliter enim inepte se gessisset Hormisda, stabulum Foro, quod sub dio erat, comparando. Sed his minutiis non est immorandum; comparationes enim, & metaphoræ, sat est ut in aliquo conveniant.

1 Lib. 1. var. Epist. 2 Lib. 16. cap. 10. 3 Lib. 5. cap. 9.

A Habuit idem Forum, ut & alia, Templum & Basilicam, de quibus infra: item & Bibliothecam, quam Diocletianus in suas Thermas transtulit, ut alibi: item Arcum Trajano ipsi erectum, ut *Tom.* 2. *Dissert. de Trophæis*.

Auxerunt postea Fori pulchritudinem alii Cæsares: nam Marcus Antoninus iis Nobilibus, qui Bello Germanico interierant, Statuas in Foro Ulpio collocavit, & Alexander Statuas summorum Virorum in Foro Trajani erexit, *undique translatas*, ut ait Lampridius. Duarum, quæ fuerant omnium præclarissimæ, meminit Pausanias, scilicet Augusti Cæsaris ex electro & Nicomedis Bithyniæ
B Regis ex ebore. In Bibliotheca eidem Foro adjacente Arcadius & Honorius Statuam Claudiano Poetæ erexerunt, ut verus demonstrat Inscriptio: sicut Victorino Rhetori Constantius, ex Hieronymo 1.

Præclarissimum Trajani Forum, præter Judiciorum usum aliis etiam Foris communem multis insuper illustrioribus exercitiis insignitum fuit. In Basilica enim Ulpia novi Consules Kalendis Januarii servos manumittere solebant. Hadrianus gratiam hominum aucupaturus, pecuniam, quæ Fisco debebatur, debitoribus remisit, & syngraphas incen-
C dit in Foro Trajani, *quo magis securitas omnibus roboraretur*, ut ait Spartianus. Ibidem tabulas publicas, ad privatorum securitatem, exuri jussit Aurelianus. Marcus vero Antoninus profecturus ad Bellum Marcomannicum, exhausto ærario, in Foro Trajani *auctionem ornamentorum Imperialium fecit*, *vendiditque aurea pocula*, *& crystallina*, *& murrhina*, *vasa etiam Regia*, *& vestem uxoriam sericam*, teste Capitolino in *ejus Vita*. Hic tandem Commodus, cum togam sumpsit, congiarium dedit, ex Lampridio.

Quinque descriptis hucusque Foris sextum adderem Antonini; quod eo loci locatum fuisse omnino
D crediderim, qui hodieque *Platea Columnæ* appellatur, ab exstante adhuc columna, quæ a Senatu Antonino Pio erecta creditur ex Numismate apud Erizzum, ubi columna visitur cum his litteris, DIVO PIO. Quoniam vero sculptum in ea cernitur Marcomannicum Bellum a Marco Antonini successore gestum, cujus indicio est pluvia ibi expressa, quam Christiana Legio miraculose inter ejus Belli ardores a Deo impetrarat, (licet Romani prodigium suo Jovi attribuerint) hinc inferunt Eruditi hanc columnam a Commodo post Marci mortem exstructam: quam Sixtus Quintus restauravit, D. Pauli signo in ejus apice collocato. Utut sit, con-
E gruum est, ut credamus tam vastam columnæ molem suo etiam Foro non caruisse, una cum Templo, cujus meminit Victor; & Basilica, quam Donatus ibi exstitisse putat, ubi nunc Platea *di Pietra*, cui argumento esse credit marmoreas, quæ adhuc visuntur, columnas cum epistyliis; sed de his jam satis.

SECTIO SECUNDA.

F *De Basilicis*, *Rostris*, *Curia*, *Græcostasi*, *Senaculo*, *& Comitio*.

Mansimus diu in Foris sub dio: in commodiorem nunc locum nos Basilicæ invitant. Dictum nobis sæpius, post Romanam gentem moribus excultam, inque civiliorem politiam redactam, e Foris ad Basilicas translata Judicia, suam majestatem resumpsisse. Hinc singulis Judicialibus Fo-

1 In Chron.

Foris adjunctæ Basilicæ; unde Vitruvius [1] ait: *Basilicarum loca adjuncta Foris, quam calidissimis partibus oportet constitui, ut per hyemem sine molestia tempestatum se conferre in eas negociatores possint*. Basilicarum nobilitatem vox ipsa demonstrat: *Basilicam* enim *Regiam Domum* sonat. Hinc recte Isidorus [2], *Basilicæ*; ait, *prius vocabantur Regum habitacula, unde & nomen habent*: ideoque merito Philander [3] infert, initio loca fuisse, quo convenirent Principes ad jus dicendum; postea vero quam additum est Tribunal, Basilicam negotiatoribus cessisse, Tribunali magistratibus relicto: de qua re mox sermo redibit. Erat ergo Basilica locus spatiosus, tectus, ornatus, Judiciisque peragendis dicatus.

Admodum tamen sero Basilicæ in Urbe invectæ. Anno enim D. XXXIII. ab V. C. in Consulatu Marcelli & Levinii non agnitas adhuc Basilicas testatur Livius [4], qui de hoc anno ait, *neque enim tunc Basilicæ erant*. Portiam, quæ omnium prima creditur, eo quod ante illam nullius prorsus exstet mentio, conditam fuisse Anno D. LXIV. in Consulatu L. Portii & P. Claudii, testis est idem Livius, qui de hoc anno inquit, *Balisicamque ibi fecit, quæ Portia appellata est*. Hujus exemplo aliæ ædificari cœperunt, nedum publicæ, verum etiam privatæ in Principum domibus, privatis scilicet Judiciis exercendis dicatæ, de quibus nos *Differt. 4. de Domibus*.

Sed age, Basilicæ formam perscrutemur. Fuit ipsa Ædificium, quod duplici, aut quadruplici columnarum ordine, Medianam testudinem simplici, vel duplici hinc atque inde Porticu cingebat: ita Daniel Barbarus [5]: sed longe clarius Leo Baptista Albertus [6] Basilicæ formam ita explicat: *quo esset Basilica quidem laxior, primariis tectis non sufficientibus, circum addidere Porticus patulas hinc atque hinc, primo simplices, mox etiam duplices*. Habebat præterea Tribunal in capite, ostio oppositum, ubi paries curvabatur, vel pari, vel minori, quam semicirculi flexu; eaque flexura *Tribunal* dicebatur, ubi Judicia exercerentur.

Ut autem descriptio hæc magis ob oculos pateat, augustiorum nostri temporis Templorum, quæ Navibus, ut vocant, prædita sunt, exemplar nobis proponamus; ut est Lateranensis Basilica: sicut enim dicam mox, sua Templa e priscis Basilicis Christiani mutuati sunt. Ut ergo Lateranense Templum mediam habet Navem, hinc verò atque hinc minores Naves; ita Gentilium Basilicis inerant in longitudine Ambulationes, Vitruvius vocat *Medianam*: additæ e lateribus, alarum instar, Porticus, aut simplices, seu singulis lateribus una, ut in Templo Sanctæ Mariæ Majoris videre est; aut duplices, in lateribus scilicet singulis binæ, sicut in Laterano. In his Porticibus ii, qui ad negotiandum convenerant, spatiabantur. Tecta ut plurimum testudinata erant, pilis, columnisque innixa. Locus ille, quem in nostris Templis Latini *Apsidem*, Itali dicunt *la Tribuna*, Gentilium Basilicarum Tribunali respondet, ut nomen ipsum indicare videtur. Erat vero muri flexus in Basilicæ capite ad hemicycli formam, ut hodieque in primariis Romæ Templis videre est.

Ea erat communium Basilicarum forma. Nobilissimæ autem præter binas hinc inde Porticus, & Medianam Navem, habebant insuper transversam Ambulationem secundum Tribunalia, quam laudatus Albertus sic explicat: *Et junxere hasce Ambulationes inter se lineamento ducto ad T litteræ similitudinem: itaque Basilica ex Ambulatione constat atque Porticibus*. Transversam hanc Ambulationem Itali in suis Templis appellant *la Nave Croce*. Ob quam Crucis similitudinem, exstructis a se Templis, eam, quam in Lateranensi inspicimus figuram, tradere voluit Constantinus, & Papa Silvester, quippe sub cujus auspiciis de hostibus Constantinus triumphaverat. Relictis interim Christianis Ædibus, de quibus in mea *Eccles. Antiq.* dicam, Vitruvium audiamus, qui ait: *Sin autem locus erit amplior in longitudine, Chalcidica in extremis constituantur, ut sunt in Julia Aquiliana*.

[1] L. 5. c. 1. [2] In Etym. [3] In cit. Vitr. loc. [4] Lib. 6. [5] In cit. Vitr. loc. [6] L. 7. c. 14.

In voce autem *Chalcidica*, quam Vitruvius affert, non parum insudarunt, tum Vitruvii Interpretes, tum Architecti ipsi. Barbarus *Chalcidica* pro Thermis capit; perinde ac si iniquorum quorumdam Causidicorum maculæ aquis purgari possent. Alii apud Philandrum pro officina cudendis pecuniis illam eandem acceperunt; minori sane errore, lites enim & Judicia magnam habent cum pecunis affinitatem & sympathiam. Sanissime omnium Donatus de transversis illis Ambulationibus Vitruvium interpretatur, quas ideo *Chalcidica* appellasse conjicit, quod e Chalcide nobili Eubœæ urbe illas acceperint Romani, cum antea simpliciori opere Basilicas suas struerent: vel ad ostendendam ejus operis excellentiam, Chalcide enim splendide ædificari solebat; unde Arnobius ait, *scribuntur Dii vestri in Tricliniis cælestibus, atque in Chalcidicis aureis cœnitare*. Atque hinc etiam Minervæ Templum, ab Augusto exstructum, ob eminentiam *Chalcidicum* dictum fuit, ut alibi. Ita Donatus [1] docte quidem, sed omnia ex Philandro. Quod si meam quis sententiam poposcerit, ego sane do manum Donato & Philandro; pro certo habens *Chalcidicarum* nomine transversas illas Ambulationes Vitruvium intellexisse. Ad præcidendas tamen tricas atque ambages existimaverim corrigi commode posse Vitruvii locum, si pro voce *Chalcidica* reponatur *Causidicæ*, quod illic, prope quippe Tribunal, confertius turmæ Causidicorum versarentur, ut mox dicam.

In explicando Basilicarum situ non est cur diutius immoremur: erant enim *Foris conjunctæ*, sicut ait Vitruvius: aut e lateribus, aut etiam in medio, prout loci opportunitas postulasset. Earum ornamenta ad structuram pertinentia, ut Columnas, Pluteum, Epistylia, Zophoros, Coronas, Parastatas, & hujusmodi sexcenta, satis explicat Vitruvius supra laudatus, eorum etiam mensuras & proportiones determinans; a quibus abstineo, cum puram putam Architecturam sapiant. Illud in compendio nosse sit satis, cinctas fuisse Basilicas Porticibus concameratis, ex coaxatis contignationibus immissis in Parastatas, columnis, aut pilis adjunctis, supra quam contignationem altera est, & superior Porticus, cujus Tectum testudinatum aliis postibus, parastatis, & arctariis sustinebatur. Medium spatium, & quasi superior Porticus, *Pluteus* vocabatur, qui in utrumque latus per intercolumnia peristyliorum liberum habebat prospectum. Parastatæ vero duplices erant ad latitudinem Porticus, sicut & columnæ perpetuo scaporum ductu ad Basilicæ latitudinem. Ita P. Victor eam Fori Basilicam describens, cujus Architectus fuerat Vitruvius. Interim Basilicæ proportiones ab eodem Vitruvio [2] ita stabiliuntur: *Earum latitudines ne minus quam ex tertia, ne plus quam ex dimidia longitudinis parte constituantur, nisi loci natura impedierit*.

Ex enarratis Basilicæ partibus Naves destinatæ erant negotiatorum discursantium itibus reditibusque; hinc *Ambulationes* appellari solitæ. *Chalcidica*, seu juxta nostram emendationem *Causidicæ*, proprior erant Causidicorum Rhetorumque locus, quippe cum prope Tribunal forent. In Tribunali

[1] Lib. 3. cap. 25. [2] Lib. 5. cap. 7.

consistebant Judices, tum Ordinarii, tum Delegati; Patroni insuper; Cognitores, Notarii, aliique Officiales, una cum testibus. Ibi erant subsellia minorum Judicum, at sella Curulis pro majoribus, de quibus fuse dicam *Tom. 3. Dissert. de Judiciis*. Præter ornamenta fixa, ut columnas, parastatas &c. Porticus ipsæ & Naves alia fere ornamenta non habebant. Pars longitudini obversa, quam nos appellavimus *Causidicam*, metallis præterea, marmoribus, aliisque pretiosiorum lapidum crustis & operibus fulgebat, quod proximior Tribunalibus foret.

Ut præcipuarum nunc Basilicarum censum adnectamus, recolendum, quod supra innuimus, primam, quæ Romæ visa sit, fuisse Basilicam Portii. Marcus enim Portius Cato Censor in antiquo Foro, coempto Mœnii Atrio, suam Basilicam ædificavit; ex multis vero Mœnianii Atrii Columnis, unam sibi Mœnius reservavit, ubi tignis superimpositis, & extrorsum projectis, ludos in Foro spectaret: unde imposterum similes tignorum projecturæ *Mœniana* appellari cœperunt. Non paucos post annos accessit Basilica Sempronia in Vico Tusco: & multo post, Basilica Opimia in Foro, prope Curiam & Græcostasim, de quibus mox. Item in Foro Romano Basilica Julia, & Pauli Æmilii, *Phrygibus columnis insignita*, ut ait Plinius: imo hanc duplicem fuisse, ex Tullio colligitur. Basilica Caii & Lucii, ab Augusto eorum nomine condita, creditur exstitisse prope Sanctæ Bibianæ Ædem, ubi sphæricus visitur fornix, lateritiis nixus parietibus, quem Fulvius ait suo tempore appellatum *Galluzii Thermas*, id est, Caii & Lucii. Sed his refragatur Nardinus, eo quod sphærica forma Basilicis insolens, Templorum vero propria fuerit; unde sphæricum Sanctæ Bibianæ fornicem, Templum Minervæ Medicæ credit; Basilicam vero Caii & Lucii eam esse potuisse suspicatur, ubi nunc Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ sacra est Ædes. Basilica Pompeii suo theatro adnexa prope Ædem Sancti Caroli de Catenariis erat. Suam habuit Trajanus in proprio Foro. Gordianus in Campo Martio pedum mille. Antoninus in Platea *di Pietra*. Suam instituerat Severus inter Campum Martium & Septa Agrippina, longitudine pedum mille, itaut tota columnis penderet: quam opere complere haud potuit, morte nimirum præventus, sicut Lampridius testatur.

Sed, relictis Basilicis, alia Judiciorum loca nobis lustranda sunt. Occurrunt vero primo omnium Rostra. Quid hæc fuerint Livius [1] declarat. Devictis enim per C. Mœnium anno V. C. cccc. xvi. maritima classe Antiatibus, naves eorum partim in navalia Romæ subductæ, partim incensæ, *Rostrisque earum suggestum in Foro exstructum adornari placuit, Rostraque id Templum appellatum*. Verumenimvero nolim quemquam hic cum Blondo decipi, amplum quoddam Ædificium sibi Rostra effingendo, quod Templi nomine a Livio ea insignita fuerint; Templa enim dici meruere, quippe sacra & inaugurata, ut initio hujus *Dissertationis* admonuimus. Cæterum aliud ea non erant, quam simplex Pulpitum, aut Suggestus, qui *Tribunal* Plinio [2] dicitur ita inquienti, *antea Rostra navium Tribunali præfecta* * *Fori decus erant*. Dicam clarius, consistebant Rostra in Sede quadam basi innixa, ut ex Numismate PaliKani apud Augustinum [3] clare apparet.

Sita fuisse Rostra in medio ipso Fori, indicat manifeste Appianus [4], cum ait, *Μαρίου τὴν κεφαλὴν ὁ Σύλλας ἐν ἀγορᾷ μέσῃ πρὸ τῶν ἐμβόλων θέμενος*, &c. *Caput Marii a Sylla suspensum ad Rostra in medio Fori*. Idemque haud dissimilibus verbis asseruit de Faustuli capite Halicarnasseus. Neque hinc credat quispiam Fori medium hic pro centro capi: ibi enim collocatis Rostris, jam dimidia Fori pars, quæ post orantem erat, (in Rostris enim conciones ad Populum fieri solitas mox addam) conventibus Populi inutilis omnino fuisset; quis enim orantem a tergo inspiceret? Locanda ergo sunt non in media Fori area, sed in alterutrius laterum medietate. At cujus, inquis, lateris? Ejus-ne, quod Palatinum, an quod Capitolium respiciebat? Cum Asconius Rostra *prope juncta Curiæ* asseruerit, Curiam vero ad Palatini Montis latus exstitisse infra demonstraturi sumus, jure sane optimo huic eidem lateri Rostra adhæsisse judicabimus. Cumque Fori medietatem ostensum superius sit eo collimasse, ubi nunc Sanctæ Mariæ Liberatricis visitur Ædes, congruum omnino est, ut hic demum Rostra ipsa constituerimus; itaut Oratores Palatino terga, frontem Capitolio, e qua parte populus Foro aderat, verterint. Quod si oppositum ex Plutarcho in *Gracchis* colligi posse videatur, quod ille de Cajo Oratore, tamquam rem insolentem, narret, ita concionatum, ut non ad Senatum & Comitium, ut mos erat, sed ad Forum conversus, consisteret: consideret opus est Cajum hunc in Comitiis pro lege ferenda orasse; in quibus casibus fateor Oratores non ad Forum, sed ad Senatum & Comitium verti solitos; ibi enim Senatores congregati aderant: cæterum in aliis casibus res aliter, ut ante dictum est, se habebat.

Hæc de veterum Rostrorum situ. Quoniam vero apud Rufum & Victorem, in Regionum Urbis descriptione, Rostra numero II. notata conspiciuntur, hinc suspicati sunt nonnulli, plura Rostra Romæ exstitisse. At male; ex Scribarum enim imperitia mendum hoc in libros Rufi & Victoris irrepsisse, inde colligi potest, quod Dio & Asconius, Rufo & Victori synchroni, translata quidem, at non multiplicata, dixerint Rostra. *Erant*, inquit Asconius [1], *Rostra non in eo loco, quo nunc sunt, sed ad Comitium, prope juncta Curiæ*: Dio vero [2]: *Suggestum, quod in medio Fori tunc erat, translatum fuit ad locum, ubi nunc conspicitur*. Sed quo, inquis, translata, & a quo? Transtulit illa Julius Cæsar, sicut idemmet Dio affirmat: hinc *Rostra Julia* ab eodem appellantur. Summa equidem id factum sagacitate, ut ita Rostra in magis angustum locum adsportando populi auctoritatem paulatim imminueret, postea omnino pessumdandam. At quo adsportata? Consulendus est Suetonius, qui de Augusti funere loquens ait: *Bifariam laudatus est, pro Æde Divi Julii a Tiberio, & pro Rostris sub veteribus*, vel, ut aliqui corrigunt, particula *sub* e medio sublata, *veteribus, a Druso*. Ex quibus inferri certo potest, nova Rostra pro Æde Divi Julii, ubi Augustus a Tiberio laudatus fuit, exstitisse; funebres enim laudes in Rostris haberi solitas mox dicam; id quod Dio clarius asseruit, qui de eodem funere scripsit, *ex aliis Rostris, Juliis nuncupatis, Tiberius publice ita oravit, &c.* Ædem autem Julii sub Palatino Colle fuisse, prope angulum Fori australem, tradidimus *Dissert. 4. de Domibus*. Huc ergo vetera Rostra translata sunt.

Rostrorum usus multiplex fuit. Hic Rhetores orabant, agebantque causas; conciones ad populum habebantur, nedum ab Oratoribus, sed ab ipsis adhuc Consulibus in principio & fine sui magistratus; ferebantur hic etiam leges; Defuncti ibidem laudabantur, fatali lecto pro Rostris collocato, ut suis locis fuse dicam. Tractu temporis, grassantibus Romæ seditionibus, *Capita cæsorum*, sicut loquitur Florus, *proponere in Rostris jam u-*

1 L. 8. 2 L. 26. c. 4. 3 L. 2. Dial. 4 Bell. Civ. 1.
* Leg. *præfixa*.

1 In Miloniana. 2 L. 43.

sitatum erat : verum sic quoque Civitas lachrymas tenere non potuit, cum recisum Ciceronis caput in illis suis Rostris videretur, nec aliter ad videndum eum, quam solebat ad audiendum concurreretur: Antonius enim præcisum Oratoris caput, ubi ille eodemmet anno adversus eum dixerat, poni curavit: idemque de Octavio Consule fecerat Marius. Unde merito ita conqueritur Plinius: *Antea Rostra Fori decus erant, veluti Populo Romano corona imposita: Postquam vero Tribunitiis seditionibus calcari ac pollui cœpere, tum a pedibus eorum subiere in capita Civium Rostra*. Cæsari in aurea sella pro Rostris sedenti, Ludosque Lupercales spectanti, Antonius Consul diadema imposuit, Regnique obtulit insignia, sicut nos ipsi in *Dissert*.2. diximus. Prope Rostra, plerosque insignes viros Statuas equestres habuisse, ex historiis liquet, Syllam præsertim, Pompejum, & Augustum, de quo Paterculus ait, *qui honor non aliis per trecentos annos, quam Pompejo & C. Cæsari contigerat*.

Sequitur nunc, ut Curias ingrediamur. Curiæ nomen a *cura* derivatur, ex Varrone [1]: licet aliis a Græca voce Κυρία, *Curia*, quæ concionem primo, deinde locum, ubi Magistratus creabantur, significabat: Canonistis vero a *cruore* vocabulum trahitur. Principio vox hæc sonabat unam e triginta illis partibus, in quas Romanum Populum Romulus distribuit, quæ & Curiæ appellatæ sunt: postea vero Ædem Sacram, in qua unaquæque Curia sua sacra curabat: postremo autem locum omnem, in quo Senatus Rempublicam curare solebat: in qua posteriori significatione ad præsens pertinet argumentum, quod Judicialia Ædificia complectitur: de Curiis enim, in quas Pop. Rom. divisus fuit, dicam *Tom*.2. *Dissert. de Jur. Pop. Rom.* Curiæ tandem, ubi sacra sua exercebant, idem prorsus erant cum Templis, de quibus *Dissert*.5. dictum satis est. Usus ergo Curiarum, de quibus hic est sermo, erat potissimum pro Magistratuum creatione, concionibus, aliisque Judiciis publicisque actibus peragendis. De earum structura nihil certi apud Auctores reperire fuit: mihi nihilominus creditur rudes olim fuisse, nec ad modum Basilicarum columnis, antis, peristyliis, porticibusque excultas; ita enim Vitruvius in suis *Architecturæ* libris utique earum meminisset; sed potius ad modum Exedrarum, seu magnorum Conclaviorum, ut essent excipiendo Civium numero idoneæ.

Circa numerum Curiarum, earumque situm, nonnulla est controversia. Hæ vulgo recensentur: Curiæ veteres, Hostilia, Calabra, Pompeii, Pompiliana, Iulia, Augusti, Gerusia, Octaviæ, Leucadia, ac Saliorum, ut apud Alexandrum ab Alexandro [2] brevi exaratas calamo legimus: quibus ego Præturam Præfentissimam adjicerem: ut Græcorum Curias missas faciam, scilicet, Cholargeam, Phylaidarum, Prytanion &c. Illas tamen a laudato Auctore indicatas, nostrum erit liberaliori manu describere, situsque earum proprios pervestigare.

Ut a veteribus Curiis incipiam, dictum nobis superius fuit *Dissert*.3. in Palatino eas exstitisse, in illo scilicet ejus Collis angulo, qui D. Gregorii Templo opponitur; quamvis non desint nonnulli, qui ad Titi Arcum easdem collocaverint; & alii prope S. Petri in Vinculis Ædem: at falso, ut mox apparebit. Atque has Curias antiquissimas existimo, a Romulo ipso in Urbe sua quadrata excitatas; sicut nomen ipsum subindicat, Tacito [3] enim *Curiæ veteres* appellantur. Quamvis vero eo loci innuere videatur Tacitus, ante Urbem conditam veteres Curias adhuc fuisse; quippe cum, primam Urbis designationem explicans, dicat, *sulcum designandi Oppidi ad Curias veteres* pervenisse: id tamen figurate Tacito usurpatum existimem, quod figuræ genus, *Hysteron Proteron*, seu *anticipationem* Rhetorici appellitant: cui meæ opinationi præter Festum mox afferendum, illud indicio esse potest, quod inquiat ibidem Tacitus, *sulcum* ipsum *ad Forum Romanum* terminasse; quod tamen ante Romulum minime exstitisse, certo certius est. Quas meas conjecturas quanti valent, vendere velim.

Aucta vero Urbe, aliis Curiis opus erat. Quare, sicut ait Festus, *novæ Curiæ proxime Compitum Fabricii ædificatæ sunt, quod parum amplæ erant veteres a Romulo factæ*. Quas novas Curias satis ad rem Nardinus [1] in prima Regione Capena, ubi Vicus, Compitumque erat Fabricii, constituit. Sed hæc nihil ad nos: loquitur enim ibi Festus de sacris Curiis, ubi sacrificia curabantur, ut supra dictum est. Successit ergo Hostilia Curia a Tullio Hostilio Rege erecta. De ejus situ disputarunt amica concertatione Alexander ab Alexandro & Pomponius Lætus, sicut ille laudato testatur loco. Occasionem vero disputationi attulit vetus Lapis in ruinis Templi Pacis effossus, cujus hæc erant verba, IN CVRIA HOSTILIA: unde in Pacis Templo eam exstitisse credi jure poterat, sicut Fulvius & Marlianus postea credidere. Sed ego quidem nolim in Lapidem huncce ingenia offendere, atque a recta veritatis via deflectere. Suspicari itaque possumus, vel Lapidem illum alio illuc translatum; vel, adhuc si in Templo Pacis semper ipse manserit, haud inde concludi Hostiliam Curiam inibi exstitisse, cum Lapis Curiam quidem, at non locum commemoret. Non est itaque cur ob modicum obscurumque Lapidem præclarissimos deseramus Auctores, Varronem, Halicarnasseum, Asconium, & Vitruvium, qui in Foro Romano hanc Curiam collocant. In qua autem Fori parte? In ejus meditullio constituitur Donato: sed longe rectius Nardino prope Sanctæ Mariæ Liberatricis Ædem, inter Horreum, quod inibi visitur, tresve illas, quæ prostant adhuc, Columnas: ita enim jure dicere potuit Varro laudatus, *ante hanc* (Curiam Hostiliam) *Rostra*; ut ex indicato superius Rostrorum situ apparet. Non erat tamen in planitie ipsa Fori, verum in elevata Palatini radice, ut per gradus in eam pateret accessus. Pluribus ornata erat statuis &c.

Curiam Hostiliam temporis ingluvie fatiscentem Sylla restauravit [2]: restaurata vero, cum P. Clodii corpus incensum in ea fuerit, incendio & ipsa periit [3]. Cujus restituendæ cura Fausto, Syllæ filio, commissa fuit: opus vero ab eo neglectum Cæsar aggressus est ex Senatus decreto: morte tamen præventus, cum illud imperfectum reliquisset, ex Populi placito & impensis completum fuit, eique, *Curiæ Juliæ*, inditum nomen, quam tamen Augustus dedicavit [4]. Ne vero existimes abolitum omnino fuisse Curiæ Hostiliæ nomen; a Rufo enim sub hoc nomine adnotata reperitur.

Sed antiquiora jam resumamus, & Curiam Calabram explicemus. Ita appellata vulgo creditur, a *calando*, seu *vocando*; (Priscis enim *calare* idem erat ac *vocare*) eo quia ad eam, ut Servius [5] inquit, *calabatur, id est, vocabatur Senatus, vocabatur & populus a Rege Sacrificulo, ut, quoniam adhuc Fasti non erant, ludorum & sacrificiorum prænoscerent dies*: clarius vero Macrobius [6], & nos *Dissert. de Anno*, & *Tom*. 3. *Dissert. de Festis*. In editiori erat Capitolii apice, in Arce scilicet, prope Manlii & Romuli Domum, ex Virgilio supra laudato. Augusti & Julii Cu-

1 L.4. de L.L. 2 Gen. Dier. lib.1. c. 16. 3 Lib.12. Ann.

1 Lib.2. c.1. 2 Plin. lib.34. cap.6. 3 Dio lib. 40. 4 Dio lib.44. & 51. 5 Lib. 8. Æn. 6 Lib. 1. Sat. cap.1.

rias modo attulimus. Curiam Pompeii commemorat Suetonius in Julio, & Gellius [1], qui refert ibidem Julium Cæsarem Conjuratorum manibus oppressum obiisse. Geruliam, quæ & *Seniorum* dicta, apud Varronem [2] videsis; sicut & Octaviam, apud Plinium [3]. Addi his posset Prætura Præsentissima, quæ in *Notitia Imperii* ita legitur, *Præsentissimum Choragium*, at non sine mendo, cum legi debeat interpuncte, *Præsentissimum. Choragium*. In ea Esquilini Collis erat parte, quæ Amphitheatrum Flavii respiciebat. Nomen vero Præturæ habuit, quod in ea Prætor Urbanus singulis quibusque mensibus publica Festa, *Compitalia* appellata, indiceret; sicut e Curia Calabra Rex Sacrificulus *Menstrua* indicebat, ut supra, & alibi melius ex Varrone & Macrobio exponemus.

Reliquum jam est, ut transeamus ad Græcostasim. Erat ipsa locus ille, *ubi Nationum sisterent Legati, qui ad Senatum essent missi*, sicut ait Varro; in quo scilicet, vel anteaquam ad Senatum introducerentur, vel postquam introducti fuissent, responsa exspectantes detinebantur. Nomen vero *Græcostasis* e Græcis invectum fuit, tamquam nobili Provinciarum parte, teste Varrone, qui ait, *is, Græcostasis appellatur, a parte, ut multa*. Existimatur communiter, & certe satis bene, fuisse Græcostasim Porticum quandam, aut Xystum, vel Conclave speciosum, ornatumque. At de ejus situ non levis est inter Eruditos controversia. Prope Curiam Hostiliam fuisse, certo certius fit ex Varrone, qui de Græcostasi ait, *sub dextera Curiæ a Comitio locus substructus, &c.* de præciso tamen ejus loco est disceptatio. Summos conatus egit Nardinus [4], ut illum rite stabiliret: sed obscuritate rei deterritus, obscuriorem illam suis tricis atque mæandris reddidit, instar sepiæ, quæ atramentum fundit, ne capiatur a piscatore. Quantum vero inspicio, videtur ille Græcostasim a Curia sejungere, ut hanc illamque Comitium interponeretur; ait enim: *La Curia al Comitio congiunta non havea solo la porta, e le scale verso il Foro, ma anco un' altra laterale è necessario, che havesse, per cui i Legati delle Nationi straniere si solevano dal Grecostasi introdurre per il Comitio nel Senato*: aliquantum vero post, locum pressius indicans, addit: *Il Grecostasi deve di necessità porsi nell'oriental Corno del medesimo Comitio, ch' era tra la Via Sacra, e l'altra, dalla qual dicemmo dividersi la Regione quarta, & ottava: di maniera che il Grecostasi fra la medesima strada, e 'l Comitio si fraponesse quasi incontro alla via, c hoggi è trà San Lorenzo, e San Cosmo, e Damiano*. Quam suam opinionem tum ex Plinii [5] loco confirmat, ubi ait, *cum a Curia inter Rostra & Græcostasim prospexisset, &c.* tum ex Varrone, qui inquit, *sub dextera Curiæ a Comitio locus substructus, &c.* quæ verba Nardinus vertit, *sotto la destra della Curia di là dal Comitio*.

Verumenimvero post diutinum hujus opinionis examen, falsam illam comperi, nulloque prorsus modo a Curia ipsa Græcostasim dividendam, sed velut ejus fuisse appendicem, imo etiam partem. Quod duplici mihi suadetur momento: tum scilicet Varronis loco recte perpenso, tum non inepta conjectura. Si enim Varronis consideraverim verba, apparet de Curia eum loquentem, eodem nexu verborum statim ad Græcostasim transeundo adjicere, *sub dextera hujus locus substructus, &c.* unde liqueat, Græcostasim ad Curiam ipsam pertinuisse, eidemque conjunctam. Quibus accedit & ratio ab ipsa Græcostasis definitione petita: cum enim locus foret, ubi Legati in Curiam introducendi, aut etiam introducti commorarentur, consentaneum rationi est, Curiæ fuisse conjunctam: quis enim sibi rite suadeat, totum Comitii spatium Legatis fuisse adeundum, ut Senatus responsa haurirent? cum hodieque appareat eos, qui ad Principes introducendi sunt, in Palatii conclavibus, vulgo *le Anticamere*, detineri. Erat ergo Græcostasis Porticus concamerata, aut Xystus, vel Exedra, aut Conclave, Curiæ tamen adnexum, ad idemque ædificium spectans. Quæ mea sententia licet neminem habeat auctorem, fautricem tamen habet rationem.

Primus Plinii locus haud video, qui Nardino queat favere, cum verba illa, *a Curia inter Rostra & Græcostasim*, non modo hujus a Curia distantiam non indicent, verum & e contra conjunctionem, quatenus *Curiam* mediam inter Rostra hinc & inde Grecostasim testantur. Locus tandem Varronis pro modulo suo, quem ipse animo conceperat, a Nardino explicatur; cum satis commodum germanumque habere possit sensum, *a Comitio*, id est, Comitium versus, seu e Comitii parte; at supra Comitium, sicut e Plinio audivimus: Curiam enim, cujus ea pars erat, in editiori collocavimus loco; ita ut e Comitio ad Græcostasim & Curiam ipsam pateret accessus. Sed probabiliora a sagacioribus ingeniis exspecto, Lectorum interim æquo sanoque judicio causam hanc lubens volensque committens. Illud postremo adnotaverim, locum hunc, Plinii ævo, non adhuc exstitisse; cum dicat ipse [1], *in Græcostasi, quæ tunc supra Comitium, erat &c.* Ab Antonino tamen restauratam ait Capitolinus inquiens, *Græcostadium, post incendium, restitutum*.

De Senaculis pauca subnectam. Hac enim appellatione locus omnis intelligi posset, ubi Senatus ederentur; ut erat Martis Templum, aut Bellonæ. Extra Portam etiam Capenam, quæ & Triumphalis dicta est, Senaculum fuisse, ubi triumphaturis Senatus concedebatur, dictum supra est, *Dissert. de Topographia Urbis*. Senaculum etiam pro mulieribus in Quirinali Colle Heliogabalus exstruxerat, ex Lampridio. Pressius tamen *Senaculum supra Græcostasim, ubi Ædes Concordiæ & Basilica Opimia*, sunt Plinii superius laudati verba. Nardino Templum existimatur, aut Concordiæ, aut etiam aliud: sed contra allata modo verba, *Senaculum supra Græcostasim, ubi Ædes Concordiæ*; quæ, nisi cæcus omnino sum, diversitatem inter utrumque præ se ferunt. Aptius ergo Ædificium erat in Palatini crepidine situm, ut ita in editiori *supra Græcostasim*, & consequenter supra Curiam loco, exsisteret.

Ultimo loco de Comitio differendum est; loco scilicet ubi Comitia pro legibus ferendis, creandisque Magistratibus & Sacerdotibus, edi solerent; de actionibus enim Comitialibus dicam *Tom. 3. Dissert. de Comitiis*. Nomen habuisse a *coeundo* Plutarchus in *Romulo* testatur; ibi enim Romulus ac Titus Tatius coeuntes, pacis fœdera stabiliere, ut *Dissert. 1.* dictum est. Mansit diu sine Tecto, sicut Forum ipsum subdiale diu mansit: Tecto tandem insignitum fuit eo anno, quo Hannibal in Italiam venit [2]: obtinuitque tunc Arcus, Peristylia, & Columnas, quarum tres adhuc superstites sunt, prope Sanctæ Mariæ Liberatricis Ecclesiam. Foro Romano fuisse conjunctum, trita est Antiquariorum sententia. Sed qui, inquis, a Foro, cui conjungebatur, distingui poterat, si utrumque sub dio? Hac pressus difficultate Marlianus, & cum eo plures, Fori partem asserit Comitium; contra tamen Veterum fidem; Tullius enim *Orat. pro Sextio* tamquam res diversas

1 Lib. 14. cap. 7. 2 Lib. 4. de L. L. 3 Lib. 35. cap. 5. 4 Lib. 5. cap. 3. 5 Lib. 7. cap. 60.

1 Lib. 12. cap. 1. 2 Liv. dec. 3. lib. 7.

utrumque accipit, dum inquit, *cum Forum, Comitium, Curiam, &c.* Magis sensate dici potest intermediis parietibus fuisse a Foro distinctum, sicut mediis lignis Septa divisa erant, ut infra. Foro ergo Comitium situ conjungebatur; item Viæ Sacræ, ubi congressum Romuli Titique Tatii initum alibi diximus; Curiæ etiam Hostiliæ Areæque Vulcani, quam inter Sancti Laurentii in Miranda & Sanctæ Mariæ Liberatricis Ædes collocavimus *Dissert. de Templis.* Unde hic pariter Comitium ipsum constitui jure potest: ut ita *sub dextera Curiæ* a Varrone dici, & Viæ Sacræ ac Curiæ conjungi commode potuerit. Præter legum lationes, creationesque Magistratuum, cædere etiam moris erat ibidem virgis Reos [1]; imo & Reos ipsos interficere [2]: Follium ludum ibidem initum testatur Seneca [3]. Nigrum lapidem sepulturæ destinatum in Comitio locaverat Romulus, ex Festo: Varro item sepultum in eo Romulum asserit. Capitolini tandem Fasti, nuper in Æde Sanctæ Mariæ Liberatricis reperti, in Comitio expositi erant, ut alibi dicam.

Aucto postmodum Civium numero, cum tantæ multitudini modicum Comitium haud sat esset, Comitiales actiones in Campum Martium translatæ sunt: earumque locus, *Septa*, aut etiam *Ovile*, appellatus fuit, quod trabibus, tabulatis, lignisque contextis septus utrimque foret [4], ad quem per ligneum pontem transitus patebat, ex Suetonio in *Cæsare*. Oppius & Cicero Ovile Porticibus circumdare animo destinarunt [5]: id quod Lepidus & Agrippa opere complerunt, *Septaque Julia* nuncuparunt [6]. Quibus in Porticibus, seu potius in area ipsa, Gladiatorii Ludi item Navales celebrari cœperunt, ex Suetonio in *Caligula*; pretiosæ etiam venditæ ibi merces [7]: cum scilicet Comitiorum usus paulatim exolevisset. Sed quinam pressior Septorum situs? A Blondo & Fulvio in Foro Columnæ reponuntur: at quis credat Septa ab Hadriano restaurata, successorem ejus Antoninum, aut Marcum utique pios, abolevisse, inque Forum permutasse? Marliano in Via Flaminia ad Fontem *di Trevi* constituere placuit Septa: sed male, ob distantiam a Citorio Monte, ubi Centuriæ ad suffragia ferenda Præconis voce citari solebant, ut alibi tradimus. Proxime ergo eum Montem collocari commodius possent Septa, ab ejus scilicet radicibus per Campum Martium ad Capranicorum Ædes, Plateamque Capranicam; sicut ex Arcubus Aquæ Virginis Frontino [1] memoratis, & nuper effossis, colligit erudite Nardinus [2]: qui de Citorio etiam Monte ait, inibi citari Centurias moris fuisse, ut ex vetusta Columna, in Æde Caroli Eustachii exstante, acute etiam suspicatur, quem omnino vide: nos enim de hac re plenius *Tom. 3. Dissert. de Comitiis.*

1 Plin. l. 4. ep. 11. 2 Sen. l. 7. contr. 1. 3 Ep. 10. 4 Serv. in Ecl. 1. 5 Tull. l. 4. ep. 16. 6 Dio l. 53. 7 Mart. l. 9. epig. 60.

Syllabus Auctorum.

Hoc de argumento nemo ex professo pertractavit: divisim vero de Foris plura tradidere Antiquarii, Donatus præsertim & Nardinus. Particularem de Foro Romano edidit Libellum Franciscus Polletus; a quo tamen vix unum, aut alterum excerpere licuit verbum, cum totus in Forensibus actionibus sit occupatus, de quibus nos alibi. De Basilicis pauca quidem Architecti; paulo plura Antiquarii: ut & de Rostris, Curiis, &c. De Comitiis fuse pertractat Gruchius, Sigonius, Merula, Rosinus, aliique complures: sed actiones ipsi Comitiales potius, quam loca ipsa explanant. Noster labor, atque industria, studiosorum commoditati indulgens, eo tetendit, ut singula ad judicialia Ædificia pertinentia in unum congereremus, breviter vero atque dilucide, nonnullis superadditis, aliis emendatis, certe ordinatis: ut in unico Dissertationis introitu plura exponerentur curiosorum oculis Ædificia.

1 L. 1. de Aquæd. 2 L. 6. c. 6.

FINIS.

INDEX DISSERTATIONUM, AC SECTIONUM, quæ in hoc Tractatu continentur.

FINIS.

LUCII FAUNI

DE

ANTIQUITATIBUS

URBIS ROMÆ,

Ab antiquis novisque Auctoribus exceptis, & summa brevitate ordineque dispositis,

LIBRI QUINQUE.

ALEXANDRO FARNESIO

CARDINALI AMPLISSIMO.


Um tu Urbem, ut Princeps ſecundum Paulum Pont. Max. clariſſimis tuis geſtis ornaveris, Patriam, ut civis, incredibili & prope ſingulari ſtudio illuſtraveris, Cardinalis Ampliſſ. nemo eſt omnium, qui non te ut Principem optimum, & civem longe clariſſimum admiretur. Nam, ut alia omittam, nonne vel unum illud præclarum tuæ in Patriam pietatis ſpecimen aliorum geſta non modo æquare poteſt, ſed plane etiam obſcurare? neque enim ſatis tibi fuit Libros, in quibus rerum Rom. monumenta exſtabant, undique conquirere, niſi illud etiam addideris, ut ſumma diligentia adhibita præſtantiſſimorum virorum memoriam, tot ſeculis intermortuam, & terra tandiu obrutam, in lucem evocares. Cujus rei argumentum eſt, quod nuper, e Foro Romano dicam, an e Sacra Via, nihil moror? effoſſa humo præclariſſimarum rerum eruta monumenta in Capitolio collocari juſſiſti, ad tuæ videlicet Patriæ ſplendorem, & tui nominis memoriam ſempiternam. Quo fit, ut cum ſuperioribus diebus Faunum, qui *de Rom. Antiquitatibus* ſcriptitavit, ex illa, qua vulgo utimur, in Latinam Linguam maxima & fide & diligentia vertendum curaſſem, quo reliquos, qui Auctorem ob ejus Linguæ faſtidium averſantur, & exteras Nationes, apud quas Latini ſermonis uſus latius patet, ad hujus Libri lectionem accenderemus, tuo potiſſimum nomini inſcriptum ediderimus: non quod per ſe ipſe Auctor ſtudioſis probari non poſſit, nam & luculentus ſane Scriptor eſt, & miro ordine ſingula perſequitur: ſed maluimus Auctoris in eo genere ſolertiam, & noſtram in eo vertendo diligentiam, tuo nomine commendari. Et ſimul non ab re fuit, ut, qui Romanarum Antiquitatum memoriam ſcriptis commendavit, Romani & civis & Principis titulo cohoneſtaretur, præſertim cum noſtra tempeſtate ita uſu eveniat, ut quicquid tibi dicetur, illico omnibus vel eo tantum nomine probetur: quod cum effecerim, ſatis noſtræ diligentiæ, ſatis Auctoris famæ atque honori conſultum putavi. Vale.

Deditiſſimus Michael Tramezinus.

LUCIUS FAUNUS

LECTORI.

Cum statuissem Antiquitatum Romanarum *Librum a me scriptum edere, forte in quosdam incidi, qui inter se, ut fit, de ea re disserebant: videbantur autem ii mihi in dubium venisse de proprio veroque Romani Fori loco. Duo in iis pugnaciter nitebantur, cum contenderent Romanum Forum secundum Vallem fuisse, quæ est inter Capitolium atque Palatinum; eorum autem fundamenta in Dionysii Halicarnassei auctoritate præcipue jecerant. Ait enim, rebus compositis a Romulo atque Tatio,* Ρωμύλος μὲν τὸ Παλάτιον κατέχων, καὶ τὸ Καίλιον ὄρος· ἔστι δὲ τῷ Παλατίῳ προσεχές· Τάτιος δὲ τὸ Καπιτώλιον, ὅπερ ἐξ ἀρχῆς κατεῖχε, καὶ τὸν Κυρίνιον ὄχθον. τὸ δ' ὑποκείμενον τῷ Καπιτωλίῳ πεδίον, ἐκκόψαντες τὴν ἐν αὐτῷ πεφυκυῖαν ὕλην, καὶ τῆς λίμνης, ἣ δὴ διὰ τὸ κοῖλον εἶναι τὸ χωρίον, ἐπλήθυνε τοῖς κατιοῦσιν ἐκ τῶν ὀρῶν νάμασι, τὰ πολλὰ χώσαντες, ἀγορὰν αὐτόθι κατεστήσαντο, ᾗ καὶ νῦν ἔτι χρώμενοι Ῥωμαῖοι διατελοῦσι· καὶ τὰς συνόδους ἐνταῦθα ἐποιοῦντο, cum Palatinum Romulus, ac Cælium Palatino proximum, Tatius vero Capitolium, ac Quirinalem rupem occupassent, excisa nativa materia campi Capitolio subjecti, ac magna parte lacus repleta, qui cum esset locus concavus descendentibus ex montibus aquis augebatur; forum ibi constitutum, fuisse Forum, quo tunc etiam Romani uterentur, conventusque illic facerent. *Ex qua auctoritate varia elicientes argumenta, Forum Romanum inter hanc ipsam Vallem a Romulo ac Tatio factum contendebant. Alium præterea ex eodem Auctore locum appellabant, ubi meminit de Vestæ Templo, in quo sua etiam tempestate sacer ignis servabatur, quod esset extra Urbem quadratam Romuli positum, ideoque Numam ipsi Vestæ Templum commune inter Palatinum ac Capitolium condidisse, utroque in Urbem jam recepto colle, atque unis muris comprehenso, cumque inter hos colles esset Forum, in quo Templum conditum est, similiter in ea Valle, in qua Vestæ Ædes fuisset, Forum Romanum fuisse concludunt. Idem affirmant Plinii auctoritate freti, cum de Milliario Aureo disserens, ad Fori initium fuisse scribit. Itaque (ajebant) cum Milliarium ante Saturni Fanum esset, ut omnes Veteres consentiunt, Saturni vero Fanum sub Rupe Tarpeja staret, contra D. Mariæ, cognomento* in Porticu, *Hospitale, quod multis argumentis conjici potest, necessario relinquitur secundum eam Vallem exstitisse, quæ inter duos colles est, imo vero secundum totum id spacii, quod inter duos colles comprehendebatur, iis rationibus argumenta, eorumque sententiam, reliquis pene, cum quid responderent, non haberent, conticentibus, ac prope consentientibus, confirmabant. Ego vero cum contra omnia se habere putarem ac dixissent, tametsi a meliori sententia non recedere polliceor; cum intelligerem, nisi iis quæ illi attulissent aliquis occurrisset, facile occasionem præstari eorum omnium evertendorum, quæ hoc Libro collegimus, a verborum contentione abstinui, hoc loco visum est eorum rationes reprehendere, principio ostendemus fieri non potuisse ibi Forum fuisse Romanum ubi illi locabant, deinde argumentis respondebimus: nitebantur, si recte intellexi, totum id spatii, quod esset inter Capitolium ac Palatinum, a Romulo atque a Tatio sumptum ad Forum constituendum. Mihi quidem verisimile fieri non potest initio ipso Romæ tam amplum, tam ingens Forum ædificatum, non enim Urbis magnitudini respondisset. Si quis vero plura Fora fuisse, atque unius Fori Romani appellatione comprehensa contendat, multo pejus quidem. Nam in Urbe tam insigni cætera suo nomine non caruissent. Atque demum aliquid exstaret. Quod si Forum Vallis tantum partem occupabat, Pliniusque Ficum Ruminalem in Foro locat, quod ne Adversarii quidem negent, scilicet ad Palatini radices non fuisse, sequitur a Palatini radicibus Forum abfuisse. Si autem hic erat, quomodo affirmari potest Tullianum Carcerem Fori initio fuisse? omnes enim Veteres Foro imminere consentiunt. Vestigia certe sunt a Capitolii parte ubi fuerit. Quod si ex hac parte erat Forum secundum Capitolii radices, quid de Ficu Ruminali dicemus? eam quis neget in Foro fuisse? jam profecto demonstratum est ad Palatini radices a Veteribus positam. Idem de quibusdam aliis Locis afferri posset. Sed quoniam illi a solo Romano Foro omnem istam partem occupatam volunt, quæro ab iis, doceant ubi esset Via Nova? num pars Romani Fori, an idem cum ipso erat? perspicuum est enim Viam Novam in hac fuisse Valle. Livius scribit Tanaquil ad populum de Palatii sui fenestra (id autem ad Statoris Jovis erat Templum, quod ad Viam Novam respondebat) esse locutam. Alibi narrat Aio Locutio Templum in Via Nova supra Vestæ Fanum erectum. Quis Jovem Statorem in Foro fuisse neget? Livius affirmat. Omitto Vicum Jugarium ac Tuscum, qui in ea erant Valle. Plutarchus Concordiæ Templum in Romano ponit Foro, ejus autem Porticus etiam nunc octo ingentes Columnas stare videmus; Varro tamen inter Capitolium ac Forum locat, quasi aut in Foro, aut Foro propinqua esset; si enim secundum hanc Vallem fuisset Forum, quomodo affirmari potuisset, ipsam Porticum alibi quam in foro fuisse? imo relinqueretur hujusmodi Templum in alia fuisse Via, quæ inter Capitolium fuisset atque Forum. Sed fortasse obscura Livii auctoritas videtur, quam, cum de Jugario Vico ageremus, adduximus? an non plane intelligitur hunc Vicum inchoasse statim a Carmentalis Portæ ingressu, seque propter Capitolii radices usque ad Romanum Forum extendisse? Id iterum idem Auctor declarat, cum e Capitolio ingens saxum cecidisse in Vicum Jugarium, multosque occidisse ait, quod si fatemur, sine dubio Milliarium Aureum, si ibi locatur ubi Adversarii ponebant, atque una Saturni Templum, huic Vico potius quam Foro Romano pertinebit, si in eadem Valle illud collocemus, atque si Veteribus, communique temporum nostrorum consensui est, præteritis seculis credendum est, quid? quod Suetonius scribit Cæsarem Pont. Maximum in ædibus publicis in Via sacra habitasse, quamobrem addit Plinius gladiatoriis * velis totum Romanum Forum, Viamque sacram usque ad Capitolium contexisse. Hanc Domum Ovidius tradit ab Augusto postea disjectam, Liviæque ibi Porticum constituisse. Præterea nemo negat eodem loco a Vespasiano Pacis Templum, quod Suetonius Foro Romano vicinum exponit, conditum. Si in Valle Forum extitisset, falso illud Templum Suetonius ibi apposuisset, quod*

* Leg. *carbasinis*, ut patet ex Plinio lib. 19. cap. 1.

quidem, ut alias demonstravimus, in Comitio fuit, atque etiam in eo ipso Foro, tametsi proximum ipsi tantum dicat. Idem locus in Via sacra esse affirmari æque poterat, cum Suetonius in ea Via Cæsaris Domum locet, quo loco Pacis Templum erectum fuit. Ego quidem quid impediat non video, absurdum certe esset, si quis contenderet Viam sacram, quæ longius quam Romanum Forum extendebatur, ad Capitolium ducens per Romanum Forum transiret, a qua sententia Adversarii non abhorrere videbantur; hæc quidem Via sacra iccirco sic est appellata, quod per illam in Capitolium res sacras singulis mensibus ferebant. Quare etiam Augures in Exquilias ad augurandum exeuntes, per eandem Viam accedebant. Eo minus vero id impedimento meis rationibus videtur esse, quod aliud Romani Fori, aliud Viæ sacræ spacium, alia ratio est. Accedit quod Asconius tradit Clodii cadaver in Forum elatum ac pro Rostris positum, in Curiam vero translatum, in ea fuisse combustum, quo igne Curia ipsa ac Basilica Portia conflagrarit. Varro ante Hostiliam Curiam contra Comitium Rostra fuisse docet. Idemque Asconius asserit, scilicet Rostra vetera in Comitio cum Curia fere juncta. De iis vero omnibus alibi dictum a nobis est. Quoniam vero in Pacis Templi ruinis marmor cum his literis, IN CURIA HOSTILIA, inventum est, atque omnium qui de ea re scripsere est opinio Pacis Templum in hac Curia exstructum, & in Liviæ quidem Porticu; deinde nemo negat Curiam ac Rostra in Foro fuisse, pro certo existimandum est hoc loco Forum vel Comitium, quod pars erat Fori, nec vero Vallis exstitisse, quæ inter Capitolium ac Palatinum erat, qui quidem mons ab ea aberat. Pergit Varro a dextra Curiæ Hostiliæ fuisse Comitium Græcostasim, quem locum nos in Palatini margine contra hanc ipsam Curiam locavimus. Quare narrat Plinius solario Horologio, quod Romæ fuit, Meridiem adjectum esse, cum Curia inter Rostra & Græcostasim prospexisset talem solem. Quoniam igitur ab hac Palatini parte Ficum Ruminalem fuisse necesse est, quæ erat in Comitio, & ex sententia Varronis Germalus a germanis Romulo ac Remo, ibi inventis, dictus est locus, relinquitur hujus marginis Palatini, qui est versus Coliseum, Veliam fuisse appellatum. Si ita est, non enim contra dici potest, perspicuum est hoc loco non in Valle fuisse Romanum Forum, præsertim cum Livius atque Solinus Penatum Templum in Velia ponant; Dionysius quidem a Foro Rom. non multum abfuisse hoc Templum dicit; præterea cum Livius ipse ac Plinius Junior in Velia Valerii Publicolæ Domum ponant, Plutarchus meminit multo superiorem Foro Rom. ab eo constructam, propterea que in suspicionem venisse affectati regni; nec vero si Velia non ea, in qua posuimus, parte fuerit, sed alia, videlicet e regione Sancti Cosmi ac Damiani, ut quidam credidere, proinde sequitur Publicolæ Domum eminentem fuisse, ac Foro, si in Valle locetur, superiorem. Nemo est, qui non tradat Cosmi ac Damiani Templum antea Remi, aut Romuli ac Remi fuisse, quod Livius in Foro Rom. fuisse affirmat. Ait enim cum Carvilius Cos. illud dicaret, tot fuere spolia, quæ ipse Romam ex Samnitium victoria reportavit, ut iis non hoc Templum modo atque ipsum Forum, sed finitimorum etiam Templa ornata sint. Quod si in Valle fuisset Forum, qui fieri potuisset, ut in Foro fuisset Templum? multa alia afferri possent in hanc sententiam, sed longius progressi videmur.

Ab iis quæri posset de locis singillatim quæ in Rom. Foro atque in Comitio erant, ut, ubi fuissent, ipsi indicarent, alteramque Romam fabricarent. Non dubium est quin pleraque absurda afferrent. Verum eorum argumentis respondeamus, ad finemque properemus. Prima Dionysii auctoritas minime nobis obstat: ille enim Forum describens eo loco quo nos locavimus sub Capitolio ponit. Nec vero de Valle, quæ media est inter Capitolium ac Palatinum, quam de eo loco, quem nos Foro Romano assignavimus. Imo cum narrent locum fuisse concavum, unde aquæ stagnarent, quæ ex collibus descendebant, de hoc ipso loco præcipue intelligere videntur; hic enim Appia aqua stagnare poterat, quam Vallis; ob Tyberis enim propinquitatem commodius exonerari, flumine versus eam Vallem, quæ ad Velabrum est, restagnante. Altera Dionysii auctoritas nihil quidem impedit: non enim negamus inter hos Colles Vestæ fuisse Templum, satisque Romano Foro vicinum; ita enim se res habet, & nos superius suo loco ostendimus, quod asserat inter hos duos Colles fuisse Forum, vera narrat, quemadmodum & nos de eo agentes dicebamus, non quidem quod omnino medium inter eos Colles esset, sed ita inter utrumque locatum erat, ut inter Capitolium atque Palatinum fuisse non absurdum sit dicere.

De Saturni Templo, atque de Aureo Milliario nihil est quod quicquam respondeamus. Fatentur enim in Fori Romani initio ac capite Milliarium fuisse Aureum, ac prope Saturni Templum. Negamus tamen ea fuisse parte, quæ Marcelli Theatro respondet: quin, si id ita se habuisset, Vicus Jugarius, ut est demonstratum, utrumque ex his locis a Foro Romano separasset. Ubi vero uterque horum locorum fuisset, tunc dictum est cum in secundo libro cap. 10. *de Foro Romano dissereremus. Nec video quemquam, qui de loco Templi Saturni atque Ærarii mentionem faciat, non ibi affirmet fuisse ubi Ædes est D. Adriani. In iis Volaterranus est non contemnendus Auctor, tametsi conjecturis tantum ducatur. Sed equidem non ut meas rationes ipse confirmarem, pugnaciter sententiam atque opinionem meam defenderem, si certioribus argumentis ac rationibus mihi persuaderent. Imo libentissime aliorum certiorem sententiam sequerer, gratiamque docenti haberem. Quare quousque aliquid verius nactus non fuero, a mea opinione non decedam. Quid dico meam? imo plurimorum doctissimorum hominum, quos in hac re secutus sum. Integrum tamen esse omnibus per me volo ea quæ sibi videantur, probare, atque alia investigare. Non me fugit hunc Sermonem, Tractationemque* de Romanis Antiquitatibus *dubiam variamque videri, vel quod minus distincte de ea re veteres Auctores scripserint, vel ob locorum ruinas, ut difficile sit hoc vel illud pro certo affirmare. Conjecturas sequi necesse est. Nos itaque, qui hæc omnia ab antiquis recentioribusque Scriptoribus collegimus, in re dubia probabilius secuti sumus. Dedimusque operam ut ex iis laboribus, si qui sint Antiquitatis studiosi brevi atque aperta tractatione omnium quæ ab antiquis, nostrisque, litteris commendata sint in hac re cognitionem consequantur. Sed hæc hactenus: abs te peto, ut si quid est, quod ad nostram gratiam afferre possis, libenter adjungas, meque tuearis.*

ORDO HOC LIBRO TOTO SERVATUS.

PRimo libro Portæ Urbis quæ nunc ſunt, quæve fuere, earum nominibus novis priſciſque additis, continentur. Item Viæ quæ per Portas exeunt, omniaque, quæ in Viis, aut extra Portas fuere. Adeo ut etiam veſtigia perſequamur.

Secundus liber habet mentionem Capitolii, atque omnium rerum antiquarum quæ in eo aut ſunt, aut aliquando fuere. Poſtea in vallem deſcendentes, quæ eſt inter Capitolium ac Palatinum, de antiquis rebus quæ ibi fuere tractamus. De Foro Romano quod cum hac valle conjungebatur, deque ſuis omnibus, de Palatino, & iis quæ ad eum pertinebant. De aliis quatuor præterea Foris, ſcil. Cæſaris, Auguſti, Nervæ, Trajani, deque ſuis ornamentis.

In tertio libro ſermo eſt de Aventino ac de iis quæ aut ſunt hodie, aut olim fuere. De Teſtaceo; inde ad aliud latus hujus collis tranſeuntes primo de iis tractamus, quæ fuere inter Flumen & Capitolium. Mox de Foro Olitorio, de Velabro, de Foro Boario, de Circo Max. de Valle quæ eſt inter Cælium ac Palatinum uſque ad Amphitheatrum Titi. Ad Viam Appiam poſtea revertentes, de omnibus locis quæ aut fuere, aut nunc reperiuntur, agimus.

Quartus Collem Exquiliarum deſcribit, cum aperta hujus Collis diſtinctione, mox Viminalem; de Suburra, de Vico Patritio inde tractatur. De Valle Quirinali, non omiſſis ſuis partibus. Simili ratione de Quirinali, de Alta Semita, de Circo Floræ, ac de Hortis Saluſtii. Deſcripta autem Valle, quæ eſt inter hunc collem atque hortulos, de colle, de hortulis cum ſuis locis, demum in Urbem planam de Campo Martio, cum ſuis omnibus partibus, puta de Valle Martia, de Mauſoleo Auguſti, de Villa Publica, de Septis, de Pantheo, de Agone, ac reliquis de quibus ſingillatim mentio eſt. Item de ea parte Urbis, quæ fuit prope Olitorium Forum inter Flumen ac Capitolium, necnon Campum Martium, ubi Flaminius Circus, Theatrum, ac Curia Pompeii, Campus Floræ, atque alia quædam inſigniora fuere.

Quintus liber continet expoſitionem Tyberis, pontium Inſulæ Jovis, regionis Tranſtyberinæ, omnium partium Vaticani, Aquæductuum, novem aquarum; hæc autem omnia planius in ſequenti Indice patent.

INDEX CAPITUM

Quæ in hoc Libro continentur.

LIBER I. A

LIBER II.

LIBER III.

M iij

INDEX CAPITUM.

FINIS.

LUCII FAUNI DE ANTIQUITATIBUS URBIS ROMÆ LIBRI QUINQUE.

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

Romulum Romam condidisse, & ab eo nomen accepisse.



Um variæ de Urbis Romæ nomine atque origine sententiæ sint dissipatæ, illa proxime ad veritatem accedere videtur, qua proditum est, a Romulo Martis ac Sylviæ Vestalis filio originem nomenque inventum fuisse. Varro auctor est habitatorum inopia urbis imaginem verius quam justæ urbis similitudinem habuisse: ferunt Sylviam, sive quis Iliam malit appellare, sive a Marte, sive a Loci Genio, sive ab aliquo homine compressam, geminum partum edidisse: ex pueris vero alteri Romulum, alteri Remum nomen inditum: ii statim Amulii avunculi jussu ad profluentem Tyberis aquam expositi traduntur. Fama est fœtam Lupam, infantium vagitu commotam, illo cursum flexisse; eaque pueros usos pro nutrice fuisse: quod cum a Faustulo Regio pastore fortuito esset deprehensum, Lupa clamore perterrita, pueros sublatos, atque Accæ Laurentiæ educandos traditos ferunt. Cum primum vero ætas adolevit, nec a majorum virtute abhorrerent, ubi Numitorem patruum vi Amulii fratris regno pulsum cognoscunt, globo pastorum comparato, Albæ Amulium oppressum obtruncant, Regnumque Numitori atque universam rem Albanam permittunt. Cumque hos cupido cepisset urbis condendæ, optimum fore compererunt, si his in locis, in quibus educati fuerant, urbem condidissent. Postea cum inter fratres non plane conveniret quo loco urbs designari deberet, (tametsi id accidisse nonnulli tradiderunt ob nomen urbi imponendum) ex composito templa ad inaugurandum capiunt, priori Remo Augurium venisse fertur in Aventino; Vultures sex, Romulo XII. in Palatino. Orta rursus contentione, quod alter tempus, alter numerum avium afferebat, ex altercatione ad arma cædemque sese convertere. Tum Remus, saucio Faustulo, ictus cecidit Ita solus rerum potitus Romulus tanti Imperii conditor, de suo nomine Urbem appellavit. In hujus autem imperii incremento virtus fortunaque inter sese contendere visæ sunt. Annum quippe agebat Romulus XVIII. cum Romam conderet; ejus autem fundamenta jacta constat, tradente Felino, XI. Cal. Majas: post captam Trojam ann. CCCCXXXIII. tum ferme cum Babylonis opes imminutæ inclinare cœpissent. Quadratam principio posuit, ita ut habitantium numerum ambitus excederet: tunc enim (si Dionysio credimus) tria

A peditum millia, equites ad CCC. fuere: domus circiter mille non amplius fuisse Plutarchus est auctor. Centum Senatores creat, qui Urbi consulendæ præessent. Juventutem manu armisque interim imperium tueri & pro reliquis dimicare voluit: ut vero rectius res cederent, priusquam Rex esset declaratus, auctoritatem populo dedit Regis ex suo ipsius arbitrio deligendi, ubi cum statim summo omnium ordinum consensu Rex appellaretur, legem tulit, ne quis inaugurato regnum, aliumve magistratum peteret; qui mos deinceps Romæ usque ad Ciceronis tempora in Regibus creandis, in Consulatus præterea ac Præturæ petitione viguit. Summa virtute, ac robore, singularique prudentia, atque bel-
B licis in rebus, atque in civilibus administrandis Romulus fuit; nec mirum: hunc enim cum fratre ad Gabios in litteris disciplinisque erudiendum missum nonnulli memoriæ prodidere, quod ad eorum nobilitatem maxime pertinere videbatur. Urbe jam mœnibus septa, animum adjecit ad illam institutis legibusque corroborandam. Iccirco advocata concione, de concordia, quam tueri deberent, apte satis commodeque disseruit, fieri ita posse, ut a paucis innumerabiles superentur: mox leges sanxit illis temporibus accommodatas, quarum sententiam tunc præcipue afferemus, ubi eo ventum fuerit, ut de iis sit exponendum, quæ in Capitolio fuissent. Ille
C quidem tum a Numa, tum ab aliis, imprimisque a Servio Tullio mitigantur: leges profecto ipsæ, optima instituta, ac mores, præterea artes, quæ in hac Civitate diu floruerunt, justitia insuper, clementia, fidesque in populos, quorum ope atque auxilio ad tantam potentiæ gloriæque amplitudinem pervenit, effecerunt, ut se Romanis libentissimis animis Nationes dedissent. His proculdubio artibus ab omnibus Gentibus singuli cum virtute præstantes, tum excelsi invictique semper habiti sunt, ut ipsam omnium terrarum facile principem Romam, illustrissimumque orbis universi monumentum fuisse nemo ignoret. Multa habuit nomina hæc florentissima
D Urbs, quorum unum in vulgus exire non licet Antiquorum religione, quæ nefas habuit illum nominare: quamobrem Val. Soranum debitam pœnam, ob meritum profanæ vocis eo patefacto, persolvisse ferunt. Hinc Angerona silentii dea ore clauso, sacris institutis, colebatur.

CAP. II.

De Gentibus, quæ eum locum coluere, ubi condita est Roma.

E PRincipio quo loco Roma condita est, qui locus a mari Tyrrheno millia passuum XV. abest, pastorum, qui per ea loca pastu pecudum vitam propagabant, tuguria fuere. Primi omnium Sicu-

li eam regionem tenuere, ii postea ab Aboriginibus, cum antea Patriæ finibus ejecti essent, Oenotroque Lycaonis filio duce domicilii sedem quærerent, pulsi sunt. Cum his se Pelasgi & plerique ex Thessalia conjunxere, qui domo profugi, huc illucque incerti vagabantur, atque in bellis, quæ cum finitimis gesserunt, auxilio fuere. Sed usque ad Trojani belli tempora uno omnes nomine Aborigines appellati sunt: ferunt his Saturnum fuisse Regem, Cretaque pulsum a Jove filio, a Jano in partem regni, ob usum agri colendi sibi monstratum, receptum, Janoque mortuo, regnum solum adeptum. Tradunt præterea Euandrum ex Arcadia profectum anno LX. ante captam Trojam cum ingenti manu sedem quærentem, ubi Roma postea fuit, constitisse, atque a Fauno Aboriginum Rege hilare acceptum, in Palatino arcem posuisse, & a Pallanteo Arcadiæ urbe montem nominasse: ajunt vel ab Euandro ipso, vel a Carmenta ejus matre prudentissima fœminarum, Latinos litterarum notas, quibus reliquo tempore usi sunt, accepisse. Huc Hercules cum appulisset, suavissime ab Euandro acceptum constat: quo decedente, plurimis Græcorum, qui eum sequuti erant, illic placuit residere, atque in eo Colle subsistere, qui Saturnius antea dicebatur. Sequenti vero tempore Latino Fauni filio regnum obtinente, Æneas in Italiam venit; Tyberimque ingressus, cum Latino fœdere & societate inita, Lavinia in matrimonio habita, ut sibi illorum populorum animos conciliaret, Aborigines, Trojanosque, Latinos omnes appellavit: profligato vero Turno Rutulorum Rege, mortuoque Latino, Æneas in soceri regnum successit: sed is cum adversus Mezentium Tuscorum Regem bellum gereret, quarto anno sui regni vita excessit, Ascanio filio superstite, qui postea & regno, Lavinioque novercæ tradito, Albam condidit, ubi eorum posteri usque ad Romulum ad CCCC. annos regnarunt.

CAP. III.

De Urbe Romuli, deque ipsius Portis.

EXpositum est Urbem Romuli quadrata forma fuisse: hæc autem incipiebat a Sylva, quæ est in area Apollinis, & ad supercilium Scalarum Caci, ubi Faustulo Tugurium fuit: a nonnullis existimatum est non plus soli hanc Urbem cinxisse, quam Palatinum & Capitolium. Forum autem Romanum a T. Tatio additum. Quemadmodum vero ex primorum Scriptorum sententia conjectura percipi potest, ea & Palatinum Collem Capitolinumque continebat. Tradente vero Cornelio Tacito, initium hujus Urbis murus a Carmentæ Saxo ducebat, quæ ultima Capitolii radix putabatur, & cum se ad Occidentem usque ad viam extenderet, quæ hodie non magno intervallo a Tyberi distat, ad ultimam Circi Maximi partem, ubi Ara Consi fuisse dicitur, pertinebat. Hinc ab alia parte sese flectens ad Orientem æstivum, cumque paulum a Titi Amphitheatro procederet, rursum se ad Septentriones ad usque Forum Nervæ, quod & ipsum continebatur, inflectebat. Denique parvo tractu se detorquens, alteri Capitolii parti, quam cum Palatino comprehenderet, respondebat. Scribit Livius, Palatinum a Romulo primum, in quo ipse erat educatus, esse munitum, quo nihil videtur aliud indicasse, nisi quod Palatino primum munito, Urbem, quæ multo plus complecteretur, ædificavit. Compertum enim est Carmentalem Portam ad Capitolii radices fuisse; quam tamen omnes in nova Urbe a Romulo constructa fuisse consentiunt. Id vel hinc colligi facile potest, quod Livius cum men-

A tionem habeat a quibus quave tempestate Roma aucta sit, nihil omnino de Capitolio meminit, quippe qui locus prima esset ædificatione Romuli contentus. Is quidem Romulus principio auspicato Romam condidit, sulco ducto vomere ex ære facto: aratrum duobus bobus mare & fœmina, hac interius, illo exterius acto, trahebatur; quibus ubi primum usus fuit, ambos Palilibus immolavit, qui dies Pali & pastorum deæ statis solennibusque cærimoniis natalique Urbis sacer sanctissime colebatur. Ideo statutum est ne qua hostia mactaretur, ut lætissimus dies & in primis salutaris sanguine vacaret.

B Tres Portas habuit Urbs, aut, ut quidam tradidere, quatuor. Prima sub Capitolio inter Rupem Tarpejam atque Tyberim ad Circum Flaminium, a Carmenta Carmentalis nuncupata: cujus quidem Carmentæ, auctore Solino, infima Capitolii montis pars habitaculum fuit: addit Solinus ad hanc Portam ipsius Carmentæ nunc esse Fanum: Scelerata postea dicta est ab CCCVI. Fabiis, qui cum eorum clientibus per eam exiissent, omnes ad unum ad Cremeram sunt concisi; quare malo augurio adscribi solitum est, si quis per illam exisset: propterea in Fano Senatum haberi post illud factum, religiosum fuit, quod in eo convenerint cum de Fabiorum profectione tam infeliciter decretum est.

C Sex. Pompejus scribit, Ædem Fauni tunc extra hanc Portam fuisse prope Theatrum Marcelli. Secunda Urbis Porta, quasi semper rebus in eam comportandis pateret, Pandana est appellata: hac iter erat ad Asylum in Templo, perfugio statutum, ubi fontes excipiebantur, quare libera esse a quibusdam dicta videtur, nempe quod liber per eam aditus, exitusque foret; Saturniam M. Varro vocat, cum afferat Portam, cui postea Pandana nomen fuisset, primo Saturniam ab urbe Saturnia, ibi antea ædificata, nuncupatam. Hæc Porta erat in Velabro. Tertia ad Titi Amphitheatrum fuisse perhibetur:

D Sabini Romanam potissimum dixere, quod per eam recta Romam iter esset. Mugoniam nonnulli a boum mugitu, qui per ipsam in Urbem ducebantur, dici maluere: quidam a tribus angulis, quos prope Palatini montis radices faceret, Trigoniam nominarunt. Quartam Janus de suo nomine Janualem dixit: hanc Macrobius ad radices Viminalis Collis locat. Ex his Portis duæ, tametsi in Urbis magnitudine atque incremento rebus auctis nullo usui fuissent, minusque usurparentur, neque portarum instar haberent, ne Regum quidem temporibus, nihilominus perdiu, Carmentalis præsertim, sua nomina retinuere. M. Varro affirmat Mugoniam,

E de qua paulo ante erat mentio, & simul Romanulam, quam ponit unde ad Tyberis portum descenditur prope Volupiæ Fanum, Palatii, aut Saturniæ urbis portas fuisse.

CAP. IV.

De Mœnibus, varioque Romæ antiquæ circuitu.

ROma, sicut jam antea expositum, Palatinum Capitolinumque tantum occupavit antiquitus: quamvis Romuli ipsius tempestate post

F Sabinos victos, ob gentium innumerabilium multitudinem, quæ in Urbem confluentes accipiebantur, factum est, ut Romani, auctore Livio, paulatim nova loca occuparent, munirentque, quod longe majorem, quam esset eo tempore, populum futurum animadverterent. Quamobrem, ut scribit Dionysius, Romulus Tatiusque usque adeo Urbis fines propagarunt, ut illi longius extensi cum quadam etiam Cælii, Quirinalisque parte, terminarent: hanc partem a Trajano ob ipsius Forum con-

construendum solo æquatam accepimus: Tullus Hostilius post Albam dirutam, illumque populum in Urbem vocatum, Cælium Montem adjunxit, & ad Exquilias usque perduxit. Ancus Martius deinde, capto Politorio, populoque in Urbem accito, in Aventino, tradente Dionysio, sedem dedit. Tunc in Tyberi Sublicius Pons factus est: hujus e planioribus locis Urbis fossa ingens Quiritium maximum munimentum est opus: fossa Quiritium appellata, quod ab ipsorum est Romanorum manibus facta. Servius Tullius post id tempus descriptionem Tarquinii Prisci prosecuturus, qui in animo habebat totam Urbem mœnibus cingere, totum Exquilinum, Quirinalem, Viminalemque Urbi addidit, cæmento autem & calce muris nulla arte ædificatis. Tarquinius Superbus omnium primus muros fabricari opere marmoreo diligentius atque elegantius instituit. Hactenus Urbs sub Regibus crevit, tametsi extra muros etiam habitaretur, auspiciis prohibentibus ne longius Urbs extenderetur: nam cum ad Pontem Milvium mœnibus longius quam ad Quirinalem non progrederentur, Campo etiam Martio extra mœnia posito, vetuere Aruspices, cum intra Urbem neque concionem, neque delectum ullum haberi religio esset. Quare M. Tullio auctore vel ipsius tempore Urbi Campum Martium includere cogitabant, & hujus loco Campo uti Vaticano: hoc pacto ne Aventinum quidem intra Pomœrium fuisse multis Antiquorum monumentis compertum est: hoc argumento inter cætera, quod Remus cum hunc Montem augurio cepisset, minus prospere cessit, neque Tullium, aut Syllam, Cæsaremve, a quibus est Pomœrium ab Urbe dilatatum, eum Montem intra mœnia includi voluisse, quamvis, ut est nonnullorum opinio, a Claudio Imperatore receptus est. Certum est, ut superius est narratum, Aventinum, qui duorum millium passuum circuitum continet, ab Anco Martio muro septum fuisse, ut Politorienses ab hostium injuriis excursionibusque tutos redderet, neque iccirco Pomœrium admisisse. Accedit quod ne totus quidem colebatur: immo usque ad M. Valerium & Sp. Virginium Coss. sylvis fuisse densissimum apparet. Urbis circuitus Regum temporibus angustior multo fuit, quam hac tempestate videmus: nam Tarquinii aggeres, qui tunc a Collina Porta ad Exquilinam, ex sententia Strabonis, per sex stadia extendebantur, hoc tempore multum ab ipsis differre distareque videntur. Consulum ætate Roma ex sese in dies magis augente civium numero, imperioque crescente, consentaneum est Urbis quoque circuitum dilatatum, muris in collium jugis locisque editioribus ad majorem securitatem ductis; id autem, ut Strabo putat, necesse videbatur, ne hostes occupatis collibus, castellis, aliisque operibus factis, de ipsis jacenti Civitati offensionem detrimentumque afferre possent. Itaque idem auctor est, necessitate magis quam electione conditam esse Urbem; a quo vero, aut quando, non constat, conjici tamen potest quicquid hodie est spatii a Capena Porta usque Collinam cum omnibus collibus & vallibus, quæ in medio sunt, usque ad Claudii Imp. Templum tunc intra Urbem fuisse. Claudius quidem Aventinum, ut hodie etiam videmus, translata ex eo ubi erat loco Trigemina Porta, ad eum ubi est, cum alibi esset, ut dicetur, inclusit. Verum toties incensa atque eversa a Barbaris fuit, tum instaurata, præterea toties aucta atque in arctum rursus adstricta, ut difficillimum sit veram certamque formam elicere.

Ferunt quidam antiquam Romam DCXLIX. turres, propugnacula prope infinita habuisse: hodie CCCLXVI. tantum esse. Tradidit Plinius XIV. millium pass. Romæ circuitum suo tempore fuisse, addito quinto. Aurelianum vero Vopiscus ait adeo auxisse, ut quinquaginta millium passuum circuitum contineret, quod quidem mirum videtur: quare plerique sententia cujusdam Jurisconsulti adducti, Romam etiam ipsos Vicos complecti putarunt, ut cum quis Romam diceret, una etiam Vicos comprehenderet: ipsos autem Vicos adeo fuisse latos dicunt, ut quicquid spatii esset ab Ocriculo Ponte Romam versus habitatoribus frequentissimum fuerit, argumento est, quod hospites cum ad eum locum pervenissent, tunc jam se Urbem ingressos existimabant. Id accidit Constantino Imperatori, qui cum Romam proficisceretur, & plus etiam itineris in Vicis adhuc procul ab Urbe versanti superesset quam confecisset, ubi Romanum esset Forum rogavit: mox portam ingrediens homo pusilla statura anserum more caput demisit, quod factum repente risus est consecutus: sed quomodo id de Vicis intelligamus, cum Vopiscus præcipue dicat Aurelianum mœnia Urbis quinquaginta millia passuum dilatasse? num contra Plinii auctoritatem? minime quidem. Plinius CC. annorum ætate Aurelianum antecessit; sed permirum omnino videtur: opus igitur est fateri, si Vopisco fides est adhibenda, ab Aureliano id totum, qua parte est Porta Populi, ad primam usque, sicut hodie appellant, Portam, quæ millibus passuum octo abest ab Urbe Roma, inclusam; & tantumdem spatii a divi Sebastiani Porta deflectens, ad hanc proportionem sese ad reliqua circumoccupando contulisse. Sed, ut ante exposui, habet hæc res admirationem: nec obstat quod Aristides scripsit Romam a Tyberi usque ad mare frequentissime habitatam, equidem Villas potius existimarem crebras celeberrimasque fuisse. Suetonius meminit Neroni in animo fuisse mœnia ad Ostiam usque extendere, inde vero ad usque septem Colles mare perducere. In hujus ruinis Arcadius & Honorius, quasi misericordia permoti, magna ex parte ipsam instaurarunt, ut ex marmore Tiburtino, quod in Porta Ripæ positum est, cognosci adhuc potest. Pontificum præterea opera sæpe est resarcita, in quibus fuit Adrianus primus, & Leo quartus. Is in mœnibus turres XV. aliaque propugnacula facienda curavit. Itaque in Tyberis ripa ad hanc usque diem turris ad Portam Ripæ, quam idem erexit, visitur: alia e regione istius non dissimilis sub Aventino in altera fluminis ripa conspicitur, ideo constructa, ne in Urbem Barbari irruentes, rapinis ipsam, ut antea, prædaque infestarent. Accepimus præterea a Belisario mœnia refecta, quæ adhuc ex lateritio facta videntur, cum prisca ex quadratis lapidibus confecta essent. Quamobrem quis non videat crebras murorum mutationes? Cassiodorus tradit Populum Romanum, muris Urbis partim vetustate collapsis, partim a Barbaris dejectis, Theodorum * Gothorum Regem, cum Romæ & toti fere Italiæ imperaret, rogasse, ut marmora Amphitheatri dissipata ac jacentia sibi ad muros instaurandos concederet, facileque obtinuisse. Idem fortasse de plurimarum Urbis Portarum mutationibus afferri posset. Hoc tempore Roma, si quis quærat, XIII. millibus passuum circuitu continetur.

CAP. V.

De Pomœrio.

De Pomœrio quoniam superius facta mentio est, illud admonendum videtur, nihil esse aliud quam locum circa mœnia tam intrinsecus quam extrinsecus in condendis urbibus relictum, quem Hetrusci qua parte murus esset ducendus inaugurato consecrabant. Id spatii neque arari, neque habitari fas erat, & quamvis a plerisque es-

* Leg. *Theodoricum*.

ſet amplificatum, dilatari tamen aut mutari non licebat. Idque hac Inſcriptione cognoſcitur:

COLLEGIVM AVGVRVM AVCTORE IMP. CAESARE DIVI TRAIANI PARTHICI F. DIVI NERVAE NEPOTE TRAIANO HADRIANO AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. V. COS. III. PROCOS. TERMINOS POMOERII RESTITVENDOS CVRAVIT.

A Serv. Tullio amplificatum eſt: neque ante Syllam, a quo longius extenſum eſt, mutatum deprehenditur: hunc imitatus eſt filius Cæſar, ut in ænea tabula ad divum Joannem Lateranum conſpicitur in hanc ſententiam:

VTIQVE EI FINES POMOERII PROFERRE PROMOVERE CVM EX REP. CENSEBIT ESSE LICEAT, ITA VTI LICVIT TI. CLAVDIO CAESARI AVG. GERMANICO.

In alio marmore Ad Divæ Luciæ idem, ſed planius, apparet:

TI. CLAVDIVS DRVSI F. CAESAR AVG. GERMANICVS PONT. MAX. TRIB. POT. VIIII. IMP. XVI. COS III. CENSOR P. P. AVCTIS POPVLI ROMANI FINIBVS POMOERIVM AMPLIAVIT. TERMINAVITQVE.

Id ambitione magis quam neceſſitate adducti, quaſi ab iis Pomœrium ampliari poſſet, a quibus Imperium extenderetur, faciebant: quod Aurelianus ſecutus eſt.

CAP. VI.

De Portis Urbis & Viis in univerſali.

IN varietate Urbis ampliandæ atque contrahendæ ex Portis nonnullæ ſunt excluſæ, unde etiam nomina amiſere; pleræque alio translatæ retinuere; non paucæ aliud accepere. Plinius XXXVI. fuiſſe connumerat, quamvis corruptus locus exiſtimetur, & XXIV. legendum putent: hodie ad XX. ſunt, ſi eas, quæ trans Tyberim atque in Vaticano ſunt, numeremus: harum nomina hæc eſſe dicunt, cum nominibus Viarum, quæ ab ipſis egrediuntur:

Porta Flumentana, hodie Populi; Via Flaminia.

Collatina ſive Pinciana; Via Collatina.

Collina, aut Salaria, & Quirinalis, & Agonalis; ſed Via Salaria, Viminalis aut Numentana; hodie Divæ Agnetis; Via Numentana.

Exquilina vel Taurina, hodie divi Laurentii; Via Querquetulana.

Tiburtina & Præneſtina.

Nævia, ſive major, Labicana, & Præneſtina.

Cælimontana, ſive divi Joannis; Via Campana.

Gabina; Via Gabina.

Latina Porta & Via.

Capena, hodie divi Sebaſtiani; Via Appia.

Trigemina, hodie Divi Pauli; Via Oſtienſis.

Tranſtyberinæ tres ſunt cum Viis ſuis.

Navalis, hoc tempore, Ripæ; Via Parmenſis.

Aurelia, nunc divi Pancratii; Via Aurelia.

Septimiana, ſive ſub Fano, aut Fontinalis; Via Julia.

Triumphalis quoque & Porta & Via perhibentur, feruntque in Vaticano ſex fuiſſe, de quibus mox agendum ſit. Quæ ſunt ex his vetuſtate antiquiſſimæ ex quadratis lapidibus veteri more factæ, ſtare conſpiciuntur, hujuſmodique fuiſſe Urbis mœnia Livius auctor eſt. Ad quamlibet harum Portarum vehicula precio expeditiſſima præſto erant. Ex Viis ab his Portis exeuntibus, tametſi multæ in Urbe, nonnullæ extra initium ducerent; quædam Conſulares erant, ſicut Aurelia, ac Flaminia; quædam Cenſoriæ, ut Appia; aliæ Prætoriæ; aliæ triumphales; ab hominum dignitate nomen ſortitæ. Strabo ſcriptum reliquit Romanos in viis curandis colles excelſos demoliri, valleſque alias materia implere ſolitos. C. Gracchus, ſcribente Plutarcho, publicas Vias partim direxit ſtravitque, partim arenæ munivit aggeribus, iniqua adæquans, & quantum valles torrenteſque abrumpebant, pontibus æquali altitudine ac proclivitate conjungens, pulcherrimam operis ſpeciem oſtendit. Demenſo præterea (ne a Plutarcho aberremus) Viarum ſpatio, ſingulis quibuſque milliariis columnas lapideas ſpatii ſigna præmonſtrantes conſtituit. Alios inſuper eodem, referente, lapides parum inter ſe diſtantes ex utraque viarum parte diſpoſuit, ut ex illis facile & ſine ſaltu in equos eſſet adſcenſus. Sed de Portis ac Viis ſingillatim dicamus.

CAP. VII.

De Porta Populi, Viaque Flaminia.

FLumentana quidem Porta non fuit, ubi nunc ea eſt, quam Populi Portam vulgo appellant: nam, ut antea eſt dictum, Campum Martium, qui in Urbe nunc eſt, extra Urbem fuiſſe manifeſtum eſt, eam ſic dixere, ex Sex. Pompeii ſententia, quod eam aliquando Tyberis perflueret; nec multum a ripa ac Sixti Ponte, e muri regione, qui conſtructus ab Anco Martio fuerat, Janiculo intra urbem recepto, fuiſſe ſuſpicor. Extra hanc Portam, qua in Capitolinum, Lucus fuit Petilinus, unde Capitolium, Livio auctore, videri non poterat. Hæc a Claudio, ubi nunc eſt, translata putatur, a quo in ea parte amplificatum eſt Pomœrium, Flaminiaque eſt a Flaminia Via vocata. Hodie Populi nomen habet a Fano Divæ Mariæ, quod eadem appellatione nuncuparunt. Ad hortorum radices eſt Neroniſque ſepulcrum. Quidam fornicem triumphalem fuiſſe priuſquam vetus Flumentana traduceretur, crediderunt; Beliſariumque ſuper illis fundamentis vetuſtiſſimis mœnia, quæ ab hujus Portæ dextra atque a ſiniſtra ſunt, exſtruxiſſe.

Flaminia igitur a Flaminio Cos. a quo poſt Ligurum victoriam ſtrata eſt, ex hac Porta exire putatur: hujus olim initium ad Viam latam, quæ ad Capitolium ducebat, per Narnienſes, Spoletinos, Fulginates, Fannenſes, Piſaurenſes & Ariminum uſque protenditur. Æmilia vero, quam ſtravit Æmilius Lepidus Flaminii Collega, ab Arimino procedens, Bononiam attingit. Conſtat tamen de alia Flaminia a Scauro ſtrata, qua ab Piſis ad Vada Sabatia iter fuit. Scribit enim Suetonius, quo facilius Urbs adiretur, Auguſt. deſumptam ſibi Flaminiam Viam, Arimino tenus muniiſſe, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia ſternendas diſtribuiſſe: per hanc Viam nono ab Urbe lapide Cæſarum erat Villa, cognomento *ad gallinas*, hujus autem nominis rationem reddit *, ait enim Liviæ Druſillæ, quæ poſtea Auguſta matrimonii nomen accepit, cum pacta eſſet illa Cæſari, Gallinam conſpicui candoris ſedenti Aquilam ex alto abjeciſſe in gremium illæſam, intrepideque miranti, acceſſiſſe miraculum, quoniam teneret roſtro laureum ramum onuſtum ſuis baccis: conſervari alitem aruſpices voluiſſe, ramumque eum ſeri, ac rite cuſtodiri, unde mire ſylva provenit, ex ea triumphantem poſtea Cæſarem lau-

* Plinius ſcil. lib. 15. cap. 30.

rum in manu tenuisse, coronamque capite gessisse, ac deinde Imperatores Cæsares cunctos. Ex ea Gallina natum proverbium est, *Gallinæ albæ quempiam esse filium*. Extra hanc Portam Via Claudia teste Ovidio fuit, quæ Flaminiæ jungebatur. Via insuper Cassia sic a Cassio dicta, quod ille stravisset. Hæc Sutrium, Vetrallam, ut hodie vocant, Viterbum, atque in eum agrum quem Bolsenæ hac ætate nominant, ducebat. Secundo ab Urbe lapide in Flaminia Pons est, *Mollem* hodie dicunt, de quo, cum aliis qui in Tyberi sunt, suo loco dicemus.

Cap. VIII.

De Pinciana Porta, & de Collatina.

COllatia Sabinorum civitas Collatinæ Portæ, quæ est in propinquo colle, nomen dedit; quæ urbs quoniam huic Portæ occurreret, effecit ut universus ager ille Romanus Collatiæ nomine diceretur. Fuit autem Collatia Tarquinii Collatini patria, Lucretiæ pulcherrimæ præstantissimæque fœminæ mariti; sic a collatis in eam urbem finitimorum opibus appellatam, scribit Sex. Pompejus. Hodie, multisque ab hinc annis, Pincianam, ab ædium regiarum magnificentia Pincini Senatoris, vocant. Harum autem ædium lapides nobilissimos a Theodorico Gothorum Rege Ravennam aliis ædificiis ornandis invectos accepimus. Belisarium autem muros a Barbaris dirutos ex utraque hujus Portæ latere instaurasse, superius est expositum.

Via vero ab hac Porta initium ducens hodie Collatina, quod Collatiam duceret, vocatur. Parum procedens cum Salaria jungitur. Ferunt longius sese aliquando extendisse, ut ad eum etiam locum, Frontino auctore, perveniret, ubi Aqua, sicut appellant, Virgo colligebatur. Hujus quidem Aquæ etiam nunc aquæductuum profundissimorum vestigia apparent: per quæ sub Romam occulte tecti Gothi olim irrepsere juxta Pincianam Portam, unde facillime Urbem cepissent, nisi eorum insidiæ, Procopio teste, patefactæ fuissent.

Cap. IX.

De Porta & Via Salaria.

TErtia Quirinalis ideo est appellata, vel quod ad Quirinalem Collem duceret, vel a propinqua Cella Quirini. Agonalis etiam est dicta, quoniam cum Tyberis inundationibus Agonales Ludi in Flaminio Circo perfici non possent, per hanc Portam extra Urbem ferri celebrarique cum omni pompa ad Veneris Erycinæ mos erat. Collinam item ex Varronis sententia a frequentibus collibus Quirinalis vocant. Salariam præterea nominant, a sale, quod per eam Sabini in Urbem comportarent. Galli Senones per hanc in Urbem irruisse, eamque direptioni atque incendiis mandasse dicuntur. Sic olim appellata Via est hinc initium ducens, quoniam nulla alia via rectius in Sabinos iretur. Numentana enim in hanc desinit ad Eretum, quam Sabinorum villam ad Tyberim positam, Volaterranus montem rotundum putat. In hac Via non procul ab Urbe Fanum erat Veneris Erycinæ, ubi Agonalia Apollini, Tyberi ripas excedente, magna totius Urbis celebritate faciebant. Hoc Templum, Strabone teste, pulcherrimam habuit porticum, votoque positum a Fabio Dictatore, postea a L. Portio dicatum est. Hujus deæ simulacrum Sulpitia Paterculi filia, Fulviique Flacci uxor, omnium fœminarum consensu castis-

A sima atque integerrima, consecravit. Huic deæ fictas imagunculas suaque ludicra puellaria virgines offerebant: eademque a matronis, ut quæque optima putaretur, summa veneratione, solennique pompa, cum ferculo colebatur. Augusto enim mense huic membri virilis imaginem offerri mos erat: & quamvis hoc meretricium videri poterat, nulli tamen nisi castitate præter cæteras insigni membrum attrectare licebat, quod attrectatum, mox in Veneris gremium reponebat. Hic Verticordiæ Veneris Statua fuisse putatur, ideo sic appellatæ, quod fœminarum corda verteret, & ab effrenata libidine
B revocaret. Extra hanc Portam Honoris fuit Templum, cujus ædificandi illa potissimum causa fertur fuisse, quod eo in loco ænea lamina cum iis notis DOMINA HONORIS effodiendo reperta sit: ab hac tribus mill. pass. Annibal castra posuit, ad Anienem; & proxime Herculis Fannum accessit, ut Urbem vexaret. Sed imbribus ac grandine ter perterrefactus, pedem referens, Urbem obsidione levavit. Duobus milliariis ab Urbe in Via Salaria pulcherrimum sepulcrum Licinii Augusti Tonsoris ditissimi quidem hominis visitur, qui similiter Pons Salariæ nomine appellatus, a dextra hanc habet Inscriptionem:

C IMPERANTE DN. PIISSIMO AC TRIVMPHALI SEMPER IVSTINIANO PP. AVG. ANNI XXXIX. NARSES VIR GLORIOSISSIMVS EX PRAEPOSITO SACRI PALATII. EX CONS. ATQVE PATRICIVS. POST VICTORIAM GOTHICAM IPSIS ET EORVM REGIBVS CELERITATE MIRABILI CONFLICTV PVBLICO SVPERATIS ATQVE PROSTRATIS LIBERTATE VRBIS ROMAE AC TOTIVS ITALIAE RESTITVTA PONTEM VIAE SALARIAE
D VSQVE AD AQVAM A NEFANDISSIMO TOTILA TYRANNO DESTRVCTVM PVRGATO FLVMINIS ALVEO IN MELIOREM STATVM QVAM QVONDAM FVERAT RENOVAVIT

A sinistra hoc Epigramma grandioribus notis legitur:

Quam bene curvati directa est semita pontis,
Atque interruptum continuatur iter:
Calcamus rapidas subjecti gurgitis undas,
Et libet iratæ cernere murmur aquæ.
Ite igitur faciles per gaudia vestra Quirites,
E *Et Narsim resonans plausus ubique canat.*
Qui potuit rigidas Gothorum subdere mentes,
Hic docuit durum flumina ferre jugum.

Anio, ut Strabo scribit, ad Tybur ortum habens, non admodum infra Salarium Pontem, agrum Sabinum a Romano dirimens, Tyberi jungitur. In Aniene ferunt Iliam sepultam, proxime Marii monumentum fuisse, Cicero auctor est. Ad Anienem Torquatus Gallum aureo torque detracto superavit. In hujus alveo Sibyllæ Tyburtinæ libellum tenentis simulacrum repertum scribunt. Inter Salariam Viam atque Tyberim Lucus fuit, in quo
F sacra sunt instituta, quod in eo Gallorum tumultum fugientes, absconditi servatique essent.

Cap. X.

De Porta divæ Agnetis, & Via Nomentana.

VIminalis Porta a Viminali Colle nuncupata, ad cujus extremitatem posita est, superiori succedit. Alii uno nomine utrumque a vicina

viminum Sylva, ubi postea Jovi Viminneo Aræ dicatæ sunt, appellatum volunt. Strabo tradit hanc in mediis Tarquinii aggeribus fuisse. Domitianam eandem, & Nomentanam, quod per eam ad Sabinorum Nomentum iter esset, nonnulli dixere. Figulinensem a figulinis, ubi vasa confici solerent, sicut postea ad Testaceum Montem facta perhibentur; hodie Agnetis nomen sortita est. Ad hujus latus, extrinsecus ex more, Neniæ fuit olim Templum, quod eorum deorum templa, quorum facultas nocendi esset, extra Urbem dedicarent. Iccirco sic dicta putatur, quod in luctu lamentationibus clamoribusque invocaretur.

Nomentana Via eadem, & Figulinensis, Livio auctore, hinc initium capit; per hanc ad II. lapidem ultra Templum modico intervallo vetustissimum Bacchi Templum exstat sphærica figura constructum, binis per ordinem columnis, quibus fornix sustinetur, circunquaque dispositis, emblemate, aut, ut hodie loquuntur, Museato opere, picturisque perantiquis apparatissimum. Hic omnia Bacchi gesta in marmore expressa, antiquitate tamen semi-consumpta videntur. Sepulcrum ex porphyrite uvam vitesque habens visitur, Bacchi vulgo sepulturam appellant. Hoc Templum Alexander IV. D. Constantiæ virgini Magni Constantini filiæ dicavit. Quod in porta Templi comprehendi potest, in eodemque monumento virginem conditam putant. Idem in Vaticanum traduci Paulus PONT. II. ut eo conderetur, imperavit, sed illi interea morienti, parato sepulcro frui non licuit. Fama est Constantiam virginem, cum lepra torqueretur, & D. Agnetis opera morbo infestissimo levata esset, Templum illi, & virgines, seque in primis consecrasse. Hodie etiam subterraneo loco, quo per multos gradus descenditur, D. Agnetis Templum, marmoribus eleganter instructum atque ornatum, conspicitur. In hujus festi celebritate Agnos duos velleris candidissimi offerri mos est, quorum lana zonas texunt, quibus tanquam ornamento Pontificum creatorum utuntur. Ad Bacchi Templum quædam maximi cujusdam ædificii ruinæ prostratæ cernuntur; Hippodromum fuisse plerique conjiciunt. Hinc trium millium spacio in Aniene Pons est Nomentanus, vetus nomen retinens a Narsete Eunucho, quemadmodum & Salarius factus dicitur. Hujus rei marmor argumento fuit, quod ad memoriam facti prodendam incisum, alio abductum scimus. Per hanc Viam Salariamque IV. ab Urbe milliario Villa pulcherrima fuisse memoratur Phaontis Neronis Liberti, quo cum se profugiens Nero recepisset, seipsum interemit.

CAP. XI.

De Porta inter aggeres, & de Querquetulana.

PORtam, quam nunc post Viminalem interceptam clausamque videmus, nonnulli inter aggeres nominant, quoniam cum in Viminali Campo sit, quod hodie *Vivarium* dicunt, contra Tarquinii aggeres locata est. Ego quidem, si hujus apud quempiam ex Scriptoribus mentio ulla reperiretur, magis adducerer ut crederem, Viminalem eandem & quæ inter aggeres dicitur, fuisse, præcipue tum, cum, ut supra exposuimus, in ipsis Tarquinii esset aggeribus, priusquam eo esset loco, quo nunc translatam videmus. Tunc enim sibi hoc præcipue nomen congruebat. Non desunt, qui Plinii verbis adducti hanc Portam Querquetulanam a propinqua quercu fuisse malunt appellatam. Scribit autem Plinius, Fagutalem Jovem ibi fuisse, ubi Lucus fageus fuit, ac Porta Querquetulana colle, in quem vimina petebantur, Viminalem profecto innuens. Quid, quod nonnullorum fuit opinio Querquetulanam in Cælio Monte fuisse, auctoritate Taciti freti, qui scriptum reliquit Cælium Montem Querquetulanum nuncupatum. Sex. Pompejus testis est, Querquetulanas Nymphas vocatas, quod querceto intra Portam Querquetulanam existenti præsiderent. Ex vetustissimis fundamentis apparet antiquæ Romæ mœnia, quæ hoc loco sunt, ab Agnetis Porta recta fere ad hanc clausam extendi. Hanc quidem clausam loco edito ac præcipiti positam, tamen quoniam esset inaccessa, minus ab hominibus usurpatam, Clemens VII. intus extraque pomerio patefacto purgatoque frequentiorem reddidit, quod non hac tantum parte, verum ad omnia etiam mœnia ob propugnandæ defendendæque Urbis, si opus esset, facultatem, civiumque commoditatem curavit. Extra eandem Portam æquata planities est quadrata forma, muroque septa. Prisci vigilum arcem vocabant; ajuntque olim Prætorianis Diocletiani militibus illic domicilia assignata. Scribit Procopius contra Vivarium extra mœnia proxime Urbem parvum quendam murum, nec ab Urbe satis remotum, non quidem ad Urbis tutelam adjunctum esse potius quam voluptati, eo enim loco feræ claudi consueverunt, unde Vivarii nomen habuit. Hoc vero tempore, qui fundos possessionesque illic possident, majoris discrimine Vivariolum appellant: hujus Portæ interiori parte Viam quamdam maxime celebrem fuisse narrant, ad quam etiamnum Triumphalis Gordiani Cæsaris fornix exstat.

CAP. XII.

De Porta D. Laurentii, & de Via Tyburtina, Labicana, ac Prænestina.

POrtæ clausæ Exquilina, ita Veteribus dicta ab Exquilino, vel Campo, vel Monte, ordine succedit. Taurinam a Tauri capite, quod hodie etiam in ipsius frontispicio sculptum perdurat, nominatam scribunt. Hoc tempore D. Laurentii, ab ipsius Templo, quod ad primum lapidem ab Urbe egredienti occurrit, vocatam nemo ignorat. Tyburtinam quidam agnovere, aliamque longe ab Exquilina Tyburtinam putarunt, quippe quæ inter istam Næviamque esset; nullius tamen Portæ hoc nomine mentio reperitur. Viam tantum Tyburtinam, qua Tybur concederent, quo æque Nævia atque Tyburtina ducebat, non inferiorem fuisse. Ex hac Porta excedentibus circiter millia pass. ab Urbe, ut superius posuimus, D. Laurentii Templum, a Constantino Magno vario exquisitissimoque marmorum & omnium lapidum genere ac varietate ornatissimum, mirabilique arte inauratum, præsto est. Hoc non multo ab hoc tempore Oliverius Caraffa Cardinalis Neapolitanus præclare illustravit; sub ara majori hujus Templi ferreis cancellis ossa, & sicut hodie loquuntur *Reliquiæ* D. Laurentii ac Stephani concluduntur. Ab Exquilina, auctore Strabone, Labicana Via, quæ ad Labicanos ducebat, hodie Vallem *Montonem* dicunt, ac Prænestina ab oppido Præneste appellata, incipiebant. Prænestinam tamen intra Urbem habuisse initium, Capitolinus testis est; is enim Gordiani Palatium ad hanc Viam in Urbe fuisse scribit. Labicana a Nævia quondam exibat. Neque absonum videtur, si unica Via a pluribus Portis principium sumeret. Nam ab uno atque eodem loco, verbi causa, a Labicanis nullo itineris dispendio Romam per plures Portas ingredi poterat. Ad D. Laurentii Templum inter vites obeliscus dirutus exstat, quo auctore sit invectus, conjici non potest. Non procul Mammæus Pons

est in Aniene, a Mammæa Alexandri Mammæi matre instauratus, & ab Antonino Pio quondam exstructus, vulgo *Mammolum* appellant. Quartus Pons Lucanus in eodem flumine non longe a Tybure differt. Ex Aniene duos fluvios tubis atque euripis Anienem scilicet novum veteremque Roma excipiebat.

CAP. XIII.

De Porta Nævia, & de Via Labicana, ac Tyburtina.

NÆvii nescio cujus Sylva nomen Portæ fecit, quæ Laurentianæ succedit, nunc Majoris sive S. Crucis nomen est sortita. Quidam super triumphali forma structam volunt. Duæ hinc Portæ, Labicana scilicet atque Tyburtina, alias Prænestina, oriuntur. Prænestina in Urbe incipit, super Coliseo, atque intra Cælium Montem & Exquilinum sedens, recta ad hanc Portam pervenit, Tyburtina vero initium ad Suburram habens, a D. Luciæ in Silice, ut vocant, inde per Arcum D. Viti in Macello, ac proxime Marii Trophæa, præterea Caii Luciique Basilicam, hodie *Gallucias* dictas, varie sese inflectens, ad hanc Portam tandem perducitur. Extra Urbem statim dividuntur, Labicana quidem a dextra ad alveum Aquæ Claudiæ, Columnamque, sic hodie hanc Urbem appellant, Prænestina vero a sinistra, per Gabios transiens, Præneste, *Palæstinam* hodie nominant, tendit.

CAP. XIV.

De Porta D. Joannis ac Via Campana.

CÆlimontana sequitur a Montis Cælii vicinitate appellata, a D. Joannis nobilissimo Templo Lateranensi hodie nomen habens. Asinariam etiam vocant, nulla quidem Antiquorum auctoritate. Sex. Pompejus tantum hujus nominis meminit, nihilominus inter Latinam Viam atque illam, qua ad Hostiam perveniretur, locavit. Fulmine ictam Livius scribit. Hinc Campana Via ortum habet, quam sic vocarunt, quod in Campaniam duceret, statim in duas divisa, post pusillum spatii iterum cum Latina junguntur.

CAP. XV.

De Porta Gabiusa ac Via Gabina.

INter D. Joannis Portam ac Latinam, in muri recessu, sub Cæliolo Porta clausa est, Gabiusam a Gabiis, quo ducit, dixere. Hanc hodie *urbem Gallicanam* vocant, inter Urbem ac Prænest epositam in ipsa Prænestina Via. Ex hac Porta, quemadmodum Livius videtur innuere, Gabina Via ducit originem. Hæc, si Straboni credimus, brevissima fuit, & cum Prænestina jungebatur; fulmine ictam idem Livius tradit. Sunt, qui ex quodam mensuræ genere Metrodii nomine dictam velint. Per hanc hodie Rivus Aquæ Appiæ, nonnullis Aqua Mariana appellata, in Urbem influit.

CAP. XVI.

De Porta ac Via Latina.

LAtina mox adest, veteri nomine servato, sic dicta, quod a Latio recta in Urbem ferret: *Campaneam* Romæ hodie appellant. In supercilio Cælioli positam Ferentinam Antiquis nominatam suspicantur, cujus nominis, cum Portam intelligimus, tametsi mentio in Auctoribus reperitur, de Latina Via ne litera quidem apud quenquam exstat, si eos exceperimus, qui mille annorum abhinc ætate provecti sunt.

Sed quando Strabo Ferentinum Hernicorum urbem ad Latinam Viam ponit, & insuper Plutarchus de Ferentina meminit, hanc ipsam esse putamus, quod per eam egredientes, statim in Latinam incurrunt, qua ad Hernicos cæterosque Latinos populos pervenitur. Prope hanc Portam Fanum est D. Joannis Apostoli nomine. Hunc Domitiano imperante ferunt in ahenum olei ebullientis conjectum incolumem integrumque evasisse. Nec procul aliud ejusdem Joannis Templum vetustate collapsum visitur. Latina per Vallem *Montonem*, ut vocant, usque ad Divum Germanum excurrit, nec longe mox cum Appia conjungitur. Ad quartum ab Urbe lapidem in Latina, Fortunæ muliebris Statua ac Templum fuisse memoratur, hæc tangi a nulla mulierum fas fuit, ea excepta, quæ uni tantum nupsisset. Valeria Publicolæ filia prima omnium hujus Templi sacerdos facta est. Ad eandem Viam Phyllidis Domitiani nutricis Villa fuit, ubi ea memor Domitianum suum cohonestans, ipsius funeris exsequias persecuta dicitur, Imperatorisque reliquiis cineribusque in Flaviorum Templum collatis, cum Juliæ Titi filiæ cineribus, quam eadem sustulerat, grandemque educaverat, commiscuit.

CAP. XVII.

De Capena Porta, & de Appia Via.

PArum a Latina distans Capena sese offert. Capena urbs proxime Albam ab Italo Rege condita, quo tempore e Sicilia profectus, cum ingenti Syracusanorum manu ad Fanum venit, Portæ nomen invenit. Asconius tradit extra hanc Portam Camœnarum Lucum ac Templum fuisse, unde etiam Camœnarum nomen nonnullis Auctoribus meruit. Hodie S. Sebastiani vocant, ab ejus S. Templo duobus millibus passuum extra posito. Humidam Juvenalis appellavit, quoniam in loco maxime imo sit. Inter hanc Viamque Latinam Tribus Lemonia fuisse traditur, Sexti Pompeii sententia a Lemonia Villa nominata. Ad hanc, auctore Ovidio, Morarii locus perhibetur fuisse sacer cum rivo ex Dei nomine nuncupato: hujus lympha quicunque ad dei celebritatem convenirent, Morarii nomine cum religione repetito, sese inspergebant, cum a criminibus, præsertim perjurio, lustrati, aqua dilui, falso existimarent. Ex hac Porta Tempestatis Templum exstitit, Marcelli voto positum. Is enim cum Sardiniam Corsicamque peteret cum exercitu, ac repente magna tempestas orta eo discriminis ipsum adduxisset, ut pene obrueretur, quoniam ex illius vi evasit, Templum Tempestati voto nuncupatum exstruxit. In Camœnarum Fano, de quo supra exposuimus, quod a Fabio nobiliori positum fuerat, Actius Poeta suam statuam, grandem illam quidem & pene vastam, si Actii corpus pusillum spectetur, erexit. Extra eandem ipsam Portam Apollinis Ara, Honoris Lucus, Templum Spei reperiebatur; paulumque ab hac Porta degredienti, sororis Horatii sepulcrum se offerebat, quadrato lapide, scribente Livio, erectum, quo loco a solo Horatio Curiatii fratres fortissime sunt prostrati; Curiatiis vero atque Horatiis eodem loco, quo quisque cæsus ceciderat, eodem referente, tumulus structus est: Horatiorum quidem sepultura Albam, Curiatiorum Romam spectabat. Ad secundum lapidem ab hac Porta Ridiculi Templum est positum, nempe Annibalis successu ridiculo, qui illic castra po-

fuisset, illusus, turpiter pedem referre coactus sit. Appia Via in Urbe incipiens ad Severi Septizonium, quamvis Sex. Pompejus ad Capenam scribit, per Capenam ipsam transiens recta per Albæ ruinas Ricciæque extensa, item per Terracinam, Fundos, Molam, Sinuessam, per Stellatem denique Campum, Brundusium pervenit. Ita Appius Cæcus, quod eam Capuam usque straverit, appellavit; qui vero hinc ad Brundusium instruens perduxerit, incertum est. Plutarchus tamen scribit Cæsarem, cum sibi illius ornandæ negotium esset mandatum, grandem pecuniam in ea consumpsisse: a Trajano postea dicitur instaurata, collibus demolitis, soloque exæquatis, vallibus insuper materia varia oppletis; Reginam omnium Statius appellavit. Adeo lata dicitur fuisse, ut duorum in ea curruum neuter impedimento alteri esset. Scribit Livius, Censores Viam a Capena usque ad Martis Templum, quod augustissimum centumque columnis suffultum Sylla Ædilis dicavit, sternendam curasse. Hujus Templi bona pars, ut est in Christianorum Historiis, precibus Divi Stephani Pontificis, cum illuc a Valeriano ac Gallieno Imperatoribus perductus esset ut Sacra faceret, corruisse fertur. Juxta hoc Templum Manalis erat lapis, quem cum propter nimiam siccitatem in Urbem pertraherent, sequebatur statim pluvia; eumque, quod aquas manaret, Manalem dixere, quasi hoc suo motu manaret pluvia. Refert Livius Martis Simulacrum in Appia sudasse. In hoc Templo Senatus Hostium Legatos audiebat, ne in Urbem intromitterentur. In eadem Sacrarium fuit Deæ Bonæ, ubi Clodius est interfectus. Laurentina Appiæ jungebatur, quo loco Terminalia facere mos erat. Eratque inter Ostienses atque Ardeatiam, a Laurente Sylva Aventini, vel potius quod Laurentum agrum secaret, nominata videtur. In hac Terentii Hortum XX. modiorum fuisse narratur. A dextra in eadem Via ad secundum lapidem D. Sebastiani Templum surgit. Ubi est Callisti Cœmeterium, locis subterraneis manuum opera factis multorum Martyrum sepulturam habens: ubi cellæ adhuc exstant, in quibus nostri sacrificabant, cum illi Imperatorum metu occulte in suis cærimoniis versarentur. Non procul ab hujusmodi Templo ad hanc Viam ingentes tectorum ædificiorum ruinæ conspiciuntur: in iis Obeliscus est diffractus, & quantum ex metarum vestigiis conjectura consequi potest, crediderim ibi Antonini Caracallæ Circum exstitisse, quo loco ajunt antea Domicilia Prætoriana fuisse Tiberii Cæsaris militum. Nam tradit Suetonius, Romæ hunc castra constituisse, quibus Prætorianæ cohortes, vagæ ante id tempus, & per hospitia dispersæ, continerentur. In Appia præterea fuit Ægeriæ Lucus a Numa Camœnis dicatus: plurima in hac sepulcra fuere; quorum etiamnum vestigia apperent: idque M. Tullius innuit, *An tu*, inquit, *egressus Porta Capena; cum Collatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum sepulcra vides, miseros putas illos?* Sed cum in illis neque ullum ornamentum, neque ulla fere inscriptio integre duret, difficile sit necesse est, certum quid de iis afferri, uno fortasse excepto, quod paulum a Caracallæ Circo abest, eo quidem loco quod Caput bovis appellarunt, tale legitur:

CÆCILIÆ Q. CRETICI F. METELLÆ CRASSÆ.

Incertum fuisse ubi sepultus jaceret Scipio Africanus, Livius auctor est; nam Linterni conspiciebatur ipsius sepulcrum cum statua: Romæ similiter extra Capenam tres in Scipionum sepulcro statuæ visuntur, duæ Publii ac Lucii Scipionum, tertia Ennii. Q. Cælii monumentum, in quo Pomponius Atticus ipsius nepos conditus fertur, V. millibus passuum a Capena abfuit; Gallieni autem IX. mill. pass. ab Urbe in Appia. In qua quidem millium passuum intervallo Cella reperitur, cui vulgo *Domine quo vadis* inditum est, ea ratione, quocum D. Petrus ab Imperatoris indignatione sese subducens Roma profugeret, ibi Christum obvium habuerit, cui dixerit, *Domine quo vadis?* eique illum respondisse, *Romam iterum crucifigi*. Ibi, ut est omnium opinio, in marmore divina Christi vestigia impressa conspiciuntur, quamobrem effectum est, ut sempiternæ ejus rei memoriæ Fanum sit erectum.

CAP. XVIII.

De Trigemina Porta, & de Via Ostiensi.

Ultimam quidem Portam Trigeminam ideo dictam accepimus, quod per eam ad certamen cum tribus Curiatiis tres Horatii egressi sunt. Verum tunc non eo erat loco, quo hodie conspicitur: antea enim fuit ad Tyberim, Aventinique radices, juxta Scholam, sicut nunc appellant, Græcorum; Aventinusque non in Urbe erat: iccirco Livius memorat, cura Ædilium Porticum extra hanc Portam Aventinum versus stratam: quamvis Solino auctore Alveus Aquæ Appiæ ad Salinas proferretur, qui locus est juxta Trigeminam. Idem scribit Cacum habitasse locum, cui Salinæ nomen est, ubi Trigemina est Porta. Quidam narrant, Aventino intra Pomœrium recepto, hanc ipsam Portam mutatam; atque ad ipsius Aventini radices, Tyberimque, qua in latum Campum Testacei exitus est, renovatam. Hoc autem argumento nituntur, quod Livius de bello Macedonico tradit ab Ædilibus Porticum inter lignarios, qui, ut mox dicetur, erant ad Testaceum, extra Trigeminam factam. Verum si neque Sylla, neque Cæsar, intra Pomœrium complecti hunc Montem voluere, quo pacto quis belli Macedonici tempore, quod multo ante gestum est, in Urbem adscitum credat? cum jam eo Trigemina esset translata? equidem existimo Livii sententiam de Ædilibus, a quibus inter lignarios Porticus intra Trigeminam constructa sit, recte habere, Porta in suo etiam loco ac sede permanente; egredientibus enim ex hac Porta, occurrebant in Testaceo lignarii; nisi forte quis putet Ancum Martium, a quo ob Urbis tutelam muro Aventinus est cinctus, in Testacei exitu Portam ejusdem nominis reliquisse. Hæc autem eo, ubi nunc est, traducta, divi Pauli nomine ab ipsius Templo nuncupatur: cum vero Aventinus intra Pomœrium reciperetur, ab hac Porta recta primum, postea vero transversus per fluminis ripam, usque ad Ripam murus ductus est. Quæ vero ab hac initium sumit Via, Ostiensem, quod Ostiam ducat, dixere: in hac Via, milliario paulo plus ferme ab Urbe, nobilissimum D. Pauli Templum sese offert a Constantino erectum, postea tot ac tam præclaris ornamentis illustratum, atque opere Museato ab Honorio Pont. varie distinctum: sed hujus Templi ara majori D. Petri ossa atque una plurimæ Reliquiæ cum summa veneratione servantur. Hujus vestibulum ab Hadriano primo Pont. imitatione Templi D. Petri a Dono instructi, lectissimo marmore stratum constat. Hinc ad mille pass. Cœnobium præsto est, a tribus fontibus nomen retinens: hic enim caput a D. Pauli cervice divisum, cum ter insiluisset, tres repente fontes scaturiisse manifestum est, quæ a prætereuntibus videri & gustari possunt. D. Bernardi Monachi locum colunt. Verum cœli gravitate, quoniam in paludibus sit, & pestilenti adspiratione, pene desertus locus videtur.

Cap. XIX.

De Portis Transtyberinis, & de Porta Ripæ, & Via Portuensi.

Janiculum sive Transtyberinum majus ultra flumen est, totumque muro cinctum tres habet Portas: Prima trans Tyberim ac Janiculum Montem posita, a Navali, cui proxima erat, ut scribit Sex. Pompejus, nomen accepit: qui locus ideo sic dictus putatur, quod eo naves appellerent, ut ex eo loco præcipue apparet, quam hodie *Ripam* nominant. Quamobrem nunc quoque Porta Ripæ dicitur. Portuensem quidam appellavere, quod ea Portum iretur, quem locum ad Tyberis ostium Claudius Imp. condidit. Quocirca ab illius tempore ad nostram usque ætatem, (nec enim antea notum fuit quo nomine vocaretur) hoc nomen Via ipsa retinuit. In hac Urbe fuit Fanum portum *. Idem Claudius hic turrim in mari exstruxit Phari imitatione, qui ad Alexandriam in mediis fluctibus surgit, lumine super accenso, ut naves noctu cursum tutius teneant. Hac tempestate, & turris, & quicquid olim fuerat tanta impensa molitum, fluctuum motu atque agitatione paulatim consumptum attritumque corruisse videtur; præter D. Luciæ Templum, cujus dignitatem inter Christianos omnium amplissimam facileque principem videmus, ut etiam Formiensem Episcopum habeat. Hic locus nunc a quodam cornu Tyberis secatur, atque ideo fluviolum vocant. Portus Urbis ut non tam crebram apud veteres Scriptores mentionem invenias, ita frequentissime Romani portus, quem ferunt parvam insulam a Tyberi factum, duobus millib. passuum ab Ostia differre. Hæc Suetonius scripsit: Claudius *per tria passuum millia, partim effosso monte, partim exciso, canalem absolvit ægre, & post* XI. *annos quamvis continuis* XXX. *hominum millibus sine intermissione operantibus. Portum Ostiæ exstruxit, circumducto dextro sinistroque brachio, & ad introitum profundo jam solo mole objecta, quam quo stabilius fundaret, navem ante demersit, qua magnus Obeliscus ex Ægypto fuerat advectus, congestisque pilis supposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent.* In dumis, quibus refertissimus densissimusque est locus, pervetusti lapides marmoraque visuntur hujusmodi, ut ad urbem ædificandam satis sint, magnitudine adeo incredibili, ut admirationem moveant intuentibus, quod eo tantæ moles invehi potuerint: in horum marmorum duobus lateribus notæ exstant, quibus partim, Plinio asserente, pondus, partim numerus lapidum significatur, prout quisque mercator misisset. Sed ad Portam Ripæ redeamus: in ea antiquissimis literis in saxo incisum monumentum exstat, quo indicatur Arcadio atque Honorio auctoribus ac principibus maximam partem mœnium Romanorum instauratam:

S. P. Q. R.
IMPP. CÆSS. DD. NN. INVICTISSIMIS PRINCIPIBVS ARCADIO ET HONORIO VICTORIBVS AC TRIVMPHATORIBVS SEMPER AVGG. OB INSTAVRATOS URBI ÆTERNÆ MVROS, PORTAS, AC TVRRES EGESTIS IMMENSIS RVDERIBVS EX SVGGESTIONE V. C. ET MILITIS ET MAGISTRI VTRIVSQ. MILITIÆ STILICHONIS AD PERPETVITATEM NOMINIS EORVM SIMVLACRA CONSTITVIT CVRANTE FL. MACROBIO LONGINIANO V. C. PRÆF. VRBIS D. N. M. Q. EORVM.

* Forte leg. *Portumni*.

Cap. XX.

De Porta ac Via Aurelia.

Secundam Portam trans Tyberim in Janiculi vertice, quem hodie *Montorium* quasi montem aureum dicunt, Aureliam, ab Aurelio Viro consulari structam, Veteres nominavere. Accidit autem quod omnibus fere Portarum nominibus mutatis, a Viis illæ nomen acceperunt. Quidam duplici causa sic appellatam hanc Portam, vel ab Aurelio Viro consulari, vel ab Aurelio Imperatore putarunt. Quo nomine apud Priscos esset ignoratur. Nunc Divi Pancratii ab ipsius Templo, quod vel a Symmacho Pontifice, vel, ut quidam opinati sunt, ab Honorio primo positum traditur, nominant. Non me fugit a Procopio, qui Gothorum ac Belisarii res gestas literis mandavit, Pancratianam dici. Deinde brevissimo intervallo ab Aurelia Sepulcrum Adriani constructum, quod hodie Castellum sancti Angeli nominatur. Quod si sic haberet, necesse esset putare Aureliam Viam ad Tyberis ripam juxta Adriani Sepulcrum fuisse, Atque sic ab Aurelio Imperatore dictam, quam in Pomœrio ampliando addidisset. Similiter quæ postea Sancti Pancratii vocata sit, ab Aurelio consulari Viro principio nomen habuisse. Tradunt præterea eadem, quod a Trajano refecta esset, Trajanam nuncupatam. Hac iter est ad Etruriæ maritima Pisas versus. An hanc Viam Hortos Galbæ fuisse scimus, in quibus ejus corpus, auctore Suetonio, sepulturæ datum est. In eadem Callistus tribus ab Urbe millib. passuum, nec procul inde Felix primus exstructo prius Templo ab ejus nomine dicto, sepulti memorantur.

Cap. XXI.

De Porta Septimiana & de Via Julia.

Porta; quæ est intra Pancratianam atque flumen trans Tyberim, multo post tempore Septimiana a Septimio Severo Imperatore etiam nunc appellatur: Spartianus est auctor hunc Thermas magnificentissimas juxta Portam sui nominis fecisse: hicque Fanum Septimianum, Aramque itidem Septimianam, & in Portæ frontispicio Septimii nomen incisum fuisse, scribit. Hæc eadem cum vetustate jam consenuisset, ut ferme jam esset collapsa, ab Alexandro VI. Pont. a fundamentis est renovata. Aliqui sub Jano, quod sub Janiculo esset, Portam dixere. Fontinalem a fontium Nymphis olim dictam volunt. Livius tradit, ab Ædilibus aliam porticum ad Fontinalem juxta Martis aras, qua in apertum campum itur, erectam. Hinc Via egrediebatur, quæ Triumphali juxta Sanctum Spiritum respondebat. Hanc Julius II. Pont. secundum Tyberis ripam perpendiculo direxit; pulcherrimis autem ornatissimisque ædificiis utraque ex parte constructis frequentissimam reddidit. Quidam narrant hunc ipsum Pontificem in animo habuisse, ut ea hæc a D. Petro ripam usque, omnibus ædificiis, quæ alterutra ex parte impedimento esse potuissent, demolitis, extenderentur. Suetonius tradit, Viam Vitelliam a Vitelliorum Familia dictam a Janiculo usque ad mare proferri.

A

CAP. XXII.

De Triumphali Porta ac Via,

CElebratur præterea Trimphalis Porta, sic dicta, quod per eam triumphi agerentur, & triumphantes Imperatores inCapitolium cum pompa decucerentur. In ripa Tyberis juxta locum, ubi etiamnum quædam fundamenta in flumine, cui Pons Sancti Angeli imminet, antiqua illa quidem visuntur, quæ fundamenta Pontis ejus esse dicuntur, qui est post Sanctum Spiritum. Pons quidem, qui hoc in loco fuerat, quemadmodum B & Via, qua ad Obeliscum progrediebatur C. Cæsaris, qui Sancto Petro proximus est, Triumphalis vocabatur. Quin etiam quicquid soli circum ea loca esset triumphale dixere. Nonnulli præterea & Pontem & Portam, quod in Vaticanum ducerent, Vaticanam appellavere.

CAP. XXIII.

De sex Portis Vaticani.

LEo IV. Pont. Vaticanum muro cinxit: iccirco Urbs Leonina diu nominata est. Sex Portas necessarias quidem fieri curavit. Prima C fuit, quam Sancti Spiritus ab ejus Xenodochio, juxta quod esset, vocant, loco est aliquantulum edito; nec diu est cum fuit instaurata. Hac trans Tyberim e regione Septimianæ adeunt. Secunda, quæ est ad Vaticani fornaces, Turrionis hodie nomine notatur. Posterula quidem a Posterulo nescio quo Saxone, qui prope hanc habitaret; vel potius quod in posteriore Urbis parte esset constructa, nuncupata est. Tertiam in superiori parte Templi Sancti Petri loco eminenti positam Pertusam appellant. Porticula vero, quæ hinc exiguo spatio D distat, ex superiori parte Hortorum, qui in Vaticano sunt, posita, in aliis, quæ sex numero sunt, non reponitur: nec ejus cuiquam usus est, præterquam iis qui Palatium colunt. Quarta est in Foro Sancti Petri, alias Peregrina a Peregrini Templo: hodie vel ab Hortorum nomine, vel ob pulcherrimum prospectum *Belvedere* vulgo omnes vocant. Quintam sub Sancti Angeli Castello locatam, qua in Vaticanum itur, nonnulli Posterulam quoque dictam volunt. Sextam illam addunt, quæ ab exitu Pontis Sancti Angeli ad Sanctum Petrum ducit, Æneam dixere ab Ænea. Porta antiqua, quæ E inter Castellum atque Pontem, angusta quidem satis atque erecta fuit: hanc Alexander VI. Pont. in Castelli Sancti Angeli instauratione sublatam, alioque translatam, latiorem pulchrioremque restituit, Viamque Alexandrinam usque ad Palatii Portam ad perpendiculum, e medio Pyramide impediente sublata, direxit. Hinc omnes fere Vaticani portas, murosque renovavit vetustate attritos, in muro Via ad Pontificum securitatem commodumque a Palatio Castellum usque facta.

CAP. XXIV.

De aliis antiquis Portis Romæ.

ALiarum Portarum apud Scriptores mentio est; ubi autem illæ fuissent, incertum. In iis Lavernalis fuit a Laverna furum dea, quos Laverniones appellavit Antiquitas. Item Ruduscu-lana, quasi rudis ac deserta. Rutumena ab aurigæ nomine, qui per eam victor ingressus est. Catularia a canicula, cujus tempore cane rubra mactata sacra ad eam faciebant, quod ejus numen segetibus maturandis præesse putaretur. Minutia præterea a Minutio, Piacularis, Salutaris, Saginalis, Libitinensis, Fenestella, qua Tanaquil cum populo verba fecisse dicitur, ejus viro Tarquinio ad necem saucio. Accedit Stercoraria ad Capitolii adscensum. Nonnulli a Viis etiam Portas dixere, ut Vejentana, Tiburtina, Prænestina, Valeria, Ardeatina, Flaminia, Salaria, Numentana, Appia, Ostiensis, Portuensis; sed hæc revera Viarum verius quam Portarum sunt nomina.

CAP. XXV.

De Viis quæ olim fuere.

FUere aliæ etiam Viæ prope Romam celebres; ut Valeria, qua in Sabinos Marsosque, hodie vulgo *Tagliacozzo* dictos, iter erat; ut Setina, quæ ad urbem, quam Sessam hodie appellant. Ardeatina Ardeam non procul ab eo loco, ubi nunc Neptunus est, ducebat; eratque hæc Via inter Ostiensem atque Appiam. Asinaria, quam Sex. Pompejus inter Ardeatinam ac Latinam ponit. Sublacensis, sic dicta, quod ea Sublacum iter esset; juxta hanc Aqua Claudia derivatur. Vejentana, quod ad Vejos iret. P. Victor Quintianam, Gallicanam, Patinariam, Ciminiam, Corneliam, Tyburtinam, Gallicanam, Laticulensemque adjungit. In Urbe præterea nobiles Viæ fuere Alta Semita in Quirinalis dorso; Via lata ad Campum Martium pergens; Suburra admodum celebris ad radices Exquilini; Via Sacra, quæ per Forum Romanum ad Capitolium ducebat; Via nova, recta, publica, fornicata, de quibus tunc agemus cum locus postulabit. Quemadmodum vero in marmoreo monumento legitur, quod in Porticu Palatii Conservatorum servatur in Capitolio, suis privatis pecuniis Vespasianus urbanas Vias instauravit. Sic enim habet.

IMP. CÆSARI VESPASIANO AVG.
PONT. MAX. TRIB. POT. III. IMP.
IX. PP. CON. III. DES. III.
S. C.
QVOD VIAS VRBIS NEGLIGENTIA
SVPERIOR. TEMP. CORRVPTAS
IMPENSA SVA RESTITVIT.

LUCII FAUNI
DE
ANTIQUITATIBUS
ROMANIS
LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De septem Urbis Collibus, primo autem de Capitolio.



HACTENUS de Urbis circuitu ac de Portis & quicquid extra mœnia esset, satis expositum videtur. Nunc Colles qui nunc sunt aggrediamur, a quorum numero, quoniam septem quondam fuissent, Urbem Septimontium appellavere: hos autem fuisse compertum est, Tarpejum, Palatinum, Aventinum, Cælium, Exquilinum, Viminalem, Quirinalem: deinde, ut apparet, Cæliolum, & qui Hortulorum, & Transtyberini dicti sunt, additos fuisse non est obscurum. His accessit Janiculum & particula Vaticani. Ipsorum vero Collium, vel ædificiorum causa, quæ in iis Vallibus magnifice exstructa impediunt, vel ruinarum, explicata ac distincta ratio ægre haberi potest. Accedit quod non uno in loco Colles, qui disjuncti ac separati fuerant, nunc juncti, unius tantum speciem præ se ferant intuenti. Sed de iis particulatim, primum autem de Tarpejo, sive Capitolino tanquam insigniori dicendum: sacris enim cerimoniis dicatum etiam Cicero prædicat, cum excellenti in tumulo Civitatis deos deasque omnes immortales sedem Capitolii in saxo constitutam incolere affirmet. In hoc tanquam ex clariss. orbis terrarum atque omnium gentium loco ab omnibus terris triumphi petebantur. Initio Saturnius vel a Saturno, qui in eo suum domicilium esse voluerit, vel ab Urbe Saturnia ab eo condita, dictus videtur. Tarpejus est postea appellatus a Tarpeja virgine, quæ cum Capitolii arcem Sabinis prodidisset, Romulo cum illis ob fœminas raptas bellum gerente, atque ibi necata sepultaque fuerit, ex ejus nomine monumentum Colli relictum est, quod Rupes Tarpeja, Saxumque Tarpejum vocaretur. Capitolinus deinde nominatus est a capite hominis ibi reperto, dum foderent fundamenta in Jovis Templo, auctore Varrone, construendo. Iccirco Haruspices hanc sedem, Caputque omnium gentium futuram prædixere. Vulgus vero, a quo omnia corrumpuntur, *Campidoglio* vernaculo sermone passim appellat. Regum temporibus, Livio significante, totum muro cinctum constat e quadrato lapide; nostra autem tempestate defossis ejus fundamentis ingentia saxa eruta sunt, eaque forma spectatum est. Tarquinius Superbus ex pœmeriæ * manubiis Capitolium constituit; quamvis a Prisco cœptum illud opus videri potest. Mariano bello totum incendio conflagravit; a Sylla tamen instauratum, atque a Catulo dicatum accepimus. Cujus rei etiam nunc monumentum argumento esse potest; iis autem literis incisum legitur:

* Refer. *Pometiæ*, vel *Pometinis*.

A Q. LVTATIVM. Q. F. Q. CATVLVM COSS. SVBSTRVCTIONEM ET TABVLARIVM. DE SVO FACIENDVM CVRAVISSE.

Rursus sub Vitellio igne depopulatum, atque a Vespasiano refectum constat: ait enim Suetonius hanc Capitolii restitutionem aggressum ruderibus purgandis manus primum admovisse, ac suo collo quædam extulisse, ut alios alacriores ad opus redderet. Sub Vespasiani mortem deinceps incendio absumptum, a Domitiano restitutum septuagies septies centenis millibus aureorum memoratur. Æneas Portas habuit Capitolium, æneasque te- B gulas, quas Catulus inaurasse dicitur: easdem Honorius ad Sanctum Petrum transtulit, iisque ipsius Templi tectum contexit; harum quædam ad hanc diem etiam exstant. Multas turres in Capitolio fuisse M. Tullius est auctor. Marcellinus scribit Magni Constantini filium Constantem, cum Romam venisset, ipsiusque ingentia opera & reliqua superbissima magnificentissimaque Urbis ædificia inhians spectaret, admiratione obstupefactum, præcipue cum oculos atque animum ad Capitolium intendisset. Non diversa narrat Cassiodorus: ait enim summum esse miraculum Tra- C jani Forum spectare, Capitolium vero omnia omnium mortalium ingenia longo intervallo superare. Profecto admiranda singula, quæ in eo Colle fuere, sunt existimata, in quibus Arx, innumera deorum Templa, variaque ornamenta fuere; hodie tamen omnibus iis spoliatus Collis, in pristinum statum & ferme ad antiquam solitudinem, qua ante Urbem conditam fuisset, redactus videtur: tunc enim nihil fuisse aliud compertum D est, auctore etiam Ovidio, quam pabula atque sylvas, ad quas armenta cogerentur. Sed singillatim de omnibus, quæ in Capitolio ipso fuere, primum vero de Arce exponamus.

CAP. II.

De Arce Capitolii, de Templo Junonis Monetæ, deque Ædibus Manlii ac T. Tatii.

QUAMVIS una tantum appellatione Tarpejus Mons Capitolii nomine vocatus sit, nihilominus in Arcem atque in Capitolium a E Scriptoribus divisum scimus. In rerum gestarum monumentis legimus, Gallis Senonibus omni impetu in Urbem duce Brenno irruentibus, reliqua Civitate metu deserta, omnes in Capitolium confugientes, illud tenuisse; parumque abfuisse quin etiam caperetur, nisi Anserum clangore & M. Manlii diligentia servatum fuisset, cujus monitu hostis pene introductus, de muro deturbatus est. Ad Collis radices juxta S. Andreæ in vinculis Ædiculam, Portam ex marmore repertam scimus, quæ multis gradibus adscendentibus, illius adscensus, qui in Arcem duceret, argumento erat; quoniam vero hæc Porta proxime flumen videtur esse,

existimari potest Tarpejam virginem per eam aquatum exiisse, unde commodam opportunitatem hostis intromittendi nacta sit. Quidam volunt ad eam partem inclinatam Arcem, qua Palatinum Forum Romanum spectat, Ovidii auctoritate adducti, qui suis versibus testatum reliquit, Templum Concordiæ, quod prope Forum erat, cujus etiam nunc vestigia apparent, eo loco surgere, unde plurimi gradus ad Junonis Monetæ, quæ in Arce procul dubio fuerat, ducebant. Scribit Livius Victoriam, quæ in summo Concordiæ Templo erat, fulmine ictam, dum inferretur, ad alias Victorias, quæ in Arce essent, adhæsisse; quare jure hæc loca sibi invicem proxima fuisse conjecere. Dionysius tamen in Sabini belli descriptione aperte indicare videtur ea parte fuisse Arcem, qua superius est monstratum: ait enim Romulum cum copiarum parte extra Urbem Exquilinum occupasse; alteram vero, cui dux erat Etruscus Lucumo, Quirinalem nondum eam appellationem habentem tenere jussisse. Quorum apparatu cognito, Tatium Regem Sabinorum nocte exsurgentem exploratum per regionem duxisse, nullumque in agris detrimentum intulisse; ante ortum solis inter Quirinalem & Capitolium in campo castra posuisse; & cum videret firmo præsidio occupata ab omnibus omnia, neque locum tutum sibi relictum ullum, in multam incidisse anxietatem, non inveniens quo pacto posset ibi esse diutius: nescienti autem quid ageret, inopinatam adfuisse felicitatem, tradito ei loco uno munitionum optimo per hujuscemodi occasionem. Prætergredientibus enim Capitolii radices Sabinis ad explorandum si qua pars collis inveniretur, quæ furto capi, aut vi posset, virgo eos quædam ab excelso speculata conspexit, Tarpeja nomine, ac compellavit. Quibus verbis apparet non Forum Romanum spectasse Arcem, sed in ea parte potius, de qua supra exposuimus, fuisse politam. Tarpejam enim in Arce fuisse fateri necesse est, cum Sabinos non prope Quirinalem, sed cum ad radices flumen versus conspexit. Accedit quod Rupes Tarpeja, ut mox dicetur, quæ a Tarpeja Vestali nomen accepit, in ea parte est, quæ ad Tyberim vergit, non qua Concordiæ Templum spectatur. Quod attinet ad adscensum Arcis ad Concordiam, illa ratio afferri potest, quod quia in colle est, ad Arcem vero non uno tantum ex latere adscendebatur, ab eodem etiam ad Monetæ Junonis Templum adscensus erat, quod ad eam partem positum fortasse fuerat. Locus vero, unde Victoria ad alias, quæ in Arce fuerant, evolavit, non admodum iis vicinus fuisse indicat, vis tamen fulguris non adeo insignem distantiam disjunctionemque verticis istorum locorum denotat, sicut revera non fuisse videri potest. Igitur in Arce Monetæ fuit Templum, voto a Camillo ob rem bene cum Auruncis gestam erectum: a monendo vero dicta est dea; nam ferunt post stragem illam memorabilem a Gallis Senonibus editam, in Arce auditam vocem fuisse Junonis, quæ de quibusdam sacris faciendis Romanos moneret. Manlium vero, cujus virtus præclara, ac fides singularis cognita spectataque fuerat in patriam, cum obsidione Romani in Capitolio misere premerentur, quoniam tyrannidem occupare aggressus fuisset, ex Tarpeja Rupe deturbatum memorant. Iccirco sancitum est, ne quis deinceps in Capitolio habitaret: hujus domus, quæ erat in ipso Capitolio, solo fuit æquata; eodemque loco Templum Junonis Monetæ constructum est; hoc autem ibi fuisse putatur, ubi nunc Conservatorum sunt Horti. Solinus tradit eodemmet loco T. Tatium habitasse, quo fuit Monetæ Junonis Templum. Huic signandæ pecuniæ officinam, quæ postea ad Saturni Templum translata fit, adjacuisse Livius scriptum reliquit. In Arce Urionis * simulacrum ex cupresso fuisse, integrumque perdiu mansisse Plinius [1] meminit. Anseris præterea fuit statua ex argento, cujus clangore, plausuque alarum Romani dormientes sunt excitati, qua nocte Galli Capitolium fere obtinuerunt. Plutarchus narrat, cum primum Censores essent renuntiati, munusque jam obire cœpissent, ob memoriam, statim de victu Anserum sacrarum sollicitos, quæ in Capitolio servarentur, illum diligenter curasse solitos.

CAP. III.

De Clivis Capitolii, de Capitolio, de Jovis Tonantis Templo, de Fortuna, de Rupe Tarpeja, de Saturni Templo, de Saxo Carmentæ.

VARIÆ olim Viæ ad Capitolium adscensum præbebant, quamvis ex iis una omnium celeberrima fuerit. Hanc fuisse putant, quæ contra Velabrum esset; Livius scribit eam a Censoribus sterni jussam, M. Æmilio Cos. Suetonii auctoritas magnam fidem rei addere videtur: ait enim Cæsarem Gallici triumphi die Velabrum prætervehentem pene curru excussum esse, axe defracto: adscendisseque Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra atque sinistra lychnos † gestantibus. In hoc Clivo, M. Tullius scribit, Milonem domum armis clypeisque refertissimam habuisse. Fuit & Stercoraria Porta, nam Sex. Pompejo auctore ad xv. Cal. Julii e Vestæ Templo stercora ceteraque fœda atque immunda quendam in locum, in medio Clivo Capitolino paratum, comportari conjicique solita, quæ Stercoraria Porta clauderentur. Alium adscensum habuit Capitolium, nempe e regione Fori Romani, recta Concordiæ Templum spectantem: ad hujus Clivi radices Servius monet Saturni fuisse Templum. Non diu quidem est, cum via quædam reperta dicitur, VII. pedum latitudine, quæ a Foro, quod in Capitolio est, versus Fornicem Septimianam loco plano positam extenditur. Tertius Clivus, ut etiam est superius dictum, is erat, qui a Concordiæ Templo ad Junonis Monetæ ducebat. Quartus vero, quemadmodum nunc etiam videri potest, contra Urbis planitiem erat, quæ hodie admodum frequens ac celebris est. Ibi marmorea Porta pulcherrima nostra tempestate reperta est. P. Victor ait in Capitolii adscensu, quo hodie sontes puniuntur, Jovis Tonantis fuisse Templum, quod Augustus dicavit liberatus periculorum expeditione Cantabrica, cum per nocturnum iter lecticam ejus fulgur perstrinxisset, servumque perducentem exanimasset. Quoniam vero, ut tradit Suetonius, ipsius Jovis Templum assidue frequentaret, somniavit queri Capitolinum Jovem cultores sibi abduci, seque respondisse Tonantem pro Janitore ei appositum. Ideoque non parum fidei somniis adhibens, mox tintinnabulis fastigium Ædis redimivit, quod ea fere in januis dependebant. Jovis Tonantis Simulacrum stans fulmen tenebat. A Leocra, Plinio [2] asserente, nobilissimo artifice laboratum est. Juxta hoc Fortunæ fuit etiam Templum, ut ex versibus qui in Prænestе sunt significatur. Tarpeja Rupes, unde sontes, & qui perjurii damnabantur, Gellio scribente, detrudebantur, ex hac Capitolii parte sese ad Forum Olitorium (Plateam Montanaram hodie vocant) flectens circumibat. Scribit Dionysius collem, de quo præcipitarentur damnati, Foro imminere.

1 Lib. 16. cap. 40. 2 Lib. 34. cap. 8.

* Leg. *Vejovis*. † Alii rectius, *lychnuchos*.

Quamobrem nonnulli conjecerunt Forum Romanum secundum radices Capitolii inter hunc Collem atque Palatinum fuisse: rupemque ibi, ubi tunc morti aliquo crimine damnati destinabantur, exstitisse. Sed hic Vicus erat Jugarius. Dionysius tamen Tarpejæ Rupis appellatione totum Collem comprehendit: ad hujus radices Saturni Templum fuit, ubi vetus Ærarium servabatur, quod a Publicola primum constitutum dicitur. Paucis ab hinc annis hoc loco erat cella cum turri, quam Sancti Salvatoris ærarium sive in statera, quæ Xenodochio D. Mariæ in porticu, ut nunc loquuntur, erat proxima, nominabant. P. Victor Saturni Templum atque Opis in Jugario Vico locat; dicique potest eo loco quamvis positum, Vico tamen impendisse: in statera appellabant a steræ forma, cujus vestigia etiam Varronis temporibus exstabant. Tarpejæ Rupis pars Carmentæ Saxum dictum est; ea autem est, quæ ad Tyberim vergens recta ad D. Mariæ Templum respondet.

CAP. IV.

De Jovis Opt. Max. Templo, de Clavo Annali, de Templo Termini, ac Fidei.

IN Capitolii margine ex ea parte quæ apposita est Foro, cui Montanario nomen est, pulcherrimum ac celeberrimum Jovis Opt. Max. Templum fuit, quod aliquando Capitolini etiam Jovis nomen habuit. Quare multis post annis ad hujus Collis radices Sancti Salvatoris cognomento in maximis appellatum constat. Tarquinius Priscus id vovit, quod deinde Superbus aggressus in ejus fundamentis tantum libris argenti XL. millibus expensis, quoniam Roma statim pulsus sit, sacrare non potuit, quamobrem a M. Horatio Publicolæ Collega postea, ut ex marmore, quod in D. Agathæ Templo servatur, apparet, dicatum est:

> M. HORATIVS CONSVL EX LEGE TEMPLVM IOVIS OPTIMI MAXIMI DEDICAVIT ANNO POST REGES EXACTOS A CONSVLIBVS POSTEA AD DICTATORES QVIA MAIVS IMPERIVM ERAT SOLEMNE CLAVI FIGENDI TRANSLATVM EST.

Templum hoc in circuitu ducentorum ferme pedum erat, Dionysio scribente, quoquoversum; a parte autem qua frons ejus Meridiem spectat triplici columnarum ordine comprehendebatur; ab obliquis vero partibus duplici: in eo tria sacella fuisse æqualia inter se communia habentia latera; medium quidem Jovis, & ab utraque parte, Junonis a dextra, a sinistra Minervæ. In hoc Templo fuit adytum, sive cella penetralis, in quam ingredi nulli exceptis sacerdotibus fas erat. Hic duæ aureæ coronæ servabantur, unam XX. Philippeis nummis æstimatam Pamphyliæ Legati dono dedere; altera a Carthaginensibus missa traditur quo tempore victoriam Samnitum gratulati sunt Romanis. Inter hanc & Minervæ Cellam Jovis Imperatoris erat Simulacrum Præneste invectum. Ante Minervæ Cellam dii stabant, quos noxios vocitabant, ii tres fuerant statuæ, quæ genibus vehementer niti conatumque edere videbantur. Hic præterea fuit tabula Nicomachi de Proserpinæ raptu. Inter hanc vero & Jovis Cellam singulis annis Prætor clavum figere solenni ritu ac sacrificiis solebat: tunc enim nullo litterarum usu adhuc inducto, eo numerum annorum significabant, Clavumque Annalem appellabant: hoc vero Miner-

A væ tanquam artium inventrici tribuebant. Ad Minervæ Sacellum Juventæ erat Cellula. Plinius se in eo vidisse scribit canem æneum vulnus lingentem. Plurima in hoc Templo signa atque ornamenta fuere: inter cætera Statua aurea, quam Claudius Imperator dedicavit. Alia præterea Victoriæ nobilissima. Eodem in Templo loco subterraneo Libri Sibyllini servabantur; quorum cura X-Viris committebatur. Hic vasa sex de murrhino fuisse dicuntur, a Pompeio in triumpho Romam portata. Hic fœdera ac pacta Romanorum atque Carthaginensium in tabulis æneis ab Ædilibus servabantur. Palliolum insuper purpu-

B reum, cum quo quotiescunque Aurelianus Imperator regia indumenta sua conferret, pallida, cinerique similia, admirabili colore suo reddebat. Ferunt hoc ab interiore India a Rege Persarum missum Aureliano dono datum. In hoc Templo sæpissime conciones haberi, & Senatusconsulta fieri consuevere; novique Consules hic sacra facere soliti sunt. In fundamentis hujusmodi Templi jaciendis humanum caput repertum dicitur, ex quo Capitolio nomen fuit. Cumque Tarquinius constitutum haberet, multis fanis sublatis, Jovis Templum in eo exstruere, per auguria deos rogavit, quorum antea Templa fuerant, Jovi-ne

C cedendum, alio eorum fanis translatis, putarent? omnium sacellorum exaugurationes admisisse aves, in Termini Fano non addixisse, memorant. Quamobrem ea causa sacrificiis decretis, ab auguriis moniti sunt, Termini conjunctionem cum Jove æternum Imperium significare. Erat autem Terminus nihil nisi rudis quidam lapis: hujus dei Templum in superiori parte foramen habebat, ut libera facultas esset adspiciendi cælum; terminum enim nequaquam occultandum, imo latius dilatandum censebant. Si quis vero terminum exarasset, ipsum cum bobus sacrum exsecrabilem

D prorsus gravissimeque puniendum Numa statuit. Addunt neque in Martis, neque in Juventæ Fano aves de Jovis Templo addixisse. Optimo quidem augurio, quasi Terminus sua firmitate Imperii stabilitatem, ii vero partim florentem viridemque perpetuitatem nullo timore senescentis vetustatis, partim virtutem in bellicis rebus gerendis significarent. Ad Jovis igitur Templum fuit Termini Fanum. Vitellii Titique temporibus cum omnibus vicinis ædificiis incendio consumptum Jovis Opt. Max. Templum conflagratumque narrant. Juxta hoc Fidei fuisse Templum Cicero auctor est. In hoc Plinius [1] scribit imaginem senis

E exstitisse pulcherrimam cum lyra, senemque puerum fidibus docentem, mire ab excellenti artifice fictum.

CAP. V.

De Templo Jovis Feretrii, Jovis Custodis, Vejovis, de Curia Calabra, de Ædibus Romuli, de Senaculo atque Asylo.

F FERETRII Jovis Templum ex ea parte, quæ Capitolio respondet, ubi nunc est Ara Cæli, fuisse pro comperto est. Omnium Templorum antiquissimum, quippe quod a Romulo voto in Cæninensium expeditione facto fuerit exstructum, fuisse traditur. Is in eo bello Acrone hostium duce cæso, ipsius spolia, cum in Capitolium victor adscendisset, in vicina quercu suspendit: Opima autem ea sunt dicta. Livio autem auctore, adeo rara

[1] Lib. 35. Cap. 10.

A ejus fortuna decoris fuit, ut usque ad Augustum nullus unquam repertus sit, qui eum locum opimis spoliis ornaret, Cornelio Cosso ac M. Marcello exceptis; quamobrem illustriorem Romulus gloriam est consecutus. Ea autem opima censebantur spolia, cum dux ducem sua ipsius manu trucidasset. Hoc tempore quasi Romuli institutum sequantur, aut Romanorum triumphantium morem imitentur, in solenni pompa Augusti mensis, Servatoris imaginem circumferunt, atque una nonnulla simulacra truncis affixa, veluti trophæa, gestare solent. Cum Romanis fœdus esset feriendum, ex hoc Templo sceptrum sumebant, per quod jurarent, B & lapidem silicem, quo fœdus ferirent; a quo quidem feriendi modo putat Sex. Pompejus Templum ita appellatum. Ancus Martius aliquando id ampliavit, collapsumque Cæsar Pomponii Attici cohortatione restituit. Ferunt hic postea a D. Gregorio Aram Cæli ædificatam. Cœnobium hodie pulcherrimum esse ibi nemo ignorat; nunc Franciscanorum familiæ, olim Monachi coluere. Multas antiquissimas habet columnas, in quarum una legitur; A CUBICULO AUGUSTORUM. In Templis exitu parvus, sed vetustate insignis, Obeliscus est; præterea tres Statuæ Constantini Imperatoris. C In Capitolio insuper maximum Jovis Custodis Templum a Domitiano extructum fuisse, ab eoque dedicatum ferunt; ac se ipsum in ipsius dei gremio locari voluisse. Quidam ibi fuisse, ubi sal in Capitolio servatur, Senatorisque Palatium est, putarunt. Inter tot autem res vetustissimas hujus collis nihil fere hoc excepto, tametsi ne illud quidem integrum sit, reperias. Ex quadam tamen Inscriptione, de qua in initio hujus libri mentio est, quæ salis causa semi-consumpta exolescentibus fugientibusque literis videtur, hoc ædificium Domitiano vetustius fuisse declaratur. Itaque nonnulli hic Vejovis Templum posuere; P. Victor inter D Arcem Capitoliumque locat juxta Asylum. Alii Vejovis Templum in Foro, quod nunc est in Capitolio, posuere. Quemadmodum vero a juvando Jovem, sic a nocendo Vejovem dixere: quibusdam enim ex diis ut juvarent, quibusdam ne nocerent, sacra faciebant. Vejovi capram mactabant: hujus simulacrum, quasi ad nocendum paratus esset, sagittas manu tenebat: iccirco plerique eundem Apollinem existimavere, cui dantur sagittæ. Non desunt qui in Capitolio, ubi sal servaretur, Curiam Calabram ponant. Ea enim erat publicus locus, vestigiaque adhuc extant Porticus, quæ Foro immineret. Primis illis temporibus culmis E Curiam Calabram erexit Romulus. Huc a Rege sacrificulo Senatus populusque ad festa, nonas idusque singulorum mensium percipiendas vocabantur, ex quo nomen Calabræ fuit. Varro scribit juxta Calabram Romuli Domum fuisse, eamque paleis coopertam; prope hanc Senaculum fuit, eo in loco, quotiescunque Reipublicæ consulendum esset, sentus habebatur; multa autem, ut mox dicetur, fuere Senacula. Inter Arcem & Capitolium Asylum Romulus sacrum eo confugientibus qualicunque crimine tenerentur perfugium constituit: in Foro autem Conservatorum fuisse volunt. F Dionysius tradit, locum, qui inter duo querceta esset, Misericordiæ Templum appellatum, quod idem est eum Asylo. Theseum præterea ferunt primum omnium apud Græcos Asylum constituisse, tametsi id Statius Herculis nepotibus tribuere videatur, cum insidias vimque eorum timerent, qui ab Hercule vexati oppressique fuerant. Apud Latinos vero Romulus primus instituit Asylum, quo facilius Civitatem habitantibus impleret. Statim enim successit; nam undique, præcipue ex Sabinis, ingens servorum liberorumque multitudo in Urbem confluxit. Augustus cum animadverteret occasionem ab Asylo male faciendi tradi, primus sustulit: hunc Tiberius secutus, omnia penitus ubicunque essent abolevit.

CAP. VI.

De quibusdam Templis, aliisque Locis Capitolii, quæ ubinam sint hodie, ignoratur.

IN Capitolio Erycinæ Veneris Templum a Fabio Max. & Mentis ab Attilio Crasso dicatum fuit: hæc via brevi & angusta tantum inter se disjungebantur. Salutis, Concordiæ, Libertatis, Victoriæ, præterea Templum Opis a Tatio consecratum, aliquando fulmine scribente Livio tactum; in hoc Scipionis Metelli proavi Statua fuit: Fortunæ primogeniæ, atque obsequentis, a Servio Tullio positæ, Templa fuere. Jovis præterea Sponsoris, quem Tarquinius Superbus erexit, Posthumius dedicavit. Veneris quoque Calvæ in Capitolio, in fœminarum gratiam honoremque, erectum est: nam Gallis Senonibus in Urbem invadentibus, cum in maxima funium penuria nervos arcubus reliquisque bellicis instrumentis parare non possent, matronæ Romanæ ex capillis detonsis miram copiam ad funes faciendos suggessere. Aliud præterea Venus ipsa, atque itidem Vesta, habuit. Postquam, ut Sex. Pompejus auctor est, omnia quæ essent immunda ac fœda, ad Vestæ Templum, ut superius monuimus, ad eam Porticum, qua Porta Stercoraria clauderetur, deferebantur. Ex Ovidii versibus conjici potest, in eo Jovis Pistoris Aram fuisse, multique in ea sententia fuere, ut Marphorii statuam illius dei simulacrum fuisse dixerint. In Foro Capitolii fuere Favissæ, quæ Cellæ quædam erant & cisternæ subterraneæ, ubi reponi solerent signa vetera, quæ ex eo Templo collapsa essent, & alia quædam religiose donariis consecratis. In Capitolio Atrium fuit publicum, fulmine auctore Livio tactum. Bibliotheca præterea nobilissima, plurimisque columnis ornatissima: duas autem habuit Porticus, Metelli alteram, alteram Constantini. Locum insuper fuisse ferunt, ex quo cum bellum esset indicendum, aut quippiam paciscendum, verbenam sumebant, qua pater patratus fecialesque coronari mos esset. In Capitolio quoque Senatus haberi, & de Republica decerni sæpissime solebat.

CAP. VII.

De multis Statuis, aliisque ornamentis, quæ hodie extant, & olim in Capitolio fuere.

INTER cætera atque innumerabilia ornamenta, quibus Capitolium erat refertum, multas habuit Statuas e subjugatis Provinciis Romam invectas, quæ autem hodie visuntur, hæ sunt: In Conservatorum Porticu ingens caput, illudque æneum, Commodi fuisse dicunt, qui e Neronis Colosso dejecto, suum in eodem reposuit. Manus similiter, atque pes ingenti magnitudine spectatur. Ante Porticum duo maxima fluminum simulacra ex marmore, nuda, ac pari forma apparent; Nilum, Tigrimque nonnulli putant repræsentatos, quod alter sphingi peculiari bestiæ Ægypti nititur, alter tigridem feram immanissimam habet Armeniæ, qua Tigris præterfluit, uterque vero ad rerum omnium, quæ ad tuendam vitam pertinent, abundantiam significandam Cornu copiæ manu tenet; quidam Naris, atque Anienis amnem, qui in Ty-

berim defluunt, esse suspicantur, tametsi Naris simulacrum dicant ita fingi solere, ut ex urna aquam profundere videatur, quemadmodum Tyberis Lupa ac infantulis significatur. In eadem Porticu ænea Lupa, cujus uberibus Romulus ac Remus lactentes inhiant, conspicitur: de hac Cicero ac Virgilius semper intellexere. Livius hoc signum ab Ædilibus ex pecuniis, quibus mulctati essent fœneratores, positum innuit. Antea in Comitiis ad Ficum Ruminalem, quo loco pueri fuerant expositi, locatum pro certo est: inde in Lateranum; postremo in Capitolium est translatum. Intra hujus Palatii Portam Simulacrum Herculis adhuc puberis æneum inauratumque præterea nudum spectabatur: quod nunc in Palatium translatum, dextra clavam, sinistra aurea poma, quæ ex Hortis Hesperidum abstulerat, tenet. Repertum autem in ruinis Aræ maximæ ferunt in Foro Boario. In Palatio Satyrus miræ pulchritudinis est. In Porticu autem caput pedesque cujusdam Colossi marmorei, & simul fragmenta, quæ antea juxta Pacis Templum erant, visuntur. Alia præterea opera marmorea, muris inserta, Antonini ex Dacico triumpho, sive L. Veri ex Parthorum victoria, Statuas habentia ex puro marmore, palam videre licet. Hæc autem a D. Martinæ Templo, quod prope Marphorium est, sublata, hunc in locum traducta sunt. Templum denique marmoreum insigni pulchritudine visendum cernitur. In Palatii interiori parte ænea simulacra duo, sed pusilla, continentur, vetustissima tamen ac speciosissima, alterum stare videtur instar habens servi, alterum nudum innixumque pastori persimile corpore inclinato, spinam acu evellere de pede videtur. Alia signa sed trunca ac mutila non desideres; ingens Leonis X. Pont. Statua, a Romanis ob immunitatem decreta, in eodem Palatio asservatur. Picturæ vero in parietibus septem Regum gesta expressa, præterea fortissimorum Ducum Romanorum triumphos ac victorias habent. In Area Capitolii Statua est equestris M. Aurelii Philosophi ex ære, caduceatoris forma, quamvis L. Vero nonnulli, vel Septimio Severo, assignent. Non diu est cum ex Templo D. Joannis in Laterano eum in locum Paulus III. Pontif. transtulit. Sixtus IV. cum opus admiraretur, inter cæteras Urbis antiquitates, minusque apte eo loco esse animadverteret, basi pulcherrima ornavit. Plurima fuere præterea, quorum nulla certa ratio hodie reddi potest. De nonnullis tamen mentio habebitur, de quibus antea Veteres scripsere. Tres Jovis fuere Statuæ, una tacta fulmine quo tempore Pyrrhus in Siciliam trajecit: Secundam Sp. Carvilius post Samnitum victoriam erexit: hanc Plinius adeo ingentem fuisse refert, ut a Jove etiam Lactario conspiceretur. Hercules duas ex ære habuit; alteram a Sempronio Cos. dicatam, alteram a Fabio Max. Tarentinis superatis positam, opus, auctore Strabone, Lysippi existimatum. Lucullus ex Apollonia Ponti urbe Apollinem XXX. cubitorum, C. vero ac L. talentorum æstimatione invexit, nunc fractum atque dissipatum videtur. Nemesis, Boni Eventus, ac Bonæ Fortunæ Simulacra Praxitelis opera fuere. Jani præterea Imago, in cujus dextera CCC. numerus, in sinistra LXV. quasi ad anni tempus ac dies significandos, notatus erat. Accedunt Regum omnium Statuæ, ex quibus, Plinio teste, nulla, Tullo, ac Numa excepto, annulum habuit. Bruti, Scipionis, a quo victus Antiochus, Syllæque pedestris ex ære claro; Æmilii Lepidi; pueri insuper prætextati bullam ex collo pendentem habentis, quam Senatus ob hostem prælio obtruncatum servato cive decrevit. Metellus ob servatum ab incendio Palladium, cum parum abfuisset quin una cum Vestæ Templo conflagraret, Statuam similiter meruit. Adde illam Tiberii, quod annonam ingravescentem levasset. Plutarchus scribit, Fabium Maximum sibi ipsi equestrem Statuam ex ære posuisse, Populumque Romanum aliam Bruto illi, a quo Tarquinii pulsi fuerunt, mediamque ipsam inter Regum Statuas positam erexisse. Domitianus decreto prohibuit præter auream argenteamque hoc loco nullam poni. Cornelia Gracchorum mater aliam habuit: Scipio Asiaticus tabulam victoriæ contra Antiochum partæ Capitolio addidit. Bocchus in Syllæ gratiam duas triumphales imagines inseruit, in quibus aureus fuit Jugurtha, quem in Syllæ potestatem dederat. Parrhasius Ephesius in Capitolio Theseum pinxit, ubi Clypeus Martis fuit Asdrubalis imaginem habens. Columna præterea Rostrata de cælo aliquando percussa. Augustus navali bello Ægyptiaca classe superata, ex navium hostilium rostris quatuor columnas confecit, quæ in Capitolio postea a Domitiano locatæ, usque ad Servii, eo auctore, ætatem perdurarunt. Hodie ad S. Joannem Lateranum spectantur. Leges & pleraque publica acta æneis tabulis incisa, sæpius monente M. Tullio, ibi servabantur, quarum unam fulmine tactam refert, cum dicat legum æra liquefacta. Legimus, Vespasiani diligentia tria millia tabellarum, quæ deflagratione Capitolii ruinis obrutæ essent, erutas atque instauratas: præfectique sunt quibus harum reficiendarum negotium datum esset, quod ex marmore vetustissimo significatur:

C. CALPETANVS STATIVS SEX.
MÆTORIVS. M. PERPENNA LVRCO T. SARTIVS DECIANVS CVRATORES TABVLARIORVM PVBLICORVM. FAC. CVR.

Tabulæ præterea, in quibus leges Romulus inscribi jusserat, eodemmet loco servabantur: quarum hæc fuit sententia: Nihil inauspicato faciendum; Patritios tantum sacrificiis magistratibusque interesse; plebis, agri colendi curam esse; Regum negotium esse rerum omnium sacrarum, quarum Patritii custodes essent; a populo magistratus deferri oportere, Leges similiter tenendas, de communibus negotiis ab eo decernendum; non statim fidem habendam fabulis, quæ falso de diis dissipantur; nullum ex peregrinis diis, Fauno excepto, sacra facienda; in templis noctu non excubandum; homicidas capite plectendos; nullum insolens atque impudicum verbum mulieribus audientibus effutiendum; toga ad talos demissa utendum; licere cuicumque monstruosos partus de medio tollere; neminem nisi per portas egredi, aut ingredi audere; Urbis mœnia sacrosancta esse; mulieremque legitime viro, in bonis, sacrificiisque viri sociam habendam, & quemadmodum vir paterfamilias, ita illam matremfamilias putandam; & sicut illa patris, ita viri hæres esset; integrum esse vel viro, vel affinibus, quo libuisset, mortis genere adulteram necare; mulierem, quæ vinum bibisset, adulteræ pœna teneri; parentibus licere filios aut relegare, aut etiam, si videretur, vendere, aut occidere.

CAP. VIII.

De Vico Jugario, & Tusco.

EXpositis iis, quæ in Capitolio fuere, aut hodie etiam exstant, priusquam ad Palatinum veniamus, quo res dilucidior sit, de iis, quæ in horum collium valle sunt, dicendum videtur. Ad

Capitolii radices ex hac parte Vicus fuit Jugarius, qui, ut ex Livii verbis elicitur, cum Foro Romano terminabat. Nam cum de quibusdam sacris, quæ a matronis Junoni Reginæ, quæ in Aventino, facienda essent, exponeret, duas Juvencas albas ab Apollinis Templo per Carmentam Portam in Urbem actas scribit; post quas duo Junonis Reginæ simulacra ex cupresso ferebantur; hæc autem XXVII. virgines sequebantur in vestibus oblongis, carmen quoddam rude atque ineptum, sed illi ætati fortasse non ingratum, canentes; has Decemviri, pro quorum ordine illa erant instituta, laurea coronati non sine solennibus prætextatisque indumentis sequebantur; ait igitur per hanc Portam ingressos Vicum Jugarium, in Forum venisse, atque ibi puellas constitisse, seque manibus per mutua implicitis canentes saltantesque choream instituisse. Inde vero per Vicum Tuscum, per Velabrum, tandem per medium Forum Boarium, per Clivum ad Junonis Reginæ Templum in Aventino positum adscendisse. Ex quo colligi facile potest Jugarium Vicum ad Tarpeii radices, qua parte Palatinum spectat, fuisse, atque in Forum Romanum respondisse. Præterea colligitur Vicum Tuscum ex alia vallis parte ad Palatini radices extitisse, atque ex uno latere cum Foro Romano, ex altero cum Velabro terminasse. Præsertim cum Livius scribat, peractis in Foro choreis, per Vicum Tuscum, deinde per Velabrum, quod esset in Aventino, iter habuisse feminas. Igitur non is fuit Vicus Tuscus, ut quidam volunt, totum id spatii, quod inter tres istos colles ac Tyberim interjectum est; nam si ita esset, satis fuisset, si Livius scripsisset per Vicum eos Tuscum in Aventinum adscendisse, tametsi nullius præterea loci mentionem habuisset. Si qui vero putent Velabrum, atque alia loca, quæ hac planitie continerentur, Tusci Vici particulas fuisse, absurdum sit, nisi rem aut ratione aut Scriptorum antiquorum auctoritate plane demonstrent. Certe cum de Vicis Romanis sermo est, non dubium est eos a reliquis Urbis partibus semotos ac distinctos, neque tam amplos fuisse, ut alias etiam partes complecterentur. Sed Jugarium vel a boum Jugis, quæ ibi conficerentur, dictum est, aut ab Ara Junonis Jugæ, quæ eo esset loco; nam cum Juno conjugiis præesset, ita cognominatam volunt. Ingens saxum in Jugarium Vicum aliquando ex Capitolio cecidisse Livius testis est, a quo plerique contriti sint. In hoc Vico M. Valerius Amerinus domum habuit; item Ovidius prope Templum D. Mariæ consolationis habuisse dicitur: ipse enim scripsit, cum domi suæ caput tolleret, Capitolium supereminens videre solitum. P. Victor Opis ac Saturni Templum in Jugario locat, sicut in Turario eorum aræ fuerant. Nonnulli tamen putarunt Saturni Templum idem fuisse, quod ex hac parte ad Capitolii radices jaceret; dici enim poterat in Vico Jugario fuisse; Tusco vero Vico Tusci nomen dedere: ii enim postquam Romulum, vel, ut quidam tradidere, Tarquinium Priscum auxilio juvere, Cælium Montem domicilio habuerunt; cum vero hic locus munitissimus videretur, ac de Tuscis nonnihil suspicarentur, ad imam planiciem traductus est, unde ab eis nomen accepit. Quidam putarunt partem ex Porsenæ Copiis Romæ sponte constitisse, cumque hanc Urbis partem habitassent, ab iis nomen loco inditum fuisse. Iccirco Varro scripsit in eo Vico Vertumni, præcipui Tuscorum numinis, fuisse Templum: ideo autem sic deum appellabant, quod mercatorum rebus emendis vendendisque mentes inverteret, vel ex Propertii sententia, quod alio amnem Tyberinum verterit, hucusque enim antea alluebat. In hujus Templo Ful. Flacii picta erat imago triumphalis. In extrema Vici regione, qui etiam Turarius dictus est, in angulo videlicet Basilicæ Sempronianæ, ferunt ipsius etiam Vertumni simulacrum fuisse: Lenonum hunc fuisse præcipuum domicilium Plautus innuere videtur; præterea etiam hominum nequissimorum. Martialis opera serica hic exerceri solitum scribit, ut & mollissima quæque ex *bombace* ut hodie vocant, & tenuissimi operis, telasque texi: hic etiam Unguentarii versabantur.

CAP. IX.

De Via Nova, de Domo Tarquinii Prisci, de Templo ac Luco Vestæ, de Regia Numæ, de Fornicibus Romuli, de Quirini Templo, & de Lupercali.

IN hujus vallis medio, inter duos, de quibus dictum est, colles, Via Nova quædam fuit, sic, ut Varro ait, appellata, quod cum vetus antea fuisset, renovata fuerit. Ovidius ad caput Fori pervenisse innuit. Varro putat hanc ex alio capite Velabrum attingere: ait enim Laurentalia in Velabro fieri eo loco, quo Viæ Novæ exitus est. Quidam putavere recta ad Septizonium extendi usque ad Piscinam Publicam, atque ad Bassiani Imperatoris Thermas, quas P. Victor in regione Piscinæ ad Viæ Novæ exitum locat. Scribit Spartianus hunc Imperatorem Viam Novam stravisse, quæ sub ejus Thermas esset. Illud etiam addit, hanc Viam omnium reliquarum pulcherrimam. Igitur Varronis verba Velabrum Viæ Novæ, nec vero Viam Novam Velabro respondisse significant. Nec me fugit plerosque Viam, de qua Spartianus meminit, aliam ab ea fuisse existimare, & a dextra aliquantulum a Severi Septizonio sejunctam incipere. Hoc autem Septizonium in Via Appia erat, & cum ipsa ad Capenam Portam jungebatur. Videtur quidem verisimile: nam Varro Aji Locutii Aram de Novæ Viæ exitum prope Vestam, quæ quidem hoc loco non ad Caracallæ Thermas erat, ponit. Scriptum reliquit Livius a Cæditio plebejo noctu vocem humana clariorem auditam in Via Nova, quæ moneret, ut Magistratibus nunciaret, Gallos adventare, ideoque a Camillo eodem in loco Cellam Ajo Locutio erectam. In hujusce Viæ extremo versus Forum Romanum Tarquinius Priscus habitavit: nam scribitur Tanaquil cum populo locutam de fenestra Palatii sui, ex ea parte, quæ Viæ Novæ responderet; Rex enim juxta Statoris Jovis Templum domicilium habebat. Quamobrem relinquitur, ut homines existiment Viam Novam ex hac parte proxime Vicum Tuscum initium duxisse, aut hic idem cum Vico fuisse, nisi quis fortasse locum Vico Tusco assignatum Viæ Novæ, aut qui Viæ Novæ fuisset Tusco Vico tribuendum velit; sed hæc descriptio plurima Loca, quæ Viæ Novæ proxima essent, mirum in modum confunderet. Putavere nonnulli in hac ipsa Valle, quæ hodie Sanctæ Mariæ Gratiarum appellatur, Vestæ olim Ædem fuisse; verbis autem Plutarchi adducti sunt, qui scribit, Romanos cum summa vi pedem a Sabinis referre coacti essent, usque ad Palatii Portam pulsos, tanto robore ac virtute in hostem conversos, ut ipsum statim fregissent, & usque ad Numæ Regiam Vestæque Templum repulissent; quasi Sabinorum fuga versus Palatium non esse, sed versus Capitolium, potuisset: ex quo in Vallem descenderant, & ad cujus radices hoc Templum est: vocem similiter a Cæditio auditam de Gallorum adventu, Livius refert, in Via Nova ac super Vestæ Templo accidisse. Hoc autem Templum a Romulo conditum; id vero, auctore Dio-

nysio, non fuit, in quo perpetuus ignis servaretur, sed aliud Vestæ quidem sacrum, illudque rotundum, atque a Numa exstructum, ut suo loco exponetur; quamvis quidam putarunt hic Numam Templum ipsum juxta Palatium suum ædificasse; Ovidiusque in Fastis videtur hoc ipsum a Numa juxta Regiam exstructum putare, quod esset & rotunda forma, Vestæque sacrum. Verum mox suo loco de hujus deæ Templo explicabitur. Ad hoc igitur Templum Viæ Novæ erat Numæ Regia atrium pulcherrimum habens; Horatius meminit Tyberim hucusque inundasse; scribit M. Tullius Vestæ Lucum ad Palatini radices fuisse, juxta Statoris Templum, & in Viam Novam deflexisse; ex eo autem Luco ante captam a Gallis Urbem vocem exauditam refert, ut muri & portæ reficerentur, futurum enim esse, nisi provisum esset, ut Roma caperetur. Erat hic nimirum Lucus a Cicerone ad Palatini radices locatus, & multis persuasit Vestæ Templum D. Sylvestri in lacu Templum, vel D. Mariæ Liberatricis, exstitisse: eo autem magis ad credendum sunt adducti, quod ex quibusdam sepulcris XII. numero, quæ aliquando hic defodiendo sunt eruta, facile sacerdotum Vestalium monumenta fuisse declarantur. Nos hic duo tantum notasse contenti erimus: hoc fuit Flaviæ Maniliæ:

FL. MANILIÆ VV. MAX. CVIVS EGREGIAM SANCTIMONIAM, ET VENERABILEM MORVM DISCIPLINAM IN DEOS QVOQVE PERVIGILEM ADMINISTRATIONEM SENATVS LAVDANDO COMPROBAVIT ÆMILIVS FRATER ET FLAVII SYLVANVS ET HIRENEVS SORORIS FILII A MILITIIS OB EXIMIAM ERGA SE PIETATEM PRÆSTANTIAM Q.

Aliud Clœliæ Claudianæ erat hujusmodi:

CLOELIÆ CLAVDIANÆ VV. MAX. RELIGIOSISSIMÆ BENIGNISSIMÆQVE CVIVS RITVS ET PLENAM SACRORVM ERGA DEOS ADMINISTRATIONEM VRBIS ÆTERNÆ LAVDIBVS SS. COMPROBATA OCTAVIA. HONORATA VV. DIVINIS EIVS ADMONITIBVS SEMPER PROFECTA.

Ex latere hæc etiam inscripta legebantur:

COLLOCATA XII. CAL. APRIL. XC. AVFIDIO ATTICO ET C. ALSINIO PRÆTESTATO COSS.

Quoniam vero in hunc sermonem incidimus, non omittemus Numam, auctore Plutarcho, quatuor tantum consecrasse Vestales; deinde, quoniam illæ sacris non sufficerent, Tarquinius Priscus duas addidit, Vestalem minorem, quam annos VI. majorem, quam X. natam capi fas esse negarunt, XXX. ann. serviebant. Primo decennio sacrorum ritibus ac cærimoniis comprehendendis vacabant: Secundo in Templo ministrabant: Tertio alias, nempe juniores, instituebant. Hoc autem spatio peracto nubere omnibus integrum erat; raro tamen id evenit. Si qua vero incesti crimine damnata esset, vivam suffodi est institutum; tanta erant apud omnes veneratione, ut solæ auctoritate sua pacem inter cives conciliarent. Verum de Vestalibus tot a Scriptoribus referuntur, ut nimis longum fit, si omnia sint persequenda. Inter Statoris Jovis ac Vestæ

[A] Templa quidam vetustos Romuli Fornices fuisse volunt, quos ex lateritio confectos sua ætate corruisse Blondus auctor est. Et cum antea vetustate ingenti pene diruti essent, refici nequaquam voluere Romani, ut diutius maximi hominis memoria conservaretur. In eadem ipsa Valle, quo loco D. Theodori Templum est, Quirini Ædem fuisse memorant, ubi Dionysius lupam æneam cum pueris fuisse tradit. Plinius hoc omnium antiquissimum dicit, fuisseque ante ibi duas myrtos, alteram patritiam, plebejam alteram vocatam. Juxta Lupercal, sive Templum, sive spelunca potius, in Palatino ab Arcadibus Pani Lycæo, pastoribus pro deo
[B] habito, sacratum. Sicut vero Græci a lupis arcendis Lycæum, ita Latini Lupercal appellare voluerunt. Dionysius ait hanc speluncam opacam frondosamque, ubi Pani sacrificarent, ne suo quidem tempore conjici potuisse quo fuisset loco, idque ex ædificiis plurimis accidisse. Sunt qui putent locum a Lupa Romuli ac Remi nutrice appellatum. Sed quoniam satis perspicuum est pueros non hic, verum in Comitio sub Ficu Ruminali expositos, atque a lupa lactis nutrimentum accepisse, duo fuisse Lupercalia dicendum videtur; alterum ad Quirini Templum ab Arcadibus pastoribus dedicatum, at-
[C] que hoc nomine vocatum; alterum in Comitio ad Ficum Ruminalem, sicque a lupa nominatum. Hoc autem ex P. Victoris descriptione facile confirmatur: nam in Fori Romani regione ait Ficum Ruminalem in Foro fuisse, quo loco etiam Lupercal. Lupercaliorum autem Ludorum originem Romulo ac Remo tribuunt; nam ante conditam Urbem sacris peractis una cum reliqua Juventute, caprinis pellibus induti, cum joco summaque hilaritate exsultantes, discurrerunt. Nonnulli ex Arcadia hoc solenne in Latium a Carmenta allatum, atque inde institutum ferunt, ut nudi Juvenes per lusum atque luxuriam Lycæum Pana veneran-
[D] tes currerent. Ovidius existimare videtur hoc sacrum ad piam Lupæ memoriam institutum. Nudi hoc sacrificium celebrabant Luperci, per omnes Urbis vicos discurrentes, & quædam carmina ad honorem Lycæi canentes, coriis caprarum occurrentes mulieres verberabant, quæ cum se ultro offerrent, facilem partum sperabant.

CAP. X.

De Foro Romano, de Carcere, de Marphorio, de Secretario Populi Romani, de Templo Concordiæ.

[E]

NUnc de Foro Romano omnium locorum, qui antiquitus in Urbe essent, celeberrimo dicendum. Adeo cum hac Valle jungebatur, ut a plerisque inter Capitolium Palatiumque sit locatum, re autem vera (quemadmodum olim a Capitolii radicibus extendebatur, parum a Septimii Fornice, ut hodie apparet, usque ad Palatii fores, quæ prope Jovis Statoris Templum erant) satis patet intra hosce duos Colles positum, quamvis ad latus aliquantulum pertineat. Scribit enim Livius, cum de bello meminit quod
[F] Sabini gesserunt, jam Capitolio ab illis occupato, in hanc Vallem, de qua sermo est, descendisse, atque a tergo Romanos invasisse, eosque per totum id spacil, quo Forum comprehendebatur, usque ad Palatii portam insecutos. Hucusque igitur illo principio pertinebat; Urbe vero jam aucta, etiam ad Titi Fornicem ampliatum est. Quare Valerium Publicolam ferunt cum domum, quam in summitate Veliæ haberet, dejecisset, (erat autem Velia in Palatino locus e regione fere Titi Vespasiani Fornicis) in plano atque in imo Foro ædificasse;

verum hoc ipsum etiam Fori spacium in angustum redactum est; bona enim hujus pars Comitii nomen accepit. Hoc autem a Palatio Porta incipiens, qua Forum terminabat, quasi Titi Fornicem attingebat, constat tamen diu potius Fori ipsius partem fuisse Comitium. Quamobrem Plinius de Ficu mentionem faciens, quæ hoc loco erat, in Foro atque in Comitio fuisse scribit, tametsi una tantum esset Ficus: adde quod Latium appellatum est idem Forum. Ut vero singulatim de eo dicamus, scire oportet carcerem, Livio scribente, ad terrorem increscentis audaciæ media Urbe imminentem Foro ædificatum. Huic Servius Tullius subterraneum locum addidit non admodum a Syracusanorum Latomiis diversum, sic autem ipsi placuit appellare; hunc Sallustius apte describit. Scilicet cum quis paululum adscendisset ad lævam circiter XX. pedes depressum humi, quem undique parietes emunirent, atque insuper cameram lapideis fornicibus vinctam, sed incultam, tenebris, odore fœdam, atque terribilem faciem ejus fuisse; nunc D. Petro dicatus est locus cognomento *in carcere*. Ibi Cal. Augusti, priusquam Eudoxæ Imperatricis jussu in Exquiliis D. Petri in vinculis Templum esset constructum, solenne festum celebrari solebat; signa adhuc veteris illius formæ apparent, atque vestigia. Hunc autem Locum Sylvester Pontifex Constantini hortatu dedicavit. In hujus frontispicio hæc legere licet:

C. VIBIVS. C. FILIVS RVFINVS M. COCCEIVS M. F. NERVA COS. EX S. C.

Quamobrem putandum est hunc ipsum carcerem renovatum, atque aliis temporibus ampliatum. Quoniam vero ad carceris Syracusani, quas Latomias dixere, similitudinem Tullianum erat constructum, idem Latomiarum nomen imposuere. Livius auctor est duo atria a Catone Censorio facta, Titium, atque Martium, hujusque loci Triumviris curam commissam. Quam vero horrendus ac formidabilis esset locus, Latinorum non pauci literis tradiderunt. Ante carcerem ingens simulacrum humi stratum jacet, Marphorium appellant. Naris effigiem in scopulo positam nonnulli arbitrantur, similitudine fortasse ducti *nar* syllabæ, ac *mar*, a quibus hujus vocis initium sumit, facta literarum mutatione. Alii Rheni effigiem, cippumque ænei equi, qui Domitiano in Foro decretus est, fuisse putant, ita ut is equus, scribente Statio, pede subjugati Rheni, de cujus Provincia antea triumpharat, crines premeret. Sunt qui Jovis Panarii simulacrum fuisse censeant, quem Pistorum deum memorant: hoc autem ideo positum accepimus, quod Romani, a Gallis Senonibus in Capitolio obsessi, cum summa inopia commeatus laborare putarentur, ut abundantiam copiamque potius indicarent, in hostium castra pane dejecto effecerunt, ut pacis conditiones acciperent. De Ara Pistoris Jovis Ovidius meminit, superiorem sententiam sequens; quoniam vero panibus refertissimum videtur saxum, in quo tanquam in lectulo cubat simulacrum, ideo adducti sunt, ut Jovis Pistoris Statuam putarint. Marphorium præterea deum volunt, quod sit juxta Forum Augusti, quo loco Martis erat Templum; id autem D. Martinæ Ædem plerique existimant, vel quod nomina similitudinem habeant, vel quod ibi multa triumphalia ornamenta in marmore sculpta videantur; verum ex antiquissimo lapide palam est, hic Populi Romani fuisse Secretarium, quo secretissima quæque servarentur; is autem est:

SALVIS DD. NN. HONORIO ET THEODOSIO VICTORIOSISSIMIS PRINCIPIBVS SECRETARIVM AMPLISSIMI SENATVS QVOD VIR ILLVSTRIS FLAVIVS ANNIVS INSTITVERAT, ET FATALIS IGNIS ABSVMPSIT FLAVIVS ANNIVS EVGARIVS EPIFANIVS VE. PRÆF. VRB. VICE SACRA IVD. REPARAVIT, & AD PRISTINAM FACIEM REDVXIT.

Juxta pulcherrimum Concordiæ Templum fuit, quod a Varrone inter Capitolium Forumque Romanum positum est. Plutarchus in ipso Romano Foro locavit, in eo enim erat, aut ipsi tam propinquum, ut in eo esse prorsus putaretur. Multa Concordiæ Templa diversis temporibus Romæ præterea fuere, ut suo loco dicetur. Hoc vero, de quo sermo est jam institutus, Camillus vovit condiditque ob eam concordiam, qua plebs cum patritiis diffidens conjuncta est. Adhuc Porticus pars Templi hujus exstat, quæ octo ingentibus columnis sustinetur; in quarum una hæc leguntur:

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS INCENDIO CONSVMPTVM RESTITVIT.

In Marmore præterea quodam aliquando in ruinis reperto, quod nunc in Templo D. Joannis Laterani servatur, hæc Inscriptio legitur, quæ hujus Templi meminit, & simul quo tempore esset instauratum:

D. N. CONSTANTINO PIO FELICI AC TRIVMPHATORI SEMPER AVGVSTO OB AMPLIFICATAM TOTO ORBE REMP. FACTIS CONSILIISQ.
S. P. Q. R.
ÆDEM CONCORDIÆ VETVSTATE COLLAPSAM IN MELIOREM FACIEM OPERE & CVLTV SPLENDIDIOREM RESTITVERVNT.

Ex hoc Templo ad Junonis Monetæ, quæ in Capitolio erat, plurimis gradibus adscendebatur; ut vero ex ipsarum columnarum monumento, atque ex Ciceronis verbis conjici potest, ad hoc Templum multi gradus ducebant. Queritur M. Tullius in Concordiæ Cella M. Antonium armatos inclusisse, sicque locum sacrum violasse. In hoc ipso crebro Senatum haberi mos erat, quare Curia a Lampridio nominatur, hoc est, locus, ubi de rebus publicis decerneretur. Eadem de causa Sex. Pompejus Senatulum vocat, innuere tamen videtur non ut antea eo loco Senatum cogi. Hoc tempore omnia ejus ornamenta sublata sunt. Latonæ Statua, Euphranoris opus, in hoc fuit Templo, quæ Apollinem ac Dianam in sinu foveret; Nicerates Æsculapium & Nigiam *; Bedas Battum, adorantem Apollinem ac Junonem, fecit; Pisistratus † Martem atque Mercurium; Sthenis Cererem, Jovem ac Minervam; qui omnes, auctore Plinio, nobilissimi fictores fuere. Juxta hunc Locum cum alte defoderetur, non multo abhinc tempore, loco subterraneo quiddam, porticus fere facie, aut trium officinarum instar habens, repertum est; qui locus, ut ex Inscriptionibus comprehendi potest, iis dicatus videtur fuisse, qui publicis actis notandis præpositi erant; hujusmodi autem sunt:

C. AVILIVS LICINIVS TROSIVS CVRATOR SCHOLAM DE SVO FE-

* Leg. *Hygiam*. † *Pisicrates* leg.

CIT.

CIT. BEBRYX AVG. L. DRVSIANVS A. FABIVS XANTHVS. CVR. SCRIBIS LIBRARIIS, ET PRÆCONIBVS ÆD. CVR. SCHOLAM AB INCHOATO REFECERVNT MARMORIBVS ORNAVERVNT VICTORIAM AVGVSTAM, ET SEDES ÆNEAS ET CÆTERA ORNAMENTA DE SVA PECVNIA FECERVNT.

Eodem in loco, ſed parte exteriori, hæc præterea habentur:

BEBRYX AVG. L. DRVSIANVS A. FABIVS XANTHVS CVR. IMAGINES ARGENTEAS DEORVM SEPTEM POST DEDICATIONEM SCHOLÆ ET MVTVLOS CVM TABELLA ÆNEA DE SVA PECVNIA DEDERVNT.

Hic Cippus inventus eſt qui ſuper Stilichonis ſtatua jacebat, ut titulus declarat:

FL. STILICHONI V. C.
FLAVIO STILICHONI ILLVSTRISSIMO VIRO MAGISTRO EQVITVM, PEDITVMQ. COMITI DOMESTICORVM TRIBVNO PRÆTORIANO, ET AB INEVNTE ÆTATE PER GRADVS CLARISSIMÆ MILITIÆ AD COLVMEN GLORIÆ SEMPITERNÆ, ET REGIÆ ADFINITATIS EVECTO PRO GENERO CIVI. THEODOSII AVGVSTI IN OMNIBVS BELLIS ATQ. VICTORIIS, ET AB EO IN ADFINITATEM REGIAM COOPTATO, ITEMQVE SOCERO DN. HONORI AVGVSTI APHRICA CONSILIIS EIVS EX PROVISIONE LIBERATA. EX S. C.

Paucis abhinc annis ex Romano Foro lapides excavati ſunt, in quibus Conſulum, Dictatorum, ac Tribunorum militum cum poteſtate conſulari nomina ſculpta leguntur, ſumuntque a nominibus Romanorum Regum principium, atque ad Auguſtum Imperatorem uſque perveniunt. Viſuntur præterea inciſa eorum nomina, qui triumphum ducere meruerunt, & quo tempore triumpharunt. Sunt hæc lapidum fragmenta, ideoque minus ordo temporum percipitur, multiſque in locis conſumptis litteris, non ſatis plane leguntur. Hi lapides nunc in muro Palatii Conſervatorum ſub dio poſiti ſunt impenſa videlicet Cardinalis Farneſii, ut inſcriptione ſuper Catalogo dictorum magiſtratuum apparet, & epigrammate Cardinalis Viſei ſub iiſdem litteris inciſo.

Cap. XI.

De Septimii Fornice, de Miliario Aureo, de Æde Saturni, & de Ærario.

AD Capitolii radices initio Fori prope locum ſuperius expoſitum, e regione Templi D. Mariæ, ad hanc uſque ætatem Septimii Fornix eſt, quamvis ſemiuſtus ac dirutus; is autem fuit Septimii Severi, quem cæteris omnibus Romanis pulchritudine longe præſtitiſſe commemorant. Hic victoriæ alatæ, & ſimul trophæa, belliqué reliqua ſimulacra terreſtria navaliaque conſpiciuntur; hic hujuſmodi Inſcriptio appoſita eſt:

IMP. CÆS. LVCIO SEPTIMIO M. FIL. SEVERO PIO PERTINACI AVG. PATRIÆ PARTHICO, ARABICO, ET PARTHICO ADIABENICO PONTIF. MAX. TRIBVNIC. POTEST. XI. IMP. XI. COS. III. PROCOS. ET IMP. CÆS. M. AVRELIO L. FIL. ANTONINO AVG. PIO FELICI TRIBVNIC. POTEST. VI. COS. PROCOS. P. P. OPTIMIS, FORTISSIMISQ. PRINCIPIBVS OB REM RESTITVTAM, IMPERIVMQ. POPVLI ROMANI PROPAGATVM INSIGNIBVS VIRTVTIBVS EORVM DOMI, FORISQ. S. P. Q. R.

Quamvis huic Imperatori Fornix erectus eſt, triumphare tamen noluit, ne de ſuis triumphum agere videretur; vel quod non ſatis commode in curru ſedere poſſet, cum ex pedibus vehementer laboraret. Filio tamen id conceſſit, ut in ea re ſuis vicibus fungeretur. Hujuſmodi autem Fornices iis poni mos erat, qui ex Provinciis rebus bene geſtis ad Urbem victores revertebantur. Quamobrem in iis victoriarum ceterarumque rerum inſignium ſimulacra incidi ſolebant. Plinius auctor eſt ſua ætate hanc conſuetudinem Fornicum decernendorum cœpiſſe, idque veriſimile fit, cum nullum vetuſtiorem Romæ conſpiciamus quam Titi, cujus tempore is auctor fuerat. Veteres enim pro fornicibus triumphales ſtatuas, ſive etiam trophæa, clariſſimis Imperatoribus erigere conſueverunt, ut in Exquiliis hodie videre licet, in quibus Marii ob devictos Cimbros ad hanc uſque diem trophæa ſervantur. In Septimiani Fornicis conſpectu Miliarium Aureum Romanum fuiſſe ferunt. Fuit autem Columna, ex qua, ut tradit Plinius, omnes Viæ Italiæ initium capiebant; ex hac enim Columna diſcedentibus ad quaſvis Urbis portas erat acceſſus, quidam ibi omnes Italiæ Vias inciſas, atque ibi terminaſſe putaverunt. In Urbis autem umbilico eam conſtituunt; ad caput Romani Fori locavit Plinius; ad Saturni Templum ponit Tacitus. Hæc autem omnia inter ſe loca quam proxima fuiſſe certum eſt. Saturni Templum id fuiſſe olim exiſtimatur quod D. Adriani hodie appellant. Macrobius tradit id a Tullo Hoſtilio ſacratum, tuncque Saturnalia primum ſunt inſtituta; quamvis alii aliter ſentiant: verum Templorum Saturni diverſitas id effecit: in iis illud numeratur, quod Auguſti hortatu Munatius Plancus erexit; quod vero fuit in Foro longe omnium clariſſimum atque celeberrimum putatur fuiſſe: nam Aſconius in ipſo Romano Foro Ærarium poſitum, idemque in Saturni Templo fuiſſe dicit: ajunt enim hoc regnante ne nomen quidem furti exſtitiſſe, cum omnia eſſent communia; ſed omnia cum fide ſumma atque juſtitia gererentur; nonnulli vero id accidiſſe ajunt, quod primus omnium pecuniæ ſignandæ in Italia auctor exſtiterit. Scribit Plinius annis ſeptem ante Bellum Punicum tertium in Ærario Romano auri pondo DCCXXVII. argenti nonaginta duo millia, & in pecuniis CCC. & LXXXV. M. fuiſſe. Ex quo facile dijudicari licet, quanta acceſſio fieri potuerit Ærario, tot Provinciis Regniſque a Romanis partis. In Ærario publica acta atque una decreta Senatus, Elephantini libri inſuper, quibus XXXV. Tribus notatæ eſſent, aſſervabantur. Cæſar ad omnem calumniam, odiumque tollendum, libros, quot in Ærario fuere, Suetonio auctore, in quibus Proſcriptorum nomina jacerent, comburi juſſit. Mos erat, ut priuſquam quicquam aliud agerent Legati, qui ex omnibus orbis Regionibus Romam mittebantur, ad Saturni Ærarium accederent, ubi eorum nomina Præfectus in libro deſcriberet: nam Quæſtorum fuit cura, pro-

viderent, ne quid illis deesset: quamvis vero Legatorum multitudine effectum esset, ut ex publico non alerentur, illud nihilominus observatum est, scil. ut nomina in Ærario darent. Profecto omnia, quæ ad publicum attinerent, in Ærario custodiebantur. Scribit Plinius, ex Perseo Macedonum Rege devicto tantum auri atque argenti in Ærarium ingestum, ut omnia vectigalia usque ad Hirtii & Pansæ Consulatum amota, Civitatem mirifice relevarint.

In Ærario locus fuit Vicesimarius appellatus, quod in eo omnium proventuum publicorum vigesima pars, quam nemo tangeret nisi re quapiam maxime premente, reponeretur. Hic ubi primum designati Censores erant, jurare soliti sunt. In hujus Templi summitate Tritones cum buccinis fuisse Macrobius scribit, quæ buccinæ incurvæ ex marinis conchyliis factæ dicuntur. Ante hoc Templum, scribente Plinio [1], quoniam ficus arbor, radicibus serpentibus, Sylvam atque Isidis Simulacrum, quod ante id Templum erat, subverteret, sublata est. Numismatum ingentem vim ex ære, parva admodum forma & semiustorum, nostro ævo defossam scimus; quamobrem plerique adducti sunt, ut cudendarum pecuniarum officinam ibi fuisse putarent, quam in Capitolium translatam accepimus, quo antea loco fuerat, ad Monetæ Junonis Templum. Multi in eo Saturni Templo, quod ad radicem Capitolii esset, de quo demonstratum jam est, Ærarium fuisse putant; ideo persuasi quod is Locus nostro etiam tempore D. Salvatoris cognomento in Ærario, aut in statera, nominatus est. Quoniam vero optimo Reipublicæ statu, ut Asconius est auctor, Ærarium in Foro fuerit Romano, nihil obstare putamus, quo minus in hoc pervetusto Saturni Templo, quod ad Capitolii radicem fuit, Ærarium exstiterit: hoc enim longe eo antiquius est, quod in Foro locavimus. Accedit quod tametsi in illud Templum tanquam clarius ac celebrius translatum fuerit Ærarium, huic tamen Ærarii nomen succedentibus postea temporibus remanserit. Dicere autem nemo audeat, eo usque Forum attigisse ut in eo id Templum fuisset, præsertim si, quæ de Jugario Vico exposuimus, meminerit.

CAP. XII.

De Templo Jovis Statoris, de Tarquinii Domo, de Rostris.

STATORIS Jovis Templum a Romulo ibi est conditum ubi contra Sabinos stetit, cum Jovem orasset, ut sui prope terga vertentes stetissent, ad Palatini fuit radicem, prope D. Mariam Liberatricem, hic autem adhuc altissimi parietes exstant. In extrema Fori Romani parte Livius ponit, qua Palatinus est; ait enim Romanis a Sabinis usque ad Palatii fores exagitatis, & toto Foro effusis, hic Romulum Templum vovisse, quod postea solvisset. Hic Senatus haberi sæpissime solebat: non semel refectum est; ex maximo Neronis incendio conflagravit. E regione istius Templi, scribit Livius *, Tarquinii Superbi fuisse Domum, in cujus atrio Annius Fecialis sibi ipsi statuam locarit. Cum Romani bello navali Antiates superassent, ex eorum navium rostris Forum suggestumque ornarunt: ut vero aliqui putant de novo, ex ære ipso quod navibus detraxerant factum est, quare locus ac Templum Rostra appellatum est. Duobus in locis fuere Rostra, quamobrem & novorum ac vetustorum Rostrorum mentio est. Nova prope Jovis Statoris fuere Templum, qua parte Capitolium spectatur, ad Palatini radices, atque in Foro quidem, media fere inter Jovis Statoris atque Augusti Templum. Vetera ex Asconii sententia in Comitiis apud Curiam Hostiliam, atque eo postea, ubi nova posuimus, translata sunt. Uterque autem ex iis locis celeberrimus fuit. In Rostris Magistratus sedentes jura administrabant, ex iis conciones fiebant, Legesque proferebantur; ad Rostra quippe, qui locus esset celeberrimus, Statuæ erigebantur; ideo accepimus tres ibi fuisse Sibyllas; unam Camilli; quatuor antiquissimas illas quidem Cœlii, Roscii, Nautii, Fulcinii, qui cum ad Fidenates Legati missi essent, ab illis occisi sunt. Eodem loco, sed celebriori, Cn. Octavii fuit Simulacrum, ut asserit Plinius: *Cn. Octavio, qui Regem Antiochum, daturum se responsum dicentem, virga, quam tenebat forte, circumscripsisset, & priusquam egrederetur circulo illo responsum dare coegisset, in ea legatione interfecto, Senatum Statuam poni jussisse oculatissimo loco Rostris.* Hoc tamen nonnulli Pompilio tribuunt. Ad Rostra Equestrem Statuam auream Sylla habuit cum hac inscriptione, CORNELIO SYLLÆ IMPERATORI FORTUNATO. Addit Plinius, juxta eadem Rostra Herculis tunicati Eleo habitu Romæ, torva facie, Statuam fuisse, in qua tres tituli: L. Luculli Imperatoris, de manubiis; alter, pupillum Luculli filium ex S. C. dedicasse; tertius, T. Septimium Sabinum Ædilem curulem ex privato in publicum restituisse. Ita quisque putabat hac via sibi laudem comparare. Scribit Dionysius ex aliorum sententia loco Fori Romani celebri ac claro Leonem lapideum pro Rostris jacuisse, Faustuli corpori impositum, cum ibi esset interfectus, quod Romuli ac Remi pugnantium inter se inermis certamen dirimere voluisset. In iis præponi eorum capita solebant, qui ob insignem aliquam causam interfecti fuissent; tradit enim Appianus Marii Junioris caput pro Rostris medio Foro a Sylla affixum. Post Rostra vetera Romuli Sepulcrum fuisse volunt: erant autem vetera hæc Rostra e regione Græcostasis: ut vero utraque Rostra clara atque illustria fuissent, nihilominus majorem partem rerum, de quibus superius est tractatum, in veteribus fuisse potius quam in novis existimant.

CAP. XIII.

De Equo Domitiani, de Lacu Curtio, de Cloaca maxima.

DOMITIANI Equus æneus, qui canente Statio adeo memorabile fuit opus, ut etiam inauratum ac gemmis distinctum atque ornatum fuerit, in medio Foro juxta eam columnam, quam hodie solam stare videmus, positus est. Parvo abhinc intervallo, ex superiori parte hujus Colossi, fortasse vero in hortis qui ibi spectantur, nobilissimus Lacus fuit, quem Curtium appellarunt: de cujus nominis origine varia afferuntur. Nonnulli a Metio Curtio Sabino nomen accepisse memorant, qui cum in prælio, quod inter Sabinos ac Romulum commissum esset, Sabini pulsi atque acie jam inclinata laborarent, eo adductus esset, ut de salute desperaret, exsanguem ac saucium cessisse, seque in lacum profundum recepisse, atque in eum se cum armis conjecisse; ex quo cum incolumis evasisset, Curtii nomine Lacus appellatus fuit. Alii in medio Foro hiatu facto terram caverna ingenti desedisse ferunt, quæ cum repleri nulla ratione posset, cum augures dixissent ad eam opplendam, morbumque civitate tollendum, opus

1 Lib. 15. cap. 18.

* Leg. *Plinius*, quem videsis lib. 34. cap. 6.

eſſe ut in illam quod precioſiſſimum præter cetera omnia Romæ eſſet, ingererent, Curtium Equitem Romanum cum armis pro ſalute ac liberatione Patriæ, & cum equo, ſe in ſpecum immiſiſſe, quamobrem effectum eſt, ut hiatus concluſus ſtatim fuerit, ac peſtis repente ceſſarit. Scribit Livius Lacum Curtium non ab antiquo illo T. Tatii milite Curtio Metio, ſed ab hoc appellatum, nomenque a recentiori facto fuiſſe ſervatum priori obliterato. Quidam a Curtio Conſule cognominatum volunt, qui cum ibi fulmen cecidiſſet, ex S. C. ſeptus ſit. Ait Varro ex hoc Lacu Cloacam publice derivatam. Livius memorat a Tarquinio Priſco Cloacam maximam factam, qua omnes Urbis totius ſordes deferrentur in Tyberim; adeo vero magnificum ac ſpectandum fuit opus, ut cum omnibus præclaris ædificiis, quæ etiam maxime florente Republica inſtituta eſſent, comparari merito potuiſſet. Plinius ſcribit ex quo hoc opus erat factum a Tarquinio Priſco, DCCC. annis prope inexpugnabile ad ſua uſque tempora duraſſe: amplitudine autem ea fuiſſe ait, ut vehem feni large onuſtam per illam tranſmitti commodiſſime poſſet. Sunt qui ejus menſuram hodie ſervent; ajuntque XII. pedum latitudinem habere, nam multis in locis ejus rei veſtigia videntur; ſubdit vero Plinius, cum hoc opus Tarquinius Priſcus plebis manibus faceret, eſſetque labor, incertum, longior an periculoſior, paſſim conſcita nece, Quiritibus tædium fugientibus, novum & inexcogitatum antea poſteaque remedium invenit ille Rex, ut omnium defunctorum crucibus figeret corpora ſpectanda civibus, ſimul & feris volucribuſque laceranda. Quamobrem pudor Rom. nominis proprius, qui ſæpe res perditas ſervavit in prælüs, tunc quoque ſubvenit. Plinius autem nepos ſcribit Quiritum foſſas appellatas, quod a Quiritibus hoc eſt Romanis eſſent factæ; tametſi Livius ſcribit foſſas Quiritum Anc. Martii opus fuiſſe, ad planitiem Urbis muniendam. Sic apparet duo hæc ædificia uno nomine appellata. Non omittendum & illud, quod nonnulli putent Quiritum foſſam eam fuiſſe, quam Tarquinius poſt ſuos Aggeres ſtruxerit. Poſtea vero in hanc ipſam Cloacam VII. ingentes rivos corrivavit M. Agrippa, qui Cloacæ ſordes ſummoventes munditiem illam reddebant. Non me fugit pleraſque alias fuiſſe Romæ Cloacas, quæ tamen omnes in hanc unam influebant. De hac autem hoc loco diximus, quoniam illa per Romanum Forum tranſiens, ſuper Lacu Curtio facta eſt. In Cloaca maximam ſtatuam repertam dicunt, Cloacinæ deæ dicatam. Tripliciter ajunt diviſam ad Jovis Statoris Templum, partemque hujus hodie etiam per Velabrum excurrere videmus, ac in Tyberim pervenire, modico intervallo ab inferiori ponte D. Mariæ. Harum Cloacarum conſtituti erant præfecti, quarum præcipua cura eſſet, ut ex vetuſtiſſimis monumentis apparet, inter quæ ſequens nunc ante januam domus Vicentii Ruſtici Romani civis poſita videtur, cum apud Pontem Sixtum reperta fuiſſet:

EX AVCTORITATE IMP. CÆSA
RIS DIVI TRAIANI PARTHICI F.
DIVI NERVÆ NEPOTIS TRAIANI
HADRIANI AVG. PONTIF. MAX.
TRIB. POTEST. V. IMP. IV. COS.
III. MESSIVS RVSTICVS CVRATOR
ALVEI ET RIPARVM TIBERIS ET
CLOACARVM VRBIS R. R. RESTI-
TVIT SECVNDVM PRÆCEDEN-
TEM TERMINATIONEM PROXI-
MI. CIPP. PED CXV. S.

Idem ex alio marmore antiquiſſimo ſignificatur:

EX AVCTORITATE IM. CÆSARIS
DIVI NERVÆ FIL. NERVÆ TRA-
IANI AVG. GERM. PONTIFICIS MA-
XIMI TRIBVNIC. POTESTAT V.
COS. IV. P. P. TI. IVLIVS FEROX
CVRATOR ALVEI ET RIPARVM
TIBERIS ET CLOACARVM VRBIS
TERMINAVIT RIPAM RR. PROXI-
MO CIPPO P. CCCLXXXVI. S.

Accepimus ſordes fimumque Cloacarum mille talentis, quod ad fertilitatem eſſet omnium optimum, olitoribus vendi ſolitum a Cenſoribus.

CAP. XIV.

De Baſilica Pauli Æmilii, de Templo Julii Cæſaris, Caſtoris ac Pollucis, atque Auguſti, deque Ponte Caligulæ.

Ut vero ordinem inſtitutum ſequamur, ſcribit Statius Equum Domitiani Pauli Æmilii Baſilicam a ſiniſtra, a dextra Julii Cæſaris Templum habuiſſe, poſteriori parte Concordiæ Templum ſpectaſſe, quare apparet in medio Foro Baſilicam Pauli Æmilii (ut ex Epiſtola C. Tullii colligitur) pulcherrimam fuiſſe; Plinius & columnis Phrygiis mirabilem, atque inter magnifica opera quæ Romæ ſpectari poſſent, numerat. Plutarchus novies centena millia nummum in hac Baſilica expenſa ſcribit, quæ Cos. cum Marcello a Cæſare acceperat, quare ſibi ipſum conciliarat. Putant fuiſſe hanc inter illud Templum, quod hodie D. Hadriani nomen habet, & pulcherrimum illud Fauſtinæ, ex cujus Porticu adhuc decem ingentes columnæ exſtant, nec diu eſt cum ibi aliæ columnæ maximæ, atque una marmoreæ tabulæ aliaque id generis excavata ſunt. Julii Cæſaris Templum vero a dextra Equi Domitiani erat in medio, ut jam diximus, Foro verſus Curtium Lacum, nam, Tacito ſcribente, Galba ante hoc Templum ſaucius primo ictu cecidit, Curtiumque Lacum cruentavit. Tradit Appianus, cum funus Cæſaris efferretur in Forum, hic primum ſibi aram poſtea vero Templum nobiliſſimum dicatum, in quo quidem Auguſtus excellentiſſimam picturam Caſtoris ac Pollucis tum Victoriæ affixerit. Veneris quoque e mari exeuntis Simulacrum dicavit. Addunt in eodem Foro Caſtoris fuiſſe Templum, ubi tamen, non explicant; non multum a Veſtæ Templo abfuiſſe Dionyſius aſſerit, cum hujus Templi condendi rationem affert: ait enim, cum Poſthumius Dictator ad Lacum Regillum hoſtem fudiſſet, cumque eo prælio accidiſſet, ut duo juvenes præclare ex equis Poſthumio opem ferentes pugnaſſent, & undique conquiſiti non reperirentur, exiſtimaſſe Poſthumium ferunt Caſtorem atque Pollucem illos fuiſſe: quamobrem iis Templum in Foro erexit, atque eo quidem loco, ubi conſpecti fuerant ſeſe atque equos ſudore diffluentes lavare in aqua, quæ ad Veſtæ Templum fluebat, ibique victoriam prælio partam nunciaſſe. Iccirco ſic poſitum illud Templum exiſtimatur, ut faciem ad Forum Romanum, poſteriorem partem ad Veſtæ Templum verteret, ita ut medium eſſet inter Cæſaris Templum Porticumque Concordiæ. In hoc Templo ſæpiſſime ſenatus habebatur rebus publicis diſponendis. Plinius tradit ante ipſum Q. Martii Tremuli equeſtrem togatam ſtatuam fuiſſe, qui Samnites bis devicerat, captaque Anagnia populum ſtipendio liberaverat. Ovidius addit, Tiberium ejuſque fratrem Caſtori ac Polluci Templum

posuisse ad Juturnæ Lacum; quidam tamen id Templum, quod erectum a Posthumio fuerat, ab iis potius instauratum: quis enim putet ad Templum Vestæ Juturnæ Lacum fuisse? Non magno abhinc intervallo Augusti fuit Templum, quod a Tiberio inchoatum Caligula postea absolvit: is enim super hoc Templo a Palatino ad Capitolium Pontem superbissimum duxit, qui LXXX. columnis candidissimi marmoris sustinebatur, quarum tres adhuc ex Palatini, tres ex Capitolii parte stare videmus.

CAP. XV.

De Templo Faustinæ, de Fornice Fabiano, de Tribunali Libonis, de Templo Jani, de Doliolis, ac de cæteris, quæ in Foro Romano essent.

NULLI dubium est quin Faustinæ Templum a marito sibi erectum in Foro fuisset: nam hoc ipso tempore juxta Pauli Æmilii Basilicam bonam ipsius partem stare videmus; & simul decem ingentes columnas ipsius Porticus, in quibus hæc habentur, DIVO ANTONINO ET DIVÆ FAVSTINÆ EX S. C. In hujus autem ruinis D. Laurentii Templum fuisse volunt, cui *in Miranda* cognomentum est. Proxime hoc Templum Fornicem Fabianum ac Libonis Tribunal fuisse ferunt: Tremellius enim id ad Faustinæ Templum locat; Libonis vero Puteal, sic Latini appellant, prope hunc ipsum Fornicem reliqui ponunt. Fornicem autem Asconius in Via Sacra, quæ hinc ad Capitolium extendebatur, constituit: Fabius Cos. posuit in victoriæ, quam adversus Allobroges est consecutus, memoriam: iccirco in eo Fornice scuta atque cætera victoriæ insignia expressa videbantur. Hic igitur Libonis erat Puteal, ubi jura reddi sæpe solebant; cum is locus a mercatoribus ac feneratoribus maxime celebraretur. Prope Jani erat Templum, quod Procopii ætate, ut ipse asserit, in medio Foro erat e regione Capitolii, addit in eo æneam cellam quadrata fuisse forma, atque ea magnitudine quæ Jani simulacrum integrum cum duobus capitibus ex ære quinque pedum caperet; subditque geminas Templi fuisse portas, quæ pacis tempore claudebantur, belli patebant, Janumque geminum appellatum. Nonnulli prope Domitiani Equum hoc Templum fuisse volunt; re enim vera parum ab eo loco, quem supra posuimus, aberat.

In eodem Romano Foro locus dicitur fuisse, cui Dolioli nomen esset, sic vocatus, quia invadentibus Gallis Senonibus Sacra Romanorum in eodem loco dolioris condita, illic defossa sunt a Flamine Quirinali: quidam ideo putant dictum, quod multis ante annis Numa quædam mystica ibi reposuisset; nec desunt, qui affirment hoc loco Senonum Gallorum sepultos fuisse cineres. In Foro est columna, qua nullum ædificium sustentatur; solam ibi erectam putant, ut ea alicujus fortissimi viri virtus, ut mos erat, illustraretur. Forasse autem ea fuit, quam Plinius scribit erectam C. Duillio, qui primus navali prælio Carthaginenses superavit, atque ibi suis temporibus fuisse tradit. In Foro Magistratus deponi, jura reddi plurimis quidem locis, ac Ludos fieri mos erat: quare idem Plinius commemorat, Cæsarem in gladiatoriis Ludis Forum texisse, tuncque in capite Tuberonis Prætoris urbani, in Foro jura pro tribunali reddentis, avem picum ita placide sedisse, ut manu prehenderetur. In Foro Romano Cæsari equestris Statua erecta est, in cujus capite crinita erat stella, quemadmodum in nonnullis numismatis ejus videre licet. Augustus præterea aliam habere meruit, sed aliæ perplures exstitere. Quamobrem Plinius meminit, omnes aliquando quotquot fuissent statuas circa Forum sublatas eorum qui magistratum gessissent, exceptis iis, quæ aut Populi, aut Senatus decreto erant positæ. Plurimæ item fuere columnæ, ut hominum virtutem testarentur. In iis Cæsari Romanus populus statuit ex solido marmore ex Numidia vecto xx. fere pedum cum hac inscriptione, PATRI PATRIÆ. Omnium vero quæ Romæ erectæ essent antiquissimam C. Mœnii fuisse ob Latinos victos Plinius refert. Scribit Dionysius in Foro ipso super angulari lapide trium Albanorum fratrum, qui a tribus Horatiis fuissent superati, spolia affixa; quare Horatiorum pila meruit appellari. Plurimis etiam picturis ornatissimum fuit Forum; iccirco scribit Plinius, Lucium Hostilium Mancinum, qui primus Carthaginem irruperat, situm ejus, expugnationesque depictas proponendo in Foro, & ipsum assistentem populo spectanti singula enarrare solitum.

CAP. XVI.

De Locis Comitii, sed in primis de Romuli Templo, de Basilica Portia, de Domo Mœnii, ac de Curia Hostilia.

POST Romanum Forum, quod & Comitium appellavere, Faustinæ Porticus sese offert, quam in Foro similiter esse dictum est, eademque cum Templo D. Cosmi ac Damiani, quod Remi quidam, nonnulli Romuli, plerique utriusque Templum fuisse volunt: quemadmodum enim ii, nempe Romulus ac Remus, ita Cosmus ac Damianus fratres fuere. Hoc autem prudenter Veteres animadverterunt, qui cum Gentilium templa nostris sanctis accommodarent, quoad ejus fieri potuit, similitudinem aliquam in iis servare ac retinere voluerunt. Id in eo Templo commutando observaverunt, quod Pantheon Prisci vocabant, cum omnium Sanctorum nomine permutarint. Idem in Carmentæ & Catherinæ, in Herculis, qui Alexicacos vocabatur, & D. Alexii, sicque in cæteris Templis prudentissime secuti sunt. Plinius est auctor, Carvilium Consulem victis Sabinis Romulo hoc Templum construxisse, atque hostium spoliis exornasse: tabulæ marmoreæ plurimæ in parietibus visuntur; primo aditu rotundum est, superiori vero parte apertum ad lumen accipiendum instar Divæ Mariæ Rotundæ: interior pars quadrati longioris formam tenet. Durant adhuc vetustissimæ ipsius fores ex ære factæ. Statim succedit Catonis Basilica, quam Censor ex ære publico ædificatam Portiam appellavit. Quoniam vero in Basilicis jura reddi solerent, & maxima quæque tractari, Tribuni Plebis, dicente Plutarcho, loco unam ex his columnis, quod esset impedimento, amovere constituerunt. Basilica quidem nihil aliud quam domum regiam significat. Vitruvius de Basilicis præcipiens monet ipsas cum Foro conjungi, locisque quam maxime apricis, ut per hyemem commodius mercatores exponere res suas possint. Igitur in Basilicis mercatores versari ac jura dici consueverunt. Sciendum quo primum loco Portia fuit Basilica, Mœnii domum fuisse. Is autem Mœnius fertur absumpto patrimonio domum etiam ipsam vendidisse Catoni, quam ad Forum spectantem habebat, una sibi excepta columna, unde Ludos gladiatorios, signis tabulatisque exterius porrectis, spectaret, quæ postea ex eo Mœnii Columna nominata est; inde omnia ædificia exporrecta ad spectandum Mœniana sunt dicta. Asco-

nius refert, Clodii corpus in Curiam illatum, crematumque cum subselliis, & tribunalibus, & mensis, & codicibus librariorum, quo igne & ipsa quoque Curia flagrarit, & item Portia Basilica, quæ erat ei juncta, ambusta est.

Sequebatur Curia Hostilia a Tullo Hostilio exstructa, ut ait Varro, ultra veterem Curiam a Romulo ædificatam; non ingentem tamen alii inter veterem ac Portiam locant Hostiliam: in hujus conspectu Rostra vetera fuere, de quibus tunc est dictum cum de novis exposuimus. Ait Plinius eodem igne, quo Curia Hostilia consumata est, Actii Navii quoque Statuæ basim, quæ prope esset, dirutam atque eversam. Idem Auctor scribit, Messalam principem tabulam picturæ prælii, quo Carthaginenses & Hieronem in Sicilia devicerat, proposuisse in latere Curiæ Hostiliæ anno ab Urbe condita quadringentesimo nonagesimo. Sequenti tempore in ruinis marmor inventum accepimus, in quo essent hæc verba, IN CVRIA HOSTILIA. Nullibi autem excepto illo Templo, quod augurato dicatum consecratumque fuerat, de rebus ad Rempublicam spectantibus tractari licebat: quare non omnibus in Templis de iis agi poterat; in quibus hæc facultas esset, Curiæ vocabantur: hæ duorum generum fuere; alia enim erat, in qua de religione tractarent, qualis vetus fuit Curia; alia, in qua de rebus publicis agerent, sicut Hostilia. Vitruvius ponit tria hæc loca scilicet Curiam, Ærarium, ac Carcerem, in foro esse oportere.

CAP. XVII.

De Domo Cæsaris, de Porticu Liviæ, de Templo Pacis, de Via Sacra.

UBi maximum Templum Pacis foro æquatum jacere videtur, non procul a D. Cosmi ac Damiani Templo, ferunt C. Cæsaris olim fuisse Domum. Is, scribente Suetonio, in Suburra prius habitavit modicis quidem ædibus, post autem Pontificatum maximum in Sacra Via domo publica. Hæ autem sunt ædes, quas cum Julia sumptuosissime ornasset, Augustus diruit, ibique Liviæ uxori Porticum erexit. In hac Porticu meminit Plinius vitem fuisse adeo diffusam atque opacam, ut ambulationes omnes subdiales umbrosis pergulis opacaret, adeoque fecundam, ut ex ea duodenas musti amphoras conficerent. Ex hujus loci superiori parte, Curiæque Hostiliæ, tum Basilicæ Portiæ, de quibus paulo ante diximus, Vespasianus postea Pacis Templum condidit, tametsi nonnulli putent Cæsaris Ædes, ac Liviæ Porticum superiori loco fuisse Basilicæ Portiæ, Curiæque Hostiliæ, constitutam. Verum Pacis Templum magnitudine pulchritudine, ac divitiis omnia Romana Templa superasse affirmant. Nec mirum, cum in illo omnia vasa atque ornamenta preciosa, quæ ex Hierosolymæ Templo exportata atque in Triumpho a Tito ducta sunt, Templo reposita fuisse non obscurum sit: hujus vero Triumphi ac Victoriæ simulacra adhuc in ipsius Titi Fornice spectantur. Inter ea vero, quibus id Templum ornatum ditatumque fuit, omnia indumentorum genera, quæ in Salomonis familia plurimi æstimarentur quod gemmis ornata essent, eo congesta atque importata fuere. Sed hæc omnia Alaricus Senior Gothus Roma capta ex hoc Templo summovisse dicitur. Herodianus asserit, istud Templum repente & prope divinitus sub Commodo Imp. totum conflagrasse. Irridenda vulgi opinio est existimantis majorem hujusce Templi partem corruisse Christo nascente, singulisque annis die ipsius natali partem dissolvi, præsertim

A cum constet annos ferme LXXX. post natum Christum a Vespasiano conditum. Non me tamen latet, aram Paci ab Augusto positam; quam Agrippa auxerit, ubi tamen fuerit non liquet. Nec procul a Pacis ruinis, in Hortis D. Mariæ Novæ, duo fornices conspiciuntur vetustissimi illi quidem, alter ad Occidentem, alter ad Orientem spectat. Ideo nonnulli, duo Templa, Soli alterum, Lunæ vero alterum, posita putant, quæ, auctore Varrone, T. Tatius erexerit: Isidis ac Serapidis fuisse, sunt qui velint, verbis Vitruvii adducti, qui videtur præcipere, ut Isidi Serapidi que in Foro, ubi ad mercatum convenirent, Templa constituerentur:
B hic autem, scil. in Via Sacra, iis celebrari mos fuit, referente Varrone; hæc autem Via, ut idem est auctor, a Carinis inchoare, atque a Cella Siriniæ ex superiori parte Amphitheatri, ad Titi vero Fornicem extendi, atque ex ipsius loci regione, ubi sunt D. Mariæ Novæ Horti in Forum vero pervenire, Capitoliumque attingere, Pacis Templo a dextra, iis vero duobus Templis, quorum vestigia in D. Mariæ Novæ Hortis apparere dicebamus, a sinistra relictis. Hoc pacto Sacra Via partim Comitii erat, partim Fori Romani: quare multa in Via Sacra esse dicuntur, quæ in Foro ac Comitio esse putabantur. Id de Cæsaris Æ-
C dibus, ubi postea Liviæ Porticus fuit, dici potest. Plinius narrat Ludis gladiatoriis, quos ipse exhibuit, ab ejus Domo usque ad Capitolium, Forum omne ac Viam Sacram lineis ac velis contexisse. Scribit Varro sic appellatam Viam, quoniam singulis mensibus Augures ab Arce Capitolii discedentes per eam ad auguria captanda accederent. Alii a fœdere, quod primum inter Romulum atque Tatium percussum sit, ita nominatam velunt. In hujus Viæ capite juxta Larium Ædem domum habuit Ancus Martius. In eadem Mercatus frequentissimus fiebat; ac novæ fruges pomaque hic
D vendi solita.

CAP. XVIII.

De Ficu Ruminali, de loco proprio Comitii, de Græcostasi, de Concordiæ Templo, de Senatu, de Domo Faustuli, Catilinæ, Scauri, ac de Vulcani Templo.

EXPOSITIS iis locis, quæ a sinistra fuissent Comitii, nunc ad ea, quæ ex alia parte juxta Palatini radices erant, veniamus. Ficus Ruminalis, sub qua Romulum ac Remum expositos me-
E morant, in medio fere hujus Collis latere fuit, ea parte, qua Romuli Templum, Curiaque Hostilia spectatur. Quoniam vero ibi germani fratres vel expositi, vel educati essent, Germalum locum nominavere; Varro innuit in Palatini margine locum fuisse, qui, ut alii interpretantur, ex ea parte, quæ supra Jovem Statorem est, usque ad eum locum fere, qui Titi Fornici opponitur, extendebatur; atque inde ad eum usque locum, qui e Constantini Fornicis regione est, Veliam appellatam. Tacitus gravissimus Auctor Ruminalem Ficum scribit, quæ esset in Comitio, & quæ DCCCXL. ann. amplius vivam Romuli Remique
F memoriam vivens ipsa ac virens conservasset, aliquando exaruisse ramis, truncoque prorsus amisso, idque pro tristi omine habitum, quousque ad radices non repullulasset, Urbi exitium significari existimatum esse, quamobrem sacerdotes multum laborasse memorat. Alii a Romulo quasi Romularem vocatam putarunt. Plerique a lupa, cujus mammis educati pueri fuissent, quod eas Rumas Latini appellarent, dixere. Quidam quod sub ea armenta, æstatis tempore frigora captantia,

herbas ruminare consuevissent. Ex eadem Ficu picum avem, cibum pueris ferentem devolasse solitum ferunt. Ovidius suo etiam tempore hujus arboris vestigia apparuisse indicat, quam Cornelii insuper Taciti ætate, qui Ovidio posterior fuit, durasse superius demonstravimus. Plinius, cum Tacito par ætate, scribit maximam fuisse sacerdotibus curam, ut si quando exaresceret, statim repastinatione renovaretur; proditque hoc loco dicatum in hujus rei memoriam lupæ puerorumque Simulacrum ex ære, quod ut antea dictum est, in Capitolio spectatur. Hoc vero Livius tradit ab Ædilibus fieri jussum, & simul alia permulta ex feneratorum damnationibus. Sub hunc locum Comitium volunt omnino fuisse, a simul citando appellatum, quod eo populus ad magistratus creandos conveniret, unde etiam Comitiales dies dicti Comitiis gerendis apti ac dicati, quibus cum populo agi licebat. Ita vero vocatum Plutarchus existimat, quod in eum locum Romulus ac Tatius ad fœdera convenissent. Livius tradit Comitium cum nunquam tectum fuisset, tum primum coopertum cum in Italiam Annibal descendit. Suetonius prodit a Cæsare refectum. Hic Horatii Coclitis Statua fuit, qui pontem solus contra Etruscos defendit; hæc usque ad Plinii tempora, ipso asserente, duravit. Hermodori Ephesii præterea alia extitit a Romanis erecta: quod sub Decemviris leges e Græcia Romam allatas fuerat interpretatus. Græcostasis vero locus dicitur fuisse, ubi Nationum subsisterent Legati, qui ad Senatum essent missi; a Græcis utpote a nobiliori nomen accepit, quippe quod ea Gens disciplinarum omnium liberalium atque artium scientia cæteras Nationes longissimo intervallo superaret, & præcipue floreret. Iccirco pro dignitate iis domicilium tribuebatur. Supra Comitium erat Græcostasis, collis margini ac palatii, quod erat jn Palatino, incumbens. Quare hunc locum multosque super Comitiis appellare soliti sunt, non autem in Comitiis, tametsi proxima essent. Multis gradibus in Græcostasin adscendebatur. Plinius narrat, Flavium vovisse Ædem Concordiæ, si populo reconciliasset ordines: ex cum ad id pecunia publica non decerneretur, & mulctatitia feneratoribus condemnatis Ædiculam æream fecisse in Græcostasi, incidique in tabula ærea fecisse eam ædem c. quatuor annis post Capitolium dedicatum. Multa Concordiæ fuere Templa, nam præter ea, de quibus antea dictum est, vel Camilli, vel Fulvii dedicatione nota, aliud a Livia Germanici matre positum est, ob eam concordiam, qua tranquillissime cum viro vixerat: nam, ut etiam Suetonius est auctor, Tiberius dedicavit: Volunt autem hoc Templum Liviæ fuisse Porticu; Aliqui in Vulcani Foro locant. In hoc Templo Sardonichen gemmam fuisse ajunt aureo cornu Augustæ dono inclusam, scribuntque Polycratis Samii Tyranni fuisse gemmam: hunc tradunt, cum sibi visus esset ad summæ felicitatis fastigium pervenisse, ut Fortunam, si posset, placaret, ut secundum vitæ cursum perpetuumque sine ulla offensione futurique mali timore teneret, in altum navigio provectum, atque in profundum annulum, qui hanc ipsam gemmam haberet, e digito detractum, sibi alioqui carissimum projecisse. Verum Fortuna ipsa non passa ea de causa Tyrannum mœrere, in piscis eximiæ magnitudinis ventre reservavit, cumque ille retibus aliquando captus, a Regis servis esset emptus, in ventre annulus repertus est. Ferunt præterea Manilium Prætorem Galliæ Concocordiæ Templum vovisse, quod postea ex S. C. ædificavit. Ex iis Templis unum, nam quod fuerit plane ignoratur, ab Opimio Cos. invito populo aut

A instauratum, aut conditum putant; ideo noctu ibi scriptum est, OPÆS VECORDIÆ TEMPLUM CONCORDIÆ FECIT. Supra Græcostasin, ut Varroni placet, ubi erat Concordiæ Templum, & Basilica Opimii, Senatus ad res communes tractandas congregabatur, unde etiam Senaculum locum appellavere. Sed variis temporibus varia fuere Senacula; nam præter hoc, quod Concordiæ Templum medium inter Capitolium ac Forum fuit, in Capitolio * aliud, de quo superius: aliud in Martis Tem plo in Via Appia, ubi hostium Legatos admittebant, facta potestate mandata exponendi,

B Adde quod suum Senaculum ipsæ etiam fœminæ in Quirinali ab Heliogabalo constitutum habuere. Supra Comitium ad Græcostasin. Ficumque Ruminalem, Domum Faustuli tradunt fuisse; juxta vero Opimii Basilicam Catilinæ, e regione vero D. Mariæ Novæ Scauri Ædes fuere; cujus atrium, ut Plinius arbitratur, primum marmoreos parietes habuit ex Luculleo quidem marmore, duodequadragenum pedum longitudine; quamobrem miratur Auctor gravissimus tantam luxuriam a Censoribus silentio legum tolerari potuisse. Juxta Titi Fornicem sub Palatino Vulcano Templum a Tito Tatio positum fuit: hoc autem Sex. Pompejus supra Comitium locat.

C Hic loton arborem fuisse Plinius scribit a Romulo plantatam, quæ postea radicibus sese usque ad Cæsaris Forum diffudit. Hæc autem omnia loca, de quibus est expositum supra Comitium fuisse, in margine Palatini stare quodammodo videbantur.

CAP. XIX.

De Vespasiani Fornice.

SUpra Comitium simili ratione, verum ex opposito Romani Fori, in Via Sacra adhuc Titi Imp. Fornix conspicitur, imperfectus qui-

D dem ac fractus vetustate; hunc sibi ex Hierosolymæ victoria decrevere: omnibusque, qui triumphales essent, antiquior existimatur. In hujus frontispicio hæc habentur.

SENATVS POPVLVSQ ROMANVS
DIVO TITO DIVI VESPASIANI F.
VESPASIANO AVGVSTO.

Sed aliud ejusdem victoriæ monumentum hujusmodi est in ruinis inventum:

S. P. Q. R.
IMP. TITO CÆSARI DIVI VESPA-
E SIANI FILIO VESPASIANO AVG.
PONT. MAX. TR. POT. X. IMPE-
RATORI XVII. XIV. P. P. PRINCIPI
SVO. QVI PRÆCEPTIS PATRIÆ
CONSILIISQ. ET AVSPICIIS GEN-
TVM IVDÆORVM DOMVIT, ET
VRBEM HIEROSOLYMAM OMNI-
BVS ANTE SE DVCIBVS REGIBVS,
GENTIBVS AVT FRVSTRA PETI-
TAM AVT OMNINO INTENTA-
TAM DELEVIT.

F Idem eodem Fornice currus Triumphantis sive Arca fœderis, cui fasces duodecim præcedunt, conspicitur. Spolia item ex altera parte ac triumphali pompa, aureum candelabrum septem ramos continens, in quibus septem lumina accendebantur, quibus, ut quidam censent, septem planetæ significabantur; quæ præterea tabulæ ex marmore, in quibus tota Lex Mosis scripta erat; vasa Templi, aurea mensa, atque alia preciosissima, quæ ut paulo

* Sext. Pompejus illud ponit ad Portam Capenam, & sequens citra Ædem Bellonæ.

ante demonstratum est, omnia in Pacis templo, quod Vespasianus erexit. Alaricus vero senior Roma capta diripuit, fuere reposita. Sed quando de Locis Palatini dici cœptum est, ab iis non videtur decedendum.

CAP. XX.

De Colle Palatino, de Palatio, quod inerat, de Romuli Domo, Tullii, Flacci.

PALATINUS Collis omnibus ædificiis consumptis, excepto Fano D. Nicolai a Calisto Pontifice ædificato, ad priscam solitudinem redactus videtur: nam quemadmodum antea ab ovium, quæ ibi pascerent, balatu nomen Palatini quasi balatini accepit, ita hoc tempore nihil nisi incultum atque agreste omnino videas. Cum vero Respublica floreret, Regum atque Imperatorum, ut ex ipsius ruinis perspici potest, domicilium fuit. Aruspices ferunt tunc Romani Imperii futuram finem, cum Palatinus non coleretur. Putant nonnulli a Palante Evandri proavo dictum; aliqui a Palanteo Arcadiæ urbe, vel a palando, quæ vox errare significat, quod illic palare, id est errare, pecudes pascendo solerent, seu quod palantes, id est errantes, Arcades cum Evandro ibi consederunt. Alii a Palantia Latini uxore cognominatum volunt. Tremellius Romuleum appellavit hunc Collem: hodie vulgo majus Palatium vocant, unde amplissima quæque Principum domicilia palatia dici cœpere, quamvis illud Palatium, quod Regum temporibus fuit, modicam quandam partem tantum ipsius occuparet. A quo vero fuerit auctum, obscurum est. Suetonius scribit hujus partem usque ad Forum extensam a Caligula, ac ingenti illo ponte cum Capitolio conjunctam; hoc autem ideo accidisse putant, quod cum plures particulam tantum fecerint, illius mentionem facere Scriptores noluerunt. Hujus Palatii fores juxta Statoris Jovis Templum fuere, Faustinæ Fano oppositæ. Hujus Collis circuitum millium esse passuum nonnulli volunt; humilis quidem est ac depressus, ædificiorum vero altitudine ac sublimitate editus videtur. In ea parte, quæ ad Palatii fores spectat, Servii Tullii Domum fuisse scribunt, præter eam quam habuit in Exquiliis. In eodem Palatio Atrium fuisse dicitur, in quod Senatus convenire frequentissimus solebat, quoniam augurato esset ædificatum. Ea autem pars, quæ contra Capitolium est, cum majorem partem Palatii occuparet, minus frequens privatorum habitationibus atque ædificiis fuisse memoretur, Hac parte Romuli Casam locant. Is autem cum fratre unicus, pastorum more, multa tuguria ex lignis atque arundinibus confecerat, iccirco Dionysius tradit sua ætate unum durasse, in hujus Collis angulo ex Palatio ad Circum divertente, Casa Romuli dictum; quod ut sacrum ii custodiebant, quibus erat horum cura, nihil illi magnificentius addentes, sed si quid aut per hyemen, aut vetustatem laboraret, quod reliquum esset munientes, diruta ac consumpta, quantum possent, similia prioribus restituebant. In alio hujus collis angulo Domus fuit M. Tullii Ciceronis, quam a Crasso quinquaginta millibus aureorum nostrorum emit: quam cum esset empturus, nec pecuniam in præsens haberet, a Publio Sylla, qui tum reus erat, mutuo accepit: hæc furore Clodii urgente combusta est; atque ibi Libertatis Templum a Clodio conditum, addita pulcherrima Porticu: sed in Ceramio alteram habuit; ipse enim scribit, Clodium Milonis Domum suamque in Ceramio expugnare & incendere conatum esse, domumque P. Syllæ pro Castris sibi ad eam impugnationem sumpsisse. Juxta hanc in Palatino M. Flaccus Domum habuit, super cujus ruinis Catulus, is qui cum Mario Cimbros delevit, pulcherrimam Porticum ædificavit.

CAP. XXI.

De summa Velia, de Domo Valerii Publicolæ, de Templo Victoriæ, de Penatibus, de Orco, de Tulli Hostilii Domo, de loco Palladii, de Templo Cybelis.

LOcus vero, quem Veliam sive summam Veliam ab ovium lanis vellendis dixere, nondum usu tondendi excogitato, ut ait Varro, ad eam partem vergit, que est intra Titi Fornicem ac Coliseum. In priori igitur Veliæ parte, quæ Foro propinquior est, Valerii Publicolæ fuit Domus: quam, cum videret populo minus placere, quod ibi tanquam in loco edito ac munito habitaret, statim dejectam ac demolitam sub Collis radicibus juxta Turrim, quam Pallaram appellant, ædificavit. In hujus Collis margine fuit Victoriæ Templum a L. Posthumio Cos. dicatum, prope quod Victoriæ ipsi Virginis cognomento Fanum posuisse Catonem Livius scribit. P. Victor utrumque locum in margine Romani Fori locat. Nec procul hinc Templum fuit Junonis Sospitæ. Ab iis locis sequebatur deorum Penatum Templum: hoc non multum abesse a Foro Dionysius tradit, in eo deorum Trojanorum imagines fuisse, hac inscriptione, DII PENATES. Ii autem duorum adolescentulorum forma erant, pilam manu sedendo habentes. Scribit Solinus eodem met loco, quo hoc Templum fuerat, Tulli Hostilii fuisse Domum, in qua prius habitavit, quam Hostiliam de suo nomine Curiam ædificasset. Orci vero Templum locant prope hunc locum in Collis fere angulo, qui est supra Constantini Fornicem. Hic, tradit Lampridius, Heliogabalum deo suo Heliogabalo Templum erexisse, quo Matris deum ministros, ignem Vestæ, Palladium, Ancilia, atque omnia quæcunque maxima veneratione haberentur a Romanis, quo præter cæteros deos ipsius deus coleretur, transferre cogitabat. Locus vero Palladii ibi fuisse dicitur ubi hodie Fanum est D. Andreæ in Pallara, ut appellant, quasi ipsius Collis angulo; ejus autem ingentes ruinæ admirationis causam afferunt. Ajunt Palladium vetustissimum fuisse Palladis Simulacrum ex ligno a Troja profectum, tunc autem & oculos & hastam simul, quam manu teneret, movisse volunt. Nautam unum ex Æneæ sociis Troja in Italiam hoc intulisse scribunt, diuque in Vestæ Templo conservatum, neque cuique hoc videre fas fuit, præter Vestalem, cujus Palladii præcipua cura tradita esset; conflagrato vero Vestæ Templo, a Metello servatum tradunt: unde etiam oculis captus dicitur; hicque celeberrimo loco locatus est. Eodem loco Magnæ deum Matris fuit Templum, Cybelen vocant, a Junio Bruto dicatum, Ludis Megalensibus additis e Pessinunte autem Phrygiæ civitate allatum est, quare etiam Phrygiam, Metremque Idæam appellant. Hoc autem a Scipione Natica, quem Senatus optimum judicavit, a flumine in Urbem inductum, in Victoriæ Templo, quod erat in Palatino, locatum est, quosque hoc proprium Templum, ubi repositum fuit, erectum est. Hujus deæ Simulacrum tympanum manu tenebat, turritam vero coronam capite gestabat. Navis vero, qua vecta erat, in arena, cum Tyberis aquæ valde exsiccatæ essent, hæsit. Quam tamen

Claudia Vestalis mira facilitate zona alligata traxit: quoniam vero Simulacrum luto volutatum erat, postero die in Almone fluvio ablutum, Scipio Nasica, ut paulo ante dicebamus, per Capenam Portam in Urbem invexit.

CAP. XXII.

De Domo Augusti, de Templo Apollinis, de Bibliothecis antiquis, de Fidei item Templo, de Thermis Palatinis, de Victoriæ Templo, plurimisque Locis, quæ in Palatino fuerunt.

EO autem latere Palatini, quod ad Circum Maximum spectat, Domum Augustus habuit, ubi etiam, dicente Suetonio, natus est; Capita bubula locum appellabant: primum in domo, quæ Calvi Oratoris fuerat, in palatio postea in ædiculis Hortensii, habitavit. Juxta hanc Domum pulcherrimum Apollini Templum Augustus condidit, cujus etiam nunc vestigia exstant. Hoc autem ideo exstruxit, quod eo loco de cælo percusso, Aruspices ibi Templum Apollini erigendum monuerunt. In hoc Templo lampades pendebant quasi poma ex arboribus. In eodem Poetæ sua Scripta, ut quæque probatissima fuissent, reponere soliti sunt. Celeberrimum fuit quidem, superiori loco Solis currum habuit aureum, quare late tanquam radiis solis Templum splendebat. In eo ipso nobilissimam Porticum Augustus fecit, atque una Bibliothecam Libris tum Græcis, tum Latinis ornatissimam: in qua Numeriano Oratori Statuam cum hac inscriptione posuit, D. NVMERIANO ORATORI POTENTISSIM. In Bibliotheca, monente Plinio, Colossus fuit Apollinis ex ære L. pedum altitudine. In Porticu vero Varronis fuit Statua sibi viventi erecta. Plinius narrat Apollinis Simulacrum, quod in eo esset Templo, Scopæ opus, Dianæ vero, quod ibi erat, Timothei opus fuisse. In area, quæ ante hoc Templum erat, quatuor Vaccæ æneæ fuere, Prœti filiæ, Myronis artificis excellentissimi arte fictæ. In hac area locus fuit, quem Romam quadratam vocavere, quod murus in quadrum ductum locum cingeret. Ibi autem ea omnia, quibus in con dndis urbibus uti solent, in optimi augurii signum reponebantur. Hic laurum fuisse ajunt pulcherrimam quæ ad Capitolii quercum spectaret, tuncque natam ferunt cum Augustus natus est, hac triumphales coronari mos fuit. In hoc ipso Templo Apollinis Augustus, cum jam admodum senex esset, Senatum cogere aliquando solebat. Suetonius tradit paulo post Augusti obitum, quo loco natus erat, Cellam sibi erectam. Juxta hunc locum Domum Tiberius habuit, quæ nobilissima Bibliotheca exornata fuit. Plurimæ autem antiquitus Romæ Bibliothecæ memorantur; quarum duæ celeberrimæ sunt existimatæ, Palatina scilicet, quæ eadem esse putatur cum ea, quam in Apollinis Templo Augustus constituit; atque Ulpia a Trajano instituta, satis quidem ornata. In Capitolio alia numeratur Majorum Bibliotheca nuncupata. Alia item Pauli juxta Marcelli Theatrum, quæ etiam Octavia dicta est, quod ab ea fuerit condita. Verum hac felicitate, quam maximam nemo non judicat, Veteres caruere, imprimendi artem intelligo, quam a duobus fratribus in Germania inventam M. CCCCLV. ferunt. Vaticanum aliam pulcherrimam habet, quam Nicolaus V. Pont. ex omnibus Orbis partibus Libris conquisitis aut inchoavit, aut auxit: Sixtus vero plurimis Græcis Latinisque Libris auctam illustravit.

In hujus Collis fere medio Fidei Templum a Numa conditum auctore Livio, vel, ut alii narrant, a Roma Æneæ nepte; vetustate collapsum Augustus restituit. Prope hunc locum fuere Palatinæ Thermæ, atque huc pars Aquæ Claudiæ derivabat, sicut ex altissimis murorum marginibus, quæ adhuc exstant, conjici licet In Palatini vertice Victoriæ Templum præterea fuit, quod Arcades, qui Evandrum secuti fuerant, Dionysio scribente, condidere. In eodem Colle plurima alia fuere ædificia, quorum ne in ruinis quidem vestigia dignosci possunt. In iis Jovis Victoris Ædes fertur, quam Q. Fabius bello Sabino dicavit. Febris etiam ut minus noceret ibidem Templum habuit; cui tria posita Templa fuere; id de quo nunc dicebamus: aliud in Campo, ubi Marii monumenta sunt; aliud in extremo Vici Longi. In hæc autem Templa omnia remedia, quibus in ægritudine usi erant, afferebantur. In Palatino ipso Templum fuit deæ, quam a viris placandis Viriplacam vocavere: nam eo, quotiescunque rixæ ac jurgia inter virum atque uxorem orta essent, conveniebant, atque in eodem multis ultro citroque dictis, domum placati revertebantur. Fuit & Saliorum Curia, in qua, cum conflagrasset, Romuli Lituus repertus est integer; Larium Fanum; insuper Auguratorium; ubi captabantur auguria, &, ut asserit Plinius, Cæsaris etiam Domus fuit: ubi monet Apollinem ac Dianam curru vectos fuisse, præterea aurigam, ex solido fictos lapide; item Victruvii Bacchi * Domus, quæ cum esset demolita atque constructa de Publico, *prata Bacchi* dictus est locus; is autem admodum Romæ clarus fuisse dicitur. Vanni & prata & domus, insuper, Vicus fuit Padi cognomento, aliusque Fortunæ Respicientis. In hoc Colle solennitatem celebrari cum mercatu mos fuit, quem Palatuar nominabant. Romulum narrant in hoc Colle hastam fixisse, quæ factis radicibus viruit, arborque ingens facta est. Lampridius tradit, areas Palatini e lapide Lacedæmonio atque aliis lapidum nobilissimorum generibus Heliogabalum stravisse, ac de suo nomine Antonianas vocasse.

CAP. XXIII.

De Cæsaris, Augusti, & Nervæ Foro, atque aliis.

SEd ne quid ex ea parte qua Forum erat Romanum desiderari possit, de tribus aliis Foris, quæ juxta illud erant, dicendum videtur. Forum autem id erat, in quo cives maxime versarentur, negotiationi proprius locus, rebusque vendendis atque emendis accommodatus; quædam fuere, in quibus tantum causæ agebantur, ac judicia exercebantur. Cæsar post Pompejanam Victoriam, suum Romano Foro proximum constituit. Ibi autem fuit, ubi nunc Horti videntur, post Cosmi ac Damiani Templum. Plinius scribit solum tantum Foro exstruendo HS. millies Cæsarem Dictatorem emisse. Neque vero mercatus causa institutum tradit Appianus, sed ad causas, judiciaque tractanda. Templum Veneri Genitrici, quod in Pharsalia voverat, condidit. In hac Æde Ajacem, & Medeam, quas Timomachus Byzantius pinxit, atque octoginta talentis venundatas Cæsar posuit. Ante hujus Templi fores Equi Cæsaris Simulacrum fuit, quem anteriores pedes humanos habuisse, nullumque, excepto Cæsare, sessorem passum memorant. Modicum at pulcherrimum fuit id Forum, multisque statuis ornatissimum: in quibus

* Hæc mihi depravata, lege *Vitruvii Vacci*, & vide Livium lib. 8. cap. 19. & 20.

Cæ-

A Cæsari una posita est loricata. Veneris ibi Simulacrum fuit opus Archesilai. Non admodum procul a Domo sua voluit esse, ea autem in Via Sacra fuerat. Et, ut antea expositum est, lotum, quæ in Comitio erat, in Forum usque Cæsaris per stationes municipiorum penetrasse. Augusti vero Forum ideo minus fuit amplum, quod non putavit eos cogendos, qui domos juxta haberent. Fuit in Hortis, qui post Marphorium videntur, Templum D. Martinæ variis ornamentis refertissimum; inter quæ Corvini Statua fuit in crista galeæ Corvum habens, a quo in bello adjutus est. Duæ Apellis picturæ, in altera Castoris ac Pollucis cum
B victoria atque Alexandro Magno; altera belli effigiem revinctis ad terga manibus, Alexandrumque in curru triumphantem habebat. Hic Apollinem fuisse dicunt ex ebore, de quo intellexisse putant Horatium, cum perdito quodam neglecto dixit, se ab Apolline servatum. Ad hoc vero Forum faciendum Augustus multitudine hominum ac judiciorum adductus est, quibus cum duo non sufficerent, tertium addendum curavit: iccirco omni festinatione adhibita, nondum etiam Martis Ultoris Templo perfecto, publicavit, ut separatim in eo publica judicia fierent. Hoc Templum bello Philippensi pro paterna ultione suscepto vovit,
C postea vero ea Fori parte locavit, quæ nunc est juxta D. Martinæ Templum: sanxitque ut hic de bellis triumphisque consuleretur Senatus; provincias cum imperio petituri huc deducerentur; quique victores rediissent, huc insignia triumphorum inferrent. Hoc Forum duas pulcherrimas habuit Porticus, ubi omnium fortissimorum virorum Statuas habitu triumphantium Augustus dedicavit. Adrianus postea Imp. idem restituit. Quare plurimi illud Templum, quod ipsi Antoninus Pius dicavit, sibi ipsi erexisse putant, in qua sententia Capitolinus esse videtur: hocque ab Adriano primo Pont. D. Adriano consecratum, in tribus foris est appella-
D tum, quod inter hæc Fora conditum esset. Hodie apparet more veteri factum, satisque conspicuum; fores habet æneas. In extremo Augusti Foro, prope radices Quirinalis, vestigia adhuc exstant Nervæ Palatii, columnas miræ magnitudinis habentis, quæ Porticus alicujus Palatii fuisse putantur; quare multi Nervæ, non Augusti, Forum existimavere; eo autem magis adducuntur, quod ferunt Trajanum suum juxta Nervæ Forum, quod ipse dotaverat, condidisse; non tamen animadvertunt Nervæ Forum Transitorium dictum, quod inde facile vel ad Cæsaris, vel ad Augusti, vel ad Romanum
E etiam Forum esset accessus. Nisi quis fortasse arguat hoc medium inter Trajani, Augusti, Romanumque Forum fuisse; verum nullum reperitur Forum Romæ, quod apertum propriumque auctoris signum, sicut Trajani ac Nervæ Foro accidit, demonstret. Nervæ vero Forum inter ea, quæ Cæsaris, Augustique, & id quod Romanum est appellatum, medium fuit. Hoc, Suetonio auctore, a Domitiano novum est excitatum. Augusti Foro proximum, postque illud Templum, quod D. Adriano dicatum fuit, Transitorium, ut superius est demonstratum, vocavere; plurimis columnis ac sta-
F tuis ornatissimum fuit: quamobrem tradit Spartianus, plurimas multis ex locis Alexandrum Severum statuas pedestres atque equestres superiorum Imperatorum conquisitas, atque cum titulis column nis que æneis, qu e eorum omnium gesta ordine indicarent, in hoc Foro erexisse. Hodie quam paucissima ex illis ornamentis antiquis, igne labefactata ac corrupta, exstant. Hæc autem dimidiata in ejus fragmentis leguntur: IMP. NERVA CAESAR AVG. PONT. MAXIM. TRIB. POT. II. IMP. II PROCOS. Vice autem Fornicis, aut Monumenti Nervæ, hodie Arcam Noe appellant imperiti. Duo præterea a dextra per lapidis jactum inter se distantes spectantur fornices, difficile tamen quid fuissent comprehendi potest. Hic Jani quadrifrontis, cum suo Templo (bifrons enim juxta Marcelli Theatrum erat) Simulacrum fuisse memorant. Prope hunc feneratores consistebant mercatoresque opibus parandis intenti.

CAP. XXIV.

De Foro Trajani, cum omnibus quæ in eo essent de Sepulcro Publicii, de Domo Corvinorum.

Operæ pretium videtur, priusquam e mentione istius Vallis excedamus, ea etiam afferre, quæcunque post Augusti & ultra Cæsaris Forum fuisse traduntur, ut de universa hac planitie plena haberi cognitio possit. Post Augusti Forum, illud Trajani fuit, quod pulcherrimum inter Capitolium atque Quirinalem constituit, iis demolitis ac deturbatis, quæ fere Capitolium attingerent, ut omnia æquaret. Hujus artifex Apollodorus narratur fuisse, auctore Dione. Habuit autem pulcherrimam porticum, columnasque ea magnitudine, ut spectantes admiratione obstupefierent, adeo ut gigantum fere opus putaretur. Infinitis statuis clarissimorum hominum ornatum erat, quæ undique ab Alexandro Severo conquisitæ, eo in loco locatæ ac repositæ fuerant; atque, ut afferit Gellius, in fastigiis Fori Trajani simulacra sunt sita circumundique inaurata equorum atque signorum militarium, subscriptumque est, EX MANVBIIS. Inter cætera autem ornamenta, Claudiani etiam Poetæ Statua fuit: cujus testis est titulus in quibusdam Ædiculis adhuc servatus, qui est in Constantini Thermis: hujusmodi autem est:

CL. CLAVDIANI V. C.
CLAVDIO CLAVDIANO V. C. TRIBVNO ET NOTARIO INTER CAETERAS VIGENTES ARTES PRAEGLORIOSISSIMO POETARVM LICET AD MEMORIAM SEMPITERNAM CARMINA AB EODEM SCRIPTA SVFFICIANT, ATTAMEN TESTIMONII GRATIA OB IVDICII SVI FIDEM DD. NN. ARCADIVS ET HONORIVS FELICISSIMI AC DOCTISSIMI IMPERATORES SENATV PETENTE STATVAM IN FORO DIVI TRAIANI ERIGI COLLOCARIQVE IVSSERVNT.

Marcellinus tradit, Constantem Constantini filium, cum Romam venisset, excellentiamque ac magnitudinem in Foro ingentium operum esset admiratus, stupefactum novitate, omni spe talia efficiendi, tandem dixisse, se tantum Domitiani * equum imitari velle, qui in medio ipsius atrio esset; quamobrem Hormisdam sibi prius opus esse respondisse stabulum equo tali parandum, quod ab equi dignitate non abhorreret. Hujus autem equi imago in numismatis Trajani habetur cum hoc titulo, S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. In medio hujus Fori Columna adhuc stare videtur, mirabili artificio facta, quæ Dacicum bellum, atque alia memorabilia hujus Principis gesta demonstrat; in ipsius autem Columnæ basi monumentum est, quod indicat ad planitiem ejus loci æquandam tantum terræ inde adsportatum, ut Collem satis editum tolleret. Id autem hujusmodi est:

* Leg. *Trajani*

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS. IMPERATORI CAESARI DIVI NERVAE F. NERVAE TRAIANO AVG. GERM. DACICO PONTIF. MAXIMO TRIB. POT. XVII. IMP. VI. COS. VI. P. P. AD DECLARANDVM QVANTAE ALTITVDINIS MONS ET LOCVS TANTIS OPERIBVS SIT EGESTVS.

Hæc Columna CXXVIII. pedum altitudine est, ad ejus fastigium gradus CLXXIII. ducunt, XLIV. habet fenestellas. Hic Principis hujus ossa locata Dion auctor est, solique ex omnibus Imperatoribus intra Urbem sepeliri licuisse. Fuit præterea Triumphalis Arcus Trajano positus. Bibliotheca Templi Trajani veterum Prætorum edicto servari Gellius scribit, Hoc autem loco & Templum atque Bibliothecam fuisse existimatur. In hujus Fori ruinis Symmachus primus Pont. Basilii, Sylvestri, ac Martini Templa condidit. Bonifacius vero VIII. tres turres, quæ spectantur, erexit; mediam militiarum nomine vocavit, quod eo loco constructa fuisset, ubi militum Trajani stationes essent. Sub Capitolio, ea parte, quæ ad Forum spectat, adhuc Publicii Sepulcri vestigia apparent cum hac Inscriptione:

C. POBLICIO L. F. BIBVLO AED. PL. HONORIS VIRTVTISQVE CAVSSA SENATVSCONSVLTO, POPVLIQVE IVSSV LOCVS MONVMENTO QVO IPSE POSTERIQVE EIVS INFERENTVR PVBLICE DATVS EST.

Juxta hunc locum, ubi Corvorum Macellum est, Corvinorum Domus fuit, atque hic Via lata initium habuit, quæ aliquantum versus populi Portam extendebatur. Sed de iis hactenus, ad ea properandum, quæ ultra Forum ac sub Carinis fuerunt.

CAP. XXV.

De Bustis Gallicis, de Vico Scelerato, de Tigillo Sororio, de Telluris Templo, de M. Antonii Domo.

INter Titi Amphitheatrum, atque Carinas, Cæsarisque Forum, ubi nunc est Ædicula D. An-

A dreæ, Busta Gallica exstiterunt, quæ, Suetonio ac Livio auctoribus, in medio Urbis fuere; sic dicta, quod, scribente Varrone, hic vel sepulti, vel exusti Galli Senones fuerint a Camillo cæsi; quamvis pestilentia defunctos Plinius tradit. Vulgus, a quo omnia facile corrumpuntur, *Portugallum* appellat. Juxta vero Clivum Carinarum, unde hodie ad Divum Petrum *in Vinculis* adscenditur, Vicus, cui Scelerato nomen fuit, initium capit, atque usque ad Gallica Busta protendebatur. Is principio pro bono omine a Sabinis Cyprius dictus est, quo loco consedere, quod apud illos Cyprum bonum

B significat. Sed posteaquam Tarquinius Superbus, narrante Livio, interficiendum curasset Servium Regem suum, corpusque ejus jacens filia carpento supervecta esset, Sceleratus appellari cœptus est. Varro tamen Sceleratum Vicum a Cyprio diversum putat. Inter hunc Vicum ac Carinas Tigillum Sororium fuerat. Erat autem locus Junoni sacer, ubi Horatius, is qui tres Curiatios vicit, piacularibus sacrificiis necem sororis occisæ purgavit, Hic itidem scribit Dionysius Aram fuisse trabem habentem oblongam, cujus extremitates muris viæ oppositis sustinebantur. Ad hujus Vici caput Domus Cassii fuit, qui, quoniam imperium affectavit, statim e medio sublatus est, domo de-

C turbata; Templumque Telluris, Valerio Maximo narrante, quod prius T. Sempronius quo tempore cum Asculanis bellum gerens, ac cum his prælio dimicans terra subtremuit, vovit, eo loco constructum est; alii tamen hoc Templum juxta Cassii ruinas ædificatum volunt, ubi est D. Pantaleonis Ædes. In hoc scribit M. Tullius Senatum ad publica tractanda cogi solitum, alibi etiam ad Telluris Q. fratris Statuam locasse significat; hic etiam idem

D Auctor Armamentarium fuisse innuit. Varro addit in quodam hujus Templi pariete Italiæ fuisse descriptionem. Non procul hinc, auctore Appiano, Domus fuit M Antonii, Verum nimis auctus mihi videtur secundus liber, ad tertium accedendum.

LUCII FAUNI

DE

ANTIQUITATIBUS ROMANIS

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

De Colle Aventino, de Clivo qui ibi erat, de Templo Junonis Reginæ, de Scalis Gemoniis, de Templo Dianæ, de Bona Dea, de Hercule, de Armilustro, de Thermis Decii, Trajani, Varii, de Fonte Fauni ac Pici.

HActenus de ea Urbis parte, quæ celebrior procul dubio erat, mentione facta, ad Aventinum deveniamus, ut postea plane ea tractemus, quæ in ea planitie sunt, quæ inter hunc

F Collem, Palatinum, Capitolinumque sita est. Aventinus, ut jam antea expositum est primo libro, muro cinctus dicitur ab Anco Martio, Pomœrio tamen non intromisso, quod a Claudio Imperatore postea intra receptum est, diu sylvarum densitate asperum, & magna ex parte vastum, minusque frequens fuit. Hujus circuitus ad duo millia passuum continet. Longior quam latior est. Duos habet vertices, in quorum medio vallis est, qua ad Circum Maximum via extenditur, qua ad D. Pauli Templum iter est; adeo ut duorum montium instar spectan-

tibus præbeat. Ab aliis Collibus omnino disjungitur, cujus major pars Tyberi imminet. Aventinus Albæ Rex Monti nomen dedit, in quo exstinctus sepultusque fuerit. Nonnulli ab Herculis filio ejusdem nominis sic vocatum putant. Quidam ab hominum adventu, quod commune Latinorum ibi Templum esset, verum antea hoc nomine appellabatur. Alii ab avibus dictum arbitrantur, quod eo sub vesperam a flumine in eas sylvas se reciperent. Varro scribit a facilitate adveniendi *, antea enim paludibus ab aliis Collibus mons erat disclusus, ut non aliter quam ratibus, soluto etiam trajectu, adveherentur. Murceus quoque est appellatus a Cella divæ Murceæ, quæ sub eo fuisset. Remorium a Remo aliquando dixere, quod ibi Urbem condere designasset, vel quod ibi sepultus fuerit; quem cum Romulus fratri sacrasset, nulli habitandum concessit. Quamobrem in hoc Colle juxta Armilustrum locus quidam præcipuus fuit Remoria nomine, tam a captatione Augurii Remi, quam quod ibi fuerit sepultus, Urbemque eodem loco constituere proposuisset. Cæterum singillatim de iis dicamus. Clivus, per quem in Aventinum adscendebatur, a Foro Boario, ut, cum de Tusco Vico agebatur, est dictum, initium habebat; sursumque ad Junonis Reginæ Templum recta ibatur; id erat in hujus Clivi extremo. Templum hoc Camillus ex manubiarum parte quas ex Veiis victor abstulit, vovit. Ferunt, cum Junonis Reginæ Simulacrum e Veiis in Urbem inferre vellent Romani, quemdam ex militibus, seu spiritu divino tactum, sive juvenili joco, *Visne Romam ire Juno*, dixisse, conclamatum esse a cæteris deam annuisse, quin etiam fabulæ datum locum, *velle*, dixisse; iccirco cum ingenti veneratione ac pompa in Aventinum intulere, atque in eo Templo, quod Camillus dedicarat, reposuere. Ad hunc ipsum Clivum Gemoniæ Scalæ fuerunt, ad quas corpora damnatorum tracta rapi ac præcipitari solebant. Suetonius memorat, Vitellium Imperatorem apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatum atque confectum, unco tractum in Tyberim fuisse. Quo loco hodie D. Sabinæ Templum flumini imminet, e regione Ripæ, pulcherrimum fuit Templum Dianæ, quod Servius Tullius dedicarat. Commune autem fuit Romanis cum Sabinis, quod ad Ephesiæ Dianæ Templi, ab Asiæ civitatibus communiter conditi, similitudinem simul ædificaverint. Ferunt ad hoc Aventini Fanum Sabinum quemdam miranda magnitudine ac specie vaccam Romam deduxisse, & ante Dianæ aram statuisse; quod audiisset vates cecinisse, cujus civitatis eam civis Dianæ immolasset, ibi fore imperium: idque carmen cum ad Cornelium Antistitem Fani Dianæ pervenisset, memor responsi, Sabinum ante vivo perfundi flumine jussit, quod infima valle perfluebat, interim Romanum Dianæ bovem immolasse; ejus autem cornua (tametsi huic deæ cervorum tantum cornua affigere soleret Antiquitas) fixa per multas ætates in vestibulo Templi Dianæ, monumentum ei fuere miraculo. Dionysius scribit idem Templum ab Anco Martio positum, nisi forte de alio Anco intellexisse Dionysium putemus. Divæ Sabinæ hic Templum fuit, quod quidam Petrus Episcopus Dalmata a fundamentis exstruxit, perdives quidem ille, atque opere museato ornavit. Ad hoc Fanum cujusdam Phyllidis domum locat Propertius, inter Templum hujusmodi, Clivusque juxta eum locum, ubi Trigemina erat Porta, nec multum a Schola Græca aberat. Caci Spelunca, ex qua Herculis boves aversos caudis traxerat, quia si agendo armentum compulisset, ipsa vestigia quærentem dominum eo deduxissent: sensit tamen, quare Cacum clava ictum occidit, armentoque recuperato Jovi Aram erexit: paulum ab hoc loco distabant Salinæ, de quibus superius est dictum, cum de Trigemina Porta sermo haberetur. In angulo Aventini Tyberi imminente, sed qui ad Campum sit versus, ubi hodie Testaceum est, eo quidem loco, ubi D Mariæ Aventinæ Templum erectum est, Templum fuisse dicitur Bonæ deæ, cui tantum feminæ sacrificarent in operto; ajunt a Claudia Vestali erectum in Fatuæ honorem Fauni filiæ, quam pudicissimam celebrant; quoniam hujus sacris interesse hominibus non liceret, M. Tullius Clodio objicit illius sacra ab eo noctu polluta. Inter hoc & Dianæ, Templum Herculis fuisse volunt, ibi quidem, aut juxta illum locum, ubi D. Alexii Fanum cernitur, hominis sanctitate ac vita probatissimi: is, ut memorant, cum Romanus esset civis, diu etiam in paterna domo sub gradibus ligneis usque ad extremum diem vitæ ignotus vixit. Cœnobium D. Bonifacii hic fuisse volunt. Quod vero hic Herculis Templum exstiterit, ex Armilustro, cui proximum esset, conjiciunt: in quo quidem Armilustro sese Juventus armis exercebat; hic autem, non in Testaceo, fuisse volunt, ut plerique censuere; Plutarchus locum in Aventino vocat, ubi a Romulo Tatius est sepultus. Hic autem non diu est cum marmor inventum est, in quo incisum esset, SACRVM MAG. VICI ARMILVSTRI. Varro Armilustrum idem cum Circo Maximo esse putat, nam utroque in loco Equestres Ludi fiebant, & sicut in Circo equi currebant, ita in Armilustro res quasdam divinas Romani armati faciebant, & sacrificantes tubis canebant. In Armilustro publica arma reponebantur; nam cum Populus Romanus privata arma non haberet; hinc, quotiescunque ad bella gerenda vocarentur, sumebant; belloque confecto, in eodem redeuntes reponebant. Ex parte istius Collis, quæ ad Circum Maximum spectat, quo loco nunc D. Priscæ est Fanum, Decii Imp. Thermæ olim fuere, quas ipse sibi ædificavit, vel, ut alii putant, in ejus honorem a Romano Populo constructæ sunt. Hinc fere ad Armilustrum nonnulli privatum Palatium, ac Thermas Trajani sese extendisse voluere, ad quas quidem Thermas Aquam deduxit de suo nomine appellatam, tametsi ex Aqua Marcia aliquorum sententia, vel, ut aliorum est opinio, ex Aqua Claudia inducerentur. Thermas Trajani, quas hactenus in Aventino fuisse credidimus, nunc potius in Exquilino ponere libet, prope Titi Thermas: movit nos ad hoc opinandum Saxum quoddam in Luco Sancti Petri ad vincula nuper inventum, cujus inscriptio talis est:

IVLIVS FOELIX CAMPANIANVS V. C. PRAEF. VRBI AD AVGENDAM THERMARVM TRAIANARVM GRATIAM CONLOCAVIT.

Fieri tamen posset hunc lapidem ad S. Petrum in vinculis allatum fuisse, & Thermas nihilominus esse in Aventino. Nos vero ut res se habet enarravimus. Non admodum procul ab his Thermis Varianæ Thermæ fuere: harum autem, & simul Decii, adhuc vestigia exstant; fabulose narrant Aventinum speluncam fuisse Fauni ac Pici, quæ fontem haberet, ex quo ipsi biberent; adduntque, cum Numa vinum in hunc fontem fudisset, ebrios illos redditos, vinctosque ab eo fuisse: quare ab iis didicisse ajunt, quomodo e Cælo fulmina elici (si quando voluisset) statim possent. Hodie rivi quidam spectantur, qui ad Collis istius radicem manantes in Tyberim influunt.

* Leg. *advehendi*, vel *ab advectu*, ut habet Varro.

CAP. II.

De Thermis Antonini Caracallæ, deque aliis quæ in Aventino fuere, & de Aquæductu Aquæ Claudiæ.

IN altero Aventini vertice, qui ad Piscinam publicam spectat, juxta D. Balbinæ Templum, ad radicem scilicet Collis, ingentes muri latissimi, & simul maximæ columnæ, præterea admirabiles ruinæ Thermarum Antonini Caracallæ, quæ nobilissimæ traduntur fuisse, conspiciuntur; has Lampridius ab hoc Principe inchoatas, ab Alexandro autem Severo & absolutas atque ornatas, scribit. Hodie Antignanum locum appellant, quasi Antoninianum. Pars Claudiæ Aquæ his Thermis subserviebat, ex inferiori parte quarum Caracalla nobilissimum Palatium condidisse ajunt. Spartianus tradit, occultam in iis Thermis Cellam fuisse, quam architecti negant posse ulla imitatione, qua facta est, fieri; nam ex ære vel cupro cancelli superpositi dicuntur fuisse, quibus camerario tota concredita esset, & tantum fuisse spatii, ut id ipsum fieri negarint potuisse docti Mechanici. Plerique in ipso Aventino fuere, quorum nulla hodie certa ratio reddi potest, ubi præcipue fuerint. In quibus Ara Jovis Elicii numeratur a fulmine eliciendo; huic autem deo aram ideo erexit, quod, (ut paulo ante dicebamus) cum Numa fulminum eliciendorum rationem a Fauno atque a Pico didicisset, Jovi ipsi Aram statuit. Sed cum Tullus Hostilius, qui Numæ in regno successit, aliquando Numæ Commentarios volveret, & ibi quædam sacrificia occulta Jovi Elicio facta invenisset, operatum iis sacris se abdidisse scribit Livius; sed cum non rite initum aut curatum illud sacrum fuisset, eum fulmine ictum cum domo conflagrasse memorat. In Aventino Vitellius Imp. Domum habuit. Matutæ Deæ Fanum bello in Vejentes suscepto votum, postea a Camillo dedicatum; Libertatis Templum a Tib. Gracchi patre & dicatum & conditum, multisque columnis statuisque æneis ornatum. Hujus Templi Atrium ab Ælio Pæto ac Cethego instauratum creditur. Veneris Marciæ vetustissima Ara. Victoriæ insuper Templum non defuit, ab Arcadibus, ut volunt, positum. Adde Minervæ Lunæque etiam Fanum. Accessit cujusdam Faberii Scribæ Domus pulcherrima, sylvaque Laurentum Jovi sacra, in qua Valentinianus cæsus est, quæ etiam Viæ Laurentinæ nomen dedit. Appius Clodius Cæcus, a quo Via Appia strata est, unde ab ejus nomine sic est appellata, Aquam de suo nomine postea vocatam in Urbem Censor induxit; id autem ann. XX. post Samniticum bellum accidit; ex agro autem Lucullano, quem *Frascatum* hodie vocant, Auctore Frontino, per Viam Prænestinam subterraneo Aquæductu circiter XI. mill. passuum deduxit. Postea vero ad Capenam Portam Aquæductu super terram passibus LX. sub Cælium Montem, per Aventinum vero usque ad Salinas, quæ juxta Trigeminam Portam sane antiquam erant, extendebatur; quædam autem hujus Aquæductus vestigia hac etiam ætate prope hujus Collis radices conspiciuntur, ex ea parte, ad quam Testaceum respondet, ac juxta Scholam Græcam, atque Arcum septem Vespillonum, ubi, scilicet ad Salinas, terminabat Aquæductus. In Urbem vero recepta aqua viginti in partes ad communem omnium usum dispensata distribuebatur. Tradit Procopius inter Latinam atque Appiam Viam duos Aquæductus jungi, statimque dividi; horum alterum Aquæ Appiæ, de quo agimus, esse existimari potest.

A Franciscus scribit hujusmodi Aquam per Urbis Vicos, ac Regiones, pro II. pro V. pro VIII. IX. XI. XII. XIII. XIV. ad varios Urbis usus fuisse.

CAP. III.

De Campo ubi est Testaceum post Aventinum, deque omnibus quæ in eo fuere.

NUnc ad Campum Testaceum veniamus, Aventino relicto: ut vero hinc exordiamur, Testaceus Collis fuit humilis, adeo ut qua parte excelsior fuit, CLX. pedum altitudinem non excesserit, nec ultra L. cingitur, ex vasorum ruptorum testis, quas eum in locum figuli congerebant, ita crevit, ut monticuli formam fere accipiens, Testarum nomen servaverit. Creta mirabiliter usi sunt Veteres, adeo ut Plinio tradente etiam deorum simulacra ac templorum ornamenta ex creta factitarint. Hac parietes incrustabant, in eademque vita functos sepeliebant. Quare factum est ut Numa septimum figulorum Collegium constituerit. Quoniam vero aquarum commoditate hic Campus abundaret ob Tyberis vicinitatem, major hujusmodi artificum pars, quod grandiora vasa conficerent, in eo officinas habebant. Quoniam vero, si in flumen vasorum fragmenta ac reliquas sordes ejus artificii injecissent, futurum fuisset ut aliquando alveum fluminis opplevissent, Senatus vetuit ne quicquam ex illis in flumen demitterent, atque iccirco Locus Testaceus his assignatus dicitur, ideoque ex earum rerum congerie Collis est effectus. Figulorum autem officinæ in hujus Campi interiori parte inter ipsum Testaceum ac Tyberim fuere; quemadmodum Fabrorum lignariorum in hujus planitiei parte erant, ad quam ex Urbe discedentes statim accedebant. Nam Livius tradit, ab Ædilibus extra Trigeminam Portam inter Fabros lignarios, Porticum Æmiliam instauratam, Forumque, in quo mercatus fieret, stratum ac trabibus septum fuisse, ipsumque Forum commodius redditum gradibus factis, ut a Tyberi ad ipsum facilior esset adscensus. Ad hanc Porticum Basilicam Æmiliam fuisse quidam tradidere. Sed inter figulos Veneris Myrteæ Ara fuit, quam Murciam appellatam Plinius testis est, quod homines pigros languidosque efficeret; Myrteam autem a loco qui myrtis abundaret dictam palam est. Hic Circus fuit, quem intimum vocavere; hujus autem in vineis etiam sunt vestigia, præsertim quæ sunt juxta flumen. Ad Tyberim Ovidius Lucum Hilernam locavit. Ex alia hujus planitiei parte ad D. Pauli Templum cum Urbis mœnibus pulcherrimam Pyramidem integram fere, ex marmore confectam & conjunctam etiam nunc videmus, ut vero ex litteris conjici potest, Sepulcrum C. Cestii Septemviri Epulonum fuit. Romæ autem sacerdotium Epulones habebant; ii enim cum potestatem haberent mensam lautissimam ad Jovis Statuam instituendi, atque conquisitissimis epulis cum joco risuque mimorum more vescerentur, sic dici meruere. Hæ autem sunt Pyramidis litteræ: C. CESTIVS L. F. POB. EPVLO. PR. TR. PL. VII. VIR. EPVLONVM. Inferius vero minores litteræ sunt incisæ; sunt autem hujusmodi: OPVS ABSOLVTVM EX TESTAMENTO DIEBVS CCCXXX. ARBITRATV PONT. P. F. CLAMELAE HEREDIS, ET PONT. L. In media Testacei planitie CXL. Horrea ingentia frumentis condendis reponendisque aptissima fuere, quorum hodie nonnulla sunt vestigia in Joannis Georgii Cæsarini clarissimi viri Vineis, inque aliis vicinis locis; nec diu est cum

quoddam marmor in Marcelli Capozuchi cognomento Rom. Civis Vinea defossum est, in quo hæc erat inscriptio; NUM. DOM. AUG. SACRUM GENIO CONSERVATORI HORREORUM GALBIANORUM M. LORINUS FORTUNATUS MAGISTER S. P. D. D. Ex alio latere eadem erat inscriptio, excepto quod pro GENIO CONSERVATORI repositum fuerat FORTUNÆ CONSERVATRICI. In iisdem Horreis, ut asserit Plinius, P. Maticino Præfecto annonæ Columna erecta, & simul Minutio Augurino altera, quod farris pretium in tribus nundinis ad assem redegerit.

CAP. IV.

De Templo Murciæ, de Fornicibus Horatii, de Salinis, de Templo Vestæ, Fortunæ Virilis, de Foro Piscario.

AD eam nunc planitiem accedamus, quæ inter Aventinum, Tyberim, Capitolium, Palatinumque posita, per Cælii Cæliolique radices, ad Capenam usque extenditur. Igitur in Aventini radicibus juxta Clivum publicum, non procul a Foro Boario, Ara fuit Murciæ, quam inertibus ignavisque præfuisse prædicant. Hic Livius tradit Latinis in civitatem acceptis sedes datas, ut sic Aventinus cum Palatino jungeretur. Inter Aventinum Tyberimque prope Sublicium Pontem Horatii Coclitis Fornices, quos ipsius virtutis monumenta sempiterna Civitas erexit, cum solus adversus Etruscos fortissime pugnans illis restiterit, fuisse ferunt. Blondus narrat a fundamentis eos demolitos sua tempestate fuisse ad calcem conficiendam, subditque tum famam durasse Horatii, idque quibusdam Inscriptionibus sic esse compertum fuisse. Sub Caci spelunca juxta eum locum, ubi antiqua Porta Trigemina fuit, Salinas, hoc est, Cellas, in quibus sal publicum conderetur, sicut hodie in Capitolio reponitur, exstitisse accepimus. Prope hunc locum vetustissimum Templum conspicitur, hodie D. Stephano dicatum, quod quoniam forma rotunda sit, porticumque similiter habeat rotundam, circumque XVIII. columnis sustineatur, Vestæ antiquum Templum fuisse censent; nam Veteres Vestam terram putarunt, qua omnes sustententur; atque ideo ad terræ similitudinem a Numa ædificatum pilæ instar habens huic deæ existimant: ut vero superius est expositum, scribit Dionysius, Templum, in quo sacer ignis etiam suo tempore servabatur, non a Romulo dedicatum, sed a Numa, quod hoc Templum extra eam Urbem est, quam Romulus primum quadratam constituit, Numamque ipsum Virgines Vestæ, non Romulum, ut plerique putarunt, statuisse. Ovidius Templum Vestæ, in quo ignis Palladiumque servarentur, ad Regiam Numæ, quæ juxta Romanum Forum erat, locare videtur. Idem Auctor Dionysius refert, inter Palatinum atque Capitolium, prope Forum, seu in ipso Foro commune Vestæ Templum conditum a Numa; cum enim Romulus in omnibus Curiis propriam peculiaremque Vestam assignasset, nullam communem consecrarat. Ad hoc Templum Regiam habuit Numa, ut etiam antea est dictum; Dionysius atque Ovidius in eadem sunt sententia, illud Templum, quod in Foro & in media Urbe erat, a Numa esse exstructum; id vero, quod paulo ante D. Stephano dicatum dicebamus, quoniam extra ipsius quadratam Urbem esset, minus a Romulo conditum: an vero a Numa, aut ab alio quopiam constructum sit, obscurum est, cum apud alium Auctorem non legerim. Satis est intelligere extra Romuli Urbem quoddam Vestæ Templum fuisse; ex circulari autem hujus Templi forma magis consentaneum est Vestæ fuisse, quam aut Herculis, aut Matutæ Auroræ, ut aliqui putant, eo magis quod Hercules non hic, verum remotius aliquanto, ibi scilicet ubi fuit Ara Maxima, Matuta vero in Foro Boario Templum habuit. Quod vero Ovidius in eo Templo servatum fuisse ignem prodit, quod prope Forum esset, Dionysius vero in eo, quod extra Romuli Urbem esset, nihil obstat, quo minus id diversis temporibus eveniret; horum enim Scriptorum tempora nonnihil dissidere videntur. Ignis vero conservatio Templi Vestæ propria præcipuaque erat, nam nihil præter ignem in eo servari mos fuit, Ovidio etiam ipso asserente. Dionysii quidem sententia non ea mihi videtur fuisse, ut affirmaret in hoc tantum Templo ignem custodiri, in cæteris vero hujus deæ Fanis minime, sed quod in isto majori cura cerimoniisque fortasse ignem tuerentur. Ubi vero hoc tempore nec procul hinc, ad D. Mariæ Pontem, Templum divæ Mariæ Ægyptiacæ fuit, Fortunæ Virilis Fanum fuisse dicitur; de duobus enim Templis Fortunæ Virilis Dionysius tradit: hoc autem fortasse fuit; tametsi Asylum id fuisse nonnulli putent, seu Templum Misericordiæ, quidam Pudicitiæ, conjecturis tantum commoti; non ratione quidem ulla, quæ rem plane declaret. Scribit Val. Maximus in Fortunæ Templo ligneam Ser. Tullii Statuam fuisse totam inauratam, quæ, cum omnia ibi conflagrarent, incolumis atque integra reperta sit: hoc autem ideo accidisse putant, quod Ser. Tullius a Vulcano forma favillæ ardentis conceptus traditur, quo tempore in Prisci Tarquinii domo ipsius mater Corniculana * servitutem serviret. Ex hoc autem Templo prope Tyberim, auctore Varrone, usque ad Ædem D. Mariæ in porticu Forum Piscarium extendebatur; quo loco non pisces tantum, verum alia præterea venalia exponebantur: hoc autem cognomen habuit Ædes, quod in Octavii porticu vel prope illam exstructa esset.

CAP. V.

De Theatro Marcelli, de Templo Pietatis, de Carcere plebis, de Curia ac Porticu Octaviæ.

HOC præcipue loco juxta Tyberim hac etiam ætate pars Theatri Marcelli stare conspicitur, reliquo igni ac vetustate consumpto. In ipsius ruinis hodie Savellorum Palatium constructum est. Quidam in Foro Olitorio ponunt. Ab Augusto conditum hoc Theatrum dicitur in Marcelli Octaviæ sororis filii memoriam, quem illa adolescentem amissum, & Imperii successorem futurum, quoad vixit, luxit; multa præterea ædificia idem Augustus aliis ex suis erexit, in quibus Porticus Liviæ, Octaviæ, Caji ac Lucii nepotum Basilica numeratur. LXXX. hominum millia ex hoc Theatro ludos spectare commode poterant. Hujus Scenam Vespasianus renovavit; in eoque fabulas ac ludos edidit. Hic Plinius videtur existimare Templum Pietatis fuisse, pulcherrimumque exemplum narrat pietatis: *Pietatis*, ait, *exempla infinita toto orbe exstitere, sed Romæ unum, cui comparari cuncta non queant. Humilis in plebe, & ideo ignobilis puerpera, supplicii causa carcere inclusa matre, cum impetrasset aditum, a Janatore semper excussa, ne*

* Ocrisia vocabatur, de qua videsis Dion. Halicarn. Antiqu. Rom. lib. 4. init. & Plin. Hist. Nat. lib. 36. cap. ult.

quid inferret cibi, deprehensa est uberibus suis alens eam. Quo miraculo, matris salus donata pietati est, ambæque perpetuis alimentis nutritæ, & locus ille eidem consecratus est deæ, C. Quintio, M. Attilio Coss. Pietatis Templo exstructo in ipsius carceris sede, ubi nunc Marcelli Theatrum est. Ita refert Plinius; Solinus tamen patrem illius fœminæ, non matrem, putat. Plinius existimare videtur ubi postea hoc Theatrum est exstructum, partem Carceris fuisse plebis ab Appio Claudio decemviro facti, in quo cum ipse reus capitis servaretur, se ipsum necavit. Hujus quidem Carceris juxta D.Nicolai Templum sunt vestigia, quare etiam *in carcere* nominatum est. Ideo autem hujusmodi Carcer est additus, quod improborum ac perditorum hominum multitudine increbrescente unus sufficere tot malis non putabatur. Ante Theatrum vero Curia fuit Octavia cum Porticu ejusdem nominis, quam Augustus sorori Octaviæ struendam curavit. Porticus autem a D. Nicolao in carcere, ut putant, usque ad D. Mariam in porticu extendebatur; magnifice autem ædificari Porticus mos erat uno, sæpe etiam pluribus columnarum ordinibus; sub his pluvias subitas ac repentinas vitabant, umbrasque ac frigora captabant, vel deambulabant, variisque sermonibus diem consumebant; quamobrem in meridie solem hieme, a septentrionibus æstivas umbras excipiebant. Varie autem constructæ sunt Porticus, quædam longiores, breviores nonnullæ; iccirco quædam milliariæ, quod millibus passibus progrediebantur, quædam stadiariæ a stadii longitudine, quæ pars milliarii octava est, vocabantur; Adde quod nonnullas subterraneas faciebant, ut frigidiores essent per æstatem. Nomina plerumque ab operibus accipiebant: nam aliæ Corinthiorum, aliæ Doricorum, aliæ Etruscorum more factæ, iis nominibus appellabantur. Diis præterea Porticus dicare solebant, ut ex hac Inscriptione cognosci potest.

SILVANO SANCTO L. VALLIVS SOLON PORTICVM EX VOTO FECIT DEDICAVITQ. CAL. APRILIB. PISONE ET BOLANO COSS.

In hac ipsa Porticu Octaviæ nobilissimas easque plurimas tabulas fuisse Plinius tradit: in quibus Herculem numerat ab Oeta monte Doridos exacta mortalitate consensu deorum in cælum euntem. Junonis Templum in hac ponunt cum ipsius pulcherrima Statua; Veneris, atque Æsculapii; præterea Dianæ; Fanum insuper Apollinis cum ipsius Statua, Latonæ, atque Dianæ, tum novem Musarum: in iis Apollo erat nudus, item alter citharam tenens. Hic Octaviæ Scholam fuisse narrant; in ea pulcherrimum illum Praxitelis Cupidinem fuisse Plinius scribit, Verri a M. Tullio objectum, propter quem Thespiæ visebantur. Verum alias exquisitissimas statuas hoc loco ponit Plinius ad ornandum repositas; inter quas Veneris Statuam nobilissimam Phidiæ opus fuisse memorat.

CAP. VI.

De Foro Olitorio, de Templo Jani, de Sacrario Numæ, de Templo Matutæ, Carmentæ, Spei, de Columna Lactaria, de Argileto, de Æquimelio, de Asylo.

OLitorium Forum, in quo olera vendebantur, extra Carmentalem fuit Portam inter Capitolium ac Marcelli Theatrum, ibi ferme ubi

A Forum est, quod Montanarium vocitant. In hoc autem Foro, apud Marcelli Theatrum ac Sanctum Nicolaum in carcere in extremo Argileto, Jani Templum locant, quod a Numa supra duas ædiculas positum volunt: in eo autem duas portas ab eo factas, quæ pacis tempore claudebantur, belli patebant. Ajunt cum Cos. ad bellum proficisci pararet ad bella gerenda toto Senatu comitante eo venire, easque portas solenni ritu aperire solitum. Tacitus narrat, Cn. Duillium, qui primus Carthaginenses bello navali superavit, Jani Templum ad Olitorium Forum erexisse. Quamobrem si fateamur a Numa prius ædificatum, a Duillio in-

B stauratum fuisse dicendum videtur. Multa, tradente Ovidio, Jani fuere Templa. Morem autem Templi vel claudendi, vel aperiendi in hoc, de quo modo dicebamus, servatum, neminem latere volumus: ex aliquorum sententia, nonnullis in eo, quod in Foro Romano esset, hoc observatum putarunt. Ad hujus Templi latus Numæ Sacrarium locarunt, quo loco res sacras servaret. In hoc Foro, ubi hodie D. Andreæ Templum est, Mentuciæ vel Vinciorum cognomento, Matutæ Junonis fuit Templum, belloque Gallorum a C. Cornelio Cos. dicatum ac factum; vulgus ex Matuta Mentuciam fecit. Carmentæ vero Euandri matris Tem-

C plum, quod ad Carmentalem Portam ab ea vocatam fuit, ad Capitolii radices, ubi semi-diruta D. Catharinæ Cella videtur, fuisse dicitur. Sed Carmentæ Fanum fœminæ posuere, quod, sicut antea solerent, a Senatu pilentis vectari impetrassent. Idem Forum Spei Templum habuit, quod Sempronii Gracchi consulatu, auctore Livio, totum conflagravit. Hic Lactaria Columna, ita appellata, quod ad eam infantes adducebantur, quibus nutrices essent parandæ. Quoniam vero superius Argileti mentio est facta, sciendum Argiletum fuisse Viam, quæ a Velabro, aut ab extremita-

D te Vici Tusci, qui cum Velabro idem fere fuerat, ad Theatrum Marcelli protendebatur. Nomen autem ab Argo Evandri hospite accepit, quod in ea & occisus & sepultus fuerit: alii ab argilla vocatum dixere, cujus ibi magna esset copia. Sicut vero ea pars, quæ ad Marcelli Theatrum erat, imum Argiletum, ita summum, quod in ipsius loci initio esset, appellarunt. In hujus Fori parte, quæ a dextra est in exitu Carmentalis Velabrum versus, juxta eum locum ubi D. Joannis decapitati est Templum, Æquimelium fuisse nonnulli volunt. Sic autem dictum est a Sp. Melio, qui cum in suspicionem affectati regni venisset a Servilio

E Ahala Magistro equitum occisus est, bonis proscriptis domoque ejus diruta, & area Æquimelium dicta. Quidam ad Busta Gallica locant; nihilominus Plinius sub Capitolio omnino ponit. In area Argileti magna artificum erat copia, atque mercatorum, præsertim tabernæ Bibliopolarum, quæ Argiletanæ dicebantur. Asylum vero, quod in Capitolio antea constitutum a Romulo fuerat, inde ob multa ædificia postea erecta in eam planitiem, quæ sub Rupe Tarpeja erat, translatum volunt, totumque id spatium, quod est inter Rupem Tar-

F pejam, Forum Boarium, Pontem D. Mariæ atque Aventini radices, occupasse.

CAP. VII.

De Velabro, de Basilica Semproniana, de Foro Boario, de Fornice Septimiano, de Templo Jani quadriformis, de Templo Herculis Victoris, & de Ara Maxima.

VElabrum ea fuit planities, quæ quasi quædam Vallis inter Aventinum, Capitolium, atque

Palatinum posita, sic dicta quod ratibus homines a reliquis Urbis partibus in Aventinum veheret: nam ex Tyberis inundationibus in hujus loci imo quasi lacus stagnabantur adeo, ut eos trajiciendo navigarent. Quamvis vero Velabrum exsiccatum repletumque fuisset, postquam cursum Tyberis Tarquinius direxit, nomen tamen vetus mansit, ita ut etiam hoc tempore Sanctum Georgium in Velabro celebrent. Accæ Laurentiæ hic fuisse Aram Cicero innuit: cujus sepulcrum eodem in loco satis celebre fuisse Antias scripsit. Juxta vero Signum Vertumni, quod non multum a Sancto Georgio in Velabro absuit, P. Africani fuit Domus, quam postea, Livio auctore, T. Sempronius pecunia quadam publica emit, ibique Basilicam de suo nomine constituit. In Velabri parte, ut mox patebit, Boarium decretum est, ita autem vocatum est vel a bove æneo, qui ibi esset, nam ex ea parte, ut asserit Tacitus, vomere urbis suæ circuitum signare Romulus cœpit; sive a bove, quem Caco victo Hercules hic mactavit, vel a bobus, ut Sexto Pompejo placet, qui ibi vendi emique solerent. Quare Livius tradit bovem in hoc Foro ad tertiam contignationem sua sponte scandisse. Hodie in eodem Foro ad Sancti Georgii Fanum antiquissimus Fornix stat; Septimio Imperatori ac M. Aurelio ab Argentariis ac Negociatoribus illius Loci erectus dicitur: in eo autem incisa sunt sacrificia boum, quæ ibi fierent. Hanc habet Inscriptionem:

IMP. CÆS. I. SEPTIMIO SEVERO, PIO, PERTINACI AVG. ARABIC. ADIABEN. PARTH. MAX. FORTISSIMO FELICISSIMO PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. XII. IMP. XI. COS. III. PATRI PATRIÆ ET IMP. CÆS. M. AVRELIO ANTONINO PIO FELICI AVG. TRIB. POTEST. VII. COS. III. P. P. PROCOS. FORTISSIMO FELICISSIMOQ. PRINCIPI ET IVLIÆ AVG. MATRI AVG. N. ET CASTRORVM, ET SENATVS, ET PATRIÆ ET IMP. CÆS. M. AVRELII ANTONINI PII FELICIS AVG. PARTHICI MAXIMI BRITANNICI MAXIMI. ARGENTARII ET NEGOCIANTES BOARII HVIVS LOCI QVI DEVOTI NVMINI EORVM INVEHENT.

Nec procul hinc hodierno die pervetustum Templum ex marmore, sed magna ex parte dirutum, multisque ornamentis spoliatum conspicitur; quatuor habet facies, quadratæ instar porticus, *logiam* hodie appellant. Jani quadrifrontis Templum fuisse putatur, quod Veteres in Foro Boario condidere: hujus autem quatuor facies quatuor anni partes significabant, quarum Janus est caput ac princeps; duodecim vero cellulæ, quæ in iis faciebus cernuntur, menses anni denotant, ut superius etiam est expositum, cum de numeris mentio haberetur, quos in manibus Jani Simulacrum haberet. Janus vero bifrons tantum Romæ colebatur; sed postquam Romani in urbe Faleria, ab eis capta, Janum quadrifontem invenerunt, in sua etiam similem habere voluerunt. In Foro ipso Boario non procul a Schola Græca Templum fuit Herculis Victoris; in hoc neque muscæ, neque canes ingrediebantur: hujus autem rei rationem affert Solinus: nam cum hic carnem sacrorum distribuisset Hercules, muscarum deum Myagrum devovisse fertur; in Templi vero aditu clava relicta, cum primum ipsam canes olfacerent, repente fugiebant. Hoc quidem Templum (quod Livius rotundum fuisse scribit, quare plerique adducti sunt, ut illud Jani Templum fuisse dixerint, quod Vestæ juxta Tyberim assignavimus) Sixto IV. Pontifice solo æquatum scimus: in cujus ruinis pulcherrima illa Herculis Statua ex ære inaurata, quam hodie, ut antea dictum est, in Capitolio videlicet in Palatio Conservatorum servant, reperta est. Quidam tamen ex Aræ Maximæ ruinis erutam volunt. Hæc quidem ea esse putatur, quæ in Herculis Templo M. Fulvio & Cn. Manlio Coss. posita narratur, nec vero ea, quam Plinius in Foro Boario ab Euandro ipsi dicatam meminit, Herculemque triumphalem appellatam; quoniam in triumphis triumphantis habitu ornarent. Euandri certe tempestate præter Aram nihil præterea habuit Hercules. In his autem ruinis in marmorea tabula hujusmodi inscriptio reperta est:

DEO HERCVLE INVICTO C. TVL. POMPONIVS PVDENS SEVERIANVS V. C. PRÆF. VRB.

Hoc Templum imaginem Pacuvii Poetæ elegantissime pictam habuit. Servos vero neque libertos in illud ingredi fas fuit, præcipue cum sacra fierent. Hic prope Scholam Græcam Aram Maximam Herculis, quam ipse erexit, in Circi fere Maximi ingressu fuisse volunt. Sic autem ab ædificii magnitudine appellatam Servius tradit, quam etiam suo tempore durasse narrat. Hic boum suarum Herculem, quas a Caci antro ac furto recuperarat, decimam sacrificasse ferunt: maxima veneratione erat, quare si quis maximum juramentum requireret, Aram Maximam jurare cogebat. Narrant dixisse Herculem eum fœlicissimum futurum, quicunque frugum omnium suarum decimam obtulisset; atque iccirco Syllam, M. Crassum, ac Lucullum ditissimos memorant, quod decimas isti Aræ dedissent. Ajunt, cum Hercules per Italiam boves ageret, siti oppressum, feminam rogasse poculum; id illa cum negans respondisset non licere quicquam ex paratis sacris gustare, factum est ut hic postea sacrificans, feminas omnino ab iis sacris excludi mandarit. Non procul a Sancto Georgio fons est, quem Juturnæ nonnulli tribuunt, putantque aliquando eo e Foro Romano inductum: Juturnæ vero aqua saluberrima adeo putabatur, ut ea quinquies pueri abluti scabie liberarentur: in Tyberim defluebat; nos vero superius retulimus Cloacæ Maximæ cornu per Velabrum fluxisse.

CAP. VIII.

De Templo Fortunæ Prosperæ, Matris Matutæ, de Fornicibus Stertinii, & de Templo Pudicitiæ Patritiæ.

DUo in Foro Boario Templa Servius Tullius condidit; alterum Fortunæ Prosperæ, quam ita, cum semper secundam rebus suis esset expertus, vocare placuit: (is enim serva matre natus Romanorum Rex fuit, quare, ut Plutarchus narrat, multa alia Templa Fortunæ sub variis nominibus erexit; nam Masculæ, Primogeniæ, Parvæ, Forti Fortunæ, quam eandem cum Virili fuisse volunt, Convertenti, Benesperanti, Videnti, Templa arasque posuit) alterum vero Matri Matutæ; solennes autem cerimoniæ ac festa utriusque uno atque eodem die celebrabantur. Livius refert, Stertinium post præturam, quam in Hispania gessit, in Ærarium Romanum L. millia librarum argenti contulisse; atque ex manubiis duos in Foro Boario Fornices struxisse, unum ante Matutæ Templum, alium vero in Circo Maximo, omnes-

que exquisitissimis inauratisque statuis exornasse. In eodem Foro juxta Herculis Fanum Pudicitiæ Patritiæ Sacellum Livius constituit, ab Æmilio conditum; in quo quidem certamen inter feminas ortum scribit, quæ sacrificatum convenerant: Virginiam enim, Auli filiam Patriciam Plebejo nuptam L. Volumnio Consuli, matronæ, quod e Patribus enupsisset, sacris arcuerant; brevem altercationem fuisse, sed inde ex iracundia muliebri in contentionem animorum exarsisse, cum se Virginia & patriciam & pudicam in Patriciæ Pudicitiæ Templum ingressam, & uni nuptam, ad quem virgo deducta sit; nec se viri, honorumque ejus, ac rerum gestarum pœnitere gloriata esset. Facto deinde egregia magnifica verba adauxisse in Vico Longo, ubi habitabat, ex parte ædium, quod satis esset loci modico sacello, exclusisse, Aramque ibi posuisse: convocatisque matronis plebeiis conquestam injuriam patriciarum dixisse: Hanc ego Aram Pudicitiæ Plebejæ dedico: vosque hortor, ut quod certamen virtutis viros in hac civitate tenet, hoc pudicitiæ inter matronas sit, detisque operam, ut hæc Ara, quam illa, si quid potest, sanctius & a castioribus coli dicatur. Addit Livius eodem ferme ritu & hanc Aram, quo illa antiquior, cultam esse, ut nulla nisi spectatæ pudicitiæ matrona, & quæ uni viro nupta fuisset, jus sacrificandi haberet. In Foro præterea Boario primos gladiatorios Ludos editos volunt.

CAP. IX.

De Circo Maximo, & de Templo Consi, ac Neptuni.

EX hac Palatini parte Circus Maximus usque ad Aventinum prope extendebatur. Prius vero quam de ejus partibus quicquam afferamus, operæ pretium videtur generatim de iis Circis exponere, qui nulla alia causa quam ludorum venationumque sunt instituti: Varro putat ideo Circenses hos Ludos appellatos, quod prius locis virentibus atque herbosis inter enses & flumina, quare Circenses quasi circum enses sunt dicti. Verum potius ideo sic appellatos fuisse putandum est, quod circum populus fusus spectaret Ludos; sive etiam ab ipso Circo, in quo fiebant. Nam hemicycli figuram, longiorem tamen quam latiorem, habebant ea loca, in quibus Ludi committebantur. Locum, unde currere incipiebatur, carceres vocabant. Nec inde unquam movebantur prius, quam signum daretur. In utraque Circi parte pari distantia duæ figebantur metæ pyramidum instar habentes, circum quas equi currusque revolvebantur. Ut vero liberius exspatiari atque excurrere equi possent, nonnunquam metæ amovebantur. Circum autem erant sessiones, in quibus commodissime spectari poterat. Sed de Circo Maximo dicendum: huic magnitudo nomen hujusmodi invenit, ut Maximus diceretur. Olim CCCCL. passibus longitudine, C. vero & XXV. latitudine; secundum vero Plinium, si ædificia computentur, quatuor agri modiis extendebatur; adeo autem capax erat, ut CCXL. millia hominum in eo commodissime spectare possent. Tarquinius Priscus, Livio narrante, locum huic Circo designavit; loca divisa præterea Patribus Equitibusque, ubi spectacula sibi quisque facerent, Fori appellati; additque, spectatum fuisse furcis duodenos ab terra spectacula alta sustinentibus pedes. Ut vero Dionysius tradit, primum sedilia cooperta fecit Tarquinius: ante enim spectabant stantes sub tabernaculis ligneis arundinibus aridis fultis. Sedilia postea hujus Superbus Tarquinius magnifice extruxit, Plinius quasi novum instauratum a Cæsare Dictatore scribit. Suetonius præterea meminit ab eodem Cæsare ampliatum, multaque ibi festa ab eo celebrata. Ab Augusto vero mirifice ornatum idem Auctor narrat; multosque in eo ludos per eum institutos, equorum, curruum, venationum; sed præter cæteros Ludum Trojanum celebrasse, ut antiqui sanguinis claritas virtusque apertius indicarentur; ludus autem puerilis erat, atque equestris, ab Ascanio Æneæ filio originem ducens. Hoc ludi genus divinitus expressisse Virgilius videtur. Claudius carceres ex marmore postea faciendos curavit, metasque, quæ antea ex tophis fuerant lignisque, inauravit. Senatoribus locum proprium assignavit, cum prius aliis mixti spectare solerent. Hinc Circum semi-dirutum Trajanus ampliavit, & ad pulchriorem formam redegit. Nobilissimis vero columnis atque auro Heliogabalus ornavit, pavimento e chrysocolla facto; terræ autem genus est chrysocolla, quæ in aurifodinis nascitur & auri colorem imitatur. Tanta autem pulchritudine fuisse Porticus accepimus, ut non minus ad earum ornatum, quam ad Ludos spectandos convenirent. Circi Maximi carceres ibi fuere, ubi hodie Horti Scholæ Græcæ, aut fere paulum distantes sunt. Suetonius refert in interiori parte Circi Maximi ingentem alveum ad aquas suscipiendas defodisse; stagnum vero a Dionysio vocatum meminimus pedum X. altitudinem ac latitudinem continuisse. Post autem id stagnum idem Auctor refert ædificatas esse Porticus tectura triplici; harum autem imas pavimenta habuisse, ut in Theatris, parum superstantia lapidea sedilia, in superioribusque lignea; & circa eundem Circum extrinsecus aliam fuisse Porticum scribit unius tecturæ, officinas in se habentem, & habitationes super eas, per quam adscensus & ingressus essent venientibus ad spectacula juxta quamque officinam, ita ut nihil tot millia ingredientium atque abeuntium turbaret. In hunc ipsum Circum, præter varia Ludorum genera, Aquam Appiam inducebant, & in eo instar exigui maris coactis aquis repleto navales Ludos celebrabant, qui quoddam navalis pugnæ simulacrum præ se ferebant. Veteres Circi Maximi Naumachiam dixere. Eam autem partem, quæ esset ad Aventinum, Tiberii Cæsaris tempore conflagrasse auctor est Cornelius Tacitus. Valerius vero Maximus asserit, hic primum a Romulo Circenses Ludos institutos, quo tempore Sabinas rapuit, Consualiaque a Conso consilii deo appellasse, quasi illo Conso auctore atque adjuvante ea sibi successissent, quæ cogitarat in uxoribus civibus parandis. Plutarchus memorat, famam fuisse vulgatam cujusdam dei Aram sub terra conditam a Romulo esse inventam, eique deo nomen Conso inditum, sive a consilio, quod consilium arcanum & minime apertum esse oporteat; subterraneam haud temere & opertam dei Aram esse, quamobrem Ara hujus dei reliquum tempus latebat; in equestribus autem certaminibus aperiri solebat. Consus postea hic Templum habuit, quem plerique Neptunum Equestrem esse putarunt. Quare Livius Consualia Neptuni festa vocat; quamvis Dionysius Neptuno Equestri ab Arcadibus Templum erectum, Aram vero cuidam Genio consiliorum custodi positam scribit. Consualia nihil aliud fuere quam ii Ludi, in quibus Sabinæ sunt raptæ. Neptuni Templum ibi locant, ubi nostra tempestate ad Palatini radices, ad D. Anastasiæ Fanum, quædam Cella reperta est, variis conchyliis marinis ornata, in quorum medio, videlicet in superiori parte, Aquila tota candida, excepta crista, quæ rubra erat, conspiciebatur.

CAP.

Cap. X.

De multis Templis quæ in Circo erant Maximo, aut prope, ac de Obelisco fracto.

JUxta Circum Maximum Juventutis Templum fuit a Cn. Licinio Duumviro positum; item Mercurii; Veneris, a Fabio Gurgite Cos. filio ex nonnullarum feminarum mulctis, quæ stupri convictæ fuerant; Cereris præterea, nam, ut tradit Plinius, Damophilus ac Gorgasus, tum Pictores, tum Plastæ nobilissimi, hujus deæ Templum utroque genere artis suæ excoluisse dicuntur. Bacchi atque Ariadnes pictura. Apud Circum ipsum, asserente Tacito, Solis, Liberi, Liberæ, Floræ, Proserpinæque Templa fuere. Nonnulli tradunt hic tres Aras fuisse tribus columnis nixas Samothraciæ diis, scilicet diis Magnis, Penatibus, cœlique ac terræ diis, omniumque rerum auctoribus ac parentibus, positas fuisse. In eodem Circo Stertinius Fornicem, de quo superius dictum est, exstruxit. Ad hunc Circum refert Juvenalis habitasse maximum meretricum numerum; apud quem quidam Pompeii Domum, ubi Herculem Myronis nobilissimi artificis fuisse memorant, positam dicunt; nam, ut quidam conjiciunt, juxta Palatinum fuit ad Templum Divæ Anastasiæ, ubi ingentes antiquorum ædificiorum ruinæ conspiciuntur. In Circo similiter Maximo Pub. Victor duos Obeliscos ponit; alterum stantem, alterum humi jacentem, alterum pedum CXXXII. longitudine, alterum vero LXXXVIII. qui fractus est, & terra totus fere obrutus, horum major est; Augustus vero erexit. Plinius tradit hunc præter basim, quæ ex eodem esset lapide, parum a CXXVI. pedum longitudine absuisse, atque a Senneserteo Rege imperatum, cujus Regis tempestate in Ægyptum Pythagoras trajecisset: in erigendo diffractum volunt. Marcellinus refert ex Hierapoli * Ægypti urbe duos Romam ab Augusto Obeliscos invectos, quorum is unus fuit; alter, qui in Campo Martio fuit erectus, de quo mox narrabitur opportune.

Cap. XI.

De Septizonio Severi, de Constantini Fornice, & de Meta sudante.

POst Circum Maximum in angulo fere Palatini qui Meridiem spectat, Severi Septizonium est; id autem Sepulcrum fuisse tradunt, quod ipse sibi in Via Appia condidit. Ideo autem, Spartiano scribente, hoc exstrui curavit, ut iis, qui ex Africa proficiscerentur, statim occurreret. A septem quasi zonis columnarum dictum putant, quæ sibi invicem superædificatæ essent; hodie tres ordines ipsarum tantum videmus: Septisolium aliqui appellarunt; nonnulli a tribus viis, quæ hic concurrerent, Septodium dixere. Hoc quidem cum vetustissimum sit, semper ruinam minatur. In hujus frontispicio hæc, sed imperfecta, Inscriptio habetur, C. TRIB. POT. VI. COS. FORTVNATISSIMVS NOBILISSIMVSQVE. Quoniam vero mirabilis hujus Ædificii altitudo videtur, fieri non potuisse multi existimant, ut alii super hos ordines quatuor columnarum ædificati essent. Hic aliquando Templum fuit D. Luciæ Septisolii cognomento, qui titulus Cardinalis est. Hic Gregorius Pontifex IX. creatus dicitur. Al-

A terius Septizonii meminit Suetonius, cum Titum parvis ædiculis natum juxta Septizonium narrat; ubi vero illud fuisset, obscurum est: quidam tamen ad hunc locum fuisse, aut hoc a Severo positum, ad ejus similitudinem renovatum volunt. In alio Palatini angulo, qui Coliseum spectat, Constantini Magni Fornix pulcherrimus conspicitur, minus corrupta sua ornamenta habens, quam reliqui triumphales Fornices, trophæa adhuc & victorias alatas servans. Hunc Senatus post Maxentium Tyrannum superatum ad Pontem, ut hodie vocant, Mollem erexit, quare in utroque

B frontispicio hæc leguntur: IMP. CAES. FL. CONSTANTINO MAXIMO. P. F. AVGVSTO. S. P. Q. R. QVOD INSTINCTV DIVINITATIS MENTIS MAGNITVDINE CVM EXERCITV SVO TAM DE TYRANNO QVAM DE OMNI EIVS FACTIONE VNO TEMPORE IVSTIS REMP. VLTVS EST ARMIS ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT. In fronte vero, quæ ad Orientem vergit, a dextra legitur, VOTIS X. a sinistra, VOTIS XX. facies, quæ est ad Occidentem, habet, Sic. X. a sinistra, Sic. XX. In superiori parte Fornicis, nempe ex uno late-

C re, LIBERATORI VRBIS; ex alio, FVNDATORI QVIETIS. Quoniam vero in hoc Fornice quædam divinitus, quædam rudius sculpta videntur, quicquid excellentis esset, eo ex Trajani Fornice translatum, reliqua Constantini tempore facta plerique existimarunt. Ante hunc Fornicem Meta pervetusta ex lateritio constructa est, quam Veteres sudantem Metam appellavere, quoniam ex ea satis ampla aquæ copia manaret ad eorum sitim restinguendam, qui eo ad Amphitheatrales Ludos spectandos confluebant. Simulacrum Jovis ænei in ipsius vertice fuisse volunt. Quoniam vero huc venimus, Amphitheatrum non

D prætermittamus licet.

Cap. XII.

De Amphitheatro Titi, de Domo aurea Neronis, de Templo Fortunæ Seiæ.

QUemadmodum Theatrum hemicycli formam habebat, ita Amphitheatrum undique perfectus circulus est, quasi duo sint Theatra; & sicut in Theatris Poetarum fabulæ atque argumenta recitari solebant, ita in Amphitheatro Gla-

E diatorum concursus, ludique præterea, venationes, plerumque pugnæ navales aqua introducta, fiebant. Sæpissime in Amphitheatris cum feris homines pretio ducti congrediebantur. Aliqui cum damnati essent bestiis laniandi objiciebantur. Claudius, compositis rebus Ægypti, ex militibus, qui ab eo defecerant, partem interfici statim jussit, partem Romam misit, ut cum feris congrederentur. Hoc vero, de quo nunc agendum est, Vespasianus condidit in media Urbe, quemadmodum etiam Augustum decrevisse sciebat, Titus postea filius dicavit, ludis magnificentissime exhibitis.

F Martialis Domitiano tribuit, ut ipsi assentaretur; nihil vero hunc fecisse constat excepta incrustatione; ornamentum quidem statuarum in fornicibus addidit, suo, ut mos erat Principum in operibus magnificis, nomine adjuncto. Hodie omnino dirutum est; a Barbaris enim conflagratum fuit, soloque æquatum. Hujus postea saxis in mœnibus reparandis Romani usi sunt, Cassiodoro auctore, cum id a Theodorico Gothorum Rege prius impetravissent. Adeo vero sublimem atque editum fuisse Plinius testatur, ut vix ad summitatem humanus oculus accedere posset;

* In Edit. legitur, *Heliopolitana civitate.*

id autem verum fuisse ex iis vestigiis, quæ adhuc exstant, facile conjici potest: LXXXVII. enim millium hominum spectantium capax erat. Ne vero aditus atque exitus conturbaretur, (ut de Circo diximus) extrinsecus fuit Porticus, ut adhuc videre est, in cujus omni latere ingressus dabantur, atque egressus patebant. In hujus Fornicibus interiori scilicet parte Statuæ erant fixæ ex marmore, & usque ad hanc ætatem imagines ex gypso durant; quoniam vero Campus, qui in Amphitheatro erat, arena spargi solebat, ut fortius pedibus inniterentur certantes, aut ut mitius caderent, usus obtinuit, ut Arena diceretur. Colisseum vulgo Amphitheatrum ab ingenti Colosso, qui prope hunc locum esset, appellavere: fuit autem hujusmodi Colossus Neronis Statua CXX. pedum altitudine, quem sibi ante Domum erigendum curavit. Post autem hujus immanis Principis mortem Soli dicatum accepimus. Deinde vero, ut superius est expositum, ipsius Colossi capite amputato Commodus suum ipsius reposuit. Quoniam vero in Neronis incidimus mentionem, de ejus Domo dicendum videtur prius, quam hunc locum omittamus. Admirabilis illa quidem fuit, & quæ omnem humanam fidem superaret: Suetonius enim est auctor, Domum construxisse hunc, quæ quicquid est spatii inter Palatinum atque Cælium, Exquilias usque occuparet; ad Mæcenatis Hortos etiam extendebatur, ut maximæ urbis potius formam quam domus haberet; ut vero huic furori satisfaceret innumerabiles domos civium demolitus est, unde factum est Epigramma:

Roma domus fiet, Vejos migrate Quirites,
Si non & Vejos occupat ista domus.

Hanc primo *Transitoriam*, postea vero conflagratam, restitutamque, *Auream* nominavit. Ejusmodi Domum cum absolutam dedicaret hactenus comprobavit, ut se diceret quasi hominem tandem habitare cœpisse. Cum vero ignis Romæ accensus esset, Tacito auctore, nunquam exstingui, nisi tota Domo ista, Palatino, ædificiisque proximis absumptis, potuit. Vestibulum ei fuit, in quo Colossus CXX. pedum staret; hunc autem Plinius scribit a Zenodoro factum, quem ideo ex Gallia Romam accersivit. Stagnum habuit maris instar circumseptum ædificiis ad urbium speciem; Rura insuper arvis atque vinetis, & pascuis, sylvisque varia cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. Campos ad seminandum habuit, vinetaque non modica: Porticus trium ordinum fuere mille passuum longitudine. In cæteris partibus omnia auro lita, distinctaque gemmis. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores ex fistulis, ut unguenta desuper spargerentur: præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur. Thermæ aquis dulcibus marinisque scaturiebant. In hujus Domus superioribus locis, auctore Plinio, mira arte argenteæ aves incisæ erant. Alibi præterea refert, Aurea Domo Neronem Ædem Fortunæ, quam Seiam appellabant, a Servio Rege sacratam, complexum: hanc Ædem e pheagite lapide factam narrat; is lapis candidus atque translucens adeo est, ut illius Ædis foribus clausis interdiu claritas diurna esset, haud aliter quam specularium modo, tanquam inclusa luce, non transmissa. Juxta hanc Domum fuere horrea quædam, quorum spatium cum immani ædificio includere optaret, quoniam ex durissima essent materia coædificata, machinis bellicis admotis, atque demum igne machinam est demolitus. Verum hæc omnia ædificiorum quasi portenta a reliquis Imperatoribus eversa sunt, novaque superædificata fuisse constat; atque eo quidem loco, ubi est Amphitheatrum a Vespasiano constructum, ejus Domus stagnum fuerat.

CAP. XIII.

De Templo Isidis, Quirini, Honoris, Virtutis, de Cæliolo, de Templo Dianæ, & de Rivo Appio.

AD Viam Appiam nunc revertendum videtur, ut si quid in hac Valle sit usque ad Portam Capenam explicemus. Expositum est superius Viam Novam usque ad Caracallæ Thermas sese extendisse, atque juxta Capenam Portam cum Appia se conjunxisse. Hic igitur, videlicet sub has Thermas, Fanum Isidi Caracalla posuit prope id Templum, quod D. Nerei esse dicunt, ubi Marmor cum hac Inscriptione repertum est:

SAECVLO FELICI ISIAS SACERDOS ISIDI SALVTARIS CONSECRATIO.

Item aliud, quod hujusmodi est:

PONTIFICIS VOTIS ANNVANT DII ROMANAE REIP. ARCANAQ. MORBIS PRAESIDIA ANNVANT QVORVM NVTV ROMANO IMPERIO REGNA CESSERE.

Servius in Urbe juxta Capenam Portam Templum Quirino ponit, afferitque duo hic Martem habuisse Templa, alterum in Urbe sub Quirini nomine, quasi tranquillum, Urbisque custodem dicas; alterum extra Urbem in Appia sub Gradivi Martis nomine, quasi bellatorem, atque in armis promptum intelligens. Ad hanc ipsam Portam, interiori scilicet parte, Templum fuit a M. Marcello dicatum Honori ac Virtuti, postea vero a Vespasiano instauratum; juxta Portam fuisse dicunt, ut ad bella exeuntes moneret duce virtute gloriam honoremque comparari. Quare D. Augustinus est testis in Honoris Templum non prius cuiquam ingredi licuisse, quam in Virtutis esset ingressus. Marius quidem alia Templa Virtuti atque Honori, sed aliis in locis, posuit; ideo Sex. Pompejus aliquanto humiliora ab eo facta, ne altitudine captationes augurioum impedirent, unde deturbari potuissent, scribit. A sinistra in Via Appia, priusquam e Civitate egrediare, Cæliolum conspicitur, in quo olim Dianæ fuit Templum: hoc autem ubi nunc est Fanum Divi Joannis ante Portam Latinam fuisse nonnulli putaverunt: nam in vineis, quæ proximæ sunt, multa antiqua fragmenta marmorea sunt reperta, in quibus venator equo insidens inventus est, canem prope sculptū habens, & simul Rusticum cum baculo præeuntem; frusta vasorum similiter cum Lunę imagine incisa reperta traduntur. In Cæliolum pars eorum Tuscorum, qui Cælium habitarent, migrasse accepimus, ut mox dicetur. In Valle vero, quæ inter Cæliolum ac Cælium est, Piscinam, quo natatum Juventus conveniebat, fuisse volunt. Rivus Appius, ut ante est dictum, is est, qui per Gabinam ingrediens Portam, per hanc Vallem præterfluit, & propter Aventinum labens se cum Tyberi non procul a Salinis commiscet, juxta oppidum, quod hodie *Frascatum* vocant: iccirco partem antiquæ Aquæ Appiæ, sive Rivum Herculanum, putant; nonnulli a fluviolo Almone, in quo cęnosum Cybelis Simulacrum ablutum fuerit, cum e Pessinunte Romam est invectum, Almonem nominatum volunt, & ante Capenam Portam fluens cum Tyberi jungebatur;

feruntque quemadmodum Cybelis sacerdotes singulis annis Cal. Aprilibus in Almone abluere deæ Simulacrum solebant, ita hoc tempore, Augusto mense, eodem in Rivo Christi Servatoris imagini pedes lavant, cum per Urbem cum pompa circumferunt. Sed cum de iis locis omnibus satis sit expositum, ad Cælium Montem accedendum.

CAP. XIV.

De Monte Cælio, & de suarum rerum parte, utpote de Curia Hostilia, de Mansionibus Albanis, de Templo Fauni, de Hospitiis peregrinis, de Domo Laterana, de Constantini Palatio.

CÆlio Monti Cælius Vibennus Etruscorum Dux, qui cum subsidio Romulo venisset, cum suis omnibus Romæ constitit, nomen fecit: post cujus obitum cum de iis populis suspicio incidisset ob loci altitudinem, Vicum Tuscum, ut etiam antea est expositum, ad habitandum illis assignavere; quorum vero nulla esset suspicio, Cæliolum habitandum tradidere. Querquetulanum prius vocatum hunc Montem Tacitus auctor est, a quercuum copia; asserit etiam quodam tempore Augustum vocitatum: hunc Tullus Hostilius Urbi addidit: ut vero ab Albanis, quos Romam duxit, libentius coleretur, hunc locum est impertitus, ipseque præterea ibi locum habitare constituit: longissime juxta mœnia Collis extenditur usque ad Portam Næviam, ab Exquiliis vero Labicana Via dirimitur. Juxta angulum, qui Circum Maximum spectat, Curiam Hostiliam de suo nomine Tullus Hostilius condidit; hæc autem alia est ab ea, quæ prope Romanum Forum est: ideo autem Tullus ibi Templum posuit, ut in ea ordo a se auctus reciperetur; post Albæ quidem ruinas est conditum; & quo frequentius habitaretur, eam sedem Tullus Regiæ cepit, ibique deinde habitavit. Hodie Templum est D. Joanni ac Paulo dicatum, in cujus superbissimo Palatio aliquando Romani Pontifices habitarunt. Quidam tamen volunt ad Curiam esse Hostiliam, atque in paterna horum Sanctorum domo, qui hoc loco Juliani Imperatoris mandato necati sepultique fuere. Hic prope Aquæ Claudiæ alveum D. Thomæ est Hospitium: is locus aliquando fuit, quem redimendis captivis ex Infidelium vinculis assignarunt. In ea parte, quæ Palatino opposita est, D. Gregorii Cœnobium atque ejus Templum videtur, quod ex suis ipsius domibus factum D. Andreæ Apostolo dicavit. In hujus Collis parte, quæ Thermas spectat Caracallæ, quæ in Aventino sunt, fuere olim Albanæ Mansiones; sic eum locum, Albanis ad habitandum traditum, appellavere. Hodie D. Mariæ cognomento in dominica Fanum est; aliquando a Leone X. instauratum. Nec procul hinc, quasi in Collis medio, antiquum pariter ac pulcherrimum Fauni Templum rotundum illud quidem conspicitur, quod a Simplicio Pont. I. Stephano protomartyri dicatum ferunt; nobilissimum omnium Templorum Romæ fuit, marmoreis columnis ornatum, parietesque tabulis marmoreis pulcherrime tectos habens, insuper elegantissime muscatis operibus distinctum. Verum cum pene dirutum vetustate esset, Nicolaus V. Templi amplitudinem in angustiorem formam redegit, sicut hodie videmus, & ex inscriptione constat. Ea vero Collis parte, quæ Exquiliis opponitur, ubi Sanctorum quatuor coronatorum Ædes, olim Hospitia peregrina exstitere. Augustus ad Italiam tutandam duas classes maximas comparavit, eas autem provinciatim distribuit; alteram enim Miseni, alteram Ravennæ ad tutelam superi atque inferi maris collocavit. Exercitum Classis Ravennæ in hybernis atque æstivis Janiculi esse voluit, Miseni in Cælio Monte, in iis quidem Hospitiis, quæ ipse peregrina appellavit. In horum Hospitiorum ruinis a fundamentis Templum Sanctorum quatuor coronatorum Honorius I. Pont. exstruxit: hoc cum ab Honorio II. Imperatore eversum fuisset, Pasqualis II. Pont. renovavit, pulcherrimo Palatio addito. Sub ipsum locum Fanum D. Clementis erectum est, quod ex paterna domo idem exædificavit. Lateranorum vero Domus nobilissima ibi quondam dicitur fuisse, ubi nunc est D. Joannis in Laterano pulcherrimum Templum, a Magno Constantino D. Sylvestri precibus constructum; quare diu Constantini Basilicam locum appellarunt. Hic capita Joannis ac Pauli, præterea plurimæ Sanctorum aliorum reliquiæ sunt, quas resurrectionis Domini die exponere & palam proponere omnibus solent. Quatuor insuper Columnæ ex ære, quæ prius in Capitolio, ut ante est dictum, fuere, ab Augusto ex navium devictarum rostris factæ. Tabula ænea perantiqua bene longam inscriptionem quorundam decretorum ejus temporis continens. Mensa quadratæ formæ ibidem servatur, super qua Christum extremam cum Discipulis cœnam fecisse volunt. Arca fœderis, Virga Aaron. Prope hoc Templum Constantini Baptisterium sive Lavacrum est, rotundum, columnis marmoris nobilissimi cinctum, ubi cervos circumquaque fuisse, qui ore aquam in vas effunderent, narrant. Tres Cellas Hilarius Pontifex, unam D. Joanni Baptistæ, quo fœminæ accedere religio est, portas æneas habet, cubiculumque Constantini Magni fuisse prædicant; cruci secundam dicavit ea parte, quæ D. Joannis Hospitio respondet; ibi duæ ligno tectæ columnæ sunt, quarum altera semper violarum odorem emittere apertum est; ex Judæa e cubiculo Virginis allatas putant. Supra D. Joannem Sancta Sanctorum miræ venerationis ac reverentiæ locus est, proxime Salvatoris Hospitium a Columnensibus erectum, ædificiis vero ac proventu a reliquis Romanis Heroibus locupletatum, ubi mira pietate infirmis sublevandis operam dant. Prope Lateranorum Domum M. Aurelius Imp. educatus dicitur. Juxta vero D. Joannis Templum, versus Gabiusam Portam, Constantini fuisse Palatium affirmant.

CAP. XV.

De Templo Veneris ac Cupidinis, de Amphitheatro Statilii Tauri, de Palatio Sesoriano, de Aquæductibus Aquæ Claudiæ, de Aniene novo.

VEneris Templum atque Cupidinis ibi quondam fuere, ubi nunc sanctæ Crucis in Hierusalem est Fanum: plurimæ enim maximæque reliquiæ hujus Templi a sinistra videntur. Prope hunc locum, qui cum mœnibus Urbis conjungitur, atque Cœnobium Monachorum sanctæ crucis complectitur, magna pars Amphitheatri Statilii Tauri conspicitur, quod suasu Augusti, qui Urbem quotidie ornatiorem fieri volebat, construxit; nec vero tam magnum fuit; hodie majori ex parte dirutum est. Quoniam vero cum mœnibus conjunctum est, facile argumento esse potest quam coarctata Urbs sit; existimandum enim est ab Urbis mœnibus omnino abfuisse. Prius hoc ædificatum, quam Titi constat, nam aliquanto ante Augustum fuit. An-

te autem Taurum scimus aliud Amphitheatrum a C. Cæsare in Campo Martio conditum, quod postea, Suetonio auctore, Augustus ad Mausoleum ædificandum diruit. Sanctæ Crucis Templum supra Sesoriani Atrium a Magno Constantino constructum volunt: a plerisque enim adhuc Sesoriana Basilica vocatur. Sesorianum autem Palatium inter hoc Templum atque Næviam Portam, loca quidem proxima, fuisse volunt. Ex iis ornamentis, quæ exstant, satis speciosum ac conspicuum Templum est. Helenam Constantini matrem subterraneam Cellam posuisse ferunt, quo fœminis ingredi nefas est, nisi XIII. Cal. Aprilibus, quo die sacrata dicitur. Inter plurimas reliquias frustum ligni crucis, ipsiusque titulus, unus ex denariis argenteis, quo Judas Dominum vendens ipsum prodidit, clavus unus præterea ex iis, quibus affixus est cruci, servantur. C. Caligula duos Aquæductus inchoavit ad duas Aquas in Urbem inducendas, cum satis esse septem illas, quæ antea influerent, non putaret: hoc vero opus postea M. Claudius magnifice perfecit; quare altera ex iis Claudia Aqua dici meruit, quam ipse ex duobus fontibus, cæruleo altero ob colorem, altero Curtio, induxit; Anienem præterea novum, sic ob alius Anienis differentiam appellatum, qui fluvius prius in Urbem influebat, & propterea vetus nominatus, inducendum curavit. Scribit Plinius Aquæ Claudiæ opus omnium reliquorum Aquæductuum longissimo intervallo superasse; hunc enim ait omnes Romanos Colles altitudine excedere, atque in id opus sestertium ter millies, cujus cum rationem putaret Budæus, auri, ut vulgo loquimur, *millionem* ac CCCLXXXV. millia & D. coronatos efficere monuit. Hanc Aquam Claudius a quadragesimo ab Urbe lapide induxit propter viam *Sublaci*, sicut hodie nominant; decem vero millia passuum continebat longitudine is Aquæductus, qui hujusmodi Aquam induceret; reliqua subterraneo alveo ducebatur. Aquæ Augustæ fons huic datus est, qui prius Aquæ Martiæ tributus fuerat; verum quoniam illa per se satis esset, amotus est. Accepit præterea Claudia alium fontem, nempe Albudinum, excellentia Martiæ parem. Extra Urbem civium utilitati ac commodo Claudiæ partem impertiverant, in Urbe vero cum Aniene novo miscebatur: postea in XCII. Castella distribuebatur, ut inde omnes Urbis Regiones, quæ XIV. numero erant, potestas esset aquæ fruendæ: Castellum autem parvum quoddam ædificium erat super aquæ alveo, ubi cum publica esset, in plures dividebatur partes privato publicoque usui; quoniam vero quosdam quasi lacus parvos facerent, ad varios artium mechanicarum usus, ut fullonum, coriariorum, ac similium; hortis quoque irrigandis utebantur. Castellorum præcipui Curatores erant; iccirco Castellarii appellati; quemadmodum sic ex Marmore antiquissimo conjicitur:

D. M.
CLEMENTI CAESARVM N. SERVO
CASTELLARIO AQVAE CLAVDIAE
FECIT CLAVDIA SABBATHIS, ET
SIBI, & SVIS.

Per Næviam Portam ingrediebatur Urbem Claudia, ubi, ne impedimento esset, alia ex marmore porta facta est, in qua titulus hujusmodi antiquissimus legitur:

TI. CLAVDIVS DRVSI F. CAESAR AVGVSTVS GERMANICVS PONTIF. MAX. TRIBVNICIA POTESTATE XII. COS. V. IMPERATOR. XVII. PATER PATRIAE. AQVAS CLAVDIAM EX FONTIBVS QVI VOCABANTVR CAERVLEVS ET CVRTIVS A MILLIARIO XXXXV. ITEM ANIENEM NOVAM A MILLIARIO LXII. SVA IMPENSA IN VRBEM PERDVCENDAS CVRAVIT. IMP. CAESAR VESPASIANVS AVGVST. PONT. MAX. TRIB. POT. II. IMP. VI. COS. III. DESIG. IIII. P. P. AQVAM CVRTIAM ET CAERVLEAM PERDVCTAS A DIVO CLAVDIO, ET POSTEA INTERMISSAS DILAPSASQ. PER ANNOS NOVEM SVA IMPENSA VRBI RESTITVIT. IMP. T. CAESAR DIVI F. VESPASIANVS AVGVSTVS PONTIFEX MAXIM. TRIBVNIC. POTESTAT. X. IMPERATOR. XVII. PATER PATRIAE CENSOR COS. VIII. AQVAS CVRTIAM ET CAERVLEAM REDVCTAS A DIVO CLAVDIO, ET POSTEA A DIVO VESPASIANO PATRE SVO VRBI RESTITVTAS. CVM A CAPITE AQVARVM A SOLO VETVSTATE DILAPSAE ESSENT NOVA FORMA REDVCENDAS SVA IMPENSA CVRAVIT.

Accepimus ex alio Marmore vetusto, ad Næviam Portam reperto, hos ipsos Aquæductus Cælii Montis, vetustate dilapsos ac consumptos, a M. Antonio, L. Septimio, ac M. Aurelio renovatos. Aquæ vero Claudiæ Aquæductus per Cælium sursus extendebatur: cujus rei hodie non uno in loco, præsertim ad D. Mariam in Dominica exstant vestigia, ubi sub Aquæductu Arcus est Tivertini cum hac Inscriptione:

P. COR. P. F. DOLABELLA COS. C. IVNIVS C. F. SILANVS FLAMEN MARTIAL. EX S. C. FACIVNDVM CVRAVERVNT, IDEMQ. PROBAVERVNT.

Non procul a D. Joanne ac Paulo, sub hunc ipsum Aquæductum, Castellum vetustissimum integrum fere ad aquam recipiendam exstat. Claudiam Aquam in Palatinum, atque Aventinum & in quandam Capitolii partem fluxisse volunt. Quoniam vero Anio novus cum Claudia sese miscebat in Urbe, idemque efficiebantur, nonnihil de ea re in præsenti dicendum videtur. Anio novus juxta Sublacum XLII. millibus passuum ab Urbe ex ipso quidem Aniene derivabatur, qui quoniam depressas haberet ripas, solum vero crassum ac, ut sic dicam, luxurians, etsi nullis imbribus ac tempestate conturbaretur, cœnosus ac turbidus tamen semper fluebat: quare ad ipsum purgandum, prope locum, unde novus Anio corrivatur, piscina constituta est, quo purior ac lucidior Urbem ingrederetur. Verum parum ea re profecere; pluviis enim lutulentior fiebat. Huic Aquæ Herculanus Rivus jungebatur, qui in eadem Via, sed purior ac lucidior, oriebatur hujus; tamen commixtione perspicuitatem amittebat. XLII. millibus passuum, ut modo dicebamus, perducebatur Anio novus, excelsiorque cæteris omnibus Aquis, quæ in Urbem inducerentur; & quoniam copia suarum aquarum excrescens reliquas adjuvabat, eas plerumque, in primis vero Claudiam, conturbabat: igitur omnes reliquas Aquas Anio novus altitudine superabat: huic proximum altitudinis locum Claudia obtinebat; Tertium Julia; Quartum Tepula; Quintum Martia; Sextum vetus

Anio; demum Virgo; inde Appia; infima omnium A Alsietina, quæ Transtyberinæ Regioni aquam, cæterisque locis inferioribus, suggerebat. Frontinus, cum omnibus Urbis Aquis a Nerva Imperatore præfectus fuisset, novi Anienis alveos restituit, totamque illius aquam in Urbem perduxit.

C A P. XVI.

De plerisque locis Cælii Montis, qui hodie, ubi fuerint, ignorantur.

IN Cælio alia fuere loca, quorum nulla certa ratio reddi potest. B Ut Domus Claudii Centimani, qui, ut est auctor M. Tullius, cum sibi ab Auguribus esset imperatum, ut eam demoliretur, quod inaugurationibus impedimento esset, Calphurnio Lanario vendidit, ut ipsi imponeret; verum ob fraudem omnem pecuniam restituere coactus est. Tetricorum Domus fuit, ii autem duo ex xxx. Tyrannis fuere, quos Roma habuit Gallieni Imperatoris temporibus, quam Pollio narrat etiam sua tempestate pulcherrimam fuisse; e regione Isii Metellini posita erat: Junii præterea Senatoris, quæ cum tota arsisset, consumptis omnibus, Tiberii effigies integra atque incolumis reperta est. Claudii Imperatoris Templum in Cælio Vespasianus condidit. Junius Brutus, is a quo Tarquinii pulsi sunt, deæ Carnæ Templum in eodem Colle ædificavit; hanc autem deam vitalium partium hominum curam habere volebant. In Cælio area Martialis fuit, in qua Equiria celebrari mos erat; Ludi enim equestres erant ibi committi soliti, cum Tyberis inundatione accederet, ut in Campo Martio celebrari non possent. In hoc Colle pulcherrimum D. Erasmi Cœnobium proxima ætate fuit. Hic Macellum maximum, Lupanaria, Antrum Cecropis, Armamentarium, Spoliatoriumque, P. Victor constituit. In Via Labicana, quæ ab Exquiliis Cælium dividit, Quietis fuit aliquando Fanum, atque ea quidem parte, ubi est D. Petri ac Marcellini Templum, e regione fere D. Joannis Laterani. Verum ad Exquilias, quas hodie *Squillas* vulgo nominant, properemus.

LUCII FAUNI
DE
ANTIQUITATIBUS
ROMANIS
LIBER QUARTUS.

C A P. I.

De Exquiliis, particulatim vero de Carinis, ejusque locis, utpote de Thermis, de Palatio Titi, de Curia veteri, nonnullisque aliis locis antiquis, quæ antea fuere, hodieque visuntur.



ÆDIFICIA Urbis, quæ in vallibus condita sunt, tum ruinæ id efficiunt ut colles nonnulli vix inter se discerni, certique fines assignari queant. A Cælio igitur Via Labicana Exquiliæ D distinguuntur, quæ cum initium capiat, ut jam est dictum, prope Coliseum, per hanc Vallem progrediens per Portam majorem exitum habet. Ex alia parte Patricius Vicus, ac Via, quæ ex hac Valle prope Diocletiani Thermas ad Querquetulanam Clausam Portam dirigitur, Exquilias a Viminali segregant. Ab excubiis, quas ibi Romulus metu Tatii haberet, vel quod a Tullo Rege excultus habitabilisque factus esset, (nam & *excubiarum* atque *exculti* vocabula cum verbo *Exquiliarum* nescio quid simile habere E videntur) nominatas tradunt. Quidam a quisquiliis, quæ esca immunda putatur, quæ ad alites decipiendas spargitur. Omnes reliquos Colles laxitate atque altitudine superant atque in diversa prospiciunt, quippe quæ in plures sint partes divisæ. Itaque multam hujus rei mentionem habet Varro, quam, quoniam minus opportuna huic loco videatur, prætermisimus. Ut vero majori faciliorique distributione, quæ hujus Collis fuere, per- C cipi possint, dicendum est, medium a Via Tiburtina secari; hæc a Clivo Suburrano incipiens cum Arcum Gallieni prætergressa est, priusquam ad Marii Trophæa perveniat, quamvis nulla interpositione continenter usque ad Næviam Portam procedat, unde exit, nihilominus hic quasi duo brachia expandat, quorum alterum Via Prænestina est, quæ a sinistra ex Porta D. Laurentii exit; alterum a dextra cum Labicana e regione fere D. Joannis Laterani conjungitur. Hac distributione hujus Collis loca describere incipiemus. Universa igitur ea pars, quæ a prima medietate Tyburtinæ Viæ cingitur, atque a dextro brachio ad Palatinum vergit, Carinæ ab Antiquis nominata est: quem locum ab Exquiliis quodam modo dividere videtur*, cum inquit Flaccum Consulem per Carinas in Exquilias ivisse. Ita autem vocatus est locus, quod inversæ Carinæ similitudinem haberet; Virgilius ab excellentia ac pulchritudine ædificiorum, quibus erat ornatus, lautas appellat. Illustriora autem Carinarum loca, ea parte quæ Suburram spectat atque Palatinum, Titi olim fuere Thermæ; quas, auctore Suetonio, mira celeritate perfecit, easque super Aureæ Domus Neronis parte exstruxit; maxima etiamnum vestigia exstant juxta Sanctum Petrum in vinculis, ubi proxime duo fragmenta sunt reperta ex marmore; in altero flamma erat incisa, & hoc verbum, scilicet, JOVI, inscriptum: alterum hoc habebat, VESPASIANUS AUGU. PER COLLEGIUM PONTIFICUM FECIT. Ad has Thermas Titus pulcherrimum Palatium habuit, ibique fuisse volunt, ubi hodie septem Salæ, ut a vulgari appellatione non decedam, in re, quæ aliter cognosci non pos-

* Livius scil. lib. 26. cap. 10

set; novem tamen sunt, nec vero septem, instarque cisternarum sunt. Nihil autem erat is locus nisi Castellum, sive Aquæ receptaculum, quæ postea ad harum Thermarum usum ad varia loca distribuebatur, quamobrem Thermas hic potius, quam Palatium fuisse putarunt. Scribit Plinius in Titi Imperatoris Domo Laocoontem fuisse opus omnibus & picturæ & statuariæ artis præferendum, ex uno lapide cum liberis, draconumque mirabilibus nexibus, de consilii sententia ab Ægesandro, Polydoro, & Athenodoro Rhodiis factum; quoniam igitur hoc opus nostra tempestate est prope septem Salas, ut vocant, repertum, hoc loco non Thermas Titi, sed Palatium fuisse volunt. Hoc visendum opus hodie in Hortis Vaticani & simul pleraque pulcherrima excellentissimorum artificum monumenta servantur. In hujus Palatii Atrio Plinius narrat duos pueros nudos talis ludentes exquisitissimum opus Polycleti fuisse. In Thermarum ruinis Templum D. Petri in vinculis ab Eudoxia Arcadii primi * ædificatum volunt: ubi catenis ac laqueis, quibus D. Petrus ab Herode vinctus custodiebatur, repositis, a Pontifice solennes statasque pompas ac cerimonias in memoriam admirandæ liberationis obtinuit, cum antea Cal. Augusti in Sancto Petro in carcere celebrari solerent. Hoc Templum deinde mirifice Julius II. ornavit. Supra Titi Thermas juxta D. Martinum in montibus duæ Statuæ Antinoi pueri formosissimi, vehementerque ab Adriano dilecti, nostro ævo repertæ sunt, hodie in Hortis Vaticani servantur, Locumque, ubi fuerunt inventæ, *Adrianellum* appellant: quare nonnulli adducti sunt, ut credant ibi Adriani Thermas fuisse; sed de hujus Principis Thermis mox dicemus. D. Martini in montibus Templum quidam a Sergio primo Pontifice, alii a Symmacho in harum Thermarum ruinis positum volunt. Inferiori vero loco in Suburræ initio Fanum est D. Luciæ ab Honorio primo constitutum, unde Leonem Pont. IV. precibus Deo exhibitis Basiliscum fugasse ferunt Urbi pestilentissimum. Paulo superius versus D. Viti Arcum a sinistra Praxedis Templum est a Pasquale Pont. I. sive conditum, sive instauratum; Cellam habet, in quam fœminis ingredi nefas est; in ea columna servatur, ad quam vinctum cæsumque verberibus Christum narrant. In ea autem Carinarum parte, quæ ad Meridiem vergit, Curia olim vetus fuit; non quam Romulus exstruxit, quæ etiam vetus dicebatur, quæ in Foro fuit, ut superius est dictum, nam hic extra ipsius antiquam Urbem fuisset: alia enim vetus appellata ad novarum differentiam fuit; inter Hortos Sanctæ Mariæ novæ ac Petri in vinculis exstitisse volunt; hac autem præcipue conjectura ducuntur, quod in plerisque scriptis ac tabulis antiquis Notariorum hunc locum Curiæ veteris nomine dictum atque usurpatum observarunt. Ferunt in hanc Curiam singulis mensibus ex Capitolio per Sacrum Clivum ad inaugurandum venire solitos. In Carinis Magni Pompeii Domus fuit, non procul a Clivo Suburrano, aut a Viæ Tiburtinæ initio, quod idem est. Hic ludum aperuit Lenæus Pompeii libertus, Grammaticenque docuit, quamvis in Telluris Æde hanc etiam facultatem exerceret. Ciceronis præterea Domus in ipsis fuit Carinis, quæ majorum suorum cum fuisset, liberam Q. fratri reliquit, atque in Palatinum migravit in eam Domum, quam sibi ipse comparavit. Balbinum insuper pulcherrimam ingentemque habuisse in Carinis Domum Lampridius testis est.

* Adde *uxore*.

CAP. II.

De Clivo Suburrano, de Clivo Urbico, de Domo Servii Tullii, de Basilica Sesimini, de Arcu Gallieni, de Macello Liviano.

CLIVUS Suburranus, unde ad Exquilias adscenditur, in extrema Suburra initium habet; ex qua nomen accepit; sicut Carinæ a dextra sunt, ita ea Collis pars, quam habet a sinistra, quæque Viminalem spectans, tota est supra Templum Sancti Laurentii *in fontana*, ut vocant, Clivus Urbicus ab Antiquis est dicta. Hic Domum habuit Servius Tullius, ad eamque solicitus veniebat, cum in Vico Scelerato necatus est, ejusque corpus jacens filia carpento supervecta dicitur. Lucinæ Junonis hic fuisse Templum volunt. In hac Exquiliarum parte D. Mariæ majoris visendum est Templum, a quodam Joanne Patritio, ut ferunt, fabricatum: huic cum amplissimæ fortunæ essent, nullosque liberos suscepisset, suas facultates consumere in Templo D. Mariæ construendo optabat; quamobrem cum in somnis noctu esset admonitus, ut qua parte Urbis (Nonis autem Augusti id accidit) nive inspersum vidisset solum, in ea Templum ædificaret; idem Liberio Pontifici accidit; ita hoc Templum est conditum. Ad Turrim hujus Templi hodie etiam ipsius Joannis Patritii Sepulcrum conspicitur, a quo exstructum est illud Templum, quod pulcherrimum quidem tam exterius est quam interius: Nicolaus IV. Pont. renovavit; variis postea est ab Alexandro VI. ornamentis instructum. Sub majori altari D. Matthiæ corpus conditur, ante vero Cellam præsepii, ubi fenum, super quo natus est Christus in Bethlehem, servatur, quo fœminis accessus non datur, D. Hieronymi corpus diligenter asservatur. Effigies est præterea Mariæ Virginis a Sancto Luca depicta; aliud item est ipsius Virginis Simulacrum, a quo Leoni manum labefactatam mirabiliter restitutam ferunt. Prope hoc Templum Sesimini antiqui civis Romani Basilicam fuisse tradunt. In hac Exquiliarum parte Lucum Querquetulanum, a quercuum copia sic appellatum; item Fagutalem, Junonisque Lucinæ Lucum, locant.

Sed ut ad Tyburtinam Viam redeamus, priusquam ad brachia, ramosque, qui ex ea fiunt, perveniatur, Arcus Gallieni Imperatoris, simplex, sine ullo ornamento invenitur. Negant triumphalem fuisse, quoniam obscurum est an apparet, sed ob aliquod insigne benificium sibi ipsi erectum ab eo M. Aurelio, de quo in sequenti Inscriptione mentio est, putant:

GALIENO CLEMENTISSIMO PRINCIPI, CVIVS INVICTA VIRTVS SOLA PIETATE SVPERATA EST. M. AVRELIVS VICTOR DEDICATISSIMVS NVMINI MAIESTATIQ. EIVS.

Hodie Sancti Viti Arcum vulgo ob ejus Templum, quod Sixtus Pontifex IV. instauravit, vocant: in eo multa Martyrum corpora sunt; Sanctum Vitum in Macellum nominant ab eo Macello, quod fuit in Exquiliis. Sed duo Romæ Macella perhibentur, alterum in Monte Cælio, magnum appellatum; Livianum alterum in Exquiliis: quoniam vero inter hunc locum atque D. Antonii Fanum, quod non admodum hinc abest, nostro tempore multa vasa sunt reperta, quibus victimarum sanguis excipiebatur, ingens est ossium copia atque cornuum, ideo Macellum antiquitus fuisse existi-

A mant. Macellum autem nihil fuiſſe certum eſt, niſi Area, in quam omnia ad victum neceſſaria venalia comportabantur: a quodam Macello fure hoc nomen accepiſſe hunc locum Plutarchus teſtis eſt, qui cum damnatus eſſet, ejus domum Ædiles ſunt demoliti, ibique Aream fecere, rebus ad vitæ uſum facientibus importandis accommodatam. Varro autem ſic dictum putat hunc locum, quod omnibus herbarum atque olerum generibus abundaret; hortus enim hic fuerat, quem Lacedæmoniis Macellum appellatum ferunt, qui cum in eadem Area fuiſſet, inde nomen eſt ſortitus. D. Antonii Templum, atque una Hoſpitium, a Petro Capoccio Romano Cardinale, juxta Sancti Andreæ Fanum a Simplicio Pontifice conditum, fundatum traditur.

C a p. III.

De Trophæis Marii, de Domo Æliorum, de Tabernula, de Palatio & Thermis Gordiani, de Baſilica Caii ac Lucii, de Palatio Liciano.

A DEXTRA Viæ Præneſtinæ progredienti, quæ per D. Laurentii Portam exit, quam diximus ramum eſſe, qui a ſiniſtra Tyburtinæ naſcitur, ad D. Juliani Templum, Marii Trophæa, quæ hodie *Cimbri* vocant, ſeſe offerunt. Cimbri vero a Cimbris dicuntur populis barbaris atque immanibus, quibus devictis ac fuſis ipſi trophæa erexere: corrupta jam ſunt ac labefactata; in uno trunco tamen marmoreo, duo enim ſunt, thorax cum ſuis ornamentis eſt, præterea Adoleſcentis barbari captivi manibus poſt terga vinctis effigies conſpicitur; in altero clypei, aliaque ad pugnandum accommodata. Suetonius ſcribit a Sylla Marii Trophæa deturbata ac disjecta ob inimicitias, poſteaque a Cæſare Dictatore repoſita in ſuoque loco priſtino erecta. Solebant autem Trophæa hujuſmodi ad monumentum victoriæ poni celebri loco, ſæpe autem in iis locis ubi parta victoria fuiſſet. Hic Æliorum fuiſſe Domum Val. Maximus aſſerit, ac Marii Cella, in qua ſenatuſconſulto decretum eſt Ciceronem reſtituendum, qui jam Clodiano furore ejectus fuerat. Omnis autem ea Exquiliarum pars, quæ a Tropheis incipiens Sanctum Joannem Lateranum ſpectat, *pro Mariana Merulana* hodie vulgo nominatur, nempe a Marii Trophæis; Veteres vero Tabernulæ Regionem dixere. Is locus hoc tempore vineas tantum atque arundineta, quod totus in plano ſit, habet: in ſupercilio, quod Templo D. Matthæi in Merula imminet, Philippi Imperatoris Thermas volunt fuiſſe, & adhuc quædam veſtigia extare. In alia parte verſus Marii Trophæa ad Sanctum Euſebium antiquarum ruinarum veſtigia apparent; Gordiani Imperatoris Thermas Palatiumque fuiſſe creditur, de quo Capitolinus ſcribens ait, Gordianorum Palatium ad hunc uſque diem in Via Præneſtina cernitur, ducentaſque ex uno latere columnas habens, nobiliſſimas omnium terrarum Romanis exceptis Thermas continens. Nonnihil ſupra Tarquinii Aggeres, juxta Viam, qua per Portam, quæ hic clauſa eſt, egrediebantur, volunt quidam Gordiani Arcum fuiſſe pulcherrimis trophæis variiſque ornamentis marmoreis inſtructum, hujus marmora altius e terra defoſſa Cardinalis Sancti Georgii juſſu ad Palatium Templumque D. Laurentii in Damaſo ornandum ſummota ſunt. In Exquiliarum extrema parte, quæ cum mœnibus terminat, inter majorem & D. Laurentii Portam, nobiliſſimam Baſilicam ab Auguſto extructam accepimus, atque una ſuperbiſſimam Porticum Caii ac Lucii nepotum nomine; quare hodie *Galluccii* Thermas hunc ipſum locum depravate, quaſi Caii ac Lucii, vulgo nominant. Thermas vero ita vocant, vel quod omnia ingentia ædificia Thermas vulgus appellat, vel quod revera duæ eſſent Thermæ, non admodum, ut erat mos, magnificæ. Hodie Arcus eſt antiquiſſimus rotunda forma, fere totus integer; ejuſmodi autem, ut cum a Pantheone diſceſſeris nullum fortaſſe magnificentius Romæ reperias. Nec procul hinc Licianum fuit Palatium ad Urſum pileatum cognomento, ob urſi pileati effigiem, quæ ibi eſſet. Prope hoc Palatium Simplicius Pontifex Templum D. Bibianæ & tribus millibus Martyrum exſtruxit.

B

C a p. IV.

De Tarquinii Aggeribus, de Turri atque Hortis Mæcenatis, de Campo Exquilino, de Puticulis, deque cæteris bujus Collis Locis.

TARQUINII Superbi Aggeres, monente Plinio, inter admiranda Urbis opera memorantur: cum enim Viminalem ac Quirinalem Ser. Tullii civitas complecteretur, quod ex hac parte facile Urbem aggredi & occupare poterant loci opportunitate, aggere propugnaculoque altiſſimo conſtructo Tarquinius periculo occurrit; hoc autem ea parte, quæ humilior eſſet, cum Urbis mœnibus æquabatur, extra mœnia vero Urbi conſuluit facta ingenti ac profunda foſſa. Hoc autem opus ab antiqua Porta Collina ad antiquam Exquilinam extendit: quæ Portæ in mœnium amplificationem multum ab iis Aggeribus diductæ ſunt. Aggeres vero intra Civitatem recepti, a mœnibus procul ſeparati ſunt. Adhuc quædam ſunt veſtigia, quibus conjici poteſt, quemadmodum ab Arcu fere D. Viti ad extremas uſque Diocletiani Thermas, quæ ſpectatiſſimæ in Viminali conſpiciuntur, extenditur. Ex inferiori horum Aggerum parte, & prope Thermas, de quibus modo dicebamus, in exceliori Exquiliarum loco Mæcenatis erat Turris, in qua, quod ex ea totam Civitatem late ſpectaret, lætus Nero ſtetit, hiſtrionis habitu Urbis incendium ſpectans, quod ipſe accendi imperaverat, quodque ſeptem dies tot idemque noctes continenter ſæviens, omnia vetera pulcherrimaque monumenta conſumpſit. Inter Exquilinum vero Collem, Urbis mœnia, atque Viam quæ ad Querquetulanam Portam ducebat, quæ nunc clauſa eſt, Area eſt, quam vocant Exquilinam, ita appellata, quod ad Exquilias eſſet: hic mortuos ſepeliri mos fuit; Puticulas autem vocabant, ſive quod in puteorum morem ſepulturas faciebant, ſive quod ibi cadavera putreſcerent. Noſtra tempeſtate plurima in hac Area variaque marmorea ſepulcra effoſſa ſunt, quædam unum arcum tantum habentia, quædam duo, ſed ita ut alter alteri incumberet, pavimentis veteri more factis; in muris vero ſepulchella condita cernebantur, in quorum unoquoque duæ urnæ erant, oſſa, cineres, carboneſque ſervantes. Quoniam autem in hac Area exuri corpora cœptum eſt, putore vero Civitas ac fœtore repleta ſolicitabatur, Auguſtum ferunt, qui plurimum aeris ſalubritati ſtudebat, Senatu aſſentiente, ac Populo Romano, hanc Aream Mæcenati dono dediſſe; in qua nobiliſſimos Hortos inſtituit, quos Mæcenatis appellavere, juxta quos domum Virgilius habuit. Fuit in hoc Colle Exquilinum Forum, Templum inciſæ * Fortunæ, quemadmodum in Capitolio bonæ Simulacrum. In Exquiliis præterea Fœlicitatis Tem-

C D E F

* Leg. *malæ*, ut eſt apud Plin. lib. 2. cap. 7.

plum, quod conflagratum eſt, Nerone Domum illam auream exſtruente.

A

C A P. V.

De Aquæductibus Aquæ Martiæ, de Tepula, de Julia, de Aniene veteri.

PROPE Portam Exquilinam a dextra Aqua Martia, a ſiniſtra Julia ac Tepula Urbem ingrediebantur. Martiæ Ancus Martius, qui primus ejus inducend e auctor fuit, nomen fecit; Q. vero Martius Prætor induxit; cumque magno poſt tempore fere defeciſſet, M. Agrippa iterum Urbi reddidit: Auſejam Veteres dixere; ejus vero frontem Piconiam; hac nulla unquam neque frigidior, neque ſalubrior inventa traditur; Romæque ceu divino quodam munere, auctore Plinio, data viſa eſt. Adeo pleno alveo in Urbem influebat, ut ſe altitudini Viminalis adæquaret. In Pelignorum montibus naſcens, per Marſos labens, per Fucinum Lacum in Urbem influebat. Scribit Frontinus hanc Aquam XXXV. lapide ab Urbe ad Viam Valeriam deductam, LXI. millibus paſſuum fiſtulis ac tubis conductam, quod longis flexibus erraret ſub terram millia paſſuum circiter XLIV. reliquum ſpatii ſupra terram ita conficiebat, ut ad IX. millia paſſuum Aquæductibus excelſis, illiſque inſtar arcuum exſtructis duceretur. Cum vero in Urbe in LI. Caſtella diſtribueretur, iis ſeptem Regionibus deſerviebat, tertiæ videlicet, quartæ, quintæ, ſextæ, octavæ, nonæ, quartædecimæ: æſtu premente Aquam Auguſtam Martiæ addebant; eadem autem perfectione erat, & cum hac aquæductu DCCC. paſſuum jungebatur; hoc vero Auguſtæ cornu in Claudiam corrivatus eſt. Cum Martia pene defeciſſet, Nerva in Urbem revocavit, atque etiam in Aventinum perduxit; & quoniam ejus conſilium fuit, ut aquæ diſcernerentur, variiſque uſibus ſervirent, Martiam voluit ſiti tantum paratam eſſe. Per Exquilinam Portam hæc Aqua ingrediebatur Urbem; mox per Exquilinum diſcurrens Campum primum ad Diocletiani Thermas perveniebat; inde ad proximos colles, ſcilicet Viminalem ac Quirinalem, ſeſe extendebat. Ferunt in Marſorum altiſſimis montibus puteos eſſe miræ profunditatis; voluntque iccirco excavatos, ut Aquæ Martiæ ſpiramenta eſſent, quæ ex Fucino Lacu per hoſce montes defoſſos Romam influeret; nam niſi hæc ſpiramenta exſtitiſſent, fluere aqua nequaquam potuiſſet, aer enim curſum intrinſecus intercluſiſſet. In hujus Aquæductu, qui eſt ante D. Laurentii Portam, hæc leguntur:

B

C

D

E

IMP. CÆSAR. DIVI IVLII F. AVGVSTVS. PONTIFEX MAXIMVS. COS. XII. TRIBVNIC. POTESTATE XIX. IMP. XIV. RIVOS AQVARVM OMNIVM REFECIT.

IMP. CÆSAR. M. AVRELIVS. ANTONINVS PIVS FELIX. AVG. PARTH. MAXIMI BRIT. MAXIMVS. PONTIFEX MARIMVS AQVAM MARTIAM VARIIS CASIBVS IMPEDITAM PVRGATO FONTE EXCISIS ET PERFORATIS MONTIBVS RESTITVTA FORMA; ADQVISITO ETIAM FONTE NOVO ANTONINIANO IN SACRAM VRBEM SVAM PERDVCENDAM CVRAVIT.

F

IMP. TITVS CÆSAR DIVI F. VESPASIANVS AVG. PONTIF. MAX. TRIBVNICIÆ POTESTAT. IX. IMP. XV. CENS. COS. VII. DESIG. II. RIVOM AQVÆ MARTIÆ VETVSTATE DILAPSVM REFECIT, ET AQVAM QVÆ IN VSV ESSE DESIERAT, REDVXIT.

Julia autem, quoniam ex alia parte ingreſſam volunt, ut ex Aquæductuum alterius veſtigiis apparet, ab Auctore nomen accepit: & quamvis a Tepula diſcreparet, Romæ tamen revera eadem fuit; modico enim inter ſe intervallo derivabantur. Agrippa poſtea ita Tepulam Juliæ miſcuit, ut nomen fere abſtulerit. Servilii Cepionis & Caſſii Longini Cenſorum induſtria Romam poſtea in Capitolium ab agro Luculleo Frontinus tradit inductam, atque a dextra Viæ Latinæ XI. lapide ab Urbe derivatam. Tepula nullum habuit fontem, tantum quaſdam venas in Juliam poſtea deductas. Multis negotiis apta erat Tepula extra Urbem, in Urbem vero recepta in Caſtella XIV. publicis privatiſque uſibus dividebatur. Quatuor vero Urbis Regionibus diſtribuebatur IV. V. VI. atque VIII. Julia, Frontino dicente, a multis fontibus in piſcinam colligebatur ſexto ab Urbe lapide; ejus Aquæductus XV. millibus paſſuum tum ſupra, tum ſub terram, arcubus fultus, ſupra Urbem VI. millibus item paſſuum ac quinquaginta progrediebatur, intus vero atque extra æque aquam privatis communibuſque uſibus ſuggerebat: Romæ vero in XVII. Caſtella dividebatur, ſecundæ, tertiæ, quintæ, ſextæ, octavæ, decimæ, duodecimæque Regionis commodis. Per Exquilinam Portam ingreditur Juliæ Aquæductus, inde per Marii Trophæa. Ex iis quidem aquæductibus, qui ſupra Exquilinam Næviamque Portam ſunt, quoſdam duplices fuiſſe compertum eſt, ita conſtructos, ut Frontinus tradit, ne ſimul Aquæ confunderentur, atque ut ingentes impenſas, in illis de novo faciendas ad ſingulas Aquas perducendas, evitarent. Quoniam vero Frontinus aſſerit veterem Anienem Romam ingredi prope Exquilinam excelſum quidem, nonnulla hoc loco afferemus. Idem Auctor ſcribit, Curio Dentato ac Lucio Papyrio Cenſoribus, ex pecuniis manubiarum Pyrrhi curatum eſſe, ut Aqua, quam Anienem veterem appellabant, in Urbem duceretur; id autem CCCCLXXXIX. anno ab Urbe condita, XL. vero poſtquam Appia inducta erat, factum eſt. Hujuſmodi Aqua millibus paſſuum XX. ſupra Tibur derivabatur. Quoniam vero minus eſſet uſibus hominum accommodata, illa in hortis irrigandis utebantur XLIII. millibus paſſuum ducebatur, ita tamen ut vix integrum milliarium ſupra terram fluens conficeret, reliquum iter ſubterraneum erat. Multis extra Urbem & privatis communibuſque uſibus deſerviebat. Romæ vero quod reliquum erat XXXV. Caſtellis diſtribuebatur; cumque uſque ad Viæ Novæ Regionem apud Aſinianos Hortos ſeſe extenderet, novem Regionibus, ſcilicet, primæ, tertiæ, quartæ, quintæ, ſextæ, ſeptimæ, octavæ, duodecimæ, ac quartædecimæ deſerviebat.

C A P. VI.

De Colle Viminali, de Balneis Agrippinæ, de Thermis Novatii, de Olympiade, de Diocletiano, de Domo Caii Aquilii, ac de Campo Viminali.

AD Viminalem properandum eſt, ubi de Exquiliis eſt expoſitum. Is, auctore Varrone, a Jove Vimineo nomen cepit, quod in eo aras habuiſ-

buiſſet, juxta quas vimina ſurrexiſſe proditum eſt. Ab uno latere, ut jam eſt ante dictum, a Vico Patricio, Viaque qua diximus Collem hunc ab Exquilino ſeparari, terminatur. Ab alio a Quirinali diſtinguitur Valle, quæ inter hos duos Colles interjecta eſt, atque a Via, quæ ab hac Valle diſcedens recta per Portam Viminalem egreditur, quam hodie Sanctam Agnetem nominant. Anguſtus, ſed oblongus eſt Collis; ea autem parte, quæ ſpectat Quirinalem, Agrippinæ Neronis matris Balnea fuere. Ibi duæ imagines inventæ dicuntur Bacchi cum hujuſmodi Inſcriptione, IN LAVACRO AGRIPPINAE. In altera parte, quæ ſpectat Exquilias, ubi Sanctæ Prudentianæ Fanum eſt, Novatii olim fuere Thermæ: hucuſque enim pavimenta vetuſtiſſima fumoſaque, tum canaliculi conſpiciuntur in ipſius Prudentianæ Templo, quod Praxedis ſororis precibus commotus Pius primus Pontifex in harum Thermarum veſtigiis condidit. Inter hoc ac D. Laurentii Templum, cognomento *in paliſperna*, Olympiadis Thermas fuiſſe volunt. Juxta vero Divi Laurentii Templum ea parte, quæ ad Suburram verſa eſt, Decii Imp. fuiſſe Palatium tradidere. Diocletiani Thermarum ea etiamnum ad D. Suſannæ Fanum veſtigia videmus, ut ſupervacaneum videatur, ſi quis ex ea re admiratione ducatur, pro Thermis hodie *terminas* vocant. Has Diocletianus Maximianuſque inchoavere, Conſtantius vero atque Maximianus perfecere, ac demum dicavere. Tametſi majori ex parte ruinis oppreſſæ jaceant, ex arcubus tamen, atque ex columnis ingentibus, operis magnitudo comprehendi facile poteſt. Quemadmodum vero in Thermis Titi quædam ſubterranea loca, veluti ciſternæ, quas Thermarum dolia appellant, viſuntur; atque, ut etiam eſt dictum, Caſtellum erat, quo ad varios lavandi uſus in publicis balneis aquam diſtribuebant, quamvis privatæ Thermæ iis etiam aquis uterentur. Ex varia autem forma hujus Caſtelli atque ejus, quod in Titi Thermis eſt, conjici, viderique poteſt, quod vel ex locorum natura, vel ex deſcriptione, varias vel figuras, vel capacitatem hujuſmodi Caſtella haberent. Multa hic Statuarum antiquarum fragmenta ſunt reperta, quorum aliqua in Capitolium, aliqua Florentiam ſunt tranſportata; exiſtimant eas ad loci ornamentum a Principibus locatas. Marmor præterea pervetuſtum cum hac Inſcriptione, quæ loci dedicationem ſignificat, inventum eſt:

CONSTANTINVS, ET MAXIMIANVS INVICTI AVGVSTI SEVERVS MAXIMIANVS CAESARES THERMAS ORNARVNT, ET ROMANIS SVIS DEDICARVNT.

In alio Marmore hic reperto hæc erant:

THERMAS DIOCLETIANVS A VETERIBVS PRINCIPIBVS INSTITVTAS OMN.

In iis Thermis Ulpiam Bibliothecam fuiſſe legimus, in qua Elephantini libri ſervabantur, in quibus acta Principum Romanorum, decretaque Senatus deſcribebantur. In Vineis, quæ mediæ ſunt inter Thermas atque Vallem Quirinalem, Diocletiani Palatium fuiſſe creditur, quo loco ingentium columnarum baſes ſunt defoſſæ, quæ adhuc quo prius loco poſitæ erant, ſedebant: Cella præterea reperta eſt marinis conchyliis mirifice ornata. Ex alia harum Thermarum parte, quæ ad Septentriones verſa eſt, alia Cella exſtat cujus ſuperior pars ad conchylii marini ſimilitudinem facta eſt, eratque ex duobus tantum lapidibus candidiſſimi quidem mar-

A noris. Principio tenue Thermis initium fuit, quippe quæ balnea tantum ad corporis ſalubritatem habuere, quod ex ipſo nomine cognoſcitur, cum nihil Thermarum vox denotet quam balneum, ſudatoriumve. Mox tam magnis impenſis fieri cœptæ ſunt, Principum luxuria, ut ſub Thermarum nomine immania ædificia, &, ut Marcellinus ait, inſtar provinciarum habentia, fierent, porticibus ſpatioſiſſimis factis, totque columnis atque operibus adjunctis, ut ſpectantibus ſtuporem inducerent. Accedit, quod in illis etiam Nemora Lucoſque adhibebant, natatoria, atque hujuſmodi inania. Mos

B priſcis Romanis fuit, non modo cum Conſulum tempore Reſpublica florebat, ſed & Imperatorum temporibus, ut ſæpe, quin etiam quotidie lavarent. Quare præter privata Balnea, quæ pro facultatibus domi habebant, publica etiam, ut plebi inſervirent, inſtituta ſunt. Penſilium Balinearum primus omnium Sergius Orata auctor fuit. Eo autem turpitudinis res deducta eſt, ut cum cæteris ſeſe ipſi etiam Imperatores lavarent. Itaque cum Adrianus aliquando militem quendam jam ſenem, ſibi notum in bello, lavantem, ſeque coſtas atque humeros quodam marmore fricantem conſpicatus eſſet, cumque cur ita ageret militem rogaſſet, iſque quod ſer-

C vum non haberet, reſpondiſſet, cujus ſervitio in ea re uteretur, & ſervos atque alia, quibus commodiſſime vitam tueri poſſet, militi donavit: quo exemplo commoti poſtero die plerique alii ſenes muris ſe fricabant, exſpectantes idem Adrianum in eos facturum; verum cum eos accerſiſſet, atque monuiſſet quo pacto inter ſeſe mutuo lavare ac fricare poſſent, indonatos dimiſit. Hunc morem una lavandi M. Antoninus Philoſophus modeſtia ſingulari præditus ſuſtulit. Septies in die Commodus Imp. lavit; totieſque Gordianus ſolitus eſt per æſtatem; hieme bis, nonnunquam etiam ter, ſæpe

D cum pulcherrimis puellis lavit; per jocum etiam vetulas deformes ſecum in balneis adhibuit. In Viminalis vertice C. Aquilii Equitis Romani ac clari Jureconſulti Domum etiam ponunt: hanc Plinius longe pulchriorem ſcribit, quam Lucii Craſſi, aut Q. Catuli, quæ in Palatino fuere. Poſt Tarquinii Aggeres uſque ad mœnia Campus eſt Viminalis: (quæ omnia arbuſtis vineiſque referta ſunt) ibi puteus olim fuit aquæ vivæ, quem Vivarii puteum dixere, hodieque hunc locum Vivarium appellant, quod multa ibi animalia clauſa Veteres haberent; id ex eo etiam perſpici poteſt, quod nonnullæ caveæ prope mœnia videntur manu factæ ferarum antris

E ac luſtris perſimiles.

C A P. VII.

De Suburra, de Vico Patritio, de Valle Quirinali, deque aliis qui in ea eſſent Locis.

Suburram, ut putant, ideo dixere Veteres, quod muro Carinarum ſtaret, vel quaſi ſub Urbe; ſub Urbe enim antiqua Romuli fuit. Ad Carinarum radices Suburra extendebatur, ea parte, quæ Quirinalem Vallem ſpectans, ex aliquorum ſententia, a Foro Romano, vel Nervæ Foro incipie-

F bat, ad Clivum Suburranum perveniebat, qui, ut antea demonſtratum eſt, idem erat cum Viæ Tyburtinæ principio. Non deſunt qui ſupra Coliſeum initio Labicanæ Viæ inchoaſſe Suburram affirment, & ſecundum Exquiliarum radices uſque ad D. Luciæ in Orphea Templum, vel ad Suburræ principium, ubi Tyburtina incipiebat, extenderetur. Hic Vicus celeberrimus fuit; ibique Cæſar principio Domum ſuam habuit, priuſquam in Via Sacra habitaret. Hic meretricum diverſoria fuiſſe Martialis eſt teſtis. In hujus Viæ medio turris fuit ſecuræ

cognomento pro Suburra. Hæc a Viarum Præfectis ad dilatandam Viam summota est. Eâ vero Vallis, quæ ulterius est, quæque a Viminali Exquilias dividit, usque ad Thermas Diocletiani, Vicus Patritius dicta est, a Patritiis, qui eo in loco Tulli Regis jussu habitarunt: ea causa, ut si quid in eum moliti fortasse fuissent, e superiori loco opprimi facile potuissent. Ex alia radicum Viminalis parte, quæ Occasum spectat, Sylvani Templum fuisse putatur, vel ob vetustissima quædam Marmora ibi reperta, quam rem etiam significant, vel ob cujusdam Favonii Jucundi Testamentum, quo id Templum ad hujus Collis radices nominatur. In hac ipsa Valle, quam Suburram vocitabant, juxta D. Mariæ in Campo D. Probæ fuit Puteus; ut ex Inscriptione, quæ juxta Hospitium Epirotarum est, cognoscitur. Sub D. Agathæ Fanum, huic loco proximum, decem Tabernas ita nuncupatum locum quendam fuisse volunt, ex X. tabernarum numero, quæ ibi, ut ex Marmore cognoscitur, fuere. Fortunæ vero Publicæ Templum in Quirinali fuit Valle, quæ inter Quirinalem atque Viminalem erat, ut scripsit Ovidius. In hac ipsa Valle diei crepusculo Romulum Julio Proculo Alba revertenti occurrisse ferunt, cui cum dixisset Romam rerum dominam futuram, augustiori quadam forma se in cælum sustulit; quamobrem in Quirinali supra Sanctum Vitalem, qui est ad hujus Collis radices, ipsi positum est Templum. Manilia Turris a Manilio conditore in Suburræ regione fuit.

CAP. VIII.

De Quirinali, & de iis quæ in eo erant, utpote de Balneis Pauli Æmilii, de Constantini Thermis, de Solis Templo, de Domo ac Vico Corneliorum, de Templis Saturni ac Bacchi.

Quirini Templum Quirinali nomen dedit, vel Quirites, qui T. Tatium Sabinorum bello secuti fuerant: is est, quem Caballum Montem hodie vocant, a duobus equis Praxitelis atque Phidiæ. Suburra plana, Quirinalis Vallis, Via, qua inde ad S. Agnetem itur, hunc Collem a Viminali dividunt. Ab Hortulorum vero Colle longa illa Vallis separat, quæ usque ad Salariam Portam extenditur. Aliqui autem Quirinalem ab Hortulorum Colle dividi Via illa putant, quæ ab Urbis plano per Pincianam Portam egreditur. Ad hujus Collis angulum, quæ Foros spectat, Pauli Æmilii Balnea fuere, quare hodie barbare ac corrupte vulgus locum *Bagnanopoli*, quasi Balnea Pauli, vocat; Virgines hodie sacræ habitant. In quadam harum ruinarum parte Comitum Familiæ Palatium est, & versus quendam Collis angulum ipsorum Comitum Turris exstat, quam Innocentius tertius in ejus Familiæ memoriam erexit, quod quatuor Pontifices statim sibi fere succedentes habuisset. Aliam Turrim maxime excelsam, quæ ea parte conspicitur, qua Forum est Trajani, Bonifacius VIII. condidit; militiæ Turrim appellant, quod juxta illum esset locum erecta, ubi militum Trajani Domicilia fuisse putantur. Hodie etiam ædificiorum hujus loci magnam partem videmus, Porticum subterraneam instar hemicycli habentem. In ejus quodam latere vetus ac profundum D. Alberici Templum est. Multa hoc tempore Marmora rotunda cum multis fragmentis marmoreis varie incisis eruta sunt: in horum uno hæc habentur:

POTENTISSIMA DOS IN PRINCIPE LIBERALITAS, ET CLEMENTIA.

Ingens caput, quod Trajani fuisse volunt, præterea inventum est. In alia Quirinalis parte, qua planitiem Suburræ respicit, Cella magnificis pulcherrimisque operibus picta reperta est, piscium præcipue picturis conchyliorumque marinorum referta, unde Neptuni fuisse Templum creditum est. Inter hunc ipsum locum ac Constantini Thermas D. Agathæ Fanum est; quod, cum antea Gothorum esset, huic D. Gregorius Pontifex dicavit. Idemque Gregorius quodam Dialogo refert, cum hoc Fanum hæresi Arrianorum fœdatum esset, velletque in eo Christianorum more sacra facere, ut illud Christo reconciliaret, Dæmonium suis forma, quem universus vidit populus, repenteque evanuit, ex altari prorupisse. Constantini Thermæ lapidis jactu hinc abfuere, quarum maxima vestigia adhuc exstant. In hujus ruinis hæc in marmore Inscriptio reperta est.

PETRONIVS PERPENNA MAGNVS QVADRANTIANVS V. C. MI. PRAEF. VRBIS THERMAS CONSTANTINIANAS LONGA INIVRIA, ET ABOLENDAE CIVILIS VEL POTIVS FATALIS CLADIS VASTATIONE VEHEMENTER AFFLICTAS ITA VT AGNITIONE SVI EX OMNI PARTE PERDITA DESPERATIONEM CVNCTIS REPARATIONIS ADFERRENT DEPVTATO AB AMPLISSIMO ORDINE PARVO SVMPTV QVANTVM PVBLICAE PATIEBANTVR ANGVSTIAE AB EXTREMO VINDICAVIT ET PROVISIONE LONGISSIMA IN PRISTINAM FACIEM SPLENDOREMQVE RESTITVIT.

In vertice hujus Collis non procul hinc dimidia Turris conspicitur, quam iccirco multitudo *Mesam* appellat: multi in ea decepti sunt, Mæcenatis fuisse Turrim putantes, cum in Exquiliis, ut est superius dictum, fuisset. Nonnulli putant hujusmodi Turrim ex ornamentis Templi Solis fuisse, quod magnificum vastumque Aurelius Imp. in hoc Colle ædificarit. Prope has Thermas duo equi ingentes hodie videntur ex marmore facti; ex inscriptione, Praxitelis alterum fuisse, alterum Phidiæ, cognoscitur; Romam a Tiridate Rege Armeniæ invectos ferunt. Hic tres Statuæ pedestres Constantini militari habitu fuere, quæ hoc tempore in Capitolio juxta Templum cognomento Aracæli visuntur. In alia vero parte, quæ Viam Latam spectat, nempe in Vico, quem hodie Corneliorum vocant, in quo etiam Sancti Salvatoris est Fanum, Corneliorum fuit Domus. Apollodorus est auctor in Corneliorum Vico duas ingentes fuisse Statuas senum seminudorum, qui toto pectore stare videbantur, reliqua corporis parte jacente, altera manu copiæ cornu gestabant: Saturni autem atque Bacchi dicit fuisse, quorum Templa in iis ruinis fuissent: horum autem Templorum sua ætate nondum frontispicia corruisse tradit. Hæc vero eas fuisse nonnulli putant, quæ nunc in Capitolio videmus.

Cap. IX.

De Alta Semita, de Domo Attici, de Templo Quirini, de Domo Flaviorum, de Apollinis & Clatræ Monte, de Capitolio veteri, de Circo ac Templo Floræ, de Clivo Publicio, de alio Quirini Templo, de Vico Mamurrii.

Alta Semita Via fuit Urbis, quæ a D. Salvatoris Corneliorum Templo, sive a Thermis Constantini incipiebat, & per Quirinalis dorsum usque ad D. Agnetis Portam (ejus quidem Viæ pluribus in locis vestigia sunt) extendebatur. Ab hujus Viæ dextra in Collis fere margine, qui Fano D. Victoris imminet, Pomponii Attici Ciceronis familiarissimi Domus pulcherrima fuit, amœnissima illa quidem non tam ædificio quam sylva. Ad hanc Domum Quirini fuisse Templum putant, quod pulcherrimam haberet Porticum. Olim in Ginutii Cardinalis Vineis hujus Templi fundamenta sunt defossa, cumque aliis innumerabilibus ornamentis in Capitolium translata sunt, ad scalam aliaque ædificia Templi Aræcœli struenda. Hoc Templum semper claudi solitum ferunt, quasi hominibus nefas esset, an eo loco Romulus esset sepultus, an in cælum evolasset, intelligere; hic enim (ut, cum de Valle Quirinali dicebamus, est expositum) Romulum Julio Proculo sese obtulisse post obitum constat, iccircoque ibi Templum positum est. Ulterius, sed supra Altam Semitam, Flavii Domus fuit, loco, quem malum punicum Veteres vocabant; ibi Domitianum natum Suetonius scribit, quamobrem eam Domum postea in Templum Gentis Flaviæ convertit: eodem loco cum hujusmodi Inscriptione repertum est:

INTER DVOS PARIETES AMBITVS PRIVAT. FLAVII SABINI.

In ea autem Collis parte, quæ Viminali opposita est, antiqui Aquæductus sunt vestigia, ex quo maxime perspicuæ, sed tenues aquæ fluunt: hic olim marmoream tabulam cum tribus simulacris inventam scimus; quod a dextra erat hunc habuit titulum, GENIO CELIMONTIS; quod vero a sinistra stabat, HERCVLI JOVIO; tertium, quod erat medium, JOVI CELIMONTEIS. A sinistra deinde Semitæ Altæ ea Quirinalis pars, quæ Portam populi spectat, tota Apollinis ac Clatræ Mons a Veteribus est dictus, ob ea Templa, quæ eo in loco ii dii habuere. Paulo ulterius ab Altæ Semitæ sinistra, alia Quirinalis pars aliquantum tollitur, ibique vetus fuit Capitolium cum Jovis, Minervæ, ac Junonis Cella; hæc enim priusquam in Capitolio, in Jovis videlicet Opt. Max. Templo, habuissent, iis diis Cellæ sunt dicatæ. Inter hos duos Colles, Apollinis scilicet Montem ac Capitolium, vetus exigua Vallis est muris cincta; Floræ Circum Veteres dixere; ubi Floralia celebrari solebant a meretricibus nudis cum summa verborum gestuumque lascivia, ex quibus spectans populus incredibilem voluptatem capiebat: in iis Ludis Ædiles ferunt ciceres, fabasque, aliaque hujusmodi spargere solitos, Floram autem excellenti forma fuisse legimus: hæc cum ingentes opes quæstu meretricio comparasset, Populum Romanum scripsit heredem, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fenore suus natalis dies celebraretur editione Ludorum, quos Floralia appellarunt. Quod quia Senatui turpia viderentur, tractu temporis ab ipso nomine argumentum sumi placuit; ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur, deam finxerunt esse, quæ flo-

A ribus præsit, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus aut vitibus bene prospereque florescerent. Templum autem in hujus Collis margine, quæ ejus Circo immineret, habuit. Publicius Clivus hic, unde a Circo Floræ versus Capitolium vetus adscendebatur, fuit. Superius, ubi nunc Fanum est D. Susannæ, cognomento inter duas lauros, a Leone IV. olim conditum, Quirini illius, ex quo totus Collis nomen accepit, atque una Porta quæ prope erat, hodie Salaria dicta, Vitruvio tradente, Templum exstitit. Inter hoc Quirini ac Floræ Templum Tabernæ, eodem auctore, fuere,
B in quibus minium componeretur. Hic, sed juxta D. Susannæ Fanum, Mamurrii Vicus fuit, ubi ei Statua erecta est, Victore afferente, plumblea: is autem faber nobilissimus est habitus, jussuque Numæ Pompilii clypeos fecit, quos Ancilia vocarunt, quæ Salii, cum id solenne celebrarent, per Urbem gestabant.

Cap. X.

C *De Foro, Domo, Hortisque Saluftii, de Campo Scelerato, de Pila Tyburtina, de Domo Martialis, deque aliis Locis Quirinalis.*

Salustii Forum prope D. Susannæ fuit Templum, nec adeo procul hinc Domum habuit; cujus pauca admodum sunt vestigia, nomen tantum mansit, Salustii enim locum vulgus appellat. Ibi Marmor olim defossum est, quod est penes M. Angelum Colotium, cum hac Inscriptione:

D M. AVRELIVS PACORVS, ET M. COCCEIVS STRATOCLES AEDITVI VENERIS HORTORVM SALLVSTIANORVM BASIN CVM PAVIMENTO MARMORATO DIANAE. D. D.

Africæ præturam gessit Salustius C. Cæsare adjuvante, ubi amplissimas facultates comparavit, Romamque reversus pulcherrimam Villam ad Tybur emit, celebresque Hortos juxta Domum suam constituit: horum quidem apud Auctores non raram mentionem reperies. In Valle autem, quæ ad præ-
E dicta loca prope Portam Salariam, nonnulla horum Hortorum vestigia apparent; hic enim fuisse constat, adeo ut etiam propter mœnia a Salaria fere Porta ad Pincianam usque extenderentur. In horum medio Collis fuit, qui cum muris conjungitur; ibi Obeliscus Lunæ dicatus humi jacens spectatur, in quo Ægyptiacæ quædam notæ, quas hieroglyphicas vocant, signatæ videntur. Soliti autem fuere Ægyptii litteris, quæ figuris volucrum, ferarum, & aliarum rerum prænotabantur, scribere: quarum quidem singulæ verbum vocemque denotabant, sæpe etiam sententiam significabant: quemadmodum, exempli causa, Vulturis figura
F naturam signabant; nam in iis avibus nullum marem reperimus; Ape vero Regem intelligi volebant, quod cum humanitate ac benignitate justitiæ quoque severitatem conjunctam Regem habere oportere: mel enim non tantum præstat hoc insectum, sed aculeum sibi ad pungendum additum videmus. Hoc pacto alias etiam figuras animalium fingebant. Scribit Plinius suam ætatem, Divo Claudio Principe, procerissimum hominem Gabbaram nomine ex Arabia advectum IX. pedum & totidem unciarum vidisse; idem addit sub Divo Augusto

fuisse semipede addito, quorum corpora ejus miraculi gratia in conditorio Salustianorum asservabantur Hortorum; Posioni & Secundillæ erant nomina. Igitur quoniam nostra ætate inter hunc Obeliscum, de quo modo dicebatur, eamque Viam, quæ ad Pincianam ducit, ubi vulgo *Girlus* dicitur, multa vasa multaque mortuorum ossa sunt reperta, in quibus caput fuit magnitudinis admirandæ, quod existimatum est alterutrius eorum, qui ibi sepulti essent, fuisse. Totum id spatii, quod est inter Domum atque Hortos Salustii Portamque Salariam, Campum Sceleratum Veteres dixere; quoniam, Livio narrante, in eo vivas Vestales stupri damnatas desoderent. Uberius rem Plutarchus narrat, moremque Vestalium defodiendarum diffusius persequitur: ait enim, quæ virginitatem prodidisset, vivam ad Portam Collinam defodi solitam: eo loco supercilium fuisse intra Urbem terrestre, in longum porrectum, quod Latini tumulum vocent; hic structam esse subterraneam domum haud magnam, in quam e loco superiore descendebatur: jacuisse in ea stratum lectulum, & lucernam ardentem, primitiasque rerum earum, quæ necessariæ sunt ad victum, breves quidem illas, panem scil. aquam in vase, lac & oleum, quasi caveret ipsa domus, ne fame ejus corpus interiret, quæ maximis expiationibus dedicata sit. Ipsam vero pœnæ obnoxiam feretro impositam, & exterius obtectam, lorisque alligatam, quo neque vox quiret etiam audiri, per Forum traduci solitam; silentio omnes accedere consuevisse, eamque sine voce gravi cum mœrore quodam transmitti: neque aliud spectaculum dicit horribilius fuisse; neque alium diem mœstiorem Civitatem egisse. Cum vero ad locum feretrum delatum fuisset, solutis vinculis a ministris, sacerdotum princeps precatus arcana quædam, sublatisque ad deos manibus, ante supplicium educit eam capite opertam, constituitque in scalis in domicilium deferentibus, deinde se ipsum cum aliis sacerdotibus avertit. Cum autem illa descendisset, & scalas tolli solitas, & multa desuper injecta humo domicilium operiri, adeo ut is locus reliquo tumulo æqualis fieret. Sic quidem quæ sacram virginitatem prodidissent, puniebantur. Nec vero minus castigari ii soliti sunt, qui Vestalibus virginitatem ademissent. In Quirinali alia fuere Templa, locus vero eorum certus ignoratur, utpote Salutis Fanum, quod Fabius Pictor pinxisse dicitur, quodque sub Claudio conflagravit. Scribit Livius, Junium Bibaculum Dictatorem, qui de Æquicolis triumphum egit, hoc Templum vovisse, Censorem vero ædificasse, iterum vero Dictatorem dedicasse. Apis præterea dei Templum Quirinalis habuit; Fortunæ Primogeniæ, quod Cn. Domitius Prætor condidit; Honoris, dei Fidii, Herculis Quirini Templo oppositum; Mulierum Senaculum, ab Heliogabalo constitutum, ut eum in locum convenientes, de iis quæ ad eas pertinerent disceptarent, decernerentque. In ea autem Valle, ubi D. Nicolai Archemoriorum est Fanum, vetus Forum Archemorium fuisse, cum adhuc nomen servet, creditur. Pila Tyburtina ita appellata magnam hujus Vallis partem exitum versus occupabat. Floræ vero Circus, de quo paulo ante, prope erat. Ad hanc Pilam Martialis Domum habuisse ipse sibi testis est.

CAP. XI.

De Colle Hortulorum, & de iis quæ aut antea, aut hoc tempore in eo sunt.

Reliquum est ut de Colle Hortulorum dicamus, deque ejus parte, quæ est supra Ædem D. Mariæ populi. Ex distinctione autem, A quam de Quirinali fecere, quantus fuisset una cum suis finibus perspicitur: a Quirinali enim divisus erat Valle, ubi Salustiani erant Horti, longiusque a Pila Tyburtina ad Salariam Portam extendebatur; ut vero aliorum est opinio, Via, quæ a Civitate plana ad Pincianam Portam ducit, a Quirinali ipsum dividebat. Ex alia parte habet mœnia, Vallemque Martiæ: ita autem a Salustii Hortis est dictus, quoniam in ejus parte fuerant; sive ab Hortis nobilissimis, qui inferius fuissent, quemadmodum adhuc esse videmus inter Flaminiam Viam montemque, hodie passim *Hortaliam* nominant. Pincianum insuper hunc ipsum Collem vocatum con- B stat a Pincii Senatoris Palatio. In hoc Colle Solis Templum fuit; id vero ibi volunt fuisse, ubi in Collis vertice prope mœnia ingens ædificium hemicycli forma, quod quidem parum a ruina abesse videtur, conspicitur. Nec procul hinc Trinitatis est Ædes, Fratribus, ut vocant, D. Francisci celebrata; ejus vero Templi Ludovicum XI. Galliæ Regem auctorem ferunt, precibus Fratris Francisci Paulæ, quem Leo X. postea canonizavit. Juxta D. Felicis in Pinci Fanum, sive non procul a D. Mariæ populi, in hoc ipso Colle Domitiorum fuit Sepulcrum, in quo Suetonius Neronem ab E- C cloga atque ab Alexandra nutricibus conditum scribit. In hujus ipsius Collis angulo, supra Sanctam Mariam populi, murus quidam pervetustus ex quadratis lapidibus est, totus quidem ab imo ad summum fissus, adeoque curvatus & ruinæ proximus, ut nemo sit, quin mille ab hinc annis corruisse non debuisse putet; nunquam est ab ullo instauratus; putant enim hunc D. Petro curæ fuisse, cum, tametsi toties a barbaris nationibus Roma vexata fuerit, nullum unquam in eam regionem impetum factum meminerint. Murum inclinatum hodie appellant. Ex hoc Colle candidatos magistratus petentes descendisse volunt, cum postea in D Septis suffragia ferrentur.

CAP. XII.

De Campo Martio, de Valle Martia, de Naumachia Domitiani, de Mausoleo Augusti, de duobus Obeliscis Campi Martii.

Tempus videtur, cum de Collibus, qui cis Ty- E berim sunt, expositum sit, ut ea, quæ in Civitate plana fuerant, quæ inter hos Colles flumenque ad Occidentem erant, aggrediamur. Atque ut dilucidius, quæ expositurí sumus, percipi possint, dicendum videtur Campum Martium totum id spatii plani occupasse, quod jam pridem extra Urbem fuit; nam mœnia ad Pontem Sixtum incipiebant e regione muri, qui trans Tyberim erat, atque ad Quirinalem usque protendebantur. Quoniam vero universus hic campus intra Urbem receptus est, difficile est ea loca, quæ aut fuerint ibi, aut non fuerint, recensere. Quo tempore Tarqui- F nius sua filiorumque insolentia pulsus est, omnia loca certis finibus circumscripta sunt, hunc tantum Campum, qui antea Tyberinus vocaretur, Marti dicare maluerunt, atque iccirco Martium appellavere. Forte autem ibi tum seges farris dicitur fuisse matura messi, quem Campi fructum quia religiosum erat consumere, desectam cum stramento segetem magna vis hominum simul immissa corbibus fudere in Tyberim, tenui fluentem aqua, ut mediis caloribus solet. Ita in vadis hæsitantis frumenti acervos sedisse illitos limo, Insulam inde paula-

tim, & aliis, quæ fert temere flumen, eodem invectis, factam. In hoc Campo Magiſtratus creari ſolebant, eoque populus ad ſuffragia ferenda conveniebat. In eodem ſeſe pubes Romana vario armorum genere exercebat; ludi equeſtres fiebant; aquamque inducebant ob loci commoditatem. C. vero Cæſar, ac deinde Auguſtus, atque alii, multis ædificiis ſuperbiſſime exſtructis, hunc Campum ornarunt. In Campo Martio Statuæ illuſtribus viris, ſicut in Capitolio, poni mos fuit; quare accepimus multas e Capitolio huc Statuas eſſe translatas, quod minus ibi commode capi poſſent; eaſque poſtea adeo a Caligula diſſipatas, ut cum earum inſcriptionibus recte accommodari non potuiſſent. Strabo ſcribit apud Campum Martium alium, ſed non tam amplum, exſtitiſſe, huncque Agrippæ tribuunt, quo loco Pantheonem ejuſque Thermas exſtruxit: eam vero partem, quæ a Domitiani Arcu initium ſumens, qui in Via Flaminia eſt, apud Sanctum Sylveſtrum atque ad Populi fere Portam extenditur, Vallem Martiam, quod una ex inferioribus Martii Campi pars eſſet, nominarunt. In hac Valle, ad radices prope Collis Hortulorum, Domitiani fuit Naumachia; cujus adhuc nonnulla exſtant veſtigia: nam Suetonius ſcribit, hic Naumachiam, Stadium, atque Metodium * fuiſſe; erat autem Naumachia locus manu factus effoſſo ac circumſtructo juxta Tyberim lacu; ludos hic navales pugnaſque pene juſtarum claſſium Domitianus fecit: hæ vero pugnæ etiam in Circis atque Amphitheatris committi mos fuit, aqua introducta vel ad multitudinis voluptatem, vel ut ea re ſeſe exercerent: hoc loco Naumachiæ Auguſtum antea hujuſmodi navales pugnas edidiſſe volunt, niſi fortaſſe is locus propius Tyberim fecerit. Ex materia Naumachiæ Domitiani Circum Maximum, cujus latera penitus igne conſumpta fuerant, conſtructum volunt. Prope hunc locum Flaviorum Familiæ Templum Domitianus conſtituit; feruntque in ruinis, quæ ſunt circum D. Sylveſtri Templum, aliquando craſſiſſimos lateres inventos defodiendo, quorum aliqui haberent, DOMITIANA MAJOR PARS. DOMITIANA MINOR. Quamobrem in hoc ambitu hujus Principis ædificia fuiſſe putant. In alia quidem parte, quæ eſt inter Viam Flaminiam ac Tyberim, juxta D. Rochi Templum, qui locus hodie *Auguſta* dicitur, admirandum Mauſoleum ab Auguſto conſtructum ſcimus: id autem nihil aliud fuit, quam ſepulcrum, quo omnes Imperatores ejuſque affines condi voluit: ita autem appellavit, quod tam ſuperbe atque magnifice eſſet factum, quam Mauſoleum Mauſolo Regi Cariæ ab Artemiſia uxore conditum: id quidem ita egregiis operibus ædificatum eſt, ut inter ſeptem Orbis miracula ſit repoſitum. Auguſti porro Mauſoleum e candido lapide conſtructum erat; duodecim habuit portas ſibi invicem oppoſitas; in vertice, quem CCL. cubitorum altitudine fuiſſe volunt, æneum ipſius Auguſti Simulacrum fuit; ipſa quidem ſepulcra non admodum e terra tollebantur. Ex poſteriori parte loca ad ſpatiandum pulcherrima habuit, lucoſque amœniſſimos ac viridiſſimos. Hodie marmor rotundum, quod in interiori erat parte, exſtat, & quemadmodum ex antiquis veſtigiis ejus Loci conjicitur, tres erant muri æque inter ſe diſtantes, ita ut multa præterea ſepulcra commode a ſe invicem disjuncta capi poſſent. In his ruinis Marmor repertum eſt cum hujuſmodi Inſcriptione:

DIS. MANIB.
M. VLPIO MARTIALI AVG. LIB.
A MARMORIBVS.

Scribit Suetonius, cum Auguſtus in Campo Mar-

A tio Mauſoleum ædificandum conſtituiſſet, ingens Amphitheatri ædificium dejecit, quod antea C. Cæſar exſtruxerat. Duo æquales Obeliſci juxta Mauſoleum fuere, quorum uterque XLII. pedum cum dimidio longitudinem continebat; alter fractus in via inter hunc ipſum locum ac Tyberim; alter poſt D. Rochi terra opertus ſpectatur. Juxta autem Populi Portam ingens ac pervetuſtum ædificium columnæ ſimile erat, quod Viarum Præfecti dejecere: quale id ædificium fuerit plane ignoratur, tametſi nonnulli Marcelli Sepulcrum fuiſſe ſuſpicentur, quod Virgilius in Campo Martio ad Tyberim po-
B nit; tamen non animadvertunt potius in Mauſoleo, quod propius Tyberim fuiſſet, quam illud ædificium, cum Auguſti nepos & quidem gratiſſimus eſſet, poſitum exiſtimare oportere.

CAP. XIII.

De Arcu Domitiani, de Templo Junonis Lucinæ, de Obeliſco, de Horologio Campi Martii.

Ad reliquum Campi Martii accedamus, Valle Martia deſcripta. Via Flaminia, quæ re-
C cta per Portam Populi exire properabat, ad Septa incipiebat, quo loco Via Lata terminabat, cum a Capitolio inciperet. Sed ad Arcum Domitiani revertentes, qui, ut eſt demonſtratum, in Via Flaminia eſt, in Campo Martiæ Vallis Capitolium verſus dicamus Arcum, quem *tripolim* vocant, Domitiano erectum; ejus enim vera ac pene viva effigies ibi expreſſa videtur, ſicut ex ejus numiſmatis comprehenditur; infra Urbis direptæ eſt imago, prope Victoria eſt, Pallaſque gratulantis ſpecie. Ubi vero hodie eſt, non quidem procul hinc, D. Laurentii in *Lucina* Ædes, Lucinæ Junonis olim
D fuit Templum; unde nomen ſumpſit recens Fanum; quamvis ſunt qui a Cæleſtino Pontifice precibus D. Lucinæ commoto poſitum volunt, ab eaque nomen eſſe ſumptum. Per lapidis jactum pulcherrimus Obeliſcus CX. pedum, quem in Campo Martio ab Auguſto locatum diximus, diffractus conſpicitur: in quo, ut Plinius meminit, Philoſophiæ Ægyptiorum interpretatio inſcripta continebatur; additque idem Auctor, huic Obeliſco Auguſtum mirabilem uſum addidiſſe ad deprehendendas Solis umbras, dierumque ac noctium longitudinem, ſtrato lapide ad Obeliſci magnitudinem; ſubditque, Manlium Mathematicum apici auratam pilam addidiſſe, cu-
E jus vertice umbra colligeretur in ſemetipſam. In quodam hujus latere hæc hodie leguntur:

CAESAR. DIVI. I. F. AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS. IMP. XII.
COS. XI. TRIB. POT. XVI. AEGYPTO IN POTESTATEM POPVLI RO. REDACT. SOLI DONVM DEDIT.

Hic defodiendo Solis Horologium cum ſuis lineis gradibuſque diſtinctum ex metallo inauratum repertum eſt, in cujus angulis quatuor ventorum ima-
F gines opere muſeato, cum hujuſmodi Inſcriptione, factæ erant:

VT BOREAS SPIRAT.

* Leg. *Odeum*.

CAP. XIV.

De Columna Antonini Pii, ac de sua Porticu, de Monte Acitorio.

IN extremo Flaminiæ Viæ a dextra Capitolium versus, inter Sciarræ Aream atque Pantheonem, Columna, *ad chiocciolas* dicta, Antonini Pii reperitur CLXXV. pedum altitudine, LVI. habet fenestras, gradus difficile numerari possunt, cum sint vetustate dissipati; Pub. tamen Victor CCVI. fuisse scribit, quibus ad verticem adscendebatur: in ea hujus Principis gesta incisa erant; nunc semiconsumpta igne est; in apice ejus Simulacrum fuit, ut ex suis numismatis apparet. Clementissimus, justissimusque, tum modestissimus fuit, ajuntque illum sæpius illud Scipionis usurpare solitum, *malle se scilicet civem servare, quam mille ex hostibus necare*. Pub. Victor addit, præter Columnam huic religioso Principi etiam Templum positum. Nec procul hinc, prope D. Stephani Templum cognomento *trullii*, Porticus pervetusta est, cujus neque principium, neque finis ullus discernitur; XI. tantum ingentes quædam Columnæ marmoreæ sunt, ita dispositæ, ut quadratam hanc fuisse Porticum demonstrent: Antonini Pii opus fuisse putant. Juxta Antonini Columnam Monticulus tollitur, quem Acitorium vocant: in hunc se populus post lata suffragia in magistratibus creandis conferebat; de hoc mox nonnihil afferetur. Ex ruinis Villæ publicæ, Amphitheatri Claudii, atque aliorum ædificiorum, quæ ibi fuerant, factum credunt; nonnulli ex ea terra effectum existimant, quam Antoninus Pius in erigenda Columna sua defodi jusserit.

CAP. XV.

De Villa publica, de Septis, de Templo Neptuni, de Amphiteatro Claudii Imperatoris.

VIlla publica ingens fuit Palatium Curiæ instar, in quod, quoniam extra Urbem esset, hostium Legati, quibus aditus in Urbem non dabatur, recipiebantur. Hujus frequens est apud Livium mentio. In hac Villa publica Campi Martii, scribit Valerius Maximus, quatuor militum legiones contrariæ partis a Lucio Sylla fidem suam secutas, nequicquam fallacis dextræ misericordiam implorantes, obtruncari jussas. Septa vero, quæ inter Antonini Pii Columnam atque Aquam Virginem fuere, quædam loca, ut ex ipso verbo cognoscitur, putantur fuisse, quæ circumsepta tabulis fuissent. In iis populus in suffragiis ferendis includebatur; unaquæque autem Tribus separata habebat loca; quamobrem, quoniam ad ovium septa similitudine accedebant, Ovilia etiam dixere. Ad Viam Flaminiam atque Fornicatam hæc Livius ponit. Hinc singulæ Tribus ordine vocabantur ad suffragia ferenda; ne vero in Septa redeuntes, eum, quem suffragiis adjuvissent, indicarent, ponte, qui erat prope Antonini Columnam, in Monticulum mittebantur, qui ex alia parte erat; Montem autem, qui nunc corrupte *Acitorius* dicitur, ab eis, qui citati hoc est vocati ad suffragia fuerant, Citatorum appellavere; hujus Pontis Suetonius meminit: ait enim conjuratos cunctatos in Cæsare interficiendo, utrum illum in Campo per Comitia Tribus ad suffragia vocantem partibus divisis e ponte dejicerent, atque exceptum trucidarent, an in Sacra Via, vel in aditu Theatri adorirentur; quoniam vero Pons tot capax esset, qui suffragia exciperent, & scribenda referebant, non adeo pusillus putandus est. Scribit Cicero ad Atticum se in animo habuisse rem gloriosissimam efficere, nam in Campo Martio Septa Tribunitiis Comitiis marmorea se facturum pollicetur; & tecta, atque ea cingere excelsa porticu voluisse, sic ut mille passuum conficerentur; simulque se adjuncturum Villam publicam; perficere id tamen non potuit bellis civilibus impedientibus. In Septis nonnunquam Populus censeri solitus est. Ludi præterea varii fiebant, sicut Augustum legimus in eis venationes ludosque scenicos edidisse. Apud Septa Neptuni fuisse Templum Dionysius scribit: quod Agrippa plurimis maximisque ornamentis illustrarit; item Claudii Imperatoris, ut Suetonius tradit, Amphitheatrum *, prius a Tiberio Claudio inchoatum, imperfectumque relictum.

CAP. XVI.

De Aqua Virgine, de Templo ac Lacu Juturnæ, deque Pietatis Templo.

JUxta Septa a Septentrionibus adhuc modicum quippiam Aquæ Virginis videtur, quam per Viam Prænestinam VIII. ab Urbe lapide Agrippa induxerat. Frontinus scribit, Agrippam ter Consulem XIII. an. postquam Aquam Juliam perduxit, Virginem induxisse ex agro Tusculano, qui ex magnifica Villa, quam Lucullus ædificavit, Lucullanus quoque dictus est; hodie *Frascatum* dici putant. Virginem vero Aquam iccirco appellarunt, quoniam virgo militibus quibusdam sitientibus, aquamque quæritantibus, hujus Aquæ venam indicarit. Et quoniam pertenuis Aqua erat, aliis corrivatis rivulis aucta dicitur. Hujus pars in eorum, qui extra Urbem habitant, commodum reservata est; reliqua in Urbem perducta in XVIII. Castella dividebatur, multorum locorum tum privatorum, tum publicorum commodo. Tribus autem Regionibus deserviebat, VII. videlicet, VIII. ac XIV. nunc vero major Aquæductus veteris pars dissipata est, atque hodie juxta Salarium Pontem, nempe a fonte derivatur, qui in monte est, *Zoias*que vulgo nunc appellant. Hæc una ex tot, quæ quondam inductæ erant, etiam hac ætate durat; verum (ut dixi) admodum tenuis. Ex omnibus, quæ in Urbem recipiebantur Aquæ, Virginea, Appia atque Alsietina exceptis, Piscinas non habebat; erant autem Piscinæ receptacula quædam, in quibus aquæ collectæ purgarentur, ut in Urbem puriores ingrederentur; reliquæ sex extra Urbem habuere Piscinas, etiam septimo ab Urbe lapide. Plinius tradit, Agrippam, a quo Aqua Virgo Romam est perducta, eodem ipso anno aliarum Aquæductus purgasse ac resarcisse, DCC. lacubus factis, qui mechanicis usibus in Urbe præsto essent. Hæ autem Aquæ irrigandis hortis inserviebant: CXXX. Castella præterea fecit. In omnibus autem iis ædificiis CCC. imagunculas partim ex ære, partim ex marmore, CCCC. columnis marmoreis erectis locavit; quare cum ab Augusto aliquando Populus vinum petiisset, commotum ferunt ipsum respondisse, *Num vinum rogare audetis, cum meus gener Agrippa tot vobis aquas induxerit*? Tradit Frontinus, inter cætera commoda ac voluptates, quæ Urbi Aquæ hujusmodi afferrent, salubritatem etiam aeris auxisse, atque sua ætate, quæ Nervæ temporibus fuit, novem Aquas in Urbem influxisse, scilicet Claudiam, Appiam, Martiam, Juliam, Te-

* Hic hallucinatur Auctor; nulla quippe fit mentio hujusmodi Amphitheatri apud Suetonium; cujus hæc sunt verba, in *Vita Claudii* cap. XI. *Tiberio marmoreum arcum juxta Pompeii Theatrum, decretum quidem olim a Senatu, verum omissum, peregit*, ad quæ procul dubio respexit Auctor noster.

pulam, Virginem, Alsietinam, Anienem veterem, novumque; ostenditque Aquæductuum magnitudinem, quibus inducebantur, omnia Orbis atque Romæ etiam ipsius miracula superasse. Item alibi scribit CCCCXLI. annorum spatio ab Urbe condita nullum aliud Aquæ genus Romanos bibisse, quam ex Tyberi, aut ex puteis, fontibusve; sed cum in dies Urbs, populusque cresceret, atque habitationes a flumine distare cœpissent, ac a puteis, qui in ima essent parte, atque propterea aqua laborarent, locis præcipue superioribus, non tantum ad bibendum, verum etiam ad publicos artium usus, hortosque demum irrigandos, hujusmodi Aquas perducere tam procul cœpere: has admirabili ordine conservatas fuisse scribit. Harum enim Censores, Ædiles, aut quivis principes curam præcipuam habebant: horum erat facultas hujusmodi Aquas, aut concedere, aut vendere; ingensque pœna iis proposita erat, qui de iis aut abstulissent, aut vel guttam quidem, tam extra, quam intra Urbem defraudassent, sive imminuissent: quin si quid ex iis deficiebat, ne revocari quidem sine auctoritate ad privata commoda licebat: qui autem præerant summa diligentia nitebantur, ne quid in Aquæductibus vitii fieret; neve a quopiam in Aquarum juribus ulla fraus, dolusve committeretur. Sed ad Virginem revertamur: per Pincianam Portam illa quidem ingrediebatur, in Campum enim Martium properabat: sub Hortulorum Colle Aquæductu tollebatur. Ubi Hortus est M. Angeli Colotii litterarum præcipui cultoris, atque antiquitatis in primis amatoris; ibi Marmor Tivertinum cum hac Inscriptione servatur;

TI. CLAVDIVS DRVSI F. CÆSAR AVGVSTVS GERMANICVS PONTIFEX MAXIM. TRIB. POTEST. V. IMP. XI. P. P. COS. DESIGN. III. AQVÆDVCTVS AQVÆ VIRGINIS DISTVRBATOS PER C. CÆSAREM A FVNDAMENTIS NOVOS FECIT, AC RESTITVIT.

Cum autem pene corruisset hic Aquæductus vetustate, Nicolaus V. nova inscriptione addita restituit. Ovidius in Campo Martio ad Aquam Virginem Juturnæ Turni sororis fuisse Templum asserit: ea autem parte fuisse volunt, qua Fons est vulgo *Lotreglius* dictus. Hæc Nympha Lacui nomen dedit, in quem mersa, nec unquam apparuisse dicitur; hunc autem prope hoc Templum putant fuisse: quidam ad Templum Vestæ in Foro, quo loco Castor ac Pollux cum equis sudantibus visi sunt. Juturnæ quidem Aquam, Varrone dicente, saluberrimam putabant; quamobrem plerique adversa valetudine affecti cum quadam religione ad eam bibendi causa accedebant; perinde ac hodie videmus nostros homines ad puteum confluere, qui in Sacello est D. Mariæ in via, sic enim vocant; quod non procul ab Juturnæ Fonte abesse videmus. Pietatis Templum in Campo Martio fuisse, ubi hodie est D. Salvatoris cognomento Templum, nemo dubitat.

Cap. XVII.

De Via Lata, de Templo Isidis, de Foro Suario, de Arcu Camilli, de Templo Minervæ.

Priusquam ex hac parte discedamus, quæ est juxta Colles, quamvis aliquantum extra Campum Martium sit, de nonnullis aliis Locis agendum, qui reliqui videntur. Superius exposuimus Viam Latam a Capitolio usque ad Septa sese
A extendisse, hodie etiam vetus nomen retinet, ejusque vestigia in Area Sciarræ adhuc restant; adde, quod D. Mariæ Templum, quoniam in eadem Lata Via conditum est, adhuc in Viæ Latæ cognomen servat. Ad hoc Templum paucis abhinc annis quædam vestigia Arcus cujusdam vetustissimi sunt reperta, in cujus fragmentis imagines victoriarum ac tropheæorum exstabant, sed cum litteræ cecidissent, nihil præterquam VOTIS X. & XX. legi poterat. Hoc autem ab Innocentio VIII. demolitum, ad hoc Templum construendum, volunt. In Via Lata prope Septa Isidis Templum fuit ea parte, qua D. Marcelli nunc est Fanum: hic olim Marmor cum
B hac Inscriptione inventum est:

TEMPLVM ISIDIS EXORATÆ.

Josephus narrat Tiberii jussu Isidis Templum omnino deletum, hujusque deæ Statuam in profluentem Tyberim dejectam; præterea omnes ejus sacerdotes cruci affixos, propterea quod horum suasu Paulina, honestissima castissimaque fœmina, prætextu simulationeque dei Anubis, a quodam Adolescente, qui ipsam perdite amabat, violata fuisset. In hujus Templo multa fœde turpiterque committi so-
C lita Ovidius testis est. Multa Romæ habuit Templa, duo tamen præcipua, hoc, de quo nunc est sermo; atque illud, quod juxta Thermas Caracallæ erat, in extremo Viæ Novæ. Forum vero Suarium, ubi sues vendi solerent, quo loco D. Nicolai est Templum cognomento *in porcilibus*, ex hac parte ad Quirinalis fuit radices. Varro tradit Emporia habuisse Romanos, ubi certas res venditare solerent, ab iisque nomina sumpsisse; ut Suarium in quo sues, Boarium in quo boves, Olitorium in quo olera, Piscarium in quo pisces venderentur. Inter Viam Latam atque Minervam Arcus simplex nullo ornamento illustratus conspicitur: Camillo
D erectum putant, quia adhuc Camilli Arcum nominant; sed quoniam, ut Plinius asserit, triumphales sua ætate poni cœpti sunt, putant hunc Arcum illi similem fuisse, quem Stertinius in Circo Maximo atque in Foro Boario, statuis quibusdam inauratis superimpositis, exstruxit. Minervæ Templi vestigia adhuc in Cœnobio Fratrum Sancti Dominici exstant. Hoc Templum, tametsi in aliud, nempe in D. Mariæ Fanum, conversum sit, nomen tamen vetus retinuit, iccirco Sanctam Mariam Minervæ appellant. Ingens quidem non erat, ut ex muro, qui adhuc in ipsorum Fratrum hortis durat, comprehenditur; eo Cœnobii sordes congere-
E bant, priusquam Clemens VII. cellas ibi adjunxisset. Hoc Templum Cn. Pompejus construxit; cui postea omnia sua ornamenta, quæ bellis gerendis maximisque rebus obeundis compararat, dicavit, ut iis titulis atque insignibus triumphalibus patriam potius quam se ipsum, ut ait Plinius, ornaret. In iis numerus erat quot hominum millia superasset, concidisset, fugasset, Romanoque Imperio subjectos reddidisset; quot naves mersisset, aut captas duxisset; quot oppida atque urbes Imperio Romano adjunxit, terris a Mœotide ad Rubrum Mare subactis. Triumphi, memorante Plinio, præ-
F fatio in hanc erat sententiam: *Cum oram maritimam a prædonibus liberasset, & imperium maris Populo Romano restituisset, ex Asia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Judæis, Albanis, Iberia, Insula Creta, Basternis, & super hæc de Regibus Mithridate atque Tigrane triumphavit.*

CAP. XVIII.

De Pantheo, sive de Sancta Maria Rotunda.

IN Campi Martii principio, vel, ut Strabo sentit, in alio Campo, Martio proximo Pantheon atque Agrippæ Thermæ fuere. Pantheum hodie fere integrum cum porticu videmus, tametsi veteribus suis ornamentis statuisque careat. A figura rotunda D. Maria Rotunda hodie dicitur. Agrippa, scribente Plinio, Inscriptioneque indicante, Jovi Ultori posuit, Pantheumque appellavit, nam post Jovem diis etiam omnibus dicavit, ut ex vocabulo intelligitur. Alii ita vocatum putant quod rotundum esset, cæloque persimile. In hujus vestibulo Augusti atque Agrippæ effigies erant. Intus vero innumerabiles deorum imagines effictæ, quæ cellas ad hoc factas occupabant: in primis vero Minervæ, ex ebore opus Phidiæ nobilissimi artificis; Veneris, e cujus aure celeberrimus Cleopatræ Unio pendebat, Macrobius scribit, Cleopatra atque Ægypto superatis unionem maximum Romam allatum, quem ex aure pendentem Cleopatra gestare solita esset; alterum enim liquefactum aceto absorbuit in convivio, quod M. Antonio paraverat; illum quidem dimidiatum dissectum tamquam singulare atque unicum naturæ opus, atque in duas divisum partes auribus Veneris in Pantheo appensum ferunt: CCL. millibus coronatis aureis æstimatum accepimus. Herculis Statua, sed loco imo, id est, humi, posita erat, cui singulis annis hominem Carthaginenses mactabant. Æneas adhuc fores habet hoc Templum, easdem quæ antiquitus fuerant. In medio foramen habet ad lumen diei accipiendum: quoniam vero maximus ille circuitus est a summo ad imum, ne pondere pressum concideret, quædam quasi cavernæ in opere construendo relictæ sunt. Variis marmoribus stratum est pavimentum; foramina multa ad aquam pluviam excipiendam habentur. Ejus Templi altitudo CXLIV. pedes, totidemque latitudo continet. Multis in id gradibus descenditur, cum olim septem adscenderetur. Ruinæ ingentes ædificiorum, quæ hic sunt, causam esse putantur, quibus terra sublata est. Hujus Templi Porticus ab Agrippa etiam facta XVI. columnis maximis sustinebatur, nunc XIII. tantum sunt, duas ignis consumpsit, una autem deest; hujus Porticus trabes æneæ sunt, atque inauratæ; officinis tabernisque vilissimis hæ columnæ olim occupabantur, adeo ut vix perspici possent: Eugenius Pont. IV. amovit, columnasque liberavit via etiam patefacta atque ampliata. Hodie quibusdam domunculis magna ruderum ac terræ congerie amotis solum quasi Insula relictum est. Tectum Templi plumbeis laminis tegitur, cum, ut ajunt, ex argenteis antiquitus tegeretur; sed eas Constantinus III. cum omnibus antiquis ornamentis Romam veniens submovit, ut Byzantium illis ornaret. Ea tamen omnia, cum ille in Sicilia Syracusis in reditu morte esset interceptus, a Barbaris, qui eo cum magna classe appulerunt, direpta, in Ægyptum transvecta sunt. Accepimus hunc Constantinum septem diebus, quibus Romæ commoratus est, majus detrimentum attulisse, quam Barbaros CCL. annis; nihil enim omisit, quod non abstulisset. In Templi frontispicio titulus indicat ejus Agrippam auctorem fuisse: sic enim habetur:

M. AGRIPPA L. F. COS. TERTIVM FECIT.

Inferius notis minutioribus Septimii Severi atque
A M. Aurelii, a quibus instauratum est, mentio habetur, tametsi Spartianus scribit ab Adriano prius refectum. Hujusmodi est titulus:

IMP. CÆSAR L. SEPTIMIVS SEVERVS PIVS PERTINAX ARABICVS ADIABENICVS PARTHICVS MAXIMVS PONTIF. MAX. TRIB. POT. XI. COS. III. P. P. PROCOS. ET IMP. CÆS. M. AVRELIVS ANTONINVS PIVS FELIX AVG. TRIB. POTEST. V. COS. PROCOS. PANTHEVM VETVSTATE CORRVPTVM CVM OMNI CVLTV RESTI-
B TVERVNT.

Bonifacius IV. Pont. ab Imperatore Phoca impetravit, ut id Templum D. Mariæ Virgini Sanctisque omnibus dicaret. In Panthei Circo duo Leones pari forma e lapide vero medio inter rubeum nigrumque colorem super basibus visuntur. Duo tandem ex alabastro Vasa, quæ, ut quidam censent, in Agrippæ Thermis huic loco proximis fuere.

CAP. XIX.

C *De Thermis Agrippæ, de Templo Boni Eventus, de Thermis Neronis, Alexandri atque Adriani.*

INter magnifica multaque ædificia Agrippæ, Thermas etiam numerare possumus, ab ejus nomine Agrippinas dictas: harum adhuc nonnulla sunt vestigia post Pantheum, ea parte quæ Capitolium spectat, Plinio vero afferente pulcherrimæ fuere. Inter cætera earum ornamenta pavimenta vitrea habuere. Posteriori ex parte Panthei quodam Thermarum latere Boni Eventus fuit Templum; cujus ad hanc usque ætatem vestigia exstant,
D atque eo quidem loco, unde superioribus temporibus ab Area D. Eustachii ad Minervæ circumducta est. Ad hoc Templum Palatium nobilissimum a M. Perusio fisci Procuratore exstructum est. Veteres Bonum Eventum summa veneratione colebant, ut eo adjuvante res prospere caderent: ejus autem Simulacrum Inopis forma fictum erat, sinistra spicam, dextra pateram tenens. In Capitolio fuisse Boni Eventus Bonæque Fortunę imagines Plinius est auctor. Post D. Eustachii Templum, quod prope Pantheon est, Neronis fuere Thermæ; hodie quoque earum fornices durant; Martialisque testimonio pulcherrimos fuisse putandum est. Juxta hos,
E ut tradit Lampridius, Alexander Severus suas Thermas ædificavit, Aquamque de suo nomine Alexandrinam postea appellatam induxit, domibusque, quas emerat, dejectis, sylvam fecit: is sylvam suam Thermis publicis donavit; ad lumen vero accendendum oleum tradidit, cum ante auroram aperiri minime, ante solis vero occasum claudi soleret. Quidam putant Alexandri Thermas ibi fuisse, ubi Gallorum est Hospitium, Medicæorumque Palatium. Post Neronis Thermas in quibusdam domibus, quæ ad Septentriones sunt, pavimenta nonnulla pervetera Thermarum, quas quidam existimant fuisse Adriani, tubique plumbei, puteusque aquæ admodum perspicuæ, qui exsiccari exhauririque
F que nequaquam poterat, spectantur. Qua re nonnulli adducti sunt, ut crederent eam esse Aquam, quam Lampridius narrat ex Alexandri Thermis fluxisse. Non procul a Pantheo in D. Macuti Area Obeliscus exiguus vetus stare videtur, tametsi quidam apicem potius verticemque alicujus Obelisci ingentis, sed diruti, fuisse, quam parvum integrumque putent.

CAP.

C A P. XX.

De Circo quem Agonem vocamus, ac de Neptuni Templo.

Inter hæc Loca descripta Tyberimque pulcherrimus Campus est, quem Agonem nominant, vulgarius vero Nagonam. A Ludis Agonalibus sic dixere, quos a Numa Pompilio institutos accepimus, & quinto Idus Januarii solitos celebrari Jano. Quoniam vero Agonis nomine varia spectacula ludosque intelligunt, putandum est varia ludorum genera hic spectata. Superiori ætate etiam Alexandri Circum hunc locum dictum narrant, vel quod hujus Thermis proximus esset, vel quod ab eo fuisset instauratus. Hic ultimo dierum, quos *Carnevalem* vulgo appellamus, veterum triumphorum simulacra repræsentantur totius Civitatis ingenti concursu, Mercuriique diebus huc ad mercatum conveniunt. Plerique valde sunt decepti Flaminium fuisse Circum existimantes, de quo mox dicemus: minus vero ii falsi sunt, qui Equiriam hunc locum dictum putarunt, de qua etiam statim exponemus. Juxta D. Celsi Templum ingentem Gratiani, Valentiniani, ac Theodosii Arcum fuisse, quem Triumphalem, Marmore ibi invento adducti, dixere. Id autem est hujusmodi:

IMPPP. CÆSSS. DDD. NNN. GRATIANVS, VALENTINIANVS, ET THEODOSIVS PII FELICES ET SEMPER AVGGG. ARCVM AD CONCLVDENDVM OPVS OMNE PORTICVVM MAXIMARVM ÆTERNI NOMINIS SVI PECVNIA PROPRIA FIERI ORNARIQVE IVSSERVNT.

Ubi nunc Templum est D. Blasii ad Tyberim Neptuni volunt fuisse Fanum; ubi eorum, qui naufragium fecissent, tabellæ suspendi solebant, quæ periculum fortunamque eorum declararent. Hoc loco Marmor repertum est, in quo hujus dei mentio erat, tum Adriani instaurationis.

C A P. XXI.

De Ara Plutonis, de Terento, de Caprea Palude, deque aliis Campi Martii Locis.

In Campi Martii parte extrema ad Tyberim versus Urbem Aram subterraneam Plutonis fuisse memorant: quo multis gradibus descendebatur, xx. enim sub terram pedibus positam dicunt. Ad alia reliquorum deorum Templa gradibus adscendebatur, in Plutonis tamen ac Consi descendebatur. Iccirco autem id observabatur, quod Inferorum deus esset; & quoniam consilia arcana atque occulta imprimis oporteret esse, idem in Consi Fano servabatur. Locum hunc, qui in Campo Martio fuit, Terentum appellavere, vel quod aram sub terram posuissent, vel quod ibi fluvius ripam fluens tereret, hoc enim verbo rodere significabant. Juxta hanc ipsam Plutonis Aram, quotiescunque Civitas lustraretur, nascentium simul atque mortuorum nomina adnotari solita narrant. Ferunt præterea trigesimo quoque anno populi recensendi fuisse morem, exactisque cerimoniis iterum Aram claudi, sicut antea, solitam. Valerius Maximus tradit, Valesium quendam Sabinum rusticum, perditivem, cum tres liberos incolumes pestilentia conservatos habuisset, hic xx. pedum altitudine terram cum defodisset, Plutonis Pro- A serpinæque Aram reperisse, quibus tres dies ac totidem noctes continenter sacrificarit nigram hostiam. Eo autem bello, quod Romani adversus Sabinos gessere, hoc loco hanc Aram posuere. Ita vero occultum custodiebant, ne id præter eos quisquam alius intelligeret. In Campo Martio, auctore Livio, Capreæ fuit Palus; ad quam Romulus Nonis Julii cum ad exercitum recensendum concionem haberet, subito coorta tempestas cum magno fragore tonitribusque, tam denso Regem operuit nimbo, ut conspectum ejus concioni abstulerit, nec deinde in terris Romulus ipse fuerit. Sedato tandem pavore postquam ex tam turbido die B serena & tranquilla lux rediit, ubi vacuam sedem regiam plebs Romana vidit, solicitam de Rege optimo amisso fuisse, quod Patrum manibus discerptum putaret, donec Julius Proculus Romulum sibi se obvium in Valle Quirinali dedisse, cælo delapsum affirmavit, orationeque sua mœrorem omnium fide immortalitatis lenivit. Plutarchus asserit, locum fuisse Capream Paludem, in quo Tyberis stagnaret, & propterea tutissimum, quod eo nisi ex uno latere aditus esset. In eodem Campo Martio Ludi fiebant, quos, quoniam in equis celebrarent, Equiria dixere. Ut vero Cassiodorus memorat, per Equiriam, qui locus ibi erat ubi nunc est C Fanum D. Mariæ in Equiria cognomento durante, sex currus ab Augusti Mausoleo discedentes, usque ad Flaminium Circum properabant; quamvis difficile sit ob multitudinem ædificiorum plane declarare quam viam currus agitati secuti essent. D. Mariæ in Equiria Templum Anastasius Pont. condidit; in eo excavando quædam Anates æneæ, quæ paucis abhinc annis servabantur adhuc, repertæ sunt. Nonnullas columnas in quodam hortulo istius loci stare videmus, ex quibus intelligere possumus hic aut Templum quodpiam, aut Porticum exstitisse. Equiria Festa Marti exeunte Februario, D præterea etiam Martio mense fiebant; si vero fluminis inundationibus hic celebrari non liceret, in Montem Cælium Campumque Martialem transferebant. In Campo Martio fuit Via Recta. Scribit Capitolinus Gordianum Juniorem constituisse in Campo Martio sub colle Porticum facere pedum mille, hortos, ambulationes amœnissimas, lauris, myrtis ac buxis ornatas. In hoc ipso Campo volunt ab Æmilio Regillo diis Laribus Templum ædificatum, cum in Antiochiæ bello antea vovisset. In Campo item Martio Syllam sepultum accepimus. Julia C. Cæsaris neptis sepulcrum in eodem habuit, Hirtius item, & Pansa, Drususque Claudii Impe- E ratoris pater.

C A P. XXII.

De Templo Bellonæ, de Columna Bellica, de Templo Apollinis, Martis, Junonis.

Postquam de Campo Martio est expositum, ac de plana Civitate, quæ versus Quirinalem est, de aliis, quæ intra Urbem erant, præcipue de iis, quæ ad flumen sunt, dicamus. Initium vero ab ea parte facientes, quæ juxta Forum Olito- F rium est, ad eum usque locum, de quo in tertio libro exposuimus, addamus prope Olitorium Bellonæ Templum fuisse, quam Martis sororem, aurigamque perhibent; proprio huic sanguine, quem e vena brachii mittebant, Sacerdotes sacrificabant: ante Portam Carmentalem hoc Templum ponunt, non enim inde longe aberat. In hoc Templo Senatus cogi senatusque consulta fieri solebant. Hujus auctorem fuisse Appium Cæcum, qui suaserat pacem cum Pyrrho negligendam, Ovidius testis est,

Ante Templum marmoream stetisse ferunt columnam parvam, bellicam appellatam; quod cum Populus Romanus alicui Nationi bellum indiceret, ex hac columna hastam dirigebant ad eam regionem, cui bellum indiceretur; nam cum longissime Imperii fines essent ampliati, minus commodum videbatur hac cerimonia in hostium terra, ut antea solebant, uti. A Bellonæ Templo non admodum procul Apollinis Fanum aberat, ex quo, ut etiam secundo libro est dictum, virgines discesserunt cum omni illa pompa, quam per Vicum Jugarium ac Tuscum ad Junonis Reginæ Templum in Aventinum duxere. In hoc Templo sæpissime Senatus habebatur. Ibique volunt fuisse, ubi nunc est Fanum D. Mariæ cognomento sub Capitolio; idcirco, quod inter Olitorium Forum ac Circum Flaminium, quo loco Appianus constituit, esset. Ab hujus Templi sinistra spatio modico tres columnæ marmoreæ altissimæ stare videntur; ibi Martis Templum fuisse putatur, quod tanto studio Ovidius extollit ob columnarum nobilitatem ac pulchritudinem. Juno item hic Templum dicitur habuisse: id autem fuisse putant, quod hodie est Sancti Angeli in Piscario Foro; Porticum habet, quam Junoni erectam volunt, quamvis Mercurio nonnulli positam putent; igne consumptam Septimius Severus ac M. Aurelius restituere, ut ex hoc titulo apparet;

IMP. CAESAR L. SEPTIMIVS SEVERVS PIVS PERTINAX AVG. ARABIC. ADIABENIC. PARTHIC. MAXIMVS TRIB. POTESTAT. XI. IMP. XI. COS. III. P. P. ET IMP. CAES. M. AVRELIVS ANTONINVS PIVS FOELIX AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. VI. COS. PROCOS. INCENDIO CONSVMPTAM RESTITVERVNT.

Sed ad Circum Flaminium transeamus.

CAP. XXIII.

De Circo Flaminio, de Templo Vulcani, Neptuni, Herculis Custodis, Herculisque ac Musarum, & de reliquis, quæ in eo Circo fuere.

Flaminius Circus ex Sex. Pompeii sententia a Flaminio Consule dictus est, qui prælio ad Trasimenum cum Annibale commisso cecidit; vel, ut scribit Plutarchus, a quodam Flaminio antiquo, qui moriens agrum quendam Populo Romano, ex cujus proventu Equestres Ludi fierent, reliquit; vel, ut ait Varro, quoniam in Campo Flaminio conditus esset. Hic etiam taurorum Ludis equis currebant. Proximus iis locis hic Circus fuit, de quibus modo dicebamus, illisque, ubi etiam hodie nonnulla exstant vestigia antiqua inter *Citrangularum*, ut nunc appellant, turrim atque viam, quam vulgo officinas obscuras vocant, hæcque loci istius latitudo putabatur, ejus vero longitudo a D. Salvatoris *in palco* Templo usque ad Lodovici Matthæi Ædes. Circi istius os fere juxta D. Catharinæ est Fanum, quo loco nostra ætate funes fiebant, aliquando Rosæ Monasterium dixere. Inter cæteros Ludos, Apollinares quoque fiebant: quorum pompam, narrante Livio, dum celebrarent, Tyberis inundatione ingenti, extra Collinam Portam, ut in Veneris Erycinæ Templo ederentur, delatam accepimus. In eodem Circo, vel loco huic proximo, ubi Apollinis Templum fuit, Prata prius Flaminia fuere; huc sæpenumero Senatus conveniebat ad tractandum decernendumque de publicis rebus. Multæ hic fuere Statuæ, ac Templa, quæ maxima Circo ornamenta afferebant; ut Vulcani Fanum, ubi accepimus canes vice hominum Templum custodire, nec latrare cuiquam præter sacrilegos solitos; Neptuni præterea, quod ex hac Inscriptione intelligitur.

ABASCANTO AVG. LIB. AEDITVO AEDIS NEPTVNI QVAE EST IN CIRCO FLAMINIO FLAVIVS ASCANIVS ET PALLANS CAES. N. SER. ADIVTOR A RATIONIBVS PATRI PIISSIMO FEC.

Multa Scopæ opera fuisse tradit Plinius, ut Neptunum, Thetidem, Achillem, Nereides delphinis impositas, Balænas, Tritones cum innumerabili similium belluarum cœtu. Neptuni præterea Ara fuit, quam aliquando valde sudasse idem est auctor. P. Victor ingens Herculi Templum ponit, custodem Circi Flaminii dictum ait, quare multi ibi olim fuisse putant, ubi nunc est D. Luciæ Fanum, nempe ad tabernas obscuras, nam in hujus fere loci principio fuisse credunt. Herculis cognomento Musarum similiter fuit Templum, quod Herculi ipsi ac Musis communiter posuit Fulvius Nobilior, cum cogitaret Musarum tranquillitatem, Herculis virtutem, Herculis vero gesta Musarum vim requirere, ut immortalitati commendarentur. Is ex Ambracia IX. Musarum Statuas vexit, atque in hoc ipso Templo dicavit. Ut vero Suetonius scribit, Martius Philippus, Augusti privigni precibus motus, Herculi Musisque commune Templum ædificavit; vel, ut nonnullorum est opinio, in meliorem formam, quam id quod Fulvius posuerat, redegit. In hoc Circo Vitruvius meminit Castoris fuisse Fanum. Jupiter præterea Stator aliud habuit ornatissimum. Martialis innuit in hoc Circo pocula fieri solita. Plinius vero in Bruti Callaici Templo, prope Flaminium Circum, Martis fuisse Colossum tradit.

CAP. XXIV.

De Theatro M. Scauri, Curionis, Cn. Pompeii, ac Balbi.

Quo loco Campus, ut hodie vocant, Floræ est, pulcherrimum Pompeii fuit Theatrum; cujus etiam nunc vestigia sunt, præsertim in Ursinorum stabulo: quoniam vero hoc primum Romæ fuit, horum quidem, quæ lapidibus facta essent, nonnihil de eo dicendum. Mos fuit ut diebus festis Rustici, in pagos ac compita convenientes, diem variis cum sacrificiis tum ludis celebrarent, quam consuetudinem primi auctores Athenienses in Urbem recepere; eumque locum ubi hæc sacra ludosque facerent, Theatrum appellavere. Ea autem vox spectandi locum denotat: est autem in hemicycli speciem factum. In medio inter duas frontes Scena erat, in qua recitabant; Orchestra in hoc honorificentissimus erat locus, Senatoribusque assignabatur. Romani hoc ædificii genus cum tot externis novisque moribus atque institutis Romam intulere. M. Scaurus omnium primus Romanis Theatrum Ædilis exhibuit; ligneum autem per XXX. tantum dies struxit, ut in illo Ludos Scenicos ederet; magnitudine omnia superavit, LXXX. enim hominum millia commodissime capiebat: scenam habuit triplicem altitudine CCCLX. columnarum in ea civitate, quæ sex Hymettias non tulerat sine probro civis amplissimi: ima pars scenæ e marmore fuit, media e vitro, inaudito etiam postea genere luxuriæ. Summæ tabulis

inauratis columnæ, imæ duodequadragenum pedum. Signa ærea inter columnas fuerunt tria millia numero. Verum longe majus fuit quod C. Curio e ligno fecit, is, qui Bello Civili in Cæsarianis partibus obiit, funebri patris munere, cum opibus superare non posset Scaurum neque apparatu, ingenio illi utendum fuit. Itaque theatra duo fecit amplissima e ligno vicina, cardinum singulorum versatili suspensa libramento, in quibus utrisque antemeridiano ludorum spectaculo edito inter se aversis, ne invicem obstreperent scenæ, & repente circumactis ut contra starent, postremo jam discedentius tabulis, & cornibus inter se coeuntibus faciebat amphitheatrum, & gladiatorum spectacula edebat, auctoratum Populum Romanum circumferens. Miratur Plinius, Populum terrarum victorem, & totius domitorem orbis, qui gentes & regna dirigeret, jura externis mitteret, in machina pendentem, & ad periculum suum plaudentem.

Sed ut ad Theatra redeamus, primum omnium, quæ fabrica essent exstructa, Pompeii fuit opus, ut diutius duraret: id vero paulo ante dicebamus; quare eum a Senatu reprehensum Tacitus scribit, quod perpetuum Theatrum ædificasset. Nihilominus ille hac ratione ingenti sumptui occurrit, quem singulis annis fieri necesse erat novis exstruendis: XL. millium hominum hoc Theatrum capax erat; iccirco cum Nero nonnullis gravissimis maximisque ex Germania viris Romanum Populum ostendere instituisset, eos ad hoc Theatrum duxit cum multitudine hominum refertissimum esset. Hoc Theatrum igne corruptum C. Caligula instauravit: Nero autem una tantum die totum inauravit, ut magnificentius Tiridatem Armeniæ Regem acciperet: cum vero pene consumptum vetustate esset, Theodoricus Gothorum Rex restituit. In Pompeii Theatro Veneris Victricis Templum fuisse volunt; in cujus dedicatione, quæ fuit Pompejo iterum Consule, viginti Elephantes in Circo inter se pugnantes commissi sunt. Nostra ætate cum post Templum Divæ Mariæ cognomento *in grotta* excavaretur, Marmor cum hac Inscriptione, VENERIS VICTRICIS, repertum est. Ad idem Theatrum Fortunæ Equestris quoque fuisse Templum volunt; nam juxta saxeum Theatrum locavit Vitruvius, quasi hoc solum, cum e lapide factum esset, sic appellari deberet. Scribit Livius Fulvium Flaccum Equestri Fortunæ nobilissimum Templum condidisse; ut vero tegulis illud cooperiret marmoreis, ut insigne opus perficeret, in Calabriam profectus dimidium Templi Junonis Laciniæ detexit, quod satis putavit ad negotium suum absolvendum. Blondus tradit, cum sua ætate ad Sanctum Laurentium in Damaso excavarent, ingentia effossa Marmora, in quibus unum cum his verbis inventum est, GENIVM THEATRI A POMPEIANI. In Vita vero Damasi Pontificis legimus, eum juxta Pompeii Theatrum Divi Laurentii Templum posuisse, quod ex conditore nomen accepit. Prope hoc Theatrum Senatus decrevit Tiberio Cæsari Arcum ex marmore erigendum; quod opus cum interpositum fuisset, a Claudio absolutum ferunt. Livius narrat C. Cæsarem in Campo Martio Jovi Colossum XXX. cubitorum dicasse, qui, cum Theatro Pompeii proximus esset, Pompeianus dictus est. Celebriora Theatra Romæ tria numero fuere, Pompeii, Marcelli, & quod cohortatione Augusti, qui ornatissimam Urbem Romam optabat, Cornelius Balbus ædificavit; B nemo est, qui rationem ullam afferre possit, quo loco illud fuerit; quidam tamen inter Pantheum, ac Theatrum Pompeii, Circumque Flaminium, fuisse credidere.

CAP. XXV.

De Curia ac Porticu Pompeii, de Porticu Octavii, ac de Campo Floræ.

POmpeii Curia ante ejus Theatrum fuit: ut enim Plutarchus tradit, nihil fuit aliud quam C pulcherrimum Palatium, quod juxta ipsum Theatrum condiderat. In eo Cæsar a conjuratis necatus est, auctore Suetonio. Hanc Curiam atrium habuisse volunt, (fuit autem post Ursinorum Palatium, unde adhuc vulgo *Sutrium* vocant) præterea nobilissimam Porticum, huicque centum ingentes fuisse columnas ordine longo dispositas; in hac Antiphilus, ut ait Plinius, Europam pinxit, Cadmumque. Hæc autem omnia Pompeii monumenta Philippi Imperatoris tempore fuisse legimus, qui Gordiano successit, eaque omnia igne fortuitu correpta omnino interiisse. Inter Pompeii Theatrum atque Circum Flaminium Porticus D fuit vetustissima, duplex, in primisque singulari pulchritudine, ab eo Cn. Octavio, qui de Perseo Rege triumphavit, unde etiam ex ipsius nomine Octavii Porticus dicta fuit, exstructa fertur. Hanc ipsam Porticum Corinthiam quoque, quod ex Corinthio opere æreæ columnæ essent, Plinius appellatam scribit: unde quidam ibi fuisse censent, ubi nunc D. Nicolai cognomento *in calcaria*, quoniam æs χαλκὸν vocant Græci. Hoc Templum igne consumptum Augustus refecit. Campum vero Floræ, sicut etiam hodie nominant, qui hic est ubi hæc quondam fuere loca, a Flora nomen duxisse, quam Pompejus vehemen- E ter dilexit, memorant. Ad Judæorum Forum Porticus diruta est, hodie *Ceuram* vocant; Severi fuisse dicunt: at præter vulgarem opinionem ac famam nihil certi est. Sed jam flumen trajiciendum, ut de iis Locis exponamus, quæ in altera parte fuere. Principio de Tyberi, postea de suis Portibus dicemus.

LUCII FAUNI DE ANTIQUITATIBUS ROMANIS

LIBER QUINTUS.

CAP. I.

De Tyberi.



Tyberi ab albo colore aquæ Albula inditum eſt nomen antiquitus: deinde a Tyberi duce Tuſcorum fortiſſimo Tyberim dixere: hunc ferunt ad hujus fluminis ripas aliquando maximis latrociniis loca ea infeſtaſſe. Alii volunt, eos qui de Sicilia venerunt, Tyberim appellaſſe ad ſimilitudinem Foſſæ Syracuſanæ, quam, quoniam contumeliis injuriiſque hoſtium fecere, Tyberim vocavere, quod eorum Lingua injuriam contumeliamque ſignificat. Livius a Tyberino Albano Rege nominatum putat. Rumonem aliquando agnovere, a ripis ruminandis, hoc eſt rodendis ſua aqua. Naſcitur, auctore Plinio, in Apennino parum ab Arno diſtans: tenui rivo principio fluit, poſtea valde augetur, XLII. in eum fluminibus influentibus, in iis Nar atque Anio numerantur, cæteris majores. Tuſciam ab Umbria, quam hodie Ducatum Spoletanum vocant, dirimit. Inferius deinde eandem Tuſciam a Sabinis dividit ſupra Urbem XIII. millibus paſſuum; Vejentes primum ſeparat a Cruſtuminis, poſtea a Fidenatibus; demum cum Vaticanum a Latio dividit, inferiori parte Romæ labitur, & hujus cornu in Tyrrhenum mare influit; unde ingentes variarum mercium naves etiam prope Urbis mœnia perveniunt. A Septentrionibus in Urbem ingreditur, a Meridie exit. Sæpe adeo inundationibus aggeres exceſſit, ut maxima detrimenta Urbi attulerit non modo priſcis temporibus, ſed recenti etiam memoria. Plinius id accidere ſcribit tanquam Urbis portentum, ac futuri mali præſagium, non ut damnum inferat. Antiquitus uſque ad Palatinum effuſus ſtagnabat. Ejus alveum Tarquinius Priſcus direxit: hunc M. Agrippa longo poſt tempore imitatus eſt: ſaxorum enim ingentibus molibus in fluminis ripis oppoſitis undarum impetum coercuit. Ipſum vero alveum Auguſtus purgavit ampliavitque, cum ruderibus variaque ædificiorum materia, quæ ad ipſius ripas concidiſſent, ita repletus eſſet, ut factus anguſtior fuerit. Aurelianus tandem ad utramque partem munitiſſimum murum ex lateritio duxit, unde alveum munivit, hoc autem ex quibuſdam veſtigiis adhuc cognoſci poteſt. Prope hujus fluminis ripas, tanquam ſacræ eſſent, ædificare nefas fuit. Ancus Martius omnium primus propius ripas navale poſuit: is ſimiliter Oſtiam ad Tyberim condidit priuſquam in mare influat; hanc cum Saraceni evertiſſent, Leo IV. Pont. refectam a Corſicis coli voluit. Martinus poſtea V. propugnaculum fecit, quod Julius II. Urbis circuitu coarctato una cum mœnibus inſtauravit. Leo IV. ut primo libro eſt expoſitum, juxta Portam Ripæ duas turres erexit, ut Saraceni Tyberi prohiberentur,

A cum antea incurſionibus ac conflagrationibus D. Petrum vexare ſoliti eſſent: harum alteram alia fluminis parte adhuc ſtare videmus; altera ad Aventini radices erat. Hujus fluminis totius, tum riparum, tum alvei præfectos habuere Veteres, quibus horum cura præcipue tradita erat; id autem ex monumento, quod ad Sancti Angeli Pontem effoſſum eſt, probatur: hujuſmodi enim eſt:

EX AVCTORITATE IMP. CAESA-
RIS VESPASIANI AVG. P. M. TRIB.
POT. IV. IMP. X. P. P. COS. IV. CEN-
SOR CAJVS CALPETANVS RANTI-
B VS QVIRINALIS VALERIVS CESTI-
VS CVRATOR RIPARVM ET ALVEI
TYBERIS TERMINAVIT R. R. PRO.
XI. CI. P. CLXXIV.

Idem indicatur duabus Inſcriptionibus, quas ſecundo libro recenſuimus, cum de Cloacis mentionem haberemus, quarum altera nunc ante Templum D. Mariæ Tranſpontinæ conſpicitur.

CAP. II.

C

De Pontibus Tyberis, primum autem de Sublicio.

Tyberis Pontes VIII. olim fuere, hodie ſex tantum numerantur, duobus conſumptis: omnes autem Sublicio excepto a Totila fuiſſe dejectos volunt. Primus omnium Sublicius fuit; iccirco ab eo initium ſumemus. Ancus Martius cum Janiculum Urbe complecteretur, ne in hoſtium manus aliquando veniret, in flumine Pontem fecit, ut ab una ad alteram ripam commodus eſſet acceſſus; non enim hujuſmodi flumen eſt, ut tu-
D to vadari poſſit. Ligneum hunc Pontem ſine ullo clavo ferreo conſtruxit, ut trabes ſine fulturis eximerentur; iccirco Sublicium vocatum ferunt: Lingua enim Volſca ſublicas trabes validas appellant; quamvis e x trabibus ex ilice factis compoſitum quidam putant. Hunc Pontem ſingulari animi & corporis robore Horatius Cocles adverſus Etruſcos tenuit, quo uſque a tergo Romani interrupiſſent; is vero natans ad ripam ſummo animo pervenit: quare Plinius tradit, quoniam tunc non ſine magna difficultate revulſus eſt, ita ipſum accommodarunt, ut facile evelli ac reponi poſſet: hunc lapideum poſtea fecit Æmilius Lepidus,
E unde Pontem Æmilium vel Lepidum appellavit. Cum poſtea impetu fluminis disjectus eſſet, Tiberius Cæſar reſtituit; mox Antoninus Pius marmoreum fecit; quare etiam nunc Marmoratum vocant: hoc tempore dirutus quidem eſt, ſed in medio flumine veſtigia apparent non longe a ripa, ad Aventini enim uſque radices extendebatur. Ferunt qua tempeſtate Hercules in Italiam boves egit, ubi Sublicius fuit, feciſſe Pontem, quo tunc uſus eſt, Sacrumque appellatum: Plutar-

chus tamen scribit ante Herculis adventum ibi pontem fuisse, cum in *Problematis* quærit, quid sit quod Maii mense circa plenilunium de Ponte Sublicio simulacra in Tyberim jacientes, *argeos*, quæ dejiciuntur appellant: quem morem natum fortasse scribit, quod antiquis temporibus Barbari ea loca incolentes Græcos, quos ceperant, eo pacto interficerent; Argeos enim sive Argivos omnes Græcos vocabant Veteres: Herculem vero postea admirati, ab hospitum & externorum cæde abstinuerunt, docti ab eodem ut veterem morem ac superstitionem imitantes, effigies in flumen abjicerent, quas ex herbis, ex juncis, similibusque componere docuit. Supra Sublicium Heliogabali corpus in Tyberim projectum ingenti saxo alligatum, ut in imo consideret, atque sepultura careret, memorant. Seneca auctor est ad hunc Pontem magnam pauperum copiam eleemosynam petentium versari suo tempore solitam.

CAP. III.

De Ponte D. Mariæ.

URbe crescente, cum non satis esset Sublicius solus, alius est ædificatus superiori loco, ab Insula vero non procul: Palatinum, quod Palatino Monti proximus esset, dixere; Senatorum etiam Pons est appellatus. Per hunc iter erat, ut hodie quoque, ad Portam Aureliam, qua ad Etruriæ maritima progrediebatur. Hujus Pontis columnas a M. Fulvio fundatas volunt. Sequenti vero tempore P. Scipionis ac L. Mummii cura ac jussu arcum superinductum. Hodie Sanctæ Mariæ, ab ipsius Templo vicino, nominant. Sub hunc Pontem per jactum lapidis Cloaca Maxima sordes demittebat. Sed priusquam ad reliquos Pontes accedamus, quoniam Insulam cum Civitate conjungunt, de ea dicendum.

CAP. IV.

De Insula Tyberis cum omnibus quæ in ea fuere, de duobus Pontibus, quibus cum Urbe ac Transtyberina Regione conjungitur.

TArquiniis ejectis, omnia eorum bona proscripsere Romani; & cum Marti agrum consecrarent, qui extra Urbem esset, quem ideo Martium dixere, desectam segetem magna vi hominum in Tyberim fudere tanquam devotam atque exsecrabilem; quare, quoniam tenui aqua amnis flueret magnis caloribus, facile in limo frumenti acervi hæsere. Accidit autem ut paulatim Insula aliis, quæ temere flumen ferebat, facta sit. Postea credunt additas moles, manuque adjutam, ut tam eminens area firmaque templis ac porticibus, ut etiam hac ætate, sustinendis esset. Jovis Lycaonii olim vocata est, ab hujus dei Templo, quod hic fuisse, Æsculapiique Templo proximum, credunt; ibique præcipue fuisse, ubi D. Joannis Baptistæ Fanum est. In hac enim Insula tria fuere Templa illustria, Jovis, Æsculapii, ac Fauni. Verum ob Æsculapii Simulacrum, quod serpentis figura fuit, atque ab Epidauro Sibyllinorum librorum monitu traductum est, Æsculapio omnem Insulam consecrarunt; in navis vero memoriam, qua serpens invectus est, ex marmore Thasio navis facta est, ex una parte serpentis habens simulacrum. Quartam milliarii partem Insula longitudine continet, passus quinquaginta latitudine: triremis formam habet; in cujus prora marmorea navis, de qua mox dicebamus, conspicitur. Æ-

A sculapii quidem Templum, quod in hac fuit Insula, ibi conditum est, ubi D. Bartholomæi Templum videmus; aliqui in hujus Templi, quod Gelasius II. condidit, aut instauravit, hortis posuere. Quoniam vero huic deo medicinam Antiquitas tribuit, prope Hospitale infirmis curandis constituere, imo ægrotantes cum summa religione ac fide in Insulam tanquam sacram ad illum deum, qui salutis esset auctor, ferebant. Accepimus plerosque huc servos male affectos a dominis ferri jussos; quorum gubernandorum cum fastidium diutius sustinere non potuissent, atque ideo cum ab iis se subduxissent, a Claudio Imperatore libertatem
B recepisse. Ad Æsculapii Templum Ædes fuit Jovis, quam superius demonstravimus a L. Furio Purpurione Consule conditam, atque a C. Servilio dicatam. In Insulæ prora Faunus habuit Templum, cujus modica sunt vestigia, id flumine corrodente paulatim interiit. Livius scribit, Cn. Domitium ac C. Scribonium Ædiles ex mulctatitio argento faciundum locasse. In hac Insula Suetonius scribit C. Cæsaris fuisse Statuam, eamque quodam die sereno ab Occidente ad Orientem sese convertisse. Duobus Pontibus & cum Urbe & cum Janiculo conjungitur: is, qui attingit, quatuor capitum
C Pons dicitur, a quatuor capitibus aut simulacris quadrifrontibus, quæ Pontem a sinistra adscendentibus sese offerunt. Hæc autem ex marmore sunt, Janique putantur effigies fuisse. Fabricium Veteres dixere, quod ejus construendi Fabricius præfectus esset, quod ex Inscriptione constat, quæ in ipsius Pontis arcu adhuc legitur:

L. FABRICIVS C. F. CVR. VIAR. FACIVNDVM CVRAVIT IDEMQVE PROBAVIT. Q. LEPIDVS M. F. LOLLIVS M. F. COSS. S. C. PROBAVERVNT.

D Alter Pons, qui Urbem cum Regione Transtyberina jungit, Cestius est dictus, nunc a D. Bartholomæi Templo, ibi vicino, Sancti Bartholomæi Pontem dicunt. A Valentiniano aliquando atque a Valente, tum a Gratiano Imperatoribus, ut ex titulo, qui a dextra ac sinistra legitur, apparet, instauratum legimus: is hujusmodi est:

DOMINI NOSTRI IMPERATORES CÆSARES. FL. VALENTINIANVS PIVS FOELIX MAX. VICTOR AC TRIVMF. SEMPER AVG. PONTIF.
E MAXIMVS GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. COS. II. P. P. P. ET FL. VALENS PIVS FOELIX MAX. VICTOR AC TRIVMF. SEMPER AVG. PONTIF. MAX. GERMANICVS. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. COS. II. P. P. P. ET FL. GRATIANVS PIVS FOELIX. MAX. VICTOR AC TRIVMF. SEMPER AVG. PONTIF. MAX. GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB.
F POT. III. IMP. II. COS. PRIMVM P. P. P. PONTEM FOELICIS NOMINIS GRATIANI IN VSVM SENATVS AC POPVLI ROM. CONSTITVI DEDICARIQVE IVSSERVNT.

CAP. V.

De Ponte Sixto, de Triumphali, de Ponte Castelli, ac de Ponte Molli.

QUi sequitur Pons post Insulam, quique extremus in Urbis veteris circuitum adscitus est, a Janiculo Janiculensis appellatus est, quod proximus esset: Aurelium etiam nominavere vel a Via, vel a Porta Aurelia, qua ad Pontem ibatur. Marmoreum volunt ab Antonino Pio factum, cumque civilibus bellis disjectus esset, diu Pons ruptus dictus est. Hodie Pontem Sixtum a Sixto IV. Pont. a quo post tot sæcula in eum cultum, quidem videmus, revocatus est. Priusquam ad Pontem Castelli perveniamus e regione Hospitalis Sancti Spiritus vetustissimi Pontis vestigia reperiuntur, quem, ut etiam primo libro meminimus, Triumphalem nominavere, quod per eum Imperatores triumphantes transirent. Vaticanus item est dictus, quod per illum in Vaticanum Collem iter esset. Si Julius II. Pont. diutius vixisset, proculdubio instaurasset, ut cum Via sua Julia, ut sæpe dicere solebant, conjungeret. Ferunt eo nobiles tantum ac claro loco natos usos, rusticorum autem generi nequaquam id licuisse. Pontem vero, quem hodie Sancti Angeli vulgo vocant, ab Arce Sancti Angeli, cum qua conjunctus est, olim Ælium appellavere, ab Ælio Adriano conditore, quod fortasse ideo struxit, ut per illum superbissimum ejus sepulcrum, in altera fluminis ripa positum, commode adiri posset: M. CCCCL. cum Jubilæus celebraretur, ea fuit multitudo ex Sudario revertentium, ut cum in mulam incidisset, neque, undique turba premente, aut retro pedem referre, aut ulterius progredi posset, innumeri perierint; partim equorum pedibus calcati atque oppressi, partim quoniam e Ponte in flumen cadentes mersi sunt; itaque eorum causa binæ illæ Cellulæ, quæ in primo Pontis adscensu videmus, factæ sunt. Hunc Nicolaus V. Pont. domunculis quibusdam submotis ampliorem reddidit: hunc imitatus Alexander VI. angustissima quadam porta sublata, quæ in extrema Pontis parte esset, juxta Arcem, longe latiorem fecit, portam longius transtulit, majoremque priori fieri curavit. Ultimus Pons, qui supra Urbem duobus fere millibus passuum ad Viam Flaminiam est, Veteribus Milvius fuit; hodie corrupte *Mollem* nuncupant. Ab eo M. Scauro conditum volunt, qui temporibus Syllæ fuit. Sæpe disjectus est; & sæpe, antiquis fundamentis non mutatis, refectus est. In hoc Ponte Allobroges cum litteris, quas ad Catilinam ferebant, capti sunt; qua re conjuratio palam detecta fuit. Ad eundem Pontem Constantinus Maxentium hostem tyrannumque superavit, unde ejus magica, qua superior evadere sperabat, elusus est. Sed ad alteram ripam transeamus.

CAP. VI.

De Transtyberina Regione, de Templo Ravennatum, ac de Sepulcro Numæ.

TOta illa Urbis pars, quæ cum Janiculo muris ab Anco Martio cincta est, Transtyberina, quoniam trans Tyberim esset, appellata est. Janiculum præterea a Colle ejusdem nominis dicta est. Qui historiam Martyrum scripsere Ravennarum etiam Urbem nominatam narrant: cum enim Augustus post Antonii ac Cleopatræ victoriam duas instructissimas Classes ædificasset, quarum alteram ad Misenum ad maria occidua ac meridiana tuenda, alteram ad Ravennam haberet, ut ea Orientis atque Ægypti rebus præsto esse posset, Ravennatum copiis domicilio Transtyberinam Regionem assignavit, unde Ravennatum Civitas est appellata. Ubi Ravennatum fuit Templum, ac diversoriæ Tabernæ, Calistus Pont. I. pulcherrimum Templum D. Mariæ trans Tyberim posuit. In hoc Augusti tempore olei fons scaturiens totum diem ad Tyberim usque perenne copioseque defluxit. Quoniam autem ad Austrum hæc Regio exposita est, infamis fuit cælo pestilenti, atque iccirco minus fuit frequens cultoribus nobilibus, ideo accidit quod minus antiquis rebus insignibus abundarit. Hodie quidem prope Tyberim Portamque Septimianam celebris est. Reliqua pars arbusta tantum atque hortos habet. Collem Janiculum vocavere, sive quod Janus eum incoluerit; sive quod in eo sepultus fuerit; sive quod per illum Populus Romanus in agrum Etruscum transire cœperit, nihil autem aliud significare Janum putarunt, quam ire, aut prodire. Nec vero illud tantum Janiculum est dictum, quod muris cinctum est, nam ad Sancti Spiritus etiam Hospitale, atque ad eam Vallem, in qua figulorum sunt fornaces, ubi Vaticani principium est, extenditur. Verum de ea Regione dicimus, quæ ab Anco Martio muro cincta est. Scribit Livius, sub Janiculo Numam Pompilium sepultum: ac post DXXX. annos in agro L. Petilii Scribæ sub Janiculo ipso, dum cultores agri altius molirentur terram, duas lapideas arcas octonos ferme pedes longas, quaternos latas, inventas esse operculis plumbo devinctis; litteris Latinis Græcisque utranque arcam inscriptam; in altera Numam Pompilium Romanorum Regem esse sepultum; in altera libros Numæ Pompilii fuisse: eas arcas cum ex amicorum sententia dominus aperuisset, quæ titulum Regis habuerat, inanem inventam, sine ullo vestigio corporis humani, aut per tabem tot annorum omnibus consumptis; in altera duos fasces candelis involutos septenos habuisse libros non integros modo, sed specie recentissima, septem Latinos de Jure Pontificio fuisse, septem Græcos de disciplina sapientiæ, quæ illius ætatis esse potuit: postea cum summam eorum Q. Petilius Prætor legisset, & pleraque animadvertisset dissolvendarum religionum esse, libros in Comitio igne victimariis facto in conspectu populi crematos fuisse.

CAP. VII.

De Hortis & de Naumachia C. Cæsaris, de Aqua Alsietina.

SUetonius tradit, C. Cæsarem prope Tyberim Hortum habuisse, quo postea loco Tiberius Forti Fortunæ Templum posuit, quod in Transtyberina Regione fuisse volunt, non longe ab Judæorum Campo: eundem Cæsarem ferunt Naumachiam sub Urbis mœnia contra D. Cosmi Templum constituisse: alii tamen Augusto tribuunt Frontini auctoritate adducti, qui mirari se scribit rationemque ignorare, quamobrem Augustus alioqui prudentissimus Alsietinam Aquam, quæ postea ab ejus nomine Augusta dicta est, mali saporis nulliusque proinde usus, in Urbem induxisset: nisi fortasse ideo perduxit, ut illa in Naumachia uteretur, reliquam vero irrigandis Hortis impertiret. Hæc Aqua prope Claudiam Viam e Lacu Alsietino derivabatur, aquæductibus autem in Urbem perducebatur, qui suis flexibus ad XX. prope millia passuum extendebantur: nam, ut Frontinus scribit, tam collium ac vallium obicibus, quam quod ita inflexa melior reddebatur aqua longo ac sinuoso circuitu atque anfractu, aquæductus

minime vero recto ductu dirigebantur. In hac Naumachia ipſa, de qua ſermo eſt, Aquæductus pedibus tribus a terra diſtans conſpicitur, mox deficit ac ſe occultat, atque ad Sanctam Mariam trans Tyberim hujuſmodi Aquam ducit, ubibus autem privatis ac publicis inſervit. Adrianus I. Pontifex dicitur hanc Aquam, quæ jam interierat, revocaſſe.

C A P. VIII.

De Thermis Severi ac Aureliani, de Pratis Mutiis, deque cæteris antiquis Locis ac recentioribus, qui vel fuere, vel hodie ſunt trans Tyberim.

Trans Tyberim ab Imperatore Severo Thermas fuiſſe ædificatas Spartianus eſt auctor, ab eoque Severianas dictas; Aurelianus item ſuas, ut ajunt, quibus per hiemem utebatur, extruxit. Putant quidam in Judæorum Campo fuiſſe, ubi quædam vetuſtiſſima ædificiorum veſtigia videntur. Juxta Navale Ripæ Prata fuere Mutia; tantum autem agri id fuit, quod ad Mutii Scævolæ ſingularem conſtantiam ornandam in patriæ ſalute donarunt. Trans Tyberim fundus præterea fuit, cui *Albion* erat nomen, a luto Albionum ſibi proximo, in quo bovem albam ſacrificari mos fuit. Hic tribunal Aurelianum conſtituere, ex quo ferunt Viam Aureliam initium duxiſſe; ea autem per Portam Pancratianam exibat. Hic ad ripam Tyberis accepimus piſcatoribus fuiſſe morem, ut ſuos ludos celebrarent. In colle vero Statium Poetam ſepultum legimus; Martialis tradit quendam alium Martialem in Janiculi dorſo pulcherrimos Hortos in longum directos habuiſſe. Numæ in clivo Collis, qui magis Tyberi imminet, D. Honofrii Templum eſt, quem Regis Perſarum filium tradunt, in Colle vero D. Petri Montorii Fanum; Fratres D. Franciſci locum colunt. Aureum autem hunc Collem ideo vocatum volunt, (nam ex Monte aureo Montorium poſtea reddidere) quod ibi arena antea, qua ſcripta inſperguntur, erueretur. Juxta D. Mariæ trans Tyberim Templum eſt D. Chryſogoni Martyris admodum conſpicuum; Cæciliæ item, quod Paſqualis II. poſuit; pulcherrimumque D. Coſmi Cœnobium a Sixto IV. Pont. erectum; hoc ſemper centum Veſtales ſingulari probitate, ac religione, ac vitæ ſeveriſſimo genere inſignes, ſed majori ex parte honeſto loco natæ, colunt. Ad Campum item Judæorum D. Franciſci Templum, ac Monaſterium eſt.

C A P. IX.

De Colle Vaticani, de Circo, de Naumachia Neronis, de Obeliſco Vaticani.

Vaticano excepto, ad abſolvendam provinciam Urbis Romæ deſcribendæ, nihil reliquum fore videtur; itaque dicendum eſt, Collem Campumque Vaticani, locique ipſius deum, a vaticiniis, quæ ibi ejus dei virtute fierent, accepiſſe nomen. Varro tradit, eum eſſe Vaticanum deum, qui primæ vocis hominibus auctor eſt. Quamobrem obſervatum eſt cum primum infantes in lucem editi ſunt, primam ſyllabam hujus dei nominis vagiendo emittere: iccirco in vertice Collis Vaticani dei fuiſſe Templum. Sextus Pompejus loco id nominis tribuit, quod vatum monitis Romani Tuſcos ejeciſſent. Ea parte, quæ colitur, longe extenditur Collis, & fere ad Pontem Mollem pervenit. Vallis, quæ inter Collem ipſum A eſt atque flumen, Vaticanam, ſive Vaticanum Campum nominavere. Locus hic, ut etiam primo libro demonſtratum eſt, a Leone IV. Pont. muris eſt ſeptus, quare Urbem Leoninam idem appellavit. Eodemmet loco, ut etiam eſt dictum, via, atque ager triumphalis fuit. Tacitus narrat, ſeptum a Nerone factum ad equos domandos atque exercendos, ibique aurigæ ſpecie plebi mixtum Circenſes Ludos celebraſſe. Hortos vero, quos hoc loco habuit, ad varie torquendos Chriſtianos tribuiſſe, ut ſuam ipſius crudelitatem tegeret, cum inſimulaſſet eos ignis, quem ille accenderat, auctores: quo quidem igne Urbs concremata B ſit. Stagnum præterea navale inſtituiſſe tradunt, Naumachiamque appellatum: in quo navales Ludos juxta Collem, unde nunc ad Portam Pertuſam iter eſt, ederet: iccirco in D. Petri Vita legimus, Templum ſibi ad Naumachiam fuiſſe poſitum; ſimulque Hoſpitale, quod Leo III. Pontifex erexit e regione Sancti Andreæ ac Petronillæ, ideoque Naumachiæ Hoſpitale appellaverunt. Vaticani Obeliſcum Plinius in Neronis Circo locat: hic unus ex tot, qui fuere Romæ, ſtat. Ad Sanctum Petrum in Via Triumphali erectus eſt. Memorat Plinius ea nave, qua ex Alexandria Obeliſcum invexit C. Cæſar, nihil admirabilius in mari C viſum certum eſſe; CXX. M. modium lentis pro ſaburra ei fuiſſe; arboris autem illius craſſitudinem quatuor ulnas hominum complectentium impleſſe. Hæc navis demerſa eſt a Claudio Principe tunc, cum in Tyberis faucibus portum fundare propoſuit. Ubi latior eſt is Obeliſcus IX. pedes æquat: pilam inauratam habet faſtigium, in qua Cæſaris eſſe cineres vulgus exiſtimat. Hodie D. Petri *Agugliam* vocant, ob ejus Templum ibi vicinum. Duas habet Inſcriptiones;

DIVO CÆSARI DIVI IVLII F. AV- D GVSTO.

Item:

TI. CÆS. DIVI AVG. F. AVG. SACRVM.

C A P. X.

De Templo Apollinis ac Martis, de Templo Divi Petri, deque operibus antiquis, quæ in eo Loco viſuntur, quem vulgo Belvedere *appellant.* E

In Vaticano, ut ait Plinius, urbe vetuſtior ilex fuit, in qua titulus æreis litteris Hetruſcis religione arborem jam tunc dignam fuiſſe ſignificabat. Hic Apollini Templum erectum volunt, ibique fuit, ubi nunc eſt D. Petronillæ Fanum. Sic Martis Templum fuiſſe dicunt in Via Triumphali, ubi D. Mariæ febrium eſt Templum. Magnus Conſtantinus a fundamentis nobiliſſimam D. Petri Ædem conſtruxit, ajuntque in gratiam atque honorem XII. Apoſtolorum XII. corbes terræ humeris ſuſtuliſſe in fundamentis jaciendis. Hono- F rius Pont. I. tegulis inauratis totum tectum Templi ornavit; eas autem ex Capitolio, quod Q. Catulus, ut jam ante dictum eſt, contexerat, ſumpſit: hodie ferunt nonnullas etiam in eo Templo ſpectari. Naviculæ fluctuantis pictura, ex opere muſeato facta, Giotti Florentini artificis nobiliſſimi opus fuiſſe dicitur. Hujus Templi fores antea argenteas in æreas Eugenius Pontifex IV. mutavit, in illiſque Nationes ſcalpi juſſit, quas ipſe Eccleſiæ Romanæ conciliaverat, quemadmo-

dum Armenios, Græcos, Æthiopas, Jacobinos, atque alios. In eodem Templo pomum pineum ex ære singulari crassitudine videmus, habens æreos pavones satis elegantes, quod ex ornamentis sepulcri Scipionum fuisse volunt. In hoc Templo sanctissimum est sudarium, cuspis hastæ, quæ Christo pectus aperuit, D. Andreæ caput, Simeonis ac Judæ corpora, atque innumerabiles prope aliæ reliquiæ; duæ pares statuæ æreæ D. Petri, quarum alteram nonnulli volunt Jovis Capitolini fuisse; Canonicorum cella; Sixti IV. Pont. sepulcrum æreum habet, adeo superbe atque artificiose elaboratum, ut cum antiquis monumentis conferri possit. Sed quis unquam modum invenire posset eorum omnium, quæ in D. Petri Templo spectantur? Paucis abhinc annis in Cella Galliæ Regis, quæ in D. Petri est, cum eam formam ædificando sequerentur, quam Julius II. Pont. proposuerat, excavando marmorea arca inventa est, quam, ut ex iis, quæ in ea reperta sunt, perspicue constat, sepulcrum fuisse Mariæ Honorii Imperatoris conjugis: cadaveris illius nihil reliquum erat, dentibus, comis, tibiisque exceptis; ex veste autem, quoniam auro intertexta esset, multæ auri libræ, dum in ignem esset posita, exceptæ sunt: capsula argentea, pedis ac dimidii longitudine, palmi unius altitudine, multaque insuper vasa crystallina, atque ex materia, quam *Agatham* vocant, summa arte perfecta inventa sunt. Annuli XL. aurei præterea variis ornati gemmis reperti; in iis smaragdus caput habens incisum; Honorii putatur fuisse, ac quingentorum Coronatorum aureorum æstimatione. Accedebat bulla gemmis intertexta, has literas circum continens, MARIA NOSTRA FLORENTISSIMA. Laminula item aurea cum iis verbis Græce scriptis, Michael, Gabriel, Raphael, Vriel. Inter reliquas inaures, monilia, ac similia ornamenta muliebria, quæ in ea capsula inerant, quidam ceu nodus smaragdorum variarumque gemmarum fuit, atque ex puro auro ornamentum, quod *rizzam* vocant; præterea palmi prope longitudine ex uno latere has notas habens, DOMINO NOSTRO HONORIO. Ex alio, DOMINA NOSTRA MARIA. Sorex ex Celidonia. Conchylia insuper, ac patera ex crystallo. Aurea pila rotunda persimilis lusoriæ, quæ aperiri facile poterat, cum in duas partes esset in nucis morem divisa. Aliæ gemmæ innumerabiles fere, quæ tamersi majori ex parte vetustate corruptæ essent, nonnullæ tamen quasi recentes ac novæ veterem nitorem servabant. Symmachus I. aut, ut nonnulli volunt, Nicolaus III. hoc loco Pontificum Palatium exædificare cœpit, quod postea tam superbis substructionibus auctum est; sed omnes in eo ornando atque augendo Nicolaus V. Sixtus IV. atque Innocentius superarunt. Multum in eo quidem Julius II. ac Leo X. laborarunt. Julius, nisi morte esset impeditus, amplissima de eo illustrando cogitarat. Hic Cella est insignis Michaelis Angeli opus cum antiquis nobilitate certans. His ædificiis mollissimos illos ac deliciarum omnium plenos Hortos, quos a loci amœnitate *Belvedere* vulgo appellant, conjunxere. In iis infinita excellentissima opera ex marmore facta variis in locis Urbis reperta servantur. Veluti Nili simulacrum, quod multitudo ranarum, lacertarum, aliorumque multorum generum animalium, quæ flumen illud fert, circumstat: hoc marmor superioribus annis propter Sanctum Stephanum Caci cognomento repertum est; Tyberis effigies cum Romulo atque Remo infantibus, qui cum lupæ mammis quasi garrire videntur; Apollinis statua arcum tenentis ac sagittas, Veneris parvulum Cupidinem intuentis; Cleopatra moriens ac paulatim deficiens; Laocoon ille tam celebri nomine, ac ejus filii serpentum nexibus miris modis vincti: hoc vero totum opus ex solido marmore est. Plinius tradit ejusmodi esse, ut omnibus picturis ac signis merito sit apponendum: in Exquiliis inventum est, juxta Thermas Titi, sive in ipsius Palatio, in quo Plinius scribit suo tempore fuisse.

CAP. XI.

De Sepulcro Adriani, de Hospitali Sancti Spiritus in Sassia.

Ælius Adrianus, Spartiano scribente, juxta Tyberim Sepulcrum construxit, quod Monumentum sive Molem Adriani appellavit; nam cum Augusti Mausoleum jam plenum esset, sibi aliisque successoribus Principibus sepulturam parare voluit. In eo primus ille conditus dicitur; postea omnium Antoninorum, qui eum in Imperii dignitate secuti sunt, cineres sunt repositi; ex multis id Inscriptionibus satis constat. Scribit Procopius, primum extrinsecum circuitum hujus ædificii quadrata forma atque ex Pario marmore exstitisse, singularique & diligentia & arte perfectum: in cujus circuitus medio narrat ædificium rotundum, altissimumque, atque adeo amplum fuisse, ut jactus lapidis ab uno ad aliud latus pervenire non potuerit. Nunc ad Arcis formam reduxere. Bonifacius IX. primus omnium locum munire cœpit, quem reliqui Pontifices subsecuti sunt. Alexander vero VI. fossis, propugnaculis, tormentis æneis, firmisque præsidiis quasi inexpugnabilem fecit. Tunc enim, cum D. Gregorius preces, quas *Letanias* appellamus, instituit, & una cum sacerdotum ac populi multitudine cum pompa Sanctum Petrum visebat, in hujus loci fastigio Angelus, gladium cruentum in vagina condens, visus est, quod fuit argumento Deum mitigatum conciliatumque esse: inde semper Sancti Angeli nomine Moles illa est nuncupata. Aliquando Castellum Crescentii vocatus locus est, a Crescentio, qui eum occupavit, quousque iis Germanis fidens, a quibus obsidebatur, iisdem cum se credidisset, crudeliter necatus est. Per hujus Molis fastigia circum equorum ingentes statuas dispositas fuisse volunt, item hominum, curruum mirabili artificio factorum, eaque omnia Gothorum bello partim integra, partim fracta, in hostem ab iis dejecta, qui præsidio locum tenebant. Quo tempore Alexander VI. hunc locum munivit, dum altius excavarent, quædam capita ac fragmenta istarum statuarum reperta sunt. Juxta Tyberim in Triumphali Via Sancti Spiritus *in Sassia* Hospitale pulcherrimum conspicitur, quod Innocentius III. a fundamentis posuit, multis proventibus additis ad infirmos, ad peregrinos, puerosque eos sustinendos, quorum patres ignorarentur. Sixtus eosdem proventus auxit. *In Sassia* autem ideo cognominatus est locus a Germaniæ populis Saxonibus, qui locum aliquando coluerunt, totusque Vicus Saxonum nomine ideo est dictus. Huic Vico Longobardorum Via juncta est, sic ab illis populis eam habitantibus, postquam Carolus Magnus eorum res in Italia pacavit, appellata.

CAP. XII.

De Aqua Sabbatina, de Scipionis Sepulchro, de Pratis Quintiis.

A Sabbatino Lacu, quem hodie *Anguillare* Lacum appellant, in Vaticanum Sabbatina Aqua influebat: hujus adhuc extra D. Pancratii Portam ruinosum quendam Aquæductum conspici vo-

volunt; hanc ipsam Aquam Adrianus I. maximis impensis ad Sanctum Petrum reduxit, cujus etiam nunc in Circo *Zampillari*, ut vocant, fons est. Inter D. Petri Templum ac Sancti Angeli Arcem, in media fere via, ingens fuit ædificium pyramidis instar aut metæ habens, quam Alexander VI Pontifex disjecit, atque omnino sustulit, vel ad Viam, quæ a Palatio ad Arcem duceret, ornandam, vel ut ab Arcis conspectu obstaculum illud amoveret; nam post illud ædificium militum cohors tuto se continere poterat: marmora hujus a Dono I Pontifice ad D. Petri atrium sternendum adhibita sunt. Sepulcrum Scipionis Africani nonnulli fuisse volunt, Acronis verbis adducti; is enim tradit a Scipione Carthagine superata, rursusque illis deficientibus, Romanos oraculo monitos ut Scipioni sepulcrum constituerent, quod Carthaginem spectaret: quare subdit, ejus cineres e pyramide, quæ in Vaticano erat, eductas, atque in ipsum sepulcrum, quod erexissent versus Carthaginem, fuisse positas. Verum, ut in primo libro dictum est, in Via Appia Scipionum fuit Sepulcrum: ejus metæ effigiem, seu formam, atque una Arcis Sancti Angeli, in æreis foribus Templi D. Petri incisam videmus. In Vaticano vero fuere Prata Quintia, in eo quidem, quod a Porta *Burgi*, ut vulgo vocant, quæque Arcis inferiori loco in aperto Campo posita est, egredienti occurrit, ab Arce parum absunt, hodieque *Prata* appellantur. Hunc Quintii Cincinnati agrum fuisse dicunt, qui, ut ait Plinius, quatuor fuit modiorum*, in eoque colendo Cincinnatum inventum ferunt, cum dictaturæ sceptrum a Senatu missum accepit. In hoc ipso Campo, qui longe inter Tyberim ac Vaticanum extenditur, ad Quintia Prata, nonnulla antiqua vestigia videntur, ex quibus conjicitur Circum, aut Hippodromum fuisse.

CAP. XIII.

De XIV. Urbis Regionibus, & cuinam earum IX. Aquæ in Urbem inductæ inservirent.

QUONIAM cum de Aquis mentionem faceremus, quæ in Urbem receptæ erant, quot, quibusve Regionibus unaquæque inserviret, nonnulla attigimus, non alienum videtur quæ, quotque illæ Regiones essent, planius indicare. Constat in XIV. Regiones divisam fuisse Urbem Romam: id tametsi Plinii atque aliorum auctoritate perspicuum sit, nihilominus Inscriptionem libuit in eandem sententiam afferre, quæ in quodam Marmore legitur, quod in Capitolio, videlicet in Conservatorum Palatio, servatur: id autem est:

IMP. CAESARI DIVI TRAIANI PARTHICI FIL. DIVI NERVAE NEPOTI TRAIANO HADRIANO AVG. PONTIF. MAXIMO TRIBVNIC. POTEST. XX. IMP. II. COS. III. P. P. MAGISTRI VICORVM VRBIS REGIONVM XIV.

Hæ igitur, ut breviter exponam, fuere.

Prima Portam Capenam ab ea Porta, quæ huic proxima esset, Cæliolum autem, atque Cælii particulam, Vallisque vicinæ, continebat; nonnihilque etiam extra Urbem extendebatur: quod nulli reliquarum contigit.

Cælimontanam secundam dixere; reliquum hæc Cælii Montis complectebatur.

Tertiæ Isidi ac Serapidi nomen fuit. Hæc Amphitheatrum, Exquiliarum partem, ubi Thermæ Titi erant, Trajani, ac Philippi, atque una Suburram occupabat.

Quartam Templum Pacis appellavere, hanc angustam, sed tamen oblongam, fuisse accepimus; inter Palatinum atque Exquilias extendebatur, seque cum tertia Regione nonnihil confundebat: Viam enim Sacram continebat, Pacis Templum, Faustinæ, Telluris, Forum Transitorium, Sororium Tigillum, Carinarumque partem.

Quinta Exquilina fuit, quæ reliquum hujus Collis, Campumque Exquilinum, Turrim insuper Hortosque Mæcenatis, vicinum præterea Collem ac Viminalem Campum amplectebatur.

Sexta Alta Semita, totum Quirinalem, Thermas Domitiani, magnamque Vallis partem, quæ erat inter hunc Collem atque Hortulos, occupabat.

Septimam Viam Latam vocavere, quæ in Via Lata a Collis Hortulorum radicibus ad Agrippæ Campum, atque ad Forum usque Trajani producebatur.

Octava Romanum erat Forum, quæ totum hoc Forum atque una Cæsaris, Augusti, Trajani, totamque Capitolii Vallem, quæ inter Capitolium Palatinumque extenditur, Forum Boarium, Piscarium, Vicum Jugarium, ipsumque Capitolium, concludebat.

Nonam Flaminium Circum nominabant, quæ Marcelli Theatrum, Balbi, Pompeii, Pantheum, Villam Publicam, magnamque Campi Martii partem comprehendebat.

Decima Palatium dicebatur, totum continens Palatinum.

Undecima Circus fuit Maximus, quæ Circum hunc atque omnia loca, quæ usque ad Trigeminam Portam, ad Salinas, ad Forumque Olitorium producebantur, continebat.

Duodecimam Piscinam Publicam appellabant; hæc angustis finibus circumscribebatur: nam modicum id spatii, quod post Circum Maximum est versus Aventinum, includebat. Antonini etiam Caracallæ Thermas complectebatur.

Tertiamdecimam Aventinum esse voluere, quæ totum Collem complectebatur.

Quartadecima ea fuit, quam trans Tyberim constituerunt; hæc totum illud spatium, Janiculum, Vaticani partem, Jovisque Insulam comprehendebat. De iis Publius Victor singillatim atque uberius tractat. Nobis satis est attigisse, quantum ad id quod ad nostrum institutum pertinet. Sed omnes Regiones, ad quas Aquæ deducerentur, repetamus.

Anio Novus in primis, atque Aqua Claudia, quæ intra Urbem una confundebantur, in XCII. Castella divisæ ad omnium Regionum Urbis commodum distribuebantur.

Julia in XVII. Castella distributa in Urbe, II. III. V. VI. VIII. X. ac XII. Regioni inserviebat.

Tepula in XIV. Castella digesta, IV. V. VI. VIII. Regioni aquam suggerebat.

Marcia LI. Castellis distincta, suæ aquæ usum III. IV. V. VI. VIII. IX. XIV. Regioni subministrabat.

Anio Vetus in XXXV. Castella partitus, novem Regionibus præsto erat, I. scilicet, III. IV. V. VI. VII. VIII. XIII. ac demum XIV.

Virgo in XVIII. Castella divisa, tribus tantum Regionibus usui erat, VII. VIII. XIV.

Appia in XX. Castella distributa, octo Regionibus, id est, II. V. VIII. IX. XI. XII. XIII. ac XIV. serviebat.

Alsietina vero una toti Transtyberinæ Regioni aquam suggerebat.

* Plin. lib. 18. cap. 3. *jugerum* habet, ut & Val. Maxim. lib. 4. cap. 4.

BREVISSIMA INSCRIPTIONUM ANTIQUARUM INTERPRETATIO, QUÆ HOC OPERE CONTINENTUR.

INANIS quidem hic labor fortasse videri posset, si Doctorum causa susceptus esset; nihilominus cum major hominum pars harum rerum ignara putaretur, eorum rationibus consulendum existimavi, ut hæc etiam possent intelligere. Harum autem Inscriptionum sensum tantum declarabimus, non enim Grammaticam docemus.

Pag. 195. A. titulus est, cujus hoc est initium, COLLEGIVM AVGVR. *Collegium Augurum* indicat Adriani auctoritate monuisse curasseque, ut Pomœrii fines in antiquum propriumque locum restituerentur: littera F. *filium* denotat, ille enim Trajani Parthici cognomento filius fuit, ac Nervæ nepos. AVG. vero *Augustum*. PONT. MAX. id est, *Pontifici Maximo*. TRIB. POT. V. significat, *Tribunitia potestate quintum*, hoc est, quinquies Tribuno. COS. III. *Consule tertium*, id est, ter Consule. PROCOS. vero *Prooonsule*. Hi omnes tituli sunt honoresque Adriani: hæ omnes abbreviationes aliis Inscriptionibus servient,

Ibid. B. VTIQVE EI. Licere ait terminos Pomœrii ampliare si e Republica sit, sicut Tiberio Claudio Imperatori licuit.

Ibid C. TI. CLAVDIVS. Tiberium Claudium docet Drusi filium, finibus Populi Romani auctis, Pomœrium quoque auxisse. IMP. significat *Imperator*, quod XVI. exercitum duxerat. P. P. *Pater Patriæ*: reliqui tituli sunt dignitatis.

Pag. 198. C. IMPERANTE DN. Justiniano imperante docet Narsetem gloriosissimum virum ac patritium, victis celeritate mirabili Gothis eorumque Regibus, Romæque atque universæ Italiæ libertate parta, illius fluminis alveum purgasse, ac in meliorem quam antea formam, statumque, Pontem Viæ Salariæ a Totila disjectum renovasse. Ejusdem fere sententiæ videntur esse quæ sequuntur carmina. Scilicet quemadmodum Narses Gothos fudit ac superavit, ita etiam flumini jugum imposuit: idque egit, ut illius aquas subjectas Ponte suo calcari ac premi possent. ANNI XXXIX. hoc est, XXXIX. Imperii suo anno, tot enim annos imperavit Justinianus, NARSES Pontem fieri curavit.

Pag. 205. F. IMPP. CÆSS. Innuit a Senatu Populoque Romano Arcadio atque Honorio Imperatoribus Statuas erectas, quod Stilicone suadente mœnia, turres, portasque Urbis ingenti rudérum copia extracta instaurarint. Negotium autem Macrobio Longimano rei perficiendæ fuisse traditum. Primæ illæ litteræ, S. P. Q. R. SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS significant. IMPP. CÆSS. DD. NN. *Imperatoribus Cæsaribus*, *Dominis nostris*. AVG. *Augustis*. V. C. *Viri Consularis*, aut *Viro Consulari*, vel etam *Viro Claro*, primum Stiliconi, secundum Flavio Macrobio respondet.

Pag. 208. E. IMP. CÆSARI. Monet Senatum honorem illum Vespasiano Imperatori decrevisse, quod sua pecunia Urbis Vias refecisset, cum præteriti temporis negligentia dissipatæ essent. S. C. *Senatusconsultum* signat. DES. *designato* IV. reliquum ex superiori expositione plene intelligitur.

Pag. 210. A. Q. LVTATIVM. Q. Lutatium ac Q. Catulum monet quoddam ædificium de suo faciendum in Capitolio curasse. Prima verba sic interpretare, *Quintum Lutatium Quinti filium*, *Quintum Catulum*.

Pag. 213. D. M. HORATIVS. Horatium Consulem notat Jovis Optimi Maximi Templum dicasse anno post exactos Reges, auctoritatemque Clavi Annalis figendi a Consulibus ad Dictatores, quod horum major esset dignitas, esse translatam.

Pag. 218. C. CALPETANVS. Calpetanum, reliquosque, qui hoc loco nominantur, curatores eorum scriptorum publicorum, illud curarunt faciendum, de quo nulla hoc loco certa haberi possunt. Verba ultima significant *faciundum curarunt*: quæ vero in medio Inscriptionis sunt sic lege, *Cajus*, *Sextus*, *Marcus*, *Titus*.

Pag. 221. C. FL. MANILIÆ. Æmilium atque Rufinum fratres Maniliæ Vestalis, Sylvanum & Hirenæum sororis ipsius filios sepulcrum illud condidisse, docet; atque in Vestalis ipsius laudem Senatum singularem fœminæ sanctimoniam ac venerabilem morum disciplinam in deos probasse.

Ibid. D. Octaviam Honoratam Vestalem Clœliæ Claudianæ Vestali sepulcrum erexisse intellige. V. V. MAX. *Virgini Vestali Maximæ* significat. SS. *Sanctissimis*.

Pag. 224. A. SALVIS DD. Secretarium Populi Romani a Flavio Annio institutum, postea igne absumtum, ab Jugario Epiphanio reparatum, atque ad pristinam faciem reductum intellige. PRÆF. VRB. DN. *Domino nostro Præfectus Urbis*; quæ magna erat dignitas.

Ibid. F. C. AVILIVS. Uterque titulus, eos qui illo continentur, Scholam, ita locum vocabant, sua pecunia condidisse atque ornasse innuit: eam autem Scribis ac Præconibus erexerunt. AVG. L. *Augusti Libertus*. CVR. *Curator*. L. *Lucius*.

Pag. 225. C. FLAVIO. Ex senatusconsulto Flavio Stiliconi Statuam erectam ostenditur: reliqua tituli tantum sunt Stiliconis dignitatem indicantia, & tam ea quæ præclare gesserat, quam sanguinis claritatem ostendentia: is enim primi Theodosii progener, postea Honorio Imperatori filiam despondit.

Ibid. F. IMP. CÆS. L. Septimio Severo Pertinaci ac M. Aurelio Antonino Imperatoribus a Senatu Populoque Romano illum Arcum erectum demonstratur, quod illi ob singularem virtutem Romanum Imperium vehementer auxissent. Quod reliquum est, coacervatio est tantum titulorum, qui eorum dignitatem denotant.

Pag. 229. F. EX AVCTORITATE. Messius Rusticus, alvei ac riparum Tyberis Urbisque cloacarum Curator, Adriani Imperatoris Trajani filii jussu, Nervæque nepotis, ruderibus a ripa rejectis, quibus impediebatur, secundum præcedentem terminationem restituit pedes centum ac quindecim cum dimidio.

Pag. 230. A. Julium Ferocem alvei, riparum, cloacarumque Urbis Curatorem auctoritate Adriani Imperatoris ripam ruderibus purgatis liberasse, ac cum proximo cippo *terminasse pedes tercentum octuaginta sex cum dimidio*. R. R. *ruderibus rejectis*. PED. *pedes*, S. *semis* significat.

Pag. 236. D. SENATVS. Indicatur Tito Vespasiano Arcum a Senatu Populoque Romano erectum.

Ibid. E. Idem significatur, sed honores, dignitates, titulosque adjungit Principis, scilicet quemadmodum omnino fere Judæorum Nationem deleverit, & Hierosolymam urbem, quam tot clarissimi fortissimique Imperatores tentatam reliquerant.

Pag. 242. D. CLAVDIO CLAVDIANO. Honorius atque Arcadius, felicissimi doctissimique Imperatores, Senatu petente, Statuam in Foro divi Trajani Claudiano Poetæ erigi jusserunt, licet ad memoriam sempiternam carmina ab eodem scripta sufficere potuissent.

Pag. 243. A. IMP. CÆSARI. Admirandum opus illud a Senatu Populoque Romano Trajano Nervæ filio Imperatori, ad declarandum quantæ altitudinis mons esset, tantis operibus egestis, innuit. GER. *Germanico*: reliqua sunt tituli superius expositi.

Ibid. C. C. POBLICIO. Declaratur senatusconsulto, Populique jussu C. Publicio Bibulo honoris virtutisque causa locum monumento datum esse, quo ipse posterique ejus inferrentur. ÆD. PL. *Ædili plebis*.

Pag. 248. F. C. CESTIVS. Ibi sepultum fuisse C. Cestium Epulonem significat; illudque opus centum ac triginta diebus absolutum, eorum arbitratu qui ibi nominantur. PR. TR. PL. *Prætor Tribunus plebis*. Cestii hæ fuere dignitates.

Pag. 249. A. NVM. M. Lorinum Fortunatum Genio locum illum consecrasse notat, quem Horreorum Galbianorum deum putabant.

Pag. 251. D. SILVANO. L. Vallium voto Porticum Sylvano dicasse, Pisone ac Bolano Coss. CAL. APR. *Calendis Aprilibus*.

Pag. 253. C. IMP. CÆS. L. SEP. Ab Argentariis ac Negotiatoribus ejus loci Arcum Septimio Severo, M. Aurelio Imperatori, ac ejus matri Juliæ erectum docet. Multa verba, quæ in ea Inscriptione habentur, cognomina sunt horum Principum ob Nationes victas; ex superioribus autem abbreviationes illas intelligere licet.

Pag. 254. B. DEO HERCVLI. Ab iis, qui nominantur, Herculi quicquid illud fuisset erectum monet.

Pag. 258. B. IMP. CÆS. FL. Constantino hunc Arcum positum a Senatu Populoque Romano, quod Tyrannum ultus esset, declaratur. Fuit autem Arcus ad Milvium Pontem. VOTIS X. & VOTIS XX. significat vota, quæ Principes in iis maximis periculis nuncupabant.

Pag. 260. B. SÆCVLO. Isidi deæ nescio quid sacratum sæculo felici ab Isia notatur.

A Ibid. C. sequenti titulo: Precatur deos Romanæ Reip. Pontifici annuere, cumque nunc ipsorum Romano Imperio regna cessissent, arcanum eorum studium sibi negari nolunt.

Pag. 263. E. CLEMENTI. Claudia hoc significatur sepulcrum condidisse illi Clementi Aquæ Claudiæ Castellario, sibi præterea atque suis omnibus. D. M. *diis Manibus*. N. *nostro* fortasse, vel *nobili*, vel *nepotibus*.

Ibid. F. TI. CLAVDIVS. Claudium Imperatorem duas Aquas Romam perduxisse sua impensa, a duobus fontibus Cæruleo scilicet atque Cur-
B tio XLV. ab Urbe milliario, Anienem vero novum LXII.

Pag. 264. A. Monet cum fere intermissæ essent Aquæ, quas Claudius induxerat, scil. Curtiam Cæruleamque ab Imperatore Vespasiano sua impensa Urbi restitutas.

Ibidem: Notatur Aquas Curtiam ac Cæruleam a Claudio, postea ab ejus patre Vespasiano inductas restitutas cum vetustate dilapsæ essent, nova forma perducendas Titum Vespasianum curasse: reliqua patere ex superioribus puto.

C Ibid. D. P. COR. P. F. Cornelium Dolabellam Cos. ac Cn. Junium Silanum Flaminem Martialem ex senatusconsulto opus faciundum curasse. P. COR. P. F. *Publius Cornelius Publii filius*: cætera nota sunt.

Pag. 268. E. GALIENO. Marcus Aurelius Victor Arcum Galieno Imperatori dicavit, cujus invicta virtus sola pietate superata est.

Pag. 265. * E. F. IMP. CÆSAR DIVI.
D Augustum aquarum rivos refecisse. Secundus titulus, duo enim vicini sunt, notat M. Aurelium in Urbem Aquam Martiam induxisse, quæ variis casibus erat impedita purgato fonte, adquisito etiam fonte novo, montibusque, ut illam in Urbem perduceret, excisis.

Ibid. F. Tertius titulus demonstrat, Titum Vespasianum Aquæ Martiæ Aquæductum vetustate dilapsum refecisse, Aquamque, quæ in Urbe esse desierat, perduxisse.

Pag. 273. E. CONSTANTINVS.
E Constantinum, ac reliquos, quorum est in titulo mentio, Thermas & dicasse, & ornasse ostenditur.

Pag. 276. A. POTENTISSIMA. In Principe nihil libertate ac clementia majus declaratur.

Ibid. C. PETRONIVS. Petronius Perpenna Thermas Constantini civilibus bellis ita perditas, ut desperationem omnibus reparandi afferrent, parvo sumptu ab Senatu deputato in pristinam faciem ac splendorem revocavit. MI. *miles*: reliqua notissima ex superioribus sunt.

F Pag. 278. D. M. AVRELIVS. M. Aurelius Pacorus, ac Coccejus Stratocles, Veneris Templi Æditui, quod fortasse in Hortis Salustii erat, basim ac pavimentum marmoratum dicarunt. D. D. *dedicarunt*.

Pag. 281. F. DIS. MAN. Sepulcrum Ulpii Martialis Augusti Liberti fuit a marmoribus.

Pag. 282. F. CAESAR. Soli illum Obelifcum dicatum ab Augufto Cæfare oftenditur poft Ægyptum Populo Romano fubactam, DIVI. I. F. *Divi Julii filius*: reliqua patent fatis.

Pag. 285. C. D. TI. CLAVDIVS. Imperator Claudius Aquæductum Aquæ Virginis a fundamentis jam difturbatum renovavit.

Pag. 287. F. M. AGRIPPA. M. Agrippa tertium COS. Pantheum condidit.

Pag. 288. A. IMP. Septimius Severus ac M. Aurelius Pantheum vetuftate corruptum reftituerunt.

Pag. 289. C. IMPP. Gratianus, Valentinianus, ac Theodofius Imperatores fuis impenfis Arcum illum erexerunt. IMPP. CAESS. DDD. NNN. *Imperatores Cæfares Domini noftri*; tres literæ funt repetitæ, quoniam tres effent Imperatores.

Pag. 291. C. IMP. CAES. L. Septimius Severus IMP. ac M. Aurelius Porticum igne confumptam reftituerunt.

Pag. 292. A. ABASCANTO. Afcanius ac Pallans Abafcanto patri, Augufti Liberto, Ædifque Neptuni, quæ in Circo Flaminio erat, Ædituo, erexerunt monumentum.

Pag. 296. C. EX AVCTORITATE. Calpetanus, ex auctoritate Imp. Vefpafiani Riparum atque Alvei Tyberis Curator rejectis ruderibus pedibus CLXXIV. ufque ad cippum flumen terminavit.

Pag. 298. C. L. FABRICIVS. Fabricius Viarum Curator Pontem faciundum curavit, Lepidus vero Lolliufque Coff. Senatusconfulto probarunt.

Ibid. CVR. VIAR. *Curatori viarum*: reliqua patent.

Valentinianus, Valens, ac Gratianus Imperatores Pontem Senatus Populique Romani commoditati faciundum curarunt: reliqua, cum præter dignitatum titulos nihil fit, perfpicua funt.

Pag. 302. C. D. DIVO CAESARI. Obelifcum fignificat Augufto ac Tiberio Imperatoribus dicatum.

Pag. 305. E. IMP. CAESARI. Magiftri Vicorum Urbis ac Regionum quicquid illud fuit Imperatori Adriano dedicarunt.

F I N I S.

JOSEPHI MAR. SUARESII
EPISCOPI VASIONENSIS,
DE
FORAMINIBUS LAPIDUM
IN PRISCIS ÆDIFICIIS
DIATRIBA.

NECNON
ANDREÆ ALCIATI
JURISCONSULTI,
DE
MAGISTRATIBUS,
Civilibusque, & Militaribus Officiis
DISSERTATIO.

JOSEPHI MAR. SUARESII
EPISCOPI VASIONENSIS,
DE
FORAMINIBUS LAPIDUM IN PRISCIS ÆDIFICIIS
DIATRIBA.

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISS.

PRINCIPI

CAROLO BARBERINO

DUCI ERETI, PRINCIPI PRÆNESTÆ,

ALMÆ URBIS PRÆFECTO,

JOSEPHUS MAR. SUARESIUS

EPISCOPUS VASIONENSIS,

Felicitatem.

Illustrissime & Excellentissime Princeps.



DIstinet me procul ab Urbe, atque assiduum hic degere compellit Munus sacrum, quo jampridem suscepto rite perfungi vehementius in dies exopto: non possum tamen, quin animo subinde recurram ad Urbem; dumque permulcet mentem eo convolantem jucundissima recordatio felicis illius ævi, quo mea tam alacriter impendebam obsequia Urbano VIII. sanctissimæ memoriæ Pontifici Maximo, Excellentiæ Vestræ Patruo magno, & Eminentissimo Cardinali Barberino S. R. E. Vice-Cancellario, Excellentiæ quoque Vestræ Patruo; ac exundantes omnigenæ doctrinæ latices hisce uberrimis e fontibus hauriebam. Antiqua vero Urbis monumenta, qua sacra, qua profana, eruere, lustrare, penitusque pernoscere tantorum tamque doctorum Principum beneficio mihi potissimum licebat. Memini Quæstionem haud injucundam exortam tunc esse, in eaque desudasse ingenia Eruditorum: inquiri namque frequentissime solebat ab his, qui spectabant in Urbe non sine stupore

B Amphitheatri Titi, vel alterius vetusti ædificii superstites moles, cur ingentes Tiburtini lapides, & immania saxa, e quibus illæ constructæ fuere, quadrata licet affabre, dolataque, ac expolita, singula tamen, extima in facie præsertim, variis & crebris foraminibus interpuncta viserentur?

Et imperitum quidem vulgus petras hasce scissas eo ex terræmotu, quo concussa tellus tremuit universa, Christo Domino nostro animam efflante [1], fabulatur [2]. Id autem commentum plane
C ridiculum est: nam fere omnia illa opera necdum ædificata erant, imo plerique illorum lapidum necdum excisi, nec eruti e lapidicinis, cum ille contigit terræmotus: insuper istis in saxis non sunt scissuræ sive fissuræ, nec hiatus vi naturæ adaperti patent, sed manu & arte sunt facta foramina.

Qui eruditiores haberi volunt, foramina illa Gotthis Urbem diruere atque subvertere, Romanique Nominis prisca monumenta exscindere ac delere tentantibus, & quasi conjuratis adscribunt. Sed ut concedamus Totilam Gotthorum
D Regem excidium istud fuisse meditatum, Urbemque constituere μηλόβοτον cogitasse, auctore Procopio [3]: id profecto non confecit Totila, quin superfuisse non ædificia tantum, verum statuas ipsas integras in Hadriani Sepulcro vel inde constat, quia Belisarii milites, qui in præsidio ibi collocati erant, eas confregerunt, & illarum frag-

1 S. Matthæi c.27. 2 Phlegon, Joseph. Euseb. in Chronico.
3 De Bello Goth. p. 288.

mentis in Vitigem & Gotthos conjectis [1], ipsos fortiter repulerunt; imo Totila ipse non tantum per epistolam a Belisario dissuasus cogitationem illam deposuit; sed cum Urbem deinde recepisset, illam incoli rursus jussit, in eaque certamen equestre, seu ludos Circenses edi, quos & spectavit; utque scribit Paulus Diaconus Aquilejensis [2], habitavit aliquantum cum Romanis quasi pater cum filiis: Theodericus vero atque Theodahadus Reges Gotthorum ornatum Urbis & aedificia procurasse videntur, eque variis epistolis apud Cassiodorum id colligitur.

Non desunt [3], qui pro defigendis inferendisque tignis, ut admotæ innexæque illis substructiones ædium inædificatarum suffulcirentur & obtegerentur, quasi columbaria, sive tignorum cubilia, effossa fuisse hisce in lapidibus foramina existimant. Theodericus de horreis destructis concessis Paulino, ut inædificaret, agit in epistola ad Argolicum * Urbis Præfectum, in alia de Turre Circi, & loco Amphitheatri a Volusiano possessis, & restituendis Martiano atque Maximo ejus filiis.

Pro repagulis etiam obfirmandis in tumultibus, bellisque civicis, quæ repagula sequiori ævo paginemata dicta liquet ex Inscriptione, quæ legitur Romæ in Sancti Jacobi ad Longaram, quam, uti est, appingo:

HANC TVRREM ET PAGINEVMA
FACTA A MILITIA CAPRACORVM
TEMPORE DOM. LEONIS QVARTI
PP. EGO AGATHO C.

Ea munimenta vocata fuerunt ante ccc. plus minus annos *Subarræ* & *Bastiæ*, a Galli autem *Bastes*, prætendique consueverunt ad arcendos hostes, & arietes, aliasque machinas depellendas, velut antemuralia, quæ LXX vertunt [4] προτειχίσματα, nominant alii Loricas, Hispani *Barbacanes*, præmuralia Isidorus, antemurana Valla, Ammianus loricas, parapettos, quasi pectoralia, στηθαῖα, quia obtegunt pectus, Lipsius [5] exponit. Cum Henricus VII. Imperator Romam venisset, subarras in domibus Nobilium positas Mussatus [6] prodit. Hannibaldenses quoque Romani proceres sese munierunt in Colisseo, seu Colosseo, in eoque habitarunt, quemadmodum antea *Frangipanes*, quorum fortia commemorat Auctor vitæ Gelasii II. Colosseum autem Amphitheatrum Titi ætate illa nuncupabatur, de quo facetum Bedæ vaticinium exstat [7]: *Quamdiu stabit Colisseus, stabit & Roma: quando cadet Colisseus, cadet & Roma: quando cadet Roma, cadet & mundus*. Sic in Gallia Narbonensi Gotthi Nemausensi Amphitheatro insederunt, & præsidium Arenarum vocitarunt; uti narrat Rodericus Toletanus [8] apud Lipsium [9]. Innocentio III. Pontifice sedente [10], cum Romani cives acrius inter se discordibus animis armisque certarent, propugnaculis instruxerunt Thermas, & Formas, sive Aquæductus; atque Arcus Triumphales, ipsumque Pantheon, nominatum ideo Sanctam Mariam in Turribus, Cadalous Antipapa communiit [11], ut omittam Belisarii milites, tum Gotthos, dein Exarchos, Crescentium, & Senatores, ipsosque Pontifices rerum Dominos, qui Hadriani Mausoleo arcem superstruxerunt, quæ inter cœlos, usque ad nubes, hodieque Sancti Angeli indigitatur. Imo foramina illa sunt qui putent facta pro pergulis & pegmatis erigendis & sustentandis in nundinis publicisque conventibus; quam in sententiam ivit Donatus, ubi namque describit Amphitheatrum Titi, hæc attexit: *Inferiores pilæ, & arcus extima facie crebris foraminibus deformati sunt; id docti indoctique referunt ad feritatem Barbarorum, qui capta in Urbe, quod delere non potuerunt, vi, ferroque mutilatum fœdarunt. Equidem probabilius semper duxi, idque de Bernardino Stephonio, nato illo quidem ad eximiam Poesin, sed una summæ eruditionis & eloquentiæ viro, audivi, hoc peractum opera artificum & institorum; illi enim cum ibi nundinas agere, numque mercimonia exponere consuessent, adactis solo furculis ex adverso perruptos Amphitheatri lapides fodiebant, ut perticas immitterent sustinendis tabernarum merciumque tegminibus & cadurcis. Eam quippe Urbis partem vicis splendidisque tectis spectabilem cives cum Romano Pontifice in Lateranis ædibus degente incolebant, donec Robertus Guiscardus, ut Gregorium Septimum in Hadriani Mole conclusum ab obsidione Henrici Tertii liberaret, ex consilio Cincii Romanorum Consulis ignem Urbi injecit, ut ex Leone Ostiensi refert Cardinalis Baronius, & majorem Urbis partem, præsertim Cœlium inter & Capitolium sitam, evertit Anno salutis* MLXXXIV. *Quare superfuerunt hæc potius signa nundinantis industriæ, quam Barbariæ sævientis. Cencius Sacræ Romanæ Ecclesiæ Camerarius, qui floruit Anno millesimo centesimo nonagesimo secundo, inter varios opifices recenset Bandonarios Colossei, ibi scilicet exercentes opificium, quos nunc Banderarios vocant, & serica vela consuentes*. Favit religiosus vir popularibus suis, quos perstrinxit Ciaconius Hispanus, qui aliam in sententiam abiens ita disserit [1]: *Nec est cur patiamur Gregorium Magnum hac in re a quibusdam litterarum ignaris potissimum carpi, quod de suo mandato Veterum ædificia sint diruta, ne peregrini & advenæ (ut ipsi fingunt) ad Urbem Religionis causa venientes post-habitis Locis Sacris Arcus Triumphales & monumenta Veterum cum admiratione inspicerent. Absit hæc calumnia a tanto Pontifice Romano, cui certe post Deum patria quam vita carior fuit. Multa profecto ex antiquis ædificiis exedit vetustas, multa præterea demoliuntur homines ædificandi gratia, ut quotidie videmus in Amphitheatro & Septizonio impacta illa foramina, quæ tum in concavo fornicum, tum in conjuncturis marmorum, quadratorumque lapidum exstant, non minus a Romanis quam a Barbaris evellendi æris causa creduntur: in fornicibus enim quo levior esset moles, ollas cum numismatis collocabant, lapides vero quadratos æneis clavis firmabant; factum id a Romanis dixerim, si Epirotæ, Dalmatæ, Pannonii, & fæx totius orbis terrarum huc missa Romani appellari possunt*. Hactenus Ciaconius, qui mox agit de statuis disjectis & capite carentibus. Comprobant hanc sententiam Dio Cassius [2] docens veteris Byzantii muros fuisse firmissimos, quorum frons exterior grandibus lapidibus constructa, qui quatuor passus crassi lato ære inter se vincti erant. Xiphilinus Dionis Epitomastes ita exprimit [3]: *Καὶ τὰ τείχη καρτερώτατα εἶχον, ὅτε γὰρ θώραξ αὐτῶν λίθοις τετραπέδοις πάχεσι συνῳκοδόμητο πλάξι χαλκαῖς συνδεομένοις*. Josephus [4], & Hegesippus, qui tradunt pleraque murorum Hierosolymitanorum ferro, aut ære operta fuisse; Thucydides [5] narrans Athenis muros in Piræeo exstructos Themistoclis Archontis jussu, coagmentatos magnis lapidibus, qui secti, quadratique erant, eorumque exteriora ferro & plumbo revincta; hæc sunt Græca verba: *Ξυνῳκοδομημένοι μεγάλοι λίθοι, καὶ ἐν τομῇ ἐγγώνιοι σιδήρῳ πρὸς ἀλλήλους τὰ ἔξωθεν, καὶ μολύβδῳ δεδεμένοι*.

1 Procop. p.199. 2 Lib.16. Hist. misc. c. 19. 3 Vitruv. lib.4. c.2. de Architect. ibique Philander lib.3. ep.29. * lib.4. ep. 42. 4 Sanctius ad c.2. Thren. Jerem. & c.26. Isai. 5 Lib.2. Poliorcet. dialog.2. & lib.3. dialog.5. 6 Hist. f. 44. p. 8. 7 In Excerptis seu Collectaneis Bedæ. 8 Lib.3. c. 7. de Bello Hispan. 9 Lib.2. c.5. de Amphith. 10 Auctor vitæ Innoc. III. p. 147. & 149. 11 Donat. Antiq. Rom. p.224. & 332. lib. 3. c.7.

1 In Vita S.Gregorii PP.I. ad Ann. 596. p. 189. Edit. recent.
2 In Sever. 3 P. 401. 4 Lib.5. c.11. 5 Lib.1. p.19.

Hos

Hos omnes laudat Lipsius [1]. Ænea simulacra Elephantum in Via Sacra præ vetustate dissilientia sarciri mandat Theodahadus Rex Gotthorum, uncis ferreis hiantia membra solidando, apud Cassiodorum [2]. Lapides, quibus antiquæ viæ stratæ silicibus coercebantur, hinc inde, umbones dicti, ferreis nexibus, atque clavis colligati conjungebantur, quos Gomphos Græca voce appellabant, uti Bergerius elicit [3] ex hisce versibus Statii de via Domitia;

Tunc umbonibus hinc & hinc coactis;
Et crebris iter alligare Gomphis.

De Gomphis, id est, clavis ferreis, quibus statuarum membra commissa, fuse differit Josephus Scaliger [4]; at Libanius [5] asserit in templorum profanorum destructione: *ὥστε οὐκ ἦν ῥᾴδιον ἀλλήλων διαζεῦξαι τοὺς λίθους δεσμοῖς ἰσχυροτάτοις εἰσενηνεγμένους*, id est, *adeo operosum fuit lapides ab invicem divellere vinculis validissimis constrictos*. Urbs seu Κάστρον Aspalathi, quod a Diocletiano constructum prodit Constantinus Porphyrogenneta [6], *οὔτε ἀπὸ βησάλων ἐστὶ ἐκτισμένον, οὔτε ἀπὸ ἐγχωρίου, ἀλλὰ ἀπὸ τῶν λίθων τετραπεδίκων ἐχόντων εἰς ἀνὰ ὀργυίαν ά, πολλάκις καὶ δύο, καὶ τὸ πλάτος ἀνὰ ὀργυίαν μίαν, οἵτινες εἰσὶ συναρμοσμένοι, καὶ συνδεδεσμένοι εἰς ἀλλήλους μετὰ σιδήρων ἐν μολίβδῳ ἐγκυλιασμένοι.* id est, *conditum non est e laterculis, nec ex indigenis saxis, sed e lapidibus quadratis altis ad ulnam circiter unam, sæpius & duas, latis vero ad unam, qui coaptati sunt, & invicem cum ferro colligati, inque plumbo involuti*. Arx Polæ structa quadrato lapide constat ingenti; nam xx. millium multi, quasi omnes x. millium librarum æquant pondus; tantæ moles ansis, sive * harpaginibus ferreis connexis plumbo vinciuntur. Jovis delubrum erat Apameæ amplissimum, firmissimaque fuit ejus structura; nam lapides omnes erant grandissimi, arcte inter se juncti, & ferro præterea & plumbo illigati [7]; (uti Theodoretus [8] scribit) Maxima saxa immensis ferramentis, & plumbo diffuso ex omni parte compacta & conglutinata erant, e Nicephoro [9]; Lapides ingentes, & inter se constricti, ac ferro plumboque conjuncti, apud Epiphanium Scholasticum [10], & Marsilium Columnam Archiepiscopum Salernitanum [11]. Theodericus [12] Gotthorum Rex Senatui perscribit æris non minimum pondus, & quod facillimum direptioni est, mollissimum plumbum de ornatu mœnium esse sublatum sibi relatum fuisse, jubetque per Joannem V. S. j. virum spectabilem, sive Vice Sacra judicantem, inquiri. De investigando cultu spoliatorum mœnium jussio antea fuerat directa Symmacho [13] Præfecto Urbis, ut ipse testatur. Uncus severus apud Horatium [14], hamus est, & ansa ferrea rerum coagmenta tenaciter aspereque retinens plumbo addito. Unde Vitruvius [15] monet, ut ansis ferreis & plumbo frontes vinctæ sint. Nam ad firmitatem nexus sæpenumero ferreos uncos plumbo illiquefacto ad perpetuitatem hæsuros operibus & fabricis adjiciunt. Euripid. Τήκτον μόλυβδον vocat, ut observavit Turnebus [16].

Venit in mentem quibusdam forata fuisse illa saxa, ut illis annuli ferrei insererentur, e quibus vel suspenderentur trochleæ, ac funes ad egerendam humum effossam, pro thesauris exquirendis, quos ibi latere depositos somniarunt: Vel alligarentur equi, feræ, naves, & alia ad cursus, spectacula, venationes, naumachias, aliosque usus: Ἀνηρεὺς vocitant Græci ferreos annulos, per quos trajiciuntur rudentes, Hesychio teste; priscis sæculis rudiores homines consueverant in portubus lapides immanes perforare, perque illos transmittebant rudentes, & religabant naves, unde cum Ulysses Corcyra discessit, nautæ [1] *πεῖσμα ἔλυσαν ἀπὸ τρητοῖο λίθοιο*. *Nautæ solverunt oram e perforato lapide*: funis enim nauticus ille vocatur *ora*, ab Ovidio [2] *retinaculum*, & ab Homero alibi *πρυμνήσιον*. Lapidibus quoque tunc anchorarum vice sunt usi, Argonautæ [3] nempe, qui ad fontem Artacii montis prope Cyzicum reliquerunt illum lapidem, qui pro anchora illis erat, & alium accepere; at relictum Mileti coloni Iones, qui a Neleo ducebant originem, Apollinis oraculo moniti in templo Jasoniæ Minervæ collocatum conservaverunt: lapis fugitivus hic fuit appellatus, quem e Prytaneo (ita vocatur Cyzici locus, ubi est) sæpe profugum fixere plumbo, uti Plinius recenset in *Historia Natur.* [4] Arrianus [5], qui ævo vixit Hadriani Augusti, memorat ad fluvii Phasidis lævam in templo Deæ Phasianæ, seu Rheæ, in Colchide monstrari anchoram, quam Argonautarum esse ferebant, ferream, sed (ut ipse sentit) recentiorem; visa quoque a se fuisse ibidem fragmenta lapideæ anchoræ, quam veram fuisse arbitratur. Erant & annuli portarum ad fores apprehendendas, pulsandasque; horum meminit Joannes Diaconus [6], deque illis explicandum autumo Panegyristen [7], ubi ait ad annulos sedere digredienti hospiti Maximiano solitum Constantinum, seu cedere, idque obsequium maximum reputatur, & una cum eruditissimo Cardinale Baronio [8] censeo Constantinum comitari consuevisse, seu deducere Maximianum, quando apud eum hospes divertebat, invisendi, salutandive causa, deorsum usque, ubi parati equi annulis ferreis muro innixis alligari sueti manerent, immo ad annulos usque portarum, ibique sedere Constantinum seu potius cedere, ac honorem præstare, Maximiano discedenti. Unde in eo Panegyristæ loco, qui vindice dignus est, non legendum puto, *ad annula fœderas*, ut corrupte legebatur, nec, ut Critici emendarunt, *sinister sederas*, vel *ad mulos sederas*, vel *ad annulos hæseras*, sive, ut Acidalius corrigit, *adambulo*, id est, ante ambulo, *hæseras*, nec ut alius, qui fatetur quidem Apollinem haud extricare adeo difficilem nodum, divinareque veram lectionem posse, tamen in omnibus scriptum esse affirmat, (*ad annulos sederas*) nec quemadmodum Tristanus [9] excogitat, & probare conatur. (cui digredienti Te *ad aram annulo fœderaveras*) Verum repono, (*ad annulo cedebas*) etsi Tomkus Episcopus Bosnensis [10], eruditione non minus quam dignitate illustrissimus, aliam olim mihi adscripserit opinionem.

Quod si mihi jus esset in Antiquariorum Senatu ferendi suffragii, conflarem e sex istis sententiis unam: nam accidere potuit, ut a protervioribus I.
Gotthis, aliisque Barbaris ad labefactandam & evertendam molem Amphitheatri, & reliqua opera deformanda & deturpanda, perrumperentur aliqui lapides: Utque effoderentur ab his, qui II.

1 Lib.3. Poliorc. c. 5. 2 Ad Honorium Præfectum lib. 10. Ep.30. 3 Lib.2. de Viis Imper. Rom. c.7. 4 In Euseb. p.208. 5 ἐν λόγῳ ὑπὲρ τῶν ἱερῶν, p.23. 6 C.23. de Administr. Imp. 7 De Villa in descript. Polæ p.13. 8 Lib.5. c.21. 9 Histor. lib. 9. c.34. 10 Histor. Tripart. 11 Hydragiolog. pag. 338. 12 Apud Cassiod. lib.3. epist.31. 13 Lib.10. epist.34. ubi Juret. 14 Lib.1. Ode 35. 15 Lib.2. cap.8. de Archit. 16 Lib. 9. cap. 14. Adversar.

* *Sive* harpagonibus.

1 Homer. lib.5. Ὀδυσ. ubi Didymus. 2 Metamorph. 3 Apollon. Rhod. lib.1. Ἀργοναυτ. p.23. & Scholiast. p.37. 4 Lib.36. cap.15. 5 in Περίπλῳ Πόντου p.4. 6 In Vita S. Gregorii M. c. 93. lib.4. 7 Panegyric. 4. Constant. p.210. 8 Tom.3. Annal. Eccles. ad Annum 307. p. 17. 9 Tomo 3. Histor. p. 526. 10 In Constantin. p. 527. in Illyric. Sanct. p. 83. Vitæ Constantini.

ligna indebant, cum domos inædificarent ad habi- A
III. tandum: Seu cum repagula defigerent, & his fe-
IV. se circumvallarent flagrantibus bellis: Vel cum ad
usum nundinarum pergulas, & tabernacula exci-
V. tarent: Quin & ab illis, qui ferrum, æs, plum-
bum, quibus lapides devincti erant, diripuerunt,
sive Græcis, sive Romanis, sive Gotthis, quos
avaritia occæcavit, quique prædas in Urbe grassan-
do agebant. Certe Constantinus Magnus Augustus
Urbis ornamenta plurima in urbem a se denomi-
natam transportari curavit, eamque Romæ spoliis
exornavit; Theodericus Gotthorum Rex marmo-
ra de domo Pinciana deposita Ravennam dirigi
præcepit [1]; Constans autem Πωγωνάτης Urbem B
demum denudasse atque expilasse narratur. Præ-
VI. terea infigendos ad annulos pro thesauris, equis,
VII. feris, navibus perforari potuere lapides. Adjicerem
quoque hæc foramina facta in ipsa structura ut plu-
rimum, cum ambitiosæ illæ admirandæque moles
exstruerentur; nam quia e saxis & lapidibus in-
gentibus constant, illique versari & portari ægre
poterant, terebrari eos necesse fuit, & forari de
industria, dataque opera, ut in his ferreorum forci-
pum, seu forficum, dentes accommodarentur ad
ipsos sublevandos, extollendosque,& aptandos, uti
docet Vitruvius [2]. Insuper in imo & summo Am- C
phitheatro tubi sive fistulæ erant dispositæ ea arte
ac fine, ut odoratum quemdam humorem ejacula-
rentur leviter, & inspergerent sedentes, qui e croco
plerumque, e balsamo aliquando, ut Hadriano im-
perante, imo & e rosis, hinc ille canit:

Saxaque roratis erubuisse rosis.

Id e Seneca [3], & Apuleio [4] probat Lipsius, adnotans dictos odoratos imbres a Musa apud Senecam [5] patrem, & sparsiones in glossis, & nimbos apud Martialem. Nec a fistulis solum hic imber, sed scito magis invento e statuis expressus velut humanus quidam sudor; id Lucanus clare indicat: D

Utque solet pariter totis se effundere signis
Corycii pressura Croci.

Et ex Theatri Marcelli configuratione conspicuum in media & summa præcinctione statuas plures fuisse, partim ad ornatum, partim ad hunc usum. Eas autem scire licet concavas, & per immissas fistulas ferreas, sive æneas, injunctis foraminibus velut per poros, & membra expressum hunc humorem, non sine præsenti quidem auxilio, & manu administrorum. Harum fistularum alias suspicatur fuisse grandes, alias minores, quæ diffusæ per membra erant, nunquam laudatus satis Lipsius [6], quem sequuntur Josephus Scaliger [7], Salmasius, atque Casaubonus [8]. Erant & canales, per quos aquæ refluerent ad naumachias,& usus Theatri, & ad delicias. Hos tubos & canales ferramentis & gomphis coercere ac revincire opus erat, E & lapides forare ad inferenda ea ferramenta, quæ conglutinabantur per plumbaturam seu μολύβδωσιν, ex Ulpiano, & e Cassio apud Paulum [1], sicut adplumbabantur etiam statuæ: exemptis igitur qua statuis, qua tubis, fistulis, atque canalibus, & evulsis ferreis sive æneis gomphis & vinculis, ipsoque plumbo eruto, patuerunt illa foramina, & nudata torserunt animos inspicientium, & exercent adhuc ingenia Criticorum.

1 Variar. 3. lib. 10. Epist. 2 Lib. 10. cap. 2. de Architect. 3 Ep. 91. & lib. 2. natur. Quæst. 4 Lib. 10. 5 Lib. 1. & 9. 6 Lib. de Amphitheat. c. 16. 7 Lib. 4. p. 255. in Tibull. 8 In Hist. Aug. f. 30. & 51.

ISTAM igitur QUÆSTIONEM [2] retractatam, & revocatam quasi sub incudem subcisivis horis, quas perire non sino, fluunt enim mihi parco tempora sumptu, & hoc quidquid est opellæ meæ offero atque dedico EXCELLENTIÆ VESTRÆ; multis quippe nominibus ipsi debetur: nam sub dispositione Præfecti Urbis [3] inter alios magistratus habebantur Curatores operum maximorum atque publicorum, quibus adnumerabantur theatra, thermæ, mœnia, pontes, aquæductus, viæ, aliaque ædificia. Unde Architectum deligendi cura spectabat ad Præfectum Urbis, illique dirigebatur, muros Urbis instauratos [4] nutu Arcadii & Honorii AA. curante Fl. Macrobio Longiniano Præfecto Urbis, testatur adhuc Portæ Portuensis Inscriptio [5]:

HIC EST LONGINIANVS, QVI FONTES BAPTISMATIS CONSTRVXIT SANCTI PAPÆ DAMASI VERSIBVS NOBILITATOS.

Theodericus Gotthorum Rex Urbe potitus ad Artemidorum Præfectum Urbis rescribit [6], ut pecunia, quæ fuerat fabricis deputata Romanis, sine aliqua dilatione ipso ordinante iterum Romanis mœnibus applicetur, & ad Agapitum Præfectum Urbis [7], ut marmorarios ex Urbe sibi mittat. Roma etiam EXCELLENTIÆ VESTRÆ patria est, ejusque natale solum esse se gloriatur; illius ergo nomen quin tenerrimo sinceræ voluptatis sensu animum EXCELLENTIÆ VESTRÆ perfundat non ambigo. At studiorum fructus, quos meto dulcissimos, pertinere ad illos Mæcenates meos jure agnosco; quamobrem EXCELLENTIÆ VESTRÆ, quæ ipsorum generosum se germen exhibet non tantum sanguine, sed & virtute, ac effusa in litteras & Litteratos propensione, litterariam hanc Exercitatiunculam lubens merito nuncupo, quando ea nec in litteris hospes, nec in patria est peregrina, sed illis instructissima, & hujus peritissima evasit. EXCELLENTIAM VESTRAM obnixe rogo, ut libenter munusculum levidense, licet in re gravi & crassa, excipiat, & vel ex eo conjiciat quam devinctum majoribus EXCELLENTIÆ VESTRÆ me profitear, & EXCELLENTIÆ ipsi VESTRÆ quam devotum. Vasioni, Kal. Decembribus MDCLI.

1 L. 2. D. de sepulc. viol. 2 Notit. Imper. Occident. ibique Pancirol. c. 15. & 16. p. 25. 3 Justinian. Novell. 25. de Præf. Lycaoniæ §. oportet. 4 Apud Cassiodor. lib. 7. Var. Ep. 15. 5 Refert illam Donatus lib. 1. de Urbe p. 43. 6 Carm. 40. lib. 2. Ep. 34. 7 Lib. 1. Epist. 6.

F I N I S.

CLARISSIMO J.C.

JOANNI PELORDÆ
SENATORI,
CONSERVATORIQUE BITURIGUM;

ANDREAS ALCIATUS

Salutem.



Um primum in hanc urbem veni, Optime Conſervator, propiusque te cœpi cognoſcere, nihil antiquius habui quam ad amicitiam me tuam inſinuare. Videbam enim ea te eſſe doctrina hominem, iis moribus, ut mihi merito exoptandum eſſet quam proxime tecum jungi. Nec tu hac in re ullam moram feciſti, quin advenientem ultro exciperes, ſummaque benevolentia complectereris, in diesque aliis ſuper alia beneficiis ſic exornaſti, ut paria tecum facere poſſe deſperem. Quod unum ſupererat, ut amoris erga te mei monumentum aliquod ſtatuerem, nuper mihi præſtita eſt occaſio. Latebat inter ſcrinia mea hic Libellus perpetuis ob frequentes nævos a me damnatus blattis, quem cum in manus accepiſſem, exiſtimavi operæ pretium me facturum, ſi a ſitu tenebrisque redemptum perpurgarem, & tuo nomini dicatum ederem. Dubitavi (ut verum fatear) ſæpius, & parum abſuit, quin ſupprimerem, quoniam non ſat dignus videbatur, qui Doctorum oculos auresve morari poſſet. Scripſerunt ante me hujus argumenti Libros cum plerique Veteres, tum & Recentiores non pauci, qui proculdubio luminibus noſtris poſſunt obſtruere. Verum cum rurſus perpenderem veteris eos Reipublicæ Magiſtratus ſolum explicare, nihil momenti ad legalem noſtram profeſſionem conferre: ad hæc, aliud in præſentia mihi non eſſe, quo animum erga te meum teſtarer, mutavi ſententiam, & quos præjudicio quodam fere damnaveram, abſolvi. Erunt qui debuiſſe hæc me omnia diffuſius tractare exiſtimabunt, & quid de his apud omnes Auctores annotaveram, hoc Libello congerere: ſed aliud mihi conſilium fuit. Attigeram pleraque cum tres Juſtiniani Codicis libros adoleſcens adhuc caſtigavi, (erantque qui jure amicitiæ, qua τὰ τῶν κοινὰ φίλων, in alios ſuos ejuſdem argumenti Libros redegerant) attigeram in *Diſpunctionibus*, in Libello *de ſingulari Certamine*, aliisque in locis, quæ ſuo loco moveri non niſi incommode poterant. Verum nec eorum ſententiam unquam probavi, qui omnia, quæ ab aliis ubi ubi dicta ſunt, eodem loco collecta parataque habere volunt, verboſosque hac ratione commentarios fieri nihil curant: cui ſententiæ noſtræ ſi & tu calculum adjeceris, non erit quod mei hujus conſilii me pœniteat. Vale.

ANDREÆ ALCIATI
JURISCONSULTI,
DE
MAGISTRATIBUS,
Civilibusque, & Militaribus Officiis
DISSERTATIO.



UM multa sint in Jure nostro non satis hactenus intellecta, tum is maxime Tractatus expositione indiget, qui ad eos Magistratus pertinet, quorum in primo Digestorum libro mentio habetur. Quamvis enim ab Interpretibus multa afferantur, ad Imperatorum potestatem, & Proconsulum, Præsidum, Procuratorum Cæsaris, Juridici Alexandriæ, officium spectantia, non tamen rem omnem ita explicant, ut studiosis satisfacere possint: nam cum ea munera antiquis Jurisconsultis cognitissima essent, non existimaverunt operæ pretium se facturos, si longo sermone in eorum explanatione commorarentur. At in præsentia propter Latinarum litterarum diuturnam calamitatem, cum ex Jurisconsultis plena cognitio haberi nequeat, vix quicquam superest unde in certiorem semitam deducamur, nisi Recentiorum conjecturas, &, ut ipsi vocant, divinationes, pro exploratis rebus recipere velimus. Itaque ut huic quoque parti pro virili opem feramus, quæ ad hunc Tractatum pertinentia ex antiquis Auctoribus collegi, in medium proferre, & cum studiosis communicare constitui.

Sciendum igitur Romani Imperii originem a Romulo Regibusque cœpisse: ab his latæ sunt leges, quas Regias vocant. Is Romulus ex antiquioribus Civitatis centum Patres elegit, qui Ordo Senatorius dictus est: ad hunc decernendi jus pertinebat, quæ ex toto Regno ad eum deferrentur. Sed & sacra facere, jus dicere, magistratum gerere, soli Patricii poterant. Quoties vero vel leges sciscendæ, vel magistratus creandi, vel bella decernenda erant, tum Populus Romanus ipse consulebatur, ad eumque hujusmodi negotiorum jus pertinebat; idque Dionysius Halicarnasseus diffuse explicat. Exactis deinde Regibus, Plebis potestas multum aucta est, cum, secessione facta, a Senatoribus extorsisset, ut ex corpore suo Magistratus crearentur, qui Tribuni Plebis dicti sunt. Sacrosancti hi erant, summæque auctoritatis, ut qui Senatusconsultis intercedere possent. Et quamvis a principio latæ ab his leges, quas plebiscita vocant, Patricios non obligarent, tamen lege Hortensia constitutum deinde est, ut eo jure, quod Plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur. Sic acerrimum telum Plebi adversus Nobilitatem datum est. Fuit & de eo controversum, quod majores Magistratus ex Plebe creari Patricii prohibebant, donec & hoc obtentum fuit, ut alter Consul plebejus esset. Cœpere deinde C. Sempronii rogationibus judicia cognoscere: is enim Equestrem Ordinem in eorum possessione locavit, unde turbulentæ seditiones ortæ. Constatque C. Marium & L. Syllam, qui ea Senatui demum reddidit, vel hac de re præcipue contendisse, unde & bellorum civilium A maxima incendia orta sunt. Cum dein pro Senatu Pompejus arma sumeret, Marianasque partes, quæ Plebem tuebantur, Cæsar sequeretur, oppressaque per eum, & dein Triumviros, Repub. cum in C. Octavium Cæsarem omnia cessissent, novum ipse regimen induxit. Nec enim Regem se, aut Romulum, quod odiosus superbusque is titulus esset, appellari est passus: sed Romano veterique nomine Imperator & Augustus dici voluit; sumpsitque Censuram & Tribunitiæ potestatis jus, & Max. Pontificem se inscripsit, Patrisque Patriæ titulum a Senatu Populoque Romano accepit.

Sane ejus nominum rationem sic Dion exsequi- B tur, ut qui Imperatores appellati sunt, delectum facere, milites conscribere, pecunias colligere, hostibus bellum indicere possint. Iidem & pacem sanciendi, summum supplicium etiam de Senatoribus sumendi, jus habeant: solitos fuisse priscos Duces sic appellari, Tacitus libro tertio auctor est. Illi enim re bene gesta gaudio & impetu victoris exercitus ea salutatione conclamabantur: erantque plures simul Imperatores, nec super cæterorum æqualitatem: concessum ad eam similitudinem id vocabulum est quibusdam & ab Augusto, & a Tiberio aliisque successoribus. Censores autem vi- C tam moresque nostros examinant, & de eis inquirunt, census rationem ducunt, professionem curant, & pro meritis hos de albo eximunt, illos deligunt: quod & diffusius in *Valeriani Vita* apud Trebellium traditur. Ad Pontifices vero Max. Sacerdotiorum conferendorum jus pertinet; sacris enim omnibus auspiciisque illi præsunt. Tribunitiæ jus potestatis eam ob causam sumpsit, quod sacrosancta ea dignitas neminique violabilis esset. Nam & si in re levissima solo sermone, nedum facto, Tribuni majestatem quisquam contempsis- D set, tanquam abominabilis & sacer indicta causa ad mortem adigebatur. Et has quidem dignitates Octavius accepit, in successoresque suos transmisit, quo potentius illustriusque Imperatorium nomen faceret. Concessum præterea & illud fuit, quod ante eum Antiquorum nemini, ut legibus solutus esset. Significat hoc, inquit Dion, ab omni legum necessitate liberum, nullique juri scripto obnoxium: ut qui absque illa disquisitione omnem Regum potestatem haberet, quamvis nomine abstineret. Patris vero Patriæ cognomentum apud Antiquos observationis cujusdam paternæ significatio erat, quod hoc nomine illustrati Principes, E omnes quoscumque sibi subessent, ceu filios amarent, illique eos vicissim tanquam patres vererentur. Quamvis Imperatoribus alia quoque nominis ratio reddi posset; nimirum quod hi in nos eam potestatem exerceant, quam antiquitus parentes in filios habuerunt, hoc est, vitæ & necis. Cogitavit etiam plerumque Augustus de reddenda Republica. Cumque in Senatu sententiam suam exposuisset, rationarium Imperii tanquam istud restituturus Consulibus tradidit. Sed Senatoribus sive

per simulationem, sive metu, sive etiam ex composito, reclamantibus, variasque rationes afferentibus, cur Reipublicæ Monarchia præstaret, in Principatu perseveravit, Deos hominesque testatus intra decennium se omnem administrationem depositurum. Sed cum ea tempora lapsa essent, rursusque ejurare velle Imperium simularet, Senatus alios decem annos, quibus in eodem magistratu esset, decrevit: atque iterum aliis decem annis, quibus ipse dein exstinctus est, propagavit. Quamobrem inde observatum est, ut ejus successores, quamvis donec vixerint perpetuam administrationem recipiant, tamen singulis decem annis celeberrimos ludos faciant, tanquam Principatum renovent. Ea festa decennalia, vicenalia, tricenaliaque appellata sunt. Arelate Constantium tricenalia celebrasse, Theatralesque & Circenses Ludos ambitioso apparatu edidisse, auctor est Ammianus. Vovebantur autem hi Ludi in proximos decem annos. Quapropter in antiquis nomismatis plerumque hujusmodi Inscriptio cernitur: VOT.X.VOT.XX. hoc est, votis decennalibus, vicenalibusque: Trebellius quoque in *Vita Gallieni*, *Convocatis*, inquit, *Patribus decenalia celebravit, novo genere ludorum, nova specie pomparum, exquisito genere voluptatum*. Nazarius in *Panegyrico*, *In destinatis*, inquit, *decenniis jam vota properantia, & spes volucres constituerunt*. Sed & Mamertinus: *Reservo orationem, quam quinquennio exacto decennalibus tuis dicam*. Exstat Romæ in Lateranensi Basilica Senatusconsultum æreis inscriptum notis, quo potestas Vespasiano Imperatori data cognosci potest. Licere enim illi fœdus quibuscum volet sancire, Senatum habere, remittere, Senatusconsultum per relationem discessionemque facere. Si ejus jussu vel mandato eove præsente Senatus haberetur, perinde servari, ac si ex lege Senatus convocatus esset. Si quos magistratus Senatui P. Q. R. commendasset suffragationeve sua adjuvisset, eorum Comitiis etiam extra ordinem rationem habendam. Fines Pomerii, cum e Republica censebitur, proferre ei licere. Quicquid ex usu Reipublicæ, divinarum, humanarum, publicarum, privatarumque rerum esse existimabit, ei agere, facere jus potestatemque esse. Quibus legibus plebiquescitis scriptum esset, ne Augustus Cæsar teneretur, eisdem & eum solutum esse. Acta, gesta, decreta ab eo, etiam ante illud Senatusconsultum, perinde rata haberi, ac si Populi Plebisque jussu acta essent: si ejus concessionis causa aliquid adversus leges factum esset, fraudi nemini esse, neque quicquam ob eam rem Populo dari debere, nec cui de ea re actionem judicationemque dandam. Quæ tam ampla auctoritas Vespasiano præstita, videtur mihi formula esse ejus potestatis, quam sibi Imperatores attribuebant.

Scribunt Jureconsulti, lege Regia, quæ de Imperio Augusti lata est, Populum Romanum omne suum imperium & potestatem concessisse. Iccirco autem legem eam Regiam appellari arbitror, quod Romuli constitutione ad Populum jus Regis creandi pertineret. Unde a Tarquiniis Servio Tullo objiciebatur, (ut T. Livius inquit) quod injussu Populi Regnum invasisset. Cum ergo Augustus a Populo Romano Imperator creatus est, videtur Regiæ legis observatio in usum revocata, quamvis Regiam plane potestatem ille nunquam usurpavit, sed sua Populo, sua Senatui munia obire permisit: Comitia enim Magistratuum tum quoque celebrabantur, conveniebantque Tribus omnes; candidatosque Populi arbitrio deligi ille sinebat, si modo eos approbasset: nec enim quicquam ab his fieri permittebat, quod præter animi sui sententiam esset: curabatque id maxime, ne indigni, aut qui-

A bus jus capessendi honoris erat, per ambitum legibus eriperentur. Quod & a Tiberio aliquoties observatum, donec id juris penitus sibi vendicavit, tradiditque successoribus, ut necessario in Urbe Roma Lex Julia de ambitu cessaverit.

Senatoribus quoque Augustus non parum detulit; ex his enim quindecim sortiri jussit, qui sibi sex mensibus in consilio essent: plerumque & ipse sententiam in Senatu dicere, una cum amplissimo ordine decernere. Ad hæc, judicia Senatui permisit, cujus juris causa antea toties armis certatum fuerat: sicque publica negotia & privatorum maxima tractabantur. Omnium præterea Provinciarum, quæ sub Imperio Rom. erant, formulam ita divisit, ut aliæ Proconsulares, aliæ Prætoriæ, aliæ Præsi-

B diales essent. Proconsulares Senatui, Prætorias Populo demandandas tradidit. In Præsidiales ipse Legatum suum, qui nunc Præses, nunc Legatus Cæsaris eam ob causam dicebatur, mittebat. Deinde factum est, ut etiam Prætoriæ in Senatu per sortes decernerentur: nimirum sublatis ab Imperatoribus Comitiis, qui conventum Populi formidolosum existimabant. Scribit Strabo lib. ult. omnes Provincias, alias Cæsari, alias Populo attributas: ex his, quæ ad Populum pertinebant, Proconsulares & Prætorias constitutas, quod videlicet viri consulares, vel prætorii ad eas regendas mitteban-

C tur. Erant autem hujusmodi Provinciæ imbelles, & quæ militari præsidio non indigebant, neque proximos Barbaros habebant. Quæ enim validiores, & legionum ope indigentes, sibi conservavit: eo videlicet prætextu, quod Populo pacatiora quæque & pulchriora concederet, ipse difficiliora periculisque & laboribus exposita retineret. Sed revera (si Dioni credimus) ut in manu sua res omnis militaris esset, Senatus autem Populusque inermis Rempublicam repetere non auderet. Proconsulares Provincias fuisse Libyam & Asiam citra Taurum, Strabo auctor est: Prætorias vero, in Hispaniis Bæticam, in Galliis Narbonensem, tum Sardi-

D niam cum Corsica, Siciliam, Illyricum qua in Macedoniam vergit, Cretam, Cyrenaicam, Cyprum, Bithyniam cum Ponto. Commutabantur tamen plerumque arbitratu Principis. Hinc Lampridius in *Alexandri Vita*: *Provinciarum alias Prætorias, Præsidales plurimas fecit, Proconsulares ex Senatus voluntate ordinavit*. Suetonius in *Claudio*: *Provincias Achajam & Macedoniam, quas Tiberius ad curam suam transtulerat, Senatui reddidit*. Scribit Rufus in eo quem edidit Libello *De Rom. Imperii accessione*, omni ex Africa sex Provincias esse factas, quarum Carthago, Numidia, Cyrenensis, Consu-

E lares erant: Tripolis & Mauritaniæ duæ, Sityphensis & Cæsariensis, Præsidales. Pari quoque numero divisas Hispanias, in quibus Bætica & Lusitania Consulares: Tarraconensis, Carthaginensis, Gallitia, Insularis, quæ & trans Fretum, Præsidales. Sed & quandoque Imperator Legatos suos seu Præsidales in aliquam Provinciam missos consulari potestate ornabat, ut videlicet ejus essent auctoritatis cujus Proconsules. Sic C. Plinius Cæcilius Præses Provinciæ Ponti consulari potestate fuit, ut in antiquis Marmoribus annotasse me memini. Major autem Proconsulum dignitas quam Legatorum ideo erat, quia non nisi Senatores Con-

F sularesque viri Provincias sortiebantur: cum ex Equestri Ordine etiam Præsides eligi possent. Sane Proconsulum magistratus annuus, Præsidum certus finis non erat, sed in officio perseverabant, donec successor a Cæsare mittebatur. Idque in *Augusti Vita* etiam Tranquillus attestatus. Jus autem milites decimandi, civicaque corona donandi Proconsulibus fuisse Tacitus lib. tertio ostendit. Idem 15. auctor est, qui Senatores filiis carerent, Pro-

vincias Præturasque inter Patres sortiri non potuisse. Senatusque consulto cautum, ne fictæ adoptiones ulla in parte publici muneris orbis prodessent. Graviorem autem Provinciis Proconsularem fuisse administrationem quam Præsidum, idem ostendit: dum libro primo tradit, Achajam & Macedoniam onera deprecantes, Proconsulari imperio ad præsens levatas, Cæsarique traditas esse. Cujus rei eam rationem suspicor, quod Proconsularium Provinciarum vectigalia & tributa publica Pop. Rom. erant, & ad ærarium pertinebant, neque ea diminuendi Proconsuli jus esset. Quæ vero Præsidibus in Provinciis colligebantur, ad Principem ejusque fiscum spectabant, jusque illi remittendi erat. Hoc enim differt ærarium a fisco, quod illud publicum, hoc est, Populi Romani; fiscus Principis est. Quod apertissime C. Plinius in *Panegyrico ad Trajanum Cæsarem* ostendit: *At fortasse non eadem severitate fiscum qua ærarium cohibes? imo tanto majore, quanto plus tibi licere de tuo quam de publico credis.* Hinc est quod maxime in Proconsularibus Provinciis Procuratores Cæsaris erant. Qui ea procurabant quæ ad Cæsarem ipsum seu fiscum pertinerent, his varia potestas attributa a Principibus fuit. Tiberius jus in servitia familiaresque pecunias solum dedit, adeo ut Lucillium Capitonem Procuratorem in Asia suum a Senatu damnari permiserit, quod præscripta mandata excessisset, vimque Prætorum usurpasset. Amplius Claudius Cæsar concessit, effecitque ut Senatusconsulto caveretur, parem vim rerum habendam a Procuratoribus suis judicatarum, ac si ipse statuisset. Hinc maximam sibi vim Cumanus & Felix, ejus in Judæa Procuratores, usurparunt, de qua merito Josippus conqueritur. Illud constat, sub Trajano adversus invitos jurisdictionem nullam Procuratoribus fuisse, ut disceptantibus liberum esset eos non eligere: adhiberi tamen in consilium a Præsidibus debere, cum de causa fiscali agitur, idem Imperator Cæcilio Plinio rescripsit. At hodie dubium non est, quoties inter fiscum & privatum quæstio vertitur; eos adeundos esse. Scribit Lampridius, Alexandrum Imperatorem eos sæpius mutare solitum fuisse, ne annum excederent, etiamsi boni essent, sibi invisos affirmasse, tanquam necessarium malum. Hosce Procuratores Cæsaris, & Procuratores fisci eosdem fuisse non ambigo, qui & alio nomine Rationales, & Procuratores patrimonii appellantur: idque in *Commodo* Lampridius & in *Maximini Vita* Capitolinus ostendunt. Sed & in *Pio*, *Procuratores*, inquit, *suos & modeste suscipere tributa jussit, & excedentes modum, rationem factorum suorum reddere præcepit: nec unquam lætatus est lucro quo Provincialis opprimeretur.* Procurator vero privatæ rationis, cujus quadam Alexandri Constitutione mentio est, ut non multum a cæteris rationalibus differebat, ita præcipuum Ægyptii Magistratus nomen erat. Devicto enim apud Actium Antonio, exstinctaque Cleopatra, in formam Provinciæ C. Octavius Cæsar Ægyptum redegit. Et quoniam seditiosissimi naturaliter erant Ægyptii, opportunaque tellus alendo bello, noluit eam per Senatores administrari, ne popularibus studiis ducti facile ad Imperium adspirarent, idque & Dion tradidit. Corn. Tac. lib. 2. *Augustus*, inquit, *inter alia dominationis arcana, vetitis, nisi permissu, ingredi Senatoribus aut Equitibus Romanis illustribus, sepofuit Ægyptum; ne fame urgeret Italiam, quisquis eam Provinciam claustraque terræ ac maris, quamvis levi præsidio, adversus ingentes exercitus præsedisset.* Sed & in 12. *D. Augustus apud Equestres, qui Ægypto præsiderent, lege agi, decretaque eorum perinde haberi jusserat, ac si Magistratus Romani constituissent.* Vopiscus scribit, Aurelianum Imp. Saturnino mandasse ne Ægyptum videret. Quod præceptum cum ille sprevisset, levissima gens, rerumque novarum avida, eum Imperatorem salutavit, quæ necis ejus causa fuit. Strabo auctor est, devicta Cleopatra in certam administrationem Ægyptum redactam, expurgatamque a Romanis, & ad eam mitti solitos moderatione & prudentia insignes viros sub Præfecti titulo: is est Præfectus Augustalis, qui vicem Regis obtinet. Est & δικαιοδότης, id est, Juridicus, in cujus potestate maxima est judiciorum pars. Est & qui ἴδιος λόγος, quem ego Procuratorem privatæ rationis interpretor: ad quem indagatio bonorum vacantium pertinet, earumque rerum quæ Cæsari debentur. Horum comites sunt Cæsaris Liberti & Actores, quorum fidei majora minoraque judicia creduntur. Ex Patriis autem Magistratibus apud eos est Ἐξηγητὴς, quasi Quæstorem dicas, qui purpuram gestat, aliisque municipalibus honoribus est insignis, omniumque curam habet, quæ civitati utilia sunt. Est & Ὑπομνηματογράφος, id est, Commentariensis, seu Scriba. Tum Ἀρχιδικαστὴς, Judicialem Præfectum recte appellaveris. Τέταρτος δὲ ὁ νυκτερινὸς Στρατηγὸς, id est, nocturnus Prætor. Sane Hypomnematographi quoque mentio est Theodosii & Valentiniani Constitutione quadam: ea enim sancitum est, quoties Hypomnematographus aliquos qui munera subeant nominat, si sponte illi acciti sunt, Præfecti Augustalis consensum non esse exspectandum, sed protinus functionem exsequendam. Quam Constitutionem ex Doctoribus nostris nemo hactenus mihi videtur percepisse. Cæterum erant etiam Procuratores Cæsaris, non in universum alicui Provinciæ dati, sed particulariter alicui negotio: quod ex antiqua Inscriptione conjectari pronum est, quæ Corinthi in hæc verba adhuc legitur:

THEOPREPON. AVG. LIB. PROC. DOMINI N. AVR. SEVERI ALEXANDRI PII FEL. AVG. PROVINCIÆ ACHAIÆ ET EPIRI ET THESSALIÆ, RATIONALEM PVRPVRARVM, PROC. AB EPHEMERIDE, PROC. A MANDATIS, PROC. A PRÆD. GALLICAN. PROCVR. SALTVS DOMITIANI, TRICLINIARCHAM, PRÆPOSITVM A FIBLIS, PRÆPOSITVM A CRYSTALLINIS, HOMINEM INCOMPARABILEM. TIXANDER AVG. LIB. OFFICIALIS.

Et hi quidem sunt Magistratus, qui ab Augusto constituti, diu perseveraverunt, & tempore, quo Jurisconsulti nostri florebant, maxime viguerunt: nam posteriores deinde Imperatores, quorum Princeps Constantinus, qui Romanorum Coloniam Byzantium transtulit, aliam ipsi formam commenti sunt: tumque cœperunt alii Patritii esse, quam prius erant, aliaque Præfectorum Prætorio jurisdictio. Hinc Magistri militum, Magistri officiorum, Comites largitionum, Comites rei privatæ, Comites sacri Palatii, Comites sacri patrimonii. Quorum officia quamvis in Constitutionibus explicata legantur, ut tamen clarius percipiantur, aliqua adhuc differere ab re non erit. Constantinus igitur Romanorum civium Coloniam cum Byzantium transtulisset, sedem quoque eam Urbem Orientalis Imperii esse voluit, Provinciasque certis limitibus designavit, quibus suos Magistratus dedit, Militiamque ordinavit: cujus rei formulam a successoribus quoque observatam, ex antiquo, eodemque innominato, Auctore referemus: is in hunc modum, ut sequitur, scriptum reliquit.

F I N I S.

LAURENTII JOUBERTI,

MONSPELIENSIS MEDICI,

DE

GYMNASIIS,

ET GENERIBUS EXERCITATIONUM
APUD ANTIQUOS CELEBRIORUM.

LIBER UNUS.

EJUSDEM

DE

BALNEIS ANTIQUORUM,

TUM GRÆCORUM,
TUM ROMANORUM,

LIBER ALTER.

FRANCISCUS JOUBERTUS,

J. V. Doctor, Valentinæ Curiæ Judex Major, Regisque Navarræ a Supplicibus Libellis Consiliarius,

STEPHANO MICHAELI,

TYPOGRAPHO LUGDUNENSI,

S. P. D.



AUDIO, mi Stephane, fratris mei longe chariſſimi Laur. Jouberti Medicinæ Doctoris Opera omnia Latina, partim jam antehac edita, partim adhuc nova & nuſquam ante viſa, duobus diſtincta voluminibus tuis mandari typis, quæ propediem ſint in lucem proditura. Velim equidem & hos de Priſcorum Gymnaſiis & Balneis Tractatus, qui nuperrime inſcio Auctore ad manus meas pervenere, cæteris illis Operibus adjungi. Siquidem ſatis mature tibi reddentur: etenim cum frater ante dies aliquot in Regis Aulam ſui muneris explendi cauſa properans hac præteriret, accidit ut Amanuenſis ſeu negligentia, ſeu feſtinatione nimia, hic domi inter chartas quaſdam inutiles duo hi Libelli relinquerentur. At cum eorum lectione quantumvis accelerata non mediocriter eſſem oblectatus, quod in iis quamplurima ſcitu digniſſima animadverterem, quæ non Medicis modo ac Philoſophis, ſed & quibuſvis Antiquitatis ſtudioſis, minime dubitabam eſſe profutura, viſum eſt eorum tibi copiam facere, uti ſimul & ſemel, opera tua, ſi videatur, in omnium lucem conſpectumque veniant. Alterum certe quidem de Balneis Tractatum mancum & imperfectum eſſe nemo non videat, quippe cui caput unum aut alterum deſit: ſed ſi extremam Auctoris manum ipſiuſve conſenſum exſpectaveris, verendum erit, ne haud ſine magno Reipub. litterariæ detrimento in longius tempus editio differatur. Quare conſilium hoc noſtrum æqui boniqueconſule, atque interim vale. Datum Valentiæ Allobrogum, Calend. April. 1581.

INDEX CAPITUM,

Quæ in hoc Libro continentur.

CAP. I.

LAURENTII JOUBERTI,

MONSPELIENSIS MEDICI,

DE

GYMNASIIS

ET GENERIBUS EXERCITATIONUM APUD ANTIQUOS CELEBRIORUM.

LIBER UNUS.



UEMADMODUM Artes omnes ab initio rudes, temporum ſucceſſione multorum experimentis expolitæ ſunt & amplificatæ, ſic Medicina quoque variis temporibus principium & incrementum accepit. Atque hujus ſane vetuſtiſſimus Auctor Æſculapius celebratur, ut inquit Celſus [1]: qui quoniam adhuc rudem & vulgarem hanc Scientiam paulo ſubtilius excoluit, in Deorum numerum receptus eſt. Hujus deinde filii duo Podalirius & Machaon, bello Trojano ducem Agamemnonem ſequuti, non mediocrem opem commilitonibus ſuis attulerunt. His addunt celebrem illum Achillis præceptorem Chirona. Hos tamen Homerus non in peſtilentia, neque in variis generibus morborum, aliquid adtuliſſe auxilii, ſed vulneribus tantummodo ferro & medicamentis mederi ſolitos eſſe, propoſuit. Atque iſta Celſi verba confirmant illud Plinii [2], claram fuiſſe Medicinam Trojanis temporibus, vulnerum tamen duntaxat remediis. Tunc enim morbos ad iram Deorum immortalium relatos fuiſſe, & ab iiſdem opem poſci ſolitam, ab Homero diſci poteſt. Ex quo apparet *Φαρμακευτικὴν* & *Χειρουργικὴν* Medicinæ partes, ſolas a prædictis fuiſſe tentatas, eaſque omnium eſſe vetuſtiſſimas, & de Pharmaceia id tantum eoſdem uſurpaſſe, quod extrinſecus admoveri poteſt. Nam quæ aſſumenda *καθαρτικὰ* ſubminiſtrat, illis vel fuit incognita, vel ſaltem minime exculta: forte etiam ſuſpecta, uti & ſapientioribus Indorum Medicis, qui (auctore Strabone [3]) hanc ceu maleficam deſpiciebant: tertiam vero Medicinæ partem *Διαιτητικὴν* vocatam, quæ ſalubri victus ratione morbos abſolvebat, impenſe obſervabant. Sed iſtam Homeri ætate & apud veteres Aſclepiadas non adeo excultam fuiſſe, Plato & Hippocrates [4] teſtantur. Hic enim veteres Medicos nihil de illa memoratu dignum ſcripſiſſe, & tam magnam Medicinæ partem præteriiſſe, admonet. Ergo Medicinæ ea parte quæ Chirurgia dicitur, Trojani belli temporibus exercitata, ſequentia ejus artis in nocte denſiſſima latuere uſque ad Peloponneſiacum bellum, ut Plinius ſcribit [5]. Tum demum eam revocavit in lucem Hippocrates genitus in Inſula Coo, imprimis clara & valida, & Æſculapio dicata. Is cum fuiſſet mos, liberatos morbis ſcribere in templo e-

[1] In Procem. lib. 1. [2] Lib. 39. c. 1. [3] Lib. 15. [4] Lib. 1. de diæta. [5] Lib. 29. c. 1.

A jus dei, quid auxiliatum eſſet, ut poſtea ſimilitudo proficeret, excerpſiſſe ea traditur Hippocrates, atque jam templo cremato in Epidauro, velut tenebris eruta & ab igne vindicata, ſibi cognita invulgavit, inſtituitque Medicinam hanc quæ Clinice, id eſt, lecto decumbentium vocatur. Cæterum inter hujus & ſupradictorum Æſculapii filiorum tempora, permultos fuiſſe qui Medicinam, ſed fere ſibi tantum, exercerent, Celſus his verbis docet [1]: „ Poſt eos, inquit, nonnulli clari viri Medicinam exercuerunt, donec majore ſtudio litterarum
B „ diſciplina agitari cœpit. Primoque medendi ſcientia, ſapientiæ pars habebatur, ut & morborum curatio, & rerum naturæ contemplatio ſub iiſdem Auctoribus nata ſit. Scilicet his hanc maxime requirentibus, qui corporum ſuorum robora inquieta cogitatione nocturnaque vigilia minuerant. Ideoque multos ex ſapientiæ profeſſoribus peritos ejus fuiſſe accepimus. Clariſſimos vero ex his Pythagoram, & Empedoclem, & Democritum. Hujus autem (ut quidam crediderunt) diſcipulus Hippocrates, pri-
C „ mus quidem ex omnibus memoria dignis, ab ſtudio ſapientiæ diſciplinam hanc ſeparavit: vir & arte & facundia inſignis, &c. Primus igitur Clinicen inſtituit Hippocrates, & Diæteticen arte docuit. Idem exercitationum modos & vires, atque adeo Gymnaſticen (de qua inſtitutus nobis eſt hic ſermo) præceptis ſalubribus breviter primus fere conſcripſit. Nam hujus artis, quæ a corporis nuditate *Γυμναστικὴ* vocata eſt, ne nomen quidem Homeri ætate notum fuiſſe, teſtatur Galenus [2]. Hippocratis vero tempore celebrem exſtitiſſe, id
D docet quod ſæpe Athletas nominet: & lib. *de diæta* [3] quid præſtant lucta in pulvere, quid *ἀκροχειρίην*, *κωρυκομαχίην*, & *χειρονομίην* explicat: item quid differant in pulvere & oleo exercitia, & pleraque alia quæ ad Gymnaſticen ſpectant. Verum non ita celebris & artificioſa fuit ſub Hippocratis temporibus, quam deinceps, ubi certatim plerique de ſuo invento exercitationis artem perficere conarentur: cum ſcilicet quæſtuoſa videri cœpit. Primus autem Prodicus fuiſſe traditur, qui Aliptas, hoc eſt, unctores inſtituit, cum prius alii
E alio mutuo officio (ut eſt veriſimile) inungerent atque fricarent. Unde Plinius [4]: „ Nec fuit poſtea quæſtus modus, (inquit) quoniam Prodicus Selymbriæ natus, diſcipulus Hippocratis, inſtituens quam vocant Iatraleptricen, reunctoribus quoque Medicorum ac Mediaſtinis vectigal invenit. Gymnaſticen vero, non minimam

[1] In Procem. [2] Lib. ad Thraſyb. [3] L. 2. [4] Lib. 29. c. 1.

Medicinæ partem Græcorum vulgus primum, deinde & Romana gens, sibi persuaserunt, illamque ad salubritatis tutelam, corporis robur & εὐεξίαν comparandam, cumprimis esse necessariam. Et certe non infima postremave Prophylactices, id est, conservatricis Medicinæ pars habenda est, quæ exercitationum, frictionumque & inunctionum varios modos explicat, nec modo inculpatum sani corporis habitum conservare: sed etiam corpus a subtercutaneis excrementis purgare, lassitudines curare & avertere, defectus instaurare, macilentos habitiores reddere, & paulo obesiores pro sanitatis ratione emaciare: & si quæ corporis pars imbecilla fuerit, robustiorem efficere doceat. Hæc qua ratione, & a quibus præstarentur, mox indicabimus, ubi primum quibus in locis Gymnastice tractaretur ac exerceretur demonstraverimus.

CAP. I.

De Gymnasiis, id est, publicis Exercitationum locis.

GYMNASIUM proprie dicebatur (ut definit Galenus [1]) locus in publica aliqua urbis regione exstructus, quo unguendi, fricandi, luctaturi, discum jacturi, aut tale quippiam facturi confluebant. Sic vocatum a corporis nuditate, etymon denotat: nam seipsos exercere nudos, nullo pudore, assueverant. Hinc ad quodvis exercitii genus communiter & improprie Gymnasii appellatio pervenit, ut γυμνάσιον, hoc est, exercitium quoque dicatur de iis qui fodiunt, metunt, equitant, vel quidvis aliud vehementius agunt. Porro Gymnasii structura ac ædificium varias partes habebat, cum non modo corpora, sed etiam mentes adolescentium in eo exercerentur; nam disciplinæ & bonæ artes in iisdem Gymnasiis docebantur, dicatis scilicet locis Philosophiæ præceptoribus. Atque ideo principes viri frequenter in Gymnasiis spectabantur, non voluptatis gratia tantum & ut meliores Athletas dignoscerent, verum etiam ut Philosophorum & aliorum qui varias artes profitebantur, quotidianas disputationes audirent. Sed quia potiores & maximæ pluresque totius ædificii partes a magistris exercitiorum corporis professoribus occupabantur, Palæstræ nomine sæpius Gymnasium totum significari observamus. Romani vero Thermas & Balnea vocitare solebant sua Gymnasia, quod potissima aut certe nobilissimæ structuræ pars pro Balneis (quæ illis plus quam Palæstra fuerunt in pretio) instituereretur, tanto sumptu & splendore crescente Principum luxuria, ut Thermæ sæpe instar urbium viderentur. Sed de his paulo post fusius tractabimus.

Ad Græcorum Gymnasia nobis redeundum, ex quibus tria Athenis fuere, quæ vel maxime memorantur, Lyceum, Cynosarges, & Academia. Hæc ab ipsa exercitatione corporum ad animorum postea traducta sunt. Lyceum Gymnasion, vel auctore Luciano, templum erat Apollinis Lycii, cujus simulachrum (quod supra statuam situm conspiciebatur) sinistra quidem arcum gerebat, dextra vero supra caput refracta, tanquam ex multa defatigatione, Deum quiescentem indicabat. Dicitur vero Apollo Λύκειος, vel quod in Lycia Thessaliæ urbe coleretur, vel quod lupus ei sacer habeatur, vel quod Λυκόφως, id est, summum diluculum nocte effugiente faciat. Hinc Λύκειον. Lyceum, Gymnasium, in quo docebat Aristoteles, auctore Stephano. Cynosarges Gymnasium fuit, in quo nothi exercebantur. Unde εἰς κυνόσαργες proverbiali convitio dicebatur, quemadmodum εἰς κόρακας [1]. Ab hoc loco dictos putant Cynicos Philosophos, quod in eo disputarent Athenis, cujus Sectæ princeps & auctor fuisse creditur Antisthenes Socratis discipulus. Aliis tamen placet Cynicos fuisse nuncupatos a canina mordacitate & asperitate, qua omnium vitia publice reprehenderent, nulla personarum habita ratione, nemini parcentes. Academiæ Gymnasium, ab Academo viro Atheniensi dictum fuisse scribit in *Theseo* Plutarchus. Cæterum, sunt qui existiment Palæstras, hoc est, ædificia exercendis & corporis & animi viribus accommodata, Græcorum consuetudinis tantum, non Romanorum fuisse: apud quos (inquiunt) non erant Ephebia, id est, loca puberibus exercendis constructa, nec Exhedræ, in quibus Philosophi apud Græcos in Palæstra sedentes disputabant. Gul. Caulius, vir & genere & doctrina illustris, affinis meus clarissimus, in Libello, quem de Balneis & Gymnasiis Antiquorum Gallice scripsit, Gymnicis exercitationibus caruisse Romanos profitetur, & alios habuisse Ludos, ut Circenses, Ludum Trojanum, (quem vulgus nostrum luxato vocabulo *Tornæum* vel *Tornaium* appellat) & pro exercitationibus deambulatoria atque porticus. Idem sensisse videtur in Antiquorum Libris optime versatus, Galliæ lumen Budæus, qui cum exercitiorum Græcis consuetorum genera recenset, *Comm. in Leg.* 4. *ff. de his qui notantur infamia*, inquit, Romani iis non utebantur. Quorum sententiis etiam Vitruvius [2] Scriptor Romanus favet, dum ait: Nunc mihi videtur (tametsi non sint Italicæ consuetudinis) Palæstrarum ædificationes tradere explicate, & quemadmodum apud Græcos constituantur, monstrare. Alii [3] tamen scribunt, Romanos Græcorum in delitiis æmulos, incredibili impendio Palæstras construxisse, quam opinionem confirmant infiniti ex Plinio & aliis Latinis Auctoribus loci, ubi de Palæstrarum sumptu & iis quæ ad Palæstras & Athletas pertinebant, mentio fit. Unde colligas, Romanos olim multoque tempore Palæstris ac Gymnasiis illis publicis caruisse, tandem vero in suis Thermis etiam Palæstras exædificasse.

CAP. II.

De Gymnasiorum structura.

GYMNASII dictione totum ædificium intelligi, sup. admonuimus. Id erat amplissimum, ut in quo varii exercitiorum corporis modi exercerentur, nec non balneorum & siccarum sudationum cellulæ disponerentur, & locus etiam ad docendum Philosophis concederetur. Qua vero arte singula constarent, quæve ratio structuræ fuerit, non est facile intelligere, quum Vitruvius [4] de architectura, & Palladius [5] de agricultura, ita obscure hanc verbis depingant, ut vix tandem eorum mentem assequi possimus. Attamen quantum ingenio præstare valebimus, Gymnasii (quam absolute Palæstram vocant) descriptionem ex Vitruvio potissimum discutiemus, hinc sumpto initio.

In Palæstris peristylia (id est, deambulationes columnis clausæ & undique septæ) quadrata sive

1 Lib. 2. san. tu.

1 Eras. in Chil. Cent. & Bud. in Annot. 2 Lib. 5. de Architect. c. 11. 3 In Lang. Epist. 51. 4 Lib. 5. cap. 11. 5 Lib. 1. tit. 39.

oblonga ita fiebant, uti duorum stadiorum haberent ambulationis circuitionem, quod Græci vocant δίαυλον, scilicet mille ducentorum pedum erat universus peristylii cujusque circuitus: est enim δίαυλον curriculum seu spatium ita constructum, ut dum cursores ad stadii metam pervenerint, flexo cursu per versuram redeant eo unde sunt digressi: a quo διαυλόδρομοι cursores dicti, qui ubi metam pertigerant, celerrimo circumactu unde venerant recurrebant. Alioquin δίαυλος Heroni habet in longitudinem pedes 1200. stadium vero 600. δόλιχος stadia duodecim. Interpres Aristophanis διαύλου nomine locum intelligit duo stadia continentem, aut ducentorum cubitum mensuram. Ast Vitruvius in hac Palæstræ descriptione δίαυλον dicit, quod duorum stadiorum, hoc est, pedum 1200. ambulationis habet circuitum. Ex his tres porticus (nostri *gallerias* vocant) simplices disponebantur: & quarta, quæ ad meridianas regiones conversa, duplex erat, uti cum tempestates ventosæ sunt, non posset adspergo in interiorem partem pervenire.

Inter eas porticus arcæ amplissimæ relinquebantur, in medio totius Gymnasii scilicet. In tribus vero simplicibus illis porticibus Exedræ spatiosæ constituebantur, quæ sedes haberent, in quibus Philosophi, Rhetores, reliquique qui studiis delectantur, sedentes disputare solebant. Exedræ autem a sedium frequentia sic nuncupatæ, figuram eorum referebant quæ in Cœnobiis vocantur Capitula. Julius Pollux [1] tradit, sessionem esse ubi viri consident, ἵνα συγκάθωνται οἱ ἄνδρες. Porro in duplici seu quarta porticu hæc membra collocabantur.

1. Ephebeum in medio: hoc vero erat Exedra amplissima cum sedibus, tertia parte longior quam lata. Erat veluti schola puerorum studentium, in qua etiam exercebantur: nam pueros in palæstram mitti, ut robustiores evaderent, jussit Aristoteles [2].

2. Sub dextro Coryceum constituebatur, in quo pila Coryco vocata exercebantur. Apud Vitruvium corrupta dictio est, & pro Corticeo Coryceum legendum; vel, si placet, Couriceum, pro tonstrina, nam κουρὶς novaculam significat. Solebant vero exutis vestibus juvenes alter alterum vicissim & radere & inungere oleo, priusquam ad luctam descenderent, ut ex Luciano colligimus. Romani autem initio psilothris unguentis pro novaculis utebantur, nec ante Urbis conditæ annum 454. tonsores admiserunt, quos tum P. Ticinius Mena ex Sicilia primum Romam adduxit. Sed melius Guliel. Philander [3] (meo judicio) Coriceum dicit, pro loco ubi puellæ exercebantur: nam ut in balneis caldaria muliebria viriliaque conjuncta, & iisdem regionibus collocata esse jubet Vitruvius [4], & M. Varro lib. *de analogia* tradit [5], in balneo conjuncta fuisse ædificia bina, unum ubi viri, alterum ubi mulieres lavarentur; pudor enim non patiebatur utrumque sexum simul lavari, sed commoditas conjungi desiderabat, ut Gellius scribit [6]. Sic in Palæstra puerorum puellarumque loca, exercitationibus nuncupata, se contingebant. Puellas vero etiam in Palæstris exercitari solitas fuisse, ex Platone didicimus, qui minime improbat ludorum virginum exercitium in disco jaciendo, & lucta. Atque ejusdem sententia non puellas modo, sed etiam provectioris ætatis mulieres, una cum viris luctari decebat, ut laboris hujus tolerantia res arduas ac difficiliores aggredi assuescerent. Lycurgus quoque (ut scribit Xenophon [7]) liberarum mulierum corpora, non aliter quam virorum, exercitari jussit, nec multo post pancration & cursum fœminis instituit, non aliter quam viris, judicans utriusque conjugis bene exercitati liberos fore robustiores. Hinc Propertius, amoris furore percitus, conqueritur, quod Romanæ virgines nudæ in publico non spectentur, Spartiatarum more, quarum exercitia his carminibus celebrat libro tertio elegia decimatertia;

Multa tuæ, Sparte, miramur jura Palæstræ,
Sed mage virginei tot bona gymnasii.
Quod non infames exercet corpore laudes *,
Inter luctantes nuda puella viros,
Cum pila veloces fallit per brachia jactus,
Increpat & versi clavis adunca trochi,
Pulverulentaque ad extremas stat fœmina metas,
Et patitur duro vulnera pancratio,
Nunc ligat ad cæstum gaudentia brachia loris,
Missile nunc disci pondus in orbe rotat.
Gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit,
Virgineumque cavo protegit ære caput.

Sed de Coriceo satis multa; jam alias partes describamus oportet.

3. A Coriceo proxime Conisterium, ubi pulvere, qui κονὶς dicitur, post unctionem luctaturi adspergebantur, ut prehensiones essent firmiores & non lubricæ. Ipsa pulveris inspersio ἁφὴ, *haphe*, dicebatur, usurpato a Martiale [1] vocabulo. Idem pulvis etiam Geometris inserviebat, quo suas figuras designarent. Nic. Perotus Conisterium pro Apodyterio accepit, id est, cella in balneis ubi loturi vestes deponebant, male prospiciens, si Philandro credatur. Hoc certe utuntur Varro l. 2. *de Re Rustica*, Cicero & Plinius in *Epistolis*.

4. A Conisterio in versura porticus, frigida erat lavatio, quam Græci λουτρὸν nuncupabant. Versura autem hic significat angulum interiorem conjunctarum ad rectos angulos porticuum. Nam versuræ sunt apud Columellam [2], ubi uno latere absoluto in aliud deflecti necesse est. Sic apud Vitruvium [3] in explicanda Palæstrarum structura: alias tamen eidem Auctori [4] versura denotat exteriorem flexum angulorum in parietibus.

5. Ad sinistram Ephebis ἐλαιοθέσιον fiebat, locus ubi ceromate, id est, cerato oleo vel cera oleo subacta (cui terræ quoddam genus admisceri solitum, testis est Plinius [5]) ungebantur luctaturi. Quanquam Elæodeusion potius dicendum videtur. δεύω enim *rigo* significat. Dicitur etiam ἀλειπτήριον, & unctuarium in *Epistolis* Plinii Cæcilii [6], quia scilicet Aliptæ Athletas in eo ungerent. In Elæothesio duæ fiebant portæ, quo facilius exciperentur Athletæ ex Palæstra redeuntes, & alii emitterentur præparati.

6. Proxime Elæothesium continuoque ordine disponebatur Frigidarium alterum: ab eoque iter in Propingeum in versura porticus. Dicitur vero Propingeum, quasi suffocatorium, locus ubi ignis præclusus æstuabat: in eo enim carbones accensi Hypocaustum calefaciebant. Præfurnium quoque dici videtur & fornacis os, quo ligna in fornacem induntur, quo nomine utitur Cato *lib. de Re Rustica* [7]. Sic furnorum, quibus nostri panes coquuntur, os, præfurnium vocant. Placet etiam ut pro vaporaria cella usurpatum sit. Habebat enim hypocaustum sub pavimento locum vacuum, in quo ignis succensus calidis vaporibus sudorem eliciebat: cui ex uno latere præfurnium, parva furnorum adstructa erat, in quo ignis inclusus partim hypocaustum calefaciebat, partim aquas. Hoc vero præstabat per spiracula quædam, veluti per

1 Lib. 1. c. 4. 2 Lib. 8. Polit. c. 3. 3 Com. in cap. 11. lib. 1. Vitruv. 4 Lib. 5. Arch. cap. 10. 5 Lib. 2. 6 Lib. 10. cap. 3. 7 In Lacedæm. Reipubl.

1 Lib. 7. in Philæn. ep. 66. 2 Lib. 2. c. 2. 3 Lib. 5. c. 11. 4 Lib. 3. cap. 1. 5 Lib. 30. c. 13. 6 Lib. 2. 7 Cap. 38.
* Alii rectius, *ludos*.

fenestras: atque pro temporis ratione calor per tubulos & intra parietes fornaceos, in cubicula, sudatorium scilicet, vaporarium, & balnei cellas, subibat. Unde Plinius ad Apollinarem: Cohæret cubiculo Hypocaustum, & si dies nubilus est, immisso per angustas fenestras calore, vicem Solis supplet, & suppositum calorem, ut ratio temporis exigit, aut effundit, aut retinet. Erant vero parietes fornaci (auctore Plinio [1]) ex terra, & fornacum modo, intra duas tabulas infarcti lateribus crudis ex albicante & cretoso solo in vere compactis circumsepti, imbribus, ventis, igneque incorrupti, omnique cæmento firmiores, per quorum tubulos illis insertos ex Hypocausto in ædificiorum conclavia calor penetrabat. Annotandum vero hic est, Hypocausti nomen cum Propingeo confundi aliquando. Sunt enim qui Hypocaustum seu Hypocausim vocent in thermis, forniculam, caminatamve structuram, sive concamerationes, in quibus ignis succendebatur, unde aqua calefaciebat. Papinius *Sylvarum* lib. I.

Tenuem volvunt Hypocausta vaporem.

Cum igitur sit fornacatum opus, in quo ignis succendebatur, haud dubie Propingeum quoque denotat Cicero ad Quintum fratrem, [2] Vaporarium appellans. Atqui improbandi sunt quin citatis locis Hypocaustum pro loco ad sudandum accommodo interpretantur. Attamen Ulpianus *Pandect.* libro decimoseptimo [3] mandati fecit mentionem Hypocausti in ea significatione, *παρὰ τὸ ὑποκαίειν*, id est, *a succendendo*, quia sub ejus pavimento ignis succensus (ut prædiximus) sudorem eliciebat. Illud vero est quod *πυριατήριον* & Laconicum paulo post nuncupabimus. Ast hic Hypocaustum nihil aliud sit, quam locus in quo ignis accendebatur, ad calefactionem vasorum præcipue quæ in balneis erant, quod fabrefactum videbatur in modum fornacum seu furnorum, quibus hodie utuntur tonsores & tinctores, cujus Hypocausti os Præfurnium vocat Cato *lib. de Rustica*, [4] ubi furni calcis fabricam explicat. Tale Hypocaustum etiam significat Vitruvius, [5] cum tria vasa aliena supra Hypocaustum componere docet. Neque subticendum, opinor, fuisse qui Propineum pro Progingeo legerint apud Vitruvium. [6] Est autem Propineum cella, quam Plinius Gustatorium vocavit libro quinto *Epistol.* Sed ad structuræ rationem tandem redeamus.

A Propingeo seu Hypocausto (quale jam descripsimus) proxime, introrsus e regione frigidarii, collocabatur concamerata sudatio, longitudine duplex quam latitudine, quæ haberet in versuris ex una parte Laconicum ita compositum, ut quam latum fuerit, tantam altitudinem haberet ad imam curvaturam hemisphærii: mediumque lumen in hemisphærio relinquebatur, ex eoque clypeum æneum catenis pendebat, per cujus reductiones & demissiones perficiebatur sudationis temperatura: ipsumque ad circinum fieri oportebat, ut æqualiter a medio flammæ vaporisque vis per curvaturæ rotundationes pervagaretur. Ex adverso autem Laconici, calidam lavationem constituendam, Vitruvius admonet: [7] ut scilicet Laconicum sudationesque tepidario conjungantur: nam pro eodem dixit Laconicum & Sudationes. Celsus assas sudationes appellat, ad differentiam earum quæ fiunt in balneis: in illis enim sudorem ex calore sicco elici, idem Celsus scribit libro secundo capite decimo septimo. Unde illud Columellæ in Procemio Operis: Quotidianam cruditatem Laconicis

[1] Lib. 34. cap. 14. [2] Lib. 3. [3] Fornacatorem in Papiniano Pandect. 33. de fundo instructo, interpretamur servum qui in balneis succendendi ignis curam habebat. [4] Lib. 5. cap. 10. [5] L. 38 c. 11. [6] L. 5. c. 10. [7] L. 3. c. 27. [8] L. 5. c. 11.

A excoquimus, & exusto sudore sitim quærimus. Seneca in *Epistolis* Sudatoria vocat, & a rotunditate Sphæristeriam, Suetonius in *Vespasiano*, & Plinius Cæcilius in *epistola ad Gallum* de Villa sua Laurentina: erant enim Laconica rotundæ figuræ & veluti turriculæ cameratæ in hemisphærium. Hoc vero differt a testudine, quod testudo ex duobus arcubus in crucem se in centro secantibus constare videatur, hemisphærium vero plane sphæricum sit atque orbiculatum. Itali *Cuppolam* vocant. Ejusmodi concamerata sudatio fuisse videtur, quam Vitruvius scribit in versuris habere Laconicum.
B Porro Laconicum erat testudo seu fornacula ad hemisphærii rotunditatem ex tegulis mammatis, argilla tomentoque compactis constructa, quæ incluso igne per spiracula parva calefiebat. Sic dictum a Laconibus & spartanis, quibus in usu frequens fuit, quod indicat Martialis [1] de Hetrusci thermis loquens:

Ritus si placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Cruda Virgine, Martiaque mergi;
Quæ tam candida, tam serena lucet,
Ut nullas ibi suspiceris undas,
Et credas vacuam nitere Lygdon.

C Idem locus *πυριατήριον*, & *ὑπόκαυστον* dicebatur. Apud Dionem [2] legimus *πυριατήριον* ab Agrippa ædificatum: quod dein Laconicum dicit appellatum, quoniam Lacedæmonii per ea tempora nudi undique præ cunctis exercebantur. Romanis Calidarium, & (ut præmonui) Senecæ Sudatorium fuit vocatum. Quod vero de clypei suspensione & caloris temperatura prius diximus, sic intelligi potest. Sub Laconici pavimento concameratio erat, ubi succendebatur ignis: qua ratione Laconicon *ὑποκαύστου* appellationem meruit. Erant autem qua-
D quaversum in parietibus ad imam hemisphærii curvaturam structiles fictilesve canales, sive (ut vocat Proculus *Pandect.* libro octavo *de servitut. urban. prædiorum*) tubuli, per quos flammæ vaporisque vis deferebatur: ubi autem curvaturam contigerat, rotundo æreo operculo, quod Clypeum appellat Vitruvius, (eam enim clypei fuisse figuram, Polybius, ubi de Romanorum castrametatione agit, demonstrat) impedita, sub suspensione pervagabatur. Qui vero sudabant, clypei sublatione suspensioneque, calori moderabantur.

Hæc sunt quæ in Græcorum Gymnasiis Palæstra
E includebantur. Fusiorem de Balneis Tractationem seorsum dabimus, in qua Romanorum luxus explicabitur. Hi siquidem suarum Thermarum meliorem, & jucundiorem partem balneis cum frigidis tum calidis constituebant, voluptatis gratia plus quam sanitatis balnea fabricantes. Græci vero in iis fuere frugaliores, ut qui de corporeis exercitationibus magis forent solliciti. In eorum igitur Gymnasiis peristylia illa quadrata vel oblonga, quæ duorum stadiorum circuitionem habebant, in dictas cellulas, & cathedras philosophantium absumebantur. In vacuo vero porticus intermedio spatio areæ erant amplissimæ, in quibus juvenes exercebantur lucta, pugillatu, & aliis exercitio-
F rum modis. Atque totus hic ambitus, Palæstræ nomine designabatur, meo judicio: nam quæ supersunt explicanda de Gymnasii structura, Vitruvius ea disponit extra Palæstram. Nos etiam de iis seorsim tractare oportet, tum ut facilior doctrina sit, tum ne prolixitate nimia hoc caput displiceat.

[1] Lib. 6. epigr. 42. [2] Lib. 53. Historiarum.

CAP. III.

De reliquis Gymnasii partibus.

Extra Palæstram (inquit Vitruvius) disponebantur porticus tres: una ex peristylio exeuntibus, duæ vero dextra atque sinistra stadiatæ. Sic autem vocantur porticus, quod in eis ceu tectis stadiis per hiemem cœlo non sereno Athletæ exercerentur: aut spectantibus hominum copiis certarent, non a passuum numero, sicuti milliariæ a Suetonio in Marone, * quas Vopiscus in *Aureliano* Milliarenses vocat. Cæterum, ex duabus stadiatis, una quæ spectabat ad Septentriones, perficiebatur duplex amplissima latitudine: altera simplex ita fiebat, ut in partibus quæ erant circa parietes & ad columnas, margines haberent uti semitas, non minus pedum denum, mediumque excavatum, ut viri gradus essent in descensu sesquipedali a marginibus ad planitiem: planities vero erat in minus lata pedum duodecim. Ita qui vestiti ambulabant circum in marginibus, non impediebantur ab cunctis se exercentibus. Hæc porticus ξυστὸς apud Græcos vocitabatur, quod Athletæ per hyberna tempora in tectis stadiis exercerentur. Proxime Xystum & duplicem porticum designabantur Hypæthra ambulationes, quas Græci περιδρομίδας, vel (ut meliores codices [1] habent) παραδρομίδας, nostri Xysta appellant. At cum Xystus & Xystum apud Græcos idem significent, apud Latinos tamen nonnihil habent discriminis: nam Xystos vocant porticus tectas, ubi Athletæ per hyemem exercebantur: Xysta autem subdiales ambulationes, ubi sudo cœlo suas exercebant palæstras, has Græci παραδρομίδας appellabant. In his ergo per hyemem ex tectis porticibus sereno cœlo Athletæ prodeuntes deambulabant, aut alioqui exercebantur. Sic vero Xysta parabantur, ut essent inter duas porticus sylvæ aut platanones, id est, loca platanis consita seu plataneta. Nam Plinius libro duodecimo refert platanos Athenis fuisse celebratas in ambulatione Academiæ. Phocion vero Grammaticus auctor est, πλατανίστας Græcos appellasse loca spatiosa lateque patentia, a platani foliorum amplitudine. Nec solum ex platanis, sed ex quibuscunque aliis perpetuo virentibus fiebant inter ipsas porticus arboreta, vel in quincuncem digesta, vel ad lineam ducta, ut ex lauro, cypresso, palma, myrto, piro, sabina, junipera, cedro, tamarice, buxo, oliva, aquifolia, & similibus, quæ perpetuo folio virentia jucundiorem umbram iis locis præbebant, suavemque odorem cum Athletis, tum spectatoribus fundebant. In his sylvis & arboretis perficiebantur ambulationes & Hypæthræ, quas (ut prædixi) παραδρομίδας Græci vocabant: nos subdiales & detectas nominare possumus. In iisdem hortuli, voluptatis gratia, componebantur, & opera topiaria in varias animalium ac navigiorum effigies graphice construebantur. Vitruvius admonet in arboretis fuisse ex opere signino stationes: id vero interpretor de sedilibus, quæ in hortis variis locis disponebantur, quo ambulatione fessi ceu cubiculo recrearentur. Hæc maxima in detectis illis deambulationibus constituebantur, nec non in hippodromis, id est, locis ad cursus equorum dispositis, quæ intrantium oculis statim simul tota sese offerebant, hinc atque hinc plantis perpetuo virentibus consita. Est vero signinum opus, quod fit ex testis tusis addita calce. Plinius libro trigesimo quinto, capite duodecimo. Aliter etiam fieri docet Vitruvius ad finem libri octavi, Galli *Cimentum* vocant. Cæmentum aliud est, nempe lapis rudis non cæsus, & vulgaris: unde cæmentitia structura, & cæmentitii parietes apud Vitruvium libro secundo capite septimo & decimo. Porro, a Xysto Xystici Athletæ vocati sunt, qui Xystos vel Xysta, id est, porticus illas tectas & subdiales deambulationes frequentabant, in iisque exercebantur; Xystarches vero est qui Xysto præest, Tertulliano *lib. ad Martyres*.

Post Xistum stadium erat ita figuratum, ut possent hominum copiæ cum laxamento Athletas certantes spectare. Hic vero stadium pro curriculo, id est, loco ubi cursores aut Athletæ exercebantur, accipere oportet. Alias stadiorum tria sunt genera apud Censorinum comment. *De die natali*: Italicum est pedum 125. Olympicum pedum 600. & Pythicum pedum 1000. At præter vulgarem significationem etiam usurpatum a Suetonio in *Domitiano*, Martiale libro tertio ad Matronam, Ammiano libro decimosexto, & Lamprid. in *Vario*. * Universam Gymnasiorum structuram absolvisse videor, & Palæstræ, & earum partium quæ extra Palæstram construebantur. Id tantum adjecisse oportet, quod vel ex Luciano [1] colligimus, per totum Gymnasium varie dispositas fuisse statuas, in eorum scilicet Athletarum laudem & memoriam, qui in exercitiis excelluissent. Basibus vero suprastabant, quibus illorum facta & nomina inscribebantur. His juvenum animi ad gloriam accendebantur, fiebantque ad labores sustinendos subeundaque pericula longe alacriores.

CAP. IV.

De Præfectis Gymnasiorum & Pædotribis.

Explicatis utcunque iis quæ ad Gymnasiorum structuram singulasque eorum partes pertinent, jam usum dicere, operæ pretium videri potest. Prius tamen nobis proponendi veniunt exercitiorum (quorum gratia tot impendiis Palæstræ construebantur) Præfecti atque magistri quinam fuerint. Deinceps qui qualesque modi exercitationum tam variarum extiterint. Erant in Gymnasiis, præcipui maximæque auctoritatis Gymnastæ vocati, qui omnium exercitiorum vim atque utilitatem noverant: unde pro diversorum hominum natura seu conditione hæc vel illa præscribebant. Neque vero tantum varia exercitationum genera variis imperare solebant, quinetiam plerunque exercentibus sese (ex præscripto) juvenibus adstare, tum ut rectene fieret exercitium animadverterent, tum ut hortarentur qui generosiores, vel robustiores, aut agiliores essent. Sic enim accensus juvenum animus, ad labores æquius & alacrius suscipiendos promptior evadit. Iidem Gymnasiarchæ, id est, exercitiorum principes dicebantur: & (qui Principum vestitus erat) purpurati incedebant. Id ex Luciani verbis [2] colligere licet, ubi Anacharsis in eos stomachatur qui pancratio decertantes sese paulo atrocius cædebant, haud aliter quam hostes fuissent. Sed ne præses quidem ille, inquit, inter eos pacem componit, ac pugnam inducta concordia disposuit: (etenim purpura conjecturam facio, hunc esse unum ex illis principem) quin animose quoque cohortatur & laudat eum, qui alteri incussa in faciem palma plagam intulit. Porro Gymnastis sive Gymnasiarchis ejusmodi subditi ac inferiores erant Pædotribæ: quorum partes erant, pueros & adolescentes exercitiis instituere, atque varia exercitiorum genera docere: παιδοτρίβειν siqui-

1 Apud Vitruv. lib. 5. c. 11. & lib. 6. c. 10. legimus, περιδρομίδας.
* Rep. *Nerone*, in *ejus Vita* cap. 31.

1 In Dial. de Gzmnasiis. 2 Ibidem.
* Sive *Heliogabalo*, quo nomine notior est.

dem ad verbum sonat *pueros exercere*. Eorum alii unicum, alii duos, tres, aut plures exercitationum modos callebant, & in lucta, vel cursu, vel disci jactu, aut alio exercitio excellebant; multi quoque in sua quisque professione aliquid excogitabant, quod excellentius videretur. Hos, si placet, Magistris particularibus (quos Galli *Regentes* appellant) in litterariis Gymnasiis compares. Eorum siquidem alii Grammatices partem hanc, alii aliam, hi Rhetoricen, illi Poeticen explicant, & in iis sunt exercitatiores. Alii sunt qui Dialecticen doceant, alii qui Physicen & Metaphysicen prælegant, idque in diversis classibus (ut vocant) & pueris sibi ad erudiendum creditis. Omnibus vero istis Collegii totius Principalis nuncupatus præficitur, quem omnium in universum peritiam habere decet: ex ejus nutu reliqui omnes pendent, atque is est qui pueros his vel illis præceptoribus erudiendos subjicit ut optime novit quid cuique sit opus, quum tamen ipse raro doceat; hunc merito ac proprie Gymnasiarcham, uti illos Pædotribas nuncupare possumus. Nam ut in Collegiis Parisiorum ex Grammaticis præceptoribus hic primus appellatur, alter secundus, ille tertius, sicque deinceps ad decimum usque, & ultra; & ex Philosophis hic Dialecticus, ille Physicus, alius Metaphysicus; sic Pædotribarum variæ fuerunt appellationes, a variis exercitationibus quas peculiariter profitebantur & docebant; hinc dicti Pancratiastæ, Luctatores, Pugiles, Palæstritæ, Discoboli, Cursores, Saltatores, Hoplomachici, Acrochiristæ, Sphæristici, & aliis multis nominibus, quæ eorum officia ac munera in Gymnasiis denotarent, de quibus nos suo loco fusius tractabimus. Cæterum, unius & ejusdem generis exercitationum, ut luctæ, pancratii, &c. non unicus, sed plures Magistri seu Pædotribæ in Palæstris reperiebantur; quemadmodum in civitate una multi sunt ejusdem artis opifices, ut sutores, calceolarii, fabri, latomi, &c. Neque unus tantum Gymnastes illis præerat, si bene conjicio, sed in eodem Gymnasio plures exercitiorum Doctores purpurati sedebant, qui adolescentibus suæ curæ demandatis bonam habitudinem, firmamque sanitatem, atque adeo validum robur conciliarent. Hi vero ex Pædotribis luctatoribus, vel pugilibus, aut aliis Magistrum sibi adsciscebant, & quomodo hunc atque illum puerum exercerent, quandiu, & quo tempore, præscribebant. Sic plures in eadem civitate Medici sanandorum hominum curæ præsunt: ad hos vero singulos ægri divertunt, ut concepta opinione quisque magis placet. Ex artificibus quoque Medico subditis ac inservientibus, nimirum Chirurgis & Pharmacopœis, aliisve quorum opera Medicorum jussa perficiuntur, is deligitur qui suæ artis peritior, aut etiam gratior vel Medico vel ægrotanti est. Gymnastes etenim, qua Gymnastes, ut inquit Galenus, [1] propriæ cujusque artis materiæ omnino ignarus est, sed solum qualitatem atque vires intelligit. Pædotriba vero diversitatem, quæ in materia est, novit quidem, & singulos motus bene exercet: at quæ sit eorum vis, non intelligit. Hinc recte colligit, Pædotribam ita esse Gymnastæ ministrum, ut Medici coquus minister est. Quippe coquus cibos alias alia ratione præparat, nec tamen quod præparavit quam vim obtineat, novit, aut quænam præparandi ratio censenda sit optima. Ast Medicus alimenta ut coquus parare nescit, verum quicquid præparatum est, ejus vires probe callet. Si ergo puerum sibi propositum armis exerceri voluisset Gymnastes, peritissimo τῶν ὁπλομάχων adscito, eum omnes sibi promere actiones jussisset: mox ipse elegisset, statuisset: ac imperasset quibus earum sæpe, quibus raro, quibus mediocriter, quibus aut nunquam aut semper exercitari debuisset. Quippe quem non debebat, quæ quodque membrum exercitatio magis agitet, quæve cujusque exercitationis qualitas facultasve sit. Eodem modo si quem pila exercitare placuisset, hic quoque rursus tum genus, tum qualitatem, tum modum actionis inveniebat, pilæ perito pro ministro adhibito, quo illi omnem ejus generis actionum materiam indicaret. Nam ubi semel inspexerat, non solum qualitatem, sed etiam vim ejus protinus assequebatur. Ex his facile intelligas doctos quidem & litteratos fuisse Gymnastas, ut qui naturæ corporis scientiam, structuramque & exercitiorum ac motuum singulorum facultates optime callerent. Atque de Gymnastica multi habebantur Libri conscripti a præstantioribus Gymnastis, ut Dione, qui de frictionibus & exercitiis multa scripsit, quantum ex Galeni monumentis [1] possumus deprehendere. Quinimo Gymnasticæ artis gloria eo aliquando pervenit, ut jam sibi vi sanitatis tutelam arrogaret, eamque partem Medicinæ surriperet, Gymnastæ siquidem sanitatis conservationem, non modo robur & εὐεξίαν sibi attribuebant, ut Medicis unica morborum curatio relinqueretur, adversus quorum sententiam Galenus librum ad Thrasybulum edidit, cui titulus est, πότερον Ἰατρικῆς ἢ Γυμναστικῆς ἐστὶ τὸ ὑγιεινόν. Pædotribæ vero illitterati & indocti homines solam praxim & artem exercitandi noverant: ubi gladiatores quoque nostri, qui provocandi, feriendique, ac sese defendendi peritiam summa dexteritate exercent: & ex vulgo plerique pilæ exercitii motus omnes elegantissime exprimunt: at quem usum corporis membris adferat hæc vel illa exercitatio, prorsus ignorant.

CAP. V.

Quinam fuerint Athletæ vocati, & qualis eorum victus.

ATHLETARUM nomine Gymnicos omnes intelligit Pollux, id est, quicunque in Gymnasiis exercebantur. Hi vero sunt Παλαισταὶ, Δρομεῖς, Πυκταὶ, Δισκοβόλοι, & Ἁλτικοὶ: hoc est, Luctatores, Cursores, Pugiles, qui discum in sublime jaculantur, & saltu contendentes. Ἄθλος enim proprie est idem quod certamen: unde Athletæ, quasi certatores dicti fuere. Cæterum ex Athletis præstantiores censebantur Luctatores, Græcis dicti Palæstritæ, cum & Palæstra (ædificii totius potissima pars) a lucta nomen haberet, & ad luctam robur ingens corporisque moles insignis requireretur: hinc Βαρεῖς, id est, *graves*, sunt cognominati: quam appellationem, ut omnium honorificentissimam, Pugiles etiam & Pancratiastæ ambiebant. Sic enim Galenus [2] de iis tradit: *Athletæ*, inquit, *alimentis utuntur succi crassi ac viscosi, illi quidem qui inter eos sunt graves: quo nomine Palæstritæ potissimum appellantur, nunc vero & Pancratiastæ, & Pugiles ita vocantur*. Gravitas autem ex corporis maxima mole comparata, Luctatoribus necessaria videbatur, quum id unum curarent, ne facile subverterentur ac prosternerentur: magis enim pondere, quam dexteritate, valebant. Pancratiastæ vero & Pugiles non tanta mole indigebant, multoque minus Saltatores & Cursores. Quinimo Gladiatores, quos agilitate præstare decet, edulio ex fabis parato quotidie plurimum utebantur, ut refert Galenus [3]; quo scilicet corporis habitum carne non densa, nec constricta, cujusmodi est suilla, im-

1 Lib. 2. san. tu.

1 Lib. 2. san. tu. 2 Lib. 1. fac. alim cap. de tritico. 3 L. 1. fac. alim. cap. de fabis.

plerent, sed quodammodo fungosiore: cum enim A flatulentus sit is cibus, etiam corpus levius reddere creditur. Reliqui vero Athletæ, quibus id unum erat propositum, ut ad certamina se compararent, in quibus interdum totum diem aut luctari, aut παγκρατιάζειν cogebantur, idcirco cibo indigebant corruptu, & evaporatu difficili, qualis est qui succum habet crassum & viscosum. Talis potissimum videtur caro suilla, & panes azymi, quibus soli vere Athletæ (hoc est, Luctatores) vescebantur. Suillam inter omnia edulia valentissime nutrire, experientia ab Athletis sumpta docetur, inquit Galenus:[1] si enim æquabilibus exercitiis alterius B cujuspiam escæ parem molem vel uno die assumant, postridie confestim redduntur imbecilliores. De panibus vero ἀζύμοις hæc prodit:[2] *Panes qui fermento omnino carent, nemini prorsus accommodi sunt. Qui vero bellissime assati, nec multum fermenti habent, Athletis accommodi sunt.* Ejusmodi panis κωλίφιον proprie dicebatur, ἀπὸ τῶ κώλω καὶ ἶφι. id est, a robore membrorum, vel ἀπὸ τῶ κόλικος, ut alii volunt, mutato ω in ο: est enim κόλιξ, vel κόλλιξ, panis subcineritius. Coliphii panis meminit Juvenalis, inquiens,

Luctantur paucæ, comedunt Coliphia paucæ. C

Et Plautus,

Coliphia mihi ne incocta detis.

Porro, graves Athletæ a variis ferculis, quorum natura & concoctio dissideret, interdiu sibi cavebant, in prandio solum panem Coliphium devorantes. In cœna vero liberalius genio indulgebant & præcipue carne suilla vescebantur: neque enim solum crasso & viscoso alimento, sed etiam plenissimo victu utebantur, atque se cogebant ad multam comestionem, quam Aristoteles in *Politicis* vo- D cat ἀναγκοφαγίαν, quasi cibi sumendi necessitatem; Galenus[3] vero ἐδωδὴν πρὸς ἀνάγκην, id est, coactam comestionem appellat, dum inquit: *Huic non est coacta comestione opus, aut etiam suillæ carnis copia, aut pane id genus,* (Coliphio scilicet) *quo graves Athletæ utuntur.* Voracitatis maximæ specimen olim dedit Theagenes Thasius Athleta, qui taurum uno pastu vorabat. Solus Milo Crotoniata carnium minas viginti deglutiebat, panis totidem, & vini choas tres persiccabat: sed & in Olympia quadrimum solus per diem absumsit taurum, per stadium antea humeris circumlatum. Hinc, opinor, athleticum victum pro valido & E ad vires firmandas accommodato, Celsus dixit in hanc sententiam: *Si malum inveteravit, athletico victu corpus firmandum est.* Et athletica habitudo pro corpulenta & firma dicitur, quam Aristoteles ἀθλητικὴν ἕξιν vocavit. Inde est etiam quod proverbii loco dicamus, vivere athletice, pugilice, & pancratice, id est, optime atque firmissime. Attamen Galenus[4] in athleticam εὐεξίαν seu bonam habitudinem & corpulentiam passim invehitur, docetque a nullo nunquam vel Medico vel Philosopho probatam fuisse illorum plenitudinem. Euripides in *Autolyco primo* inquit, multa inter Græ- F cos mala versari, athletico tamen genere nil prorsus haberi pejus, ut qui malorum servi sunt ac ventris. Hippocrates γυμναστικὴν εὐεξίαν τὴν ἐπ' ἄκρον, periculosam esse pronunciavit. Nam qui ex Athletis Graves nuncupabantur, quum maxima vi decertarent, ut Luctatores, Pugiles, & Pancratiastæ, sæpius grave malum gravemque offensam reportabant, eorumque exercitia periculi erant plenissima. Unde ex iis multi vel claudi, vel distorti,

1 Lib.3. fac. alim. 2 Lib.1. fac. alim. de tritico. 3 L.3. san. tu. 4 In orat. suas. ad bon. art. lib. ad Thras.

vel fracti, vel oculis orbi, vel omnino muti conspiciebantur, ut Galenus[1] annotat. Quin & nonnulli ab adversariis suffocabantur, aut ictu violento percussi interibant, idque impune fiebat per legem Aquiliam, cujus verba sunt: *Si in colluctatione, vel in pancratio, vel pugiles dum inter se exercentur, alius alium occiderit, siquidem in publico certamine, cessat Aquilia: quia gloriæ causa & virtutis, non injuriæ gratia videtur damnum datum.* Denique violenta nimis fuisse Athletarum exercitia, quæ & præcocem senectutem accerserent, & vires inutiliter frangerent, hoc argumento probat Aristoteles,[3] quod inter eos qui Olympia vicerunt, duo vel tres tantum reperiebantur, qui iidem adolescentes & viri sint victoriam consequuti, propterea quod vis & robur a violentis laboribus iis auferretur. Sed jam de eorum exercitiis particulatim nobis est disserendum,

CAP. VI.

De Exercitationum in Palæstra fieri solitarum generibus.

EXERCITATIONUM ab antiquioribus Græcis fieri solitarum in publicis illis Palæstris, hæ sunt præcipuæ, πάλη, πυγμὴ, παγκράτιον, δρόμος, ἅλμα, δίσκος, σκιαμαχία, χειρονομία, κορυκομαχία, ἀκροχειρισμὸς, ἀλίνδησις, πιτυλισμὸς, ἐκπλεθρισμὸς, ὁπλομαχία, & aliæ, quas nos deinceps sigillatim explicabimus. Earum vero præcipuæ fuerunt quinque, Lucta, Pugilatus, Cursus, Saltus, & Discus, (nam παγκράτιον ex duobus exercitii generibus compositum videtur, ut mox docebimus) quæ uno πεντάθλω vocabulo intelliguntur, a πέντε, quod est *quinque* & ἆθλος *certamen*. Latini a quinque artibus Quinquertium dixere: & Quinquertiones, eos Ludiones qui his quinque artibus certabant, auctore Festo. Græce iidem Πένταθλοι vocitati sunt, de quibus meminit Plinius[4] ubi de Myrone loquitur, qui fecerat Discobolum, Minervam, Pentathlos Delphicos, Pancratiastas. Alexander ab Alex. annotat,[5] senatusconsulto cautum fuisse, ut nisi prædictis quinque ludis pecuniam ludere liceret. Eædem exercitationes fuere illa certamina, quæ in Olympia singulis quinquenniis celebrabantur, de quibus nos suo loco fusius tractabimus: prius enim cujusque ludi seu exercitii formam modumque ob oculos proponere ac explicare videtur operæ pretium.

CAP. VII.

De Lucta.

AB hoc genere exercitii Palæstræ indictum nomen est, ut supra[6] monuimus: vel quod omnium primum in usu fuerit, vel quod majoris dignitatis atque momenti existimaretur. Πάλη Græcis dicitur, unde Palæstra: nisi mavis hoc nomen ἀπὸ τῶ πάλλειν deducere, a motu urnæ videlicet, quia Palæstritæ ducti sorte luctabant: dicuntur enim Palæstritæ, vel Palæstrici, qui in Palestra sese exercent, aut Palæstræ Magistri atque Pædotribæ. Hic Ludus ab Atheniensibus institutus fuisse dicitur, de quo Virgilius,

Pars in gramineis exercet membra palæstris.

Luctantes complexi mutuo se supplantabant, fronteque arietantes concurrebant non secus ac arietes.

1 In lib. de exerc. par. pilæ. 2 ff. fin. in collud. l. qua actione. 3 Lib.8. Pol. c.4. 4 Lib. 34. cap 8. 5 Lib.3. Genial. Dierum. c.21. 6 Cap.5.

Lucta

Lucta vero in cœno & in pulvere fiebat, quæ luctaturis substernebantur, ne in duro casus illis contingeret, sed in loco molliore citra periculum prostrati corruerent. Deinde multa lubrica effugia accidere in cœno sudantibus necesse est; nam luto obscurata unctione ex oleo facta, & largo sudore perfluentes, veluti anguillæ e manibus elabebantur. Quæ res plurimum ad robur & membrorum firmitatem consolidandam confert, quando ad hunc modum luctando alter alterum fortiter apprehendere cogebatur, tametsi crebro elaberentur e manibus: nam tenere perunctum oleo, & sudore perfluentem excidere conantem, & e manibus effluere laborantem, res non est non modica, aut nullius momenti. Porro, arenam plane diversa ratione utilem esse censebant, ne, dum complexibus implicantur, laberentur. Posteaquam in cœno multo exercitio didicerant compescere adversarium quo minus elaberetur e manibus, propter corporis lubricam comprehensionem: etiam ipsi comprehensi, effugiendi rationem multa assuetudine familiarem sibi faciebant, præsertim cum tenerentur medii. Ideoque profundam arenam subjicientes, in fossa mutuo se conturbabant, ipsique ultro spargebant pulverem gallorum in morem, (ut inquit Lucianus) quo minus in complexibus effugerent, arena omnem lubricitatem discludentes, adversariique comprehensionem firmiorem in arido subministrante.

C A P. VIII.

De Pugilatu.

PUGILATUM Latini vocarunt, quem Græci πυγμὴν appellant. Genus est certaminis, quod cæstibus exercebatur, quibus adversarium feriebant. Erat autem cæstus, clava habens pilas plumbeas, loris bubulis appensas: aut certe bubulis pellibus infutas, quod Virgilius [1] innuere videtur, dum sic inquit:

——————— Sic deinde locutus,
In medium geminos immani pondere cæstus
Projecit, quibus acer Eryx in prælia suetus
Ferre manum, duroque intendere brachia tergo.
Obstupuere animi, tantorum ingentia septem
Terga boum, plumbo insuto, ferroque rigebant.

De hoc certaminis genere H)merus etiam multa cecinit Ἰλιάδ. ψ. Et Gulielmus Caulius, affinis meus, in lib quem *de Balneis* Gallico sermone edidit, Pugilatus ichnographiam elegantem expressit. Ceterum Pycte, aut Plectici, Latinis Pugiles dicebantur, a pugna, vel a pugno: nam etiam pugnis decertabant, & cæstibus. Ad certamen accedentes, brachia & manus cestibus illis muniebant. Cicero in *Tuscul.* [2] *Pugiles cæstibus contusi*, inquit, *ne ingemiscunt quidem*. Et iterum: *Pugiles etiam cum feriunt adversarium, in jactandis cæstibus ingemiscunt. Plangebant autem cæstus projicientes, non pusillanimitate, aut doloris vehementia commoti, sed quia vociferatio vires audaciamque adaugebat, fiebatque ictus vehementior.*

C A P. IX.

De Pancratio, ex Lucta & Pugilatu mista Exercitatione.

OMNIUM valentissimum ac robustissimum exercitii genus erat Παγκράτιον, quo manibus pedibusque quasi omni ope, omnibusque (ut dicitur) nervis connixi decertabant, seipsos verberibus mutuis onerantes, & calcitrantes: calcibus enim ac cubitis, non modo pugnis, Pancratiastæ utebantur omnique petendi æmulum prehendendique modo. Hinc Suidas & Phavorinus Παγκρατιαστὴν interpretantur ταῖς χερσὶ καὶ ποσὶ πυκτολαχοῦντα, id est, manibus & pedibus (quasi omni ope connixum) pugnantem. Et Παγκράτιον ex eo dictum videtur, quod advocatis omnibus corporis viribus, omniumque nervorum contentione transigatur, πᾶν enim *omne*, & κράτος *robur* significat. Erant igitur qui Pancratiastas pro Pentathlis intelligi volunt, quasi πάντων κρατοῦντας, id est, omnium quinque prædictorum certaminum victores. In qua opinione fuerunt Hermolaus Barbarus [1], Volaterranus, & eos sequuti, qui Παγκράτιον interpretantur πένταθλον videlicet, πυγμὴν, δρόμον, ἅλμα, δίσκον, & πάλην. Sed eam opinionem docte refellit Budæus [2], Suidæ, Plinii, & Gellii auctoritate. Non tamen simplex omnino exercitii genus erat Παγκράτιον, sed ex lucta & pugilatu mistum: nam quum Pugil alius, & alius Luctator esset, eos qui Luctatores simul & Pugiles forent, Pancratiastas nuncupabant, ut annotat Alexander ab Alexandro [3]. Id confirmat Nicephorus Gregoras, Interpres Synesii in libellum *de Insomniis*, ubi ait Olympica certamina quinque fuisse, Pugilatum, Luctam, Cursum, Jaculum, & Discum: cæterum Παγκράτιον diversum quippiam erat, inquit: σύνθετον γὰρ ἐκ πυγμῆς καὶ πάλης ἦν, *compositum enim ex pugilatu & lucta erat*. Plutarchus [4] quoque Pancration ex pugilatu & lucta mistum fuisse testatur. Aristoteles [5] idem confirmat, in hanc sententiam: Ὁ δὲ δυνάμενος θλίβειν καὶ κατέχειν, παλαιστικός· ὁ δὲ ὦσαι τῇ πληγῇ, πληκτικός· ὁ δὲ ἀμφοτέροις τούτοις, παγκρατιαστικός· ὁ δὲ πᾶσι τούτοις, πένταθλος. *Qui premere ac retinere potest, Luctator est: qui vero pulsando plagisve inferendis propulsare, Pycticus seu Pugil: qui horum utrisque valet, Pancratiasticus: qui omnibus iis, Pentathlus*. In arena exercebatur Pancration, non aliter quam lucta: unde illud apud Lucianum: *Erecto corpore stabant, & pulveribus pleni semet verberibus mutuis onerabant, calcitrabant, aliusque alium præfocare videbatur.*

C A P. X.

De Cursu, & Ecplethrismo.

ΔΡΟΜΕΙΣ, id est, Cursores Athletæ, reliquos omnes celeritate antecedebant. Hi longum spatium ocyssime percurrebant, atque tanto robore valebant, ut currendo propulsare & retinere adversarium possent. Fiebat vero cursus in loco minime solido, sed profunda arena, ubi nulla firmitate planta figi poterat vel sustentari, neque suffulciri promptum erat, cedentibus subinde ad singulos passus pedibus, ut Lucianus ait. Cursorum pars Stadiodromi vocati, stadium percurrebant, unde talem sortiti sunt nuncupationem: vel ex eo quod in Stadio (loco post Xystum constructo) currerent. Pars Diaulodromi dicti, cum ad metam pervenerant, flectentes eo rursus recurrebant unde cursum inierant: Diaulus enim dicitur ejusmodi circumactus curriculi, id est, curriculum duplum. Erant & Dolichodromi, qui sexies (ut nonnulli putant) stadium curriculo obibant. Dolichus certe longissimus Cursus habebatur. Δόλιχος accentu notato in prima syllaba,

1 Lib. 5. Æneid. 2 Lib. 2.

1 Lib. 33. Emendationum. 2 I.1 l qua acti one. ff. de leg. Aquilia. 3 Lib. 3. cap. 9. 4 Sympos. 2. 5 Lib. 1. Rethor. cap. 5.

nomen est cursus, teste Phavorino: nec aliud denotat, nisi 24. stadia, quæ propemodum faciunt miliare Germanicum. Sunt qui velint, Dolichum esse cursum longum sæpiusque repetitum, quod *δολιχὸν* per se Græcis idem sit quod *μακρὸν ἢ πολύ*. Linacer apud Galenum [1] *δολιχὸν* vertit, *continuatum diu cursum*. Galeni verba sunt: *ὅσα δὲ ἀσθενέστερα τῶν γυμνασίων ἐστίν, ἄνευ τοῦ διαναπαύεσθαι γίνεται μᾶλλον, ὥσπερ δολιχός τε καὶ αἱ ὁδοιπορίαι*: id est, ut interpretatur Linacer, *quæ remissiores sunt exercitationes, eæ sine interposita quiete magis fiunt, veluti continuatus diu cursus, quem Græci vocant, & iter facere*. Huc pertinere videtur *καὶ τὸ ἐκπλεθρίζειν*. Id enim est, uti Galenus [2] explicat, cum in plethro, hoc est, stadii sexta parte, qui prorsum retrorsumque vicissim, idque sæpius in utranque partem, sine flexu cursitans, unoquoque cursu breve quiddam de spatio demit, quoad denique in unico gressu constiterit. Πλέθρον (auctore Phavorino) centum pedes habet, seu cubitos sexaginta & octo: nam stadium, cujus sexta pars est plethrum, pedes sexcentos obtinet, seu cubitos quadringentos.

CAP. XI.

De Saltu & Halteribus.

Qui halmate, id est, saltu, certabant, ii Halteribus utebantur: sic enim vocabant plumbeas pilas seu massulas, quibus utraque manu se librabant, ut certius assilirent. Sunt qui existiment fuisse massulas aut globos plumbeos in circuli formam, qui dimidio longior quam latior esset. Iis vero inerant fibulæ, quæ manus facile exciperent, ut in nostris clypeis: alii massas & moles quasdam lapideas plumbeasve, aut ex aliis metallis conflatas, pro Halteribus describunt, ita quidem efformatas, ut manuum digitis insertis commode attolli possent: non dissimiles fortitan iis quibus hodie ponderum loco utimur. Injuste nonnullis taxatur Budæus, quod in suis *in Pandectas Commentariis* asserat, eos esse Halteribus u[...] qui saltu certabant. Nam eorum duplicem usum fuisse invenio: alterum quem his verbis describit Galenus [3]: *Sunt qui depositis ante se Halteribus, intervallo, quantum inter manus expansas est, distantibus, postea medii ipsi stantes inclinant se, atque attollunt*, &c. Alter fuit saltantibus, qui Halteras in Gymnasio circumferentes saliebant, ut Phavorinus testatur, qui ex Methodii sententia ita scribit: *Halter, inquit, est moles quædam, qua usi sunt qui in Gymnasiis corpora exercebant*. Dictus autem ab *ἅλλομαι*, quod *salio* significat. Gestantes enim ipsum, & circumferentes, in Gymnasio, saltabant. Quem secundum usum Galenus quoque videtur innuere, dum paulo ante citatis verbis ista proponit: assidue se inclinare, ac rursus revocare, idque aut pondus aliquod a terra tollentem, aut assidue in manibus sustinentem. Sed omnium manifestissime Lucianus id declarat, dum ait: *Fossam aut aliud impedimentum transilituri, grandia plumbi pondera habebant in manibus*. Fossam vero frequentius (opinor) quam aliud transilire studebant, pro militari exercitio. Locus, ex quo Saltatores prodibant, *βάπτιρα* * dicebatur; mensura vero *κανὼν*; & saltus ipse *ἐσκαμμένα*. Porro, minime absurdum videri debet, quod initio hujus cap. annotavimus, saltatores pilis aut massulis plumbeis usos fuisse, ut certius assilirent: nam experientia id quotidie probat, lapidibus manu contentis melius saltari: ejus rei causam esse putant, quod impetus in lapides cum brachiis commotis impressus, una moveat rapiatque saltantem. Eadem certe ratione saltaturi præcurrunt, ut ab inchoato impetu levius ferantur. Sic non tam laboriosum est cum lapide, quam inanem jactasse manum: *quia* (ut scribit Aristoteles [1]) *inani jactura brachium quasi convellitur vehementius: nulla enim in re nititur, quemadmodum cum mittit missili obdito fulcire se potest*. Huic simile est quod observant in chorda balistæ relaxanda: scilicet eam multum labefactari, si absque sagitta remittatur. Hinc ergo manifestum fit, (quod etiam Aristoteles citatis verbis subjungit) eum ulterius prosilire, qui Halteres in manibus tenet, quam qui non tenet: & velocius currere manus obquatientem, quam non obquatientem: nam saltans pondusculis susceptis innititur, ait, & qui currit, manus obquatiens se sustentat. Quæ verba etiam obiter nos admonent, Halteras fuisse parvos, atque in saltu usitatissimos. De Halteribus sic habet Martialis in Epigrammatis [2]:

Quid pereunt stulto fortes Haltere lacerti?
Exercet melius vinea fossa viros.

CAP. XII.

De disci jactu.

ΔΙΣΚΕΥΕΙΝ, teste Phavorino, est *τὸ λίθον ἀφιέναι καὶ ῥίπτειν*, id est, *lapidem jacere*. Dictum enim videtur *ἀπὸ τοῦ δικεῖν, ὅ ἐστιν ἀφιέναι καὶ βάλλειν*: deinde per pleonasmum *σ* addito, fit *δισκεύειν*. Sunt autem *δίσκοι, λίθοι στρογγύλοι, οὓς χειριζόμενοι ἔρριπτον εἰς μῆκος οἱ γυμναζόμενοι*, id est, *rotundi lapides, quos qui exercebantur accipientes in longum projiciebant*. In altum quoque mittebatur discus, & quo quisque robustior erat, eo ab altiori loco descendentem manibus excipiebat. Globus erat lapideus, vel æneus, ferreus, plumbeusve, in medio pertusus, quem per ejus foramen trajecto fune librabant juvenes: atque sic illius jactu inter se certabant, ut fortior judicaretur qui ut alius in sublime, aut longius in tractu ultra designatum spatium projecisset. De disco Martialis in Epigrammatis ita scribit lib. 14. epigr. 164.

Splendida cum volitent Spartani pondera disci,
Ite procul pueri: sit semel ille nocens.

Aliud disci genus videtur Lucianus describere, dum ait: Globus erat æneus & teres, in parvi scuti figuram formatus, neque lorum neque balteum habens, gravis & ob lævitatem comprehensu difficilis. Hunc sursum manu exortum jaculabantur in aerem, inque longum, contendentes quinam eundem quam longissime jactu promoveret, aliorumque metas excederet: quæ res illorum humores firmiores reddebat, & brachia non mediocriter corroborabat. Ejusmodi exercitio nostri etiam hodie contendunt: nempe junctis simul pedibus stantes, lapidem justi ponderis sibi proponunt jaculandum, quem unica manu arreptum, nihil cunctati, quam longissime pro suis viribus projiciunt. Neque vero solum disco jaciendo olim contendebant, sed etiam (quod huc referri debet) hasta in longum emittenda, & variis missilibus. Et hunc quoque exercendi modum nostri retinent.

CAP. XIII.

De exercitio quod πιτυλίζειν vocabant.

Hucusque præcipuas & celebriores Exercitationum species explicavimus: aliæ supersunt quæ

1 Lib. 2. san. tu. 2 Lib. 3. san. tu. 3 Lib. 2. san. tu.
* Rep. *βατήρ*.

1 Probl. 8. lib. 5. 2 Lib. 14. epigr. 49. 3 Lib. 2. san. tu.

in minori pretio habebantur, veluti τὸ πιτυλίζειν, quod Galenus [1] interpretatur, quum quispiam summis pedibus ingrediens, tensas in sublime manus, hanc antrorsum, illam retrorsum, celerrime movebat. Alii dicunt, alteram manum ante & ad superiora, alteram retro & ad inferiora continuo agitare, esse πιτυλίζειν. At Galeno, ut Auctori Græco, eoque diligentissimo, credendum magis arbitror, qui manus ambas in sublime tensas habuisse significat. Cæterum, hoc potissimum exercitii genere ad parietem stantes exercebantur, ut sicubi aberrarent & lapsarentur, apprehenso mox pariete facile resurgerent. Atque ita exercitantium lapsus fallebatur, ipsaque exercitatio fiebat imbecillior. Juvenalis in *Satyris* pitysma nominat, inquiens [2],

Qui Lacedæmonium pitysmate lubricat orbem.

Quem versum emendat Ang. Politianus in *Miscellaneis* [3], putatque legendum esse Pitylisma, quod exercitationem esse dicit, a Galeno explicatam libro secundo ὑγιεινῶν: quamvis apud eum, inquit, verbum sit potius, τὸ πιτυλίζειν, quam nomen πιτύλισμα. Porro Lacedæmonium orbem acceperim, ut in quo solerent ad eum modum exerceri. Eos itaque Poeta potissimum significat, qui diem totum in Laconicis Gymnasiisque contererent uncti undique. Quare etiam *lubricat* ait, propter oleum & unguen, quo defricti exercebantur. Hæc Politianus, qui alio in loco aliud sentire videtur: nam in *Epistolis*, ita scribit [4]: Pitysma cum dicit Juvenalis, illos innuit, qui conceptos ore aqua rum haustus per Laconicum spargunt: verbum enim ipsum διαπιτύζειν etiam apud Alexandrinum Clementem, qui Stromateus dictus, invenitur. Ab hoc Terentianum quoque illud *pitissare* formatum crediderim. Ad pitylisma proxime videntur accedere Chironomia, & alii quidam saltationum modi, qui ad hanc Tractationem de Gymnasiis proprie non pertinent, quod Scenicorum, non Gymnicorum essent: attamen rei similitudine motus, de iis obiter pertractare commodum ac jucundum fore putavi.

CAP. XIV.

De Cheironomia, & variis Saltationum generibus.

THEATRICORUM artificum alii erant Gymnici, alii Scenici apud antiquos tum Græcos, tum Romanos. Et Gymnici quidem vocabantur, quicunque in Gymnasiis exercitia diversa excolebant: hi nudi sese exercentes populo spectaculum dabant: de quibus hactenus multa diximus, multa dicenda supersunt. Scenici vero appellabantur, qui scenicos agonas exercebant, Comœdi scilicet atque Tragœdi, hoc est, fabularum actores, mimi, pantomimi, archimimi, ethologi, ethopœi, omnes uno nomine Hypocritæ, id est, alienæ personæ simulatores, dicti: Latine histriones, ludiones, aut ludii nuncupabantur. Inter Scenicos etiam sunt thymelici, saltatores, & cheironomi; Thymelici dicuntur citharœdi, citharistæ, psaltæ, lyristæ, tibicines. Saltationis vero antiquæ species tres fuerunt, Pyrrhica, chordax, & sicinnis. Pyrrhica (quæ & Enoplia quibusdam dicitur, hoc est, armata) * Pyrrhicharii vel Purrhicharii vocati fuere: atque hi Græcis Pyrrhichistæ [5], id est, saltatores armati, dicebantur. Cordax saltatio erat obscœna & comica. Sicinnis alio nomine Satyrica saltatio dicebatur. Erat & alia Emmelia vocata, id est, pacata: de quibus omnibus abunde scripsit Lucianus [1]. Ad Cheironomos tandem devenimus, qui erant gesticulatores. Cheironomia siquidem saltatio fuit gesticulatrix, qualis est hodie quam Mauricam (vulgo *Moriscam*) vocamus: sic dicta a varia & versatili manuum gesticulatione: χειρονομία enim est manuum gestus & gesticulatio, ἀπὸ τοῦ χειρονομεῖν, quod manus certa lege motitare significat. Testis est Phavorinus inquiens: χειρονομεῖν κυρίως ἐστὶν, τὸ νωμᾶν διὰ χειρῶν. Hinc etiam χειρονόμος histrio, gestu & manuum motu subsultans. Ejusmodi saltationem Hispanæ mulieres in suis choreis imitari videntur, cum digitorum ad pollicem allisione obstrepunt. Cheironomiæ a nobis descriptæ meminisse putamus Hippoc. ut ait: ἀκροχειρίη ἰσχναίνει καὶ τὰς σάρκας ἕλκει ἄνω· ἡ κωρυκομαχίη καὶ χειρονομίη τὰ παραπλήσια διαπρήσσεται αἰεί. Alia fuit Cheironomia, a Cicerone Palæstra dicta, quæ manuum gestum instituit: ea præceptores & pædotribæ ingenuos pueros motus gestusque corporis docebant, ne status corporis indecorus, aut manus & brachia inepte proferrentur; & ne caput & oculi ab aliis corporis partibus dissiderent, pedesque apposite moverentur. Horum ignaros, Apalæstritas vocabant. Ea gestuum industria Persas generosæ indolis pueros exercuisse plurimum, & eorum corpora quasi formasse, Xenophon auctor est in *Cyropædia* & *Repub. Persarum*. Sed neque Cicero hanc gestuum & pronunciationis solertiam ab Æsopo & suo Roscio Tragœdis discere erubuit: de qua Quintilianus lib. nono [2] satis multa. Porro, saltationis species quædam esse videtur, quam Galenus [3] describit, prævegetum certe & ocyssimum motum: nam maxime saliebant, ac celerrime circumacti vertebantur: & genu prius posito, seu flectentes genua ad terram, iterum surgebant, ac emicabant, & crura tum attrahebant, tum maxime divaricabant.

CAP. XV.

De Acrocheirismo.

PHAVORINUS ἀκροχειρίζεσθαι interpretatur, τὸ πυκτεύειν ἢ παγκρατιάζειν πρὸς ἕτερον ἄνευ συμπλοκῆς· ἢ ὅλως ἄκραις ταῖς χερσὶ μετ' ἄλλου γυμνάζεσθαι, id est, *cum altero pugnare aut certare citra complexum: aut omnino cum alio summis manibus exerceri*. Erant ergo Acrochiristæ Athletæ, qui summis tantum manibus inter se depugnabant, nullo reliqui corporis complexu hærentes, ut Palæstritæ. Summa enim manus Græcis dicitur ἀκρόχειρον: nam Veteribus & Hippocrati universum membrum a scapulis ad extremos digitorum ungues χεὶρ vocabatur. Acrocheirismo uti olim solitos fuisse Gallos, testatur Possidonius [4], ubi inquit, Κελτοὶ ἐνίοτε παρὰ τὸ δεῖπνον μονομαχοῦσιν· ἐν γὰρ τοῖς ὅπλοις ἀγερθέντες σκιαμαχοῦσι, καὶ πρὸς ἀλλήλους ἀκροχειρίζονται, quod est: *Celtæ Galli aliquando a cœna singulare certamen committunt: aut inarmati umbratili pugna congrediuntur, & invicem summis tantum manibus concertant*. Quæ Possidonii verba refert Athenæus in *Deipnosoph* [5]. Porro ex his conjicio, Acrochirismum nihil aliud esse, quam fictam illam nostris usitatissimam *Squermiam*, (sic enim σκιαμαχίαν interpretor) quæ pro gladiis summas manus exercet: nam Galenus [6] etiam hæc duo conjungere solet, veluti res affines, ut dum celeres & non violentas exercitationes explicat. *Id genus sunt* (ait) *cursus, & σκιαμαχία*, id est, *umbratilis armorum meditatio, & quum duo summis manibus concertant, ἀκροχειρισμὸς Græci vocant.*

1 Lib. 2. san. tu. 2 Sat. 11. 3 Cap. 38. 4 Lib. 11. epist. 6. 5 In l. aut damnum de pœnis.
* Hic aliquid desideratur.

1 In dial. de Saltatione. 2 Cap. 12. 3 Lib. 2. san. tu. 4 Histor. lib. 23. 5 Lib. 4. 6 Lib. 2. san. tu.

Et paulo post: *Itatio & cursus, crurum exercitationes sunt: Acrocheirismi & Sciamachiæ, brachiorum ac manuum propria*.

CAP. XVI.

De Sciamachia.

ΣΚΙΑΜΑΧΙΑ est umbratilis pugna: sic dicta, quia quasi cum umbra sua, id est, nullo adversario, decertatur; vel quia hujusmodi pugnæ simulachra & specimina sub tecto fieri solita sunt, non ut vera pugna fiebat in Sole & pulvere. Budæus *Comment. in Pandectas* [1] existimat talem fuisse olim Sciamachiam, qualis hodie Lanistarum, qui digladiandi artem profitentur. Quippe omnes numeros impetendi cædendique, vulnera inferendi vitandique, egregie tenere videntur, aut etiam ubi punctim cæsimque feriendum: ut si quando in Solem pulveremque prodeundum sit, id est, ab illa prolusione ad verum vulnificumque discrimen veniendum, tutentur se melius, & hostes invadant cautius. Hanc opinionem sequutus Cælius Rhodiginus [2] autumat Sciamachiam hodie luxato vocabulo dici *Scrimiam*. Verum si vocabuli significationem accuratius expendamus, σκιαμαχεῖν idem erit quod umbratili pugna uti: quod ii certe faciunt, qui (ut prædixi) secum ipsi pugnam meditantes, nemine repugnante decertant. Quod multi præstare videntur, quasi adesset illis adversarius. Atque hanc interpretationem ego lubentius amplector, quum nostri Lanistæ non adversus umbram, sed propositum adversarium sese exerceant, etsi pugna minime seria haberi debeat. Qualis vero sit nostrorum Lanistarum certatio, & quo nomine potissimum vocanda sit, nos proxime sequenti capite docebimus; eam enim τῆς ὁπλομαχίας speciem esse existimo, quum armis obeatur, licet retusæ aciei proponantur gladii.

CAP. XVII.

De Hoplomachia.

ΟΠΛΟΜΑΧΕΙΝ est armis pugnare, atque sub armis exerceri: hinc ὁπλομαχία, dimicatio aut exercitatio in armis: & ὁπλομαχικός, qui armis militaribus & scuto pugnat. Eum esse proprie existimo, quem Gladiatorem seu Lanistam vocamus: Gladiatores enim armis decertant, tales vero generaliter dicuntur omnes qui gladiis pugnant, vel discendi gratia, prius quam in certamen producantur. Olim apud Romanos fuerunt Gladiatores abjecti homines, ut servi, scelerati, & similes, quos educabant aut locabant ad dimicandum coram populo usque ad internecionem. Eo spectaculo Romani cives assuescebant, negligere sanguinis effusionem, vulnera, & homicidia; ut minime stuperent deinceps, vel animo consternarentur, cum in vero ac hostili conflictu viderent aliquot ex suis vel sauciatos, vel occisos. Sunt tamen qui putent hujusmodi spectacula potius fuisse exhibita in memoriam virorum illustrium, qui præliando occubuerant. Nam Junius Brutus omnium primus tales ludos in patris honorem exhibuit. Nonnunquam visi sunt nobiles quoque & illustres viri Romani Gladiatoriam exercere, (præsertim Neronis & Domitiani temporibus, ut Suetonius refert) ad roboris & dexteritatis ostentationem. Verum hoc certaminis genus a Constantino tandem vetitum fuit, ceu inhumanitatis atrocitatisque plenissimum. Porro, ex Gladiatoribus aliqui dicebantur Retiarii, qui scilicet adversus Mirmillones pugnabant. Illi a reti, quod sub scuto gerebant ut Mirmillonem involverent, nuncupationem acceperant. Mirmillones vero appellabantur, qui genere quodam Gallicæ armaturæ utebantur, quod mirmillonium vocabant, unde Galli antea Mirmillonei nominabantur, in quorum galeis erat piscis effigies. Est igitur (ut rem istam absolvamus) ὁπλομαχία, in universum omnis pugna quæ armis perficitur. Improprie vero a quibusdam sumitur pro quovis exercitio armis comparato; ut si quis gravi armatura tectus celeriter agitetur, currat, aut saltet. Dimicationes etenim hic nullæ sunt, neque aliud quam pondere gravant arma. Hoplomachiam puto significasse Cornelium Celsum [1], dum ait: *Commode vero exercent clara lectio, arma*, &c.

1 L. athletas, de iis qui not. inf. 2 Cap. 6. lib. 11.

CAP. XVIII.

De Corycomachia.

CORYCIDIUM, ut testis est Hesychius, fuit olim concavum ex pellibus scutum vel involucrum, quod sagittantes sinistro cubito apponebant. Corycos vero dicebatur panaria cistula, aut vasculum utri vel folli simillimum, ex pellibus consutum. Fuisse quoque naviculam & lanceam, plerique testantur. Significat etiam follem magnum, quo in Corycino balnei ædificio colludebant ceu pila. Id quod vel Galeni [2] verba satis docent, ubi celeres & non violentas exercitationes recensens, ait: Superest ut de exercitiis dicamus, quæ celeritate peraguntur, citraque robur & violentiam. Id genus sunt cursus, & umbratilis armorum meditatio, & ἀκροχειρισμός, tum quæ per Corycum & pilam exercitatio fit, utique quum a distantibus & currentibus administratur. Corycus Latine Follis dicitur, pilæ genus ex pelle compositæ & inflatæ: Veteres enim follem seu folliculum utrem nominabant, qui nihil aliud est quam pellis flatu plena. Significat etiam instrumentum, quo ventus attrahitur & emittitur ad ignem excitandum. Corycus igitur, sive follis, pilæ genus fuit, crassissimæ quidem, sed non admodum gravis: propterea minus fatigabantur ea ludentes, quod agitata lentius ferretur, resiliret magis tardiusque descenderet, quasi de industria ludentem exspectans. Ob id senibus & pueris, ætatis ratione imbecillioribus, aptior pila videbatur. Unde illud Martialis [3].

Ite procul juvenes: mitis mihi convenit ætas,
Folle decet pueros ludere, folle senes.

Suetonius in *Augusto* separavit pilam a folliculo, quum pila sit illa pusilla: folliculus vero (a folle diminutivum) alia vento intumescens. *Post bella civilia*, inquit, *ad pilam primo folliculumque transiit*. Atque eo ludi genere delectatum olim fuisse Cæsarem Augustum Octavium narrat, cujus de gloria priscis temporibus publice quoque certatum constat. Porro, quia follis pugno percutiebatur, non palma ut reti quæ pilæ, follem pugillatorium cognominarunt. Hinc est apud Plautum:

—— extemplo hercle ego te follem pugillatorium
Faciam, & pendentem incursabo pugnis, perjurissime.

De quibus verbis colligere possumus, ex filo pendente folliculo seu folle usos fuisse antiquiores, ac proinde genus ludi visum remissius ignaviusque: nam si, ut hodie fit, valde inflato folle lusissent, vehementiorem exercitationem senes & pueri, quam juvenes habuissent. Pila siquidem nostra inflata robustissimos quosque supra modum exercet. Nisi ve-

1 Lib. 1. cap. 4. 2 Lib. 2. san. tu. 3 Lib. 14. epigr. 47.

lis Plautum follem suspensum dixisse, qui diu in aere ictuum vi pendet, nec in terram decidit: ut percussionem frequentem denotet. Atqui si hoc modo interpreteris, non poterit follis noster cum antiquo illo convenire, ob prædictam rationem. Cælius Rhodiginus Corycum a Folle differre putat, idque Galeni testimonio citato, ubi inquit: *Tum coryco, folle, pila, vel per balteres corpus fatigare*, &c. Sed Rhodiginum fefellit Interpres: in Græco enim codice tantum est, διὰ κορύκυ ἢ διὰ σφαίρας, quod est, *folle & pila*: nam follis apud Latinos, ut prædixi, idem est quod Græcis Corycus.

CAP. XIX.

De Sphæromachia.

PILA instrumentum est lusorium, rotundum ad sphæræ similitudinem; quo ludo graves etiam magnique viri delectati sunt. Scævola enim optime lusit, atque ad hoc diverticulum animum forensibus negotiis fatigatum transferre solitus fuit. Et Augustus post civilia bella exercitationibus campestribus, equorumque & armorum dimissis, ad pilam se transtulit. Idem permulti alii fecerunt. Ἀπὸ τῆς σφαίρας Sphæromachia ludus ipse vocatus est. Sunt qui etiam locum ipsum Gymnasii, in quo Juventus exerceri consueverat, Sphæromachiam fuisse nominatum sentiunt. Plinius in *Epistol.* Sphæristerion vocat, in quo pila trigonali ludebant, qui locus in publicis balneis etiam Trigon a figura dicebatur. Sphæricum appellat Galenus eum, qui pilæ lusu atque exercitio juvenes imbuit. Idem σφαιριστικὸς dicitur. Σφαιριστὴς vero est qui ludit pila, vel peritus pilæ, vel pilaris ludi studiosus. Porro, quatuor pilarum genera fuere. Primum est pila Trigonalis, omnium minima, prædura, firmo pilo plena, a quo Pilam nomen habere putant. Trigonalis vero dicta fuit a Trigone, qui locus erat in thermis triquetra figura (quam Græci τρίγωνον vocant) ad pilæ ejusmodi lusum ædificatus, & parvo calore tepidus servari per hyemem poterat, ne exuti ad ludendum homines statim rigorem conciperent, neve ludendo exerciti minus æstuarent. Mittebatur pila ad unum angulum ita ut utrumque parietem contingeret. Reddebatur vero non minus sinistra quam dextra, miramque corporis agilitatem requirebat. Martialis [1] de loco sic scribit,

Cen lentum ceroma teris, tepidumve trigona.

Idem lib. 12. epigr. 84.

Captavit tepidum dextra lævaque trigonem,
*Imputet acceptas * ut tibi sæpe pilas.*

Idem de pila trigonali lib. 14. epigr. 46.

Si me mobilibus scis expulsare sinistris,
Sum tua: si nescis, rustice, redde pilam.

Et lib. 7. ep. 71.

Sic palmam tibi de Trigone nudo
Unctæ det favor arbiter coronæ,
Nec laudet Polybi magis sinistras.

Ex his colligas, sinistræ magis quam dextræ impulsu eum ludum agi fuisse solitum. Juvenum lusus erat, quo vel maxime exercebantur in cor- A poris motu & agilitate, ut scirent apte pilam jacere atque excipere, & modo incurrere, modo recurrere. Nec solum viri, sed & mulieres pila oblectabantur, ut ex Homero patet. Apud Galenum [1] duplex est σφαῖρα, id est, *pila*, scilicet magna, & parva. Inquit enim ubi exercitationum genera recenset; Tum coryco, id est, folle, & pila vel parva, vel magna. De parva autem Libellum scripsit, in quo docet quam commoda utilisque sit ad exercitationem. In hoc secum dissidet ipse, quod cum ex æquo omnes corporis partes ludo pilæ exerceri in eo Libello demonstrarit, alibi significet pilæ lusu superiora magis exercitari, B ut coryco etiam, quem ibidem vocat magnam pilam. Atqui nostra pila pedes & crura magis quam brachia lassare videtur, quia est assidue discurrendum. Altera pila fuit Paganica, a pagis, hoc est villis, ita vocata, quod pagani ea uterentur. Grossior & laxior erat, plenaque pluma, nec ad lusum tam agilis, quam quæ nec adeo levis est, nec jactata facile resiliebat. Martialis in Epigrammatis [2]:

Hæc quæ difficilis turget Paganica pluma
Folle minus laxa est, & minus arcta pila.

C Quasi diceret, laxior est pila Trigonali, & arctior firmiorque folle. Est autem follis, tertium pilæ genus, de quo nos superiore capite abunde diximus. Quartum est quod Harpastum vocant, sive Sphennidam. Crassior est quam pila Paganica, tenuior quam follis. Ex panno sæpius fiebat, aliquando ex pelle; & lana vel tomento implebatur. Non repercutiebatur, sed cum multi essent ludentes, & in duas partes divisi, ita ut utrique e regione sibi invicem opponerentur, ad suos quisque pilam transmittere conabatur, quam adversarii præripere studebant. Atque magno labore ludebatur: D decidebat sæpe in terram pila, ad quam catervatim currentes se invicem prosternebant. Laboriosum hoc ludi genus grandioribus tantum convenire potest. Patavini studiosi hunc ludendi morem observant toto quadragesimæ tempore, in quodam circo sese exercentes circa vesperam, tympani sonitu eorum animos excitante. Sed pila utuntur inflatili, mediocris magnitudinis. Sphennidam quoque vocari pilam ejusmodi superius admonui: quod nomen est sortita vel ab inventore Sphennida, aut Phenestio, ut vult Clemens Alexandrinus; vel ἀπὸ τῦ φεναχίζειν, quod est *decipere*: in hoc enim E ludo fit, ut cum alteri sæpe ostendant se velle pilam projicere, alteri tamen jaciant ad fallendum adversarium. Ἁρπαςὸν ἀπὸ τῦ ἁρπάζειν, id est, *arripiendo*, vocatum est, quia projectam pilam multi simul conabantur eripere, seque ob eam causam invicem prosternebant. Martialis [3],

Sive harpasta manu pulverulenta rapis.

Idem [4] de harpasto loquens, sic ait:

Hæc rapit Antæi velox in pulvere Draucus,
Grandia qui vano colla labore facit.

F Artemidorus *de interpretatione somniorum*, Harpastum, inquit, & Sphæra, certamen infinitum significant. Sæpe etiam meretricum amorem. Videtur enim sphæra & harpastum meretrix, propterea quod nusquam maneat, sed ad multos prodeat. Ab hujus pilæ similitudine, quicquid rotundum ac sphæricum est, Pilam vocamus, cujus diminutivum est Pilula.

1 Lib. 4. epigr. 19.
* Rectius, *exceptas*.

1 Lib. 6. san. tu. 2 Lib. 14. ep. 45. 3 Lib. 4. ep. 19.
4 Lib. 14. ep. 48.

CAP. XX.

De Alindesi.

ΑΛΙΝΔΗΣΙΣ fuit corporis exercitatio, qua oleo delibuti ſeſe in pulvere volutabant: a verbo ἀλινδέομαι, ἀλινδοῦμαι, id eſt, *involvor* & *verſor*, unde & loca pulverulenta, in quibus equi ſe volutabant, ἀλινδήθρα vocabantur. Exercitii genus denotat Galenus [1], dum inquit: *Celeres motus ſunt, citra tamen violentiam, & qui in palæſtra eduntur* κυλινδουμένων ὀξέως, id eſt, *circumvolutis humi celeriter*, &c. Et Lucianus [2]: *Alii in cœno*, ait, *ſemet immiſcebant, volutabanturque perinde ut ſues*. Hippocrates [3] quoque hujus meminit exercitii, inquiens: ἀλίνδησις παραπλήσια τῇ πάλῃ διαπρήσσεται· ξηραίνει δὲ μᾶλλον διὰ τὴν κόνιν καὶ σαρκῶν ἧσσον.

CAP. XXI.

De aliis multis Exercitationibus, inter quas eſt vociferatio & diſputatio.

CElebriores exercitiorum ſpecies, quæ aliquid artis habent, quæque in Gymnaſiis exerceri ſolebant, hactenus fere recenſuimus. Præter eas infinitæ aliæ excogitabantur, quibus corporis robur comparabant validius, vel has aut illas corporis partes magis exercebant. Pueros jubebant per funem adſcendere, ut robuſtiores evaderent, auctore Galeno. Eſt etiam exercitatio, pedem fixum uni loco & immotum tenere contra adverſarium, ut idem inquit. Pittacus Rex Mitylenæorum rotam pro exercitio verſabat. Alii aquam hauriunt, alii findunt ligna. Milo Crotoniates pomum manu apprehenſum alteri auferendum offerebat, manus ad robur exercens. Alias convellere ſe movereque de loco volenti permittebat: quæ crurum maxime exercitatio eſt. Robur quoque partim exercet & firmat, ſi quis alterum complexus medium, aut ipſe medio comprehenſus, manibus digitiſque pectinatim junctis, aut quem complectitur abſolvere ſe jubeat, aut ipſe ſe a complectente ſolvat. Ita etiam etſi quis alterum qui verſus ipſum ſe inclinet, a latere aggreſſus ilia manibus complexus, ceu onus aliquod ſublatum invicem protendat reducatque, ac magis ſi dum geſtat ipſe nutu renutuque corporis utatur: ſic namque ſpinam univerſam ad robur comparaverit. Æque vero qui pectoribus ex adverſo innixi, magno ſe conatu invicem retrudunt. Etiam qui a cervicibus pendentes, deorſum trahunt, ad robur præparant. Quæ omnia exerceri citra palæſtram aut copioſum pulverem queunt, quocunque conculcato loco erectis ac ſtantibus, uti [4] Galenus refert. Porro litterati homines lectione & vociferatione ac diſputatione ſeſe exercebant in Gymnaſiis. *Commode exercent*, inquit Celſus [5], *clara lectio, arma, pila, curſus, ambulatio*. Galenus [6] parvæ pilæ exercitationem aliis comparans, eam commodiſſimam eſſe probat, quod minime ſit periculoſa, ut aliæ plurimæ: nam voces magnæ pariter ac vehementes, uno tempore affatim emiſſæ, inquit, maxima detrimenta non paucis attulere. Et in lib. κατ. τόπ. balneorum dulcium aquarum uſum commendat ad vocis organa, Phonaſcorum imitatione, dum inquit [7]: *Et ſane ita faciunt phonaſci, qui magno vocis exercitio utuntur, cum contendendo oblæſerint vocem. Sunt autem hi citharœdi, & præcones, & tragœdiam ac comœdiam perſonati repræſentantes*. Ἀπὸ τῆς φωνῆς, id eſt, *a voce*, dictus eſt φωνασκός, vocis pronunciationiſque magiſter & moderator. Is vocem intorquere, remittere, lenire, & exaſperare docebat. Cura non eadem Oratoribus, quæ Phonaſcis, ait Quintilianus [1]. Et Suetonius de Auguſto: *Pronunciabat dulci & proprio quodam oris ſono, dabatque aſſidue Phonaſco operam*. Vociferatio, qua litteratos ſeſe exercuiſſe prædiximus, Latinis vox aſſa nuncupabatur, cum ſcilicet nullis adjunctis muſicis inſtrumentis canebant. Porro Philoſophos in Gymnaſiis ſolitos fuiſſe diſputare, Vitruvii teſtimonio ſatis probatur, ubi ait: *Cum Ariſtippus Philoſophus Socraticus, naufragio ejectus ad Rhodienſium littus, animadvertiſſet geometrica ſchemata deſcripta, exclamaſſe ad comites ita dicitur: Bene ſperemus, hominum enim veſtigia video. Statimque in oppidum Rhodum contendit, & recta Gymnaſion devenit, ibique de Philoſophia diſputans muneribus eſt donatus*. Idem confirmatur verbis Ciceronis [2], dum conqueritur Philoſophorum auditores delectari magis viſo diſco, quam Philoſopho, qui ſi diſputare inciperet de gravibus arduiſque rebus, ab illis deſerebatur in media oratione, ut ſe ungi curarent. Sed his prætermiſſis, reliquum eſt ut Exercitationum palæſtræ modos abſolvamus, explicemuſque jam quid exercitaturi, & quid exercitati deſiderarent. Magnus ſiquidem fuit cultus corporis ſe in palæſtra exercitantium: quod vel ex Gymnaſiorum ſtructura a nobis ſuperius propoſita facile eſt conjicere.

CAP. XXII.

De unctione & frictione præparatoria.

ALiptæ exercitaturos frictione quadam præparabant ad colluctandum, quæ ex eo Præparatoria vocata fuit, Græcis παρασκευάζουσα. Hæc modice calefaciendo tenues corporis meatus recludebat, & excrementa intercutanea magis fluxilia reddebat, ſolidaſque partes olei unguine emolliebat. De cujus utilitate plura Galenus [3] περὶ ὑγιεινῶν. Quod ad unctionem attinet, ejus non una ratio fuit: ungebantur enim in palæſtris, in balneis, & in conviviis. Omnium primum in Palæſtris ungi cœptum eſt, quod Lacedæmoniorum fuit inventum, ut legimus apud Thucydidem: primi enim Lacedæmonii nudo corpore, & præuncti oleo, exerceri cœperunt; alii poſtmodum terram oleo addiderunt, & ea compoſitio Ceroma fuit nuncupata. Homeri tempore hoſpites in ſolia deſcendebant, lotique oleo ab ancillis ungebantur: id enim ſpectabant, ut quod humoris motu perierat, extrinſeco farciretur. Addebant oleum, laſſitudini & frigori conſulentes: nam ejus natura eſt mollire, tepefacere, & ad agendum reddere vegetiora firmioraque corpora. Ob id certe antiquitus plurimo id uſu fuit oleum exterius appoſitum, ut membra tepore ſuo foveret, & contra algores muniret, & ad agilitatem artus redderet lubricos. Eadem ratione in Palæſtris fuit uſurpatum: ſed ejus uſus neceſſarius tandem ad luxum voluptateſque verſus eſt. Siquidem miſta paulo poſt fuere odorata pro Athletis, ut Plinius [4] refert. Igitur oleo corpora inungebant atque emolliebant, quo habiliora firmioraque redderentur: abſurdum eſt enim, (inquit Lucianus) ſi coria oleo emollita atque peruncta ruptioni minus obnoxia ac diutius duratura exiſtimamus, quæ jam ſunt emortua: corpus autem adhuc vita animatum, nequaquam melius fore uſu olei opinemur. Et Plinius [5], duo ſunt liquores, ait, corporibus humanis gratiſſimi, intus vini, foris olei: arborum e genere ambo præcipui, ſed olei neceſſarius. Huic ſimile eſt Pollionis reſponſum, eodem auctore, qui a divo Auguſto Cæſare rogatus,

1 Lib. 2. ſan. tu. 2 In Dialogo de Gymnaſ. 3 Lib. 2. de diæta. 4 Lib. 2. ſan. tu. 5 Lib. 1. cap. 2. 6 Cap. 5. 7 Lib. 8. cap. 1.

1 Lib. 11. 2 Lib. 2. de Orat. 3 Lib. 2. ſan. tu. 4 Lib. 14. cap. 22. 5 Lib. 22. cap. 24.

A qua ratione victus illum corporis decrepiti ac animi vigorem centum annos illæsum conservasset, respondisse refertur; intus mulso, foris oleo. Et Democritus consultus qua ratione quis sanus perseveraret, respondit quoque, si interna viscera melle, externa oleo irrigaveris. Proinde merito Themistocles œconomo succensuisse dicitur, impensæ rationem reddenti, quum audisset parum admodum pecuniæ in oleo comparando insumptum fuisse: quia, inquit, coquus nimis olei cibis immiscuit, quod assumere minus convenit. Ad convivia tandem transiit, non jam ex oleo simplici & syncero, sed ex aromatis composito ad voluptatem. Nam cum bel-
B lariis & corollis secundis mensis unguenta lata sunt, quorum nomen (id vero est μύρον) primus omnium Archilochus usurpavit, si Athenæo credimus. Ἐλαίῳ vocabulo rem significavit Homerus. Μύρον autem quasi μῶρον dictum vult Chrysippus, quod crapula desipientes unguentis uti soleant. Callimachus certe & Sophocles oleum Minervæ, speculum & unguenta Veneri tribuunt, quod hæc voluptati, illud virtuti natum esset. Et revera (quod apud Xenophontem prædicat Socrates) odorem alium pudicas, alium impudicas decere putamus. Ex unguentis præcipuæ auctoritatis fuere μαλαβάθρινον & νάρδινον: hoc Spicatum, illud
C Foliatum Romæ dicebatur. Nardino illo pretioso Maria inunxit pedes Jesu, quod testatur Joannes scribens: Ἡ οὖν Μαρία λαβοῦσα λίτραν μύρου νάρδου πιστικῆς πολυτίμου ἤλειψε τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ, quod est: *Maria igitur accepta libra unguenti nardini liquidi & multi pretii inunxit pedes Jesu*. Alii [1] in caput effudisse unguentum ejusmodi scribunt. Id autem fiebat, non tam ad odoris suavitatem, quam ut esset lassitudinis remedium. Ἀκόποις enim talibus ditiores uti solebant; quæ proprie μυράκοπα dici vult Galenus [2], ex acoporum cum unguentis temperatura, nihilo cæteris præstantiora (inquit) nisi odoris suavitate. Idem quid proprie vocetur
D oleum, & quid μύρον, id est, unguentum, distinguit his verbis: *Oleum rosaceum nominare assolent, quod absque odoramentis præparatum est. Cui autem & horum aliquid inditum fuerit, non id etiam oleum, sed unguentum cognominant*. Et alibi: *Ex dictis cognoscere jam liceat & de aliis olei generibus, quæ æquivoce ipsis dicuntur unguentis, puta rosaceo, melino, liliaceo, & quæcumque id genus floribus, fructibus, germinibus, foliis in oleo maceratis conficiuntur. Horum quodque ubi una cum aromatibus præparantur, unguentum efficitur*.

Superest ut explicemus quid Ceroma vocarint Antiqui, de quo nos sup. meminimus: hoc enim
E ad unctionem pertinet. Græcia solers & omnis luxuriæ auctor magna industria ex oleo & terrarum pulvere Ceromata conficere docuit, ea non ex quavis terra, sed ut plurimum alba illa fullonum, Cimolia dicta, fiebant; aut illa pertenui ex Albano agro allata; aut Bajano pulvere, qui juxta ardentem montem Vesuvium colligebatur. Patrobius Neronis libertus magnis impensis tenuissimam Nili arenulam ex Ægypto ad conficienda Athletarum ceromata Romam adsportari curavit. Tranquillus in *Nerone* Populum Romanum valde indignatum murmurasse ait, quod publicæ famis tem-
F pore navis eo pulvere onusta ex Ægypto missa fuisset pro regiis Athletis. Plinius tamen scribit [3], Puteolano pulvere non multum distare arenam e Nilo tenuissima sui parte. Hujusmodi sabulum (tanta fuit Antiquis circa id curiositas) Leonatus & Craterus & Meleager, Alexandri Magni duces, curabant deferri cum reliquis militaribus impedimentis ac commeatibus.

1 Matth. c. 26. & Marc. 14. 2 Lib. 2. simpl. med. cap. 27. 3 Lib. 35. cap. 13.

CAP. XXIII.

De pulvere qui ab inunctione inspergebatur.

PUlvis seu sabulum, quo luctaturi post unctionem inspergebantur, ἁφὴ dicebatur. Id vero fiebat, ut corpora ceromate & sudore lubrica mutuas luctantium prehensiones admitterent. Valebat & ad corporis corroborationem, quod licet ex Lucano colligere, dum Herculis & Antæi pugnam describens, ait:

Auxilium membris calidas adspergit arenas.

Hac ratione, opinor, genus quoddam exercitii, ἀλίνδησις vocatum, de quo nos supra diximus, institutum fuit: ut ex volutatione in arenis corpus evaderet solidius ac robustius. Cæterum pulvis idem κόνις Græce vocatur: unde apud illos natum proverbium, ἀκονιτὶ νικᾶν, quod est sine ullo repugnante vincere, ut Pausanias de Diodoro Athleta refert, qui in Olympicis ἀκονιτὶ vicit. Id Plinius [1] interpretatur, citra pulveris jactum, ubi Alcimachi picturæ meminit, in qua spectabatur Dioxippus, qui pancratio Olympiæ (ut ille loquitur) citra pulveris jactum, quod vocant aconiti, vicit, coniti Nemea. Ab eadem dictione Conisterium dictum fuit locus, in quo pulvis palæstricus asservabatur. Pollux in Gymnicis instrumentis enumerat pulveris sportulam. Cæterum in arena quoque profunda luctantes se exercuisse, in superioribus est demonstratum: quorum omnium usus minime contemnendus fuit: nam præter ea quæ suo loco explicata sunt, in arena hoc erat commodi, ut sudorem largiter semet effundentem comprimeret, atque efficeret, ut vis corporis par esset laboribus. Eadem ventis obstaculo erat quo minus læderentur corpora in tenera atque denudata incumbentibus. Sordes etiam corporis arena eluit, ac hominem longe candidiorem reddit: non eo quidem candore, qui est præ sanguinis ad præcordia confugientis inopia, (qualis est iis qui in umbra semper latitant) sed in firmo habitu.

CAP. XXIV.

Quid ab exercitatione fieret: de strigili & gutto: item de strigmentis & Conisalo.

PEractis in palæstra exercitiorum ludis, Athletas in balnearum cellulas sudorificas demittebant, atque ibi de eorum corporibus oleo illitis, Ceroma una cum sudore & cœno concretum strigilibus destringebatur. Est enim destringere, lacinia, aut incurvata fricantis manu, vel strigili sudorulentas corporis sordes detergere. Hippocrates [2] mavult spongia quam strigili sudores in balneis abstergi. Menelaus, aliique Græcorum heroes, & Romanorum proceres convivia ingressuri, corpus prius inunctum & lotum strigili ex auro vel argento facta expurgabant, detergebant, destringebantque [3]. Strabo [4] refert Indos eorumque Reges corpora strigili ex ebeno facta abstersisse. Martialis [5] ferreas etiam fuisse strigiles denotat, cum ait:

Pergamus has misit, curvo distringere ferro,
Non tam sæpe teret lintea fullo tibi.

Antiqui Romani jubebant pueros sibi deferre ad

1 Lib. 35. cap. 11. 2 Lib. 3. vict. sententia 51. 3 Athen. lib. 4. Dipnos. & Homer. *Odyss.* δ. 4 Lib. 15. 5 Lib. 14. epigr. 51.

balnea strigiles, ad distringendos sudores: quorum A loco nos hodie linteis utimur. Martialis, vel Persius *

I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer.

Iidem spongiis aliquando usi sunt pro strigilibus, ut auctor est Plinius. Spongias vero eas purpura infici curabant, pro deliciis: sæpe etiam candidas efficiebant, quod erat valde pretiosum. Porro famuli præter strigiles, guttum seu ampullam ferebant; quem Græci λέκυθον nuncuparunt. Guttus Latinis dicebatur, quod liquorem guttatim emitteret. Principes ac nobiliores viri paratum habebant B ex cornu unicornis animalis: alii fere omnes ex vitro, vel cornu vulgari, aut bubalino. Eo vase utebantur Romani balnea adeuntes, in quo odoramenta (olea scilicet & unguenta) continebantur, ad inungenda post lotionem corpora, ut polita magis ac lævis caro evaderet. De gutto corneo sic Martialis lib. 14. epigr. 52.

Gestavit modo fronte me juvencus,
Verum rhinocerota me putabis.

Gutti & strigilis formam graphice describit Apulejus [1] de Hippia loquens: *Magno inceptu* † (inquit) C *prædicavit, fabricatum semet sibi ampullam quoque oleariam, quam gestabat, lenticulari forma, tereti ambitu, pressula rotunditate: juxta honestam strigileculam, recta fastigiatione clausulæ, flexa tubulatione ligulæ; ut & ipsa in manu capulo moraretur, & sudor ex ea rivulo laberetur.* Artemidorus tradit [2], Xystrophylacem vocari, in quo strigiles asservarentur: & lecythum, in quo oleum, unguentorum & oleorum compositionem variam, quibus in balneis usi sunt antiquiores, fusissime docet Gul. Caulius, vir antiquitatis peritissimus, dum viveret. Erant & siccæ compositiones διαπάσματα Græcis vocatæ, quibus (ut auctor est Pli- D nius) etiam utebantur ad sistendum absumendumve sudorem in exitu balnei, ut mox frigida lavarentur. Eos pulveres nostris odoramentis recte (ni fallor) compares: pulveribus scilicet odoratis, violaceo ac cyprio nuncupatis.

Cæterum pro corporis detersione in balneis usurpatum quoque fuisse aphronitron invenio. Sic enim habet Galenus [3]: *Aphronitrum farinæ speciem non habet, neque solutum est, sed congelatum & coactum, quo qui in balneis sordes exterunt quotidie utuntur. Ea detergendi facultate, ut non modo sordes extergeat, sed etiam pruritum sanet, nempe digerendis* E *quæ ipsum excitant saniebus. Hodie loco aphronitri pumice utitur Italia, & scopis quibusdam ex pilo paratis ad sordes in balneis abstergendas, si bene memini.* Superest de strigmentis & Conisalo aliquid dicere. Strigmenta vocabant sordes balnearum, scilicet quæ a corporibus Athletarum exercitatis destringebantur. Item, quæ in Gymnasiorum & balneorum parietibus atque statuis coacervata colligebantur. Græci στλεγγίσματα, γλοιὸς, & ῥύπος vocant, tam balnearum quam palæstrarum strigmenta. Peculiariter vero πάτον nominari docet Galenus [4], sordem in palæstris acceptam, quæ constaret oleo, sudore, sorde humana, & pulve- F re. Erat præterea in palæstris terra, Athletarum & deambulantium pedibus conculcata, illorumque sudore vel olei adspergine irrigata, κονίσαλος dicta. Ludorum magistratus aliquando vendidit Gymnasiorum strigmenta octingentis sestertiis, ut auctor est Plinius [5]: eorum enim usus non vulgaris fuit

[1] Lib. 2. Florid. [2] Lib. 1. de Somn. Interp. cap. 6. [3] Lib. 9. Simpl. [4] Lib. 8. Simpl. [5] Lib. 15. cap. 4.

* Sat. 5. vers. 126. † Alii legunt, *magno in cœtu*.

in depellendis morbis, quod ex Dioscoride [1] licet colligere. Ejusdem fere facultatis erat Conisalos, in molliendis ac discutiendis bubonum atque lactantium uberum humoribus, ut Galenus [2] refert. Idem admonet [3], veteres Medicos morborum adeo solicitos exploratores exstitisse, ut sudorem in balneis concavitate strigilis exciperent, ex cujus colore & sapore qualis esset humorum in venoso genere miscella conjiciebant. Strigilem Græci ξυστρίδα vocant, ἀπὸ τοῦ ξύειν, quod est, *radere & polire*. Eadem στελγὶς & στλεγγὶς quibusdam dicitur. Plinius [4] apoxyomenum dixit, pro eo qui seipsum destringit, & perixyomenum, qui undique id facit.

CAP. XXV.

De Apotherapia, quæ finis est Exercitationum.

Exercitatos in balnearum cellulas dimittebant, ut ceroma de eorum corporibus abraderent, uti prædiximus. Egressos vero in Alipterio frictione, quæ ἀποθεραπεία dicitur, curabant. Porro cum genere duplex sit Apotherapia, altera quidem exercitationis ceu pars, altera ejus ceu species, ut docet Galenus [5]: nos hic de ea quæ ut pars habetur primum tractabimus. Omnis exercitationis probe peractæ postrema pars, Apotherapia dicitur. Ea duplici consilio suscipitur, & ut excrementa expurget, & ut corpus a lassitudine tutum reddat. Prior causa etiam exercitationi communis est: proprius vero Apotherapiæ scopus est, ut lassitudinem, quæ succedere immodico exercitio solet, submoveat atque prohibeat. Et Athletis quidem, ut etiam aliis, qui opere corpus fatigant, sicuti qui fodiunt, vel iter agunt, vel remigant, vel tale quodpiam opus vitæ necessarium obeunt, præsto lassitudines adsunt, nisi Apotherapia devitentur. Verum Athletæ ii, quos labor maximus exercebat, nullo alio exercitandi genere obnoxii erant lassitudini, præterquam eo quod ab ipsis τέλειον, id est, *absolutum*, dicebatur. Athletis siquidem erat necesse, quo videlicet ad immodicos in certaminibus labores, etiam totum diem aliquando continuatos, præparato jam corpore essent, absolutissimum illud exercitium (ipsi κατασκευὴν vocabant) aliquando obire. Aliis, qui tantum bonæ valetudinis tuendæ causa exercebantur, minime necessariam fuisse Apotherapiam contendit Galenus, nisi excrementorum expurgandorum gratia. Iis siquidem nullus instat lassitudinis metus. Ast tutissimum est, inquit, Apotherapia semper uti. Hæc vero quomodo administrari deberet, ex finium, ad quos ipsa tendit, natura demonstrat: nam quoniam id petitur ut solidarum animalis partium excrementa (quæcunque per exercitationem excalefacta extenuataque in corpore adhuc manent) prorsus ejiciantur: & frictiones, quæ per alios administrarentur, adhiberi oportebat, & una cum his, tum ipsarum quæ fricantur partium tensionem, tum etiam spiritus cohibitionem. Quod ad frictiones attinet, plurimum manibus, quoad fieri potest, adhibentur, ut nulla pars corporis nuda maneret: nam postquam a se corpus non amplius dimovetur, periculum est ne frigescat ac densescat, dum nulla ope externa calefit. Frictionem vero neque tardam neque duram esse oportet, ideoque oleum fricando corpori largiter circumfundi debebat. Id enim ad velocitatem simul & mollitiem frictionis mul-

[1] Lib. 1. cap. 34. 35. & 36. [2] Lib. 10. Simpl. [3] Lib. 5. loc. aff. lib. 3. de caus. sympt. lib. 10. fac. alim. & lib. 4. san. tu. [4] Lib. 34. cap. 8. [5] Lib. 3. san. tu.

multum conducit: & alioqui aliud secum non mediocre commodum adfert, quando & quæ tensa sunt remittit, & quæ inter vehementius laborandum fatigata sunt emollit. Igitur media mollis ac dura (quæ eadem mediocris est) frictio efficitur, fricantis quidem manibus valenter injectis, ita ut earum impressio ad duram frictionem proxime accedat, cæterum pinguitudinis copia & velocitate movendi eatenus remissis, ut plane evadat mediocris. Porro tendendæ obiter sunt partes dum fricantur, ut quicquid inter cutem & subjectam carnem excrementorum residet, per cutem expellatur, quippe distentis iis quæ sub cute sunt, omnia foras eliduntur, seu gemina manu expressa; una foris, ejus utique qui fricat; altera intus, ipsis scilicet quæ tenduntur particulis manus vicem supplentibus. Ac propter hæc quidem non exigua portio Apotherapiæ est spiritus cohibitio. Appellant vero ita, ubi omnibus thoracis musculis qui circa costas habentur intentis coactisque exspirationem continemus. Spiritus vero cohibitio, quæ ad Apotherapiam est maxime idonea, jecur, lienem, & ventriculum attollit, tensis qui in thorace sunt musculis universis, remissis qui sunt in scepto & abdomine: ita namque deorsum ferentur excrementa. Secundo autem loco habenda est, quæ mediocriter eos qui in abdomine sunt musculos tendit, quo videlicet ea quæ sub scepto sunt viscera, Apotherapiæ fructum sentiant. His ipsis de causis etiam fasciarum (quæ ἅμματα Græci vocant) circumactus fieri conveniebat, quos fricantes ipsi quum a tergo fricandorum constitissent, circa totum ventrem adhibebant, quum se ex adverso collocassent cervicibus, alias vero costis, & spinæ, & pectori accommodabant: idque conversо pariter cum his quodammodo eo qui fricabatur. Circa lumbos vero similis fasciarum circumjectio circumactioque fiebat, tendente se ad singulas eo qui fricabatur, non tamen cum omnibus pariter se revertente: quum neque continuos motus, neque vehementes ei contingere ex Apotherapia conveniret, sed certe aliquos, & quibus ex intervallo frictiones essent interpositæ. Quæ enim & continuæ & vehementes sunt, exercitationis, quam præparatoriam vocant, sunt propriæ: quæ vero nec continuæ nec vehementes, Apotherapiæ. Siquidem præparatoriæ scopus est, corpus cogere atque contrahere: Apotherapiæ contra, relaxare. Nonnunquam in mediis laboribus etiam Apotherapia utebantur Gymnastarum præstantissimi, in his potissimum Athletis, quos gravia (ut vocant) certamina exercent; alias perpetuo finis exercitationis rite peractæ Apotherapia est.

Hæc sunt quæ fere ad verbum ex Galeno [1] excerpsimus, qui fusissime rem istam tractavit, cujus summa est, Apotherapia, lassitudinis remedium, exercitationis pars censetur, in qua motus adhibentur quantitate mediocres, qualitate vero tardiores. Erat enim agitatio tarda, & citra valentiorem nixum, subinde frequenti quiete interposita, qua utique fricare hominem oportebat pluribus contrectantibus, quo nec pars ulla refrigesceret, & ocyssime excrementa digererentur. Fiebat mollis frictio cum pluscula olei pinguitudine administrata, quæ corpora humectabat, distentaque relaxabat. Postremo, ne corporis robur nimium difflaretur, Athletarum corpora ψυχρολυσίᾳ in frigidario, aut baptisteriis, vel piscinis adstringebant: sed de frigidæ lotione fusius in Tractatu *de Balneis* edisseremus. De Apotherapia id denique annotandum est, non modo Athletas ea usos fuisse, quinetiam quosvis labore, venatione, peregrinationeve fessos: quoniam laboribus

1 Lib. 3. san. tu.

& exercitiis membra similaria exsiccantur & colliquescunt. Atque ne vapores intra cutem & musculos coacervati lassitudinem aut musculorum distentiones parerent, aquæ dulcis lavacro & lubrica olei frictione corpora humectabant, & subtercutaneas excrementorum reliquias evaporabant, Unde Homerus [1] speculatores a Troja redeuntes, laboreque fessos, sudorem aqua marina abluisse, corpusque oleo unxisse ait. Hinc Athenæus [2], sciunt Trojani belli heroes (inquit) λουτρὰ εἶναι ἄκη πόνων παντοῖα *, id est, *lavacra esse omnifaria lassitudinum pharmaca*: quas aqua marina (quæ nervis maximè est accommoda) solvebant: ac musculorum distentiones ἐμβάσεσι lavacri insessione laxabant. Postea ne aquarum adspergine corpora rigerent, oleis & unguentis ἀκόποις inungebant: in quorum catalogo præcipua fuerunt gleucinum, irinum, amaracinum, abietinum, foliatum, atque spicatum.

CAP. XXVI.

De solennibus Ludis Græcorum.

GRÆCORUM mos fuit quotidie in Palæstra exerceri. Ludi vero solennes ac publici in Græcia instituti sunt, singulis quinque annis celebrandi, ex quo (opinor) Quinquatrios vocarunt, ut est apud Lucianum. Ad hos undique confluebant ac conveniebant Athletæ. Fiebant vero in Olympia, Isthmo, Nemea, & Pythia. Qui aliquando in omnibus his locis vicisset, Periodonices vocitabatur. In Olympicis certaminibus corona oleagina ex oleastro victori proponebatur; in Isthmiis pinea; in Pythiis vel Pythicis, poma sacerdotes Apollinis proponebant: in Nemeis erat corona ex apio concinnata. Angelus Politianus [3] reprehendit Merulam, quod sine alicujus testimonio dixerit, coronari pinu eos qui Nemea vicerint; nam Lucianus apio testatur, inquit. Verum Plutarchus victorem Isthmiis utroque coronat, pinu scilicet & apio. Apud Athenienses oleum ex oliva victori donabatur, ut legimus. Porro, ejusmodi præmia is solus referebat, qui aliorum omnium concertatorum victor exstitisset. Idem cum præconis voce victor pronunciabatur, a vulgo spectante veluti Deus quidam suspiciebatur. Atque præmia tam exilia merito erant proposita, ut honoris non lucri causa decertare viderentur.

CAP. XXVII.

Quænam commoditas ex quotidianis exercitationibus exspectaretur.

PROPOSITIS superioribus Exercitationum modis, juvenes tolerandis laboribus assuefiebant, pariterque ictuum declinandorum periti evadebant, neque metu deinceps aversabantur vulnera. Tales siquidem exercitationes animosos reddebant juveniles animos, ut ad subeunda pericula corporibus suis non parcerent. Præterea, salubriorem corporis statum sibi comparabant, atque per omnia robustiores fiebant, patientesque laborum. Cum dejecto in terram vultu luctabantur, & secure procidere, & prompte exsurgere, eadem discebant opera, ut & propellere, & tenaciter amplecti, & loco movere, & præfocare, & in altum sustollere possent adversarium. Hinc

1 Iliad. 11. 2 Lib. 1. Dipnos. 3 Lib. 11. ep. 10.

* Alii melius leg. παντοίων.

non solum firmiora robustioraque fiebant corpora, quæ talibus exercebantur laboribus, sed & ex iis peritiam consequebantur, si quando in necessitatem adducti forent talium disciplinarum in armis. Quippe talis hostem complexus citius supplantatum prosternet, & prolapsus ipse quam facillime noscet exsurgere. Hæc enim omnia ad verum illud certamen, quod in armis peragitur, referre solebant: planeque in em opinionem descenderant, ut certo putarent se longe melioribus usuros ita exercitatis, postquam primum illorum nuda corpora emollita atque exercitata, robustiora reddiderant, neque minus levia & habiliora, eademque adversariis gravia effecerant. Cujusmodi enim illi armati futuri sunt, qui nudo saltem corpore terrorem hostibus incutiunt, neque immodicam ostendentes corpulentiam, & segnem & candidam, aut nimiam quoque corporis maciem pallore deformatam, qualia fere sunt mulierum corpora sub umbra marcescentia, trepidantia, ac illico multo sudore perfluentia, neque non sub galea anhelantia, maxime si quando Sol sub meridiem æstu supra modum calente ferveat. Ad quid enim quis uteretur sitientibus & pulverem ferre nequeuntibus, quique viso tantum sanguine statim exanimantur, ac ante moriuntur quam intra teli jactum atque ad manus cum hostibus ventum fuerit. Ast juvenes prædictis exercitationibus incumbentes, partim rubore, partim nigredine temperanter sub Sole colorati erant, vultu plane masculo, multum vigoris atque caloris & virilitatis præ se ferentes, neque nimium obesi, neque rursum nimis tenues & aridi, nimio pondere pergrandes: verum justo corporis modo formati, cum inutilem, tum superfluam carnium molem abundantiamque sudore absumerent. Id autem quod robur præstat & vigorem, citra mali admixtionem, conservant. Quod enim ii, qui ventilando purgant triticum, faciunt, id illis præstabant Gymnasia in corporibus paleas ac spicas inanes flatu propellentia, purum autem fructum separantia & accumulantia. Ob id tales juvenes firma prosperitate valetudinis uti, ac quam diutissime in laboribus perdurare necesse erat. Quinetiam sero sudare incipiebant, & raro admodum morbis affecti decumbebant, neque facile defatigabantur.

LAURENTII IOUBERTI

DE

BALNEIS ANTIQUORUM,

TUM GRÆCORUM,

TUM ROMANORUM,

LIBER ALTER.

CAP. I.

De Balneis & Thermis Romanorum.



QUUM veterum Romanorum mos esset singulis diebus lavari, omnes fere divites privatas in domibus suis Balneas habuerunt: præter quas, vel publico sumptu, vel alicujus principis viri liberalitate, aliæ in publicum usum ædificatæ sunt, quas ab aquarum caliditate Thermas appellavere. In his primum quidem omnia quæ ad corporis expurgationem necessaria videbantur, parata fuerunt: lavacra tepida aut calidioris aquæ, sudatoria, unctuaria, & quæcunque illis commodius administrandis utilia forent. Atque hæc ad sanitatem munditiemque tantum hactenus pertinebant. Paulo post vero addita sunt pleraque voluptati solum inservientia, ut tandem (omnibus perpetuo certatim aliquid excogitantibus adjicientibusque, & crescente Principum luxuria) magno sumptu ac splendore Balnea instar urbium viderentur. In Balneorum siquidem ædificiis porticus deambulatoriæ, picturis & columnis variis ornatæ, fiebant amplissimæ, quæ refrigerationis & voluptatis gratia mire placebant. In porticibus Exhedræ spatiosiores disponebantur, ubi Rhetores & Philosophiæ Professores disputabant, ut Græcos in suis Gymnasiis factitasse monuimus. Erant præterea & areæ amplissimæ in publicis Thermis; ad hæc nemora, prata, saltus. Neque omissa fuit Palæstra, quæ ut Græcorum Gymnasiorum pars erat, uti descripsimus, sic Romanarum Thermarum: cum enim Romani Græcorum præcipui æmuli fierent, illorum mores voluptatesque sensim in suum usum traxere; atque Thermas publicas ædificari voluere, quibus nihil eorum deesset, quæ in Græcorum Gymnasiis conspiciebantur, multo vero splendidiora ac elegantiora viderentur. Thermas autem potius quam Gymnasia nuncupare placuit, quod lavacra & sudationes, frictiones atque delicatas inunctiones magis curarent, quam exercitia quæ in luto vel arena fiebant: hæc enim Romani neglexere, deambulationibus fere contenti; spectaculis vero atque ludis aliis delectati, non multum Palæstram coluere: ipsi etenim corpore nudo exerceri detrectabant, nec non tam violentis exercitationibus uti quam erat pancration, vel pugilatus, qui saltem ingenui essent. Nam Athletas conductos aut servos habuisse putamus, & infames habitos fuisse. Græcorum vero nobilissimi quique, & promiscue omnes cum adolescentes, tum juvenes, iis occupabantur. Recte igitur censent qui prius descriptas a nobis gymnicas exercitationes Romanorum consuetudinis minime fuisse scribunt, ut cap. 1. diximus: quamvis Palæstram, quæque ad illam pertinerent, in suas Thermas Romani traduxerint. Balneorum luxus ac delitiæ illis fere tantum curæ fue-

runt, quibus virile animorum robur enervabatur: corpus vero, si opportune illa fierent, aliquot commoditates consequi, sin minus, ipsum quoque mollius ac malis valde obnoxium reddi videbatur. Cæterum Romanorum Thermas Græcorum Gymnasiis & structura & usu respondisse, facile est conjicere ex iis quæ sparsim scripta legimus de Balnearum seu Thermarum publicarum ædificiis, de quibus mox fusius agam. Fuisse vero in Thermis loca exercitiorum, & palæstram, necnon Exhedras Rhetoribus & Philosophis destinatas (præter lavacrorum & sudationum splendidissimas cellas) loci Ciceronis aliquot satis indicant.

Sed quum Græci minimam partem suorum Gymnasiorum Balneis darent, iisque fere tantum ad curanda Athletarum corpora uterentur; Romani contra balneis potissimum delectabantur ac indulgebant, palæstras vero solum pro ludis & spectaculis instituebant. Propterea in balneorum & lavacrorum cellis ædificandis maximæ pecuniæ summam insumebant, illisque suarum Thermarum nobiliores partes assignabant.

Cap. II.

De Balnearum seu Thermarum apud Romanos luxu.

Romanorum luxus atque delitiæ nullo in opere magis & clarius spectabantur, quam in magnificis Balnearum fabricis, ob quas olim Consules, Ædiles, & Cæsares quoque totos & solidos excavarunt montes, ut tam ferventem quam gelidam aquam per tubulos & euripos in Balnea derivarent. Horum pavimenta vitreatis tesserulis, versicoloribus lapidum crustis, cæmento aut maltha compactis radiabant, quæ Græci a variegato lapillorum colore λιθόστρωτα: & quod cœnæ reliquias sub mensa (Græcis ἀναλεκτὰ dictas) non scopis converri, sed manu colligere & spongia detergi oporteret, ob munditiem ἀσάρωτα nuncuparunt. Est enim ἀσάρωτον pavimenti genus artificiosis picturis elaboratum: sic dictum quod scopis verri non debeat, ab α & σαίρω, id est, *verro scopo*, & *scopis purgo*. Hæc pavimentorum pigmenta (ut prona sunt luxuriæ vitia) N. Agrippa Ædilis, quamvis vir ingenio subrusticus, ut vulgi gratiam demereretur, in cameras suarum Thermarum transtulit: vitreas proculdubio facturus, (inquit Plinius [1]) si vitri usus tunc repertus fuisset. Parietes sectili & omnifario marmorum genere, Phrygio, Carystio, & Porphyrita incrustati, ac statuis ex ære Corinthio conflatis, insertis quoque gemmis adornati fulgebant. Testudines auro refertæ conspiciebantur. Quid vero argentea Balnearum vasa & ἐπιστόμια commemorem, quibus Hetruscum civem Romanum sua adornasse Balnea Papinius lib. 1. *Sylvarum* ita scribit:

Effulgent cameræ vario fastigia vitro.
Nil ibi plebejum: nusquam Temesæa notabis
Æra, sed argento fœlix propellitur unda,
Argentoque cadit, labris nitentibus instat.

Et ne in amœna prospiciendi locus deesset, porticus triplices milliarias marmoreis suffultas columnis (quæ & magnitudine & colorum varietate insignes essent) adstruebant: id enim de Nerone scribit Suetonius, novam ædificasse domum, tanta laxitate ut porticus triplices miliarias haberet: hic vero miliarias intelligere oportet, columnas nihil sustentantes; quales olim etiam in balneis

1 Lib. 36. cap. 15. & 25.

A prope solia insertis ex ære aut plumbo tubulis, ut in horum anfractu aqua substratæ fornacis fervore incalesceret, construebantur: sed de his nos suo loco plura. Tales non in Thermis solum conspiciebantur, verum etiam in divitum porticibus atque areis dispositæ, non ut ædificium sustinerent, sed decoris tantum & minime necessarii usus ergo constructæ. Heliogabalus omnium primus creditur sylvas & arboreta in Thermis publicis deputasse. Sergius Orata primus pensiles excogitavit balineas, ne quid balnearum deliciis deesse videretur [1]. Cum igitur tanto sumptu tantoque splendore publicæ Thermæ constarent, & omnis amœnitatis ac eleganti æ plenissimæ conspicerentur, nihil mirum est si Principes quoque ad frequentem earum usum alliciebantur.

B Usque adeo enim Thermarum usus promiscuus fuit, ut frequentissime Principes cum populo lavarentur. Tradunt Adrianum in primis hoc facere solitum. Is cum aliquando Veteranum quendam, notum sibi in militia, conspexisset in balneo dorsum parieti atterentem, percontatus eum fuisse dicitur, cur se marmoribus distringendum dedisset: cumque ille idcirco hoc a se fieri respondisset, quod servis careret, & servis eum & pecunia liberaliter donavit.

C Paucis vero interjectis diebus, cum complures ad provocandam Principis liberalitatem eodem venissent, seque parieti identidem attererent, evocari eos jussit, & alium ab alio mutuo confricari. Heliogabalus Thermis frequentissime est usus cum populo, æstate maxime: & sæpe visus est cum balneari veste domum reverti.

Porro, ex Balneis illis publicis seu Thermis, nominatissimæ ac memorabiles Romæ fuerunt primum Neronianæ, Agrippinæ, Domitianæ, & Antoninæ. In pretio quoque fuerunt Palatinæ, Æmilii Pauli, Olympiadis, Novati, Polycleti, Stephani, Titi, Trajani, Commodi, Decii, Dio-

D cletiani, Constantini, Gordiani, Philippi, Severi, Aureliani. Nominantur & a Martiale Claudii Hetrusci, Tuccæ, Grylli, Luppi, Fortunati, Pontici, Severi, Fausti, Poeti, Titi, & Tigillini. Sunt & Lampridio Alexandri, & Varii. Sed posteriores omnes non publicas, sed privatas fuisse suspicor. Nam priusquam communes ædificarentur, divites in domibus suis plerique Balneas habebant, quas, sensim crescente nobiliorum luxu, magno sumptu ac singulari structura fabricabant. Hinc verisimile habetur quod ajunt, Sextum Rufum supra octingentas Balneas agnovisse. Privatas vero Thermas fuisse, docent Ciceronis E-

E pistolæ ad uxorem Terentiam & ad Quintum fratrem: scribit enim ex Asia, ubi Proconsul erat, ut curent labrum in suis Balneis locari, illumque certiorem faciant de diligentia in Balneis ædificandis in Villa Arpinate. Atque mos construendi privatas Balneas sic apud ditiores invaluit, ut (quod in publicis monuimus) in istis quoque maximus luxus spectaretur. Id facile quivis intelliget ex Plinii Junioris verbis, cum describit suam Villam Laurentinam, cujus, præ cæteris, laudat Gymnasii structuram, & Balneorum cellam frigidariam, Baptisteria, unctuarium, hypocaustum,

F piscinam calidam, Zetas, stibadas, & heliocaminum: quæ omnia nos statim declarabimus, jam enim Balneorum magnificam structuram delineare operæ pretium videtur.

1 Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 15.

CAP. III.

De Balnearum seu Thermarum structura.

IN Balnearum structura primum loci delectus habitam fuisse rationem, Vitruvius admonet. Deligebatur vero locus, qui præter salubritatem natura calidissimus esset, id est, aversus a Septentrione seu Aquilone. Ad caldaria & tepidarias, hoc est, cellas, in quibus calidum vel tepidum aerem esse oportebat, lumen quærebatur ab Occidente hyberno; sin autem natura loci impediret, utique a Meridie: nam maxime tempus lavandi a meridiano ad vesperum erat constitutum. B Vopiscus, cum tradit Aurelianum Thermas fecisse in Transtyberina Regione hyemales, videtur agnovisse æstivas, atque adeo pro anni tempore extructas: meminit etiam utrarumque Julius Capitolinus in *Gordiano Juniore*. Porro, ædificii Thermarum interiora omnis amœnitatis & elegantiæ plenissima videbantur, ut supra quoque admonui: splendens & lucida erat habitatio, ubique multum lumen & claritas studiose conquisita. In frontispicio Balnearum conspiciebantur duæ C statuæ ex ære vel marmore constructæ, quarum altera Æsculapio, altera Sanitati erat dicata. Ambæ faciem elegantem & bene compositam (quam Græci εὐρυθμίαν, nos formam venustam & bene proportionatam dicimus) præ se ferebant. Thermarum pars, quæ lavationi & sudationi necnon frictioni ac inunctioni dicabatur, Galeni tempore (qui sub Antoninis Imperatoribus Medicinam Romæ profitebatur) in quatuor casulas, seu cellas seu domos, (his enim vocabulis utuntur indifferenter) excepto Apodyterio, erat distincta, ut ex libro 10. *Methodi* [1] colligere possumus; Plinius tamen *lib.* 5. *ep.* 6. quinque * meminit, nempe Apodyterii. D Apodyterium vero (quod Gal. de industria omisit, tanquam balnei pars non sit) dicebatur conclave ante balnei aut hypocausti cellulam situm, in quo exuebantur, ἀπὸ τοῦ ἀποδύειν, quod *exuere* significat. Latini Tepidarium vocarunt, quia hic tepebat aer, idque vel ex calidis ac siccis vaporibus ab igne delatis, vel etiam humidis ab herbarum decoctione, vel ab aqua ignitis lapidibus aut laminis candentibus inspersa, excitatis. Hinc capsulæ minister præficiebatur, qui depositas vestes servaret, quem Capsularium dicere possis. Proxime Ὑποδυτήριον construebatur ἢ ἐλαιοθέσιον, id est, unctuarium hypocaustum, quod temperati E caloris fiebat. Elegans & amœnus erat locus, suavissimis ac pretiosissimis nobilibusque refertus unguentis. In hoc solebant homines ante & post lotionem sudoremque (pro diversa scilicet corporis habitus ratione) inungi. Ideoque ex altera parte Apodyterii fuit, & duas portas habuit, ut scilicet una reliquas cellas superaret: nam hic non solum admittebantur qui ex Balneis redibant, sed & qui ex Palæstra revertebantur, quique ad hanc sese accingebant. Sed de hac suo loco. Ex alio latere Apodyterii fuit cella, quæ peculiariter Laconicum dicebatur, de qua nos satis fuse in Gymnasiorum structura meminimus; Galenus hanc partem mul- F tis in locis ξηρὸν θόλον, id est, *siccam testudinem*, appellat: siquidem fornicem habuit concameratum, seu locum in se recurvum, in quo succensus ignis calidos atque siccos vapores emittebat ad sudorem eliciendum. Tales fornices & testudines hodiernis etiam temporibus in Balneis Germanorum conspiciuntur, e quibus vapor siccus ad ciendos sudores egreditur, corporibus interim in tabulam

[1] Cap. 10.

* Forte, *quinti*.

A quandam sudorem illum excipientem prostratis. Tales quoque esse videntur nostræ Thermæ, quas *Stuffas* vocitamus. Eandem certe partem Galenus aliquando βαλανεῖον appellavit [1], ut dum inquit: διαβαδίσαι τοιγαροῦν χρῄζει μόνον ἄχρι τῆς δεξαμενῆς, οὐκ ἐνδιατρῖψαι τῷ βαλανείῳ. id est, *ergo transire tantum ad solium usque, non in Laconico immorari debebit*. Hodie facientes Medicinam aerium nominant Balneum, quod eo utentes in aere degant calefacto. Tertia pars (iis qui istis annumerant Apodyterium, secunda vero Galeno) est quæ Solium calidum vocatur. Hæc Laconico sic conjungebatur, ut ab illo ad istam ferretur calidus B vapor adeo suavis & jucundus, ut homines in Solio consistentes neque præfocationem, neque aliam aliquam molestiam sentirent. Transmittebatur vero is vapor medio Crytoporticu parvo, quod Galli *alleam* undique clausam dicerent. Ipsa vero cella, ut natura calidior esset, ventis exponebatur Noto, Euro, & Zephyro. Hic perfundebantur calida, & in Solium aquæ plenum ingrediebantur. Solium vero dicebatur cisterna, aut piscina, vas, aut cupa, in qua homines considentes abluebantur. Unde Latinis & labrum & lavacrum, vulgo etiam Tina, vocatur. Galenus ab inscensu C & descensu ἔμβασιν, κολυμβήθραν, & δεξαμενὴν nuncupare solet. Sic enim libro primo *Meth.* cap. 10 Τοιοῦτον γάρ τι συμβαίνειν ἔοικεν ἡμῖν τὴν ψυχρὰν δεξαμενὴν εἰσιοῦσι ἐπὶ τοῖς βαλανείοις, οἷόν τι καὶ τῇ τοῦ σιδήρου βαφῇ. id est, *Quippe simile quiddam nobis accidere videtur, cum in frigidum solium post balneum ingredimur, ei quod ferro accidit cum tingitur*. Et in libro tertio *sanit. tuen.* post citata paulo ante verba, hæc subjungit, ἀλλ' οὐδ' ἐγχρονίζειν ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ δεῖται, id est, *sed nec morari in piscina huic opus est*. Labri forma erat, qualis hodie videtur in pago Sancti Dionysii cupa porphyrea, & quales multæ sunt Romæ ad templum Rotundæ, D olim Pantheon vocatum. Labrum autem seu alveus proprie dicebatur, lapidea structilisve fossa Balnearum. Tertia Galeno, aliis vero quarta, Balnei pars erat frigidum Solium, quod Boream omnino spectare debebat, & prorsus a Meridie aversum esse: veteribus Græcis λουτρὸν simpliciter vocabatur.

Ultima cella (seu quarta, seu quinta dicatur) erat nonnihil calida, in qua post usum frigidæ rursus aliquantulum sudabant, ut omnia excrementa citra refrigerationis periculum vacuarentur. Hæc abstergendo corpori dedicata fuit, atque in ea sudores destringebantur spongiis vel strigilibus. E Et ne pavimentum a sordibus inficeretur, vel quo etiam sordes ipsæ facilius colligerentur, (nam utiles ad medicinam erant, & plurimi vendebantur) qui abstergebantur, in humilibus labris stabant, quibus strigmenta excipiebantur. Eorum figuram, una cum abstersionis modo, eleganter depinxit Fabius in Simulachris Urbis Romæ. Porro, quatuor Balnei cellularum & Apodyterii situs is erat, si bene conjicio, ut ordine continuo aliæ aliis connecterentur, at circulo quodam, ut ex illis quatuor prima & ultima Apodyterio conjungerentur. In eo siquidem nudati primam ingrediebantur: ad ultimam vero cum pervenissent, ut F redirent ad Apodyterium pro sumendis vestibus, ineptum fuisset per alias cellas retrogredi. Tepebant vero eadem opera, similique calore Apodyterion ultima cella, quam meo judicio Elæothesium fuisse, recte dixeris: nam in ea post frictionem & abstersionem inungebantur; in Elæothesio vero olea & unguenta servare solebant. Adde quod proxime Apodyterium, uti sup. docuimus, situm erat Elæothesium: quod duabus portis erat

[1] Lib. 3. san. tu.

donatum, ut etiam ex Palæſtra redeuntes exciperet. Et (niſi me fallit conjectura) eadem janua emittebantur ad Palæſtram, qui frictione & ceromatis unctione præparati videbantur. Licebat igitur iis, qui Balnei partes omnes pertranſire volebant, a Solio frigido ad Elæotheſium venire per januam quæ Balnea ſpectabat: alia vero erat Palæſtram verſus. Communis omnibus fiebat, quæ ab Apodyterio ad Elæotheſium pertinebat.

Ea eſt Balnearum ſeu Thermarum ſtructura, qua parte ad lavationem, ſudationem, abſterſionem. & inunctionem utebantur: de quibus nonnihil præterea annotari poteſt, quod vice auctarii ſit. Illud vero eſt de conſueto & præcipuo uſu cellularum, tam quæ ſudorem in ſicco aere eliciunt, quam quæ frigida aut calida lavant. Sed de his capite ſeq. ſeorſim dicere præſtat.

CAP. IV.

De quatuor præcipuarum Balnei Cellarum uſu, & lavationis frigidæ conſuetudine.

AVICENNAM merito reprehendunt, quod in prima cella (quam Laconicum diximus vocari) frigidum aerem fuiſſe dixerit. [1] Eam ſiquidem ingredientes calido aeri temperato obverſabantur, qualis erat Cypri in metallorum ſcaptenſulis, ubi (inquit Galen. lib. 9. *Simpl* cap. *de calcanth.*) erat in univerſo deſcenſu caliditas tepida, ſimilis calori primis in domibus Balnearum, quas προμαλακτήρια vocant id eſt, *præmollentia*: nam hujus primæ domus calore humores calefacti liqueſcebant; liquefacti vero per cutem rarefactam evaporare poterant. Ab hac in calidam ſecundæ domus aquam deſcendebant, quæ madorem utilem ſolidis partem immittere poterat, ut inquit Gal eoque corporibus macilentis idonea videbatur. In tertiæ caſulæ frigidam aquam ingredientes, totum corpus refrigerabant, cutem denſabant, & vires firmabant. Nam ſi qua & laxata & juſto plus remiſſa viderentur, ea in naturalem redibant mediocritatem: id quod Balnei quarta pars indicabat, quippe quibus omnia rite fuiſſent adhibita, ii poſt frigidæ uſum adhuc ſudabant; & omnia ipſis excrementa vacuabantur, citra refrigerationis noxam. Hic vero detergebantur, & oleis unguentiſve ſuperinfuſis fricabantur, indeque ad Apodyterium, ut veſtes induerent, remittebantur. Cæterum id obiter annotaſſe juvabit: Romanos initio calidam tantum cellam (quam peculiariter Laconicum vocavimus) habuiſſe, uti hodie quoque ſola in noſtris Thermis eſt: poſtmodum vero aliæ fuerunt introductæ, ut Seneca docet, [2] atque cum unicum eſſet Laconicum, tam ardens parabatur, ut pene adureret: qua ratione vocatum merito fuit Aſſa, ab ardeo ſcilicet, vel areo. Hinc Cornel. Celſus de paralyſi loquens, ait: [3] *Lamica etiam habet Balnea, aſſaſque ſudationes.* Sed apertius Cicero iſtud explicat, inquiens: [4] *In Balneariis aſſa in alterum Apodyterii angulum promovi, propterea quod ita erat poſita, ut earum vaporarium ex quo ignis erumpit, eſſet ſub tectum cubiculi.* Joan. Maria Catanienus * in lib. 5. *Epiſt.* Plinii Junioris, [5] citata Ciceronis verba referens, pro aſſa dixit hypocauſta, hoc modo: *In Balneariis hypocauſta in alterum Apodyterii angulum promovi.* Ex quibus colligi poteſt, Aſſam nil aliud ſignificare, quam locum val de calefactum igne artificiali, ut quem hodie *Poelas* vel *Stuvar* † ſiccas appellamus.

1 Lib. 1. fen. 2. doct. 2. c. 19. 2 Epiſt. 86. 3 Lib. 3. cap. 27. 4 Lib. 3. epiſt. 1. ad Quintum fratrem. 5 Ad Apollin.

* Leg. *Catanaus*.

† Supra vocavit *Stuffas*.

CAP. V.

De Cella, quæ Solium vocabatur.

SOLII calidi uſus non multo poſt ad Romanos venit: erantque initio promiſcua (ſi bene conjicio) virorum & mulierum lavacra: illud enim eſt meo judicio, quod ajunt Alexandrum balnea promiſcue in Urbe prohibuiſſe; & M. Aurelium Antoninum, a quodam Philoſopho monitum, lavacra miſta ſubmoviſſe. Quod ſane & indecens & hominibus indignum videbatur, ut non minus prudenter quam facete reſponderit Diogenes cum aliquando e balneis exiret, interrogatus enim an in his multi homines eſſent, pauciſſimos eſſe dixit: rurſuſque rogatus, an turba multa, confeſſus eſt. Tandem igitur diſtincta fuere lavacra, ſic tamen ut vicina, imo contigua fieret. Hinc illud Vitruvii præceptum: *caldaria muliebria viriliaque conjuncta, & in iiſdem regionibus collocentur. Sic enim efficietur*, inquit, *ut in vaſaria ex Hypocauſto communis ſit uſus eorum utriſque.* Idem & de tepidariis intelligendum. Quin & M. Varro lib. 2. *de Analogia* tradit, in balneo conjuncta fuiſſe ædificia bina, unum ubi viri, alterum ubi mulieres lavarentur C. Gracchus in oratione de legibus promulgatis, cum dicit balneas viriles, videtur & muliebres intellexiſſe. Ejus verba ſunt apud Aul. Gellium: [1] pudor enim non patiebatur utrumque ſexum ſimul lavari, ſed commoditas conjungi deſiderabat. Quod ad ſtructuram attinet, Balnearum, id eſt, cellæ in quibus lavabant, magnitudo fiebat pro copia hominum; ſic vero componebantur, auctore Vitruvio, ut quanta longitudo fuiſſet, tanta etiam latitudo, tertia dempta, eſſet, præter Scholam labri & alvei. Labrum autem ſeu alveum, ſcapham, & ſolium vocarunt, lapideam ſtructilemve foſſam Balnearum; cujus pars erat Schola, locus ſcilicet ubi poſteriores occupato a prioribus labro alveove præſtolabantur, & ſpectantes ſtabant, ut putat Hermolaus. Aliis placet fuiſſe porticum quandam circum labrum amplam & ſpatioſam, ad eos recipiendos qui erant veſtiti, & ſocios familiareſque exſpectabant, ſic dicta a præſtolando; σχολὴ enim *cunctationem* & *deſidiam* proprie ſignificat. Hanc balnei partem ſignificaſſe videtur Galen. lib. 2. *ſan. tu.* cap 18. ubi de Premigene Philoſopho Peripatetico verba faciens, inquit: *οὐ μὴν οὐδ' ὀλίγην γε πρὸ τοῦ λουτροῦ περίπατον κατὰ τὰς πρὸ τοῦ βαλανείου στοάς*, id eſt, *ſed nec in porticu, quæ eſt ante Balneum, exiguam ante lavandum ambulationem.* Scholæ labrorum (inquit Vitruvius) ita fiant ſpatioſæ, ut cum priores occuparint loca, circumſpectantes reliqui recte ſtare poſſint. Labrum vero ſub dio atque lumine conſtituebatur, ne ſtantes circum ſuis umbris obſcurarent. Quibus verbis aperte quoque innuit, in circuitu cellæ iſtius, & proxime labra, fuiſſe quam ipſe Scholam vocat. De alvei autem ſeu labri latitudine hæc prodit: inter parietem & pluteum non minus fuiſſe pedes ſenos, ut gradus inferior inde auferret, & pulvinus duos pedes. Cæterum, quibus modis calida huic cellæ ſuppeditaretur, non eſt facile conjectari. Alveorum teſtudines ſeu cameræ ex communi hypocauſto iis ſuppoſito calefaciebant, ut admonet Vitruvius, [2] novo quidem invento, ut Seneca ad Lucillium teſtatur, dum ait: [3] quædam etiam noſtra demum prodiiſſe memoria ſcimus, ut ſuſpenſuras Balneorum, & impreſſos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, quo ſimul ima & ſumma foverentur æqualiter. Aqua vero ſeorſim miniſtrabatur, calens, tepida,

1 Lib. 10. cap. 3. 2 Lib. 5. cap. 10. 3 Epiſt. 90.

vel etiam frigida ad calidioris temperationem, hoc A modo; Ænea vasa tria diversis graduum fastigiis supra hypocaustum sic disponebantur, ut aqua ex uno in alterum defluere posset. Superius erat frigidarium, ex quo frigida, in medio tepidarium, ex quo tepida, inferius caldarium, ex quo calida hauriebatur. Quantum vero calidæ ab hoc exibat, tantum ex tepidario in caldarium, & ex frigidario in tepidarium influebat. Sed quale fuit Hypocaustum, quo dicta vasa calefaciebant? Hypocausti vocabulo sæpe significatur fornax, in qua igne accenso superius cubiculum calefit. Ast in balneariis loco moveri poterat, quemadmodum B Thermulæ apud nos, quas *Poellas* vocant: nam Cicero ad Quintum fratrem scribit [1] se Hypocausta seu Assa in alterum Apodyterii angulum promovisse, propterea quod ita erant posita, ut eorum vaporarium, ex quo ignis erumpit, esset subjectum cubiculo. Porro in frigidarium vas, quod supremum erat, frigida per occultos canales conclusosque meatus transmittebatur ex marmorea cupa, quæ illam ex tecto descendentem primum excipiebat. Eadem arte ex frigidario in tepidarium, atque hinc ad caldarium perveniebat. Hæc facilius explicat figura, quam in suo *de Balneis* Commentario expressit Gul. Caulius.

C Nescio an ænea vasa, Vitruvio descripta, fuerint ad instar columnæ rotunda, alta, & angusta, an præter illa columnæ etiam Miliares dictæ (quod nihil sustinerent) in Balneis construerentur prope Solia, insertis ex ære aut plumbo tubulis, ut in horum anfractu aqua substratæ fornacis fervore incalesceret. Unde Palladius miliarium plumbeum, cui ærea patina subesset, inter Soliorum spatia forinsecus in Balneis statuere jussit, fornace tamen subjecta. In quem usum facere (inquit Seneca [2]) solemus dracones, & miliaria, & complures formas, in quibus ære tenui fistulas struimus per declive circumdatas, ut sæpe eundem ignem D ambiens aqua per tantum fluat spacii, quantum efficiendo calori sat est. Frigida igitur intrat, effluit calida. Ita quoque Empedocles Thermas igne sub terra cooperto incalescere credebat. In quibus vero balnearia sine igne calefiunt, spiritus in illa fervens loco æstuanti infunditur. Hic per rivos * lapsus, non aliter quam igne subdito, parietes & vasa Balnei calefacit: omnis enim frigida transitu mutatur in calidam, nec trahit vaporem † evaporatio, quia clausa perlabitur: Veteres enim nec ad exitum fumi spiracula in cubiculi, sed Zetas (a ζέω, id est, *ferveo*, dictas) conclavia habebant. His subE erat hypocaustum, in cujus pavimentum calidior frigidiorve pro temporis ratione aqua diffundebatur, cujus vapor per meatus & tubulos parieti inclusos Zetas calefaciebat. Unde Paulus Jurisconsultus tubulos esse definit, per quos paries torretur. Habebant enim in domibus juxta columnas balnearia, & præcipue Lacones ad sudandum hypocausta, ἀπὸ τοῦ ὑποκαίειν, id est, *succendere*, dicta. Sed ut clarius intelligatur Miliarium fuisse vas instar columnæ rotundum, altum & angustum, ad quod fistula frigidariæ dirigebatur, & ab hoc ad Solium similis magnitudinis fistula procedebat, quæ tantum calidæ duceret interius quantum fistuF la illa frigidi liquoris intulisset, verba Palladii adscribenda puto, ubi de enecandis aut capiendis inter alvearia papilionibus scribit, inquiens: *Vas æneum miliario simile* (id est, altum & angustum) *vespere inter alvearia collocemus, & in fundo ejus ponamus lumen accensum: illic papiliones convenient & circa lumen volitabunt, & angustia vasculi ab igne proximo interire cogentur.*

1 Lib. 3. epist. 1. 2 Lib. 3. quæst. nat. 3 L. 1. c. 10. & l. 5. ad fin.
* Alii rectius, *tubos*. † Leg. etiam, *saporem*.

CAP. VI.

De frigido Solio, Piscinis, & Baptisteriis.

LACEDÆMONES, quorum rigidi valde mores fuisse perhibentur, omnium primi frigidæ aquæ sua corpora assuefecerunt: unde frigidam lotionem Lacedæmonicum ceroma nuncupare solebant. Ab his vero, non multo post, cæteri Græci usum accepere. Romani autem diutissime Balneis calidioribus usi, postremo frigida etiam admiserunt, Antonii Musæ & Euphorbii fratrum Medicorum præstantissimorum consilio, qui sub Octavio Augusto floruerunt. Hi enim ex Romanis primi instituerunt, ut a Balneis (quas tunc absolute Thermas vocabant) piscinas ingrederentur: quo exhaustum nimisque laxatum ac supercalefactum ex usu calidæ corpus refrigeraretur, constringeretur, & robustius fieret. Paul. Ægin. lib. 1. cap. 51. ψυχρόλουτρα vocavit: alii a natando κολυμβήθρα nuncuparunt. Sidonius vero a mergendo Baptisteria, unde Plinius Tusculi & Laurentinæ Villæ delicias Gallo suo recensens, inquit: * *Inde a cubiculo Balnei cella frigidaria spatiosa & effusa, cujus in contrariis parietibus duo baptisteria, velut ejecta sinuantur, abunde capacia, si nare in proximo cogites*, &c. Et ad Apollinarem: *Apodyterium* (inquit) *Balnei laxum & hilare excipit cella frigidaria, in qua baptisterium amplum & opacum ingredior.* In iis Veteres se totos immergebant, ut lavarent & natando corpora exercerent, ac multa sudatione languida reficerent & corroborarent: ac eorum appellationem hactenus retinuit vas, quo infantes nostri baptizantur. Talis piscina fuit illa Hierosolymis probatica, sed diviniore usu ad curam ægrorum quinque porticibus vallata. Cæterum, omnium maximus luxus in conficiendis suis piscinis a Romanis impendebatur, quas Balneis æstivis ad Septentrionem spectantibus adstruebant. In eas inenarrabili impendio marmore Thasio ac Porphyrite circumseptas piscinarias cellulas, ex fontibus, rivis, ac lacubus per varios euriporum anfractus & ductus, veluti per micandros, † aquam per fistulas unguenta & crocum redolentes derivabant. Unde Seneca ad Lucilium. [1] *Utrum sapientiorem putas, qui invenit quemadmodum in immensam altitudinem crocum latentibus fistulis exprimat, & qui euripo subito aquarum impetu implet aut siccat?* Et Ælius Lampridius refert, Heliogabalum Imperatorem in euripis vino plenis navales Ludos Circenses exhibuisse, nec unquam nisi unguento nobili aut croco infectis piscinis natasse. Et Orosius Neronem tam effrenatæ luxuriæ fuisse prodidit, ut frigidis & calidis unguentis lavaretur. Fuerunt vero primum piscinæ, loca piscibus continendis propria: sed deinceps consuetudo fecit, ut natatoria loca, in quibus balneari poterat, ab Antiquis piscinæ vocitarentur. Has Romani in publicis Thermis habebant: nec non privatim in domibus piscina erat pro lavacro, tum frigido, cum calido, ad innatandum. Nam & Cicero in suis balneariis ampliorem piscinam exoptat, in qua brachia sese inter natandum minime contingerent. Antiquiores non tanto luxu, sed minimo apparatu corpora sua curabant: nam olim Trojani belli Heroes, & Romani Consules, dum habenas totius terrarum orbis moderarentur, in pyelis & asaminthis, id est, labris & scaphis ex lapide aut ligno

1 Epist. 90.
* Lib. 2. epist. 17.
† Rescr. *maandros*.

excavato factis, corpora labore lavabant. Unde & Scipio Africanus fertur corpus suum rusticis & militaribus laboribus squalidum, in Linterno sua in Campania Villa, in exili balnei ergastulo lavisse. At tandem eo luxus omnia pervenere, ut præter balnearum magnificam structuram unguentis admodum pretiosis profusissime uterentur, quibus etiam parietes & solia illinebantur, quod notavit Plinius.

CAP. VII.

De reliquis Thermarum partibus.

ZEtas paulo ante diximus in conclavibus olim fuisse, quibus incalescebat cubiculum non viso igne. Zetas enim a ζέω, quod est *ferveo*, vel *incaleo*, deduxisse videntur. Atque iis Veteres usi sunt, pro caminis & focis nostris. Porro fuerunt etiam Zetæ, cum in privatis domibus, tum in publicis Thermis, loca non ex igne sed Sole calescentia, in quibus apricari magna cum voluptate solebant Romani. Ideoque Plinius Junior Zetas vocavit suas delitias. Erant enim loca in domibus structa ad animi & corporis recreationem, concamerata, & tota Soli exposita, alia quadrata, alia hexagona, vel octagona, quæ quatuor, sex, vel octo parietibus circundabantur. In iis inclusus Sol tepidiorem locum reddebat, quandiu supra nostrum hemisphærium perseverabt. Unde & Heliocaminum istiusmodi locum dixere, quasi Solarem caminum vel fornacem. Budæus in *Pandect.* solare vaporarium esse dixit, in aprico loco situm ad Solis calorem excipiendum. Et ne quando nimius æstus sentiretur, adeoque loci caliditas temperari posset, parietes qui meridem spectabant fenestras ligneas oppositas habebant, ut cum videretur Solis vehementior ardor, illis excluderetur. Hujusmodi loca elegantissime construi curabant, & lucidissima, non dio exposita, forte ut pluvio quoque cælo in iis habitare liceret, ista fuisse hinc conjice, quod lucidissima fieri curarent: nam si dio exposita fecissent, illud ultro accessisset. Multis igitur fenestris patentibus lucidiora fiebant. Amœna vero politaque & suaveolentia omni arte summoque studio reddebantur, Illic deambulabant Romani clam & privatim, magna voluptate, nam, & secretior locus erat, & eo non perveniebat familiæ strepitus. Et ne quid jucunditati deesset, ei proxime jungebantur horti elegantes, arboreta & porticus deambulatoriæ, quas subdiales fuisse existimo. Quæ omnia Romanos construxisse ad eorum instar, quæ Gymnasion (Græcis frequentius & celebre) habuisse diximus, est verisimile. Nam Xystos, in quibus Athletæ per hyemem pluvio cœlo sese exercebant, Romanorum Zetæ referebant, saltem quod ad usum: ut Xysta, seu Hypæthras imitabantur, quas porticus deambulatorias proxime Zetas instituebant. Cæterum, locus hic domus secretior pars erat, & quæ soli hero (exceptis Principibus) patebat, ut illic cum placeret una cum uxore & domesticis nobilibusque aliis quandoque viris & mulieribus, animum recrearent. Eo etiam nonnunquam doctiores viri a Principibus studiosis admittebantur & conveniebant, ut secretius & sine strepitu de variis artibus atque scientiis confabularentur. In publicis vero Balneis, seu Thermis, loca ad sedendum & quiescendum eleganter parata conspiciebantur, & quidem plurima variarumque figurarum: alia in hemicyclum, alia in quadratum, aut alio modo constructa. In his Romani vulgo captabant Solis teporem vel umbram pro variis diei horis, variaque temporum ratione. In Balneis præterea Sphæristerium erat, fi-

A gura rotunda vel triquetra seu triangula, (unde etiam τριγών vocabatur) quod pilæ ludo Trigonali vocato, aliisque diversis exercitiorum generibus accommodum videbatur. Hic locus per hyemem temperato calore tepebat, ut in docenda Gymnasiorum structura diximus. Vespasianus Imperator (si Tranquillo credimus) nihil aliud quam membra in Sphæristerio fricabat pro sanitatis tutela. Plinius Tusculi & Laurentinæ Villæ delitias Gallo prædicans, po alia multa inquit: *Cohæret & calida piscina mirifica, ex qua natantes mare adspiciunt: nec procul abest Sphæristerium, in quo pila trigonali ludebant.*

B Erant & Stibades Antiquis frequentes & usitatissimæ cum in publico, tum in privatis domibus. Sic vero appellabant lectos & cubilia ex frondibus vel herbis constructa. Fiebant ad instar cubiculorum seu conclavium, ut hodie quoque solemus, sed nos ex ligneis perticis & trabibus, superimposito opere topiario, ex vite, jasmino, smilace, aut alia virente materia, paramus: illi vero ex marmore albo suas ædificabant, quas etiam topiarium opus circumdabat & amplectebatur. Thori quoque & cubilia herbacea fiebant. His eleganter & jucunde Solis æstus repercutiebatur, atque in iis veteres C Romani una cum amicis privata convivia celebrabant, nonnunquam etiam municipes & externos illic excipiebant, magis certe voluptatum illecebris utentes.

Hæc fere sunt omnia quæ de Balnearum publicarum structura annotari possunt. Deinceps quis earum foret usus, & quæ ad istum pararentur, explicabimus.

CAP. VIII.

Quo modo, & quando Balneis utebantur Antiqui.

D VEteribus Romanis consuetum fuisse quotidie lavari, initio hujus Tractatus admonuimus. Ejus vero instituti ratio erat, non tam ad corporis salubritatem, quam ad munditiem, vel etiam voluptatem & delicias, quibus effœminati & prorsus molles reddebantur: nam, ut de unguentorum suaveolentium luxu nihil dicam, in Balneis jucundissima quæque spectabantur, corpus accurate mundabatur, pili undiquaque abradebantur, suavi aquæ, nec calidæ nec frigidæ, quandiu placebat, innatabant, atque id illis vice exercitii satis esse videbatur. His non modo corpus, sed & E animus quoque delectationem capiebat: und βαλανεῖον aliqui (ut Suidas & Etymol.) dictum existimant, παρὰ τὸ ἀποβάλλειν τὰς ἀνίας, id est, quia anxietatem pellat ex animo, quod etiam memorat D. August. c. 9. *Confess.* cap. 12. *Aliis placet ita vocari, παρὰ τὸ τὰς βαλάνους αὔειν, quod Veteres glandibus vesci moris fuerit, cortices vero succendere: Epaphroditus enim αὔειν exurere interpretatur.* Cur vero mentem exhilaret Balneum, ratio esse potest, quod cum corpus humectet & emolliat, humorem melancholicum terrenum & crassum temperat: eoque curas & anxietatem solvere creditur. Quum igitur non modo salubris, verum etiam jucundus haberetur F Balneorum usus, nihil mirum si effrenatæ libidinis nonnullos pluries in die lavisse audiamus. Gordianum Juniorem ita lavandi cupidum fuisse referunt, ut bis hyeme, quater & quinquies (nonnunquam vero & octies) æstate Thermas adire consueverit. Gallienum Juniorem hyberno tempore ter in dies, æstivo septies lavisse. Commodum Imperatorem septies in die lavisse, frequenterque in Thermis cœnitasse, memoriæ proditum est: successorem vero ejus Pertinacem, quamvis in multis esset mo-

A destissimus, in Balneis tamen publicis die natalis Urbis Commodianis ministris lavisse. Grammaticum Rhemnium septies in die lavisse ferunt, is fuit majorum luxus. Vulgo autem semel lavabant, idque hora constituta: per hyemem quidem hora planetarum inæquali & diurna, nona; in æstate vero, octava. Unde Spartianus in *Adriano* tradit, neminem (nisi ægrum) lavari in publico passum ante horam octavam. Et Martialis Palæstræ nomine horam octavam lotioni adscripsit lib. 4. ep. 8. ad Eudenum *, in hæc verba;

Prima salutantes atque altera detinet hora:
Exercet raucos tertia caussidicos.
In quintam varios extendit Roma labores,
Sexta quies lassis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palæstris,
Imperat exstructos frangere nona toros.

Idem lib. 11. ep. 53. ad Julium Cerealem;

* Leg. *Euphemum*.

Cœnabis belle, Juli Cerealis, apud me:
Conditio melior si tibi nulla, veni,
Octavam poteris servare: lavabimur una:
Scis quam sint Stephani balnea juncta mihi.

Sic Gal. lib. 6. *sanit. tu.* cap. 8. Palæstræ nomine Thermas & Balnea videtur significasse, dum inquit: *Antoninus brevissimis diebus Sole occidente in Palæstram ingreditur: longissimis autem hora nona, aut ad summum decima.*

B Heliogabalus Thermis publicis populi usibus exhibitis, tintinnabulum ammovit. Hoc instrumentum æneum erat, quo populus lavandi hora vocari solebat, hodie Campanam dicunt. Martialis libro decimoquarto *Epigr.* cui *Apophoreta* inditum nomen, epigr. 163.

Redde pilam, sonat æs Thermarum: ludere pergis?
Virgine vis sola lotus abire domum.

F I N I S.



F. HENRICI NORIS,

Veronensis Augustiniani, Serenissimi Magni Etruriæ Ducis
COSMI III. Theologi, & in Academia Pisana Ecclesiasticæ Historiæ Professoris,

DE DUOBUS NUMMIS

DIOCLETIANI ET LICINII

Ex Cimeliis Sereniss. ac Reverendiss. Principis

L E O P O L D I

CARDINALIS MEDICEI,

DISSERTATIO DUPLEX.

Cum Auctario Chronologico

DE VOTIS DECENNALIBUS

IMPERATORUM AC CAESARUM.

SERENISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI

LEOPOLDO
CARDINALI MEDICEO.


I tantum mihi ingenii esset in re antiquaria intelligenda, quantum tibi, SERENISSIME PRINCEPS, studii ac industriæ inest in eadem supra omne præconium illustranda; profecto hilari ac prompto animo injunctam mihi a tua Celsitudine insignium Numismatum interpretationem adgrederer; nec Eruditorum censuræ ullum mihi metum, vel saltem moram, injicerent, quominus id, quod sentio, in litteras mitterem, ac publici judicii aleam tentarem. Cum ad insignia quæque prioris ætatis monumenta comparanda animum jam pridem contuleris, nulli industriæ, nulli sumptui, nullis denique difficultatibus parcis, ut inscripti antiquitus lapides, pictæ tabulæ, vetusta Numismata vel apud remotissimas gentes conquisita, tuæ plane regiæ Gazæ cum pretium, tum splendorem adjiciant. Vidit hæc ætas grande miraculum, cum magni Principes, horum votis ac suis pariter lucris indulgens subditorum avaritia, mille navibus toto Oceano sparsis, ingenti auri atque argenti ponderi, ac pretiosissimis mercibus in Europam devehendis inhiaret, Africanorum marmorum antiquitus inscriptorum acervos, hoc est, victricis Romæ reliquias barbarico squalore sordentes, ac longioris temporis edacitate corrosas, tuis navibus in Etruriam advectas, Mediceorum Musei atria nobilitasse. Scimus olim Romanos Duces e devictis Græciæ atque Asiæ urbibus, eximii operis statuas ac pulcherrima signa abstulisse, ut publici veluti Orbis rapinis privatas in Urbe ædes locupletarent. Verum tot inscriptos lapides eruditionis tantum promovendæ gratia e longinquo adductos, nullius plane seculi, nullius exempli, sed tui tantum erga rem antiquariam studii fuit. Cum vero probe nosses totius Antiquitatis thesaurum in vetustis ac alta rubigine obductis Numismatibus contineri, quamvis regnantis familiæ Gazam innumeris id genus priscæ ætatis monumentis ad miraculum refertam scires, nova tamen eidem & pretii & splendoris incrementa daturus, antiqua Augustorum, Regum, ac Coloniarum Numismata ubique gentium incredibili solertia conquisita, quod de Cæsare vetusta quæque colligente Suetonius dixit, *animosissime comparasti*; & cum ceteri hominum recens cusæ pecuniæ cupiditate ad insaniam usque teneantur, tu priscarum gentium nummis colligendis intentus, pauca ærea ac scabra rubigine exesa Numismata multis aureis redimere, in maximi lucri loco ponis, cum plane intelligas pretiosa illa supellectile homines non ditiores fieri, sed sapientiores; siquidem totius Orbis historia ære perenni ducta, immortalibus characteribus in nummis describitur. Ceterum tam præclaras primoris ævi memorias haud in sinu condis, vel uni tibi inspiciendas sigillo munis, sed illas liberali prorsus custodia ita servas, ut passim reclusis scriniis, easdem Eruditorum oculis lustrandas exhibeas; & quo absentibus quoque prodesse possis, Numismatum ectypos ad eruditiores Antiquarios transmittis, ut ipsorum commentariis inserta, in oculis omnium, ac in ore famæ versentur. Verum quod recens inventorum Numismatum, quibus minus ab auro pretium inest, interpretationem mihi tua Celsitudo injungit, vereor ne quantum tibi laudi dabitur, quod Eruditorum procul hinc Musis vacantium judicia minime exspectans, sed moræ impatiens, citissimam eorundem explicationem urgeas, tantumdem mihi vitio deputetur, quod cum Antiquariorum sacraria vix a limine salutaverim, illotis, ut ajunt, manibus docta cimelia tractare non extimui. Profecto pudori meo satius silentio consulerem, ni jussis tuæ Celsitudinis, quibus refragari piaculum sit, ad opus impellerer, in quo tentando non eruditionis famam, sed purum putum obsequii nomen, & ne hoc quidem cum laude, sed cum venia tantum exspecto.

SERENISSIMÆ TUÆ CELSITUDINIS

Humillimus atque addictiss. servus
F. HENRICUS NORIS
Augustinianus.

INDEX CAPITUM.

F. HENRICI NORIS,

Veronensis Augustiniani, Serenissimi Magni Etruriæ Ducis Cosmi III. Theologi, & in Academia Pisana Ecclesiasticæ Historiæ Professoris,

DE DUOBUS NUMMIS DIOCLETIANI ET LICINII

Ex Cimeliis Sereniss. ac Reverendiss. Principis

LEOPOLDI

CARDINALIS MEDICEI,

DISSERTATIO DUPLEX.

DISSERTATIO PRIMA

DE NUMISMATE

IMPP. DIOCLETIANI ET MAXIMIANI.



Ostquam Romanum Imperium in Augustum, dein successores Principes, cessit, non defuere præclara ingenia, quæ Cæsarum tum bello tum pace gesta in literas mitterent, ac seræ posteritati commendarent. Verum quinto postea seculo irrentibus Italiam Barbaris, ac Victricem gentium Provinciam igne ferroque vastantibus, insignia quæque rerum gestarum monumenta communi urbium ac populorum fato conclusa, pessum ivere. Nam cum injectis facibus nobilissima oppida incendio absumerentur, nulla servandarum Bibliothecarum cura quempiam incessit; cum singuli quique, publicis privatisque rebus hostium furori permissis, in secretiora montium latibula arrepta fuga delaberentur. Hinc tot insignium Scriptorum monumenta interiere, ut fortissimorum Principum gesta vel penitus in obscuro lateant, vel minima fere parte, tamquam paucæ e publico naufragio tabulæ emerserint. Ipsis etiam saxis Capitolinis, in quibus Consulum nomina æternitati dicata credebantur, eorundem hostium furore dejectis, Romani Imperii Fasti tanta obscuritate obsiti ad posteros pervenere, ut iisdem innixa Augustorum historia, eadem caligine oppressa, per plura secula jacuerit, donec Onuphrius Panvinus, ad Romanam historiam e tenebris eruendam natus, Romanos Fastos pari diligentia ac felicitate pristino fere nitori restituit. Etenim immane opus adgressus, omnibus tum Græcis tum Latinis voluminibus evolutis, sparsas tota Urbe & Italia Inscriptiones lapidum colligens, Imperatorum Numismata, ac vetusta quæque Antiquitatis Cimelia perlustrans, florentis Reipublicæ ac omnium maximi Imperii Fastos summa cum laude reparavit. Hinc ab eruditissimis Scriptoribus tot in eundem conge-

A sta elogia, ut justæ molis Librum conficerent, si undique excerpta in volumen cogerentur. Unus instar omnium Lipsius in *Notis ad Panegyrim Plinii, Onuphrius*, inquit, *verus Pater principalis Historiæ & Fastorum*. Sed tantæ moli ultimam nondum manum impositam his plane conqueritur Scaliger lib. 5. *de Emendat. Temp.* pag. 497. *Magna perturbatio est in Consulibus, & annis Diocletiani, Constantini Magni, & filiorum ejus in Fastis Onuphrianis, non utique culpa viri, quem vere ætas nostra* PATREM HISTORIÆ *vocare potuit, sed difficultate rei*. Ego quidem, ut ingenue fatear, licet Panvini mei

B (cur enim meum non dixerim, quem eadem patria, idemque religiosæ familiæ institutum mihi conjunctissimum fecit?) diligentiam mirari potius, quam pro merito laudare possim, nunquam tamen adeo animum despondi, ut ejusdem Fastorum, sicubi luxati viderentur, reparandorum curam abjecerim; video enim accuratissimum ac solertissimum messorem eo in campo paucas etiam posteris, quas colligerent spicas, fecisse reliquas. Hoc autem veterum schedarum, antiquorum lapidum, ac Numismatum, quæ subinde e tenebris eruuntur, præsidio præstare me posse spero: præsertim in tam dulci ac plane beatissimo litterarum otio, quod regia Serenissimi Magni Ducis COSMI III. munificentia in Etruria nactus sum, ejusdem copiosissimis

C tum impressorum, tum manu exaratorum voluminum Bibliothecis, ac ditissimis veterum Numismatum gazis, invidenda plane sorte, mihi reclusis. Huic tamen meæ felicitati majora subinde incrementa adjicit erudita Serenissimi Cardinalis LEOPOLDI industria, dum utramque litterariam regnantis familiæ supellectilem nova insignium voluminum copia, ac selectissimorum Numismatum delectu non ad Bibliothecæ vel Cimeliarchii pompam, sed ad uberrimum Musarum quæstum, ac bonarum artium splendorem exornat. Etenim, ut innumera id genus exempla missa faciam, uno Dio-

cletiani Nummo aureo eodemque pulcherrimæ cælaturæ, quem nuper suum in Museum retulit, tabulæ consulares, hostium ac temporum injuria laceratæ, pristino nitori restituuntur. Hoc sane eximiæ Serenissimi Principis gloriæ grata posteritas deputabit, dum exactam Fastorum, quod Diocletiani Imperii annos attinet, integritatem Scaligero desperatam, Petavio dubiam, ceteris vero aut depravatam, aut confusam, uno sibi aureo a magno Principe redemptam accipiet.

CAP. I.

Nummi Medicei descriptio. Domini titulus a Diocletiano in nummis usurpatus. Initium Imperii Diocletiani ex Paschali S. Proterii Martyris Epistola contra Scaligerum demonstratur. Illius anni Consules ex antiquo lapide ac codice Justiniani adversus V. C. sententiam assignantur. Vulgaris opinio de Consulatibus Diocletiani & Maximiani proponitur.



In antica parte Numismatis majoris magnitudinis visuntur Imperatores Diocletianus ac Maximianus laureati, ac consularibus trabeis induti, sese invicem inspicientes. Uterque scipionem eburneum stringit, in cujus superiori parte aquila apparet. Scribit Dionysius Halicarnassensis lib.3. inter regia dona ab Etruscis victori Tarquinio missa, fuisse *sceptrum in summitate habens aquilam*, eoque usum Tarquinium, ac exactis Regibus annuos Consules. Hinc Juvenalis Sat.10. ℣. 43. Consulem describens ait,

Da nunc & volucrem, sceptro quæ surgit eburno.

Exstat apud Tristanum tom. 2. pag. 507. Gordiani nummus, in quo Imperator trabeatus idem omnino sceptrum stringens exhibetur cum epigraphe, TR. P. IV. COS. II. Inivit quartum tribunitiam potestatem Anno vulgaris Æræ Christianæ 251. quo alterum consulatum gessit. In nummo etiam Crispi, in quo COS. II. obsignatur, idem Cæsar scipionem eburneum cum aquila in summitate regit apud C. Patinum, ut plane appareat, eo sceptro

A consularem dignitatem significari. In postica parte eminet currus triumphalis junctis quatuor Elephantis; singulos autem bini sessores regunt, adversa ad currum facie. Imperatores stantes in quadriga triumphali, nempe capsa ex omni parte in ambitum causa * vehuntur, desuper victoria, quæ hinc inde palmas spargit. Hæc quidem Victoria in ectypo eodem prorsus modo scalpta est, quo in aureo Numismate exhibetur; neque enim decuit eandem elegantiori stylo in nummi typo signari. Porro in neutra Numismatis inscriptione epitheton DOMINI legitur, nondum enim Diocletianus invidiosum illum Romanis titulum usurpave-

B rat. Scribit Aurelius Victor Schotti de Diocletiano: *Si primus omnium, Caligulam post, Domitianumque, Dominum palam dici passus.* Observo in lapidum inscriptionibus Augustos jam inde ab imperio Commodi Dominos plerumque appellatos. Ita plane nuncupantur Severus ac Antoninus Gruteri p. 29. Alexander Severus pag. 121. Gordianus pag. 29. Philippus pag. 179. Gallus ac Volusianus pag. 1801. Æmilianus pag. 273. ubi etiam Trajanus in lapide Tarraconensi *Dominus* inscribitur. Hunc tamen titulum subditorum adulatio privato jure Imperatoribus deferebat, quod & in *Epistolis* Plinii ad Trajanum patet; nam hic, teste eodem in *Panegyri*,

C & Alexander ex Lampridio in *ejus Vita*, *Domini* epitheton recusarunt. Ceterum in nummis primus omnium passim *Domini* titulum usurpavit Diocletianus, cujus exemplum successores imitati sunt. Imo idem Diocletianus adhuc superstes ac procul ab Imperii fastigio, ex quo ad privatam vitam sponte descenderat, Augustis *Dominus* appellabatur, ut patet ex edicto Maximini apud Eusebium lib. 9. cap. 9. & rescripto Licinii *L.2. de censu* Cod. Theod. Ex inscriptione tamen Numismatis Medicei colligitur nondum Anno 287. *Domini* titulum memorato Imperatori delatum fuisse, quem postea, hosti-

D bus debellatis, vesana ambitione usurpavit.

Annum V. C. MXL. Æræ Christianæ juxta Dionysianam computationem 287. hoc consulari charactere Panvinus signavit, *Diocletiano* III. *Maximiano* II. *Coss.* Porro tantum celeberrimi Scriptoris auctoritas valuit, ut Baronius, Sigonius, Goltzius, Calvisius, aliique Historici ac Chronologi, in eandem sententiam pedibus iverint. Huic tamen communi placito rarissimum Serenissimi Cardinalis Numisma refragatur, in quo cum tertio consulatu Diocletiani prior Maximiani componitur, ut ex inscriptione lucet, IMPP. DIOCLETIANO III. MAXIMIANO COSS. Hunc autem characterem non

E modo exactum arbitror, verum etiam tanto veterum monumentorum consensu consecratum, ut certe mirari lubeat, viros doctissimos in alienam sententiam descendisse. Hoc ut clarius ostendam, Diocletianæi Imperii initium præmittendum est cum quinque Consulum laterculis, quorum emendationem ex Mediceo Numismate postea subjiciam.

* Videtur leg. *clausa*.

ANNO VRBIS C.		ÆRÆ CHRISTIANÆ
1137.	CARINO II. ET NVMERIANO COSS.	284.
1138.	IMP. DIOCLETIANO II. ET ARISTOBVLO	285.
1139.	MAXIMO II. ET AQVILINO	286.
1140.	IMPP. DIOCLETIANO III. ET MAXIMIANO II.	287.
1141.	MAXIMO, ET IANVARIO.	288.

Cum Numerianus Imperator, e bello Persico victor in Europam revertens, Arii Apri soceri insidiis occubuisset, C. Aurelius Valerius Diocletianus vilissima stirpe in Dalmatia natus, sed longa militia insignis, ac Domesticos id temporis re-

F gens, Imperator Augustus nuncupatus fuit. Diocletiani inaugurationem peractam anno V.C. 1137. Epochæ Christi 284. Carino II. & Numeriano Coss. locupletissimis testimoniis ab eruditissimis viris Baronio ac Petavio probatum est, quibus di-

missis, novas eam in rem probationes arcessam. Sanctus Proterius Patriarcha & Martyr Alexandrinus in Epistola Paschali plures characteres exhibet, quibus initium Diocletianæi Imperii Anno 284. alligatur. Unum tantum afferam: *In octogesimo nono*, inquit, *anno ab Imperio Diocletiani superstite Patre nostro & Episcopo Athanasio, cum* XIV. *Luna Paschalis* XXVIII. *die mensis Phaminoth, id est, nono Kalendarum Aprilium die provenisset, die Dominico, in subsequentem translatum est hebdomadem, ita ut quinta die mensis Pharmuti, hoc est, pridie Kalendarum Aprilium, celebraretur Pascha Dominicum*. Est character Anni 373. qui cum dicatur octogesimus nonus *ab Imperio Diocletiani*, patet Imperium Diocletiani inchoatum Anno 284. Idem tradit S. Ambrosius in Epistola ad Episcopos Æmiliæ, vocans eundem annum octogesimum nonum *ex die Imperii Diocletiani*, quo anno XIV. Martii incidit in diem Dominicam IX. Kal. Aprilium; unde ne Pascha celebraretur in die termini, in alteram Dominicam diem dilatum est. At Anno eodem 284. fuisse Consules Carinum II. & Numerianum fratres Augustos, ex fragmento antiquissimo consulari, quod desinit in Annum 354. a doctissimo Bucherio publicato evidenter demonstratur. Etenim cum ibidem anni Bissextiles, ac feriæ, in quas Calendæ Ianuariæ eorundem annorum incidunt, exactissime designentur, hæc legimus cap. 14. pag. 249. *Carino* II. *& Numeriano B. Mar.* Est plane Annus 284. qui fuit Bissextilis, & Calendæ Januariæ inciderunt in diem Martis Cyclo Solis XIII. Lunæ XIX. lit. FE. Unum superest probandum, Diocletianum iisdem Consulibus ad Romani Imperii fastigium evectum. Est plane aureum testimonium nemini hucusque observatum, *L. ut nemo invitus* lib. 3. Cod. Just. ubi legitur in titulo, *Imp. Diocletianus Augustus Camerio*; dicitur vero rescriptum *Dat. Idibus Octobris Carino* II. *& Numeriano Coss.*

Baronius, post Cassiodorum ac Victorium Aquitanum, Anno 284. assignat Carum II. & Numerianum AA. Coss. addens *ab aliis perperam* poni *Carinum* II. & Græcos Fastos appellat, in quibus ait, Carum II. & Numerianum Coss. legi, itemque antiquum epigramma, quod postea subjiciam. Sed ex Fastis libri de Præfectis Urbis, & Anonymi apud Bucherium Carinus II. & Numerianus Consules digeruntur. Imo in Fastis Græcis apud Scaligerum legimus Ινδ. γ. ΥΠ. ΚΑΡΙΝΟΥ ΣΟ. Β. ϗ ΝΟΥΜΕΡΙΑΝΟΥ. *Indictione tertia Consulatu Carini* II. *& Numeriani*. Erratum est in indictione, nam Anno 284. Kalendis Januarii labebatur indictio secunda; ob proxime intrusum ante Carinum & Numerianum par Consulum Diocletiani & Bassi, error irrepsit. Ex plurimis rescriptis Cod. Just. opinio Cassiodori refellitur. *L.* 3. *de revocand. donat. PP.* II. *Idus Januarias*. *L.* 5. *de donat. PP. Romæ* VI. *Kal. Februarias*. *L.* 19. *ex quibus causis PP.* XVII. *Kal. Febr.* quæ omnia rescripta dicuntur data *Carino & Numeriano Coss.* Cum vero in titulis earundem legum inscribantur *Impp. Carinus & Numerianus*, palam fit ineunte Anno 284. Carum Imperatorem non fuisse superstitem, sed ejusdem filios imperasse, ac una simul Kalendis Januariis ordinarium consulatum iniisse. Antiquum hoc epigramma a Baronio productum, ejusdem sententiam evertit:

VICTORIOSISSIMO FORTISSIMO ATQVE VICTORIOSISSIMO PRINCIPI IVVENT. CLEMENTISSIMO PRINCIPI IVVENT. M. AVRELIO CARINO IMP. CÆS. M. AVRELIO M. AVREL. NVMER. NOBILISS. CÆSARI CARO INVICTO AVG. NOBILISS. CÆSARI COS. PRO. COS. P. M. TR. POT. II. COS. II. PRO. COS. P. P. PRO. COS. M. AVRELIVS VALENT. V. C. LEG. AVGG. PROPR. PROVINCIÆ HISPANIÆ. CITERIORIS. D. N. M. Q. EORVM.

In hac Inscriptione consulatus II. Cari Imperatoris componitur cum primo Carini, quo tempore Numerianus nondum Consul, sed Proconsul tantum appellatur, ac proinde recte cum Numeriano ponitur Carinus Consul II.

Panvinus diem natalem Imperii Diocletiani statuit ipsis Parilibus Urbis, nempe XI. Kal. Maii, quod postea etiam asseruere Baronius, Goltzius, Calvisius, Scaliger, aliique communiter. Verum ex Codice Justinianæo, & Eusebio Cæsariensi, qui id temporis vivebat, illorum Scriptorum opinio falsi convincitur. Lib. 10. Cod. laudatur *lex* 4. *de delat. PP.* III. *Kal. Septembris Carino & Numeriano Coss.* in illius vero titulo leguntur, *Impp. Carinus & Numerianus*. Itaque exeunte Augusto vivebat Numerianus, vel ejusdem mortis nuncium nondum Carinus acceperat, si laudata lex ab hoc ipso emissa afferatur. Eusebius cap. 2. de Martyribus Palæstinis in appendice lib. 8. edit. Valesianæ, scribit Romanum Martyrem occisum die 17. Novembris anno primo persecutionis Diocletiani: *Post quod supplicium*, inquit, *conclusus in carcerem, ac diutissime ibidem maceratus, tandem cum Imperatoris* Diocletiani *Vicennalia jam adessent, & ex solemni more universis, qui in custodia tenebantur, indulgentia publice per præconem annunciata esset, solus ad quatuor usque puncta distentos habens pedes, in ipso jacens nervo, fractis laqueo faucibus, martyrio, sicut optaverat, exornatus est*. Quo luculento testimonio ostenditur Diocletianum neutiquam ipsis Parilibus Imperium suscepisse, cum Vicennalia ante diem XIV. Kal. Decembris peregerit. Ex Fastis Siculis, seu Chronico Alexandrino, Diocletianæi Imperii initium intelligimus. Etenim ad consulatum Carini II. & Numeriani hæc leguntur: *Diocletianus Imperator* XV. *Kal. Octobris Chalcedone renuntiatus*, V. *Kal. Octobris. Nicomediam purpuratus intravit, & Kal. Januariis Consul processit*. Itaque die 17. Septembris Imperium, exercitu deferente, capessivit. Scaliger primus hosce Fastos publicavit, quos etiam sæpius Panvinus appellat, uterque tamen ad Urbis Parilia illius Augusti initia fixit, quibusdam Mamertini verbis moti, quæ oppositum tamen indicare Petavius ostendit. Doctissimus Valesius in Notis ad cap. 2. de Martyribus Palæstinis scribit, vel Eusebium, vel Scriptorem laudati Chronici, in assignando primo Diocletianæi Imperii mense non recte calculos posuisse. Sed ex rescripto Diocletiani signato *Idibus Octobris* A. 284. patet, Eusebium errasse, dum scripsit Vicennalia ejusdem vota soluta die 17. Novembris, cum *Septembrem* dicere debuisset. Forte Nicomediæ XV. Kal. Octobris præsente Diocletiano Vicennalia peracta sunt, & postea XV. Kal. Novembris Antiochiæ, ut iisdem solemniis adesset Augustus; illo enim id temporis ea in urbe degente, appetentibus vicennalibus festis, Romanus occubuit. Ex hac chronologia, tum Ecclesiastica, tum profana, Historia plurimum illustratur: siquidem in sacris Fastis, Numeriano imperante, plurimi Martyres recensentur, cum idem per octo menses A. 284. in imperio vixerit. Insignis Annalium conditor bimestre tantum eidem imperium assignans hæc scripsit: *Cum Numerianus paulo post patrem interfectus sit: unde quæso quod nonnulli Martyres sub Numeriano passi legantur in cunctis Martyrologiis? haud res est facilis demonstratu*. Scaliger etiam in Notis ad Eusebium num. 2299. ludos,

quos a Numeriano datos Calpurnius cecinit, intra tam paucos dies, quibus eundem patri superstitem putat, vix edi potuisse existimans ait: *Hic ambiguum mirari magis, quam solvere possumus*. Quæ tamen ex hucusque demonstratis nullo negotio intelliguntur.

CAP. II.

Doctissimi H. Valesii de suffecto consulatu secundo Diocletiani opinio expenditur. Petavius eidem in laudato consulatu collegam assignat Maximianum Augustum. Ex Medicæo Numismate & antiquis Inscriptionibus refellitur. Vetus Inscriptio mutila explicatur & restituitur.

CArinus Diocletiani inauguratione intellecta, copias undique accersebat, ut æmulum ab Imperio detruderet; itaque civile bellum conflatum. Diocletianus cum postrema anni parte consulatum suffectum gessisset, Kalendis Januariis A. 285. iterum Consul Collega Aristobulo processit. Henricus Valesius de sacra ac profana Historia ultra omne præconium benemeritus, in Notis ad lib. 23. Ammiani Marcellini cap. 1. pag. 250. scribit A. 285. Kalendis Januariis Carinum III. & Aristobulum consulatum iniisse, nam in Fastis Idatii legimus: *Diocletiano* II. *& Aristobulo. His Coss. occisus est Carinus Margo, qui ipso anno cum Aristobulo Consul processerat*. Aristobulus in castris Carini Præfectum Prætorio agebat, cum Diocletianus contra Carinum moveret. Horum testis est Victor Schotti: *Ceteris*, inquit de victore Diocletiano, *venia data, retentique bostium fere omnes, ac maxime vir insignis Aristobulus Præfectus Prætorio per officia sua*. Quare Diocletianus Kal. Januariis non suscepit alterum consulatum cum Aristobulo, cum hic in Carini castris id temporis militaret, ac præcipuus partium Dux haberetur, nec nisi occiso demum suo Principe, ad Diocletianum se contulerit. Hinc putat vir eruditissimus Diocletianum victo apud Murgum in Mysia superiori Carino, ejusdem utpote hostis, nomen e Fastis expunxisse, seque suffectum Consulem designasse. Sirmondus, ne Carinum tertio Consulem in Fastis, quos Idatii nomine inscriptos omnium primus publicavit, contra ceteras consulares tabulas obtruderet, nonnulla textui pro arbitrio inferuit, nempe: *His Coss. occisus est Carinus*, (& levatus est Diocletianus Imperator) *qui ipso anno cum Aristobulo Consul processerat*: ut non Carinus, sed Diocletiani * Kal. Januariis consulatum ordinarium inierit. Sed in MS. codice additum illud non legitur, uti patet ex iisdem Fastis, quos postea Labbeus edidit tomo priori Bibliothecæ MS. Gallicanæ; ubi videmus, eosdem Fastos desinere A. 468. Anthemio Augusto Consule, quamvis in MS. ulterius etiam procedant. Eos numquam Idatio homini Hispano adscripserim; hic enim in suo Chronico res fere tantum in Hispania gestas recenset, quarum in Fastis illis silentium, ut iidem aliena plane manu digesti videantur. Vocabo tamen Idatianos, quia ex priori editione ita passim ab Eruditis nuncupantur. Præterea errorem eisdem Fastis imponit, dum Anno 285. Diocletianum Imperatorem designatum exhibent, qui anno superiori purpuram induerat. Reponit Reformator Chronologiæ lib. 4. cap. 10. num. 17. *levatus dixit, non creatus, sed exaltatus supra æmulos suos*. At lubrica prorsus interpretatio; siquidem antiquus ille Chronologus novas Principum inaugurationes his verbis passim designat, *levatus est*, ut in Aureliano, Tacito, Maximiano, aliisque patet.

Valesius uti est in Veterum lectione accuratissimus, recte tertium Carini consulatum ex illis Fastis asseruit. At quod Diocletianum suffectum Consulem obtrudit, ex Fastis Siculis, seu Alexandrino Chronico, palam refellitur; ibi enim post recitatam Diocletiani inaugurationem ante diem XV. Kal. Octobris, hæc leguntur, Καλάνδαις Ἰανουαρίαις προῆλθεν ὕπατος, *Kalendis Januariis Consul processit*. Adest alterum locupletissimum testimonium *L. 2. si quis aliquem*, quæ emissa est a Diocletiano, & dicitur *proposita Kal. Januariis Diocletiano* II. *Aug. & Aristobulo Coss.* Itaque Diocletianus A. 285. ipsis Kalendis Januariis consulatum ordinarium capessivit. Diocletianus cum accepisset Aristobulum a Carino in trabeæ societatem adscitum, quo probatæ virtutis Ducem in partes traheret, eundem una secum Consulem designavit. Etenim civili bello Augustos semet una cum aliis in variis Orbis Romani Provinciis Consules designabant. Postumus cum imperante Gallieno Galliarum imperium occupasset, plures consulatus gessit, quorum tamen nulla in Fastis mentio. Cernuntur in Cimeliarchio Serenissimi Magni Ducis nummi cum epigraphe: IMP. C. M. CASS. LAT. POSTVMVS. P. F. AVG. P.M. TR. COS. II. & apud Tristanum COS. IV. & COS. V. qua de re plura inferius in descriptione Nummi Liciniani producam. Quod vero Aristobulus, quamvis in Carini hostis comitatu summo cum magistratu versaretur, in consulatus consortium a Diocletiano vocatus fuit, eximiæ Aristobuli virtuti detur, vel ab ipso hoste tam honorifico testimonio commendatæ. Ita idem Diocletianus Cejonium Varum Præfectum Urbis a Carino declaratum, in magistratu retinuit. Quod autem Carini nomen e Fastis a Diocletiano expunctum non fuerit, patet ex *L. ut nemo invitus*, quæ licet a Diocletiano emissa, *Carini* tamen consulatu subsignatur. Ceterum victoriam Diocletiani paucis Eutropius perstringens ait: *Carinum omni odio ac detestatione viventem apud Murgum ingenti prælio vicit, proditum ab exercitu suo, quem fortiorem habebat, certe desertum inter Viminacium & Aureum Montem.* In Tabulis Peutingerianis ad ripam Istri in Mysia superiori legimus: *Aureo Monte* X. *Margum* XIV. *Viminacio*.

Concors fere omnium sententia est, hoc Anno 285. M. Aurelium Valerium Maximianum ab Imperatore Diocletiano Cæsarem designatum; ita scripsere Baronius, Panvinus, Goltzius, Calvisius, & doctissimi nummorum Interpretes Occo, Tristanus, Patinus, Angelonus, aliique passim, præeunte Eutropio lib. 9. Imo Petavius lib. 11. *de doct. temp.* cap. 31. putat Maximianum hoc ipso anno designatum fuisse Augustum, & Consulem suffectum ex vetusti lapidis Inscriptione apud Gruterum pag. 280. *quæ*, inquit, *Diocletiani in secundo consulatu collegam tribuit Maximianum Augustum*: MAXIM.... AVG.... N. DIOCLETIANO II. COSS. SVB FELICE PROC. AVG. N. THERM. ANTONIANARVM *. *Hic in secundo consulatu collegam Diocletianus habuit Maximianum Augustum*. Et quidem quod suffectum Maximani consulatum attinet, Panvinus lib. 2. *Fastorum* ad annum V. C. apud ipsum 1136. Epochæ Christianæ 284. Maximianum Consulem suffectum ponit Kalendis Julii, & quod annum spectat, consentiunt Calvisius ac Goltzius.

Ut ab hoc postremo incipiam, huic suffecto Maximiani consulatui aperte refragatur Nummus Mediceus, in quo primus consulatus Maximiani ordinarius asseritur, collega Diocletiano tertium Con-

* Lege, *Diocletianus*.

* Forte, *Antoniniarum*.

Conſule A. 387. quod ipſum ex antiquo lapide ac plurimis legum ſubſcriptionibus demonſtrabo. Miror autem Calviſium Faſtos Siculos appellare, cum illi cum Mediceo Numiſmate plane concinant; etenim ibidem legitur, ΔΙΟΚΛΕΤΙΑΝΟΥ ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ ΤΟ Β. καὶ ΜΑΞΙΜΙΑΝΟΥ ΕΡΚΟΥΛΙΟΥ ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ, ut perperam iiſdem Faſtis ſuffectus Maximiani conſulatus attribuatur. Sed nec antiqui lapidis epigramma Petavio ſuffragatur; ſiquidem hoc ejuſdem fragmentum a Grutero ponitur:

FLORENT
ET PIISI
D. N. VALE
MAXIM
SEMPER

C. CEIONIV
V. C. PRÆ
PRÆF. VRB.
IVDIC. D. N.

In dextero latere,

MAXIM. AVG.
N. DIOCLETIANO II. COS.
SVB FELICE PROC. AVG. N.
THERM. ANTONIANARVM.

Profecto minus recte Petavius legit *Maximiano Auguſto N. Diocletiano* II. *Coſſ.* ut Maximianus Anno 285. & Auguſtus & Conſul judicetur; nam ita in lapide, ut Eruditi norunt, legeretur, Maximiano & Diocletiano II. AVG. COSS. Cum vero Maximianus in omnibus inſcriptionibus marmorum, & legum, & in tabulis conſularibus Diocletiano, a quo imperium acceperat, poſtponatur, perperam in laudata Inſcriptione huic præpoſitus fingitur. Imo cum ibidem hæ notæ appareant D. N. & AVG. N. palam fit, unum Diocletianum Imperatorem deſignari; nam ſi Maximianus quoque Auguſtus exprimeretur, litteræ eædem duplicatæ cernerentur, nempe DD. NN. & AVGG. NN. quemadmodum lucet in ceteris Inſcriptionibus, in quibus duo Auguſti nominantur. Porro juvat eandem Inſcriptionem integram reddere:

FLORENTISSIMO. ET. PIISSIMO.
D. N. VALERIO. DIOCLETIANO.
MAXIMO. INVICTO. SEMPER.
AVG. C. CEIONIVS. VARVS. V. C.
PRÆF. PRÆTORIO. ET PRÆ-
FECTVS. VRBI. VICE. SACRA. IV-
DICANS. DEVOTVS. NVMINI. MA-
IESTATIQ. EIVS. MAXIMO AVGV-
STO DIOCLETIANO II. COS. SVB
FELICE PROCVRATORE AVGVSTI
NOSTRI THERMARVM ANTONIA-
NARVM.

In Libello *de Præfectis Urbis* A. 285. Diocletiano II. & Ariſtobulo Coſſ. Ceionius Varus ponitur Præfectus Urbis, quemadmodum in laudata Inſcriptione, qui cum anno etiam ſuperiori Carino imperante in eodem magiſtratu fuerit, recte dixit Victor Schotti Diocletianum, occiſo Carino, ceteros *retinuiſſe per officia ſua*. Scaliger in Comment. ad Euſeb. num. 2231. poſtremam poſitæ Inſcriptionis partem ante Gruterum ex baſe Romani lapidis exſcriptam protulit.

Ex antiquis inſcriptionibus lapidum & nummorum ſententia Petavii de vocato in conſortium Imperii cum Auguſti titulo Maximiano A. 285. refellitur. Marmorum elogia cap. 4. producam; ibi

A enim Poteſtas Tribunitia X. Diocletiani cum VIII. Maximiani componitur, ex quo patet, Maximiani imperium in alterum annum protrahendum. Hubertus Goltzius, accuratiſſimus Numiſmatum indagator, nummos poſtremo Maximiani Imperii anno cuſos exhibet cum notis L. IH. quibus annus XVIII. deſignatur, & recte; ſiquidem Kal. Aprilis A. 286. purpuram induit, eandemque A. 304. ipſis Kal. Aprilis Mediolani depoſuit. Opponit Petavius antiquum *Panegyricum* Maximiano dictum, in quo Orator eundem appellat *viceſimo anno Imperatorem*. At Panegyriſtes more Oratorum

B rotundo numero uſus fuit. Cum Diocletianus ineunte anno imperii viceſimo vota Vicennalia ſolviſſet, eadem quoque Maximianus, ut cum imperii collega conveniret, biennio anticipavit; laudatur enim ab eruditiſſimo Patino Maximiani nummus inſcriptus VOT. XXX. AVGG. quare quod idem Tricennalia vota nuncuparat, annum imperii viceſimum eidem Orator aſſignavit.

Ex his manifeſte colligitur Maximianum nec Conſulem ſuffectum, nec Auguſtum Anno 285. a Diocletianum * deſignatum. Imo vix in communem ſententiam trahi poſſim, qua vulgo tum hiſtorici, † nummorum interpretes arbitrantur eodem anno Maximianum Cæſarem nuncupatum.

C Spartianus in Libello de Vita Ælii Cæſaris ad Diocletianum, ſcribit eumdem creatum fuiſſe Cæſarem ab Hadriano non teſtamento, ut antea moris fuit, *ſed eo genere, quo noſtris temporibus a veſtra clementia Maximianus ac Conſtantius Cæſares dicti ſunt, quaſi quidam Principum filii viri, & Auguſtæ majeſtatis heredes*. Intelligit Galerium Maximianum & Conſtantium Chlorum. Sane Maximianum Herculium non omiſiſſet, imo prior in exemplum vocandus fuerat, ſi prius Cæſar, dein Auguſtus deſignatus fuiſſet. Victor Schotti ait: *Maximianum ſtatim fidum amicitia, quamquam ſe-*

D *miagreſtem, militia tamen atque ingenio bonum, Imperatorem jubet*. Nulla hic facta Maximiani Cæſaris deſignatio recitatur. Interpretes Numiſmatum Maximianum Galerium nobiliſſimum Cæſarem pro Maximiano Herculio obtruſerunt. Occo nummos profert cum epigraphe, MAXIMIANVS NOB. CÆS. eoſque deputat Maximiano Seniori. Ceterum hominem hallucinari conſtat ex Inſcriptionibus, quæ in poſtica parte leguntur, M. SACRA AVGG. ET CÆSS. NN. item, SALVIS AVGG. ET CÆSS. ubi duo Auguſti Diocletianus & Maximianus, duoque pariter Cæſares Galerius Maximianus ac Conſtantius ex-

E primuntur, ac proinde in antica parte Maximianus Galerius, non Herculius, deſignatur. Duo illi Cæſares A. 291. Kal. Martii purpuram ſuſceperunt, ac proinde illa Numiſmata poſt eorundem deſignationem cuſa ſunt; cum tamen Maximianus Herculius a quinquennio Auguſtus imperaret, ut patet ex nummis, in quibus per annos octodecim inſcribitur ΑΥ. Κ. ΜΑΞΙΜΙΑΝΟΣ. ΣΕΒ. L. A. uſque ad L. IH. & a Mamertino in *Panegyrico* recitato A. 289. die natali Urbis idem dicitur *Imperator*, & *Cæſar*. Itaque Eutropius erravit, dum lib. 9. ſcribit: *Diocletianus Maximianum Herculium ex*

F *Cæſare fecit Auguſtum, Conſtantium, & Maximianum Cæſares*. Pleno enim quinquennio inauguratio Maximiani Auguſti Cæſarum deſignationem anteceſſit. Panvinus noſter nummum laudat inſcriptum, M. VAL. MAXIMIANVS NOB. CÆS. & AVREL. VAL. NOB. CÆS. Verum nuſquam talis inſcriptio in Maximiani Herculei nummis ab aliis Antiquariis, qui Gazas omnes veterum Numiſmatum diligentiſſime perluſtrarunt, inventa fuit. Apud Occonem proſtant

* Leg. *Diocletiano*. † Adde, *tum*.

nummi inscripti, IMP. C. M. A. VAL. MAXIMIANVS P. F. AVGVSTVS. Certe si Panvini Numismata reperirentur, essent rarissima, eisque dubium omne dispelleretur.

CAP. III.

Maximianus in consortium Imperii a Diocletiano adscitus. Plures tituli legum Codicis Just. emendantur. Prior Maximiani consulatus ex Mediceo Numismate cum tertio Diocletiani componitur. Vetus Inscriptio, utriusque Augusti Rescripta, antiqui Fasti cum Græci tum Latini Numismati contra communem sententiam suffragantur. Duo laterculi Consulum in Fastis ejusdem nummi præsidio corriguntur.

CUM Carinus maximas adversus Diocletianum copias ducturus, Gallias legionum præsidiis nudasset, Amandus & Ælianus Imperium in Galliis invaserant, & collecta ingenti rusticorum ac latronum manu nobilissimas Provincias igne feroque vastabant. Eorundem nummi Goltzio laudantur, IMP. C. L. ÆLIANVS P. F. AVG. & IMP. C. CN. SAL. AMANDVS P. F. AVG. Nec meliori forte Romana res in Oriente utebatur. Etenim Persæ, quo proxime acceptas a Caro & Numeriano clades ulciscerentur, Romanos limites infestis agminibus irruperant, ac universam pene Syriam in potestatem redegerant. Diocletianus, cum tot hostibus, toto Romano orbe distantibus, una simul occurrere nequiret, M. Aurelium Valerium Maximianum imperii collegam adlegit. Hæc in Fastis Idatianis leguntur: *Maximo* II. *& Aquilino. His Coss. levatus est Maximianus senior die Kal. Aprilium.* Et quidem hoc An. 386. Maximianum imperium iniisse probat vetusti lapidis inscriptio apud Panvinum A. V. C. 1045. & Gruterum pag. 166. in qua ejusdem TR. P. VIII. cum X. Diocletiani componitur. At Kalendis Aprilis A. 286. latebatur Potestas Tribunitia secunda Diocletiani, qua die eandem primum Maximianus Herculius iniit. Inscriptionem producam cap. 4. Hinc corrigendus est error Collectorum Cod. Justinianæi, qui in titulis legum emissarum Diocletiano II. & Aristobulo Coss. & Maximo II. & Aquilino ante Kal. Aprilis, scripsere, *Impp. Diocletianus & Maximianus AA.* cum id temporis unus Diocletianus imperaret. Idem error irrepsit in titulos legum Septimii Severi, cum quo semper Antoninus Augustus copulatur, cum tamen sexto demum anno imperii Severi patris Antoninus Augusti dignitatem acceperit, ut patet ex Inscriptione antiqua pagina MXX. 2. in qua prima Potestas TR. Antonini Imperatoris cum VI. Severi conjungitur. Cardinalis Baronius recte observat Maximianum nedum Augustum creatum, verum etiam Consulem ordinarium in sequentem annum designatum: Hæc de Diocletiano scribit vir doctissimus A. 286. *Maximianum collegam allegat imperii, & in anni sequentis Consulem pariter designavit, quod ex nummis antiquis constat, dum consulatus ejus cum potestate tribunitia secundo aucta describitur, his videlicet verbis,* IMP. MAXIMIANVS P. F. AVG. P.M. TR. P. II. COS. *ut plane appareat Tribunitiam Potestatem primam, quæ cum imperio conferri consuevit, ipsum consequutum fuisse anno ante* PRIMUM *consulatum ipsius, hoc ipso Anno scilicet* 286. Hæc ille Mediceo Numismati conformiter, qui tamen Anno 287. cum vulgari opinione Maximianum Consulem II. obtrudit, ut Potestas Tribunitia Maximiani Kal. Aprilis secundo aucta cum altero ejusdem consulatu jungatur.

Anno 287. Diocletianus tertium, Maximianus primum consulatum iniere, ut ex epigraphe Medicei Numismatis apparet, IMPP. DIOCLETIANO III. MAXIMIANO COSS. quem quidem consularem characterem contra vulgarem Panvini, Baronii, Goltzii, Calvisii, aliorumque sententiam tot tantisque ejusdem, non dicam ætatis, sed plane anni monumentis evincam, ut sane sperem fore, ut imposterum universi ab errore vulgari discedant, & consularium tabularum reparationem rarissimo huic Numismati acceptam ferant. Exstat hæc Inscriptio apud Panvinum lib. 2. *Fast.* A. V. C. 1039. Gruterum pag. 283. ubi tamen pro Diocletiano, *Constantino* perperam legitur:

MAGNO. ET. INVICTO. IMP. CÆS.
C. VAL. AVREL. DIOCLETIANO.
PIO. FEL. INVICTO. AVG. PONTIF.
MAX. TRIB. POT. COS. III. P. P.
PROCOS. D. N. CORPVS. CORIARIORVM. MAGNARIORVM. SOLAIARIORVM. DEVOTI. NVMINI.
MAIESTATIQVE. EIVS.

DEDICATA. KAL. IAN. D. D. NN.
DIOCLETIANO III. ET MAXIMIANO COSS. CVRANTE. THESIO. SECVNDO. P. C. CORIARIORVM.

Hoc inscripto marmore, non secus ac lydio lapide, aurei Numismatis character, quo tertius Diocletiani consulatus cum priori Maximiano conjungitur, evidentissime demonstratur. Nummi ac lapides antiquitus inscripti, locupletissimi testes habendi sunt, cum nullius amanuensium erroribus obnoxii sint, sed priscæ ætatis memorias ad seram posteritatem integra fide transmittant. Hoc ipsum patet ex pluribus Rescriptis eodem Anno 287. ab Impp. emissis *L.* 2. *de duobus reis. L.* 18. *de pactis. L.* 1. *ne uxor. L.* 15 *de administrat. tut. L.* 7. *de remissione pignoris. L.* 3. *de postliminio. L.* 7. *ad leg. Fabiam. L.* 1. *de abolit. L.* 5. *de patria potestate. L.* 9. *de distract. pignoris. L.* 11. *ad leg. Corneliam &c.* quæ omnia Rescripta in subscriptione dicuntur data DIOCLETIANO III. & MAXIMIANO COSS. Quis autem non intelligat nummis, lapidibus, Principum rescriptis eodem charactere consulari signatis plenam fidem præstandam potius quam iis Scriptoribus, qui post tredecim secula Romani Imperii Fastos digessere? His tam perspicuis probationibus vim adhuc augent Fasti antiquissimi, qui in libello *de Præfectis Urbis* & fragmento Idatiano, item altero apud Bucherium pag. 249. denique in Chronico Alexandrino leguntur, in quibus omnibus anni ejusdem Consules afferuntur Diocletianus III. & Maximianus. Anonymus apud Bucherium ait, *Diocletiano* III. *& Maximiano Sat.* nempe Kalendas Januarias iisdem Consulibus in diem Saturni incidisse, qua certissima nota indicatur Annus 287. Cyclo Solis XVI. Lunæ III. lit. E. quo anno Kal. Januariis die Saturni ambo Augusti Consules processere.

Panvinus hunc nummum profert, IMP. MAXIMIANVS AVG. TR. P. II. COS. II. P. P. cum vero Tribunitia Potestas II. Maximiani incœperit Kal. Aprilis A. 287. infert eundem ipso anno fuisse Cos. II. quemadmodum in nummo exponitur. Verum hinc gradum facio ad alterum laterculum Consulum ejusdem Medicei Numismatis præsidio reparandum, in quo statuendo

Baronius, Panvinus, Goltzius, Calvisius, ac ceteri inferioris notæ Chronologi, tot insignium virorum auctoritate decepti aberrarunt; siquidem Anno 288. hos Consules attribuunt *Maximum & Januarium*. Verum Fasti omnes antiqui, quos superius laudabam, exhibent illius anni Consules *Maximianum* II. *& Januarium*. Fasti Græci apud Scaligerum hoc par Consulum produnt, ΥΠ. ΜΑΞΙΜΙΑΝΟΥ ΕΡΚΟΥΛΙΟΥ ΤΟ Β. ϗ ΙΑΝΟΥΑΡΙΟΥ. *Consulatus Maximiani Herculii* II. *& Januarii*. Anonymus editus a Bucherio c. 12. comment. in Victorii Aquitani canonem scribit, *Maximiano* II. *& Januario B. Sol.* Illa littera B. annum bissextilem significat, *Sol.* vero Solis, seu, Dominicum diem, in quem iisdem Coss. incidere Kal. Januarii. Profecto Annus 288. fuit intercalaris, ac Kalendæ Januariæ contigere die Solis, seu, ut Christiani dicimus, die Dominico Cyclo Solis XVII. Lunæ IV. lit. AG. Hunc ipsum Maximiani consulatum II. evincunt Nummus Mediceus, ac cetera antiquissima monumenta, quæ anno superiori Maximianum primum Consulem exprimunt. Legitur itidem hoc A. 288. Maximianus Cos. II. in Fastis Prosperi editis ab eruditissimo Labbeo tom. I. Biblioth. Gall. MS. Item & Cassiodori, qui tamen omnium sunt corruptissimi. Ex his patet nummum Panvini, in quo Maximianus dicitur TR. P. II. COS. II. cusum esse a Kal. Januarii, cum id temporis Maximianus esset Cos. II. & Trib. Pot. II. usque ad Aprilem, quo ineunte inchoavit Trib. Pot. III. Erravit Ammianus Marcellinus initio lib. 23. scribens de Juliani Augusti & Sallustii consulatu: *Videbatur novum, adjunctum esse Augusto privatum, quod post Diocletianum & Aristobulum nullus meminerat gestum*. Nam tertio anno a Diocletiani & Aristobuli consulatu Maximianus Augustus Januarium in trabea consulari collegam habuit. Itaque inanem operam ponit doctissimus Valesius, dum ex illis Ammiani Marcellini verbis Idatianos Fastos conatur emendare, contra concordem veterum omnium Fastorum sententiam. Ammianus vel memoria lapsus est, vel corruptas Consulum tabulas legit. Certe idem lib. 16. arguit Constantium superbiæ, *quod nec in trabea socium privatum adsciverit, ut fecere Principes consecrati*. Cum tamen Diocletianus, Galerius, Constantius, Maxentius, Licinius, ac Constantinus ipse, numquam collegam in consulatu privatum hominem admiserint. Diocletianus, cum nollet se cum Carino hoste Consulem designare, Aristobulum ab alio nuncupatum, in trabeæ societatem vocavit. Reliquos vero octo consulatus cum Augusto, vel Cæsaribus gessit, ut idem potius, quam Constantius arguendus videatur.

Hæc fusius deduxi, ut consularis Medicei Numismatis character integræ prorsus fidei ostenderetur, ejusque præsidio duo Consulum laterculi celeberrimis Scriptoribus depravati, suæ tandem integritati restituerentur. Hinc studiosi quique Fastorum plurimas gratias debent, ipse certe maximas ago, eruditæ Serenissimi LEOPOLDI Cardinalis industriæ, dum insigniora antiquitatis cimelia regiis plane sumptibus comparata, suam in Gazam inferens, eas ad Romanam historiam illustrandam opes suppeditat, quas Litterati, curtæ utplurimum supellectiis homines, suis numquam viribus assequerentur. Itaque ejusdem rarissimi Numismatis beneficio mirabiles illos Panvini Fastos sic emendamus:

Fasti Panvini ex Nummo Mediceo correcti.

DIOCLETIANO III. Anno V. C. 1040.
DIOCLETIANO III. MAXIMIANO II.
Christi 287. MAXIMIANO. ET MAXIMO V. C. 1041. MAXIMIANO II. ET IANVARIO. Christi 288. IANVARIO.

In annis etiam Urbis idem Panvinus erravit. Nam cum Epocham Dionysianam uno anno citius inchoaverit, nempe anno ab V. C. 752. ut Anno Christi 284. in quo Diocletianæi Imperii initium figendum esse certissimis characteribus noverat, Christianam Æram recte collocaret, unum Imperii annum Probo abstulit, ac par Consulum Probi & Paulini ex Consulibus ordinariis expunxit, ac inter suffectos recensuit. Hinc ab anno V. C. 1030. in digerendis annis Romanæ Urbis, unius semper anni metachronismum peccat; quare consulatum Diocletiani III. & Maximiani recitat A. V. C. 1039. At Probum & Paulinum fuisse Consules ordinarios præter antiquos Fastos, evidenter probat Rescriptum ipsius Probi Imperatoris L. 2. *de revocat. donat.* lib. 8. Cod. Just. *Proposita* III. *Non. Maii Sirmii Probo A. & Paullino Coss.* Soli autem Consules ordinarii legibus subscribebantur. Hac occasione, veniam dabit Lector, non possum omittere palmarem errorem nuperi Reformatoris Chronologiæ, qui tom. I. lib. 4. cap. 3. prope finem de Panvino hæc habet: *Ab Ulpio & Pontiano exclusive ad Tiberianum & Dionem inclusive, debent poni anni* 53. *ille autem ponit* 52. *omittens Licinium Valerianum & Maximum*. Hæc scribens nec Panvini Fastos legit, & suorum plane oblitus fuit. Etenim magnus noster Chronologus Probum & Paulinum omisit, non vero *Licinium Valerianum & Maximum*, qui sane in nullis omnino antiquis Fastis inveniuntur, nec apud tabulas consulares ipsiusmet Reformatoris, quas tom. I. pag. 169. concinnat, & iterum repetit tom. 3. pag. 45. in illis enim ab Anno 238. quo Ulpius & Pontianus consulatum gessere, usque ad Annum 291. nusquam *Licinius Valerianus & Maximus* Consules leguntur. Baronius illud par Consulum excogitavit A. 256. Licuit fortasse Reformatori quoque Chronologiæ novos Consules pro arbitrio Fastis inserere, ut assumpti nominis potestatem ostentaret.

CAP. IV.

Quadrigas triumphales in nummo signatas non exprimere triumphum ab Imperatoribus peractum. Designare eorundem victorias Persicas ac Germanicas. Consulatus Maximiani in Numismate positus antiquo Oratori commendatus. Carausius novus in Britannia Augustus. Ejusdem rarissimus Nummus e Medicea Gaza producitur. Panvinus immerito a Tristano reprehensus.

CONSULARI Numismatis charactere omnium priscæ ætatis monumentorum consensu contra vulgarem Chronologorum sententiam comprobato, gradum facio ad explicandas quadrigas, quæ in aversa Numismatis parte visuntur. In primis mihi compertum est non designari triumphum a Diocletiano & Maximiano peractum. Nam licet iidem Augusti innumeris hostium copiis profligatis, plura toto pene Orbe trophæa erexerint, novis subinde bellis impliciti, triumphum in postrema Imperii, quod abdicarunt, tempora distulere. Mamertinus in *Panegyrico* die natali Maximiani dicto cap. 4. utrumque Imperatorem alloquens ait: *Hos fructus capitis operum maximorum; sic interim meritoria * conscientia triumphatis*,

* Alii legunt, *meritorum*.

A *dum* TRIUMPHOS *ipsos semper vincendo* DIFFERTIS, *quod quæcumque pulcherrima facitis, continuo transitis, & ad majora properatis*. Hanc Orationem recitavit A. 291. exacto quinquennio imperii Maximiani, ut in procemio testatur. Fortasse habita est Oratio XII. Kal. Augusti; hæc enim dies in Actis S. Marcelli Centurionis, sub iisdem Principibus passi, dicitur *natalis Imperatoris* apud Surium 31. Octobris. Verum cum æque intelligi possit dies natalis Diocletiani, rem in medio relinquo. Sufficiat alterutrius natalem ibidem designari, quod nemini hucusque observatum fuit. Idem Mamertinus in *Panegyri* die natali Urbis recitato cap. 13.
B Romam alloquens ait: *Hi cum primum redeant ad te triumphantes, uno cupiunt vehi curru, simul adire Capitolium, simul habitare Palatium*. Dicta est hæc Oratio coram Maximiano A. 289. die 21. Aprilis, ut postea ostendam. Itaque iidem Imperatores A. 287. quo nummus scalptus est, nullum adhuc triumphum Romæ egerant. Eutropius elegantissimus Scriptor in fine lib. 9. scribit utrumque Augustum privato habitu imperii insigne mutasse *post triumphum inclytum, quem Romæ ex numerosis gentibus egerant, pompa ferculorum illustri, qua Narsei conjuges, sororesque, & liberi ante currum ducti sunt*. Henricus
C Valesius eximiæ eruditionis vir, in Notis ad cap. 13. lib. 8. Eusebii, pluribus ostendit hunc triumphum gestum fuisse Anno 302. Nec ipse quicquam novi eam in rem addere possum, cum ab accuratissimo Scriptore meliora occupata sint. Hunc triumphum laudat Anonymus Panegyristes in epithalamio coram Maximiano & Constantino recitato, ubi cap. 8. seniorem Augustum alloquens ait: *Te* PRIMO INGRESSU *tuo tanta lætitia, tanta frequentia populus excepit, ut cum te ad Capitolini Jovis gremium vel oculis ferre gestiret, stipatione sui vix ad Portas Urbis admitteret*. Itaque Maximianus anno imperii XVI. Romam primum venit, de
D subactis hostibus triumphaturus, ac proinde nullus eisdem nec collegæ gestus triumphus in Numismate designatur.

Augusti devictis hostibus laureatas statim litteras Romam mittebant, quibus a P. C. perlectis, triumphus eisdem S. C. decernebatur, cujus etiam in perenne delati honoris monumentum Numismatibus. Gordianus Persas abs se victos Senatui per litteras significavit, *quibus*, inquit Capitolinus cap. 27. *in Senatu lectis, quadrigæ elephantorum Gordiano decretæ sunt, utpote qui Persas vicisset*. Et quidem certum est quadrigas in nummis non semel significare triumphos, non ab Augustis Ro-
E mæ actos, sed eisdem a Senatu decretos. Exstant in Cimeliarchio Mediceo nummi cum quadrigis triumphalibus tum Macrini, tum Maximini; illius cum hac Inscriptione, IMP. CÆS. M. OPEL. MACRINVS AVG. P. M. TR. P. II. COS. II. P. P. S. C. hujus vero cum epigraphe, IMP. MAXIMINVS PIVS AVG. P. MAX. TR. P. II. COS. P. P. S. C. ubi victoria utrumque coronans inspicitur. At nec Macrinus de Parthis, nec Maximinus de Germanis Romæ triumpha-
F runt, cum uterque antequam in Urbem veniret, militum seditione vitam cum imperio amiserit.

Ceterum cum triumphales quadrigæ nisi post debellatos hostes decretæ fuerint, investigandæ sunt victoriæ Diocletiano & Maximiano partæ, ob quas in nummo A. 287. percusso currus triumphalis eisdem S. C. decretus fuerit. Diocletianus, victo in superiori Mysia A. 285. Carino, statim contra proximos Germaniæ populos, qui Carino suppetias tulerant, movit, eosque ingenti clade affecit. Interim etiam per legatos rem feliciter in Britannia gessit; unde a Senatu Britannicus, ac Germanicus appellatus fuit, delatis triumphi insignibus. Hæc nulla Scriptorum volumina produnt; colliguntur tamen ex hoc antiquo lapide a Baronio laudato A. 285.

IMP. CÆS. S. VALERIO. DIOCLETIANO. PIO. FELICI. INVICTO. AVG. PONT. MAX. BRITANNIC. MAX. GERM. MAX. TRIB. POTEST. II. COS. II. P. P. PROCOS. HONORATI. ET DECVRIONES. ET NVMERVS MILITVM, CALIGATORVM.

Posita est hæc Inscriptio ante XVII. Kal. Octobris A. 286. illa enim die terminabat Potestatem Trib. II. At Germanos ab eodem victos Anno 285. quo Carinum profligavit, patet ex ejusdem *L. 6. de fide instrument. Dat. Nicomediæ* XIII. *Kal. Februarias Maximo* II. *& Aquilino Coss.* nempe A. 286. ex quo rescripto colligo Maximianum eodem anno Kal. Aprilis Augustum renunciatum a Diocletiano Nicomediæ in hibernis morante, ac bellum adversus Persas ibidem adornante.

Maximianus novus Augustus, cum parte legionum atque auxiliaribus copiis in Gallias contra Ælianum & Amandum, qui ibidem imperium occupaverant, profectus, utrumque Tyrannum uno fere impetu oppressit, ac civile bellum, occisis seditionum auctoribus, pari celeritate ac felicitate confecit. Ita intra paucos dies Galliæ in libertatem assertæ, atque ad obsequium revocatæ. Hanc Maximiani victoriam paucis perstringit Orator in epithalamio cap. 8. *Hic est*, inquit de eodem, *qui in* IPSO ORTV *Numinis sui Gallias priorum temporum injuriis efferatas, Reipublicæ ad obsequium reddidit, sibi ipsas ad salutem*. Mamertinus etiam in *Panegyrico* dicto Maximiano ipsis Parilibus Urbis cap. 4. memoratam victoriam cursim celebrans ait: *An non illud malum simile monstrorum biformium* (Ælianum & Amandum intelligit) *in hisce terris fuit, quod tua Cæsar nescio utrum magis fortitudine repressum sit, an clementia mitigatum, cum militares habitus ignari agricolæ appetiverunt; cum arator peditem; cum hostem barbarum suorum cultorum rusticus vastator imitatus est? quod ego cursim prætereo, video enim te (qua pietate es) oblivionem illius victoriæ malle quam gloriam*. Bellum enim civile fuit ab imperita rusticorum, quos Bagaudas dicere, multitudine ducibus Æliano & Amando conflatum. Carausius egregiam hoc in bello operam Maximiano navavit. Scribit Victor Schotti: *Quo bello Carausius Menapiæ civis factis promptioribus enituit: eoque eum simul quia gubernandi (quo offic.o adolescentiam mercede exercuerat) gnarus habebatur, parandæ classi, ac propulsandis Germanis maria infestantibus, præfecere*. Ex quibus patet errare Calvisium & Alfordum, qui Carausii rebellionem hoc Anno 286. recensent, cum id temporis Carausius in castris Maximiani summa cum laude militaverit, & in partem victoriæ venerit, ac postea adornandæ classi incubuerit. Germani cum Romanos civili bello occupatos viderent, superato Rheno in proximiora Galliarum oppida impetum facientes, omnia igne ferroque vastabant. Maximianus militem recenti contra Tyrannos victoria ferocem contra Barbaros movit, ac divisis copiis, eodem tempore diversis in locis prædas agentes aggressus, universos partim fame confecit, partim aperto Marte prostravit. Audiatur Mamertinus cap. 5. *Quod statim vixdum misero illo furore sopito* (nempe civili bello cum rusticis) *cum omnes barbaræ Nationes excidium universæ Galliæ minarentur, neque solum Burgundiones & Alamani, sed etiam Chaibones Erulique, viribus primi Barbarorum,*

locis ultimi, præcipiti impetu in has Provincias irruissent, quis Deus tam insperatam salutem nobis attulisset, nisi tu affuisses? Pluribus Maximiani victorias describit. Itaque A. 286. Ælianus & Amandus, dein Germani qui in Gallias irruperant, a Maximiano victi sunt.

Dum hæc in Galliis geruntur, Diocletianus cum ingenti exercitu e Bithynia discedens, in Persas movit, ac bellum de proximo ostentans, tantum Persarum Regi terrorem incussit, ut is abductis propere e Syria præsidiis, non modo eandem adventanti Imperatori ultro cesserit, verum etiam missa cum muneribus ligatione, pacem supplex rogaverit. Diocletianus Antiochia aliisque urbibus incruenta victoria potitus, recenti terrore utendum ratus, bellum undique urgebat, quo metum hostium intenderet. Antiquus Panegyristes victorias Diocletiano nullo suorum cruore, Maximiano vero cum ingenti hostium clade partas describens, ducta similitudine a Jove, & ab Hercule, quorum agnomina iidem Augusti per summam ambitionem assumpserant, hæc inquit c.7. *Credo itidem optimam illam fertilemque Syriam velut amplexu suo tegebat Euphrates, antequam Diocletiano sponte se dederent regna Persarum. Verum hoc Jovis sui more nutu illo patrio, quo omnia contremiscunt, & majestatis vestri nominis consecutus est. Tu autem, Imperator invicte, feras illas indomitasque gentes vastatione, præliis, cædibus, ferro, ignique domuisti.* Has inter victorias hyems clausit Annum 286.

Diocletianus tertium, Maximianus primum Consules insequentem Annum 287. aperuere, ut ex epigraphe Numismatis apparet, IMPP. DIOCLETIANO III. MAXIMIANO COSS. Et quidem Maximianus, cum ipsis Kalendis Januarii palmatam induisset, insigni de Barbaris victoria reportata, primum sui consulatus diem felicissime auspicatus est. Hæc fusius prosequitur Mamertinus cap. 6. quæ cum maxime illustrent ejusdem Augusti consulatum in Numismate expressum, operæ pretium duxi eadem hic recitare: *Transeo*, inquit, *innumerabiles tuas tota Gallia pugnas atque victorias; quæ enim tot tantisque rebus sufficit oratio? Illum tamen primum consulatus tui auspicalem diem tacitus præterire nullo modo possum, quo tu solus omnium consecutus es, ut quod tempus antea incipiendis tantummodo rebus aptum videbatur, tunc primum sufficere potuerit peragendis, unoque sol curriculo suo, eoque brevissimo, & officia te Consulis inchoantem videret, & Imperatoris implentem.* Postea: *Vidimus te, Cæsar, eodem die & in clarissimo pacis habitu, & in pulcherrimo virtutis ornatu. Bona venia Deum dixerim, ne Juppiter quidem ipse tanta celeritate faciem cœli sui variat, quam facile tu, Imperator, togam prætextam sumpto thorace mutasti, hastam posito scipione rapuisti, a tribunali temet * in campum, a curuli in equum transtulisti, & rursus ex acie cum triumpho rediisti; totamque hanc Urbem repentina tua in hostes eruptione sollicitam lætitia & exsultatione, & aras flagrantibus sacrificiis & odoribus accensis Numini tuo implesti. Ita utroque illius diei supremo tempore bis divina res pari religione celebrata est, Jovi, dum pro futuris vovetur, tibi, dum pro victoria solvitur.* Maximianus Treviris urbe metropoli Galliarum, ac Imperatorum domicilio, hiemabat, cumque Rhenus gelu constitisset, Germani populabundis agminibus in Gallias effusi, Treviros usque pervenerant, quos Maximianus ipsi † Kal. Januariis repentina eruptione egressus, ingenti clade affectos procul a mœnibus propulsavit. Postea appetente Vere, Erulos, Chaibones aliosque Germaniæ populos suis in sedibus aggressurus, Carausium maritimæ

* Alii, *venisti*. † Legendum videtur, *ipsis*.

A classi præfecit, ut hostes terra marique simul opprimeret. Audiatur iterum idem Orator cap. 7. *Tale igitur*, inquit, *auspicium illius anni quid sequebatur, nisi novum aliquod & ingens miraculum? Quod autem majus evenire potuit illa tua in Germaniam transgressione?* Itaque Maximianus Rheno superato, pluribus præliis hoste ubique profligato, victrices aquilas per Germaniam late circumtulit, ac in Transrhenanis Provinciis Romani Imperii limites fixit. Carausius, qui classi præerat, privatæ potius quam publicæ rei curam gerens, piratas prædas tota maritima Gallia agere sinebat, ut spoliis onustos in reditu interciperet, atque ea se oc- B casione ditaret. Neque enim prædam vel in ærarium intulit, neque provincialibus restituit. Hinc cum intelligeret se in affectati imperii suspicionem venisse, ac successore misso, necem sibi a Maximiano destinatam, cum Classiariis deficiens, in Britanniam transmisit, ac occupata legione, imperium cum Augusti titulo eodem 287. capessivit.

Cum Maximianus Anno etiam 288. iterum Consulatum inierit victoriam illam, quam ipsis Kalendis Januarii, teste Oratore, consecutus fuit, primo ejusdem consulatui in Numismate designato, adscripsi, quod Anno 288. idem Imperator, Germanica expeditione intermissa, ædifican- C dæ classi incubuerit, ut novum imperii æmulum navalibus copiis instructum e Britannia expelleret. Idem Panegyristes cap. 12. *toto fere anno* naves ædificatas scribit. Diocletianus recepta Syria, ac plurimis Persarum oppidis in deditionem acceptis, bellum impigre urgebat. Verum audita Carausii rebellione, pace cum Persis composita, in Europam se contulit, cum Maximiano de bello contra novum Imperatorem administrando consulturus. Utriusque Augusti colloquium laudat Mamertinus c.7. *in quo*, inquiens, *vobis mutua præbuistis omnium exempla virtutum, atque invicem vos (quod fieri jam* D *posse non videtur) auxistis: ille tibi ostendendo dona Persica, tu illi spolia Germanica.* Livinejus in *Notis* scribit hoc Imperatorum colloquium contigisse Mediolani, ut idem Mamertinus testatur in *Genethliaco Maximiani*. Verum congressus Mediolanensis contigit Anno 291. desinente primo Maximiani quinquennio, ut in proœmio *Genethliaci* idem exponit. Hic vero congressus contigit, antequam iidem Augusti expeditionem maritimam contra Carausium imperii æmulum susciperent, ut ex cap. 12. constat: *Quid nunc*, inquit, *animi habet ille pirata*, (Carausium notat) *cum fretum illud, quo solo mortem suam hucusque remoratus est, pene ve-* E *stros exercitus videat ingressos?* Et postea his Orationem concludit: *Facile itaque quivis intelligit, Imperator, quam prosperi te successus in re maritima secuturi sint, cum jam sic tempestatum opportunitas obsequatur.* Habita est hæc Oratio die 21. Aprilis natali Urbis A. 289. cum Maximianus classem contra Carausium totis Germaniæ ac Galliæ fluviis educeret. At Carausius bello navali superior, Maximiani classe partim capta, partim adversa tempestate disjecta, pacem cum Britanniæ imperio & Augusti titulo obtinuit. Scribit Eutropius lib. 9. *Cum Carausio tamen, cum bella frustra tentata essent, contra virum rei militaris peritissimum, ad ex-* F *tremum pax convenit.* Idem ex hoc singulari Serenissimi Magni Etruriæ DUCIS Nummo colligitur:



In nummis Occonis, Tristani Patini, aliorumque legitur PAX AVG. ubi unus Carausius indicatur, at in Mediceo Numismate illis notis AVGGG. Diocletianus, Maximianus, ac Carausius Imperatores designantur.

Ex his colligimus triumphales Diocletiani & Maximiani quadrigas, in Mediceo Numismate scalptas, designare eorundem Principum victorias ante Annum 288. Germanico ac Persico bello reportatas; unde & in antiquis Inscriptionibus iidem *Germanici* ac *Persici* nuncupantur. Recitantur a Grutero pag. 166.

IMP. CÆS. C. AVREL. VALER. DIOCLETIANVS. SARM. MAX. PONT. MAX. TRIB. POT. X. IMP. CÆS. M. AVREL. VALER. MAXIMIANVS. GERM. MAX. PERSIC. MAX. PONT. TR. POT. IIX. COS... IMP. VIII. FL. VALERIVS. CONSTANTIVS. ET. GALERIVS. VALERIVS. NOBB. CÆSARES. MVRVM......

Altera:

IMP. CÆS. C. AVR. VAL. DIOCLETIANVS. AVG. PONT. MAX. SAR. MAX. PERS. MAX. TRIB. POT. XI. IMP. X. COS. V. P. P. ET IMP. CÆS. M. AVR. VAL. MAXIMIANVS. AVG. PONT. MAX. SAR. MAX. PERS. MAX. TRIB. POT. X. IMP. VIII. COS. IV. P. P. ET. IMPP. FL. VAL. CONSTANTIVS. ET. GAL. VAL. MAXIMIANVS. FILII. CÆS. MVRVM. VITVDVRENSEM. A. SOLO. INSTAVRARVNT. CVR. AVRELIO. PROCVLO. V. C. PROV. MAX. SEQ.

Prior Inscriptio posita est intra xv. Kal. Octobris A. 293. & Kal. Aprilis A. 294. quo tempore Diocletianus gerebat Pot. Trib. x. primo initam die 17. Sept. A. 284. Maximianus vero IIX. inchoatam A. 286. Kal. Aprilis Altera Inscriptio incisa est a Kal. Aprilis A. 295. ad xv. Kal. Octobris ejusdem anni, quo sane tempore erat Diocletianus Trib. Pot. XI. Maximianus X. Tristanus tomo 3. pag. 366. nummum Maximiani profert cum epigraphe, P. M. TR. P. VIII COS. IV. P. P. ex quo, inquit, intelligimus Maximianum *anno imperii octavo Consulem* IV. *fuisse, quod Onuphrium ac ceteros fugit*. Hic Censor Onuphrii Fastos non legit, qui in tabulis consularibus lib. 2. hæc grandioribus characteribus scribit: IMP. CÆS. MAXIMIANVS. P. F. AVG. TR. POT. VII. VIII. COS. IV. P. P. Recte cum quarto consulatu Maximiani A. 293. junxit Tr. Pot. VII. usque ad Aprilem, inde vero VIII. ut nullus sit reprehensioni locus.

Quamvis Maximianus nunquam contra Persas pugnavit, *Persici* tamen nomen ex collegæ Diocletiani victoriis obtinuit: solemne enim Augustis fuit victoriarum titulos cum imperii collegis participare, licet iidem vel Romæ, vel alibi procul a bellis periculis degerint. Ita M. Aurelius in Nummis Armeniacus & Parthicus appellatur, cum tamen Verus Augustus Aurelii Antonini collega bellum cum hostibus gesserit. Peculiari autem Antonini modestiæ Capitolinus deputat cap. 12. quod post mortem Veri, hunc *tantum Parthicum, Germanicum se vocaret, quod sibi bello proprio pepererat*.

CAP. V.

Numisma Mediceum esse consulare. Eidem simillimus Maxentii Nummus ex Cimeliis CHRISTINÆ Augustæ *profertur atque explicatur. Maxentii consulatus apud Panvinum & alios confusi suo ordine digeruntur. Processus consulares ex Imperatorum rescriptis ac antiquis Scriptoribus illustrantur. Consules ad edendos ludos curru triumphali vectos processisse adversus Schefferum ostenditur. Chimentelli sententia de sella curuli in curru triumphali rejecta.*

ROMANI Principes, cum ceteros magistratus civibus capessendos reliquissent, consulatum tamen ordinarium passim inibant, ut annum in Fastis denominarent, suoque nomine omnia implerent. Egregie hæc describit Libanius in *Panegyrico Juliani*: *Quid venerabilius*, inquit, *esse potest, quam universum Orbem terrarum Solis instar appellatione continere, & in ore cunctorum hominum esse nomen a parentibus inditum, cujus memoria multas complectatur necessitates, judicia, nuptias, forum, portus, debita, venditiones, contrahentes, paciscentes, litigantes, fidem per litteras facientes, communicantes, diffidentes, filiorum opulentorum natales, puerorum in scholis institutiones, quorum unum studium est nominare Consules, in quo etiam & acquiescunt. Quod igitur quidem* * *dixit de Jove omnium summo Consule, Jovis vias omnes esse plenas, omnia fora, portus, maria, hoc aliquis dicere possit de Consulibus, qui appellationem cum Deo communem habent*. Et concludit: *Imperator ab illo dignitatis cumulo non minus ubique celebratur*. Hinc plerique Principes tanta aperiendi in Fastis anni ambitione tenebantur, ut Octavianus Augustus A. V. C. 720. cum Kalendis Januariis mane pro æde Jovis Capitolini in sella curuli præsedisset, intra paucas horas magistratum abdicaverit. Cujus tertium consulatum septem, quartum tredecim diebus gessit. Novi etiam Imperatores ineunte anno consulatum statim usurpabant, uno Trajano excepto; quare idem a Plinio in *Panegyrici* laudatur: *Hoc ergo*, inquit, *honore, quem & incipientes Principes & desinentes adeo concupiscunt ut auferant, te otioso ac vacante privatis cessisti*. Quo vero gesti, vel saltem deflorati magistratus memoria ad seros quosque posteros deveniret, Numismata cudebantur, in quibus Consulis effigies cum notis consulatus exprimebatur. Hi Nummi consulares appellantur. Laudantur id genus Numismata passim ab Antiquariis. Apud Occonem Diocletiani Nummus inscribitur in aversa parte, CONSVL IV. P. P. Item alter Maximiani in parte postica signatus, CONSVL. AVGG. NN. *Consules Augusti Nostri*. In aliis majoribus Nummis ipse Consulum processus exprimitur, cujus generis duos indicat vir Cl. Spanhemius dissert. 8. *de usu & præstantia Numism.* pag. 705. Unum quidem Constantini Magni cum inscriptione, FELIX PROCESSVS COS. VI. AVG. Alterum Maxentii inscriptum, FEL. PROCES. CONSVLAT. AVG. N. quem cum intellexissem servari in Cimeliarchio CHRISTINÆ Augustæ, ejusdem ectypum per litteras impetratum subjicio:

* Leg. videtur, *quidam*.



Hic consulatus Imp. Maxentii cum quadrigis Elephantorum ac Victoria coronam Principi offerente conspicitur, quæ omnia in Mediceo etiam Numismate exprimuntur. Panvinus quatuor Maxentii consulatus ponit præeunte Scriptore Vite S. Marcelli Papæ, & omnes quidem suffectos: primum a Kalend... A. 306. secundum A. 307. a Kalend. Julii; tertium VII. Kal. Maii An. 308. modo Maximianum, modo Romulum eidem collegas assignans; quartum vero statuit Anno 309. Goltzius de more ad verbum eadem ex nostro Scriptore suis Fastis inseruit, uti etiam Calvisius. Baronius quartum Maxentii consulatum alligat eidem A. 309. Cuspinianus cum in depravatum codicem libelli *de Præfectis Urbis* incidisset, unicum tantum Maxentii consulatum expiscari potuit. Ceterum ex libello eodem ex nitidiori codice a Bucherio exscripto ac publicato, itemque ex Fastis Idatianis quatuor consulatus Maxentii suis quosque annis designatos accepimus. Occiso Severo, ac Galerio ab Italia pulso, Maxentius ejusque filius Romulus A. 308. consulatum ordinarium inierunt. Anno 309. iidem Consules in Urbe processere. Exstat nummi inscriptio apud Baronium A. 309. IMP. C. MAXENTIVS P. F. AVG. CONS. II. Tertium consulatum solus gessit A. 310. Unde infero Romulum Cæsarem, quem pater inter Divos retulit, anno superiori diem obiisse. Visitur nummus mediocris magnitudinis in scriniis Serenissimi Card. LEOPOLDI inscriptus, DIVO ROMVLO NOBIS. CONS. *Nobilissimo Consuli*; ex quo patet eundem mortuum & consecratum fuisse in suo altero consulatu. Quartum denique consulatum Maxentius gessit A. 312. quo vitam cum imperio amisit. In aliis vero Romani Imperii Provinciis Augusti Maxentii hostes, consulatus iisdem annis iniere, ut ex Fastis intelligitur.

Quadrigæ in laudato nummo inclytæ Reginæ non designant triumphum Maxentii de Alexandro. Etenim Anno tantum 310. Alexander victus fuit a Maxentii Ducibus, ut fusius ostendam lib. I. *Historiæ Donatistarum*, & patet ex nummis Græcis, quos laudat Goltzius cum epigraphe, ΑΥΤ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΕΥC. ΕΥΤ. L. Α. alius L. Β. alius L. Γ. postremus L. Δ. *Imperator Cæsar Alexander Pius Felix Augustus. Anno primo; anno secundo; anno tertio*; tandem *anno quarto*. Itaque Alexander A. 307. cum, fugato ab Italia Galerio, Maxentius Africam in potestatem redigere conaretur, purpuram induit, quam tamen Anno 310. quarto tyrannidis inchoato occisus amisit. Cum vero in Numismate Augustæ legatur FEL. PROCESSVS. CONSV.L. AVG. N. nulla addita nota numerali, prior Maxentii consulatus designatur, quem A. 308. ex ante diem XII. Kal. Majas cum Romulo capessivit. Certe in nummo Constantini consulatus ejusdem VI. exprimitur, (aliam tamen interpretationem subjiciam) quod etiam in omnibus consulatibus Augustorum in nummis obsignatis apparet. Itaque biennio ante debellatum Alexandrum, regium Numisma scalptum fuit. Maxentius plures victorias, antequam classem in Africam mitteret, obtinuerat contra Severum, Galerium, & patrem Herculium, ut patet ex *Panegyrico* Constantino dicto post cædem Maxentii cap. 3. In agro nostro Veronensi apud Cotiniolam hoc epigramma legitur:

IMP. CÆSARI. M. AVRELIO. VALERIO. MAXENTIO. PIO. FELICI.
INVICTO. AVGVSTO. IMP. XI.

Titulus ille Imperatoris toties iteratus plures ejusdem victorias indicat. Hinc ob easdem quadrigæ Elephantorum Maxentio S.C. decerni potuere. Nec obstat eundem bello civili adversus socerum ac patrem victorem evasisse; nam cum Senatus post Maximini Augusti cædem cogeretur, Cuspidius a P. C. sententiam rogatus dixit: *Victoriæ causa Principibus nostris Maximo, Balbino, & Gordiano statuas cum elephantis decernimus, currus triumphales decernimus, statuas equestres decernimus, tropæa decernimus*. Quod tamen bello civili victores evaserant, nullum Romæ triumphum egerunt. Exstat in Gaza magni Ducis Numisma æreum majoris magnitudinis exprimens Hadrianum in quadrigis elephantorum cum inscriptione, ΑΥΤ. ΚΑΙC. ΤΡΑΙΑΝ. ΑΔΡΙΑΝΟΣ. ΣΕΒ. L. ΙΖ. Patet nummum scalptum fuisse anno imperii ejusdem XVII. Certe Hadrianus nullum triumphum gessit. Hinc honoris tantum gratia quadrigæ elephantorum Hadriano a Græca urbe decretæ sunt. Ita OPVS QVADRIGÆ CVM EFFIGIE IMP HADRIANI ab Itala urbe dicatum, laudatur in antiquis Inscriptionibus pag. 444.

Ego tamen puto non triumphum, sed processum consularem Maxentii in regio Numismate obsignari. Hujus consulatus mentionem facit antiquus Auctor libelli de Præfectis, *Consules*, inquit, *quos jusserint DD. NN. Augusti*. Quare A. 308. Kal. Januarii ob civilia bella inter Maxentium & collegas Augustos, nulli Consules ordinarii magistratum iniere. Postea, *Ex* XII. (Cuspinianus VII. legit) *Kalend. Maii factum est Maxentio, & Romulo, quod est Diocletiano decies, & Maximiano septies*. Scaliger in *Notis Eusebianis* num. 2320. ex hoc decimo Diocletiani consulatu putavit nondum eo anno Diocletianum purpuram exuisse, pleni quadriennii metachronismo. Galerius Maximianus, quo devoti animi obsequium erga Diocletianum, a quo ad imperium evectus fuerat, testatum faceret, eundem quamvis privatum una secum Consulem designavit. Hinc Orator in *Panegyrico* A. 310. dicto Constantino post mortem Herculei de Diocletiano loquens ait: *Felix beatusque vere quem vestra tantorum Principum colunt obsequia privatum*. Consules cum ad magistratus insignia accipienda, vel ad ludos pro delatis trabeis de more edendos prodibant, vulgo *procedere* dicebantur, eaque pompa *processus* nomine indicabatur. Plutarchus in Galba, *Erat etiam*, inquit, *Liviæ uxoris Cæsaris genere conjunctus: itaque opera Liviæ ex palatio* CONSVL PROCESSIT. Græce, Ὕπατος ἐκ παλατίου προῆλθε. Lampridius in Elagabalo cap. 15. *Denique*, ait, *Kal. Januariis quum simul designati essent Consules, noluit cum consobrino* PROCEDERE. Auctor Chronici Alexandrini de Diocletiano scribit: Καλάνδαις Ἰανουαρίαις προῆλθεν Ὕπατος. Recte interpres, *Kalendis Januariis Consul processit*. In Fastis Idatianis A. 385. *Occisus est Carinus Margo, qui ipso anno cum Aristobulo* CONSVL PROCESSERAT. In Actis SS. Martyrum Joannis & Pauli apud Surium die 26. Junii: *Cum autem Gallicanus vellet privatus abscedere, rogatus ab Augustis* CONSVL PROCESSIT. Hac eadem phrasi utpote vulgari, Poetæ etiam usi sunt in novorum Consulum pompa designanda. Claudianus in fine *Panegyrici ad Manlium Consulem* ait:

Conſul per populos, idemque graviſſimus auctor
Eloquii, duplici vita ſubnixus in ævum,
PROCEDAT, pariter libris faſtiſque legendus.

Corippus lib.4. *de laudibus Juſtini ſecundi*, deſcribens conſularem pompam, qua idem Kal. Januariis in publicum exiit, hæc canit:

Conſulis adventum ſumma tardantis in aula
Exſpectant, pendentque moras, cauſaſque morarum
Inquirunt, oculoſque omnes ad regia tollunt
Limina, PROCESSUMQUE AUGUSTI *Conſulis optant*.

Exſtat in Cod. Juſt. *L.2. de Conſulibus* hoc Reſcriptum Marciani Auguſti: *Ceſſante ergo iſta ſpargendi vilitate, ampliſſimi* CONSULES PROCEDENTES *deinceps abſtineant hoc errore perdendi*. Rurſus *Leg.* 4. Zeno concedit Conſulibus PROCEDENDI *legitimam facultatem*. Verum his omnibus luculentior eſt Novella Juſtiniani 105. in qua non ſolum proceſſus Conſulum leguntur, verum etiam eorundem numerus lata lege ſtatuitur, ne per ambitionem, aut popularis auræ captandæ gratia, patrimonia profuſis largitionibus a novis Conſulibus abſumantur. Hæc ſancit Imperator: *Erit* PROCESSUS *primus quo ſuſcipit conſulatum, & hujuſmodi poſſidet codicillos Kalendis Januariis*. Dein ſex alios proceſſus Conſulibus permittit. Nempe ut iterum procedant in Circum ad edenda equorum certamina. Tertio ad exhibendam venationem ludicram, qua animalia herbatica a populo diripiebantur. Quarto ad amphitheatrum, ubi homines cum feris depugnabant. Id genus ſpectaculi *pancarpum* dixere, ut recte notat Caſſianus collat. 5. cap. 14. Quinto prodibant ad dandos Ludos ſcenicos. Sexto iterum ad edendos Circenſes. Poſtremus proceſſus erat cum magiſtratu exibant. Et concludit, *ita ſeptem noctium & proceſſuum complebitur curſus*. Hos proceſſus Conſulum egregie deſcribit Claudianus proxime laudatus, & Panvinus lib.1. *de Ludis Circenſibus*. Certum eſt Imperatores, Conſules, Prætores, aliosque editores munerum curru vectos cum ad exhibendos ludos procederent. In tabulis magni Panvini ejuſque Commentariis hoc omiſſum fuit, uti conſtat ex l.2. cap.2. ubi pompam Circenſium deſcribens, videtur velle editores ludorum pedites cum reliquis magiſtratibus in Circum perrexiſſe. At eoſdem curru vectos diſerte tradit Juvenalis Sat.10. ℣. 34.

Quid ſi vidiſſet Prætorem in curribus altis
Exſtantem, & medio ſublimem in pulvere Circi,
In tunica Jovis & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ, &c.

Cum ſub initium imperii Tiberii Cæſaris Tribuni plebis petiiſſent, ut proprio ſumptu ederent ludos, qui de nomine Auguſti, cujus honori deſtinabantur, Auguſtales nuncuparentur, ſcribit Tacitus lib.1. *Annal.* id eiſdem permiſſum, ſed *decreta pecunia ex ærario, utque per Circum triumphali veſte uterentur: curru vehi haud permiſſum*. Nempe ne eo honore ſummis magiſtratibus æquarentur. Porro inter ſpectacula in Mœnianis in ſella curuli editores ludorum ſediſſe erudite oſtendit Chimentellus in præclaro opere *de Biſellio* cap. 12. Suetonius in *Auguſto* cap.43. *Commiſſione*, inquit, *ludorum, quibus theatrum Marcelli dedicabat, evenit, ut laxatis ſellæ curulis compagibus caderet ſupinus*. Sella curulis adeo erat propria editorum Circenſium, ut teſte Dione lib. 44. Cæſari S. C. datum fuerit, *ut ſemper curuli ſella ſederet, exceptis ludis;*

A *tum enim ſeſſio ei in Tribunitio ſubſellio, cum iis qui quo tempore Tribunatum plebis gererent, concedebatur*. Finitis ludis, editores munerum eodem curru iterum per Circum procedebant. Hæc ait Livius lib.45 *Ad x. Kal. Octob ludorum Romanorum ſecundo die, C. Licinio Conſuli ad quadrigas mittendas adſcendenti, Tabularius, qui ſe Macedonia veniſſe diceret, laureatas litteras attuliſſe dicitur. Quadrigis miſſis, Conſul currum conſcendit, & quum per Circum veheretur ad foros publicos, laureatas tabellas populo oſtendit*. Hæc ille.

Currum, cui editores ludorum infiſtebant, fuiſſe triumphalem tradunt Argolus in *Notis Onu*B*phrianis* lib.2. cap.14. Rubenius lib. 1. *de Re Veſtiaria* cap. 21. & ob eximiam eruditionem magni inter Litteratos nominis Octavius Ferrarius in *Analectis de Re* item *Veſtiaria* cap. 36. Hoc quidem deducunt ex Capitolino, qui in M. Antonino c.16. ſcribit ab Auguſto patre in Commodum delatum *cito nomen Cæſaris, & mox ſacerdotium, ſtatimque nomen Imperatoris, ac triumphi participationem, & conſulatum: quo quidem tempore ſenex Imperator filio ad triumphalem currum in Circo pedes eucurrit*. Hic vero Capitolinum loqui de tempore quo Commodus procedebat ad edendos Circenſes pro C inito conſulatu, ex eo conſtat, quod triumphum una cum patre egit, ex Lampridio cap.2. ac proinde Antoninus id temporis neutiquam pedes ad currum Commodi cucurrit. Cum in textu legatur *ſine Imperatoris filio*, Caſaubonus aliter erratum emendat, pro *ſine* ponens *Senatus*, quaſi Patres pedites accurrerint Commodo, non quidem Conſuli procedenti, ſed una cum Aurelio ac Vero Auguſtis triumphanti. Verum in hoc poſtremo Caſaubonus deceptus eſt; etenim Commodus ex Lampridio cap. 12 *appellatus eſt Imperator v. Kal. Exuperatorias Pollione iterum, & Apro Coſſ. Triumphavit x. Kal. Amazonias iiſdem Coſſ.* nempe A.V. D C. 929. Chriſtianæ Epochæ 176 Verus autem ante ſeptennium obierat. Itaque ex illo depravato textu Capitolini triumphalis currus edentium ludos minus certo colligitur. Id melius cuipiam forte probari poſſet ex Dione, qui lib. 59. deſcribens pompam, qua Cajus Auguſtus in ſuo primo conſulatu proceſſit ad exhibendos ludos, ait, *Sex equis tractus eſt currus triumphalis, quo Cajus vehebatur*. Hanc tamen interpretis verſionem non admittit Schefferus lib. 2 *de Re vehiculari* cap. 14. nam verba illa πομπικὸν ἅρμα non triumphalem, ſed pompaticum currum ſignificant; πομπὴ enim non triumphum ſed pompam apud Græcos exprimit; ad-E ditque toto illo loco *nihil de bello, multo minus de triumpho*, ut plane appareat eundem editori munerum non concedere currum triumphalem. Verum obſervo currum triumphalem alibi a Dione πομπικὸν ἅρμα diſerte appellatum; nam lib.43. deſcribens triumphos Cæſaris ait: *Ceterum prima die triumphi omen ei adverſum obtigit, axe currus triumphalis apud fanum Fortunæ a Lucullo ædificatum confracto*. Græce legitur τοῦ ἅρματος τοῦ πομπικοῦ. Sed video neque ex Dione currum triumphalem probari; nam omnis currus triumphalis pompati-F cus, non omnis pompaticus item triumphalis, thenſæ enim ac carpenta, quæ inter Circenſium ſpectacula viſebantur, erant currus pompatici, non triumphales.

Ex raro tantum ac inſigni Auguſtæ Nummo currus triumphalis, quo Conſules ad edendos ludos procedebant, innoteſcit. Zonaras tom.3. deſcribens formam currus triumphalis ait; *Currus non erat ſimilis ei, cujus uſus eſt in certaminibus ludicris, nec cujus uſus in bello, ſed rotunda figura inſtar turriculæ constructus*. Hoc ipſum ex quadrigis triumphalibus, quæ Romæ in arcu Titi viſuntur,

tur, aliisque innumeris in nummis Augustorum obsignatis erudite docuit Panvinius in Libro *de Triumpho*. Currus erat duarum rotarum, cujus capsa erat rotunda, ac in ambitum clausa, in qua Imperator non quidem sedens, sed stans vehebatur; unde Ovidius lib. 3. *de Ponto* el. 4.

Illa Ducis facies in curru stantis eburno.

Prudentius lib. 2. *in Symmachum* ℣. 555. triumphatores in curru stantes describit:

Frustra igitur currus summo miramur in arcu
Quadrijugos, stantesque Duces in curribus altis.

In omnibus nummorum quadrigis triumphantes Cæsares stantes exhibentur, nusquam sedentes. Rubenius in explicatione gemmæ Augusteæ currum triumphalem arcuatum instar hemicycli exhibet; quæ tamen sententia vetustis omnibus monumentis adversatur. Est currus qualis a Gentilibus Diis dabatur.

Et quidem cum summis magistratibus munera edentibus vestis triumphalis permitteretur, currus item triumphalis concedi debuit, quo splendidius pompam Circensium ducerent. Itaque in nummo Maxentii PROCESSUS ejusdem ad edendos ludos exhibetur, idemque stans in quadriga triumphali visitur, ut plane vera appareat sententia, quæ currum triumphalem editoribus ludorum tribuit, quod tamen nec Salmasius in *Notis ad Capitolinum* in *M. Aurelio* intellexit, & minus recte Schefferus negavit.

Quæri possit num in eodem curru posita esset sella curulis, quæ inter præcipua Consulum insignia censebatur. Chimentellus c. 12. putat in curru triumphali positam fuisse sellam curulem ex Servio *ad l.* 11. *Æneid.* ℣. 384. Sed nihil tale ex Servio colligitur: ille enim scribit usum sellæ curulis iis tantum concessum qui parta victoria, triumphali curru in Urbem invehebantur, quod falsum est; cum in curuli sederent togati magistratus in Urbe procul a castris, ut ex nummis Ædilium ac Historicis omnibus patet. Rursus eadem Chimentelli sententia refellitur, quia cum Senatus Parthicum triumphum Septimio Severo detulisset, is ex Spartiano c. 16. *idcirco recusavit, quod consistere in curru affectus articulari morbo non posset*. Si in curru triumphali fuisset sella curulis, Severus quamvis podagra laborans, sedere potuisset. At cum triumphus stanti in curru perageretur, nullus ibidem sellæ usus esse potuit. Isidorus l. 20. c. 11. ait: *Apud veteres Prætores & Consules propter itineris longinquitatem curru provehebantur. Sellæ autem, quæ post eos vehebantur, quibus sedentes jura dicere solebant, a curru currules sellæ sunt nominatæ*. At secus testatur Gabius Bassus apud Gellium l. 3. c. 18. *Senatores, qui curulem magistratum gessissent, dicit curru solitos honoris gratia in curiam vehi, in quo curru sella esset, supra quam considerent, quæ ob eam causam curulis appellaretur*. Ita cum Consules in magistratu essent, post eorundem currum sella curulis uti consulatus insigne palam ferebatur; cum vero magistratum gessissent, sella intra currum reponebatur. Hac ratione uterque Scriptor conciliari possit. Utut sit de hoc, in curru triumphantium nullam curulem fuisse certum est, cum nullus ejusdem usus ibidem esse potuerit.

Cum Maxentius in suo primo consulatu quadrigis elephantorum ad edendos ludos processerit, easdem ob victorias Imperatori decretas puto; præsertim cum in regio Numismate appareat Victoria coronam Principi offerens; editores enim munerum triumphalibus equorum quadrigis de more vehebantur. Fortassis etiam Tyrannus, qui post

fugatum ab Italia Galerium cuncta pro arbitrio agebat, propria auctoritate elephantos currui junxit, quo pompam splendidiorem duceret. Rem in medio relinquo. Ceterum cum in nummo Mediceo non exprimatur PROCESSUS consularis Augustorum, consequens fit, ut eorundem tantum victoriæ indicentur, ob quas utrique, vel Diocletiano saltem, triumphus in quadrigis elephantorum decretus fuerit, ut pluribus paulo inferius demonstrabo.

Unum his adjiciam, epigraphen regii Numismatis posse etiam sic explicari, *Felix processus consularis Augusti Nostri*. Alteram vero nummi Constantiniani, *Felix processus consularis sextus Augusti Nostri*. Ut in hoc Constantini Numismate non quidem sextus ejusdem consulatus inscribatur, sed sextus processus, quum idem in consulatu sextum ad edendos ludos exivit. Scribit de Gordiano Seniori Capitolinus cap. 3. *Quæsturam magnificentissime gessit; ædilitatis suæ tempore* XII. *Populo Romano munera, id est, per singulos menses singula de suo exhibuit*. Itaque duodecies ad edendos ludos processit. Hos tamen processus ad septem Justinianus reduxit. Posterioris ævi Augusti cum Consules procederent, sedebant in sella hominum humeris imposita, ut de Justino II. scribit Corripus lib. 4. & de Mauricio Simocatta lib. 1. cap. 12. ait: *Agebatur annus Mauritii secundus, cum hyeme Consul creatus, conscensa sella regia, summopere perspicuus erat. Ferebant Imperatorem non equi, non muli, non elephanti, sed, quod longe pretiosius est, homines*. Sed de his alias.

CAP. IV.

Pompejus elephantos Africano triumpho primum Romæ currui junxit. Quadrigas elephantorum Persici triumphi proprias evasisse, Alexandri Severi ac Gordiani exemplis ostenditur. Capitolini textus minus recte Scheffero correctus. Antiquariorum de quadrigis equorum in Alexandri Imp. Nummis sententia refellitur. Hac occasione laterculus Consulum in Fastis depravatus restituitur. Quadrigas triumphales elephantorum in Numismate Mediceo, Persicas victorias Diocletiani designare.

ROmani adversus finitimos Latii ac Thusciæ populos bello feliciter gesto, re adhuc tenui & angusta, humiles plane triumphos agebant. Romulum pedibus omnium primum triumphasse, ex pedestribus ejusdem statuis spolia ferentibus, probat luculenter Plutarchus in libello *de Vita Romuli* adversus Dionysium Halicarnassensem. Dein aucta una cum imperio triumphi pompa, Tullius Hostilius & Ancus Martius equo vecti de hostibus triumpharunt. Idem vero Plutarchus testatur, Tarquinium Priscum quadrigis equorum Romæ primitus triumphasse. Etenim cum bello difficili duodecim Thusciæ gentes in potestatem Populi Romani redegisset, *inde*, inquit Florus lib. 1. cap. 5. *fasces, trabeæ, curules, annuli, phaleræ, paludamenta, prætexta; inde quod aureo curru* QUATUOR EQUIS TRIUMPHATUR. *Togæ pictæ, tunicæque palmatæ; omnia denique decora & insignia, quibus imperii dignitas eminet*. Ita rudis ille populus præclara quæque cum pacis tum belli ornamenta Etruriæ accepta tulit. Camillus, debellatis longo ac periculoso bello Vejentibus, albos equos currui junxit, & hos quidem æqua fronte locatos. Scribit de Camillo Livius dec. 1. lib. 5. *Maxime conspectus ipse est curru equis albis juncto*

Urbem invectus, parumque id non civile modo, sed humanum etiam visum, Jovis ac Solis equis æquiparatum Dictatorem in religionem etiam trahebant. Verum ubi Romanus Populus late per Orbem arma circumtulit, & ditissimas Provincias in Capitolii jura transcripsit, triumphorum pompa sumptuosissima evasit, & plane humanum modum prætergressa, omnem prorsus formam exuit priscæ tenuitatis. Certe, ut cetera omittam, albi equi, qui olim humani triumphi pompam, quod Numinum quadrigis deputati erant, superare visi sunt, præ assiduitate Romanis quibusdam Imperatoribus viluerunt. Hinc ab insuetis quadrijugibus nova triumphis pompa quæsita. Pompejus omnium primus de Africa triumphans, quadrigis elephantorum in Capitolium venit. Plinius lib. 8. cap. 2. *Romæ*, inquit, *juncti elephanti primum subiere currum Pompeii Magni Africano triumpho, quod prius India victa triumphante Libero Patre memoratur.* Nec ullus in religionem traxit, quadrijuges Bacchi ad currum junctos; tunc enim Romani, magna Orbis parte subacta, divisum cum Diis imperium jactabant. Quadrigæ postea elephantorum vehendis inCircum statuis Principum consecratorum deputatæ sunt, qui honor Augusto primum S.C.decretus fuit. Hinc Dio in *Nerone* apud Xiphilinum: *Et elephanti, qui trahebant currum Augusti, in Circum ingressi eo usque, ubi Senatores sedent, processerant.* In Cimeliarchio Mediceo quadrigæ elephantorum in nummo primæ magnitudinis visuntur; cum inscriptione, DIVO AVGVSTO S. P. Q. R. Item Vespasiani statua in altero Numismate currui elephantorum imposita, cum epigraphe, DIVO AVG. VESP. Et id genus nummi passim apud Antiquarios prostant. Cum Septimius Severus Pertinacem inter Divos retulisset, *jussit statuam ejus auream curru elephantorum in Circum vehi.* Dio apud Xiphilinum in Pertinace. Itaque quadrigæ elephantorum aureis Divorum Principum imaginibus in Circum trahendis inserviebant.

At sequiori ætate Imperatoribus Persico triumpho quadrigas elephantorum decerni solitas diserte testatur Capitolinus in tertio Gordiano c 27. *Quadrigæ*, inquit, *elephantorum Gordiano decretæ sunt, utpote qui Persas vicisset, ut triumpho Persico triumpharet.* Eruditissimus Schefferus l. 1. *de Re Vehiculari* c. 9. contendit mendum in Capitolini textum irrepsisse; *Eccur enim*, ait, *quia Persas vicit, quadrigæ elephantorum decerni tandem ei debuerunt? Non sunt elephanti proprie ac speciatim usitati Persis. Itaque*, concludit, *vix credo sic Capitolinum scripsisse.* Non sum nescius Imperatores, antequam a Romanis cum Persis bella gererentur, quadrigis elephantorum in triumpho usos, uti de Pompejo proxime ex Plinio referebam. Exstat etiam nummus Trajani apud Erizzium, in quo idem in quadrigis elephantorum exprimitur, cum inscriptione, ATT. ΤΡΑΙΑΝ. ΓΕΡ. ΔΑΚΙΚ. *Imperator Trajanus Germanicus Dacicus.* Cum Parthicus non appelletur, constat nummum cusum fuisse post victum Decebalum,ac Daciam in Provinciam redactam,priusquam in Orientem contra Parthos moveret; ac proinde quadrigas elephantorum, in ejusdem Numismate signatas, non indicare Parthicam victoriam. Ceterum ut Capitolini dictum adversus viri clariss. dubitationem defendam, res mihi paulo altius ex Herodiano l. 6. c. 2. repetenda est. Macrinus ultimus Romanorum Principum cum Artabano Rege Parthorum bellum gessit, cui Anno 217. post cruenta certamina finis impositus. Inde Artabano cum Artaxerxe Persarum Rege infaustis auspiciis bellatum est. Etenim Artaxerxes acie superior, Artabano interfecto, regnum Arsacidarum, qui jam inde a Crassi cæde cum Romanis de Orientis Im-

A perio varia fortuna contenderant, Persarum ditioni adjecit. Hinc victoria tumidus, possessam Persis, ante Alexandri Magni irruptionem, Asiam armis vindicaturus, Mesopotamiam infestis agminibus ingressus, prædas tota Syria agere, ac Romana castra fluminum ripis ad Imperii limites tutandos imposita expugnare. His Romæ nunciatis Alexander Severus Imperator habito ubique militum delectu, cum ingenti exercitu Romanorum primus in Persas movit, cum quibus variis etiam præliis conflixit. Postremo prælio tanta clade Persas affecit, ut fugato Artaxerxe Mesopotamiam recepit, ac cum ingenti præda in Urbem victor re-
B dierit. Alexandri orationem in Senatu habitam recitat Lampridius c. 56. ejusdem initium, quod plurimum ad rem facit, exscribam: *Persas P.C. vicimus. Longa eloquentia opus non est; tantum scire debetis, quæ illorum arma fuerint, qui apparatus. Jam primum elephanti septingenti: iidemque turriti cum sagittariis, & onere sagittarum. Ex his trecentos cepimus, ducenti interfecti jacent, decem & octo perduximus, &c.* Porro Alexandrum primum de Persis triumphum quadrigis elephantorum egisse testatur laudatus Lampridius c. 57. *Dimisso*, inquit, *Senatu Capitolium adscendit, &c. Post hoc cum ingenti gloria,*
C *& comitante Senatu, Equestri Ordine, atque omni populo, circumfusisque undique mulieribus & infantibus, maxime militum conjugibus, pedes palatium conscendit, quum retro currus triumphalis a quatuor elephantis traheretur.* Ut victoriæ pompa illustrior fieret, capti elephanti triumphali currui S. C. juncti sunt. Hinc quadrigæ elephantorum Persici triumphi propriæ evasere, quod iisdem prior de Persis triumphus Romæ ab Alexandro peractus fuit. Gordianus anno tertio ab Alexandri Severi obitu imperium indeptus, Attico & Prætextato Coss. secundum contra Persas bellum gessit, insignemque ab iisdem victoriam reportavit, *effectumque est*, in-
D quit Capitolinus c. 27. *ut Persæ, qui jam in Italia timebantur, in regnum suum pugnante Gordiano redirent, totumque Orientem Romana Respubl. detineret.* Ipse etiam elephantos plurimos cepit, ac duodecim Romam misit, quos postea Philippus ludis secularibus confecit. Delatis autem Romam Gordiani laureatis, eisque in Senatu lectis, *quadrigæ elephantorum*, inquit Capitolinus, *Gordiano decretæ sunt, utpote qui Persas vicisset, triumpho Persico triumpharet*, nempe alterum de Persis triumphum ageret curru elephantorum vectus, uti Alexander primum paulo ante de iisdem hostibus triumpharat. Cum Persæ septingentos in acie elephan-
E tos contra Romanos instruxerint, minus recte scribit vir insignis, non fuisse id genus animalium proprie ac speciatim Persis usitatum; nam Pyrrhus, Annibal, aliique paucos tantum elephantos Romanis in præliis objecere. Profecto Parthorum robur in cataphractorum equitatu fuit; soli autem Persæ in bello adversus Romanos magnam victoriæ spem in elephantorum numero posuere. Opponit idem Schefferus: *Numquam triumphantibus a Senatu legimus decretum quo animalium genere uterentur in curru.* At hoc contigit, quod quadrigis tantum equorum triumphandi mos fuit. Elephantorum quadrigæ trium-
F pho Persico Alexandro Imperatori primum S.C. decretæ sunt; hinc ejusdem exemplo Gordiano etiam destinatæ. Et quidem Balbino, & Maximo, ac Gordiano post occisum Maximinum, *statuas cum elephantis* S.C. decretas testatur Capitolinus; cum tamen in historia Romana statuæ tantum equestres S. C. destinatæ dicantur. Quare sicuti statuæ elephantorum decretæ sunt: itidem & currus elephantorum decerni potuit.

Ceterum quadrigas elephantorum Alexandro Persico triumpho ductas, ejusdem Alexandri

nummi dubias facere videntur; etenim nusquam triumphus Alexandri quadrigis elephantorum, sed equorum tantum in nummis exprimitur cum epigraphe in antica parte, IMP. SEV. ALEXANDER AVG. & in postica, P. M. TR. P. VIII. COS. III. P. P. S. C. Duo id genus Numismata continet Gaza Ser. Magni DUECIS, tria vero, Cimeliarchium Serenissimi Card. LEOPOLDI, quorum unum est majoris magnitudinis & cælaturæ pulcherrimæ. Carolus Patinus, vir plane doctissimus, & in nummorum interpretatione summa cum laude versatus, putat quadrigis equorum in laudatis Numismatibus designari triumphum Persicum; in qua sententia video etiam fuisse Erizzium, Angelonum, aliosque Antiquarios. Non possum eruditissimi viri sententiæ accedere, cum eadem Dionis testimonio penitus revellatur. Alexander Tribunitiam Potestatem a Senatu accepit Anno 222. mense Martio. Quod mensem attinet, testes sunt Dio & Lampridius. Annus evidenter probatur ex lapide antiquo, in quo HecKædecæteridem Paschalem S. Hippolyti Martyris incisam legimus. Hic eidem titulus præfigitur: *Anno primo imperii Alexandri Imperatoris, facta est* XIV. *Paschæ Idibus Aprilis Sabbato*. Est character insignis A. 222. Christianæ Epochæ; nam eo anno Idus Aprilis inciduut in diem Sabbati, ac in XIV. Lunam Paschalem. Consules illius anni in fragmento consulari apud Bucherium pag. 247. ponuntur, *Antonius* IV. *& Alexander Mar.* ubi significatur iisdem Coss. die Martis contigisse Kalendas Januarias, qui est alter evidentissimus character ejusdem Anni 222. Cyclo Solis VII. Lunæ XIV. lit. F. Baronius initium Alexandri ac eosdem Consules posuit Anno 224. Panvinus Anno 223. Itaque Tribunitia Potestas VIII. Alexandri inchoavit A. 229. mense Martio, quo anno ordinarii Consules statuuntur Alexander Augustus III. & Dio II. Exstat in Cod. Just. Alexandri lex XI. *de pactis PP. Non. Decemb. ipso Augusto* III. *& Dione* II. *Coss.* At hoc anno Alexandrum nondum expeditionem Persicam suscepisse, sed degisse Romæ, & ad Campaniæ delicias divertisse, testatur ejusdem anni Consul, idemque Historicus celeberrimus Dio Cassius in *Alexandro*, ubi cum narrasset, se a Prætorianis accusatum fuisse, at *Alexander*, inquit, *horum rationem habuit nullam, sed contra me magis honestavit, secumque una designavit secundum Consulem.* Quod cum ægre milites ferrent, *Jussit*, inquit, *mihi Alexander, ut alicubi extra Urbem commorarer in Italia tempore hujus consulatus mei. Quod cum fecissem, Romam veni, dein profectus sum ad ipsum in Campaniam*, &c. Ibi vero asserit, Artaxerxis contra Parthos victoriis ingentem Romanis terrorem incussum, nullamque contra eosdem susceptam ab Alexandro expeditionem recitat. Ex hoc tam locupleti testimonio patet Alexandrum anno Trib. Pot. VIII. Romæ & in Campania commoratum; tantum abest, ut eo anno in Oriente degens cum Persis pugnaverit. Quare quadrigæ equorum signatæ *Trib. Pot.* VIII. non exprimunt triumphum Persicum, sed alias Alexandri victorias, quas per legatos obtinuit. Easdem paucis perstringit Lampridius in *Alexandro* cap. 58. *Actæ sunt res feliciter & in Mauritania Tingitana per Furium Celsum, & in Illyrico per Varium Macrinum affinem ejus, & in Armenia per Junium Palmatum, atque ex omnibus locis ei tabellæ laureatæ sunt delatæ, quibus in Senatu & apud populum lectis, omnibus nominibus est adornatus.* Exstat rarissimus nummus Alexandri in Gaza Medicea, in aversa parte signatus quadrigis triumphalibus cum victoria stantem in curru Imperatorem coronante, cum epigraphe, P. M. TR. P. VII. COS. II. P. P. S. C. ut plane constet eundem Anno etiam 228. victoriam alicubi contra hostes consecutum fuisse; unde quadrigæ triumphales eidem S. C. decretæ sunt. Hac occasione unus Consulum laterculus a prima usque ad octavam Trib. Pot. Alexandri corrigendus est. Etenim Anno 225. Panvinus, Calvisius, Petavius, Ricciolius, ceterique, Consules assignant *L. Turpilium Dextrum & M. Memmium Ruffum*. Verum ex lapide apud Gruterum pag. 121. & ex altero saxo pag. 9. statuendi sunt Consules *Fuscus* II. *& Dexter.* Exstant plura Rescripta Alexandri *L.* 6. *de test. militis. L.* 4. *de impub. substit. L.* 2. *de liberis præt. L.* 7. *de fideicommissis*, signata *Fusco* II. *& Dextro Coss.* Fragmentum consulare apud Bucherium pag. 247. Consules exhibet *Fuscum & Dextrum Sat.* Et recte; nam A. 225. Kalendæ Januariæ inciderunt in diem Saturni Cyclo Solis X. Lunæ XVII. lit. B. Interim mirari liceat, cur nusquam in lapidibus, aut nummis Alexander Mauritanicus, Armeniacus, sed neque Persicus inscribatur. Sed de his hactenus.

Victi ab Alexandro Persæ, dein iterum a Gordiano profligati, octodecim annos pacem servarunt, donec viribus reparatis, Valeriano imperante tertium Romanis bellum intulere, ac insigni victoria acceptas ab Alexandro & Gordiano clades compensarunt, capto Imperatore, ac legionibus cæsis. At ne universam Asiam sub jugum mitterent, Odenati ejusque conjugis Zenobiæ virtus fecit. Aurelianus in bello contra Zenobiam auxiliares quidem Persarum copias, in Reginæ subsidium missas, intercepit, cum Persis tamen pacem coluit; aureo etiam curru in signum amicitiæ ab illorum Rege donatus fuit, teste Vopisco in libello de Vita ejusdem cap. 33. Carus quartum bellum Persicum suscepit, captisque Ctesiphonte ac Colche nobilissimis Persarum urbibus, dum victoriam feliciter exercens, castra in Tigridis ripa metatur, fulmine ictus occubuit. Imperator Diocletianus quintum bellum contra Persas gessit, ac recepta Syria, plurimis hostium oppidis captis, &, ut ait Orator in *Panegyrico Constantii, Partho ultra Tigrim redacto,* Narseum Persarum Regem ad petendam pacem coegit. Hinc ob Persicas victorias *quadrigæ elephantorum* eidem *decretæ sunt, utpote qui Persas vicisset, ut triumpho Persico triumpharet:* quemadmodum de Gordiano Capitolinus superius laudatus loquebatur. Et quamvis nulla veterum Scriptorum monumenta appellare possimus, Mediceum Numisma horum fidem facit, in quo Diocletianus quadrigis elephantorum triumphans exhibetur. His etiam accedit Mamertinum hæc scribere in *Panegyrico ad Maximianum* ipsis Parilibus recitato: *Hoc eodem modo Rex ille Persarum, nunquam se ante dignatus hominem confiteri, fratri tuo* (Diocletianum intelligit) *supplicat, totumque, si ingredi ille dignetur, regnum suum pandit; offert interim varia miracula, eximiæ pulchritudinis feras mittit, amicitiæ nomen impetrare contentus, pacem promeretur obsequio.* Cap. 10. Has autem inter feras fuisse elephantos crediderim, quod ob usus bellorum plurimi a Persis fiebant, quos cum Diocletianus in victoriæ signum Romam misisset, uti Alexander ac Gordianus olim fecerant, eidem triumphus in quadrigis elephantorum S. C. decretus fuit. Num vere idem Imperator A. 302. quo de universis hostibus tum a se, & a collega Maximiano, tum a Cæsaribus Constantio ac Galerio superatis triumphavit, quadrigis elephantorum usus fuerit, in medio relinquo, neque ausim hac de re quidpiam sine teste affirmare.

DISSERTATIO SECUNDA
DE NUMISMATE
LICINIANI LICINII AUG.





Lterum Numisma, item aureum, est Licinii Imperatoris, sed mediocris magnitudinis, cum epigraphe satis obscura: unde variæ ejusdem interpretationes excogitatæ, quas haud vacat in examen adducere; illis enim omissis, veram ejusdem rarissimi Nummi explicationem subjiciam; quod prius quam exsequar, operæ pretium duxi Liciniani tum in Europa, tum in Asia imperii chronologiam præmittere, ut annus ejusdem Decennalium, quæ in Numismate inscripta sunt, intelligatur, simulque anni tertii ibidem expressi ratio constet, cum alias hæc annorum diversitas vix secum invicem componi posse videatur.

CAP. I.

Liciniani in Europa imperii chronologia ex MS. Mediceo ac Nummis statuitur. Licinium Cæsarem & Augustum simul designatum. CHRISTINÆ Augustæ Numisma perperam Tristano explicatum.

CUm Maxentius, Severo Cæsare Maximiani patris insidiis sublato, Urbem occupasset, ac Italiæ & Africæ inhiaret, Galerius Augustus Severi mortem ulturus, cum validis copiis toto Illyrico ac Oriente contractis, Romam contendit. Henricus Valesius, vir plane doctissimus, vetusti Scriptoris Excerpta, quæ diu cum blattis luctata fuerant, in calce ad Historiam Ammiani Marcellini publicavit, ex quibus pleraque Majoribus nostris ignorata deprehendimus. Scribit Anonymus: *Dehinc Galerius cum ingentibus copiis Romam venit, minatus civitatis interitum, & castra Interamnæ ad Tiberim posuit. Tunc legatos ad Urbem misit Licinium & Probum, per conloquium petens, ut gener apud socerum, id est, Maxentius apud Galerium precibus magis quam armis optata mercaretur.* Itaque errat Victor Schotti, qui ait Licinium designatum Augustum, ad Illyrici munimentum relictum, antequam Galerius in Italiam descenderet; nam Licinius adhuc privatus Galerii castra secutus, legatione apud Maxentium perfunctus fuit. Hac tamen legatione despecta, Tyrannus Galerii milites, ingentis donativi spe allectos, suas in partes passim trahebat. Quare Galerius veritus ne ab universo exercitu desereretur, castris incensis, ac Italia omni, quacumque iter faciebat, militi in prædam concessa, in Pannoniam inglorius rediit, ac ter-

A tio Idus Novembris, testibus Idacio ac Chronico Alexandrino, Licinium imperii consortem designavit. Erat Licinius *Dacia oriundus, notus ei antiqua consuetudine, & in bello, quod adversus Narseum gesserat, strennis laboribus ac officiis acceptus.* Hæc Eutropius lib. 10.

Annus inaugurationis Licinii non idem ab omnibus statuitur. Baeonius ad A. 307. Gothofredus in Notis *l.* 1. *de infr. his quæ a tyrannis*, Petavius in *Chronico*, scribunt Licinium Anno 307. purpuram induisse. Valesius in *Notis* ad laudatum Anonymum, Idatium secutus, initium Liciniani imperii statuit Anno 308. quod tamen ultra bien-
B nium protrahunt Panvinus, Calvisius, ac Goltzius. Imo Sigonius lib. 2. *de Imperio Occident.* scribit Licinium ad imperium evectum A. 311. XI. K. Maii, nempe ipsis Parilibus. Sed aliud insuper controversum est, num Licinius prius Cæsar, dein Augustus designatus fuerit. Hoc enim pluribus contendit Tristanus tom. 3. *Comment.* 82. Petavius, Ricciolius, aliique passim, quibus tamen refragatur Scaliger in *Notis Eusebianis* num. 2324. Exstat in Bibliotheca Serenissimi Magni DUCIS Etruriæ antiquus Eusebii Cæsariensis codex in pluteo LXX. in quo pag. 144.
C recitatur titulus edicti Anno 311. ab Imperatoribus Galerio, Constantino, ac Licinio publicati; in editis Eusebii voluminibus Licinius omittitur, quem tamen Cl. Valesius post Nicephorum lib. 7. cap. 23. ex aliis etiam MSS. suo tandem loco restituit. In titulo edicti Galerius inscribitur *Tribunitiæ Potestatis* XX. *Consul* VIII. Constantinus *Tribunitiæ Potestatis* V. ita enim ex Nicephoro lacuna implenda est, postea in laudato codice legitur: καὶ Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Οὐαλέριος Λικίννιος εὐσεβὴς, εὐτυχὴς, ἀνίκητος, σεβαςὸς, ἀρχιερεὺς μέγιςος, δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ τέταρτον, Αὐτοκράτωρ τὸ τρίτον, Ὕπατος, Πατὴρ Πατρίδος, Ἀνθύπα-
D τος, *Et Imperator Cæsar Valerius Licinnius, Pius, Felix, Invictus, Augustus, Pontifex Maximus, Tribunitiæ Potestatis* IV. *Imperator* III. *Consul. Pater Patriæ, Proconsul, &c.* Hoc edictum emissum fuit paulo post initium Anni 311. quo Maximianus Galerius in omnibus Fastis ponitur Consul VIII. Idem vero inierat Tribunitiam Potestatem Tiberiano & Dione Coss. A. 291. Kalend. Martii, teste Idatio, & antiquo Panegyriste in Oratione ad Constantium Cæsarem. Quare Tribunitia Potestas Galerii vicies repetita, desinit in fine Februarii A. 311. ac proinde edictum illud, in
E quo ejusdem Trib. Pot. XX signatur, emissum fuit ante Martium, quo tempore ejusdem consulatus octavus cum Tribunitia Potestate XX. recte componitur. Ex his evidenter initium Liciniani imperii deducitur; nam cum ex Fastis Idatii & Chronici Alexandrini ejusdem inauguratio contigerit *Car-*

A *nunto* IV. *Idus Novembris*, initium Tribunitiæ Potestatis, quæ una cum purpura novis Principibus id temporis deferebatur, statuendum est A. 307. ut postea Anno 311. ante Martium inscribi potuerit in titulo edicti, *Tribunitiæ Potestatis* IV. Hoc ipsum ostendit aureum Numisma Licinii, quod interpretandum suscepi; nam Decennalia ejusdem ineunte decimo imperii anno cum tertio anno imperii ejusdem in Asia junguntur; Anno autem 316. III. Idus Novembris tertius Asiatici imperii annus Licinio labebatur, ut inferius ostendam, ac proinde initium Tribunitiæ Potestatis ejusdem alligari debet Anno 307. Itaque ex litterariis Principum Etru- B riæ Cimeliis, nempe ex Laurentiano Eusebii codice, & ex Serenissimi Cardinalis Numismate initium imperii Liciniani in Europa, Historicis hucusque controversum, suo demum tempore assignatur, nempe die 11. Novembris A. 307.

Porro Licinium una simul & Cæsarem & Augustum designatum ex Eusebio ac nummorum inscriptionibus mihi satis aperte colligitur. Eusebius, cum l. 8. c. 13. Valesianæ editionis, recitasset Constantini in Britannia inaugurationem, hæc scribit: *Post hæc Licinius communi Imperatorum suffragio Imperator, & Augustus declaratus est. Quod quidem Maximinus ægre admodum tulit, qui hactenus Cæ-* C *sar duntaxat ab omnibus appellabatur. Hic ergo præ ceteris tyrannico ingenio præditus, Augustus a semetipso renunciatus est.* Eusebius omni exceptione major testis habendus est, quippe qui sub Maximini imperio vixit, eumque Cæsareæ in Palæstina de facie novit, cujus etiam jussu ob Christianæ Religionis professionem in carcerem conjectus fuit. Itaque Eusebius testatur Licinium creatum fuisse Augustum, ac statim Maximinum novi hujusce Imperatoris designatione intellecta, propria auctoritate, non exspectato Galerii, aut Constantini, vel Maxentii consensu, semet Augustum dixisse. Tri- D stanus tomo 3. *Comment.* 82. pag. 429. ac Valesius in *Notis* ad laudatum Eusebii testimonium, & ad c. 13. l. 8. & ad c. 1. l. 9. scribunt Maximinum Anno 311. defuncto Galerio avunculo, Augusti titulum primitus usurpasse, quod & de Licinio affirmant. Ego ex nummis ab Occone laudatis rem plane definiam, ac palam faciam, quantum præsidii ex nummorum inscriptionibus ad exactam Romanorum Principum historiam assequendam habeamus. Hi nummi Occoni viro diligentissimo laudantur, IMP. MAXIMINVS. P. F. AVG. in postica parte signati, GENIVS AVGVSTI. A *alius* B. *alius* Γ. *alius* Δ. *alius* E. *alius* ς. *omnes* SIS. In aliis E ejusdem nummis legitur, IOVI CONSERVATORI. A. *alius* B. *alius* Γ. *alius* Δ. *alius* ς. *omnes* SIS. Hi nummi percussi sunt Sisciæ, qua in urbe moneta cudebatur; unde & in Notitia Imperii nominatur *Procurator monetæ Siscianæ*. At certum est apud Antiquarios Græcis illis litteris A. B. Γ. Δ. E. ς. sex imperii annos significari, quod longa Numismatum omnium Augustorum serie ad oculum Goltzius demonstravit. Ex his patet Maximinum per sexennium Augusti titulo decoratum, ultima enim nota ς. sextum numerum apud Græcos designat. Cum vero exeunte Anno 313. bellum civile inter Licinium ac Maximinum eruperit, ut cap. 2. ex F ipsius Maximini edictis ostendam, consequens fit, ut Licinius in honorem Maximini Augusti circa initia Anni 308. Sisciæ, quæ erat Pannoniæ urbs, ubi apud Sirmium idem Licinius imperii sedem posuerat, Galerio Augusto apud Serdicam commorante, nummos cudendos jusserit, ut pleno fere sexennio Maximini nummi cum Augusti titulo Sisciæ obsignati dicantur. His, quæ plane evidentia sunt, stabilitis, Licinii imperium inchoatum fuit III. Idus Novembris A. 307. cujus inauguratio nis nuncio in Orientem delato Maximinus moleste ferens novum hominem sibi & Cæsari & nepoti a Galerio prælatum, se pariter sine collegarum consensu, propria auctoritate Augustum, invidia stimulante, nuncupavit. Galerius, quo civilium bellorum causam averteret, factum probavit, quod etiam Licinius non modo ratum habuit, verum etiam, ut Maximini amicitiam demereretur, nummos ejusdem effigie cum Augusti titulo obsignatos in Pannonia, ubi imperabat, cudi jussit. Hoc ipsum fecisse Constantinum ac Maxentium constat ex nummis Maximini Augusti imagine signatis cum epigraphe, GENIO POP. ROM. cum litteris PTR. nempe *Percussa Treviris*, ubi Constantinus domicilium habebat. In Gaza Magni DUCIS exstat nummus cum inscriptione, IMP. C. GAL. VAL. MAXIMINVS P. F. AVG. & in postica parte, S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. Quo nobili titulo Maxentius Maximinum insignivit; sed mulus mulum perfricuit. Etenim Maxentius, cum iniquo esset animo erga Constantinum ac Licinium, *amicitiam ac fœdus cum altero Orientis Tyranno fovebat*, teste Eusebio lib. 8. c. 14. Itaque regia plane via, nemini tamen hucusque calcata, (adeo homines alias eruditi, Numismatum luce relicta, obscuris prorsus conjecturis ducuntur) ad veram Liciniani imperii epocham perveni. Goltzius Græcos Licinii nummos profert inscriptos, AY. K. OYAA. AIKINIAN. AIKINIOC. ΣEB. L. A. postremum L. IE. *Imp. Cæsar Valerius Licinianus Licinius Augustus. Anno primo.* Postremus, *Anno* XV. ut plane luceat, eundem designatum Augustum antequam Galerius A. 311. imperium cum vita relinqueret; victus est enim Licinius, ac ad privatam vitam redactum A. 324 uti scribit Idatius, vel Anno 323. ut alias ex Constantini Rescriptis ostendam. Hinc infero Licinium simul Cæsarem & Augustum creatum, quod præter adducta Maximini Numismata Sisciæ obsignata, inde etiam erudite colligit Scaliger, quod nullus hucusque ab Antiquariis nummus repertus fuit, in quo Licinius NOB. CÆS. inscribebatur. Non Occo, non Goltzius ejusmodi inscriptionis Numismata laudarunt, cum tamen omnes pene Gazas diligentia incomparabili scrutati fuerint. Profecto in copiosissimis Serenissimorum Etruriæ Principum Cimeliarchiis nusquam Licinius Senior Cæsaris titulo inscribitur; sed nec in Gaza Inclytæ Reginæ talis nummus visitur, uti mihi per litteras significavit Franciscus Camelus regii Musei Præfectus ac in re antiquaria summa cum laude versatus; quod item testatum fecit vir illustrissimus Comes Joannes de Lazara, cujus ditissima scrinia plurima Licinii Numismata continent, omnia tamen Augusti titulo obsignata.

Exstat in regiis Cimeliis CHRISTINÆ Augustæ Licinii Nummus æreus minoris magnitudinis, sed insignis ac plane rarissima inscriptione signatus, cujus hic ectypum exhibeo:





Joannes Tristanus Antiquariorum hujus ætatis facile princeps tom. 3. *Comm.* 82. pag. 428. ejusdem omnino typi nummum aureum tamen pro-

ducit, cujus inſcriptio in antica parte alteri Auguſtæ ſimilis legitur, in poſtica vero hanc epigraphen præfert, IOVI. T. VICT. CONSER. DD. NN. AVG. ET CÆS. in inferiori parte hiſce notis ſignatur, M. K. Γ. Putat Triſtanus deſignari ibidem Galerium Maximianum, quem Jovium non ſemel appellat Auctor Chronici Alexandrini, itemque Licinium Cæſarem, quem contendit mortuo tantum Galerio Auguſti titulum uſurpaſſe. Itaque hanc nummi interpretationem concinnat, *Dominorum Noſtrorum Jovii Invicti Auguſti*, nempe Galerii Maximiani, *& Cæſaris* Licinii Senioris. Et in averſa, *Jovi Tutatori, Victori, Conſervatori Dominorum Noſtrorum Auguſti & Cæſaris*. Placuit explicatio Henrico Valeſio in eruditiſſimis Notis ad cap. 9. l. 9. Euſebii Cæſarienſis, eamque haud incommodam dixit eruditiſſimus Spanhemius differt. 8. *de uſu & præſt. Num.* pag. 748. Verum Triſtanus hac in re adeo infeliciter calculos poſuit, ut totam plane illam rariſſimi Nummi interpretationem erroneam obtruſerit. Hæc diligentius oſtendam, non ſolum quod Liciniani Nummi explicationem, in qua verſor, plurimum promovent, verum etiam quod intelligo me id incomparabili Reginarum MAXIMÆ beneficentiæ debere. Nam cum me nuper AUGUSTA in regium Litteratorum Senatum, extra dubiam ſuffragiorum aleam, divali oraculo adlegerit, nec ex præſcripto Academiæ, in regio Muſarum ſacrario orationes recitare poſſim, tum quod ab Urbe diſto; tum quod longius ab erudito ac eleganti genere dicendi, quale ſacras auras decet, me remotiſſimum ſentio, cruda hæc antiquariæ artis rudimenta in devotæ mentis ac obſequii teſtimonium offero; vereor tamen, ne regia Cimelia novi inter Antiquarios hominis profetaria ſtudia ac ignobiles curas excludant.

Inprimis Triſtani interpretatio violenta apparet ex illa verborum tranſpoſitione, quæ a Numiſmatum ac lapidum inſcriptionibus aliena eſt. Profecto mihi compertum eſt duos ibidem Licinios deſignari, Auguſtum patrem, ac Cæſarem filium; nam Cæſar exhibetur adoleſcentulus, mento ne levi quidem lanugine aſperato, quod in nummo præſertim regio optime ſervato ad oculum patet; ac proinde nequit eſſe Licinius Senior, ſiquidem hic occiſus fuit A. 325. *fere ſexagenarius*, teſte Victore Schotti, idem ab Euſebio vocatur *ſenex decrepitus* libro 10. capite 8. Sozomenus etiam libro 1. cap. 7. ſcribit hoc ab Apolline Licinio reſponſum datum,

Te juvenes, grandæve pater, vexare feroces
Certum eſt: te infirmum manet ærumnoſa ſenectus.

Quare Licinius quadragenario major in imperii ſocietatem a Galerio vocatus fuit. Errat iterum Triſtanus putans Diocletianum ac Galerium, non vero Licinium Jovios appellatos; nam laudatur a Cl. Spanhemio differt. 8. *de uſu & præſt. Num.* pagina 747. nummus cum epigraphe, IOVIVS LICINIVS AVG. Diocletianus M. Maximianum imperii collegam deſignans, eundem in Valeriam familiam, quam jactabat, adſcivit: ſe quidem Jovium, Maximianum vero Herculium appellans. Hinc cum Diocletianus Galerium, Maximianus Conſtantium filios ſibi adoptaſſent, Galerius Jovii, Conſtantius Herculei nomen ſortiti ſunt, uti lucet ex Chronico Alexandrino & antiquo Oratore, qui in *Panegyri* recitato coram Maximiano ac Conſtantino Conſtantii Aug. F. c. 8. ait: *Hic eſt*, nempe Maximianus, *qui nomen quod accepit a Deo principe generis ſui dedit vobis: qui ſe progeniem eſſe Herculis non adulationibus fabuloſis, ſed æquatis virtutibus comprobavit*. Ibidem etiam iidem dicuntur *Imperatoris ſemper Herculei*. Hinc cum Gale-

A rius Maximinum ac poſtea Licinium etiam adoptaſſet, uterque Jovius fuit. Hoc ſe nomine inſcribit Maximinus in edicto apud Euſebium lib. 9. cap. 9. & item Licinius in laudatis Numiſmatibus. Porro omnes in Valeriam Diocletiani familiam tranſiere. ut ex eorundem nummis apparet. Scaliger putat adoptatos a Diocletiano Jovios appellatos, Valerios vero quos Maximianus in filios adſcivit. Conſtantinus cum ſolus Romani Imperii faſtigium occupaſſet, Valeriæ familiæ nomine antiquato, filios Flavios nuncupavit. Errat tertio Triſtanus ſcribens Licinium una ſimul Cæſarem ac Conſulem deſignatum. Nam Licinius ex Faſtis Græcis, Caſſiodori, ac Victorii Aquitani A. 311. Conſul ordinarius fuit, collega Maximiano VIII. cum id temporis eſſet Trib. Pot. IV. ut ex edicto oſtendi. Hinc corrigendi ſunt Panvinus, Calviſius, ac Goltzius, qui putant A. 311. Kal. Januariis ſolum Maximianum Galerium Conſulem proceſſiſſe, Licinium vero poſtrema ejuſdem anni parte conſulatum ſuffectum geſſiſſe; in edicto enim ante Kalend. Martii A. 311. publicato Licinius diſerte inſcribitur *Conſul*, ac proinde conſulatum ordinarium Kal. Januariis inivit. Errat IV. addens bellum inter Licinium ac Maximinum ex recens uſurpato a Maximino Auguſti titulo derivaſſe. Nam Licinius, ut oſtendi, non modo eundem titulum collegæ ratum habuit, verum etiam nummos in honorem Maximini cum *Auguſti* epigraphe pleno fere ſexennio Siſciæ in Pannonia, ubi imperabat, ſcalpendos juſſit. Errat V. dicens Licinium poſt Galerii obitum Auguſtum primitus appellatum; in titulo enim laudati edicti una cum Galerio inſcribitur, *Imperator Cæſar Auguſtus*; & rurſus *Imperator* III. ex quibus conſtat ob reportatas victorias Imperatoris nomen a victore exercitu tertio eidem delatum. Errat VI. aſſerens Galerium univerſum Illyricum Licinio regendum tradidiſſe; nam Galerius Rhætiam tantum ac utramque Pannoniam Licinio commiſit; Illyricum vero, Thraciam ac Aſiaticas Provincias citra Diœceſim Orientalem ſibi reſervavit. Scribit Anonymus Valeſii: *Tunc Galerius Licinium Cæſarem fecit; deinde illo in Pannonia relicto, ipſe Serdicam regreſſus*, &c. ubi etiam interiit. Denique minus recte interpretatur litteras in inferiori parte inſcriptas, M. K. Γ. *Moneta Karnuntenſis*, qua nummus ſcalptus ſit, ubi primum Licinius purpuram a Galerio accepit. Etenim Γ. annum tertium imperii deſignat; qua ſane nota nequit indicari annus imperii Licinii, quod tum primo auſpicabatur, neque Galerii, qui anno imperii XVII. Licinium in imperii ſocietatem vocavit. Idem Antiquarius numeralis illius notæ explicationem omiſit, quod neutrius imperio congruere intelligebat.

Num vero idem poſticæ partis inſcriptionem optima fide retulerit, alii forte ad dubium vocabunt. Ipſe integram eidem fidem accommodo. In Nummo Auguſtæ legitur: *Iovi Optimo Maximo, & Victoriæ Conſervatoribus Dominorum Noſtrorum Auguſti & Cæſaris*. Eſt accurata Eruditiſſimi Amici interpretatio. Romani Victoriam uti Deam in templis venerabantur. Cum bello ſecundo Punico Hiero Siciliæ Rex auream Victoriæ ſtatuam pondo CCCXX. Romanis dono miſiſſet, teſtatur Livius dec. 3. libro 2. Senatum Regi ſcripſiſſe: *Victoriam omenque accipere, ſedemque ſe Divæ dare, dicare Capitolium templum Jovis Opt. Max. in ea arce Urbis Romæ ſacratam, volentem, propitiamque, firmam ac ſtabilem fore Populo Romano*. In uno eodemque templo plures Victoriæ imagines adoratas ex eodem colligitur dec. 3. lib. 6. *In æde*, inquit, *Concordiæ Victoria, quæ in culmine erat, fulmine icta decuſſaque, ad Victorias, quæ in ante fixæ*

erant, hæsit atque inde procidit. Scribit de Augusto Dio libro 51. *Tum Curiam Juliam in honorem patris sui factam dedicavit, in eaque imaginem Victoriæ posuit, quæ hodie quoque exstat, Tarento olim Romam advecta, & a Cæsare in Curia posita, & spoliis Ægyptiacis decorata; ex quo Cæsar nimirum ostendebat, imperium se ex Victoria esse adeptum.* Herodianus lib. 7. ait duos Maximini milites *Curiam ingressos sic ut ultra aram quoque Victoriæ penetrarent.* Hæc imago Victoriæ stetit in Curia usque ad imperium Constantii, qui cum Anno 357. primum Romam venisset, *nondum sacris initiatus mysteriis, contaminari se putavit, si aram illic videret; jussit auferri.* Hæc D. Ambrosius in Epistola contra Symmachum ad Valentinianum Juniorem. Ceterum Gentiles mortuo Constantio eandem aram Victoriæ restituendam curarunt, quam cum Gratianus Augustus iterum amovendam jussisset, eodem occiso gravissima ob eam rem dissidia inter Symmachum Præfectum Urbi & S. Ambrosium emersere, uti ex utriusque Epistolis lucet. Egregie sanctissimus Episcopus Gentilium insaniam vellicans ait: *Sic Deam esse Victoriam crediderunt, quæ utique munus est, non potestas: donatur, non dominatur: legionum gratia, non religionum potentia. Magna igitur Dea, quam militum multitudo sibi vendicat, vel præliorum donat eventus?* Prudentius etiam Poeta Christianus lib. 2. *contra Symmachum* ait:

Non aris, non fare molæ Victoriæ felix
Exorata venit: labor impiger, aspera virtus,
Vis animi, excellens ardor, violentia dura,
Hanc tribuunt, durum tractandis robur in armis.
Quæ si defuerint bellantibus, aurea quamvis
Marmoreo in templo rutilas Victoria pennas
Explicet, & multis surgat formata talentis,
Non aderit, versisque offensa videbitur hastis.

At Gentiles Victoriam Numen putabant, quam etiam conservatricem ac custodem Romani Imperii arbitrabantur. Hinc Symmachus ad Valentinianum Juniorem scribebat: *Multa Victoriæ debet Æternitas vestra, & adhuc plura debebit. Aversentur hanc Potestatem, quibus nihil profuit: vos amicum triumphis patrocinium nolite deserere. Cunctis Potentia ista votiva est; nemo colendam neget, quam profitetur optandam.* Quæ Ethnici hominis dicta laudati Patres non tam confutarunt, quam irrisere. Claudianus lib. 3. *de laudibus Stilichonis* canit:

Quæ vero procerum voces, quam certa fuere
Gaudia, cum totis exsurgens ardua pennis
Ipsa Duci sacras Victoria panderet ædes!
*Et * palma viridi gaudens, & amicta trophæis?*
CUSTOS IMPERII *Virgo quæ sola mederis*
Vulneribus, nullumque doces sentire laborem.

Itaque Gentiles utrumque Numen, nempe Jovem ac Victoriam, Licinii Augusti ac Licinii Cæsaris conservatores, in eodem Numismate inscripsere, quemadmodum, teste Livio, in eodem quoque templo Romæ adorabantur.

Utrumque Numisma tum æreum in Cimeliarchio regio, tum aureum Tristani obsignatum fuit Anno 317. cum Kalendis Martii Licinius puer ab Augusto patre Cæsar designatus fuit; hujus enim inaugurationem eo anno contigisse ex Idatio aliisque antiquissimis Scriptoribus cap. 4. demonstrabo. Id evincit annus tertius Licinii in Tristani Numismate Græca nota Γ. designatus. Et quidem, ut in sequenti capite evincam, Anno 317. ad Kal. Martias numerabatur tertius annus imperii Licinii in Asia. At in nummo Augustæ annus

* Alii legunt. O.

A prior nota numerali A. indicatur, scilicet Licinii Junioris, quid id temporis imperium auspicabatur. Etenim in nummis non designabantur anni tantum Augustorum, verum etiam Cæsarum nobilissimorum. Exstat nummus in Gaza Medicea inscriptus, CONSTANTIVS NOB. CÆS. in aversa parte legitur, *SIS.* Γ. nempe *Sisciæ anno tertio.* Constantius Chlorus A. 293. post Kal. Martias annum tertium imperii degebat, quo tempore Diocletiani nonus, Maximiani octavus numerabatur. Res est certissima ex nummis Maximini, Galerii, aliorumque Cæsarum apud Occonem & Goltzium. Eos vero nummos non quidem apud Carnuntum in
B Pannonia, verum apud Cyzicum in Bithynia percussos puto, atque legendum, *Signata moneta Kyzici anno primo*, & in altero, *Moneta Kyzicensis anno tertio.* Ostensum enim est nummum utrumque cusum fuisse A. 317. id vero temporis Carnuntum non ad Licinii, sed ad Constantini imperium spectabat; & quamvis Augusti intra imperii sui fines nummos in collegarum honorem obsignabant, cum Constantinus tunc Idola palam aversaretur, vix crediderim ausos fuisse monetarios superstitiosam illam inscriptionem Jovi ac Victoriæ dicatam apud Urbem Christiani Imperatoris nummis imprimere. His adde nummos in Pannonia apud Si-
C sciam & Sirmium, non vero Carnunti, solitos scalpi. At Cyzicum erat urbs Bithyniæ, in qua Provincia Licinius Orientalis Imperii sedem posuerat. Monetariorum Ordinem apud Cyzicum ab Imperatoribus antiquitus institutum narrat Sozomenus l. 5. c. 14. Et *thesauri* apud Cyzicum memorantur Ammiano Marcellino l. 26. c. 8. pag. 326. edit. Valesii V. C. Numismata etiam cum epigraphe ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ passim Antiquariis laudantur.

CAP. II.

D *Singularis Baronii sententia de initio Liciniani in Asia imperii ex edictis imperatoriis ac Numismatum inscriptionibus adversus vulgarem opinionem demonstratur. Subscriptio legis in utroque Codice perperam signata emendatur.*

AD exactam Medicei Numismatis intelligentiam annus occupatæ a Licinio Augusto Asiæ indagandus est. Hoc enim peculiare in rarissimo Nummo visitur, quod in eodem diversi ejusdem Principis anni obsignantur; nam licet in
E nummis aliorum Cæsarum anni Tribunitiæ Potestatis cum annis imperii non conveniant, unde Decennalia M. Aurelii cum anno Tr. Pot. XXV. in ejusdem nummis junguntur, quod item in aliis passim apparet, nusquam diversi imperii anni, hoc insigni Numismate excepto, una simul exprimuntur. Sane littera Γ. tertium Licinii Augusti annum designat, qui cum Decennalibus ejusdem nobis componendus venit.

Anno 311. ineunte Galerius Maximianus insanabili morbo correptus, effusi Christiani sanguinis pœnas tardæ Numinis vindictæ se dare sentiens, edictum superiori capite laudatum publicans, ve-
F ræ religionis professionem liberam fecit. Verum ut oraculis verbis utar, *orabat hic sceleſtus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* Quare cum toto corpore tabefactus, ultimo fato urgeretur, Licinium Augustum totius Illyrici, quod in septemdecim Provincias dividebatur, hæredem instituit; Asiaticam vero Diœcesim, in qua Bithynia, Pontus, Galatia, aliæque Provinciæ numerabantur, Maximino Augusto nepoti legavit. Hac imperii divisione concordia inter utrumque stabi-

lita. Utri Thracia contigerit, in obſcuro latet. Quiſpiam Maximino potius deputarit, quod exorto inter utrumque bello, Maximinus in Illyrico cum Licinii copiis conflixit. In Thracia autem prior belli turbo detonuiſſet, ſi hæc ad Licinium ſpectaſſet; neque Maximinus tantas ex Aſia copias in hoſtili littore expoſuiſſet, ſi nullum in Europa portum poſſediſſet. Rem in medio relinquo. Galerius poſt edicti publicationem, teſte Euſebio lib. 8. c. 18. *continuo vita ſimul ac doloribus liberatus eſt*. Maximinus novi imperii Provincias luſtraturus, in Bithyniam ſe contulit; & quidem Anno 312. ineunte, Nicomediæ degiſſe patet ex Actis S. Luciani Martyris, qui obiit die 7. Januarii; quod etiam teſtatur Euſebius lib. 9. c. 6. *Sed & Lucianus*, inquit, *Antiochenæ Eccleſiæ Presbyter, vir tum vitæ continentia, tum ſacrarum litterarum ſcientia conſpicuus, perductus Nicomediam, in qua tunc civitate Maximinus morabatur, cum defenſionem fidei illius, quam profitebatur, coram Præſide edidiſſet, conjectus in carcerem trucidatur*. In actis familiari Græcorum errore, pro Maximino Maximianus ſcribitur; ſed ex Euſebio textus emendandus eſt, præſertim cum Galerius apud Serdicam longiori morbo conflictatus, finem vivendi fecerit. Hæc conſulto adnotavi, quod in Annalibus Luciani Martyrium a V. C. retrahitur ad A. 311. Maximiano Galerio Nicomediæ commorante. Interim legi poſſunt quæ ad hoc ipſum adducit vir eruditiſſimus idemque pientiſſimus Bollandus in Prolegomenis ad Acta Luciani Martyris tom. 1. menſis Jan. D. VII. §. 1. num. 10. ubi ineluctabili argumento meam, imo veram ſententiam confirmat.

Conſtantinus cum bellum adverſus Maxentium mente agitaret, ac probe noſſet Tyrannum veterano Diocletiani milite armatum, cum Licinio fœdus percuſſit, eumque Conſtantia ſorore eidem deſponſata, arctius ſibi quæſita affinitate conjunxit. Anno 312. Conſtantinus in Italiam deſcendit, ac duplici prælio apud Veronam Maxentianis ſuperatis, victrices aquilas ad Urbem rapuit. Victus eſt Maxentius ad Pontem Milvium v. Kal. Novembris, & inſequenti die Conſtantinus victor Urbem ingreſſus, Italiam, ac paulo poſt Africam occupavit. Scribit Auctor Excerptorum apud Valeſium, Maxentium fluvii gurgitibus abſorptum; addens: *poſtera die corpus ipſius levatum flumine, & caput eius inciſum in Urbem perlatum eſt*. Nazarius vero deſcribens ingreſſum Conſtantini in Urbem ait: *Sequebatur hunc comitatum ſuum Tyranni ipſius teterrimum caput*, &c. Itaque recte in Kalendario veteri apud Bucherium pag. 286. legitur v. *Kal. Novembris Evictio Tyranni*. IV. *Kal. Ingreſſus Divi*. Quæ de clade Maxentii ac ingreſſu Conſtantini plane intelligenda ſunt. Bucherius de Licinio eadem perperam accepit; Licinius enim XIV. Kal. Octobris apud Chalcedonem victus, Nicomediam fugit, nec poſtridie diei pugnæ Conſtantino ſe dedit, cum Chalcedo diſtet Nicomedia M. P. LX. ut conſtat ex Tabulis Peutingerianis, & Itinerario Hieroſolymitano. De anno victi Maxentii litem intendit Scaliger, qui Conſtantini victoriam in Annum 313. protrahit. Sed ex infallibili charactere refellitur. Anno 313. die ſecunda Octobris, curante Conſtantino, habita eſt Romæ Synodus in cauſa Donatiſtarum a S. Melchiade Papa; dicitur vero ille conſeſſus coactus *Conſtantino ter & Licinio ter Coſſ.* VI. *Nonas Octobris feria ſexta*, apud Optatum Milevitanum lib. 1. *cont. Parmenianum*. Eſt Annus 313. quo dies ſecunda Octobris incidit in feriam ſextam Cyclo Solis XIV. Lunæ X. lit. D. Itaque anno ſuperiori Roma victo Maxentio in Conſtantini poteſtatem venerat.

Conſtantinus tertium vix menſem Romæ mo-
A ratus, urbanis rebus compoſitis, Mediolanum profectus, Conſtantiæ nuptias cum Licinio illuc accito ſplendidiſſima pompa celebravit. Cum de Imperio reſtituendo in commune conſulerunt, id e republica viſum eſt, ut perſecutio adverſus Chriſtianos toto Orbe Romano inhiberetur, data interim cuique libera Religionis pro arbitrio colendæ facultate. Itaque celebre edictum promulgarunt, quo Chriſtiani cultus obſervantia permittebatur. Extat edicti formula apud Euſebium l. 10. c. 5. Hanc legem menſe Martio emiſſam fuiſſe patet ex *L. 1. de bonis vacant.* quæ dicitur a Conſtantino *data Mediolani* IV. *Idus Martias Conſtantino* III. *& Licinio* III.
B *Coſſ.* A. 313. Quare id temporis duo Imperatores Mediolani morabantur. Scribit Anonymus: *Nuptiis celebratis Gallias repetit Conſtantinus, Licinio ad Illyricum reverſo*. Auctor eſt Euſebius utrumque Auguſtum edictum pro Chriſtianis ad Maximinum tranſmiſiſſe, ut illud toto etiam Oriente ab eodem publicaretur: *Partæ*, inquit, *de Tyranno victoriæ nuntium, ipſamque adeo legem ad Maximinum, qui in Orientis partibus etiam tum imperabat, ſeque ipſis amicum ſimulabat, tranſmiſere*. Ex his patet errare Petavium, alioſque exiſtimantes Maximinum Anno 312. victum a Licinio, diem obiiſ-
C ſe. Verum communis fere ſententia eſt eumdem Anno 313. poſt ingentem cladem a Licinio acceptam, acerbiſſimis cruciatibus conſumptum, apud Tarſum infamem animam exhalaſſe. Ita ſcribunt Sigonius lib. 3. *de Imp. Occid.* Valeſius in Notis ad capite 10. libro 9. Panvinus lib. 2. *Faſt.* ad A. V. 1066. Goltzius, Calviſius, & ceteri paſſim Chronologi, quibus addendus eſt Gothofredus in Comment. ad *L. 2. de cenſu Cod. Theod.* Ceterum Cardinalis Baronius victoriam Licinii, ac Maximini mortem in Annum 314. refert, quam doctiſſimi Scriptoris ſententiam veriſſimam puto.

Cum Conſtantinus ac Licinius legem pro Chri-
D ſtianis menſe Martio ad Maximinum tranſmiſerint, certum eſt eundem id temporis utrique amicum fuiſſe, quod diſerte laudatus Euſebius teſtatur; alias Licinius relictis nuptiarum ſolemniis, bellum contra eundem adornaſſet, nec tam procul ab hoſtili ſolo in Italiam ſe contuliſſet. Ex his corrigendus eſt Gothofredus, qui putat ante Junium contigiſſe mortem Maximini, ac univerſum Orientem in Licinii poteſtatem veniſſe. Video virum inſignem id probare ex lege ſecunda *de Cenſu*, cui titulus præfigitur, *Idem AA. ad Euſebium V. P. Præſidem Lyciæ & Pamphiliæ*; & dicitur *data Kal. Jun. Conſtantino A.* III. *& Licinio* III. *Coſſ.* A. 313.
E Cum vero duo illi Auguſti fuerint Conſtantinus & Licinius, & Lycia ac Pamphilia Anno demum 324. Conſtantini imperio acceſſerit, uni Licinio laudatum Reſcriptum attribuendum eſt, ac ex conſequenti ante Junium mortuo Maximino, idem in Aſia imperabat. Hæc Gothofredus. Verum errorem irrepſiſſe in ſubſcriptionem, patet ex litteris ab utroque Auguſto ad Maximinum datis. Quare legendum eſt *Conſtantino* IV. *& Licinio* IV. *Coſſ.* nempe A. 315. uti evidenter oſtendam ex edictis Maximini Anno 313. & 314. publicatis. In Cod. Juſt. *L. un. de capitatione* eadem lex graviori errore uni Conſtantino attribuitur, cum id temporis Aſia
F ad Licinium ſpectaret. Ibidem vero hæc leguntur: *Sicut etiam ſub Domino & Parente noſtro Diocletiano Seniore Auguſto*, &c. quibus patet Diocletianum adhuc fuiſſe ſuperſtitem, alias Divus nuncuparetur, cum Licinius eundem inter Divos retulerit, ut ex nummo Goltzii atque Eutropio libro 10. colligitur.

Maximinus, ubi tranſmiſſam ab Imperatoribus pro Chriſtianis legem accepit, indignari, fremere, ac atrocia quæque mente agitare; verum *metu* *co-*

eorum qui jusserant, inquit Eusebius lib 9. cap. 9. *hanc primum pro Christianis epistolam veluti suopte motu & ex propria auctoritate conscriptam ad Praesides imperii sui, necessitate adactus direxit*. In titulo epistolae legitur, IOVIVS MAXIMINVS *Augustus Sabino*. Ibi paulo post initium haec ait, *Cum anno praeterito Nicomediam feliciter essem ingressus*, &c. Erat autem Nicomediae ineunte Anno 312. ubi Lucianum Martyrem neci tradidit ex Eusebio, cujus verba superius recitavi. Epistolae summarium his verbis continetur: *Si quis sua sponte Deorum cultum suscipiendum agnoverit, hunc ambabus ulnis amplecti oportet. Quod si qui religioni suae inhaerere maluerint, arbitrio ac potestati suae sunt* B *permittendi*. Haec ille. Interea arroganti tumore elatus, coepit collegas Augustos contemnere, tanquam qui post ipsum ad imperium evecti fuerant. Hinc in titulis edictorum, in quibus omnium Augustorum nomina de more inscribebantur, primum sibi locum vindicabat; eademque mentis vesania agitatus, bellum rupto foedere Licinio intulit, ac cum innumerabili armatorum multitudine in Illyricum irrupit. Licinius collectis undique copiis contra hostem processit, quem inito certamine in fugam compulit; captis castris, ac universo Maximini exercitu, qui cladi superfuerat, abjectis C armis in victoris potestatem veniente. Maximinus vix e manibus hostium elapsus, celeri fuga in Asiam sese recipiens, Tharsum petiit, ut novis copiis coactis pugnam repeteret. Tunc institutae contra innoxios Christianae legis professores persecutionis poenitere, Deorum Sacerdotes trucidare, ac Christianorum Deum licet sero metuere. Audiatur Eusebius: *Post haec*, inquit, *cum Christianorum Deo gloriam laudemque tribuisset, & absolutissimam atque uberrimam legem pro eorumdem Christianorum libertate tulisset, mox gravissima aegritudine correptus, nulla ipsi dilatione concessa, extremum diem clausit*. Lib. 9. cap. 10.

Haec contigisse Anno 314. ineunte Vere pro- D batur ex edicto, quod morti proximus Tyrannus publicavit, in quo haec ait: *Superiore anno datis ad singulos Provinciarum Praesides litteris statuimus, ut si quis adhaerere huic sectae, & religionis illius observantiam sequi vellet, ei liceret absque ullo impedimento in proposito suo permanere*. At legem *ad Praesides imperii sui* direxit post edictum Anno 313. mense Martio ab Imperatoribus Constantino & Licinio ad se transmissum: quam quidem legem cum testetur SVPERIORE ANNO datam, evidenter deducitur hanc alteram legem emissam Anno 314. Profecto non video quomodo haec a quo- E piam in dubium vocari possint, cum ipsa Tyranni edicta tam clare & aperte loquantur. Doctissimus Valesius in Notis ad cap. 10. lib. 9. scribit in hoc edicto appellari a Maximino epistolam datam ad Sabinum Praefectum Praetorio Anno 312. quam Eusebius retulit cap. 9. Miror virum diligentissimum in tanta luce caespitasse. Eusebius in capite nono testatur Maximinum dedisse ad Sabinum epistolam pro Christianis, postquam accepit edictum, quod pro iisdem Christianis Constantinus ac Licinius publicaverant; illud autem Anno 313. emissum, post debellatum Anno superiori 312. exeunte O- F ctobri Maxentium, constat eodem edicto apud Eusebium lib. 10. cap. 5. in quo haec leguntur: *Cum nos Constantinus ac Licinius Augusti felicibus auspiciis Mediolanum venissemus*, &c. Fuisse vero Constantinum Mediolani IV. Idus Martii se ac Licinio III. Coss. A. 313. *L. I. de bonis vacantibus* ostensum est. Et quidem Sabinus per triennium fuisse Praefectus Praetorio in Oriente ex Maximini litteris ad eundem datis colligitur. Cum Anno 311. ante Martium Galerius edictum pro Christianis emisisset, Maximinus *nuda voce*, inquit Eusebius lib. 9. cap. 1. Sabino injunxit, ut per litteras Provinciarum Rectoribus significaret, Imperatores persecutionem adversus Christianos inhibere. *At ne sex quidem integris mensibus* ostensam potius quam datam pacem servavit; nam eodem anno plures Martyres in Phoenicia, Aegypto, ac Bithynia occidit, quorum praecipuos nominat Eusebius cap. 6. Petrus Patriarcha Alexandrinus passus est, teste Eusebio lib. 7. in fine, *anno nono persecutionis* Diocletiani VII. Kal. Decembris ex Excerptis Chronologicis a Scaligero editis, annus autem nonus persecutionis fuit 311. Lucianus passus est Anno ineunte 312. die 7. Januarii; quo tempore jussu Maximini Christiani ex urbibus pulsi sunt. Tyranni litteras recitat Eusebius lib. 9. c. 7. Eadem vero persecutione Anno 312. durante, pestis, bellum, ac fames subjectas Maximino Provincias innumeris cladibus devastarunt, quas fusius cap. 8. recitat earundem oculatus testis. Ex his patet Anno tandem 313. Maximinum datis ad Sabinum litteris decennali persecutioni finem imposuisse, quas sane litteras cum in edicto abs se instante morte publicato testetur SVPERIORE ANNO DATAS, evidentissime lucet Tyrannum Anno 314. imperium cum vita amisisse. Hoc ipsum demonstrant nummi jussu Licinii in honorem Maximini apud Sisciam percussi, in quibus cum sextus Maximini Augusti annus signetur, & post initia Anni 308. primum scalpti fuerint, uti capite superiori evicimus, Anno 313. sexto Maximini Augusti percussi sunt, quo exeunte bellico apparatui rupto foedere idem incubuit, ac Vere appetente cum Licinio conflixit. Idem duo insignia Numismata in hac Dissertatione explicata demonstrant. Etenim Anno 316. III. Idus Novembris ineunte anno decimo Licinii, postquam Anno 307. purpuram apud Carnuntum induerat, tertius ejusdem in Asia imperii annus labebatur; & rursus Anno 317. circa Kal. Martii nondum idem tertius annus exierat, cum in nummo Tristani percusso in designatione Licinii Caesaris, quae contigit A. 317. Kal. Martii, annus pariter Licinii tertius obsignetur, ex quibus deducitur Licinium post Kal. Martii A. 314. mortuo Maximino imperium in Asia inchoasse. Exstat apud Gualterium in antiquis Insctiptionibus Siciliae insigne hoc elogium:

RESTITVTORI. LIBERTATIS. AC FVNDATORI. PVBLICAE. SECVRITATIS. D. VAL. LICINIANO. LICINIO. PIO. FELICI. INVICTO. AVG. DOMITIVS. LATRONIANVS. V. C. CORR. P. S. DEVOTVS. N. M. QVE. EIVS.

Domitium Latronianum Anno 313. fuisse Correctorem Provinciae Siciliae colligitur ex epistola Constantini ad Chrestum Syracusanum apud Eusebium lib. 10. *Quoniam igitur*, inquit, *plurimos ex diversis ac prope infinitis locis Episcopos in urbem Arelatensem intra Calendas Augusti jussimus convenire: tibi quoque scribendum esse censuimus, ut accepto publico vehiculo a viro clarissimo Latroniano Correctore Siciliae, &c. intra eundem diem ad praedictum locum occurras*. Synodus autem Arelatensis habita est Volusiano & Anniano Coss. A. 314. Itaque hoc ipso anno ob debellatum Maximinum, qui bello civili conflato publicam Romani imperii securitatem turbaverat, laudata Inscriptio Licinio victori dicata fuit. Auctor est Eusebius eundem Licinium Antiochiam profectum, Maximini ministros praestigiarum ac multorum criminum reos, tormentis prius excruciatos, neci tradidisse. Postea: *Adjuncti sunt*, inquit, *his omnibus etiam*

Maximini liberi, quos ille jam imperii consortes & titulorum atque imaginum participes fecerat. Horum Cæsarum nomina ignorantur, cum nusquam vel apud Historicos, vel in nummis appareant. Ita ab Anno 314. anni imperii Licinii in Asia numerari cœpti sunt.

His tamen obstare videtur Idatius, qui Anno 314. VIII. Idus Octobris recitat prælium inter Constantinum & Licinium apud Cibalim in Pannonia, quod vix contingere potuit, si Licinius per æstatem Antiochiæ degisset, quod Eusebius testatur. Video Petavium in Annum 315. Licinii cum Constantino bellum protrahere. At Gothofredus ex legibus a Constantino Anno 315. datis Thessalonica, Sirmio, ac Naisso, quæ Macedoniæ, Pannoniæ, ac Daciæ urbes sunt, evidenter probat ante Octobrem illius anni Illyricum in potestatem Constantini venisse, ac proinde bellum gestum fuisse A. 314. quo VIII. Idus Octobris victo apud Cibalim, ac postea in Mardiensibus campis Licinio, Constantinus septemdecim Illyrici Provincias cum Rhætia ac Pannonia imperio suo adjecit, Asia & Orientali Diœcesi una cum Thracia, Mœsia minori, ac Scythia in Europa Licinio permissis. Rem fusius discutiam libro primo *Historiæ Donatistarum*. Interim certum est ante æstatem A. 314. nulla inter Constantinum ac Licinium dissidia exorta fuisse; etenim Constantinus VII. Kalend. Aprilis Volusiano & Anniano Coss. A. 314. Treviris morabatur, ut patet ex *L.* 20. *de administrat. tutorum* Cod. Just. Ibidem *Lex* 8. *de Judiciis* data iisdem Coss. Idibus Maii titulum præfert, *Impp. Constantinus & Licinius Augusti*. Quare id temporis pax inter utrumque servabatur; alias Constantinus publicum hostem neutiquam in tegis ejusdem inscriptione secum junxisset. Prælerea in actis purgationis Cæciliani coram Æliano Proconsule Africæ habitis Volusiano & Anniano Coss. legitur: *Apud Maximos Imperatores causa agenda erit*; & inferius: *Constantinus Maximus semper Augustus & Licinius Cæsar, ita pietatem Christianis exhibere conantur*, &c. Neque hic cum Constantino ejusdem hostis Licinius nominatus fuisset in judicio habito in Africa, quæ ad Constantinum pertinebat. Hujus causæ cognitionem ex Actis proconsularibus D. Augustinus testatur habitam fuisse XV. Kal. Martias in fine lib. ad Donatistas post collationem.

CAP. III.

Decennalia Constantini ac Licinii eodem anno acta. Fasti Panvini a Scaligeri censura vindicati. Vota Quindecennalia ex nummis illustrata. Vicennalia bis solita nuncupari. Constantinus anno imperii decimo evoluto, Licinius incboato Decennalia dederunt. Vota Decennalia soluta, & Vicennalia nuncupata in hoc Licinii Numismate primum obsignata. Nummus Theodosii Junioris perperam V. C. expositus. Bulengerus erroris notatur.

ANnus agebatur reparatæ salutis CCCXVI. Sabino & Rufino Coss. quo Licinius Augustus Decennalia festa peregit. Hæc quidem nullis Scriptoribus, aut Antiquariis memorantur; nam licet in nummis Occonis ac diligentissimi Patini legantur inscriptiones DN. LICINI AVGVSTI VOT. XX. incertum est, num ibidem designentur vota nuncupata anno decimo, vel potius quintodecimo imperii ejusdem; simili enim charactere utraque vota id temporis in nummis exprimebantur, ut postea ostendam. Itaque uno hoc Serenissimi Cardinalis nostri Numismate vota Decennalia Licinii soluta, & Vicennalia nuncupata exponuntur, & quod nummo pretium quam maximum auget, annus eorundem Decennalium numerali illa Græcorum nota Γ. indicatur, & insuper annus Liciniani imperii decimus non quidem exactus sed inchoatus exprimitur, quod nusquam in nummis sequiori Augustorum ætate obsignatis apparet, postquam anni Tribunitiæ Potestatis a Claudii II. principatu in nummis omissi sunt. Constantinus exacto decimo imperii anno Decennalia in Occidente splendidissima pompa celebravit A. 316. VIII. Kalend. Augusti die natali imperii. Licinius ejusdem non tam in imperio collega, quam æmulus, tertio postea mense III. Idus Novembris die itidem natali imperii, ejusque anno decimo ineunte, Decennalia in Oriente dedit, ne Orientales Provinciæ, quæ ipsi parebant, spectaculorum pompam Occidenti inviderent. Hæc quod aliis Scriptoribus partim negantur, partim ignorantur, paucis exponam.

Exstat etiamnum Romæ prope Amphitheatrum insignis arcus, ipsis Constantini Decennalibus erectus cum hoc elogio:

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO. MAXIMO. P.P. AVGVSTO S.P.Q.R. QVOD. INSTINCTV. DIVINITATIS. MENTIS. MAGNITVDINE. CVM. EXERCITV. SVO. TAM. DE TYRANNO. QVAM. DE. OMNI. EIVS. FACTIONE. VNO. TEMPORE. IVSTIS. REMPVBLICAM. VLTVS. EST. ARMIS. ARCVM. DICAVIT. TRIVMPHALEM. INSIGNEM.

VOTIS. X. (*Sub sacrificiis*) SIC. X.
VOTIS. XX. (*insculptis.*) SIC. XX.

Baronius in *Annalibus Ecclesiasticis* A. 315. scribit eo anno quo Constantinus decimum imperii auspicabatur, Decennalia festa celebrasse, cujus sententiam subscribunt Tristanus tom. 3. pag. 584. in notis ad nummum Constantini Junioris, Calvisius in *Chronico*, aliique. Panvinus lib. 2. tabularum consularium Sabino & Rufino Coss. A. 316. ait: *Imperatoris Cæsaris Constantini Augusti Decennalia acta, & vota suscepta Vicennalia*. Scaliger lib. 5. *de Emend. Temp.* pag. 476. cum initia imperii Constantini statuerit A. 307. D. 18. Septembris, Vicennalia protrahit ad Annum 327. & ex consequenti Decennalia putavit acta A. 317. ubi pro summa sua auctoritate censuram subjicit: *Hactenus in his omnibus peccatum est a Fastorum & Chronologiarum conditoribus, quamvis summæ eruditionis & magni in litteris nominis*. Panvini nostri calculos accuratissime ductos ex insigni nummo Cl. Patini ostendam, ac universam hanc controversiam penitus tollam, ut plane sperem fore ut nullus deinceps annum Decennalium Constantini in dubium vocet. Igitur doctissimus idemque amicissimus Carolus Patinus pag. 467. Numisma profert inscriptum CRISPVS M. C. COS. II. cum epigraphe in postica parte: BEATA TRANQVILLITAS, & in basi, seu ara, VOTIS XX. Hoc Numisma scalptum est Anno 321. quo Crispus & Constantinus FF. Cæsares consulatum secundum gessere. Scribit Scaliger Constantiniani imperii Fastos esse corruptos. At hæc excusationis loco obtrudit, quo chimæricam illam chronologiam annorum Imperatoris Constantini uni sibi somniatam defendat.

Certum est Synodum Romanam a Melchiade celebratam fuisse die 2. Octobris Anno 313. quod ex charactere feriæ evidenter evincitur. Porro D. Augustinus a Synodi ejusdem die usque *ad III. Nonas Majas Crispo & Constantino iterum Consulibus*, in libro ad Donatistas post collationem cap.33. numerat annos septem, ac menses exactos sex. Itaque duo illi Cæsares iterum Consules processere A. 321. Duo alia collegia Consulum ibidem S. Doctor recitat cum supputatione annorum ac mensium, ubi cum Fastis Panvini, qui tamen locum S. Patris ignoravit, plane concordat; & quidem vivente Augustino Fasti consulares in archivis publicis exacti & incorrupti servabantur. Præterea in antiquo fragmento consulari edito a Bucherio pag. 250. scribitur, *Crispo II. & Constantino II. Sol.* Quo ultimo verbo designatur iisdem Consulibus Kalendas Januarias incidisse in diem *Solis*, seu, ut Christiani loquimur, diem Dominicum. Est infallibilis character Anni ejusdem 321. cujus prima dies fuit Dominica Cyclo Solis XXII. Lunæ XVIII. Lit. A. Volo hoc Constantiniani imperii Fastos stabilire ex insigni Inscriptione, quæ ejusdem fere exempli in duplici lapide Parmæ ac Patavii legitur. Exhibet eandem Gruterus pag. 159.

D. N. IMP. CAES. CONSTANTINO. P.
F. VICTORI. AVG. PONT. MAXIMO.
TRIBVN. POTESTAT. XXIII. IMP. XXII.
COS VII. P. P. PRO. COS. &c.

In Fastis Panvini A. V. Capitolino 1081. ponuntur Coss. Constantinus Aug. VIII. & Constantinus Cæs. IV. Æræ vulgaris 329. Itaque ante octavum consulatum Constantinus Augustus inierat annum Tribunitiæ Potestatis, seu imperii XXIII. At si imperium capessivit, uti Scaliger contendit, Anno 307. Tribunitia ejusdem Potestas XXIII. inchoatur Anno 329. ac proinde coincidit cum consulatu octavo ejusdem. Quare cum in laudata Inscriptione dicatur Trib. Pot. XXIII. Cos. VII. in Annum 306. ejusdem initia retrahenda sunt. Ex quibus patet non solum Fastos consulares optime digestos fuisse, verum etiam inepte prorsus Constantini Decennalia Anno 317. & Vicennalia A. 327. ab eodem Scaligero alligari, qui tamen vibrante supercilio, ut ait Poeta, clamabat *in omnibus peccatum esse a Fastorum conditoribus*. Ceteri vero laterculi Consulum imperii Constantiniani ex ejusdem legum subscriptionibus nullo labore apud Gothofredum initio tom. I. Cod. Theod. leguntur.

Quod autem eadem Decennalia minus recte statuantur ad A. 315. ex laudato Crispi Numismate manifeste demonstratur. Etenim certum est non designari ibidem Vicennalia Crispi; nam Anno 321. quo Cos. II. processit, annum quintum imperii auspicabatur, ut ex Idatio & Nazario postea ostendam; designatus enim fuit Cæsar Kal. Martii A. 317. Idem vero Crispus A. 324. gessit tertium consulatum collega Constantino fratre item Cos. III. Quare cum Vicennalia in nummo jungantur cum altero Crispi consulatu, citra dubium Constantini patris Vicennalia ibidem exprimuntur, quæ solutis votis Quindecennalibus Anno 321. die 25. Julii Crispo II. Cos. nuncupavit. Nazarius in insigni *Panegyrico*, quem in Quinquennalibus Crispi ac Constantini Junioris recitavit, hæc ait: *Quintumdecimum annum maximus Princeps salutaris imperii degit, sed auguramur jam Vicennalia, & venturi fidem superiorum felicitate sentimus. Quinquennalia beatissimorum Cæsarum occupatos in gaudiis habent, sed in destinatis decenniis jam vota properantia & spes volucres constiterunt*. Hanc Ora-

A tionem habuit Kal. Martii A. 321. die natali Cæsarum, quo tempore Constantinus *quintumdecimum imperii annum degebat*; siquidem A. 306. die 25. Julii illud inierat; illis vero verbis, *jam auguramur Vicennalia*, designat post quatuor statim menses Vicennalia Constantini Augusti, solutis Quindecennalibus, suscipienda esse. Hoc idem patet ex *Panegyri* Porphyrii Optatiani eodem Anno 321. acrosticho carmine exarato, in quo rubris characteribus scribitur, AVG. XX. CAES. X. ille enim tum Augusti patris Vicennalia, tum filiorum Cæsarum Decennalia, quod eodem anno concurrebant, eodem carmine celebravit. Hinc diserte canit:

B

Sancte Pater, Rector superum VICENIA *læta*
AVGVSTO, *&* DECIES *crescant solemnia* NATIS.

Hæc vota, quæ anno imperii decimoquinto solvebantur, dicebantur Quindecennalia, quæ licet nullis fere Scriptoribus hoc nomine memorentur, in nummis tamen Augustorum indicantur. Exstat apud Occonem Numisma inscriptum, FL. IVL. CONSTANTIVS P. F. AVG. & in postica parte, FELICITAS ROMANORVM; & C in medio laureæ, VOT. XV. MVLT. XX. Item in Gratiani nummo, VOT. XX. MVLT. XX. Hæc Quindecennalia Gratiani laudat Symmachus lib. 10. epist. 26. ad Valentinianum Juniorem, cujus verba cap. 4. recitabo. Exstat etiam parvus Theodosii Junioris nummus apud eximium virum Apollonium Bassetum signatus, VOT. XV. MVLT. XX. Augusti anno imperii decimo nuncupabant vota Vicennalia, exacto vero quinquennio vota pro dimidia parte secundi decennii feliciter peracti solvebant, & iterum Vicennalia repetebant. Imo observo ex rarissimo nummo apud D Occonem solutis votis Decennalibus suscepta vota Quindecennalia ac Vicennalia. Est Numisma Fl. Constantis. Constantii Aug. F. inscriptum, VOT. X. MVLT. XV. XX. *Vota Decennalia multis Quindecennalibus, Vicennalibus*. Legitur in nummis Constantii, VOT. XX. MVLT. XXX. & rursus, VOT. XXV. MVLT. XXX. & VOT. XXX. MVLT. XXXX. & pariter, VOT. XXXV. MVLT. XXXX. Illa vota dicebantur tertia, quinta, septima Quinquennalia, & Marcellinus in *Chronico* laudat *octava & nona Quinquennalia* Theodosii Junioris. Cum Augustus exacto primo imperii decennio, rursus in quinquennium E Romanæ rei administrationem suscepisset, Agrippa altero statim anno, teste Dione lib. 54. *ludos Quinquennales propter ejusdem principatum dedit*. Posteriores Augusti Quindecennalia vocarunt, quod exacto tertio quinquennio imperii edebantur. Hæc adnotata volui, quod eorum cognitio plane necessaria est ad intelligenda vota Vicennalia Constantini Anno 316. suscepta, ut ex actu Romano patet, & iterum Anno 321. nuncupata, uti ex nummo Crispi, nec non Nazarii & Porphyrii *Panegyricis* indicavi; præsertim cum Vicennalium iteratio tum Historicos tum Antiquarios plures latuerit; siquidem cum legebant VOTA XX. F decimo tantum imperii anno eadem ab Augustis nuncupata arbitrabantur, cum anno quoque quintodecimo concepta fuerint, & iisdem omnino characteribus in nummis obsignata. Hæc suboluit Tristanus tom. 3. pag. 568.

Ex his evidenter demonstratur annus Decennalium Constantini, nam cum iterum vota Vicennalia susceperit A. 321. Crispo II. Cos. Quindecennalia egit anno imperii quintodecimo exacto, nempe tertio augustæ dominationis quinquennio

evoluto; ac proinde Decennalia solvit Anno 316. cum exacto primo alterius decennii quinquennio A. 321. Vicennalia conceperit: quæ sane sexto secundi quinquennii anno nuncupasset, si Anno 315. Decennalia celebrasset, quemadmodum Baronius aliique contendunt. Hanc Decennalium Constantini chronologiam eruditissimi Patini nummo acceptam fero, cujus beneficio annus Decennalium maximi Principum, celeberrimis Scriptoribus controversus, extra dubium ponitur A. V. C. 1069. Christianæ Epochæ 316. VIII. Kal. Augusti. In Fastis Idatianis: *Constantino* VII. *& Constantino Cæs. Coss. edidit Vicennalia Constantinus Romæ*. Est Annus 326. In calce etiam Chronici Eusebiani legimus: *Vicennalia Constantini Nicomediæ acta, & sequenti anno Romæ edita*. Anno 325. ineunte vicesimo imperii, Constantinus, cum in exitu esset Synodus Nicæna, Vicennalia peregit, ex Sozomeno lib. 1. cap. 24. Anno vero 326. Romæ more veteri, nempe exacto altero Decennio imperii, celebrata fuerunt; ac proinde Anno 316. Romæ Decennalia ejusdem acta sunt; alias si in Annum 315. retrahantur, undecimo anno evoluto, Decennalia secunda præter morem Romani solvissent.

Hæc Decennalia Constantini A. 316. in Romano Orbe ingenti populorum lætitia peracta, in invidia ac plane odiosa Licinio fuere, quem jamdiu livor ergà collegam Augustum urebat. Hinc ne unus Constantinus inter celeberrimam Decennalium pompam in ore Romanæ gentis versaretur, decrevit Decennalia anticipare; quare anno statim decimo imperii ineunte, nempe ex statuta cap. 1. chronologia III. Idus Novemb. eodem A. 316. vertente, vota Decennalia solvit, ac Vicennalia suscepit, quæ in Mediceo Numismate ita obsignata sunt, SIC. X. SIC. XX. Et quidem Licinium anno decimo ineunte, non autem exacto, Decennalia dedisse ex ejusdem insignis Numismatis inscriptionibus constat: etenim ibidem visitur Γ. qua numerali Græcorum nota tertium imperii annum designari ex innumeris Numismatibus Antiquariis omnibus compertum est. Cum vero constet non exprimi ibidem annum tertium imperii, ex quo A. 307. purpuram a Galerio accepit, (neque enim anno tertio Decennalia egisset) colligitur designari ibidem An. tertium Liciniani imperii in Asia, quod cum initium habuerit A. 314. ut cap. 2. ex Maximini edictis ostendi, Anno 316. III. Idus Novembris die Natali Licinii, tertius ejusdem in Asia Augusti annus labebatur, qua die ineunte imperii decimo Decennalia vota solvit, ac Vicennalia nuncupavit; quæ solemnia si decimo imperii anno evoluto celebrasset, nummus Δ. obsignatus appareret, cum A. 317. quartus ab Asia occupata ejusdem imperii annus fuisset. Hoc idem ex altera ejusdem Numismatis inscriptione lucet, OB. DV. FILII. SVI. Etenim Anno 317. Kal. Martii, ut ex Idatio ac Chronico Alexandrino constat, Licinius, Licinii Augusti filius, designatus fuit Cæsar; cujus sane dignitas inscripta legeretur, nempe, OB. DV. CAES. NOB. vel CAES. F. quod cuique vel leviter in re antiquaria versato compertum est, si die 11. Novembris A. 317. decimo imperii confecto, Decennalia celebrasset. Quare cum sine Cæsaris titulo Licinii Augusti filius in Nummo inscribatur, Decennalia ejusdem acta sunt A. 316. filio nondum in imperii consortium vocato. Hæc Licinii Decennalia anno decimo imperii ineunte, non vero exacto peracta, sine exemplo fuere; etenim ab omnibus retro Augustis semper decimo anno evoluto celebrata fuerant, quod ex nummis peculiari Dissertatione ostendam. Unus Postumus, qui in Galliis imperante Gallieno purpuram usurpavit, ineunte decimo anno tyrannidis, Decennalia vota solvit, ut patet ex ejusdem nummo apud Tristanum. Ex quibus elicitur Licinium invidia stimulante, statum Decennalium tempus anticipasse. Fateor Diocletianum & Maximianum, & forte Antoninum Severi Aug. F. Vicennalia vicesimo imperii anno inchoata peregisse, quamvis exemplo Licinii posteriori ævo Augusti Decennalia prima, de his enim loquor, inito statim decimo regni anno solverunt. De Theodosio Juniore testatur Marcellinus Comes in *Chronico* ad consulatum Honorii X. & Theodosii IV.

Illud autem peculiare habet hoc Licinii Numisma, quod in ipso primum Decennalium solutio, & Vicennalium susceptio diversa plane inscriptione, quam antiquitus fieri consuevit, exprimantur. Etenim priori ævo neutiquam in eisdem nummis votorum solutio, & nuncupatio obsignabatur. Extant Antonini Pii & M. Aurelii Numismata inscripta, VOTA SOL. DECENN. & rursus alia cum epigraphe, VOTA SUSCEP. DECENN. II. Præterea in aliorum Principum nummis legimus, VOT. X. & VOT. XX. Nullius hucusque ab Antiquariis nummus exhibitus fuit, in quo Imperatorum, qui ante Licinium Romanum Orbem rexere, vota Decennalia soluta, ac Vicennalia concepta una simul exprimantur. Possit fortassis quandoque talis inscriptio ante Licinium reperiri: hoc tantum assero, hactenus inventam non esse. Hoc Anno 316. eadem primum apparuit Romæ in arcu triumphali Constantino dicato, in quo legimus, VOTIS X. VOTIS XX. & rursus, SIC. X. SIC. XX. cujus inscriptionis æmulatione eodem anno Decennalia Licinii in nummo inscripta sunt, SIC. X. SIC. XX. nempe *sicut Decennalia sic Vicennalia*. Et quidem hic designari vota tum soluta illis notis, SIC. X. tum nuncupata, SIC. XX. patet ex Constantis nummo apud Tristanum tom. 3. pag. 607. ita inscripto, FL. IVL. CONSTANS PIVS FELIX AVG. & in altera parte in laurea, SIC. V. SIC. X. Constans ex Fastis Idatii designatus fuit Cæsar Dalmatio & Xenophilo Coss. A. 333. VIII. Kal. Januarias; idem ab ante diem XI. Kal. Junias A. 337. mortuo Constantino Magno patre ex Cæsare evasit Augustus, quare cum in nummo inscribatur *Augustus*, designantur ibidem vota Quinquennalia, quæ initio delatæ purpuræ susceperat, post quinquennium soluta, & vota in decennium nuncupata; ac proinde legendum est in Liciniano Numismate, SICVT V. *feliciter* acta sunt, SIC. XX. æque *feliciter* peragantur. Exstat antiqui lapidis inscriptio pag. 116. CÆSARUM DECENNALIA FELICITER.

Observo aliam insuper Inscriptionem Constantino ac Licinio imperantibus inventam, qua in eodem Numismate priorum votorum solutio, & novorum nuncupatio exprimebantur, quæ postea aliis antiquatis, fere sola in usu fuit. Exstat apud CL. Patinum Licinii Cæsaris nummus cum epigraphe, VOT. X......XX. & Constantini obsignatus, VOTIS V. MVLTIS. X. nempe iterandis, seu agendis, vel, ut Nazarius ait, extendendis. Inscripta id genus Numismata argentea Constantii, Juliani, Joviani, Valentiniani, & Valentis visuntur in Cimeliarchio Serenissimi Cardinalis LEOPOLDI. Porro hic designari vota Quinquennalia, vel Decennalia soluta, & Decennalia, vel Vicennalia suscepta, patet ex nummo Occonis ita signato, FL. IVL. CONSTANTIVS P. F. AVG. & in laurea, VOT. XV. MVLT. XX. Constantius renunciatus fuit Cæsar A. 324. VI. Idus Novembris ex Idatio ac veteri Kalendario apud Bucherium. Anno 334. vota solvit Decennalia ac XV. nuncupavit. Anno 337. mortuo

Constantino patre ex Cæsare Augustus dictus fuit, qui titulus cum in laudato ejusdem Numismate legatur, A. 339. vota Quindecennalia solvit, & Vicennalia nuncupavit. Hæc magnum Baronium fugere; siquidem A. 394. nummi ectypum exhibet cum epigraphe, D.N.THEODOSIVS P.G. AVG. ubi in postica duæ figuræ sedentes capite radiato conspiciuntur, addita inscriptione, VOT. XXX. MVLT. XXXX. *Vides*, inquit, *Theodosii Senioris veram certamque vultus effigiem*; addit in altera parte, *Sacerdotali decoros habitu geminos illos quos in visu vidit Apostolos, Joannem & Philippum, espressos reddi*. Ex ignorato Tricennalium in nummis obsignatorum charactere, in alienam prorsus interpretationem descendit. Designantur ibidem Theodosii Junioris Tricennalia vota soluta, & nuncupata simul Quadragennalia. Scribit Marcellinus in *Chronico; Theodosio* XIII. *& Valentiniano* III *Coss*. A 430. *Theodosius Imperator Tricennalia gessit*. Profecto Theodosius Senior cum diem obierit anno imperii decimo sexto, non potuit vota XXX. solvere, imo ne quidem suscipere. Hunc sane eundem lapidem offendit Occo in nummis Theodosii Senioris, quos profert inscriptos, VOT.XXX &, TR.P.XXXII. COS. XVII. &c. cum Theodosium Juniorem iidem exprimant; Senior enim decessit TR.P.XVI.COS. III. Bulengerus etiam initio lib. I. *de Imper. Rom.* reprehendit Marcellinum, quod dixit, Theodosium celebrasse octava & nona Quinquennalia: *Non satis video*, inquit, *qui Theodosius major octava & nona Quinquennalia celebrarit, cum vix 30. annos ad imperii gubernacula sederit*. Palam hallucinatur; etenim Marcellinus laudat octava & nona Quinquennalia Theodosii Junioris, qui imperavit annos XLVIII. M. VI. D. XIX. ex quo IV. Idus Januarias A. 402. adhuc in fasciis mense ætatis nono Cæsar designatus fuerat. Idem vero Bulengerus quatuordecim annos imperii Seniori Theodosio supra sedecim, quos idem in imperio vixit, quod nihil de suo largiebatur, liberali stylo donavit. Ceterum in nummo ab eruditissimo Scriptore prolato, non designari geminos Apostolos habitu sacerdotali exornatos, sed Imperatores Theodosium ac Valentinianum certum est; præsertim cum Valentinianus minor consobrino appareat, quippe qui Anno 430. quando illud Numisma scalptum fuit, annum agebat ætatis decimum, Imperatores vero radiato capite, quemadmodum nostra ætate Divorum imagines, in nummis passim exprimi solitos, docent eorundem Numismata apud Alamanum in *Notis ad arcanam historiam Procopii*, & Patinum pag. 497. Tristanus erudite notat in nummis, in quibus vota soluta & suscepta mediis illis notis MVLT. designantur, quandoque exprimi utraque vota nuncupata. & quidem in Gaza Medicea exstat Numisma inscriptum, D.N. MAGNENTIVS P.F. AVG. & in postica parte, VICT. DD. NN. AVG. ET CÆS. VOT. V. MVLT. X. Cum Magnentius a Constantio victus, manus sibi intulerit anno tertio ac mense septimo imperii, vota Quinquennalia non solvit, ac proinde utraque vota nuncupata in laudato nummo signata sunt. Idem constat in nummo argenteo Joviani apud Ser. Cardin. LEOPOLDUM cum epigraphe, VOT. V. MVLT. X. Jovianus enim mense imperii octavo improvisa morte decessit.

CAP. IV.

In Mediceo Numismate illis notis OB DV. *non designari data Quinquennalia Licinii Junioris, sed oblationem devotam ejusdem Decennalibus Augusti patris exhibitam. Imperatorum largitiones tempore Decennalium devotis provincialium oblationibus resarcitæ. Licinium Juniorem Decennalibus patris nondum Cæsarem fuisse ex eodem Nummo demonstratur.*

INitio quidem, ut ingenue fatear, arbitrabar illis notis OB DV FILII SVI designari Licinii Junioris Quinquennalia, easque ita interpretabar, OB DATA QVINQVENNALIA *Filii sui*. Etenim ea phrasi Quinquennalium celebratio passim expressa habetur apud Marcellinum in *Chronico*, qui subinde ait, *Quinquennalia dedit*; quam loquendi formulam fuisse etiam Græcis familiarem erudite notat Scaliger lib. 5. *de Emend. Temp.* pag. 470 Huic tamen explicationi duo obstare vidi. Primum quod Marcellinus ea phrasi aperte designat Quinquennalium solutionem, non vero nuncupationem; etenim Theodosio XVII. & Festo Coss. A. 439. ait: *Theodosius Imperator octava Quinquennalia edidit*. Post quinquennium A.444. *Nona Quinquennalia dedit*. At idem Scriptor Arcadio VI. & Probo Coss. A.406. ait: *Theodosius Junior Quinquennalia dedit*, quæ, ut calculos ducenti patet, prima Marcellino statuuntur, ex quo Theodosius A. 402. renunciatus fuerat Cæsar. Itaque idem est dare Quinquennalia, ac solvere, non vero eadem suscipere, ut nuncupare. Rursus inscriptio basis legenda foret, *Sic Decennalia, sic Vicennalia* feliciter dentur; qua ratione una simul facta fuisset Quinquennalium, Decennalium, ac Vicennalium nuncupatio, quæ sane tot votorum anticipata susceptio sine exemplo, ac præter illorum solemnium institutum pro arbitrio fingeretur. His denique accedit Licinium Juniorem dubio procul inscribendum fuisse Cæsarem, si ejusdem Quinquennalibus idem nummus obsignatus fuisset, quemadmodum constat ex omnibus nummis, in quibus ejusdem & aliorum Cæsarum vota V. exprimuntur. Hoc ipsum vetat, ne Quinquennalium Licinii Junioris solutio intelligi possit; quæ cum data fuerint A. 321. nummus obsignatus fuisset nota numerali Z. qua septimus Liciniani in Asia imperii annus indicaretur. Itaque pro comperto habeo non significari Licinii Cæsaris Quinquennalia, sed Licinii Augusti vota Decennalia soluta, & Vicennalia nuncupata.

Hinc unam & alteram illarum notarum OB DV interpretationem subjicio. Prima est, OB DICATA VOTA FILII SVI. Etenim cum inter Decennalium solemnia non modo Imperatores pro sua, & Romani imperii incolumitate, verum etiam urbes, magistratus, ac singuli quique pro salute Principis vota nuncuparent, Licinii pueri Nobilissimi vota Decennalibus Licinii Augusti patris ab eodem suscepta, in insigni Numismate explicantur, ac *dicata vota* nuncupantur; qua plane phrasi utitur Silius Italicus lib. 7.

Junoni pallam conceptaque VOTA DICABANT.

Illis autem litteris D. & V. *dicatum* ac *votum* significari colligitur ex innumeris lapidum inscriptionibus Diis dicatis initio Thesauri Gruteriani.

Altera interpretatio est, OBLATIO DEVO-

TA *filii sui*. Exstat in lib. 7. Cod. Theod. insignis titulus de *Oblatione votorum*, ubi hoc Arcadii & Honorii Rescriptum laudatur: *Quando* VOTIS *communibus felix annus aperitur, in una libra auri solidi septuaginta duo obryziaci Principibus* OFFERENDI DEVOTIONEM *animo libenti suscipimus*. Ita inter *votorum* solemnia *oblatio devota* laudatur. Hæc votorum nuncupatio pro incolumitate Imperatorum fiebat III. Non. Januarias, quæ dies in Kalendario veteri inscribitur *nuncupatio votorum*; quod etiam patet ex nobili Inscriptione apud Gruterum pag. 118. Hanc votorum susceptionem præcedebat oblatio devota strenarum, quæ Imperatoribus in signum obsequii Kalend. Januariis dabantur, de quibus erudite Gothofredus in commentario ad eandem legem, & Bulengerus lib. 2. *de Imp. Rom.* cap. 27. De eisdem antiquus Poeta canit apud eundem Bulengerum:

Strenæ præterea nitent
Plures aureolæ munere regio
Jani principiis auspicio datæ,
Fausto temporis omine,
Ut ferret ducibus strenuis,
Annus gesta recentior.
Illas nobilitas Cæsaribus piis.
Rex dignis procerum dabat.

Solebant Augusti inter Decennalium solemnia nummos in populum spargere, ac militem ingenti donativo ditare. Severus suis Decennalibus *bis millies sestertium* impendit, teste Dione in Excerptis Xiphilini. Ea pecuniæ summa quinque milliones scutatorum Romanæ monetæ conficit. Constantinus Augustus suis Vicennalibus *universis populis*, ut ait Eusebius lib. 3. *de Vita ejusdem* cap. 22. *tam iis qui per agros, quam qui in urbibus habitabant, magnam pecuniæ vim distribui jussit*. Profusam tam prodiga manu pecuniam nullus ad calculos revocavit. Profecto ob eximias hasce largitiones Constantinum vulgo ignominiæ causa *Tracalam* appellatum, testatur Victor in *Epitome*, cujus scommatis originem plerique frustra divinare conati sunt; unus tandem rem nobis explicuit Illustrissimus Suaresius, lucem præferente MS. Sexti Rufi ex Bibliotheca copiosissima ac plane regia Eminentissimi Francisci Barberini, sacri Senatus Principis ac de Republica litteraria ultra invidiam & omne præconium benemeriti. Ceterum Imperatores opima congiaria ac profusa donativa, quibus plebis acclamationes ac militum obsequia sibi mercabantur, ex provincialium tributis & frequentibus indictionibus conflabant; nihil sane largituri, si nihil a subditis abstulissent, vel certe accepissent: Unus Trajanus, Augustorum optimus, Plinio celebratur in *Panegyri*, quod congiarium daret de suo, alimenta de suo, *quodque*, inquit, *gratissimum est accipientibus, sciunt dari sibi quod nemini est ereptum, locupletatisque tam multis, pauperiorem esse factum Principem tantum*. Sed ne Trajano quidem in paternis agris apud Italicam aurea illa messis succrevit. Donavit spolia Germanica, Dacorum manubias, subditorum tributa. Hinc factum est, ut dispendia largitionum, quas suis Decennalibus maximas Augusti faciebant, ex devota oblatione subditorum supplerentur. Exstat insigne testimonium Symmachi lib. 10. *epist.* 26.* ad Valentinianum Imperatorem: *Senatus*, inquit, *salutare tuum Numen precatur, ut in hac* OBLATIONE, *quæ nonnihil superioribus addidit, intelligas hoc esse curatum, ne sub te minus posse videamur. Nam Divis Parentibus tuis ob* DECENNIVM *singulis minor summa decreta est. Etiam Divus frater Mansuetudinis vestræ cum* TERTIVM LVSTRVM *ævi imperialis exigeret, fa*[illegible]*ore munificentia honoratus asseritur: nunc in amorem tuum studia nostra creverunt: nam mille sexcentas auri libras* DECENNALIBVS *Imperii fastis* DEVOTVS *Ordo promisit, &c.* In his habemus *oblationem devotis* Senatus in festis Decennalibus ac Quindecennalibus Imperatorum. Una urbs Decennalibus Valentiniani Junioris mille ac sexcentas libras auri eidem dono dedit, hoc est, Romanos scutatos 288000. etenim ex *lege 13. de susceptoribus* emissa a Valentiniano Seniore A. 367. ac laudato superius Rescripto Honorii dato A. 395. septuaginta duo solidi libram auri conficiebant; solidus vero valebat Romanæ monetæ denarios, seu, ut vocant, Julios vigintiquinque, ut erudite tradit doctissimus J. Fredericus Gronovius lib. 4. *de pecunia veteri* cap. 25. & alibi passim ex Dione lib. 55.

* Est 23. in Edit. Ph. Parei, Francof. 1651.

Cum Licinii Augusti Decennalia peragerentur, Præfecti Provinciarum, Magistratus urbium, ac Corpora artificum devotam oblationem pecuniarum Licinio de more faciebant, qua in re ne Licinius Licinii Augusti filius ab aliis superari videretur, donum devotus obtulit, nempe ingentem vim aureorum, ejusque oblationis memoriam in nummis obsignatam posteritati commendavit. Quare ubi in Symmacho legimus *oblationem devoti Ordinis*, Decennalibus Valentiniani: ita Decennalibus Licinii Imperatoris inscripta est in nummo *oblatio devota filii sui*. Et quidem litteras OB. apud Veteres significasse *oblatum*, seu *oblationem*, testatur Manutius. Alteras vero notas DV. *devotum* exprimere docent Paulus Diaconus de notis litterarum, & Magno de notis Juris, ubi legit DB. siquidem prisca ætate promiscue *devotus* ac *debotus* dicebatur. Hæc ipsa tradit ex laudatis Scriptoribus Eques Sertorius Ursatus, generis claritate ac eruditionis fama illustrissimus, in præclaro Opere *de notis Romanorum*.

Ex eadem Inscriptione intelligitur annus quo Licinius Junior designatus fuit Cæsar. Panvinus lib. 2. *Fastorum*, Crispi, Licinii, ac Constantini Cæsarum inaugurationem statuit Anno 314. Baronius, Tristanus, & Calvisius in Annum 315. eandem referunt. Prosper in *Chronico*, a doctissimo Labbeo publicato, illam collocat ad Annum 316. Reformator Chronologiæ scribit Crispum & Constantinum Juniorem creatos Cæsares Anno 315. Licinium vero renunciatum A. 317. Hæc tamen postrema opinio adversatur antiquis omnibus Scriptoribus Zosimo, Victori Schotti, Anonymo in Excerptis apud Valesium, Idatio, Prospero, Auctori *Chronici Alexandrini*, Eusebio in *Chronico* ex interpretatione Hieronymi, qui uno consensu tradunt una simul designatos fuisse Cæsares, Crispum, Licinium, ac Constantinum. Verum ex Fastis Idatianis ac Chronico Alexandrino, hoc nostro seculo in lucem editis, res tandem innotuit. Scribit Idatius; *Gallicano & Basso* A. 317. *His Coss. levati tres Cæsares, Crispus, Licinius, & Constantinus die Kal. Martii*. Nazarius initio *Panegyrici* ait: *Quintumdecimum annum maximus Princeps Constantinus salutaris imperii degit, sed auguramur jam Vicennalia, & venturi fidem superiorum felicitate sentimus. Quinquennalia beatissimorum Cæsarum occupatos in gaudiis habent, &c.* Habita est hæc Oratio Kalendis Martii die natali Cæsarum Crispi ac Constantini, cum ineunte anno quinto vota Quinquennalia solverent, ac Decennalia susciperent. At Anno 321. Kal. Martii Constantinus agebat annum XV. imperii, & ex consequenti ea die festa Quinquennalia Cæsarum acta sunt; quod etiam ex Porphyrio patet, qui eodem anno ait suscepta vota X. Cæsarum, ac XX. Constantini. Verba ejusdem laudavi cap. 3. ubi ex Patini nummo Vicennalia Constantini nuncupata

probavi A.321. Itaque nec cum Panvino A.314. nec cum aliis A.315. Licinii & aliorum Cæsarum inauguratio statuenda est, ne Quinquennalia dicantur soluta anno septimo, vel sexto evoluto, ex quo Cæsaris dignitatem acceperant. Ex Mediceo Numismate, atque altero Tristani cap I. explicato, Idatii sententia demonstratur. Licinius Junior in nummo Decennalibus Augusti patris nempe III. Idus Novembris A.316. non inscribitur Cæsar; neque enim legimus OB. DV. CÆS. F. SVI. sed præcise, OB DV FILII SVI; ex quibus recte superius inferebam, Licinium nobilissimum puerum nondum id temporis fuisse Cæsarem. At in Tristani nummo legitur, DD. NN. IOVII LICINII INVICT. AVG. ET. CÆS. Quare cum percussus fuit nummus, Licinius Junior Cæsaris appellationem acceperat. Utrumque Numisma obsignatur numerali nota Γ. qua tertium Liciniani in Asia imperii annum indicari cap. 2. monstravi, & iterum cap. 6. ostendam; tertius autem ejusdem Licinii annus exit circa Majum A.317. ex ibidem stabilitis. Hinc Licinii Cæsaris designatio intra III. Idus Novembris A.316. & Majum anni insequentis claudenda est; ac proinde recte statuitur in Fastis Idatianis, & Chronico Alexandrino Kalendis Martii A.317. Gallicano & Basso Consulibus. Ita antiquissimi Fasti cum Mediceo Nummo concordant; immo eisdem ex tam insigni Numismate integra fides asseritur.

His, ut ingenue fatear, videtur obstare antiqui lapidis inscriptio, quam recitant Panvinus A. V. C. 1607. & Gruterus pag. 284. 7.

FLAVIO. VALERIO. CRISPO. NOBILISSIMO. CÆS. FILIO. CONSTANTINI. MAXIMI. ADQVE INVICTI. SEMPER. AVG. ET. NEPOTI. DIVI CONSTANTI. OVINIVS. GALLICANVS. V. C. PRAEF. VRB. ET IVDEX. SACRARVM. COGNITIONVM. DEVOTVS. N. M. Q. EIVS.

Ovinius Gallicanus ac Bassus fuere Consules ordinarii A.317. quare cum in posito epigrammate non inscribatur CONSUL, sed tantum *Præfectus Urbi*, videtur colligi eandem Inscriptionem dicatam fuisse A.316. quo Gallicanus, ut patet ex indice Præfectorum Urbi, eundem magistratum gessit. Antequam in rarissimum Serenissimi Principis nummum inciderem, arbitrabar Idatii Fastos ex laudata Inscriptione emendandos; neque enim legebam Gallicanum Consulem, sed Præfectum Urbis, cum tamen consulatus in virorum illustrium, qui eundem gesserunt, inscriptionibus semper appareat, erat enim dignitas infra imperatoriam omnium maxima. Verum ex Libello *de Præfectis Urbi*, Cuspiniano primum invento, res tota aperitur. Ovinius Gallicanus, ut ibidem patet, designatus fuit Præfectus Urbi A. 316. Coss. *Sabino & Rufino, pridie Nonas Augusti*; Anno vero 317. successorem accepit *Idibus Maii Septimium Bassum*. Quare A.417. Kalend. Martii die Natali Cæsarum erat Præfectus Urbi, quemadmodum in vetusto illo lapide inscribitur. Nec tamen *Consul* pariter nominatur, quia priori parte illius anni nondum ab Augustis Constantino & Licinio ordinarii Consules designati fuerant. Hæc in Libello *de Præfectis* leguntur: *Consules quos jusserint DD. NN. Augusti. Ex die XIII. Kal. Martii Gallicano & Basso*. Gallicanus priusquam delati magistratus nuncium acciperet, Inscriptionem illam in lapide sculpendam curaverat, ut eadem Kalendis Martii die natali Cæsarum, in honorem Crispi publico loco dicaretur. Degebat id temporis Imperator procul ab Urbe in Dacia apud Serdicam, ubi die 16. Aprilis signavit *L.6. ad l. Jul. de vi publica* Cod. Just. quæ prima est sub eodem titulo in Cod. Theodosiano. Quare cum die XIII. Kal. Martias Gallicanum Consulem designaverit ac publicaverit, is post dicatum Crispo epigramma, sui consulatus nuncium accepit.

Auctor est Aurelius Victor in Epitome Licinium Juniorem *mensium fere viginti* Cæsarem creatum. In Zosimi lib.2. viginti annorum perperam scribitur, cum Anno 313. Constantia, Licinii Cæsaris mater, Licinio Augusto juncta fuerit; anni pro mensi-
B bus, sive Zosimi, sive amanuensium errore, positi sunt. Cum Licinius creatus fuerit Cæsar Kalendis Martii A.317. Decennalibus Augusti patris sedecim mensium puerulus erat, natus Anno 315. mense Julio. Ex his deducitur oblationem devotam Decennalibus Licinii Augusti neutiquam exhibitam fuisse a puerulo Cæsare Licinio, sed nomine ejusdem Senatu Nicomediensi, ut tam munifica adulatione Imperatoris gratiam captaret.

CAP. V.

C

Domitianus IOVI CONSERVATORI *Romæ sacellum dicat, ac eodem titulo nummos primum inscribit. Eadem inscriptio in Licinii Numismatibus frequentissima. Licinius Augustus nunquam Christianam Religionem professus. Acta S. Basilei Amaseni a V.C. censura vindicantur. Philostorgius mendacii convincitur. Collectores Synodi Nicænæ Provincias in subscriptionibus confundunt. Amasia Helenoponti metropolis. Nulla hujus nominis urbs in Armenia secunda. Martinianus Augustus Jovis Conservatoris titulo omnium*
D *postremus Nummos cudit.*

INscriptio, quæ in postica parte Medicei Numismatis visitur, facilis est, ac passim in aliis Imperatorum, præsertim vero Joviorum, nummis occurrit, nempe, JOVI CONSERVATORI. Exprimitur ibidem Juppiter sedens, manu dextra victoriolam tenens, sinistra longius sceptrum stringit, cum aquila dextrorsum ad pedes, in cujus rostro sertum apparet.

Tres id genus Licinianus nummos æreos cum iisdem figuris atque inscriptione Antiochiæ & Nico-
E mediæ obsignatos, mihi ostendit Apollonius Bassetus Canonicus Laurentianæ Basilicæ, idemque Serenissimo Magno Duci COSMO III. a secretis; in his autem Juppiter non quidem sedens, sed stans conspicitur. In Cimeliarchio Serenissimi LEOPOLDI exstat nummus Diocletiani in Greca urbe percussus, huic Liciniano fere similis, cujus ectypum exhibeo.



F

Victoriola, quam porrecta manu Juppiter in Licinii nummo profert, indicat Licinium tum partas victorias Jovi acceptas ferre, t m nova ex hostibus trophæa ab eodem sperare. Sceptrum oblongum Numinis ejusdem potestatem Ethnicis somniatam exprimit; illum enim cœlum terrasque pro arbitrio, &, ut ait Cicero lib. 2. *de nat.*

Deor. omnia nutu regentem finxere. Hinc Venus apud Poetam eundem alloquutura ait *Æneid.* X. ℣. 18.

O pater, o hominum, divumque æterna potestas.

Jovem vero cum aquila ad pedes passim adoratum, oculatus testis Lactantius tradit lib. 1. *de falsa relig.* cap.11. *Nam quod aliud*, inquit, *argumentum habet imago Catamiti, & effigies aquilæ, cum ante pedes Jovis ponuntur in templis, & cum ipso pariter adorantur?* Cum Juppiter contra Titanos moveret, ac sacrificium in littore faceret, scribit ex Anacreonte Cæsar in Arato apud eundem Lactantium, *aquilam ei in auspicium advolasse, quam victor bono omine acceptam, tutelæ suæ subjugarit.* Hinc aquila Jovis ales ac ministra apud Poetas passim decantata.

Plurimis sane epithetis Juppiter apud Gentiles honorabatur, quæ in priori parte operis Gruteriani leguntur; hinc acute dixit Minutius Felix in *Octavio, tot sunt Jovis monstra, quot nomina.* Cum Licinius per adoptionem Galerii in familiam Diocletiani transisset, Jovii cognomen per summam ambitionem assumpsit, ut superius ostendi. Hinc ejus nummi Jovis effigie passim obsignati cum epigraphe, IOVI CONSERVATORI. Domitianus incenso a Vitellianis Capitolio, clam elapsus, apud ædituum sese occuluit, postea, inquit Tacitus lib. 3. *Hist. potiente rerum patre, disjecto æditui contubernio, modicum sacellum* IOVI CONSERVATORI, *aramque posuit, casusque suos in marmore expressit.* Exstat nummus mediocris magnitudinis in Gaza Serenissimi Magni DUCIS inscriptus, IMP. CÆS. DOMITIAN. AVG. GERM. COS. X. & in altera parte, IOVI CONSERVAT. S. C. In antiqua Urbis descriptione in Regione XI. ponitur *sacellum Jovis Conservatoris.* Pausanias lib. 3. scribit prope Epidaurum fuisse templum *Jovis cognomento Servatoris*, Διὸς ἐπίκλησιν σωτῆρος. Idem lib. 8. laudat apud Megalopolim *templum Jovis cognomento Servatoris.* At Juppiter non hominum tantum, verum etiam & privatarum possessionum conservator habebatur, sub hoc ipso titulo publicis Inscriptionibus eidem dicatis. Pag. 18. *antiq. Inscript.* legimus, IOVI O. M. CONSERVATORI POSSESSIONVM ROSCIORVM, &c.

Licinius una cum Constantino A. 313. publico edicto Christiani cultus exercendi facultatem fecerat, non quod sanctissimæ Religionis mysteria probaret, sed ut Constantino collegæ Augusto, Christianis sacris addicto, rem gratam faceret, ac provincialium benevolentiam sibi conciliaret, dum superstitiosos Gentilium ritus observans, Christianis vero liberam proprii cultus potestatem faciens, utrosque ex æquo in officio & obsequio futuros sperabat. Ex illo tamen edicto, quod toto Romano Orbe Christianis favorabile publicatum fuerat, non modo Constantinus, verum etiam Licinius hostis Idolorum nostris hominibus creditus fuit. Auxit fidem quod Licinius, cum profligato Maximino infensissimo Christiani nominis hoste Antiochiam venisset, in Jovis Philii Sacerdotes severe animadvertit, ac omnes, *qui adversus religionem nostram*, inquit Eusebius lib. 9. cap. 11. *insolenter debacchati fuerant, capite damnavit.* Hinc Paulinus Antistes Tyri in dedicatione templi A.314. pro concione tum Constantinum tum Licinium concelebrans dixit: *Adeo ut, quod nunquam antea contigerat, summi Imperatores honoris illius, quem Dei beneficio acceperunt, sibi conscii, jam in mortuorum simulacrorum faciem conspuant, & profanos Dæmonum ritus conculcent, ac vetustum errorem a majoribus traditum irrideant, unum vero Deum cum erga omnes tum in se ipsos maxime beneficum agnoscant*, &c. *Christum Dei Filium universorum Regem esse profiteantur.* Apud Eusebium lib. 10. cap.4. a quo lib. 9. cap. 9. vocatur Licinius θεόφιλος *Dei amantissimus.* Imo in Actis S. Basilei Martyris Episcopi Amaseni in Ponto hæc scribuntur: *Licinius igitur omnipotente D. N. Jesu Christi manu adjutus, quippe qui Christi fidem sincero animo tunc observabat, victoriam de Maximino reportavit.* Postea ejusdem apostasia describitur: *Solius & veri Dei, omniumque Creatoris confessionem reprobavit, idque post jusjurandum illud quod Dei amantissimo Imperatori Constantino sæpius exposuit, nullo unquam tempore se a Christianorum fide defecturum, sed illius se fore propugnatorem.* Hæc scribit de Licinio Joannes Nicomediensis, qui eidem Imperatori convixit, & in fine Actorum *per Deum* Lectorem *obtestatus* ait, *ut nihil subtrahas, neque quicquam illi addas.* Ex his Licinius quandoque Christianæ Religionis professor describitur.

Ego tamen arbitror nunquam Licinium Christianæ Religioni nomen dedisse, sed Ethnicorum erroribus & quidem semper adhæsisse. Id nummi ejusdem testantur; etenim ab Anno 314. quo Asiam obtinuit, hac inscriptione obsignantur, IOVI CONSERVATORI. Ita legitur in nummo laudati Basseti cum notis in inferiori parte, S. M. N. B. nempe, *signata moneta Nicomediæ anno secundo* ejusdem imperii in Asia, hoc est, Æræ nostræ vulgaris 315. Anno pariter 316. & 317. idem titulus visitur in nummis fusius mihi explicatis. Alterum Basseti Numisma cum eadem inscriptione exhibet in medio notam E. cum litteris in postrema parte, S. M. ANT. nempe *anno quinto* imperii *signata moneta Antiochiæ:* Anno Christianæ Epochæ 308. At certum est Licinium Anno 319. persecutionem contra Christianos instituisse; siquidem illius jussu Theodorus Dux insignis, quod Diis sacra facere noluit, *ense fuit consummatus Februarii mensis die septimo, Sabbato, hora tertia*: in Actis apud Surium die 7. Februarii. Est character Anni 319. Cyclo Solis XX. Lunæ XVI. litt. D. Baronius ex depravata subscriptione legis primæ *de Veteranis* Cod. Theod. Licinio sex imperii annos aufert, eumque Anno 318. ad privatam vitam redigit. Hanc tamen opinionem erudite refellit Petavius in *Paralip. de Doctr. Temp.* p. 861. eam certe prochronismi convincit character feriæ, qua Theodorus asseritur sub Licinio passus, cujus obitus in Annalibus A. 316. recitatur; cum tamen eo anno dies septima Februarii inciderit in feriam tertiam Cyclo Solis XVII. Lunæ XIII. litt. AG. Video hæc ipsa Bollando viro diligentissimo observata tom. 2. Men. Febr. ad Acta S. Theodori. Eusebius lib.2. *de Vita Constantini* cap.69. cum narrasset Galerium ac Maximinum insanabili morbo correptos, Christianorum persecutionem inhibuisse, addit: *Hæc cum Licinius non aliorum sermone didicisset, sed factis ipsis percepisset, tamen velut densa quadam caligine animo ejus offusa, eadem quæ illi agere instituit.* Idem Eusebius c.5. recitat orationem, quam Licinius ad milites habuit priusquam aciem contra Constantinum instrueret: *Viri*, inquit, *amici & commilitones; si quidem quos colimus, & quos ab ultimis usque majoribus colendos accepimus, Dii sunt patrii. Iste vero qui adversarum nobis partium copias ducit, moribus institutisque majorum violatis, ad impiam nullos credentium Deos opinionem descivit, peregrinum quendam nescio unde quæsitum temere amplectens Deum*, &c. Quæ quidem testatur Eusebius se accepisse ab iis *qui orationi ejus interfuerant.* Hinc patet eundem Deorum cultui a majoribus accepto semper adhæsisse. Quid vero reponemus Joanni Nicomedien-

ſi, qui in Actis memoratis S. Baſilei Amaſeni Epiſcopi & Martyris diſerte affirmat, Licinium quandoque Chriſtianam fidem profeſſum fuiſſe? Doctiſſimus Valeſius in *Notis ad cap. 1. lib. 2. de Vita Conſtantini* non dubitat hanc cenſuram ferre: *Acta Baſilei, quæ apud Metaphraſtam exſtant, inepta mihi videntur & fabuloſa*. Etenim ibidem recitatur paſſio Baſilei Amaſeni Epiſcopi juſſu Licinii interfecti, cum tamen Philoſtorgius lib. 1. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 8. teſtetur adfuiſſe in Nicæna Synodo *ex Ponto Baſileum Amaſeæ*, quod etiam apparet in fragmento Philoſtorgiano, quod adducit Niceta lib. 5. *Theſ. Orthod. fidei* cap. 7. quod idem tradit Nicephorus lib. 8. cap. 4. Sanctus Athanaſius Oratione priori contra Arrianos ſcribit *ex Ponto Magnum Baſilium* Nicæam ad Synodum veniſſe. Quid? Euſebius, qui ceteros inſigniores Epiſcopos a Licinio trucidatos laudat, nuſquam Baſilei Martyris meminit?

Fateor quædam in Actis Baſilei Amaſiæ Epiſcopi parum veritati congruere; certe quæ de relegato in Gallias Licinio traduntur, omnium Scriptorum teſtimoniis falſitatis convincuntur; conſtat enim eundem Tyrannum Theſſalonicam relegatum fuiſſe. Quare hic idem Auctor potuit errare in iis quæ de Religione Chriſtiana Licinii in litteras miſit: fortaſſis tamen excuſandus, quod ex celebri Edicto pro Chriſtianis publicato antequam Aſiam occuparet, ſanctiſſimæ Religionis profeſſor palam ab abſentibus creditus fuit. Nunquam tamen auſim omnem Actis laudatis fidem abrogare, cum in Martyrologiis Græcorum pariter ac Latinorum, itemque Chronico Euſebiano afferatur Baſileus Amaſiæ Epiſcopus ſub Licinio Imperatore ob Chriſtiani cultus profeſſionem occiſus. Euſebius in lib. 10. *Hiſtor. Eccleſiaſt.* cap. 8. fuſius crudelia Licinii in Epiſcopos geſta deſcribens: *Modus porro*, inquit, *cædis, quo illos ſuſtulit, novus plane nec ante unquam auditus. Sed quæ apud Amaſiam & reliquas Ponti urbes perpetravit, omnem crudelitatis modum tranſcendunt*. Eadem repetit lib. 2. *de Vita Conſtantini* cap. 1. ubi quamvis neminem Præſulum Tyranni juſſu exſtinctorum nominatim laudet, Baſileum tamen in illorum numero fuiſſe ſuadet inſtituta apud Amaſiam contra Chriſtianos perſecutio. Hæc levi brachio attingo; nam ſpero fore ut Actis Baſilei Amaſeni integram fidem adſtruant viri doctiſſimi Henſchenius & Papebrochius in perennibus & nullo unquam ævo interituris commentariis de geſtis Sanctorum; quidem teſtantur ſe in Actis Sanctorum menſis Aprilis martyrium Baſilei Amaſeni cum Græce, tum Latine exaratum, ac de more, hoc eſt, eruditiſſimis notis illuſtratum, iiſdem, quos laudant, faventibus Superis, impreſſiſſe. Hæc ex indiculo Sanctorum Aprilis a P. Papebrochio ſibi tranſmiſſo ſignificavit Antonius Magliabecus Muſarum Æditimus, idemque omnium Librorum helluo, ac Litteratorum toto Orbe ſcribentium diligentiſſimus & officioſiſſimus nomenclator, fautor, adjutor.

Interim Philoſtorgius mendacii convincitur, qui Baſileum Atanaſio ob Orthodoxi dogmatis profeſſionem commendatum, decimo octavo loco inter Arrianos apud Niceam numeravit. At illum non fuiſſe inſignem illum Amaſiæ Epiſcopum ex ſubſcriptionibus Nicænæ Synodi evincitur; ibi enim legitur *Eutychius Amaſeæ* Baſilei Martyris ſucceſſor. Video tamen hic erratum eſſe a Collectoribus Conciliorum; nam Eutychius Amaſeæ ab iiſdem ponitur inter Epiſcopos Armeniæ majoris. Hinc Carolus a S. Paulo & Labbeus cum Coſſartio duas Amaſias ponunt: unam Metropolim Helenoponti, aliam in Armenia ſecunda intra Diœceſim Primatis Melitenenſis. Sed nuſquam hæc Amaſia in Armenia legitur; nam Provincia Armeniæ ſecundæ antiquitus *ex ſex omnino conſtans urbibus* dicitur a Juſtiniano in Novella 31. ubi quatuor Armenias diſtinguit, earumque cum veteres tum novas urbes recenſens, nuſquam Amaſiæ meminit. Idem patet in notitia Epiſcoporum, Leonis Imperatoris ad Andronicum filium, ubi ſex tantum Armeniæ ſecundæ civitates recenſet, quas inter nulla Amaſia recitatur. Collectores Conciliorum cum legerent nomina Epiſcoporum qui Nicænam Synodum celebrarunt, continuata ſerie ducta, eadem ſub Provinciarum Titulis ſeorſim poſuere. Hinc cum Eutychius Amaſiæ Epiſcopus medius eſſet tum inter Eulogium Sebaſtenum Metropolitam Armeniæ primæ, & Euethium Satalenſem, tum Heraclium Zelonenſem, ac Elpidium Comanum, quos omnes notant in utraque Armenia Epiſcopos fuiſſe, Eutychium Amaſenum Armeniæ pariter Epiſcopis adnumerarunt. Verum ex ignorantia Eccleſiaſticarum Diœceſeon error derivavit, nam inter Epiſcopos utriuſque Armeniæ medio loco ſedebat Metropolita Amaſenus. Patet ex Tabulis Leonis Sapientis, ubi poſt Epiſcopos Armeniæ primæ ponitur Metropolita Amaſiæ cum ceteris Epiſcopis Helenoponti, poſt quos nominatur Primas Melitenenſis cum Suffraganeis Armeniæ ſecundæ. In Synodo Chalcedonenſi ſexcentorum ac triginta Patrum eodem prorſus loco ſedebat Primas Amaſenus, ita enim ibidem legimus:

Joannes Sebaſtiæ metropolis primæ Armeniæ.
Seleucus Amaſiæ civitatis metropolitanæ Helenoponti.
Conſtantinus Melitenæ civitatis metropolis Armeniæ ſecundæ.

In Synodo S. Flaviani recitata act. 1. Concilii Chalcedonenſis dicitur *Seleucus Dei gratia Epiſcopus Amaſiæ Helleſponti*, & in Synodo Epheſina *Palladius Amaſiæ Helleſponti*. Legendum eſt *Helenoponti*; ſiquidem Præſul Cyzicenus erat Metropolita Helleſponti. Pontus vero in duas Provincias dividebatur, nempe in Helenopontum ob Helenæ matris honorem juſſu Conſtantini ſic appellatum, & Polemoniacum ab antiquo Rege Polemone; hujus metropolis erat Neocæſarea, illius vero Amaſia Strabonis Geographi patria, cujus ſitum idem lib. 12. diligentiſſime deſcribit. In antiquis nummis Amaſia inſcribitur ΜΗΤ. ΠΡ. ΠΟΝ. nempe, *Metropolis prima Ponti*, quod Neocæſarea ſecunda erat ejuſdem regionis metropolis. Vir doctiſſimus Spanhemius diſſert. 9. *de Nummis* pag. 885. putat aliam ejuſdem tractus metropolim ſignari in nummis inſcriptis ΤΟΜΕΟϹ ΜΗΤΡΟ. ΠΟΝΤΟΥ. *Tomei metropolis Ponti*. Tomi fuit urbs metropolis Ponti in Scythia. Scribit Ammianus lib. 27. *Scythia, in qua celebriora ſunt aliis oppida Dionyſiopolis, & Tomi, & Calatis*. Tomi in Europa urbs Ovidii exſilio nobilitata, Amaſia vero in Aſia longo terrarum ac æquoris ſpatio Tomis diſſita, neutiquam ejuſdem tractus oppida dici poſſunt; quare reſpectu unius Neocæſareæ Amaſia prima metropolis in nummis inſcripta fuit. Exſtat etiam Numiſma apud ornatiſſimum virum Patinum in Trajano cum epigraphe, *Nicomedia metropolis prima Ponti & Bithyniæ*. At non vacat hic antiquæ Ponti deſcriptionem inſerere: cum plus juſto forte digreſſus videar, ut acta Baſilei Martyris, ejuſdemque Catholici Antiſtitis fidem adverſus Philoſtorgium defenderem. Hęc ſibi valde probari affirmavit Carolus Datus, cujus nobiliſſimi viri cum familiaritate utor, tum eruditione ſæpe proficio.

Licinius, qui per sexennium, priusquam Illyricum amitteret, nummos tum sua tum Maximini imagine obsignatos, cum inscriptione, *Jovi Conservatori*, Sisciæ cudendos, dein primo etiam Asiatici imperii quadriennio, eadem inscriptione signandos jusserat, huic tandem suo Jovi Conservatori maledixit. Auctor est Eusebius Licinium, antequam contra Constantinum aciem instrueret, hæc pro concione ad milites dixisse, *Si Dis nostris, qui quamplurimi sunt, & multitudine nunc utique antecellunt, unus ille nescio unde profectus Constantini Deus superior exstiterit, nemo posthæc in dubium revocet quisnam colendus sit Deus: sed ad potiorem accedat, eique victoriæ præmium deferat*. Sperabat autem se Deos *vere servatores atque auxiliatores* habiturum. Lib. 2. *de Vita Constantini* cap. 5. Victus apud Hadrianopolim A. 324. die 3. Julii, sero licet intellexit, se inani voto *Jovi Conservatori* fidisse, eoque titulo in nummis frustra eundem coluisse. Itaque Jovem non conservatorem, sed desertorem, imo inane numen appellans, *novos*, inquit ibidem Eusebius cap. 15. *investigabat Deos, utpote a prioribus in fraudem inductus. Nec memoria repetebat quæ paulo ante de Diis in concione dixisset. Nec Deum, qui pro Constantino pugnasset, agnoscere volebat, sed multo plures & novitios Deos non sine risu ac ludibrio cœpit inquirere*. Verum cum nulli Deorum plene fideret, ac plus præsidii a probata fortissimi ducis virtute se habiturum speraret, Martinianum Officiorum Magistrum in ruinæ potius quam imperii societatem adscivit. Exstat in Bibliotheca Serenissimi COSMI III. insigne volumen MS. Anonymi Antiquarii Panvini amicissimi, in quo hujus nummi ectypus exhibetur, D. N. M. MARTINIANVS P. F. AVG. & in postica parte, IOVI CONSERVATORI. Hujus Numismatis iconem profert Tristanus tom. 3. pag. 474. cum notis S. M. N. A. sc. *Signata Moneta Nicomediæ Anno primo*. Verum Licinius altero prælio apud Chalcedonem die 18. Septembris victus, una cum Martiniano novo Augusto Nicomediam sese recepit, ibique a victore exercitu obsessus, facta deditione, in castra Constantini venit, ac vita Constantiæ uxoris precibus impetrata, privatum hominem apud Thessalonicam degere jussus fuit, Martiniano statim occiso, uti Zosimus scribit, vel, ut alii referunt, in Cappadociam relegato. Illud observo, laudatum Martiniani nummum omnium postremum IOVI CONSERVATORIS inscriptione obsignatum fuisse, cum illa ante annos 240. in Domitiani Cos. X. Numismate primum apparuerit, & in successorum Principum ac Joviorum præcipue nummis passim legatur. Etenim Constantinus Jovis Conservatoris inscriptione inhibita, aliorumque Deorum nominibus ac titulis vetatis, victricis Crucis trophæum, ac Christi Servatoris nomen in nummis obsignanda jussit, quæ quidem in labaro, galeis Imperatorum, ac militaribus signis scalpta visuntur.

CAP. VI.

Annus imperii Augustorum in nummis passim scalptus. Scaligeri censura confutatur, ac Nervæ nummus explicatur. In Numismatibus Viminacii num annona, vel anni, designetur. Vetus Inscriptio perperam Tristano intellecta. De Frumentariis Legionum. Annos Cæsarum in nummis Latinis numeralibus Græcorum notis expressos. Nomina urbium in iisdem notata. Licinii Nummus Nicomediæ anno tertio ejusdem in Asia imperii obsignatus.

In nummis annos imperii Augustorum obsignatos videmus. Initio quidem scalpebantur anni Tribunitiæ Potestatis, a quibus anni imperii deducebantur. Horum auctor venit Dio lib. 53. *Gerere quidem*, inquit, *tribunatum plebis nefas ducunt Imperatores, quum ipsi utique patricii sint: omnem vero Tribunitiam Potestatem, quantum unquam maxima fuit, accipiunt: & quia quotannis eam cum Tribunis plebis renovant, annorum imperii ipsorum hinc summa colligitur*. Eadem vero die qua annos imperii, annos quoque Tribunitiæ Potestatis iterasse ex nummis & lapidum elogiis constat, idque a Panvino satis abunde demonstratum est. Anni Tribunitiæ Potestatis usque ad Claudii II. imperium in nummis procusi sunt; deinde iisdem omissis, notæ numerales Græcorum in usum venere. Græciæ urbes initio annos Tribunitiæ Potestatis in nummis obsignabant illis notis ΔΗ. ΕΞ. nempe Δημαρχικῆς Ἐξουσίας, *Tribunitiæ Potestatis*, vel post litteras A. vel L. numerum annorum imperii exprimebant. Hoc ultimum adeo confidenter Scaliger inficiatur, ut opinionem *jocularem* irrisionis causa nuncupaverit in notis Eusebianis num. 2194. *Alias*, inquit, *M. Antoninum necesse fuerit hoc pacto imperasse* XXXIV. *annos cum* L. ΛΔ. *in ejus nummis legamus. Item in nummis* T. Vespasiani *L. IA. qui biennium imperavit: in nummis Nervæ* A. Γ. *qui vix inchoavit annum secundum imperii*. Verum palam Scaliger hallucinatur; ignorans in laudatis nummis exprimmi annos Tribunitiæ Potestatis M. Antonini ac Titi, qui totidem in nummis & antiquis saxis leguntur. Uterque Tribunitiam Potestatem accepit, antequam soli imperium capesserent; Titus enim cum Vespasiano patre & M. Aurelius cum Antonino Pio plures Tribunitiæ Potestatis annos numerarunt. In nummo Nervæ annus tertius designatur; qui quidem tertius imperii annus attribuitur Nervæ in nummis etiam Latinis apud Occonem & Goltzium, & in antiquo lapide Gruteriani Thesauri pag. 185. cum tamen certum sit Nervam A. 96. Epochæ vulgaris die 18. Septembris post occisum Domitianum, ad imperium evectum, & decimo septimo postea mense imperandi & vivendi finem fecisse, ex Dionis Excerptis, Clemente Alexandrino lib. 1. *Stromat.* & Theophilo Antiocheno lib. 3. *ad Autolycum*. Quare obiit Nerva mense VII. Trib. Pot. II. Itaque vel ubique erratum est in assignando eidem anno tertio; vel forte idem Kalendis Januariis præter morem cum Tribunis plebis Tribunitiam Potestatem bis iteravit. In nummo Græco Nervæ apud Goltzium legitur diserte ΕΤΟΥϹ ΤΡΙΤΟΥ, *Anno tertio*. Ex aliis tamen nummis error plane corrigendus est. Etenim tum apud Occonem tum apud Goltzium exstant nummi ejusdem inscripti, TR. P. II. COS. IV. IMP. II. Gessit autem consulatum IV. A. 98.

quo ineunte, nempe die 27. Januarii, diem obiit.

In nummis Græcis quandoque annus imperii Cæsarum diserte & fine notis designatur. Exstat nummus in Cimeliarchio Serenissimi Cardinalis cum epigraphe, A. KAI. TAKITOC. CEB. ETOYC. A *Imperator Cæsar Tacitus Anno primo*; & in Gaza Magni DUCIS visuntur duo Numismata Diocletiani cum inscriptione, ETOYC B. ETOYC. Γ. nempe in uno, *anno secundo*; in altero, *anno tertio*. Nusquam *anni* scalpti leguntur in nummis Latinis, præterquam in iis qui Viminacii in Mysia superiori cusi sunt; sed, ut ingenue fatear, nullus hucusque illarum notarum veram interpretationem invenit. Exstat nummus Philippi Imperatoris apud Tristanum tom. 2. pag. 557. cum epigraphe, P. M. S. COL. VIM. & in inferiori parte, ANN. VII. hoc est, inquit Tristanus, *Provinciæ Mysiæ superioris colonia Viminacium. Annona septima*. Etenim ait Legionem VI. Victricem cognomento *Frumentariam* in Mysia stativa habuisse, ac annonæ in horrea devehendæ securitati præfuisse; siquidem in veteri saxo, in quo colonia Viminacium legitur, laudatur *P. Antonius Victor* MIL. LEG. VI. VICTICIS. FRVM. scilicet, *Frumentariæ*; cui interpretationi eruditus Amicus noster fidem accommodavit. Verum nemo non videt gravem injuriam Legioni VI. irrogari, quæ ob fortiter in præliis gesta *Victricis* titulum honoris causa decorata, ad plaustra & angarias postea deprimitur, tamquam devehendæ annonæ præsidio unice destinata. Sed plane legendum est, *P. Antonio Victori militi Legionis* VI. FRVMENTARIO. Hoc constat ex altero saxo apud Gruterum pag. 530. & Baronium A. 261.

T. AVRELIO. PIO. MIL. LEG. VI. VICTR. FRVMENTARIO. &c.

Baronius erudite hosce milites Legionum Frumentarios ex antiquis Scriptoribus probat ad Annum 261. Græci etiam hunc militem φρουμεντάριον appellabant, ut patet ex Epistolis Dionysii Alexandrini apud Eusebium lib. 6. cap. 40. Unum hic addam quod in Baronii *Annalibus* desideratur, Diocletianum Frumentariorum ordinem exstinxisse, quod, teste Victore Schotti, *cum ad explorandum annunciandumque, qui forte in Provinciis motus exsisterent, instituti viderentur, compositis nefarie criminationibus, injecto passim metu, præcipueque remotissimo cuique, cuncta fœde diripiebant*. Certe Hadrianum *per Frumentarios occulta omnia explorasse* testatur Spartianus cap. 11. Sed nec interpretatio de annonarum illatarum numero subsistit; siquidem in nummis Philippi legimus, PROVINCIA DACIA AN. II. Est hoc Numisma in scriniis Serenissimi LEOPOLDI. Rursus in nummo Æmiliani apud Patinum visitur, PROVINCIA DACIA AN. VII. In nummis vero Viminacii Decio imperante in Gaza Magni DUCIS exstat inscriptio, AN. XI. quis autem putet ab una urbe, quam ab universa Provincia, pluries annonam in horrea publica deportatam? Spanhemius *dissert.* 9. pag. 876. Arbitrantur in laudatis nummis designari annos deductæ sub Gordiano coloniæ; nam exstat nummus Gordiani inscriptus, COL. VIM. AN. I. dein plures recta annorum serie sub ejusdem successoribus numerantur usque ad Decium, quo imperante nummi Viminacii signantur, AN. XI. & XII. Hæc tamen explicatio falsitatis aperte convincitur. Etenim laudantur a Goltzio nummi Alexandri & Juliæ Mæsæ cum epigraphe, COL. VIM. AN. I. & AN. II. ex quibus patet Viminacium jure coloniæ exornatum, antequam Gordianus ad Romanæ rei fastigium eveheretur. Præterea in Scriniis Numismatum Sereniss. Cardinalis ab Etruria in eadem tabella visitur nummus Gordiani cum Epigraphe, COL. VIM. AN. V. & duo Philippi, quorum unus inscribitur, COL. VIM. AN. III. alter vero AN. IV. Itaque non exprimuntur anni a deducta colonia, cum iidem nequaquam recta serie deducantur, sed iterum sub Gordiano, & postea imperante Philippo, inchoati appareant. Certe in nummis Daciæ non exprimuntur anni coloniæ deductæ. Quare res mihi in obscuro latet; video enim facilius esse aliorum interpretationes confutare, quam quidpiam certi statuere.

In nummis, post Gallienum a Latinis percussis, anni imperii Principum numeralibus Græcorum notis indicari cœpti sunt. Sane in Maximini & Licinii nummis Sisciæ percussis id ad oculum patet; in iis enim visuntur A. B. Γ. Δ. E. ς. quibus notis sex anni eorumdem Cæsarum designantur, nec ullus antiquariæ rei peritus id hucusque in dubium *. Quinque Licinii Numismata cum epigraphe, IOVI CONSERVATORI, Sisciæ cusa laudat Occo; illorum postremum E. obsignatur, quo quintus ejusdem in Illyrico imperantis annus exprimitur. Cum vero idem Augustus debellato Maximino Asiam in suam potestatem redegisset, anni imperii Asiatici ejusdem numerari cœpti sunt. Exstat apud eundem diligentissimum Antiquarium nummus Licinii in inferiori parte postica obsignatus, S. M. N. A. alter visitur Licinii nummus apud laudatum Canonicum Bassetum cum notis, S. M. N. B. Tertius est insignis Serenissimi Cardinalis obsignatus, S. M. N. Γ. in quibus tres Liciniani in Asia, ubi nummos illos cusos ostendam, imperii anni indicantur. Has ergo Græcas litteras annos imperii explicare certum est, neque majorem ad rem manifestam illustrandam operam ponam.

Illis prioribus litteris S. M. N. urbs in qua cusa † est pecunia designatur, nempe *Signata moneta*, vel *Sacra moneta Nicomediæ*. Video etiam monetam quandoque dictam divalem. Nummus Theodosii apud Occonem in aversa parte epigraphem prefert, VICTORIA AVGGG. & inferius, M. D. CON. OB. scilicet *Moneta Divalis Constantinopoli obsignata*. Ita & litteræ Augustorum passim *divales* nuncupatæ, sicut pleraque alia quæ ad Imperatores spectabant, ut Eruditis compertum est. Nummus Licinii apud Dn. Bassetum exstat cum inscriptione, IOVI CONSERVATORI AVGG. in inferiori parte, S. M. ANT. & in medio, E. hoc est, *signata moneta Antiochiæ anno quinto*. Nempe Anno 318. quo circa Majum annus quintus imperii Licinii in Asia inchoabatur. Ex quibus lucet minus recte in Annalibus bellum postremum Licinii cum Constantino, ejusque ad privatam sortem dejectionem ad illum annum referri, neque enim in nummis Constantinus hostis nominatus fuisset ab Antiochenis qui Licinio parebant.

Nicomedia ab imperio Diocletiani erat regium domicilium Augustorum in Asia commorantium; ubi plura ejusdem Principis Rescripta signata leguntur in Cod. Justinianeo. Anno 303. ferale illud contra Christianos edictum Nicomediæ primum propositum fuisse testatur Eusebius lib. 8. cap. 5. præsente ibidem Imperatore, cujus *conclave & palatium*, ultore Numine, id temporis fulmine depastum, suismet oculis vidisse affirmat Constantinus Augustus in cap. 25. orationis Sanctorum cœtui inscriptæ. Maximinum in eadem urbe degisse patet ex ejusdem edicto cap. 2. recitato. Licinius victo Maximino Orientalis Imperii sedem apud Nicomediam fixit. Hæc scribit

* Verbum *vocavit*, vel simile, excidit. † Leg. *cusa*.

Joannes Nicomedienſis in Actis S. Baſilei Amaſeni: *Licinius cum totum Orientem ſub ſe haberet, magno cum apparatu ad noſtræ regionis urbem Nicomediam venit una cum conjuge ſua, ut in regia domo habitaret, & Orientis Imperium teneret*. Hinc Marcellinus lib. 22. cap 9. vocat Nicomediam *urbem inclytam, ita magnis retro Principum amplificatam impenſis, ut ædium multitudine privatarum & publicarum, recte noſcentibus regio quædam Urbis æſtimaretur æternæ*. Diocletianus, teſte Victore Schotti, eandem ſplendidiſſimis ædificiis exornaverat. Anno 324. Licinius Nicomediæ a Conſtantino obſeſſus ſe urbemque victori dedit, anno imperii ſibi a Galerio delati XVIII. Aſiatici vero XI. Conſtantinus Nicomediam ingreſſus, ibidem celeberrimam Epiſtolam *ad Sanctorum cœtum* inſcriptam vulgavit, in qua Idololatrici cultus vanitatem evellit, ac Chriſtianæ Religionis ſanctitatem laudat ac communit. In cap. 25. legitur, *Teſtatur hæc urbs Nicomedia*, &c. ut plane non abſque divinæ providentiæ conſilio factum putem, ut ex eadem urbe, ubi ſæviſſimum contra Chriſtianos edictum ante unum ſupra viginti annos conditum fuerat, leges poſtea pro evertendis Idolis, ac Chriſtiano cultu ſervando, pientiſſimus ac religioſiſſimus Imperator emitteret. Nicomediæ moneta cudebatur, & adhuc plurima ibidem obſignata antiquitus Numiſmata in Cimeliarchiis viſuntur. Eſt inſignis Nummus in Gaza Me-

A dicea cum epigraphe, AY. KAICAP ANTΩNINOC. NIKOMHΔEIAC MHT. KAI. ΠPOT. *Imperator Cæſar Antoninus, Nicomedia Metropolis, & prima*. Exſtat elegans Dionis Chryſoſtomi Oratio ad Nicomedienſes, dum de primatu cum Nicæenſibus contenderent, quorum hæc verba vellicat, *Pro primis partibus litigamus*. Frequentia ſane fuere inter utramque urbem de primatu Bithyniæ litigia. Leguntur litteræ Valentiniani & Valentis ad Nicomedienſes & Nicæenſes datæ, quæ recitantur act. 13. Synodi Chalcedonenſis; ubi Imperator decernit Nicæam eſſe *ſecundo loco* Bithyniæ metropolim, laudans *priſcam conſuetudinem*. Et quidem poſtquam B Nicomediæ imperii ſedes poſita fuit, non tantum Bithyniæ, ſed totius Orientalis Imperii urbs princeps evaſerat.

Itaq; cum Licinius Auguſtus apud Nicomediam regium domicilium ſtatuiſſet, Decennalia imperii ibidem celebravit. Quare Nicomedienſes, ut inter ſplendidiſſimam Decennalium pompam egregio facto Auguſti gratiam ſibi quam maxime conciliarent, nummos procudere, in quibus Licinii vota Decennalia ſoluta, ſimulque Vicennalia nuncupata obſignarunt, eoſque ſpecioſo titulo OBLATIONIS DEVOTÆ Licinii pueri Licinii Aug. F. inſcripſe- C runt. Horum unus eſt aureum Sereniſſimi noſtri CARDINALIS Numiſma, cujus interpretationem rudi ac debili eruditione tentabam.

F. HENRICI NORIS PARERGON CHRONOLOGICUM DE VOTIS DECENNALIBUS.

AD ILLUSTRISSIMUM ET AMPLISSIMUM SENATOREM FERRANTEM CAPPONIUM, SERENISSIMI MAGNI DUCIS ETRURIÆ *VIGILANTISSIMUM AC SOLERTISSIMUM AUDITOREM &c.*

PRÆFATIO.



UM nuper, *Illuſtriſs. & Ampliſs. Senator*, meorum ſtudiorum calculum exigeres, ac tibi ſignificaſſem me in explicandis Decennalibus Licinii Auguſti ſtylum exercere, difficilem mihi quæſtionem intuliſti, num hæc veterum Principum ſolemnia anno imperii decimo ineunte, vel potius evoluto peragerentur; cui quidem difficultati cum actutum ſolvendæ non eſſem, rem me in examen vocaturum promiſi. Itaque veterum Auctorum voluminibus, atque antiquorum lapidum ac Numiſmatum inſcriptionibus ſumma diligentia ac pertinaci ſtudio perluſtratis, Decennalia Imperatorum ſuo quæque tempore acta, litteris mandavi. Verum cum intelligerem, hæc

nimiam forte curiositatem redolere, nec scribentis laborem pari Lectorum utilitate pensari, id consilii cepi, ut hac occasione consulares tabulas sequiore Augustorum ætate digestas, ac temporum injuria fœdatas, pristino nitori restituerem. Hæc levia ac plane inglorius labor quibusdam censebitur; pauci enim sunt, qui in illas se annorum tricas excutiendas committere audeant, sed insignium Scriptorum vestigia, longo licet intervallo sectantes, non modo omnem inquirendi veri molestiam effugiunt, verum etiam illos qui eam in rem diligentiorem curam intendunt, quasi Veterum contemptores accusant, ingenia non secus ac vina vetustate commendantes. Sed horum me nasi neutiquam morari potuerunt, quominus proposito abs te quæsito responsurus, Romanorum Principum chronologiam ac veteres Fastos, si non ad incudem, ad limam saltem revocarem. Quod si meis hisce nugis, quas esse aliquid putare soles, albos calculos adjeceris, magno judice a morosorum, ne quid durius dicam, censuris absolvar. Etenim nemo non intelligit, quantum tuo judicio deferendum sit, qui ex Astreæ solio vice sacra judicans jura Etruscis gentibus reddis; ex Themidis cortina sententias, imo oracula promens, longioribus litigiis supremam diem imponis; splendida Equestris S. Stephani militiæ, ac Pisani pariter Athenæi arbitria facis, ut ingens armatorum Equitum globus, ac frequentissimus sacris Musarum operantium chorus tuo tribunali sistatur. Ita illi formidatos barbaris enses; hi vero celebratos editis voluminibus stylos, tuo pari clementia ac severitate fulguranti supercilio submittunt, & dum uterque nobilissimus Ordo vitæ suæ ac fortunarum causas rerum DOMINO per te aperiendas exspectat, ejusdem potentissimi, &, qui proprius illius titulus est, sapientissimi Principis gratiam, te conciliatore, sibi feliciter ominatur. Et quidem, ut de me loquar, cum Serenissimi Magni Etruriæ DUCIS lateri adhærens Pisis versarere, quoties ex altiori tribunalium solio ad humilia adolescentium subsellia descendens, Ecclesiasticæ Historiæ scholam, lectiones, quas e cathedra dictabam, auditurus intrabas, quantum augusta illa Sapientiæ delubra tuæ præsentiæ radiis illustrabas, tantum iisdem Professoris oculos mentemque hebetabas, ut secus ac de Memnonis statua prodidere, elinguis pene ac mutus evaderem. Vero quod frequentius ad me audiendum accedebas, sumpto animo, securiori voce sacra illa loquebar. Hinc crescente audacia, chronologicam Dissertationem, sive argumentum, sive stylum spectes, vel ipsa pumice aridiorem, tuarum gratiarum flosculis ornandam exhibeo, ut eadem comitate qua loquenti aures, scribenti oculos etiam commodes. Itaque hæc tibi Romanorum Principum Decennalia nuncupo; alii tua quoque probati Etruriæ Dominis ministerii DECENNIA, hoc est, aureum Astreæ seculum a Ferrante restitutum grandiori stylo seris posteris commendabunt.

DISSERTATIO CHRONOLOGICA DE VOTIS DECENNALIBUS.

CAP. I.

Decennalium Votorum origo, Sacrificia, Ludi, Largitiones Principum, Urbium oblationes, Panegyrici.



Ntequam Decennalium Auguſtorum chronologiam aggrediar, operæ pretium duxi nonnulla veluti proœmii loco præmittere, quæ eadem feſta plurimum, ut ego quidem arbitror, illuſtrabunt. Vota pro Reibulicæ incolumitate tum in quinquennium, tum in decennium Romanis antiquitus nuncupata, Latinæ Hiſtoriæ conditor Livius paſſim tradit. Flaminio cum legionibus ad Thraſimenum ab Annibale cæſo, vota Quinquennalia ſuſcepta ſunt: *Si res Popoli Romani ac Quiritium ad quinquennium proximum ſalva ſervata erit*. Hæc laudatus Scriptor lib. 2. dec. 2. Idem lib. 1. dec. 3. ſcribit. *Cajus Attilius Seranus Prætor vota ſuſcipere juſſus, ſi in decem annos R. P. eodem ſletiſſet ſtatu*. At civilibus odiis everſa Republica, ac Romani Orbis imperio ad Auguſtum ac ſucceſſores Principes devoluto, vota Quinquennalia ac Decennalia pro Imperatorum incolumitate concipi cepere. Etenim Auguſtus veritus, ne Populus plurium ſeculorum libertati aſſuetus, unius imperium excuteret, in decennium, dein in quinquennium, denique in plura rurſus decennia Romani imperii regimine aſſumpto, invidiam æque ac periculum ſe declinaturum putavit. Itaque teſte Dione lib. 53. ſeptimum conſulatum gerens A. V. C. 727. a Parilibus ineunte, Romani Orbis imperium in decennium capeſſivit. Scribit Cenſorinus cap. 21. *de Die Natali*, id contigiſſe *ex ante diem decimum ſextum Kal. Februarii*. At Ovidius lib. 1. V. 587. *Faſtorum* Idibus Januarii id actum dicit.

Idibus in magni caſtus Jovis æde Sacerdos
Semimaris flammis viſcera libat ovis.
Redditaque eſt omnis populo provincia noſtro,
*Et tuus Auguſti * nomine dictus avus.*

Petavius lib. 10. *de Doctr. Temp.* cap. 70. Cenſorino conſentit. Panvinius lib. 2. *Geſtorum* V. C. 727. rem in medio relinquit. Scaliger lib. 5. *de Emendat. Temp.* pag. 427. indignatus Antiquos ſecum invicem diſcrepare ait: *Quis igitur finis contradicendi futurus, ſi de re tam inſigni ne inter Veteres quidem conſtat?* Profecto memoranda videtur dies, quæ Romanæ monarchiæ initium dedit; hactenus enim Auguſtus quæſitam armis dominationem, armis itidem ſibi ſervarat, ac vi occupatum imperium ſeptemdecim annos tenebat, quod cum ſerio, an per ſimulationem deponere vellet, effecit ut illud ſibi ultro a S. P. Q. R. deferretur, quod memorato Urbis anno 727. in decennium admiſit. Inſignem diem vetuſta Inſcriptio Narbonenſis Auguſto dica-

* Alii, *Auguſto*.

A ta deſignat apud Gruterum pag. 229. cujus fragmentum, quod rem noſtram attinet, ſubjicio:

VII. QVOQVE. IDVS. IANVAR. QVA. DIE. PRIMVM. IMPERIVM. ORBIS. TERRARVM. AVSPICATVS. EST. THVRE. VINO. SVPPLICENT. ET. HOSTIAS. SINGVLAS. IMMOLENT.

Ex hoc tam luculento teſtimonio patet Auguſtum non die 17. Januarii, uti ſcripſit Cenſorinus, neque 13. ut voluit Ovidius, ſed plane ſeptima imperium in decennium ſuſcepiſſe, a qua die celebris B annorum Auguſtorum Epocha, Cenſorino laudata, exordium duxit. Dicata eſt inſignis illa Inſcriptio A. V. 764. nam ibidem Auguſtus dicitur TRIB. POTEST. XXXIV. & in titulo legitur, *T. Statilio Tauro L. Caſſio Longino Coſs.* X. *Kal. Octobr.* Ex quibus mirari liceat Panvini ingenium, qui ex lapidis fragmento, quod pag. 295. Operis Gruteriani exhibetur, ſcripſit Caſſium Longinum a Kalendis Julii in locum Æmilii Lepidi Conſulis ordinarii A. V. 764. ſuffectum fuiſſe.

Cum A. V. 736. ad Parilia VII. Idus Januarias decimus confirmati imperii annus Auguſto exiret, in C proximum quinquennium, ac dein alterum, regimen rurſus accepit, teſte Dione lib. 54. quo elapſo iterum in decennium rem Romanam moderandam ſuſcepit, quod & quintum denique iteravit. Porro ineunte ſingulo quoque decennio vota pro ejuſdem incolumitate nuncupabantur, & decennio evoluto ſolvebantur, atque hinc Decennalia Imperatorum derivaſſe tradit Dio lib. 53. *Quam ob cauſam*, inquit, *poſteriores quoque Imperatores, etſi non ad certum tempus, ſed per omne vitæ ſpatium iis imperium deferatur, tamen ſingulis decenniis feſtum pro ejus renovatione agunt, quod hodie etiam fit*. Itaque vota Decennalia exeunte anno decimo auguſtæ do- D minationis ſolvebantur, & in proximum decennium iterabantur.

Cum idem Auguſtus exacto priori decennio in quinquennium rurſus imperium regendum ſuſcepiſſet, altero ejuſdem quinquennii anno, ex Dione lib. 54. *L. Domitio & P. Scipione Coſs.* V. C. 738. *Agrippa Ludos Quinquennales propter ejuſdem principatum dedit*. Hinc Cæſarum Quinquennalia exordium ſumpſere. Nero evoluto primo imperii quinquennio, ac altero inchoato, Ludos Quinquennales celebravit. Scribit Tacitus lib. 14. *Ann. Nerone* IV. *Cornelio Coſſo Coſs. Quinquennale ludicrum Romæ inſtitutum eſt ad morem Græci certaminis*. Idem E vero lib. 16. Silio Nerva & Attico Veſtino Coſs. ait: *Ac forte Quinquennale ludicrum ſecundo luſtro celebrabatur*. Hi tamen Ludi Quinquennales perpetui a Nerone conditi ſunt, unde & eoſdem exhibuiſſe Gordianum teſtatur Victor Schotti: *Eoque*, inquiens, *anno luſtri certamine, quod Nero Romam invexerat, aucto firmatoque, in Perſas profectus eſt*. Ludi vero Quinquennales juxta initi imperii diem, quinquennio exacto, Imperatoribus edebantur. Scaliger Neronis Quinquennales ſingulo quoque quinquennio ineunte datos ſcribit lib. 5. *de Emend. Temp.* pag. 440. hinc de agone Neroniano a Gordiano exhibito ait: *Is fuit agon quadrageſimus ſextus*. Ibidem etiam Tacitum reprehendit, quod Lu-

dos Quinquennales sexto anno iterum a Nerone peractos scribit. At Scaligerum turpiter hallucinatum Lipsius in *Notis ad Tacitum*, aliique eruditi observarunt. Nero instituit Ludos Quinquennales A. V. C. 813. Christianæ Epochæ 60. Cyclo Solis XIII. Lunæ IV. Nerone IV. & Cosso Coss. Eosdem iterum dedit A. V. 818. Æræ Christianæ 65 Cyclo Solis XVIII. Lunæ IX. Silio Nerva & Vestino Coss. Itaque evoluto statim quinquennio exhibiti sunt; neque enim uti Olympici Ludi ineunte quinto, sed in fine quinti anni edebantur, unde recte Neronianum agona *lustri certamen* Victori appellatum; lustrum enim ex annis quinque solidis conflatur. Ex his patet Gordianum dedisse agona Neronianum XXXVII. V. C. 993. Christi 240. Vettio Sabino & Venusto Coss. Quinquennales Neronis in ejusdem nummis signantur apud Occonem, NERO CAESAR AVG. & in postica, CERTA QVINQ. ROM. & pag. 116. antiquarum Inscriptionum legitur, NERONIS QVINQVENNALIB. Scribit Suetonius in *Nerone* cap. 21. *Cum magni æstimaret cantare, etiam Romæ Neroneum agona ante præstitutum diem revocavit*. Quibus verbis non quidem annum, sed anni tempus illum antevertisse significat; cum anno quinto idem ludicrum repetitum Tacitus dicat. De his hactenus. Ceterum quinquennia imperii, de quibus sermonem institui, memorantur apud Lampridium in *Diadumeno* cap. 2. Spanhemius dissert. 7. *de usu & præst. Numism.* pag. 646. nummum Postumi exhibet cum epigraphe, QVINQVENNALES POSTVMI AVG Postumus anno Augustæo 290. imperium in Galliis per tyrannidem exercebat. Nulla Imperatorum Numismata ante hoc Postumianum Quinquennalia imperii exhibent, quæ tamen a Constantini imperio in nummis Cæsarum frequentissime occurrunt.

Festa Decennalium splendidissima pompa agebantur. Et primo quidem sacrificiis ac votis ad aras Divum. Laudatur in antiquis Inscriptionibus p. 116. vetustus lapis in Romano Foro sub Arcu Septimii effossus, in cujus priori latere legitur, CÆSARVM DECENNALIA FELICITER. In altero latere pergunt ad sacrificium, primo Sacerdos vestitu Gabino super humerum cinctus, deinde mactatores duo cum suis malleolis, quodam canistrum cum fructibus deferente. Sequuntur sus, & aries coronatus, ac taurus cinctus stolatusque. Dicebantur id genus sacrificia *Suovetaurilia*, de quibus agit Gutherius lib. 4. *de vet. jure Pont.* cap. 18. & SVOVETAVRILIA MAIORA leguntur in veteri saxo pag. 121. Operis Gruteriani. In tertio latere visitur Sacerdos, cui Victoria vestem imponit, idemque pateram vini in ignem, qui in tripode est, infundit. Adstat etiam puer duabus fistulis una in os insertis canens, qui itidem visitur in insigni Numismate Mediceo, in quo sacrificium Ludis Secularibus Domitiani factum exhibetur. Denique in quarto latere novem Sacerdotes ordine procedunt, quos inter duo cohortium signa cernuntur. Hæc fuere Decennalia Constantii Senioris ac Maximiani Galerii, vel Severi & Maximini, aut filiorum Constantini & Licinii Junioris; nam illi tantum una simul Cæsares fuere. Vota Decennalia in hæc fere verba ad aram Jovis Capitolini concipiebantur: *Preces posco Jupiter, uti sies volens propitius in decennium N. Augusto; quod si facxis, tunc tibi votum bove aurato vovemus esse futurum. Ludis Circensibus vovemus esse futurum. Ludis Gladiatoriis vovemus esse futurum*, &c. Similem fere formulam eorundem votorum concinnat Panvinus lib. 2. *Fast.* V. C. 727 Tertullianus in Libro *de corona militis* cap. 12. describens vota, non quidem Decennalia, sed quæ quotannis III. Non. Ja-

A nuarias pro incolumitate Imperatorum nuncupabantur, ait: *Ecce annua votorum nuncupatio, quid videtur? prima in principiis, secunda in Capitoliis. Accipe post loca & verba: Hunc tibi Jupiter bovem cornibus auro decoratis vovemus esse futurum*. Viri eruditi minus recte hunc Septimii textum intellexerunt. Baronius ad A. 315. initio ait, *Principia appellat domum Principis*; at Pamelius in *Notis* interpretatur, *in principiis imperii*. Falsa utraque interpretatio. Principia erant loca castrorum, ubi milites legionarii, principes nuncupati, degebant. Erant autem principes in unaquaque legione mille ac ducenti ex Polybio lib. 6. quo loci ait in legione mi-
B lites ita a Tribunis distribui solitos: *Natu minimos & pauperrimos in velites; proximos his in hastatos: ætatem florentissimam in principes: maximos natu in Triarios*. Hinc miles apud Terentium in *Eunucho* IV. 7.

Tu bosce instrue; hic ego ero post principia.

Pollio in *Regilliano* ait: *Cum alia die mane processisset, a principiis Imperator est salutatus*. Res ex Varrone, Livio, Floro, Vegetio, aliisque patet, & pag. 347. antiqua Inscriptio legitur dicata militi PRINCIPI ET PRIMIPILO LEG. VII. Ita-
C que a militibus in castris vota primum pro Imperatore suscipiebantur; postea a civibus in Capitolio. Gruterus ait legendum *Capitolio*, non *Capitoliis*, ac mendum ex voce *principiis* irrepsisse. Sed non video cur eo scrupulo tangamur; nam & Virgilius *Capitolia* sæpius dixit. Bulengerus lib. 1. *de Imper. Rom.* cap. 35. textum Tertulliani ita legit: *Hunc tibi Jupiter bovem cornibus auro decoratis vovemus esse facturum, id est, esse facturos*. Miror virum doctum in fragmentis Inscriptionum, quas ibidem laudat, non adnotasse passim legi, VOVIMVS ESSE FVTVRVM. Ceterum perperam scribi-
D tur, *Hunc tibi Jupiter bovem*, &c quasi bos altero anno mactandus, votorum nuncupationi præsens adstiterit; est enim legendum *Nunc*, ut votum præsens exprimat; vel certe cum nostro Moreau in *Notis* ad illa verba, *Tunc*, ut hostiam stato tempore mactandam indicet; nam est vetus Inscriptio pag. 119.

Quod si FACXIS. TVNC. TIBI. IN EADEM. VERBA. *bovem fronte* AVRATA. VOVIMVS. ESSE FVTVRVM.

Gallienus teste Vopisco cap. 7. *decennia celebravit*
E *novo genere ludorum, nova specie pomparum, exquisito genere voluptatum*. Primum vero ejusdem processum describens cap. 8. *Omnes viæ*, inquit, *ludis strepituque & plausibus personabant; ipse medius cum picta toga & tunica palmata inter Patres (ut diximus) omnibus Sacerdotibus prætextatis Capitolium petiit*. Hostiarum pompam præmiserat. Etenim processerunt *etiam altrinsecus centeni albi boves, cornibus auro jugatis, & dorsualibus sericis discoloribus præfulgentes. Agnæ candentes ab utraque parte ducentæ præcesserunt*. Et cap. 9. *Sic confecto itinere, celebratisque hecatombis, ad domum regiam redit*. Cum centum hostiæ ad aram mactabantur, id sacri-
F ficii hecatombe dicebatur; qua de re legendus est Capitolinus in *Maximo* & *Balbino* cap. 11. Ceterum superstitioso Idolorum cultu antiquato, Constantinus, aliique Christiani Augusti ad aram Dei Opt. Max. pro Decenniis ac Vicenniis vota peragebant. Eusebius in Oratione, quam Tricennalibus Constantini recitavit, pia Principis Orthodoxi vota, facta cum impuris Ethnicorum Cæsarum festis comparatione, describens ait: *Solus ex omnibus qui Romano imperio unquam præfuerunt, tertio jam Decen-*

nalium circuitu a summo omnium Imperatore Deo honoratus hanc festivitatem non terrenis quibusdam spiritibus, ut Veteres illi; nec spectris Dæmonum imperitam multitudinem seducentium; nec fraudibus aut commentis hominum impiorum celebrat. Sed ipsi, a quo honoratus est, Deo gratias persolvit: conscius scilicet honorum quæ ab eo accepit. Non Veterum ritu palatium cruore ac tabo inquinans; nec fumo & igne, & holocaustis terrenos Dæmones placans: verum summo omnium Regi gratam & acceptam victimam, suum videlicet regium animum ac mentem Deo dignissimam consecrans, &c. *Hanc igitur maximam hostiam ante omnes rite immolat Imperator. Immolat vero utpote bonus pastor, non*

Agnorum cædens primogenitorum hecatombas:

Sed rationalis gregis, qui ab ipso pascitur, animos ad cognitionem Dei cultumque perducens. Hæc ille.

Inter votorum ac sacrificiorum solemnia primus Decennalium dies exibat, reliqui Circensibus ac Theatralibus Ludis deputabantur. Valesius in *Notis ad Orationem Eusebii de laudibus Constantini* ait, *Durabat hæc festivitas uno aut altero die, quo Circenses ac Theatrales Ludi edebantur.* Longius eadem solemnia extendit Ricciolius in Chronologia, ut jactat, Reformata; etenim in magno Chronico ad A. 320. ait: *Romæ Quinquennalia Cæsarum celebrata anno 15. Constantini hoc anno a die 25. Septembris* (voluit dicere Julii) *inito; ideoque ad annum quoque sequentem pertinentia.* Cum hic Scriptor illorum Cæsarum inaugurationem statuat cum Baronio ad A. 315. & anno quinto evoluto, nempe 320. Quinquennalia festa recitet, nescio cur sexto quoque anno elapso eadem solemnia peracta affirmet. Profecto hæc Reformata Chronologia Quinquennalium reformanda est. Sed nec Valesii numerus constat; siquidem Severus integram hebdomadem Decennalibus Ludis impendit. Hæc scribit Dio apud Xiphilinum: *Tum edita sunt varia spectacula propter reditum Severi, & decennium principatus ejus.* Postea: *Septingentæ feræ, mansuetæque bestiæ simul concurrere, & postea confodi, visæ sunt. Occisis enim singulis diebus centum pro numero dierum festorum, qui septem fuerunt, septingentæ sunt occisæ.* Trebellius Pollio cum cap. 9. dixisset Gallienum priori die Decennalium festorum hecatombem celebrasse, ait: *Ad domum regiam rediit: conviviisque & epulis depulcis, alios dies voluptatibus publicis deputabat.* Et quidem pluries ipsum ad edendos Ludos processisse, ex iis quæ recitat cap. 8. intelligitur: *Præcesserunt,* inquit, *& decem elephanti, qui tunc erant Romæ, mille ducenti gladiatores, pompaliter ornati, cum auratis vestibus matronarum; mansuetæ feræ diversi generis ducentæ ornatu quam maximo affectæ. Carpenta cum mimis & omni genere histrionum, pugiles flaculis * non veritate pugnantes. Cyclopea etiam luserunt omnes apenarii, ita ut miranda quædam & stupenda monstrarent.* Itaque diversis ille diebus dedit Ludos Gladiatorios, Amphitheatrales, Scenicos, & Thymeliacos, &c. At Christiani Imperatores Gladiatorum Ludis omissis, Circenses ac Theatrales tantum exhibebant. Scribit Marcellinus lib. 14. *Arelati agens Constantius, post Theatrales Ludos atque Circenses ambitioso editos apparatu die* VI. *Idus Octobris, qui imperii ejus annum tricesimum terminabat,* &c. Verum erravit Marcellinus Octobrem pro Novembri scribens; nam in veteri Kalendario apud Bucherium pag. 287. VI. Id. Novembris legitur, *Natalis Nervæ, & Constanti* CM. XLVIII. quod item tradit Idatius in *Fastis*. Bucherius illis notis CM. quæ toties in eodem Kalendario leguntur, suspicatus est significari *congiarium*; sed certum est designari *Circenses missus;* ibidem enim sæpius scribitur CM. XXIV. Circenses missus a Caligulæ principatu quoties edebantur, fuere viginti quatuor, uti ex Dione ac Cassiodoro eruditissimus meus Panvinus ostendit lib. 1. *de Ludis Circens.* cap. 14. quamvis etiam *quadraginta missus cucurrisse* anno Urbis millesimo testetur Cassiodorus in *Chronico*. Hinc cum in diem VI. Iduum Novembris duorum Imperatorum natalis incideret, Circenses missus duplicabantur. Et quidem Circenses Ludi integram pene diem plerumque occupabant. Scribit Socrates lib. 4. cap. ult. de Seniori Theodosio: *Atque ante prandium ita morbo relevatus fuit, ut equorum certamina spectare posset; post prandium derepente cœpit adeo graviter ægrotare, ut ad spectacula procedere nequiret. Filio igitur mandatum dedit, uti certamina illa perficienda curaret.* In lib. 8. *Confess.* D. Aug. cap. 6. *Cum Imperator* Treviris *pomeridiano Circensium spectaculo teneretur,* &c. quasi mane illud fuerit inchoatum. Quare Constantius non una eademque die Tricennalia festa egit; præsertim cum præter diversa Ludorum genera, etiam Panegyres coram frequentissimis Auditoribus recitarentur, quibus non eadem quæ spectaculis dies destinabatur; alias Oratores sibi ac Musis verba fecissent, ceteris rotundo agmine in Circum ac Theatrum confluentibus. Ex his constat Decennalium solemniis faciundis vix alteram diem suffecisse; nec tamen ausim dies Ludorum certo quodam calculo digerere, qui pro Principum vel Magistratuum munificentia aut parsimonia augebantur, vel minuebantur. Idatius in *Fastis* Valentiniano III. & Eutropio Coss. *His Coss. Quinquennalia Arcadius Augustus propria cum Theodosio Augusto patre suo editionibus ludisque celebravit* XVII. *Kal. Februarias.* Quod nempe ea dies esset natalitia imperii Arcadii, qua festa illa inchoabantur, ac sequentibus postea diebus absolvebantur.

Augustos suis Decennalibus donativum militibus ac populo dedisse ex Dione atque Eusebio *Dissert.* 2. ostendi, quo loci etiam de oblationibus, quas urbes ac Provinciæ iisdem solemniis faciebant, abunde dixi, ut Liciniani Numismatis epigraphen explicarem, quæ haud vacat repetere, ne per eandem lineam serram frustra reciprocem. Constantinus magnus primis Decennalibus, datis ad Vectium Rufinum Præfectum Urbi litteris, Populum Romanum regia liberalitate sibi devinxit. Exstat ejusdem Rescriptum *L.* 1. *de longi temporis præscript.* in hæc verba conceptum: *Ex donatione Principum, aut quocumque modo, rem ad fiscum pertinentem, usque ad nostra Decennalia sine aliqua interpellatione possidentes (secundus jus enim hæc intelligitur esse possessio) securi possideant. PP.* X. *Id. Jan. Romæ Sabino & Rufino Coss.* Hoc Edicto superiorum Principum erga P. R. beneficia ac liberalitates ratas habuit, secus ac olim Galba Augustorum avarissimus fecerat, de quo hæc Tacitus lib. 1. *Hist. Bis & vicies mille sestertium donationibus Nero effuderat. Appellari singulos jussit, decuma parte liberalitatis apud quemque relicta.* Galvanus in tt. *de usufruct.* dissert. 11. cum in laudato Rescripto Constantini legeret Decennalia numero plurali elata, eandem legem de viginti annorum, hoc est, duorum Decennalium præscriptione perperam intellexit; cum Sabinus & Rufinus gesserint consulatum A. 316. quo in ante diem VIII. Kal. Augusti decimus imperii annus Constantino exivit. Hinc S. P. Q. R. in grati animi obsequium eodem anno insignem arcum triumphalem munificentissimo Imperatori erexit, in quo ejusdem Decennalia inscripsit, uti *Dissert.* 2. fusius ostendi.

Præterea iisdem Decennalium solemniis rei e carceribus dimittebantur, teste Eusebio Cæsariensi, cujus verba laudavi *Dissert.* 1. cap. 1. Rursus

* Leg. *facculis.*

susa præclarissimis Oratoribus Panegyrici de Imperatorum laudibus recitabantur. Exstant adhuc Orationes Nazarii celeberrimi Rhetoris de Quinquennalibus Crispi ac Constantini Junioris, itemque Carmen Porphyrii Optatiani de iisdem Cæsaribus; utrobique autem tum Orator tum Poeta Constantini Augusti laudes exsequitur. Item superest Panegyris Eusebii Cæsariensis Tricennalibus ejusdem Magni Principis recitata. Inter Orationes Themistii XIV. editionis Petavii *Quinquennalis* inscribitur; & primo Maximiani Herculei quinquennio evoluto, Panegyrim abs se scriptam testatur Mamertinus in Oratione eidem Augusto die Natali dicta: *Neque enim*, inquit in Proœmio, *Orationis ejus, quam composueram, faciam jacturam, sed eam reservo, ut quinquennio rursus exacto Decennalibus tuis dicam: quoniam quidem lustris omnibus prædicandis communis Oratio est.*

Imperatores inter eadem festa splendidissimis & omni regio apparatu instructissimis epulis nobiliores quosque excipiebant. Scribit Eusebius lib. 8. cap. 13. de Impp. Diocletiano ac Maximiano: *Quo quidem tempore ii qui summam Imperii administrabant, Decennalibus ac Vicennalibus expletis, in festivitatibus, spectaculis, epulis, omnique hilaritatis genere pacate & tranquille degebant.* Idem Gallienum suis Decennalibus fecisse testatur Trebellius Pollio cap. 9. *Conviviisque & epulis depulsis, alia dies voluptatibus publicis deputabat*: Ubi tempore eorundem solemnium ineptissimum illum Principem hæc subinde dixisse affirmat: *Et quid habemus in prandio? & quæ voluptates paratæ sunt? & qualis cras erit scena? quales Circenses?* Cum ineunte vicesimo anno imperii Constantinus Vicennalia celebraret, ac id temporis Nicenæ Synodo adesset, Patres ad regium convivium vocavit. Sozomenus in fine lib 2. *Erat*, inquit, *Romanis in more positum, ut decimo quoque anno imperii cujusque Imperatoris diem festum celeberrimo hominum conventu agitarent. Quapropter Imperator opportunum sibi tempus ad id, quod instituerat, oblatum arbitratus, totum Concilium ad epulum invitavit: omnesque donis, prout cujusque dignitas poscebat, honorifice remuneratus est.* Hæc de festis Decennalibus levi brachio attigisse sufficiat, antequam ad id, quod præcipue intendo, gradum facerem.

C A P. II.

Augustus ac Tiberius decimo imperii anno evoluto Decennalia celebrarunt. Hervvartus biennium Tiberio auferens refutatur. Scaligeri opinio de annis Imp. Domitiani corrigitur. Ptolomæi a Romanis Fastis dissidium. Petavii ea de re sententia rejicitur.

LICINIUM Augustum anno imperii decimo ineunte Decennalia egisse in superiori *Dissertatione* nobis probatum est; modo ostendam eadem solemnia præter morem anticipata fuisse, cum ab Augusto & successoribus Decennalia, decimo anno evoluto, peracta fuerint; qua occasione pleraque etiam Imperatorum Numismata explicabo. Et quidem Augustum singulis quibusque decenniis vota solvisse, & nova iterasse ex Dione colligitur, cujus verba capite superiori laudavi. Idem lib. 56. ait: *L. Munatio C. Silio. Coss. Augustus quintum in decennium gubernationem Reip. invitus accepit: Tiberio Tribunitiam Potestatem prorogavit.* Hæc postrema vota Decennalia suscepit A. V. 766. usque ad Parilia, Christianæ Epochæ 14. VII. Idus Januarii. Nam uti anno Urbis 736. exeunte, quod diserte Dio testatur, cum primum decennium imperii exiret, in quinquennium rursus

A Reip. administrationem suscepit; ita exeunte anno 766. imperium in quintum decennium capessivit, & Decennalia IV. utrisque Sextis Coss. die septima Januarii solvit, ac Decennalia quinta nuncupavit. Verum Augusto eodem anno mortem oppetente ea vota irrita cecidere.

Tiberium eadem festa Decennalia imperii celebrasse, quamvis Tacitus subticeat, Dio prodit lib. 57. ubi ait, *Ludos Decennales factos, decem annis imperii ejus transactis.* Itaque edita sunt Decennalia A. V. 777. XIV. Kal. Septembris die natali Tiberii. Idem lib. 58. scribit: *Vicesimo anno imperii quum* Tiberius, *frequens in Albano & Tusculi esset, in Urbem non venit, sed Consules L. Vitellius* B *& Fabius Persicus decennium nuncupavere, quasi ei, ut Augusto usitatum, tunc imperium prorogarent. Verum hi Ludos Decennales simul celebrarunt, & pœnas dederunt.* Itaque Tiberius Decennalia secunda solvit anno imperii vicesimo absoluto, nam L. Vitellius ac Fabius Persicus gessere consulatum A. V. 787.

Herwartus, qui *se novæ ac veræ Chronologiæ* Auctorem publicavit, contendit cap. 248. Consulares Fastos, quod Tiberii imperium attinet, esse corruptos, ac duo paria Consulum irrepsisse; unde & anni imperii ejusdem tres supra viginti post C obitum Augusti vulgo crediti, cum biennio minus solus rei Romanæ præfuerit, nam duobus fere annis, vivente Augusto, imperavit; nempe lata per Consules lege, *ut*, teste Suetonio cap. 21. *Provincias cum Augusto communiter administraret.* Hæc ille excogitavit, ut initium Christi nascentis, ejusque nova quadam supputatione stabiliret. Sed prodigio propius est Plinium ac Tacitum, qui eodem sæculo exeunte vixere, in depravatos Fastos incidisse, cum hi in Tabulis Capitolinis, in archivis Urbium, ac certissimis monumentis integri servarentur. Scribit Plinius lib. 33. cap. 2. *Tiberii demum* D *principatus anno nono in unitatem venit Equester Ordo: annulorumque auctoritati forma constituta est C. Asinio, C. Antistio Coss. anno Urbis conditæ* DCCLXXV. nempe usque ad Parilia. Tacitus initio l. 4. *Ann.* ait, *C. Asinio, C. Antistio Coss. nonus Tiberio annus erat.* Itaque anni imperii Tiberii incipiunt a consulatu utriusque Sexti V. C. 767. Vellejus, qui id temporis scripsit, lib. 2. Tiberii gesta ab obitu Augusti laudans ait: *Horum sedecim annorum opera quis, cum inserta sint, oculis animisque omnium in partibus eloquatur?* Testatur autem se ea litteris mandare M. Vinicio Consule, cui & opus illud nuncupavit. Gessit Vinicius consulatum juxta Fa- E stos vulgares A. V. 783. Æræ Dionysianæ 30. Inde vero per annos XVI. retrocedentes erimus ad A. V. 767. Dionysianum vero 14. quo obitus Augusti, & initium Tiberii in Fastis statuitur; ac proinde optime illi digesti sunt. Rursus a Vinicii consulatu ad L. Vitellium & Fabium Persicum quadriennium excurrit; hi enim ponuntur Consules A. V. 787. Dionysiano 34. quo labente die 19. Augusti Tiberius vicesimum imperii annum complevit; quare & Decennales Ludos iterum iisdem Consulibus solutos testatur Dio.

Hoc ipsum ex annis Tribunitiæ Potestatis tum Augusti tum Tiberii evidenter ostenditur. Augu- F stus teste Dione lib. 54. in suo consulatu undecimo A. V. 731. Tribunitiam Potestatem perpetuam a P. R. accepit, quam eidem *continuatam per septem & triginta annos* asserit Tacitus lib. 1. *Annal.* Exstant nummi Augusti apud Goltzium & Occonem inscripti in postica parte, PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POTEST. XXXVII. Itaque inchoaverat septimam ac tricesimam Tribunitiam Potestatem A. V. 767. Christianæ Epochæ 14. Scribit de Augusto Dio lib. 55. *Antistio Vetere*

& *Lælio Balbo Coss. Tiberio Tribunitiam Potestatem in quinquennium concessit*. Nempe A. V. 748. Anno vero 753. apud Rhodum degenti Tiberio, exiit postremus annus Tribunitiæ Potestatis. Augustus postea Cajo ac Lucio nepotibus acerbo fato sublatis, *Tiberium adoptavit ac Tribunitia Potestate ad annos decem data, in Germaniam ablegavit*. Hæc Dio lib. 55. Suetonius in *Tiberio* cap. 15. idem tradit, nisi quod rursus in quinquennium Tribunitiæ Potestatis collegam Augusto factum dicit. Diem adoptionis designat Vellejus lib. 2. *Ælio Cato Sentio Cos.* v. *Kal. Jul. post V. C. annis* DCCLVII. *adhinc annis* XXVII. Itaque recte vulgares Fasti dispositi sunt; siquidem a Sentii consulatu ad Vinicium Consulem 27. paria Consulum numerantur. Vir maximus & plane incomparabilis Panvinus observavit Tiberium V. C. anno 757. v. Kal. Julias iniisse Tribunitiam Potestatem VI. cum Augustus esset Trib. Pot. XXVII. Hoc evidenter patet ex Tabulis Capitolinis apud Gruterum pag. 295. ubi Potestas Trib. Augusti XXX. conjungitur cum IX. Tiberii, & tres insuper annos Tribunitiæ Potestatis utriusque ibidem eodem numero auctos videmus, quorum postremus ita exprimitur:

IMP. CAES. DIVI. F. AVG. PONT. MAX. TR. POT. XXXV. TI. CAESAR. AVGVSTI F. DIVI N. TR. POT. XIV. C. SILIVS P. F. P. N. L. MVNATIVS L. F. L. N. PLANCVS.

Ex qua Inscriptione aperte Fasti stabiliuntur, in quibus A. V. 766. C. Silius Nepos & L. Munatius Plancus Coss. ponuntur, quo anno Augustus Trib. Pot. XXXV. Tiberius vero XIV. gessit usque ad v. Kal. Julias, qua die XV. auspicabatur. Extant etiam nummi Tiberii inscripti, TI. CAESAR. AVGVSTI. F. TRIB. POT. XVI. Item TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVG. IMP. VII. TR. P. XVI. Ex quibus patet Tiberium A. V. 767. die 27. Junii iniisse Trib. Potestatem XVI. adhuc Augusto superstite, quo XIV. Kal. Septembris diem defuncto, ac inter Superos relato, Tiberius DIVI filius, atque Augustus in nummis inscriptus est; nam licet Augusti nomen non usurparet, ut ait Suetonius capite 26. *audiens tamen, aut legens ferebat*, ex Dione lib. 57. Tiberium anno Trib. Pot. XXXVIII. decessisse ex nummis intelligitur. Servatur in Cimeliis Serenissimi Cardinalis LEOPOLDI Numisma majoris magnitudinis inscriptum, TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVST. P. M. TR. P. XXXIIX. Item in Tiberii epitaphio apud Panvinum lib. 2. 2. *Fast.* ad A. V. 790. & Gruterum pag. 236.

OSSA TI. CAESARIS. DIVI AVG. F. AVG. PONT. MAX. TR. POT. XXXIIX. IMP. VII. COS. V.

Hinc confutatur Herwartus biennium imperio Tiberii auferens; nam cum Tiberius obierit XVII. Kal. Aprilis anno Trib. Pot. octavo supra trigesimum, contigit ejusdem mors A. V. C. 790. Acerronio & Pontio Coss. uti tradunt Tacitus ac Dio, cum imperasset post excessum Augusti A. 22. M. 6. D. 28. Quare recte Dio scribit Decennalia secunda Tiberii peracta L. Vitellio ac Fabio Persico Coss. anno imperii ejusdem vicesimo exacto, cum idem esset Tribunitiæ Potestatis XXXVI. Nec proconsulare imperium Tiberio ab Augusto delatum novos Chronologiæ calculos juvat. Etenim, ut optime notat Petavius lib. 11. *de Doctr. Temp.* cap. 7. Germanicus teste Tacito lib. 1. *Ann.* proconsulare imperium obtinuit, qui tamen nusquam inter Imperatores numeratur. Imo in nummis inscribitur, GERMANICVS CAESAR TI. AVG. F. DIVI AVG. N. COS. II. Gessit autem alterum consulatum anno Æræ vulgaris 18. cum ante quadriennium proconsulari imperio a Tiberio ornatus fuerit, quo honore tantum abest, ut ad imperii fastigium evectus fuerit, quin potius nulla illius ratio in titulis ejusdem habebatur, quod itidem in dicatis eidem inscriptionibus lapidum patet apud Gruterum pag. 236.

Post Tiberium Claudius, Nero, Domitianus, ac Trajanus ultra decennium imperarunt, quos Decennalia festa de more celebrasse certum est, quamvis nulla eorundem mentio apud Historicos reperiatur. Scio Panvinum ad Ann. V. 804. dicere: *Quo anno, ut scribit Dio, festa Decennalia Claudii Imp. celebrata sunt*. Idem tradit de Nerone, ac Domitiano, Dionem utrobique appellans, quod etiam facit Calvisius. Verum nusquam illorum Principum Decennalia laudato Scriptori memorantur; neque in nummis inscripta apparent. Idem ad A. V. 860. Trajani Decennalia ex eodem Dione recitat; quare ne insignem Historicum imposturæ reum traducamus, ideo Dionem eidem citatum puto, quod ille testatus fuit omnes Imperatores, Augusti exemplum secutos, singulis imperii decenniis exactis, Decennalia vota solvisse. De Trajani die natali imperii, ejusque principatus annis numerandis plura scribit Reformator Chronologiæ tom. 1. lib. 4. cap. 8. n. 13. Et quidem gloriatur se post Panvinum tandem nactum verum initium imperii Trajani, *videlicet annum Epochæ Christi* 97. *diemque* 18. *Septembris*. Ea etenim die, quæ natalis erat Nervæ, Trajanus ab eodem in consortium imperii vocatus fuit. Sed dies 18. Septembris non erat dies natalis imperii, sed vitæ Trajani. Scribit Plinius in *Panegyri* versus finem: *Nam quod eum potissimum mensem attribuisti, quem tuus natalis exornat, quam pulchrum nobis, quibus edicto, quibus spectaculo celebrare continget diem illum triplici gaudio lætum, qui Principem abstulit pessimum, dedit optimum, meliorem optimo genuit?* Itaque die 18. Septembris occisus est Domitianus, electus Nerva, ac Trajanus in lucem editus. Hinc in catalogo veteri apud Bucherium pag. 276. in quo ortus Principum & quidem meliorum describuntur, legimus, *Divi Trajani* XIV. *Kal. Octobris*. Quæ vero dies natalis imperii ejusdem fuerit, ignoratur. Certum tamen est ante exitum anni Christi 97. Trajani inaugurationem contigisse; *Nam*, inquit Plinius in *Panegyrico* ad eundem, *secundum consulatum Imperator quidem, sub Imperatore tamen inisti*. Anno 98. ambo Imperatores Nerva IV. Trajanus II. Consules Kal. Januariis processere. Addit Reformator: *Videtur procul dubio Trajanum Romam accitum, & per aliquod tempus Nervæ in imperio regendo satisfecisse*. At Plinius in *Panegyri* ait: *Gessisti alterum consulatum, scio: illum exercitibus, illum Provinciis, illum etiam ceteris Gentibus poteris imputare, non nobis. Audivimus, &c.* Ergo Trajanus Anno 98. Roma absens, consulatum secundum gessit, nec morienti Nervæ adfuit. Imo cum ineunte Anno etiam 99. difficili bello occuparetur, Roma aberat, unde delatum consulatum tertium recusavit. Audiatur Plinius: *Atque ego video proximo anno consulatus recusandi hanc præcipuam fuisse rationem, quod eum absens gerere non poteras*. Hæc quidem certissima sunt. Idem Plinius lib. 10. epist. 28. scribit ad Trajanum se XV. Kalendas Octobris Bithyniam intrasse, additque: *Non possum de mora queri, cum mihi contigerit, quod erat auspicatissimum, natalem tuum in Provincia celebrare*. Nempe die insequenti. De die vero natali imperii scribit epist. 60. sed quinam is fuerit, non exponit.

A Hadrianus Decennalia ac Vicennalia celebravit, quorum diem diserte prodit Spartianus c. 4. *Quinto*, inquit, *Iduum Augusti die, legatus Syriæ litteras adoptionis accepit: quando & natalem adoptionis celebrari jussit. Tertio Iduum earundem quando & natalem imperii instituit celebrandum, excessus ei Trajani nuntiatus est*. Iniit imperium Hadrianus A. V. 870. Æræ Dionysianæ 117. Itaque Decennalia egit A. V. 880. Vicennalia A. 890. die undecima Augusti. Ptolomæus in *Almagesto* plures observationes cœlestes describens, easque annis Nabonassari atque Imperatoris Hadriani assignans, uno anno initia imperii Hadriani, ejusque successoris Antonini antevertit. Scaliger lib. 5. *de Emend.*

B *Temp.* pag. 456. annum imperii Domitiano aufert, scribens eundem ineunte anno xv. imperii occisum fuisse, nempe A. Æræ vulgaris 95. die 18. Septembris; qua ratione initia Trajani, Hadriani, atque Antonini uno anno, citius, quam in Fastis, collocat. Verum ex Numismatum inscriptionibus ejusdem prochronismus refellitur; siquidem Domitianus in nummis dicitur TR. P. XVI. quare attigit annum xvi. augustæ dominationis. Tacitus, qui Ludis Secularibus Domitiani inter xv. viros præfuit, in *Prœmio ad Vitam Agricolæ* ait: *Quid si per quindecim annos, grande mortalis ævi spatium, multi fortuitis casibus, promptissimus quisque sævitia Principis interciderunt*. Cruentum Domitiani imperium ibidem describit. Præterea Suetonius cap.

C 16. testatur Domitianum pridie quam periret affirmasse, fore *ut sequenti die Luna se in Aquario cruentaret*. At Anno Christi 96. die 18. Septembris, qua occisus est Domitianus, Luna fuit in 23. gradu minut. 10. Aquarii, uti Calvisius erudite observavit.

Petavius lib. 11. *de Doctr. Temp.* cap. 22. scribit se perdiu miratum fuisse Ptolomæi a Romanis Fastis dissidium; denique putat Ptolomæum quendam canonem adhibuisse, in quo Romanorum Principum initia a Cajo Caligula uno anno antevertun-

D tur; inde unius anni labes eidem contracta. Sed Petavii opinio refellitur ex lib. 7. *Almagesti* cap. 3. ubi Ptolomæus recenset observationem cœlestem anno duodecimo Domitiani, Nabonassari vero 840. die 2. Tybi mensis, cum Luna operiit ultimam Plejadis meridianam. Fuit dies 29. Novembris A. 92. Epochæ vulgaris, quo tempore a die 13. Septembris duodecimus Domitiani annus labebatur Nabonassari 840. Igitur Ptolomæus in annis Romanorum Principum ab imperio Caii numerandis non deficit, cum a Caii obitu anno quinquagesimo primo eosdem recte digesserit. Cum Trajanus

E in imperii societatem a Nerva vocatus fuerit, anno autem insequenti Nerva diem obierit, suspicor Ptolomæum annum primum Trajani illum putasse, quo Imperator a Nerva dictus fuit, ac ejusdem initia retraxisse ad iv. Kal. Februarias A. 97. unius anni prochronismo. Etenim lib. 7. cap. 3. refert anno primo Trajani Nabonassari 845. die 16. Mechir ineunte, spicam Virginis Luna coopertam fuisse, hora quinta post mediam noctem, & post horam iterum Spicam apparuisse. Contigit hæc observatio die 11. Januarii A. 98. quo tempore adhuc superstes erat Nerva Imperator, a cujus tantum obitu anni imperii Trajani Dioni, Eutropio,

F Chryseroti, ac ceteris Scriptoribus numerari cœpti sunt. Sed his adhuc obstat, Ptolomæum imperante Antonino scripsisse, & tamen annos imperii ejusdem uno semper anno antevertere. Fateor me huic nodo solvendo non esse; Fastos tamen Panvini exactissime digestos ex dicendis constabit, ubi iterum de Ptolomæi ab iisdem dissidio sermo redibit.

CAP. III.

Decennalia Antonini Pii primum in Nummis scalpta visuntur. Panvini opinio de anno eorundem expenditur. Ptolomæi prochronismus ex antiqua Inscriptione ac Nummis demonstratur. Vulgaris opinio de annis imperii Hadriani rejicitur. Marci Aurelii initia ac Decennalia exponuntur. Baronii sententia de anno delatæ Commodo Tribunitiæ Potestatis, ex Nummis Mediceis emendata. Plura Numismata Commodi illustrantur.

CÆSARUM Decennalia in nummis Antonini Pii primum scalpta visuntur; num in decessorum Principum Numismatibus eadem vota signata fuerint, in incerto latet; sane nullum id genus nummum hucusque Antiquarii prodiderunt. Antoninus Pius A. V. 890. usque ad Parilia, Epochæ Christianæ 138. ab Hadriano, teste Capitolino cap. 4. *adoptatus est v. Calend. Martias die, factusque est patri & in imperio proconsulari & in Tribunitia Potestate collega*. Vota Decennalia solvit exacto decennio A. V. 900. die 25. Februarii. Exstat in Gaza Medicea mediocris idemque vulgaris nummus cum epigraphe, ANTONINVS AVG. PIVS. P. P. TR. P. XI. & in aversa, PRIMI DECENNALES COS. IV. Rursus anno vicesimo evoluto vota Decennalia secunda solvit, & in tertium decennium nuncupavit. Laudatur a Panvino lib. 2. *Fast.* & ab Occone nummus inscriptus, ANTONINVS AVG. PIVS P. P. TR. P. XXI. & in postica, VOTA SOL. DEC. II. COS. IV. Ea solemnia, quæ sequiori ætate Vicennalia dicta sunt, id temporis Decennalia secunda nuncupabantur. Panvinus lib. 2. *Com. in Fastos* A. V. 901. ait: *Hoc anno more veteri, Pii Decennalia acta, & anno sequenti vota Decennalia* II. *suscepta*. Etenim laudat nummum signatum, ANTONINVS AVG. PIVS P. P. TR. P. XXII. & in aversa parte, VOTA SVSCEPTA DEC. III. Hujus inscriptionis Numismata visuntur in Gaza Serenissimi Cardinalis LEOPOLDI, & in celebri Cimeliarchio Joannis de Lazara Comitis Patavini, & laudantur Occoni aliisque Antiquariis. Antoninus anno A. V. 900. v. Kal. Martii iniens Tribunitiam Pot. XXI. vota Decennalia secunda solvit, & Anno insequenti eadem die inchoata Tribunitia Pot. XXII. vota Decennalia tertia suscepit. Hæc doctissimo viro sententia stetit, quam tamen prorsus falsam existimo. Cur enim Antoninus votis Decennalibus II. solutis, in alterum annum Decennalia tertia nuncupanda distulisset? Profecto eadem die, exacto imperii decennio, vota solvebantur, & nova in alterum decennium concipiebantur. Livius lib. 7. dec. 3. scribit: *Tunc Dictator & ludos fecit, & in sequens quinquennium vovit*. M. Antoninus, ut proxime ostendam, cum esset Trib. Pot. XX. exacto imperii decennio, vota Decennalia egit, simulque Vicennalia nuncupavit. Plinius libro decimo epist. 44. scribit Trajano: *Solemnia vota pro incolumitate tua, qua publica salus continetur, & suspicimus, Domine, pariter & solvimus*; & rescribit Trajanus libenter se intelligere eundem cum provincialibus & *solvisse vota & nuncupasse*. Imo exstat nummus Antonini cum epigraphe apud Occonem, ANTONINVS AVG. PIVS P. P. TR. P. XXII. & in postica parte, VOTA SOL. DECEN. II. COS. IV. ut plane pateat, eodem anno Trib. Pot. XXII. & solvisse vota Decennalia II. & Decennalia III. suscepisse.

Cum Cæsares in spem imperii ab Augustis evecti, Tribunitia Potestate ornarentur, ac iisdem Imperatoribus defunctis rei Romanæ fastigium occuparent, bis Decennalia festa celebrabant; nempe elapso decennio ab accepta Tribunitia Potestate, itemque evoluto decennio ab obitu Imperatorum, quibus in imperio successerant. Constat id ex nummis Antonini Philosophi, Commodi, & Caracallæ, quos suo inferius loco producam. Itaque Antoninus Pius A. V. 910. usque ad Parilia Christianæ Epochæ 158. v. Kal. Martii vota Decennalia secunda solvit, exacto vicesimo anno Tribunitiæ Potestatis, ut patet ex nummo, in quo cum TR. P. XXI. eorundem votorum solutio obsignatur. At anno Urbis 911. Æræ Christi 159. die v. Idus Julii, qua mortuo Hadriano, solus imperium capessivit, vota iterum Decennalia secunda solvit, & tertia suscepit, ut constat ex laudatis nummis, in quibus inscribitur TR. P. XXII. illam enim inierat eodem anno v. Kal. Martii. Ex his nummorum inscriptionibus omnium pene Scriptorum, præsertim recentiorum, chronologia refutatur; siquidem putant eodem Anno 138. vulgaris Æræ die 25. Februarii Antoninum ab Hadriano adoptatum fuisse, delata eidem Tribunitia Potestate cum imperio proconsulari: die vero decima Julii in demortui Hadriani locum successisse. Hinc Hadriano tribuunt imperii A. 20. M. 11. Verum ex recitatis nummorum inscriptionibus, colligo mortem Hadriani Anno 139. contigisse, Antonino Pio 11. & Bruttio Præsente Coss. ac proinde Hadrianum imperasse annos XXI. menses XI. Profecto antiqui omnes Latini Scriptores meæ sententiæ suffragantur. Spartianus, qui Hadriani Vitam diligentissime in litteras misit, capite 26. ait: *Imperavit annis* XXI. *mensibus* XI. Victor Schotti scribit: *Apud Bajas tabe interiit anno imperii absque mense vicesimo secundo*. Eutropius lib. 8. *Obiit in Campania sexagenario major, imperii anno* XXI. *mense* X. *die* XXIX. Hoc ipsum vetustæ lapidum Inscriptiones evincunt apud Gruterum pag. 252. & 256. in quibus Hadrianus inscribitur TRIB. POT. XXII. Igitur anno imperii vicesimo secundo interiit. Appello etiam testem Capitolinum in *Vita M. Aurelii* cap. 5. *Octavodecimo*, inquit, *ætatis anno adoptatus, in secundo consulatu Antonini jam patris sui Adriano ferente, gratia ætatis facta, Quæstor est designatus*. Et statim cap. 6. *Adriano Baiis absumpto, quum Pius ad vehendas ejus reliquias esset profectus, relictus Romæ, avo justa implevit, & gladiatorium, quasi privatus Quæstor, edidit munus*. Habemus M. Aurelium in secundo consulatu Antonini, nempe Anno 139. Hadriano gratiam annariæ legis petente, Quæstorem designatum, quo in magistratu ejusdem avus Hadrianus Imperator interiit. Itaque ex Capitolino obiit Hadrianus Antonino Pio 11. & Bruttio Coss.

Ex his locupletissimis testimoniis Chryserotis, Dionis, aliorumque Græcorum sententia refellitur, qui tradunt Hadrianum anno imperii XX. mense XI. obiisse, cum quibus Panvinus, Sigonius, Goltzius, Calvisius, aliique vulgo sentiunt; simulque vota Decennalia Antonino TR. P. XXII. soluta & nuncupata exponuntur, quæ in vulgari opinione nulla plane ratione cum anno vicesimo secundo Tribunitiæ Potestatis componi possunt. Ptolomæus lib. 11. *Almagesti* cap. 1. ait de stella Jovis: *Anno* XXI. *Hadriani Paophi* 13. *seq.* 14. *ante mediam noctem horis duabus, invenimusque in gradu piscium* 7. 54. Item: *Primo Antonini anno Athir secundum Ægyptios die* 20. *seq.* 21. *post mediam noctem horis* 5. *invenimusque Jovem in gradu Arietis* 14. 23. additque inter utramque observationem interjacere *annum Ægyptiacum unum, dies* 37. *& horas* 7. Prior observatio contigit Anno nostræ Epochæ 136. die 31. Augusti, altera Anno 137. die 8. Octobris, uti ex Tabulis Prutenicis observatum est. Errat Ptolomæus etiam in designandis initiis imperii Pii; nam ex inscriptione antiqui lapidis ac vetustis Scriptoribus ostendam Antoninum Anno 138. ad imperium evectum. Ceterum postremum Hadriani annum Antonini imperii primum fecit, quod ille, longo ac difficili morbo correptus, procul ab imperii curis extra Urbem id temporis degit.

Anno Æræ Dionysianæ 161. V. C. 913. usque ad Parilia, M. Aurelium Antoninum, mortuo Pio Nonis Martii, uti ex Dione deducit Panvinus, imperium cum Augusti titulo obtinuisse ex duabus antiquis Inscriptionibus demonstro. In fragmento eruto Romæ apud Vaticanum Anno 1596. hæc leguntur Gruteri pag. 300.

M. ÆLIO. AVRELIO. VERO. CÆSARE III. L. ÆLIO. AVRELIO. COMMODO II. COS. COOPT. L. PETRONIVS. SEVERVS. NO. I. ANVS. P. R. C. ANN. DCCCCXIII.

Alterum epigramma exstat apud Panvinum A. V. 914. & Gruterum pag. 63.

POMPONIVS. FAVSTVS. SILVANVM. CVM. BASE. D. D. DEDICAVIT. IDIBVS. APRILIBVS. IMP. M. AVRELIO. ANTONINO III. IMP. VERO. AVGVSTO. COS. II.

Prior Inscriptio posita est A. V. 913. a Kalendis Januariis usque ad Parilia, nam XI. Kal. Maii inchoabatur annus Urbis 914. juxta supputationem Varronianam. Fuit Annus Epochæ Christianæ 161. Posterior vero Inscriptio dicata fuit post Nonas Martias. Horum ratio est, quia in priori epigrammate M. Antoninus dicitur *Ælius Aurelius Cæsar*, ejusque collega *Ælius Aurelius Commodus*; etenim duo isti Principes post Antoninii Pii mortem nova sibi nomina primum imposuerunt. Scribit Capitolinus in *M. Aurelio* cap. 7. *Post excessum Divi Pii a Senatu coactus regimen publicum capere, fratrem sibi participem in imperio designavit, quem L. Aurelium Verum Commodum appellavit, Cæsaremque atque Augustum dixit. Antonini mox ipse nomen recepit*. In altera vero Inscriptione uterque dicitur Imperator; & unus *Antonini*, alter *Veri* nomine appellatur. Exstant etiam in Gaza Medicea nummi majoris magnitudinis cum epigraphe, AVRELIVS CÆSAR AVG. PII F. & in postica visitur quadriga triumphalis cum inscriptione, TR. P. XV. COS. III. Item Numisma obsignatum, IMP. CÆS. M. AVRELIVS ANTONINVS AVG. & in postica, CONCORDIÆ. AVGVSTORVM. TR. P. XV. COS. III. Itaque Anno 161. Nonis Martii mortuo Antonino Pio, M. Aurelius erat Tribunitiæ Potest. XV. Ex priori Inscriptione Panvinii Fasti confirmantur, qui A. V. 914. a Parilibus Consules ponit Impp. Antoninum III. & Verum II. ex altera vero Epocha imperii M. Aurelii Antonini demonstratur, simulque initia decessoris Pii ostenduntur collocanda ad A. Christianæ Æræ 138. Scribit Capitolinus in *M. Aurelio* cap. 5. Antoninum Pium v. Kal. Martias ea lege ad imperium evectum, ut sibi M. Aurelium, & hic Lucium Commodum adoptarent. His autem peractis ait: *Jussusque in Adriani privatam domum migrare, invitus de maternis hortis recessit*. Postea cap. 7. *Denique*, inquit, *per viginti & tres annos in domo patris ita versatus, ut ejus quotidie amor cresceret, nec præter duas noctes per tot annos ab eo emansit duabus vicibus*. Idem Scriptor in *Vero*

cap. 3. ait: *Fuitque privatus in domo Imperatoris viginti & tribus annis*. Quare si ab Anno Christi 161. quo contigit mors Antonini Pii, succedentibus M. Aurelio & Vero, per viginti & tres annos retrocedamus, initium imperii Pii erit A. 138. v. Kal. Martias, ac proinde errarunt Ptolomæus ac eundem secutus Scaliger imperium Antonini Anno 137. auspicantes. Marcus Aurelius Antoninus, cognomento Philosophus, evoluto decennio imperii, vota Decennalia solvit, ac Decennalia secunda suscepit An. 171. Nonis Martiis, cum esset Tribunitiæ Potestatis xxv. In Cimeliis Mediceis visuntur nummi hisce notis obsignati, IMP. M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXV. & in postica, VOTA SOL. DECENN. COS. III. S. C. Item, PRIMI. DECENNALES. Apud Occonem, VOTA SVSCEPTA DECENN. II. COS. III. Obiit M. Aurelius ex Dione ac Tertulliano xvi. Kal. Aprilis A. 180. imperavit A. 19. ac mensem. Cum vero nulla ejusdem Numismata Decennalia secunda soluta exprimant, statum eorundem solemnium tempus servavit: neque eadem ineunte anno vicesimo augustæ dominationis celebravit.

M. Aurelius Commodum excepit, imperii non autem virtutum hæredem. Porro Numismata Commodi cum sub diversis annis Tribunitiæ Potestatis VOTA exprimant, non leve negotium facessunt. Baronius ad A. 178. scribit Commodum a M. Antonino patre designatum Imperatorem Pollione II. & Apro II. Coss. *adeptumque*, inquit, *hoc anno Tribunitiam Potestatem nummi demonstrant & Capitolinus*. Gessere illi consulatum A. V. 922. Christi 176. Peccat anni metachronismum. Cernuntur in Cimeliarchio Magni Ducis quatuor nummi Commodi majoris magnitudinis cum epigraphe, M. COMMODVS ANT. P. F. AVG. BRIT. & in alia parte, P. M. TR. P. XVII. IMP. VIII. COS. VII. P. P. S. C. Rursus alter in postica inscriptus, HERC. ROM. CONDITORI P. M. TR. P. XVIII. COS. VII. P. P. S. C. Gessit Commodus septimum consulatum A. V. 945. Christi Domini 192. quo exeunte nocte ante Kal. Januarias occisus fuit, ex Dione teste oculato. In ejusdem etiam epitaphio apud Panvinum legitur, TRIBVNITIÆ POTEST. XVIII. IMP. VIII. CONSVLI VII. Si anno postremo imperii ejusdem finita TR. P. XVII. inierat XVIII. primam Tribunitiam Potestatem suscepit A. 175. Pisone & Juliano Coss. Id contigisse die vicesima Januarii putavit Panvinus, quem de more sequuti sunt Calvisius ac Goltzius. Scribit Lampridius cap. 12. Pisone & Juliano Coss. A. 175. Commodum die 20. Januarii *assumptum fuisse in omnia collegia sacerdotalia*; die vero 19. Maii *in Germaniam cum patre profectum*. Quare quo majori cum potestate ad exercitum veniret, Potestatem Tribunitiam suscepit die 27. Februarii, qua eadem ornati fuerant pater & avus; vel certe Nonis Martii, die Natali M. Aurelii patris. Ita diem liceat divinare. Addit ibidem Lampridius: *Appellatus Imperator* v. *Kal. Exuperatorias*, nempe die 27. Novembris, *Pollione iterum & Apro Coss.* cum id temporis gereret Trib. Pot. II.

His, quæ plane certissima sunt, stabilitis, plurima Commodi Numismata, quorum epigraphas Occo recitat, facillime explicantur. Usus autem sum volumine hujus diligentissimi Antiquarii edito Augustæ Vindelicorum A. 1600. e selecta Bibliotheca nobilissimi Domini Abbatis Aloysii Strozzæ potentissimi Galliarum Regis apud Serenissimum Magnum DUCEM ministri. Extat in Scriniis Comitis Joannis de Lazara Numisma Commodi inscriptum, VOTA DECENN. SVSC. TR. P. VI. IMP. IV. COS. Legitur eadem inscriptio apud Occonem pag. 316. Rursus alter nummus apud laudatum Comitem inscribitur, SÆC. FEL. P. M. TR. P. VI. &c. & in clypeo a Victoria appenso, VOT. DEC. Hæc vota Decennalia suscepit A. V. 180. die 17. Martii, qua die patre defuncto solus imperium obtinuit, anno VI. TR. Pot. Rursus apud Occonem pag. 322. inscribitur nummus, M. COMM. ANT. P. FEL. AVG. BRIT. & retrorsus, VOT. SOL. DEC. P. M. TR. P. XII. IMP. VIII. COS. V. P. P. Gessit Commodus quintum consulatum A. V. 186. quo quidem anno die 27. Novembris fungens Tribunitia Potestate XII. decennium communicati sibi a patre imperii explevit, ac vota Decennalia solvit. Hinc aperte rejicitur Baronii sententia dicentis, Commodum una simul Tribunitiam Potestatem & Imperatoris dignitatem ab Augusto patre accepisse, cum annus imperii decimus exierit duodecimo Tribunitiæ Potestatis. Denique pag. 326. apud laudatum Antiquarium Numisma Commodi in corona quercea hanc inscriptionem præfert, VOT. XX. P. M. TR. P. XV. IMP. VIII. COS. VI. S. C. Anno Epochæ Christianæ 190. idem Augustus fuit Consul sextum, quo anno desinente decennio, ex quo patre defuncto, rei Romanæ administrationem acceperat, vota Decennalia solvit, ac Vicennalia nuncupavit. Eadem tamen solemnia dies aliquot anticipavit, antequam annum TR. P. XV. expleret. Observavit Panvinus in nummis Commodi vota in alterum decennium nuncupata, Vicennalia primitus appellata, cum antea Decennalia secunda dicerentur, ut ex nummis Antonini Pii & M. Aurelii ostensum est.

CAP. IV.

Septimii Severi Decennalia. Dionis Interpres castigatur. Baronii ac Panvini opiniones de anno delatæ Antonino Caracallo Tribunitiæ Potestatis examinantur. Inscriptionum veterum contradictiones tolluntur. De die Ludorum Secularium Severi error Panvini. Decennalia Antonini, eorumque annus statuitur. Occo Caracallo Nummos Elagabali perperam deputat. Antoninus omnium primus Vicennalium tempus antevertit. Alexandri Severi Decennalia in Nummo Mediceo inscripta.

IMPERATORE Commodo Kal. Januariis V. C. 945. usque ad Parilia, vulgaris Epochæ 193. occiso, ac brevi quinque mensium spatio Pertinace, dein Didio Juliano violenta morte sublatis, ut ostensi potius, quam dati Principes visi fuerint, Septimius Severus Kalendis Juniis S. C. Tribunitiam Potestatem cum Augusti titulo accepit, quem ante paucos dies Pannonici exercitus Imperatorem salutaverant. Exstat argenteus Severi nummus in Cimeliis Serenissimi Cardinalis LEOPOLDI cum epigraphe, VOTA SVSCEPTA X. Hæc Decennalia splendidissima pompa eidem Imperatori celebrata recitant Dio & Herodianus. Interpres Dionis ex Xiphilini Excerptis scribit. *Interea Severus postquam attigit decennium principatus sui, congiario populo prætorianisque militibus dato, eis tot aureos, quot annos imperaverat, dedit*. Quibus videtur significare Severum non exacto decennio, ut moris fuerat, sed eodem ineunte Decennalia dedisse. Græci Scriptoris verba ita plane nobis interpretanda sunt, Σεβῆρος δὲ ἐπὶ τῆς δεκαετηρίδος τ ἀρχῆς. *Interim Severus circa decennium sui principatus*. Quæ de exacto decennio accipienda esse hic nummus ostendit apud Occonem pag. 355. L. SEPTIMIUS

SEVERVS PERT. AVG. & in postica, VOT. SVSC. DEC. P. M. TR. P. XI. COS. III. P. P. Anno 203. Æræ nostræ Kal. Junii decimo imperii anno exacto, iniens Tribunitiam Potestatem undecimam, Decennalia egit. Scribit Spartianus cap. 16. Severum Antiochiæ tertium consulatum, Antonino filio collega, iniisse, nempe Anno 202. inde Vere appetente, per Palæstinam in Ægyptum se contulisse, & Memphim usque progressum, interiora Provinciæ summa curiositate lustrasse. Itaque Kal. Juniis cum decimum imperii annum auspicaretur, procul ab Urbe aberat, & anno tantum insequenti Romæ Decennalia celebravit, quæ integram hebdomadem omni genere ludorum complexa Dio testatur. Severi decennium cum ceteri summa cum hilaritate peragerent, nostris Christianis luctuosum fuit. Auctor est Eusebius lib. 6. *Histor. Ecclesf.* cap. 2. *Severo annum imperii decimum agente, ardentissimum persecutionis incendium flagrasse, atque innumerabiles martyrio coronatos.*

In Antonini Caracalli Severi Aug. F. Tribunitiæ Potestatis, itemque Decennalium anno statuendo magni viri Baronius ac Panvinus dissentiunt, & ab utroque ipse discordo. Baronius ad Ann. 210. quem Anullini II. & Frontonis consulatu designat, scribit eo anno Antoninum iniisse Tribunitiam Potestatem, simulque in consortium imperii cum Augusti titulo a patre vocatum. Rursus ad An. 200. Antonino Augusto III. & Geta Cæsare Coss. recitat Antonini Decennalia. Quare eadem solemnia, auctore Baronio, ineunte anno decimo ejusdem Principis acta fuere. At Panvinus putat Tribunitiam Potestatem cum Imperatoris titulo delatam fuisse Antonino Kalendis Juniis A. V. 951. Saturnino & Gallo Coss. Panvinum exscribunt Calvisius ac Goltzius. Cum ex nummorum ac lapidum inscriptionibus annum communicatæ Antonino Tribunitiæ Potestatis sedulo indagarem, in Cimmeriis plane tenebris me versari sensi, ac omnem pene inveniendæ veritatis spem abjecissem, nisi satius duxissem rei difficultatem præmonstrare, quam forte alii felicioribus auspiciis superent. Extant tria Numismata in Gaza Medicea cum epigraphe, ANTONINVS PIVS AVG. GER. & retrorsum, P. M. TR. P. XX. COS. IV. P. P. S. C. Eadem Potestas Tribunitia Antonini vicies aucta in lapidum monumentis legitur apud Gruterum pag. 191. & 270. Obiit Antoninus C. Bruttio Præsente, T. Messio Extricato Coss. VI. Idus Aprilis V. C. 916. ad Parilia: demonstratur egregie annus hic obitus memorati Imperatoris. Laudatur in Cod. Just. Rescriptum Antonini *L. 9. de negotiis PP.* VIII. *Kal. Mart.* itemque *L. 3. de contrahenda stipul. PP.* VI. *Kal. Mart.* Hæc Rescripta proposita sunt *Præsente & Extricato Coss.* Iraque cum illi Consules magistratum iniere, Antoninus imperabat. At eundem iisdem Consulibus & imperandi & vivendi finem fecisse probat fragmentum vetustum pag. 300. Operis Gruteriani:

IMP. . . . . SEVERVS . . . . COOPTATVS C. BRVTTIO. PRAESENTE. T. MESSIO. EXTRICATO. II. COS. P. R. C. ANN. DCCCCLXX.

Annus Urbis 970. coincidit cum Anno Epochæ Christianæ 217. a Parilibus. In fragmento veteri consulari apud Bucherium pag. 247. legitur, *Præsente & Extricato Mer.* Etenim Anno 217. Kalendæ Januariæ incidere in diem Mercurii Cyclo Solis II. Lunæ IX. litt. E. Porro ibidem non dicitur cooptatus Imperator Antoninus, qui nusquam apud Latinos Severus dictus fuit, sed ejusdem successor Macrinus, qui se *Severum nuncupavit* ex Capitolino cap. 2. & ex ejusdem nummis constat, in quibus inscribitur, IMP. CAES. M. OPEL. SEV. MACRINVS. AVG. Quare anno Urbis 916. Antoninus Severi Aug. F. occisus fuit, & quidem octavo die Aprilis, ut scribit Dio qui eidem convixit. Cum vero in inscriptionibus marmorum ac Numismatum idem dicatur Tribunitiæ Pot. XX. eandem Potestatem cum Augusti nomine primum accepit An. 198. Saturnino & Gallo Coss. Exstat Romana Inscriptio apud Panvinum A. V. 953. & Gruterum pag. 269. cujus hoc fragmentum subjiciam:

M. AVRELIO ANTONINO PIO FELICI AVG. TRIB. POTEST. III. PRO. COS. &c. DEDIC. PR. NON. APRIL. TI. CLAVDIO SEVERO. C. AVFIDIO VICTORINO COS.

Posita est Inscriptio A. V. 953. die 21. Aprilis inchoando, Æræ vulgaris 200. die 4. Aprilis, Quare si id temporis Antoninus inierat Trib. Pot. III. Anno 217. VI. Idus Aprilis occisus, agebat TR. POT. XX. uti in nummis & lapidibus laudatis inscribitur.

His tamen opponuntur insignia Elogia, quæ etiamnum visuntur Romæ, ex quibus post Kal. Junias A. 198. evincitur tradita Antonino Tribunitia Potestas. In superiori parte Panthei legitur:

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PIVS. PERTINAX. ARABICVS. ADIABENICVS. PARTHICVS. MAXIMVS. PONTIF. MAX. TRIB. POT. XI. COS. III. P. P. PROCOS. ET. IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. TRIB. POT. V. COS. PROCOS. PANTHEVM. VETVSTATE. COLLAPSVM. CVM. OMMI. CVLTV. RESTITVERVNT.

Severus Augustus A. Urb. 956. Christi Domini 203. Kal. Junii inibat TR. P. XI. cum qua cum copuletur TR. P. V. Antonini, fit consequens, ut Antoninus anno V. 951. nostræ Epochæ 198. post Kalendas Junias primam Tribunitiam Potestatem auspicatus fuerit. Rursus in porticu templi S. Angeli in Foro Piscario visitur Epigramma, in quo Tribunitia Potestas sexta Antonini cum undecima Severi jungitur. Habetur apud Gruterum pag. 172. In celebri Arcu Septimii in Foro Romano Severus inscribitur, TRIBVNIT. POTEST. XI. Antoninus vero, TRIBVNIT. POTEST. VI. At in altera item Romana Inscriptione Gruteri pag. 191. Severus dicitur, TRIB. POT. XI. Antoninus, TRIB. POT. V. Si cum Tribunitia Potestate undecima Severi concurrit quinta, & sexta Antonini, minus recte Panvinus & alii afferunt Kalendis Juniis die natali imperii Severi Antoninum Tribunitiam Potestatem accepisse. Sane Panvinus priorem illam Inscriptionem referens A. V. 956. pro XI. scripsit X. Sed ex altero elogio rejicitur; neque tam facile est lapides ac membranas corrigere. Laudantur aliæ Inscriptiones antiquæ, in quibus Tribunitia Potestas prima Antonini cum VI. Severi conjungitur apud Gruterum pag. 1020. rursus cum VII. ejusdem Severi pag. 264. Ex tot elogiis luculenter probatur Antoninum A. 198. post Kal. Junias designatum fuisse Augustum delata eidem Tribunitia Potestate. Quare anno 217. VI. Idus Aprilis occisus, agebat annum Trib. Pot. XIX. qui igitur fieri potest ut in nummis & lapidibus ejusdem Tribunitia Pot. XX. & anno 200. die 4. Aprilis

tertia inſcripta fuerit? Reineſius lib. I. *Variar.* cap. 21. volumen promiſit inſcriptum, *Examen Inſcriptionum veterum;* at ille vitam ante Operis editionem explevit. Hujus eximii voluminis autographum Joannes Fritſch Typographus Lipſienſis apud ſe eſſe teſtatur in epiſtola nuncupatoria ad Librum Gutherii *de Jure Manium*. Jacobus Sponius vir eruditiſſimus ſupra tria millia Inſcriptionum collegit, quæ in Gruteriano Theſauro deſiderantur; idem vero nunc in Græciam navigationem adornat, antiqua Elogia ex temporis ac Barbarorum injuriis æternitati aſſerturus, ſuamque in Galliam redux, grandi volumine has omnes ac reliquas inſuper lapidum difficultates infringet.

Severus A. V. 949. Æræ Dionyſianæ 196. contra Albinum movens, apud Viminacium in ſuperiori Myſia Antoninum filium Cæſarem deſtinavit ex Spartiano cap. 10. Quod vero Senatus conſultum nondum acceſſiſſet, dictus eſt Antoninus Cæſar deſtinatus. Conſtat hoc ex Inſcriptione pag. 300.

LATERANO. ET RVFINO. COS. COOPTATVS. EX S. C. M. AVRELIVS. ANTONINVS. CÆS. DESTINATVS.

In altera etiam Inſcriptione Narbonenſi pag. 266. Severus dicitur TRIB. POT. IV. & ibidem laudatur Julia Donina M. AVRELI. ANTONINI CÆS. mater. Tribunitia Poteſtas IV. Severi exibat ann. 197. Laterano & Rufino Coſs. Victus eſt Albinus ex Spartiano in *Severo* cap. 11. die 19. Februarii ann. 198. Tunc Severus inter feſta ob reportatam victoriam dum de more Imperator ab exercitu ſalutaretur, nempe IX. X. & XI. ut ex nummis deduco, Antoninum Cæſarem abs ſe antea dictum, Imperatorem Auguſtum deſtinavit, Tribunitia Poteſtate eidem delata. Hinc in una & altera Inſcriptione legitur pag. 267.

M. AVRELIO. ANTONINO. CÆS. IMP. DESTINATO.

Severus Galliæ ac Britanniæ rebus compoſitis, eodem Anno 198. Romam venit, juſſitque Senatui, ut Antonino Cæſari Imperatoris inſignia decerneret. *Cæſarem deinde*, inquit Spartianus cap. 14. *Baſſianum filium ſuum Antoninum a Senatu appellari juſſit, decretis imperatoriis inſignibus*. Hinc factum eſt, ut cum quidam annos auguſtæ dominationis Antonini numerarent a die qua ille in Galliis a patre deſtinatus fuerat Imperator, alii vero a die qua S. C. nomen & inſignia imperatoria eidem tradita ſunt, in ſignandis annis Tribunitiæ Poteſtatis Antonini variaverint. Ex his refellitur Panvinus, qui putavit Severum A. V. 957. die ſuo natali Kal. Juniis Ludos Seculares celebraſſe; nam Kal. Juniis Antoninus agebat Tribunitiam Poteſtatem VI. cum pater Severus duodecimam iniret. In nummis vero legitur, ANTONINVS PIVS AVG. PONT. TR. PL. VII. & in poſtica parte, COS. LVD. SÆC. FEC. S. C. Cum vero Ludi Seculares, teſte Zoſimo initio lib. 2. ederentur poſt meſſem, menſe circiter Julio Antoninus Trib. Pot. VII. inivit, labente Severi XII. quæ una cum ejuſdem Ludis Secularibus in nummis obſignatur.

Ex his chronologicis & quidem difficillimis tricis ad Antonini Caracalli Decennalia redeo. Exſtat nummus apud Occonem pag. 374. inſcriptus, ANTONINVS PIVS AVG. & in altera parte, VOT. SOLVT. DEC. COS. III. Anno Domini 208. Antoninus III. Conſul fuit una cum Geta Cæſare II. Cum Anno 198. Tribunitiam Poteſtatem, nomenque Auguſti obtinuerit, ut ex pluribus Inſcriptionibus probatum eſt, palam fit, eundem anno imperii decimo evoluto Decennalia celebraſſe. Baronius ſcribit eundem deſignatum Imperatorem Anno 201. illius autem Decennalia recitat initio A. 210. Panvinus ait eundem Imperatoria inſignia accepiſſe A. V. 951. Decennalia vero egiſſe A. V. 960. Apro & Maximo Coſs. Quare utrique anno decimo imperii ineunte, Decennalia Antonini perperam ſtatuuntur; ita tamen ut Baronius Antoninum uno anno tardius Auguſtum faciat, Panvinus uno item anno Decennalia anticipet. Errat etiam Occo dum nummum Decennalium Antonini recitat Pompejano & Avito Coſs. A. 209. Trib. Pot. Antonini XII. cum ad annum ſuperiorem ea ſolemnia retrahenda ſint, Antonino Trib. Pot. XI. ineunte. Sed aliud inſuper Occoni erratum eſt; ſiquidem pag. 369. & 370. nummos Antonini in poſtica ſignatos, PONTIF. MAX. TR. P. II. COS. II. Caracallo attribuit, cum exprimant Imp. Elagabalum Antoninum; ille enim Anno 205. Conſul I. fuit, ac Tribunitiam Poteſtatem VII. Kal. Januariis gerebat. Elagabalus Anno Epochæ Chriſtianæ 218. erat TR. P. II. COS. II.

Antoninus primus Romanorum Principum ſtatum Vicennalium tempus antevertit. Proferuntur ab Occone ejuſdem Numiſmata in poſtica parte hanc epigraphen exhibentia, TR. P. XX. COS. IV. P. P. VICT. PART. ubi cernitur Victoria in clypeo inſcribens, VOT. XX. anno 217. Tribunitiam Poteſtatem viceſimam auſpicabatur, quo tempore Vicennalia imperii egit, quæ ineunte anno XXI. veteri more celebrari debuerant. Diocletianus ac Conſtantinus Vicennalium tempus uti Antoninus uno anno anticiparunt, ut poſtea oſtendam. Ab Antonino ad Gallienum viginti Principes Romano imperio præfuerunt, quos inter unus Alexander Severus decennium auguſti regiminis explevit; ceteri intra paucos annos violenta morte ſublati ſunt, uno Hoſtiliano dempto, qui peſtilentia interiit. In Alexandri nummis Occo pag. 415. unum profert in averſa parte ſignatum, VOTIS DECENNALIBUS. Ubi nuncupata initio imperii vota exprimuntur. Exſtant in Gaza Sereniſſimi Magni Ducis COSMI III. Numiſmata Pupieni, Balbini, Maximini, Æmiliani, Voluſiani, Decii, item in Cimeliis Sereniſſimi Card. LEOPOLDI, nummi Pertinacis, Hoſtiliani, & Galli Treboniani, in quibus omnibus legimus, VOTIS DECENNALIBUS. Cum nullus eorumdem Imperatorum quartum imperii annum attigerit, imo quidam paucos tantum menſes Principes vixerint, colligimus laudatam epigraphen deſignare vota, quæ in ipſis imperii auſpiciis iidem in decennium ſuſcepere. Alexander de more anno decimo exacto, nempe noſtræ Epochæ 232. Lupo & Maximo Coſs. vota Decennalia ſolvit, & Vicennalia nuncupavit. Hæc vota exprimuntur in nummo Gazæ Mediceæ, in quo Alexandri effigies viſitur cum inſcriptione in poſtica, VICTORIA AUGUSTI: Et in clypeo, VOT. X. a Victoria ſcribuntur:

CAP. V.

Gallieni Decennalia. Consulares Tabulæ imperante Gallieno, Panvino, Baronio, ac Petavio descriptæ, recitantur. Unus Panvinus easdem recte digessit. Duo collegia Consulum minus recte a Baronio ex Fastis expuncta. Par Consulum perperam ab eisdem in Fastos intrusum. De consulatibus suffectis cum ordinariis primum numeratis V. C. opinio revellitur. De consulatibus Gallieni, & de annis iteratæ Tribunitiæ Potestatis, Petavii sententia corrigitur.

GAllieni Imperatoris Decennalia eximia pompa peracta laudat Trebellius Pollio in libello *de Vita ejusdem* cap. 8. *Romam*, inquit, *cursu rapido convolavit: convocatisque Patribus, decennia celebravit novo genere ludorum*, A *nova specie pomparum, exquisito genere voluptatum*. Ubi pompam processus ad sacrificia, victimarum ac ferarum numerum, gladiatores insuper ac histriones fusius describit. Annum vero horum Decennalium haud tanti esset inquirere, nisi hac occasione Romanos Fastos, qui Gallieni imperium complectuntur, susdeque confusos, integræ fidei reddere possem, explosis eorum opinionibus, qui vetustis monumentis omissis, pro arbitrio paria Consulum dempsere, alia addidere. Non est hic animus in examen vocare inferioris notæ Scriptores, sed eos tantum qui in re Chronologica atque Historica ob eximiam eruditionem primas B inter recentes tulere. Panvinus hoc in campo ceteris facem prætulit. Verum in digerendis laterculis Consulum Gallieno imperante, alienas plane semitas calcarunt Baronius, ac postea Petavius. Horum igitur trium sententias subjiciam, ac palam faciam, unum meum Panvinum exacte Fastos consulares deduxisse.

BARONIUS Anni Christi		PETAVIUS		PANVINUS	Anni Urbis
256.	Valerianus Aug. & Maximus.	253.	C. Vib. Volusianus II. M. Val. Maximus.	C. Vib. Volus. A. II. M. Val. Maximus.	1006.
257.	Valerianus II. & Gallienus.	254.	Valerianus Aug. II. Gallienus Aug.	Valerianus Aug. II. Gallienus Aug.	1007.
258.	Valerianus III. & Gallienus II.	255.	Valerianus Aug. III. Gallienus Aug. II.	Valerianus Aug. III. Gallienus Aug. II.	1008.
259.	Maximus & Glabrio.	256.	Maximus & Glabrio.	M. Val. Maximus Glabrio.	1009.
260.	Valerianus IV. & Gallienus III.	257.	Valerianus Aug. IV. Gallienus Aug. III.	Valerianus Aug. IV. Gallienus Aug. III.	1010.
261.	Fuscus & Bassus.	258.	Memmius Fuscus Pomponius Bassus.	Memmius Fuscus Pomponius Bassus.	1011.
262.	Gallienus IV. & Valerianus Cæsar.	259.	Gallienus Aug. IV. Valerianus Cæsar.	Fulvius Æmilianus Pomponius Bassus II.	1012.
263.	Gallienus V. & Faustinus.	260.	Fulvius Æmilianus Pomponius Bassus II.	Cornel. Secularis II. Junius Donatus.	1013.
264.	Albinus & Maximus.	261.	Gallienus Aug. V. Volusianus.	Gallienus Aug. IV. Volusianus.	1014.
265.	Gallienus VI. & Saturninus.	262.	Gallienus Aug. VI. Pompejus Faustinus.	Gallienus Aug. V. Pompejus Faustinus.	1015.
266.	Valerianus II. & Lucillus.	263.	Nummius Albinus Maximus Dexter.	Nummius Albinus Maximus Dexter.	1016.
267.	Gallienus VII. & Sabinillus.	264.	Gallienus Aug. VII. Saturninus.	Gallienus Aug. VI. Amulius Saturninus.	1017.
268.	Paternus II. & Arcesilaus.	265.	Valerianus Cæsar II. L. Cæsonius Macer.	Valerianus Cæsar II. Lucillus Macer.	1018.
269.	Paternus II. & Marinianus.	266.	Gallienus Aug. VIII. Sabinillus.	Gallienus Aug. VII. Sabinillus.	1019.
		267.	Ovinius Paternus Arcesilaus.	Ovinius Paternus Arcesilaus.	1020.
		268.	Ovinius Paternus II. Macrianus.	Ovinius Paternus II. Marinianus.	1021.

Septem priora paria Consulum Baronii triennii C differentiam exprimunt a laterculis consularibus Petavii. Etenim cum Æram Dionysianam, qua vulgo Christiani utimur, biennio anticipasset, eandem distantiam ubique servavit usque ad imperium Decii, ubi unum par Consulum ex Actis S. Pionii Martyris intrudit, scilicet, *Decium* III. & *Gratum* II. *A.* 254. inde illa triennii discrepantia in ejusdem Annales fluxit. Postea duo paria Consulum, quæ apud Panvinum leguntur, expungit: nempe Fulvium Æmilianum & Pomponium Bassum II. & iterum Cornelium Secularem II. & Junium Donatum: quos *falso appositos* & *adscititios* vocat ad A. 262. His autem duobus collegiis Consulum rejectis ab anno ipsi 263. usque ad 284. unius anni discrepantia laborat, qui denique medetur, consulatum Probi II. & Lupi ab ordinariis excludens. Præterea in consulatibus Gallieni hunc laterculum ponit A. 262. *Gallienus* IV. & *Valerianus Cæsar.* Etenim ex libro IX. Actorum Valeriani ab Acholio, qui Magister admissionum Valeriani Augusti fuit, hæc recitat Vopiscus in *Aureliano* cap. 13. *Quum consedisset Valerianus* D *Augustus in thermis apud Byzantium, præsente exercitu, præsente etiam officio palatino, assidentibus Memmio Fusco Consule ordinario*, &c. designavit Consulem suffectum Aurelianum his plane verbis, quæ idem Vopiscus cap. 11. refert: *Consulatum cum eodem Ulpio Crinito in annum sequentem a die undecimo Calend. Juniarum in locum*

cum Gallieni & Valeriani, sperare te convenit sumptu publico. Ex quibus doctissimus Historicus contendit post consulatum Memmii Fusci, qui in laudato consessu Consul ordinarius dicitur, ponendos esse Consules ordinarios Gallienum IV. & Valerianum a Kal. Januariis usque ad 22. Maii, a qua die iniere suffectum consulatum Crinitus & Aurelianus, qui postea imperium indeptus fuit. Ceterum ne novum par Consulum intrudat, scribit Valerianum *Volusianum* etiam ab aliis in Fastis appellari.

Petavius Baronii ratiocinio plane convictus, anno Urbis 1012. Christi 259. attribuit Consules Gallienum IV. & Valerianum Cæsarem. Nec tamen ausus vulgares Fastos corrigere, Anno 261. statuit *Gallienum* V. & *Volusianum* Coss. qua ratione octo ordinarios consulatus Imperatori Gallieno assignat, cum septem tantum in omnibus Fastis ejusdem Principis consulatus afferantur. Quod vero unum par Consulum intruserat, ne Chronologicæ Tabulæ luxarentur, expunxit consulatum Secularis II. & Junii Donati. Idem Petavius lib. II. *de Doctr. Temp.* cap. 27. Baronii ac Panvini Fastos discutit, ac concludit: *Ita ambo inter se concordes Dionysianam & vulgarem Æram biennio morantur, donec ad Probum Imperatorem perventum est, ubi biennium uterque tacite dissimulavit. De altero anno, qui omissus est, satis constat; nam Paulum* (voluit dicere Probum) *& Paulinum Onuphrius, Baronius vero Probum & Lupum prætereunt. At quodnam par alterum Consulum in illorum Fastis desideretur, id vero difficile est conjicere. Nec in horum tantum duorum, sed in ceteris unum aliquod par Consulum deesse videtur*. In his sane minus recte calculos ponit. Nam falsum est Panvinum biennio Æram Dionysianam morari, siquidem uno tantum anno citius eandem inchoat; neque V. C. 752. A. Juliano 44. Augusto XIII. & Plautio Sylvano Coss. Baronius vero eandem Æram auspicatur A. V. 751. Juliano 43. Cornelio Lentulo & Messalino Coss. Rursus falsum est Baronium Epocham laudatam biennio prævertere usque ad imperium Probi; illam enim biennio anticipat usque ad exitum Decii Augusti, postea usque ad septimum annum Gallieni triennio ab eadem discrepat. Omissis vero duobus collegiis Consulum, uno tantum anno ab illa deinceps distat, donec uno consulatu Probi inter suffectos rejecto, Anno 280. Messalam & Gratum Coss. statuens, Dionysianam Epocham tandem assequitur. Errat denique Petavius, dum judicat in Fastis Panvini unum par Consulum desiderari, præter consulatum Probi & Paulini, ut inferius demonstrabo. Sed de Baronii Tabulis prius dicendum est.

In primis minus recte, ex Actis Pionii Martyris, novum par Consulum in Fastos intrusit. Exstant illa apud Surium & eruditissimum Bollandum in gestis SS. Februarii, eademque Annalibus Baronius inseruit A. 254. Initio dicitur captus Pionius *vicesima tertia Februarii Sabbato*, ac per forum tractus, ubi plurimi Judæi versabantur, quia *cum magnum esset Sabbatum feriabantur*. In calce vero idem Pionius asseritur martyrio apud Smyrnam coronatus: *Julio Asiæ Proconsule, Proclo Quintiliano magistratum gerentibus, Consule tertium Messio Quinto Trajano, Decio Augusto: ante IV. Idus Martias, more Romanorum; Asiæ autem more, septimi mensis undecimo, die Sabbati, hora decima*, Hinc Baronio Messius Trajanus Decius III. & Gratus II. Coss. asserti Anno 254. Et quidem hoc anno dies undecima Martii incidit in Sabbatum, Cyclo Solis XI. Lunæ VIII. litt. A. at vicesima tertia Februarii fuit feria quinta, hoc est, dies Jovis; nec dies 23. Februarii, & 11. Martii possunt in eandem feriam coincidere, quorum nihil eidem Scriptori adnotatum est. Sed nec illud verum est, mensem

A Martium esse apud Asiaticos mensem septimum, fuit enim sextus, ut erudite demonstrat Usserius in parvo sed plane aureo libello *de Macedonum & Asianorum Anno Solari* cap. 2. Aprilis Romanorum erat apud Asiaticos mensis septimus, qui initium auspicabatur a 25. Martii, ut patet ex ejusdem Tabulis cap. 4. quas suæ *Chronologiæ Reformatæ* inseruit Ricciolius tom. I. lib. I. cap. 20. Itaque apud Asianos septimi mensis dies undecimus correspondet diei 4. Aprilis juxta Romanos. Anno 251. dies undecima septimi mensis fuit feria VI. Ciclo Solis VIII. Lunæ V. litt. E. quare Acta illa depravata sunt, ac corrigenda ex Chronico Alexandrino,

B in quo Martyrium Pionii dicitur consummatum die 12. nempe Non. Aprilis, quamvis ibidem, uti notavit Usserius, mensis Asiaticus VI. pro VII. perperam scribatur. Ex his habemus Pionium martyrii palma coronatum mensis septimi duodecima Sabbato, quo charactere designatur Annus 251. cui in Fastis attribuuntur Consules Messius Quintus Trajanus Decius III. & Decius Cæsar. Collector Actorum S. Pionii pro Cæsare *Decio*, legit *Deltio*, & pro arbitrio *Gratum* II. addidit. Igitur par illud Consulum ex Fastis expungendum est.

Michael Alfordus Ecclesiasticorum Britanniæ Annalium digestor tomo primo ad A. 162. in fine

C ait: *Duorum annorum differentia passim occurrit: & illam componere non est, fateor, mearum virium, Baronium tamen libentius sequor, quia ille conscribendis Annalibus, labore & industria præcessit omnes*. Hinc ibidem ex Tabulis Consularibus rejicit Æmilianum & Bassum II. Itemque Sæcularem II. & Donatum; inserit autem Gallienum IV. & Valerianum Cæsarem. Ita uni Baronio fidem accommodans, a Panvini Fastis discedit. Verum recte utrumque illud collegium Consulum Panvino assertum, ac annis V. C. optime assignatum demonstro. Æmilianum ac Bassum II. fuisse Consules or-

D dinarios patet ex omnibus antiquis Tabulis, Victorii Aquitani, Prosperi, Idatii, fragmenti consularis apud Bucherium pag. 248. (hos quatuor Scriptores nondum editos eruditissimus vir non vidit) Cassiodori, Eusebii Canone Chronico, & Fastis Siculis apud Scaligerum, Auctore denique Libelli *de Præfectis Urbi*. Sed quod rem evincit, exstant in Cod. Justinianæo plura Rescripta Impp. Valeriani & Gallieni iisdem Consulibus signata. Etenim *L.* 15. *de pactis. L.* 12. *de transactionibus. L.* 4. *de condictione ad causam dati. L.* 7. *de privilegio fisci. L.* 5. *soluto matrimonio. L.* 5. *ad l. Fabiam. L.* 6. *quod cum eo*. Hæc, inquam, omnia Rescripta dicuntur *Da-*

E *ta Æmiliano & Basso Coss.* Unde minus recte Baronius ad A. 262. initio scripsit: *In Codice Justiniani Bassus semel tantum cum collega Æmiliano Consul positus invenitur*, cum septies cum hoc ipso jungatur, & pluries etiam simul nominati fuere, si quis id diligentius velit inquirere. Putat autem Æmilianum eundem fuisse cum Aurelio Memmio Fusco, *cui fuerit quoque cognomentum Æmilianus*. Verum *Tusci & Bassi* consulatu dicuntur signatæ *L.* 2. *in quibus causis. L.* 16. *de inoff. test. L.* 12. *ad S.C. Vellejanum*, & alia Rescripta. *Item Tusco & Basso Coss.* signantur Acta passionis S. Cypriani. Baronius ac Panvinus ex Vopisco ac Trebellio Pollione pro *Tusco* putant

F Fuscum reponendum. Imo ex subscriptionibus legum duo illi Scriptores corrigendi sunt. Et quidem in Fastis Græcis ac Latinis *Tuscus* Consul laudatur. Exstat antiquum epigramma in Ottacinis, recitatum ab Alfordo A. 261. dicatum, TUSCO ET BASSO COSS. Ceterum Æmiliani & Bassi II. consulatus insigni charactere designatur in antiquis Actis martyrii S. Fructuosi, quorum est initium apud Bollandum ad diem 21. Januarii: *Valeriano & Gallieno Imperatoribus, Æmiliano & Basso Coss.* XVII. *Kal.*

Febr. die Dominico. Est character anni V. C. 1012. quo dies 16. Januarii incidit in diem Dominicum Cyclo Solis XVI. Lunæ XIII. litt. B. Et dicuntur focii cum eodem Fructuoso ad supplicium *producti* XII. *Kal. Februarii feria sexta*. Itaque errat Petavius ponens Æmiliani ac Bassi consulatum A. V. 1013. Christi 260. anno enim superiori consulatum gessere.

Alterum par Consulum, quod improbant Baronius ac Petavius, est Secularis II. cum Junio Donato. Exstant tamen plurima Gallieni Rescripta iisdem Consulibus signata, *L.4. de obligationibus. L.5. de testament. tutela. L.3. de prædiis. L.6. quæ potiores. L.1. ubi de hæreditate*, & aliæ plurimæ, quæ dicuntur *Dat. Seculare II. & Donato Coss.* Omnes Fasti superius laudati eosdem Consules tradunt. In veteri fragmento apud Bucherium legitur, *Sceulare & Donato B. Sol.* nempe illum annum fuisse Bissextilem ac Kalendas Januarias incidisse in diem Solis. Recte ergo meus Panvinus anno Urbis 1013. eosdem Consules statuit; fuit enim ille annus Bissextilis ac prima Januarii incidit in diem Solis seu Dominicum, Cyclo Solis XVII. Lunæ XIV. litt. A. G. Fuit annus Epochæ Dionysianæ 260. Ex his duo laterculi Consulum meo Panvino digesti, adeo solide & evidenter demonstrantur, ut plane sperem fore ut imposterum cunctis adprobentur, procul abire jussis aliorum Scriptorum opinionibus, quamvis easdem viri insignes invexerint.

Jam ad arcem veluti caussæ ventum est, ad consulatum Gallieni IV. & Valeriani Cæsaris. Profecto hic in nullis Fastis legitur, & Pollio in *Gallieno* cap. I. scribit, *Gallieno igitur & Volusiano Coss.* &c. Video quidem in laudatis a Baronio Actis designatos fuisse a Valeriano Imperatore Consules ordinarios Gallienum & Valerianum, suffectos vero a die 22. Maii Crinitum & Aurelianum. Verum neutiquam illi consulatum iniere. Etenim si Aurelianus anno Domini ex Baronio 262. vel 259. uti vult Petavius, consulatum suffectum gessisset, anno primo imperii iniens Kal. Januariis consulatum ordinarium, dictus fuisset Consul II. rursus cum Capitolino procedens Consul A. 271. Consul III. fuisset. Denique annum postremum imperii quartum Consul clausisset. At in omnibus Fastis tertium tantum Aureliani consulatum legimus. In veteri saxo apud Baronium, Panvinum, ac Gruterum dicitur Aurelianus,

TRIB. POT. V. COS. DESIG. III.

Et postea:

DEDIC. KAL. FEBR. AVRELIANO.
AVG. III. ET MARCELLINO COS.

Illi enim qui suffectum consulatum gesserant, si postea consulatum ordinarium iniissent, Consules II. dicebantur. Scio Baronium ad initium A. 205. scribere: *Hoc anno primum a Severo factum est, ut consulatus suffecti cum ordinariis numerarentur; sicque ea ratione Plautianus, qui suffectum egerat consulatum, hoc anno creatus Consul ordinarius, secundum Consul positus est.* Hæc ex Dione probare contendit. Verum longe ante Severum id moris fuisse certum est. Vespasianus ex Suetonio cap. 4. egerat consulatum suffectum, cum vero ordinarium capessivit, Consul II. in Fastis & Inscriptionibus nummorum ac lapidum dictus fuit. Domitianus Consul XVII. ubique inscribitur, quamvis sexies consulatum suffectum gesserit. Quid? quod ipse Severus Imperator Coss. II. dictus est anno primo imperii, cum Kal. Januariis Consul processit; idem autem gesserat consulatum suffectum cum Apulejo Rufino, ex Spartiano cap. 4. Scribit Dio Plautianum, antequam consulatum ordinarium iniret, *ornamenta*

A *consularia* honoris gratia a Severo accepisse; at hoc non est consulatum suffectum gessisse. Tacitus lib. I. *Hist.* cum recitasset Consules ab Othone suffectos in varias Kalendas A. V. 822. scribit Romæ auditam victoriam tertiæ legionis de Samartis reportatam: *Postquam*, inquit, *id Romæ compertum, M. Aponius Mœsiam obtinens triumphali statua, Fulvius Aurelius, & Julianus Titius, ac Mum'sius* * *Lupus Legati legionum consularibus ornamentis donantur*. Dicebantur hi Consules non ordinarii, nec suffecti, sed honorarii, nempe non penes potestatem, sed insignia tantum atque ornamenta Consulum. Legantur Panvinius lib. I. *Comment.* B *in Fastos*, & Lazius lib. 9. *de Rep. Rom.* cap. 4. Itaque cum Aurelianus ad imperium elatus ter consulatum ordinarium gesserit, & Baronio ac Petavio anno ultimo Consul III. dicatur, quod laudata Inscriptio demonstrat, fit consequens ut Valeriano imperante consulatum suffectum non gesserit. Quod inde derivasse existimo; quia eodem anno victo ac capto in Perside Valeriano Augusto, Gallienus solus imperium consecutus, alia collegia Consulum pro arbitrio designavit; ita consulatus, antequam illum iniret, Aureliano abrogatus. Panvinus, ejusque exscriptores Calvisius ac Goltzius, cum putent Aurelianum Consulem suffectum pro-C cessisse, Kalendis Januariis anni primi imperii Aureliani Consules ponunt Aurelianum hominem nescio quem privatum & Bassum. Sed in Chronico Canone Eusebii apud Scaligerum diserte legitur, *Aurelianus Augustus & Bassus*. Et quidem novi Imperatores primis statim Kalendis Januariis consulatum ordinarium inibant, quod item Aurelianum fecisse non dubito. Neque obstat Memmium Fuscum gessisse magistratum anno quinto Valeriani, ac proinde non potuisse dici a Vopisco Consulem ordinarium anno quo captus est Valerianus; is enim septimo imperii victus, ac castris D exutus, in Persarum potestatem venit. Etenim Memmius Fuscus Consul ordinarius appellatur, non quasi eodem anno eo magistratu fungeretur, sed quod ante biennium illum gesserat. Ex his constat Gallienum IV. ac Volusianum anno Urbis 1014. Consules recte assignatos, non vero Gallienum ac Valerianum; neque enim Baronio assentiri possum, dum ait Valerianum Cæsarem potuisse Volusianum etiam cognominari. Nam Valerianus erat cognomen Licinæ Familiæ, ut ex nummis Valeriani Senioris ac Gallieni patet; & Valerianus Junior in Numismatibus dicitur, P. LIC. VALERIANVS CAES. At Volusianus fuit ex E Familia Petronia, & bis imperante Gallieno Præfectus Urbi fuit, ut ex indiculo Præfectorum Urbis a Cuspiniano publicato intelligitur.

Petavius admisso cum Baronio consulatu Gallieni IV. & Valeriani Junioris, statuit etiam A. V. 1014. Christi 261. Gallienum V. & Volusianum, quos omnes Fasti laudant. Itaque octo consulatus Gallieno idem assignat, cum tamen certissimum sit, memoratum Imperatorem septies tantum Consulem inscribi. Exstat *Lex 3. de ordine judiciorum*, quæ dicitur *PP. Gallieno Aug. V. & Faustino* F *Coss.* Rursus in eodem Cod. Just. laudatur *Lex 7. de probationibus PP. Gallieno VII. & Sabinillo Coss.* At Petavius scribit Gallienum VI. & Faustinum; & rursus Gallienum VIII. & Sabinillum. Exstant nummi apud Goltzium inscripti, IMP. C. P. LIC. GALLIENVS P. F. AVG. P. M. TR. P. XIV. COS. VII. P. P. & alter, TR. P. XV. COS. VII. Cum vero Gallienus occisus fuerit anno Tribunitiæ Potestatis XV. aperte colligitur, perperam a Petavio Gallienum Cos. VIII. affirmari. Hæsit in eadem salebra Ricciolius, qui cum Peta-

* Leg. *Numisius*.

vio consulatum Secularis & Donati expunxit, Gallienum IV. ac Valerianum Consules intrusit, Æmiliani ac Bassi consulatum altero anno retulit, ac denique Gallienum VIII. Consulem produxit. Tot in errores lapsi sunt ob illud collegium Consulum adversus omnium veterum Tabularum fidem invectum. Et quidem Ricciolius, qui suo volumini *Chronologiæ Reformatæ* titulum dedit, ut tam grande nomen impleret, debuit trium laudatorum Scriptorum Fastos in examen adducere; præsertim cum lib.1. tomi prioris cap.4. num.1. testetur se laborasse *in Fastis Consularibus rectius, quam hactenus factum sciamus, concinnandis*. Verum ejusdem Tabulæ tot mendis scatent, ut in una tantum pagina ultra sexaginta errata deprehenderim. Sane alienis oculis ac manu in eisdem exscribendis usus videtur, ne tam supinæ negligentiæ vir alias eruditus, reus traducatur. Ex his tamen evidenter monstratum est, nostri Panvini Fastos, qui Gallieni Imperatoris annos designat, accurate deductos esse, ut idem jure ac merito cum Lipsio honoris gratia *Pater Fastorum* nuncupandus videatur.

At enim non modo in collegiis Consulum, verum etiam in initiis imperii Valeriani ac Gallieni statuendis tres illi Scriptores dissentiunt. Baronius exordium horum Principum ponit Gallo II. ac Volusiano Coss. V. C. 1005. ita enim scribit ad A. 257. Panvinus anno V. 1006. Vibio Volusiano II. & Valerio Maximo Coss. Denique Petavius in sequentem annum 1007. Christi Domini 254. eosdem Augustos ad imperium evectos arbitratur lib. 13. in *Chronico*. Baronii opinio antiquis Inscriptionibus adversatur. Exstant nummi cum epigraphe, IMP. C. P. LIC. VALERIANUS P. F. AUG. P. M. TR. P. II. COS III. P. P. item, IMP. C. P. LIC. GALLIENUS P. F. AUG. TR. P. II. COS. II. Juxta Baronium Anno 258. fuere Consules Valerianus Aug. III. & Gallienus Aug. II. Itaque si cum tertio Valeriani ac secundo Gallieni consulatu jungitur Tribunitia Potestas II. utriusque, palam evincitur illos eandem cum imperio non inisse Anno 255. nam annus secundus exisset A. 257. Valeriano II. & Gallieno Coss. Præterea exstat duplex epigramma apud Gruterum pag. 275. in quo Gallienus dicitur, TRIB. POTEST. IV. COS. III. Gessit tertium consulatum ex Fastis Baronii A. 260. quo anno terminasset Trib. Pot. V. si primam A. 255. auspicatus fuisset. Eadem sententia aperte etiam ex superius stabilitis revellitur; etenim probatum est Baronium duo collegia Consulum ab annis imperii Valeriani & Gallieni exclusisse, quæ tamen cum certis argumentis restituenda esse monstraverim, ne sedecim anni augustæ dominationis Gallieno assignentur, ejusdem initia ad A. V. 1006. cum Panvino figenda sunt. Respondet Petavius lib. 11. *de Doctr. Temp.* cap. 26. *cum novo anno Juliano, novam Tribunitiam Potestatem inchoatam*. Hæc opinio, quam in *Dissert. de Nummo Licinii* cap.6. insinuavi, prorsus falsa est. Etenim Tribunitia Potestas initio statim delati imperii suscipiebatur, nec Kalendis Januariis anni Juliani iterabatur, sed die ipsa natali imperii. Hinc eodem anno Juliano, diversi Tribunitiæ Potestatis anni concurrebant. Hoc ex nummis constat, præcipue Domitiani, qui plures consulatus ordinarios junxit. In illis inscribitur, TR. P. IV. COS. XI. & rursus, TR. P. V. COS. XI. Plura Numismata Commodi ex Cimeliis Mediceis laudavi cap. 3. in quibus anno postremo imperii dicitur, TR. P. XVII. COS. VII. & TR. P. XVIII. COS. VII. Eo autem anno septimum consulatum cum vita explevit. Id evincunt etiam innumeræ lapidum inscriptiones. Unam ex Grutero pag. 573. laudabo, in qua legitur;

IMP. CÆSAR VESPASIANVS AVG.
PONT. MAX. TR. POT. II. IMP. VI.
COS. III. DESIG. IIII. &c.

Vespasianus Kal. Juliis A. V. 822. Tribunitiam Potestatem cum imperio accepit, ex Tacito lib. 2. *Hist.* gessit tertium consulatum A. V. 824. si Kalendis Januariis A. 823. Tribunitiam Potestatem iterasset, anno sequenti, quo tertium Consul processit, inscriptus fuisset TR. POT. III. Idem ex nummis Vespasiani apud Goltzium ostenditur.

Præterea evidenter demonstro Baronium ac Petavium minus recte annos imperii Gallieni digessisse: nam huic Augusto omnes Scriptores ac nummi ejusdem quindecim annos imperii tribuunt. Certum autem est eundem interfectum apud Mediolanum Paterno II. & Mariniano Coss. circa XIII. Kal. Aprilis, nam IX Kal. Apr. ejusdem mors, ac Claudii electio Romæ nuntiata est, ex Trebellio Pollione in *Claudio* cap 4. At juxta calculos Baronii Gallienus init imperium A. 255. moritur A. 269. Petavius in *Chronico* scribit Gallienum appellatum fuisse Imperatorem A. 254. occisum vero A. 268. Igitur ex utriusque Scriptoris supputatione Gallienus annos tantum quatuordecim in imperio vixit. At Gallienum annos quindecim imperasse probatur ineluctabili testimonio Porphyrii, qui id temporis vixit. Scribit in *Vita Plotini*: *Decimo autem Gallieni Imperatoris anno ego Porphyrius e Græcia una cum Antonio Rhodio Romam veniens, Amelium reperi, octo & decem jam annos Plotino familiariter usum*. Postea ait: *Hi ergo libri unus atque viginti, quando eum primo conveni, scripti jam erant, quando Plotinus nonum & quinquagesimum ætatis annum agebat, ego autem & hunc ipsum annum, & quinque insuper deinceps cum Plotino versatus sum*. Itaque usque ad exitum fere decimiquinti anni Gallieni Porphyrius cum Plotino vixit; siquidem ait: *& hunc ipsum annum*, nempe ut antea dixerat, *decimum Gallieni* inchoatum: *& quinque insuper* eidem Plotino Romæ convixit. Denique addit: *Quo vero tempore in Sicilia vitam agebam, quo perveneram circa quintum decimumque Gallieni Imperatoris annum, Plotinus libros quinque composuit, & ad me in Siciliam misit*. Igitur ex Porphyrio Gallienus imperavit annos fere solidos quindecim, quorum ultimo desinente, ille Roma profectus, in Siciliam secessit. Panvinus Gallieni imperium inchoatum scribit A. V. 1006. finem vero ejusdem recitat A. V. 1021. ac proinde ex illius calculis quindecim anni solidi Gallieniani imperii habentur; unde ejusdem sententia sive in Fastis disponendis, sive in annis memorati Augusti deducendis, exactissima est, & omnium veterum monumentorum testimoniis stabilitur; Baronii vero ac Petavii opiniones procul a vero abeunt, ut hucusque invictis plane argumentis ostendi.

Ex his colligitur annus Decennalium Gallieni; hæc enim acta sunt A. V. 1016. Epochæ vulgaris 263. Nummio Albino & Maximo Dextro Coss. Id non modo constat ex hucusque servato tempore Decennalium, verum etiam ex Pollione, qui narratis solemniis, ac Ludis Decennalibus Gallieno peractis, statim ait, *Gallieno & Saturnino Coss.* Incidit horum consulatus in A. V. 1017. quare anno superiori Decennia Gallieni celebrata sunt.

CAP. VI.

Anni imperii Claudii Gotthici & Aureliani statuuntur. Baronius ac Panvinus imperium Probi ac vulgares Fastos decurtant. Ex Rescriptis Probi & vetusto epigrammate refelluntur. Petavius unum par Consulum Fastis addendum contendit. Panvini in deducendis annis Bissextilibus hallucinatio. Ejusdem error cum prochronismo veterum Sacerdotum perperam a Calvisio confunditur. Ex eclipsibus error Panvini corrigitur. Decennalia ac Vicennalia Diocletiani & Maximiani suis annis assignata.

SEdecim annorum spatio, qui a Gallieni exitu usque ad imperium Diocletiani excurrunt, nullus Romanorum Principum, qui id temporis imperarunt, vota Decennalia solvit; quare illis omissis ad Decennia ac Vicennia Diocletiani transeundum esset. Verum cum videam annos imperii eorumdem passim confundi, ac Consulares Tabulas circa eadem tempora a nobilissimis Scriptoribus depravari, rem Chronologiæ studiosis gratam me facturum spero, si quæ eam in rem observavi, hic inseram. Etenim quamvis plerique hanc Spartam aggressi sunt, cum rem minus evidenter demonstrarint, nullam pene opinionem profligarunt, imo ne loco quidem movisse visi sunt. Sane Baronius a Decio Imperatore usque ad Diocletianum, nempe ab A.249. usque ad 284. omnium Imperatorum initia prævertit. Id Calvisius, Gordonius, Petavius, aliique observarunt. Verum quod ne illi quidem satis solide Baronianam chronologiam emendarunt, sibi descriptas epochas neutiquam aliis persuasere. Hinc Michael Alfordus in *Annalibus Ecclesiæ Britannicæ* A.253. ait: *Scio multos, Philipporum mortem ante biennium recensere: Baronianam chronologiam causantes, quod Imperatorum annos male digesserit. Sed novorum ingeniorum vitium est, novis rebus delectari, & antiqua nauseare.* Ita in omnibus Baronio adhæret. Petavius vir omnium diligentissimus, cui in rebus Chronologicis nemo par aut secundus hoc sæculo opponatur, recte Fastos Baronii ac Panvinii lib.11. *de Doctr. Temp.* emendat. Sed alium insuper in iisdem errorem notat, qui plane nullus fuit, & minus recte annos Romanorum Principum statuit. Horum opiniones certioribus, quam ab ullo hucusque præstitum sit, argumentis rejiciam. Cum vero apud eosdem certum sit A. V. 1021. Gallieno occiso, Claudium Gotthicum ad imperium evectum, Paterno II. & Mariniano Coss. ut ea quæ dicturus sum, facillime intelligantur, seriem Consulum subjiciam a proxime laudato A.V. usque ad A. 1036.

A. Christi D.		Urbis Cond.
269.	Claudius Aug. II. Ovinius Paternus.	1022.
270.	Flavius Antiochianus Furius Orphitus.	1023.
271.	Aurelianus Aug. Pomponius Bassus.	1024.
272.	Quietus Voldumianus.	1025.
273.	M. Claudius Tacitus Furius Placidianus.	1026.
274.	Aurelianus Aug. II. Julius Capitolinus.	1027.
275.	Aurelius Aug. III. Avonius Marcellinus.	1028.
276.	M.Claudius Tacitus Aug.II. Fulvius Æmilianus.	1029.
277.	Probus Aug. Paulinus.	1030.
278.	Probus Aug II. Virius Lupus.	1031.
279.	Probus Aug. III. Ovinius Paternus.	1032.
280.	Messala Gratus.	1033.
281.	Probus Aug. IV. Junius Tiberianus.	1034.
282.	Probus Aug. V. Pomponius Victorinus.	1035.
283.	Carus Aug. II. Carinus Cæsar.	1036.

Inter annum necis Gallieni, & annum quo Diocletiani imperium exordium sumpsit, paria Consulum quindecim mediant in Fastis antiquis libri de PP. Urbis, fragmenti apud Bucherium p. 249. Idatii, ac Prosperi.

Claudium Imperatorem A. V. 1021. IX. Kal. Apr. Imperatorem a Senatu dictum testatur Pollio cap.4. Anno insequenti cum Paterno ordinarium consulatum gessit. Lib.3. Cod. Just. *l.* 6. *de servit. & aqua* laudatur Rescriptum Imperatoris Claudii ad Priscum, & dicitur *PP.* VII. *Kal. Maii Claudio Aug. & Paterno Coss.* Anno V. 1023. Christi 270. notantur Consules Antiochianus & Orphitus. Panvinus scribit hoc anno pridie Non. Febr. Aquilejæ Claudium fatis concessisse, cum imperasset A.I. M.II. Eundem intra biennium decessisse scribunt Eusebius, Victor, Cassiodorus, Eutropius, quibus consentit Petavius lib. 11. *de Doct. Temp.* cap.26. Panvinum omnino sequuntur Calvisius ac Goltzius. At optime Baronius probat Claudium ultra biennium imperasse. Etenim Porphyrius illius temporis Scriptor in Libello *de Vita Plotini* ait: *Agebat vero tunc Plotinus annos sex atque sexaginta, secundo Claudii imperatoris anno jam peracto.* Rursus ex responso eidem fata consulenti dato apud Pollionem c 10.

Tertia dum Latio regnantem viderit æstas.

Itaque tertiam æstatem in imperio exegit. Hæc Baronius. Profero insigne testimonium nulli hactenus observatum. In Cod. Just. legitur *l.* 2. *de divers. rescrip.* in cujus titulo notatur, *Imp. Claudius Aug. Prisco*, & signatur, *Dat.* VII. *Kal. Novembris Antiochiano & Orphito Coss.* Quare Claudius regnavit An.2. M.7. Hinc Gruteri pag.276. in vetusto saxo inscribitur, TRIB. POT. III. COS. II.

Aurelianus Claudium excepit; Quintillus enim Claudii frater vicesimum tantum diem imperavit. Huic annos sex imperii Veteres omnes assignant, seu cum Eutropio lib. 8. A. 5. M. 5. Baronius finem Aureliani protrahit ad consulatum Probi II. & Paterni, ita ut septem annos imperarit: aitque occisum v. Kal. Aprilis A. 278. cum imperium iniisset A. 271. Ex nummo, in quo Aurelianus inscribitur TR. P. VII. in eam sententiam descendit. Petavius in *Chronico* scribit ultra quinque annos imperasse. Panvinus undecim menses supra quartum annum eidem tribuit. Horum Scriptorum chronologiam falsam ostendo. Extant apud Panvinum, Baronium, ac Gruterum antiquæ Inscriptiones; prior dicata est a Furio Orphito Præfecto Urbi, in qua Aurelianus dicitur TRIB. POT. V. COS. DESIG. III. altera vero exprimit Aurelianum TRIB. POT. V. P. P.

COS. III. Ex Fastis illa posita est A. 274. quo Furius Orphitus Urbis præfectura perfunctus est; hæc vero A. 275. quo idem Augustus Consul tertium fuit. Scribit Idatius: *Aureliano* III. *& Marcellino. His Coss. occisus est Aurelianus Imp. Cænofrurio, & levatus est Tacitus Romæ.* Nuncium mortis Aureliani tertio Non. Februarias Romam allatum scribit Vopiscus in libro *de Vita ejusdem* cap. 41. Cum vero prope Heracleam Thraciæ interemptus fuerit, mense Januario interiit. Vixit itaque in imperio A. 4. M. circiter tres, nam ex laudatis Inscriptionibus inivit tertium consulatum anno imperii quinto inchoato. Inde octo mensium interregnum fuit, exercitibus novi Principis designationem arbitrio S. P. Q. R. deferentibus, ac vicissim Senatu eam potestatem militi faciente. Denique a Senatu subrogatus fuit Tacitus VII. Kal. Octobris ex Vopisco cap. 4. *de Vita Taciti*, ubi S. C. laudat. A. V. 1029. Christi 276. Tacitus Aug. II. & Æmilianus ordinarii Consules processere. In fragmento consulari sæpius laudato dicitur, *Tacito* II. *& Æmiliano B. Sat.* nempe illum annum fuisse Bissextilem, ac Kalendas Januarias incidisse in diem Saturni. Est plane annus memoratus 276. Cyclo Solis V. Lunæ XI. litt. BA. Tacitum mense imperii sexto occisum scribunt ex Vopisco ceteri Chronologi; ducentesimo die periisse auctor est Victor. Itaque obiit die 17. Aprilis A. 276.

Sequitur imperium Probi, in quo Panvinus ac Baronius extra rectæ chronologiæ orbitas excurrunt; & in tanta Fastorum perturbatione Petavius quoque minus recte calculos ponit. Cum Panvinus uno anno Æram vulgarem Christi anticipasset, eandem inchoans ab anno Juliano 44. Urbis 732. Augusto XIII. & Plautio Sylvano Coss. ut initium imperii Diocletiani A. 284. Christianæ Epochæ statueret, consulatum Probi ac Paulini inter suffectos rejecit, ac annos quinque imperii Probo assignavit. Baronius cum biennio eandem vulgarem Epocham antevertisset V. C. 751. Cornelio Lentulo & Messalino Coss. duos consulatus ordinarios imperante Gallieno e Fastis expunxit, ut superiori capite ostendi. At ob consulatum Decii III. & Grati II. intrusum, ne annus redundaret, consulatum Probi II. & Lupi ab ordinariis excludit ad A. 279. Verum quod annos septem Aureliano attribuerat, imperii Probi tempus decurtavit. Hinc in *Annalibus* post A. 276. quem consulatu Aureliani III. & Marcellini notat, omittit cum Cassiodoro consulatum Taciti II. & Æmiliani, qui tamen in omnibus Fastis ibidem recitatur; duos vero consulatus Probi & Paulini, item Probi II. & Paterni II. scribit gestos fuisse a Probo, Aureliano adhuc rerum potiente, quo occiso, Taciti inaugurationem recitat, ejusque ordinarium consulatum post Probum II. & Paternum in Fastos infarcit, eoque notat, annum 279. quo Probi initia figit, eique annos imperii solidos quatuor assignat; ejus vero necem recitat A. 283. Caro & Carino Coss.

Certum est Probum annos solidos sex imperasse; nam diserte Julianus Augustus in Libello *de Cæsaribus* scribit Probum septimum annum attigisse. Exstat insigne epigramma apud Adamum Rupertum in *Observ. ad Synopsim Besoldianam* p. 388.

IMP. CAESARI. M. AVRELIO. PROBO. PIO. FEL. INVICTO. AVG. P. M. TRIB. POTESTATIS. VI. COS. IV. RESPVBLICA. TVCCINATORVM. DEVOTA. NVMINI. MAIESTATIQVE. EIVS

Juxta Baronii ac Panvini chronologiam, & quidem veram, anno Christianæ Epochæ 281. Probus IV. Consul cum Tiberiano fuit, quo anno in A Baronii opinione inivit Tribunitiam Potestatem III. juxta Panvini calculos V. Utriusque Scriptoris anachronismi ex laudata Inscriptione corriguntur. In Eusebiano Chronico legitur: *Secundo anno Probi, juxta Antiochenos* 325. *juxta Tyrios* 402. *&c. insana Manichæorum hæresis in commune humani generis malum exorta.* Æra Antiochena an. 48. Tyria 125. Dionysianam Epocham anticipant, qui si a datis numeris apud Eusebium detrahantur, erimus ad Annum 277. Recte S. Leo sermone 2. de Pentec. ait eandem hæresim emersisse *Probo Imp. Paulinoque Coss.* Hæc acute Scaliger notavit lib. 5. *de Emend. Temp.* p. 463. quæ B tamen neutiquam rem Baronio persuaserunt; conatur enim ad A. 277. eadem quibusdam interpretationibus infringere. Itaque luculentiora testimonia appello, quibus integra fides adhibenda est. In Cod. Just. lib. 8. t. 56. *de revoc. donat. l.* 2. legitur Rescriptum Probi Imperatoris ad Felicem, & subscribitur, *PP.* III. *Non. Maii Sirmii Probo Aug. & Paulino Coss.* Rursus lib. 2. tit. 17. *Ut nemini l.* 1. laudatur Rescriptum ejusdem Probi ad Octavium, & signatur, *Dat.* IV. *Kal. Julias Probo Aug.* II. *& Lupo Coss.* Ex duobus hisce Rescripti Baronii ac Panvini sententiæ evidenter refelluntur. Etenim ex eisdem con- C stat Probum ac Paulinum fuisse Consules ordinarios, quod Panvinus negavit. Rursus probatur Probum ac Lupum non fuisse Consules suffectos, quod Baronius putabat. Præterea ostenditur Probum imperasse A. 277. quo cum Paulino consulatum primum gessit, quod Baronius inficiabatur, scribens id temporis Aurelianum rei Romanæ præfuisse. Cum vero ante Probum Tacitus imperarit, ac novo anno Juliano consulatum cum Æmiliano inierit, patet ejusdem consulatum recte in Fastis immediate locari ante consulatum Probi Aug. & Paulini A. 276. ac proinde minus D recte Baronium eo Taciti Aug. consulatu notasse A. 279. Hæc primi omnium, absit dictis ambitio, observavimus, quæ eximie Fastos illustrant, & annos Probi, Taciti, atque Aureliani certissimis characteribus designant, ac tam evidenter disponunt, ut plane sperem, fore ut deinceps omnis de iisdem dubitatio tollatur.

Petavius lib. 11. *de Doct. Temp.* cap. 26. putat unum par Consulum in Fastis desiderari; unde ait: *Probum & Paulinum Onufrius, Baronius Probum & Lupum prætereunt. At quodnam par alterum Coss. in illorum Fastis desideretur, id vero difficile est conjicere. Nec in horum tantum duorum* E *tabulis, sed in ceteris unum aliquod par Consulum deesse videtur.* Postea: *Sed nihilominus par unum Consulum in Fastis vulgaribus inserendum arbitror, sive Imperatore Probo, sive alio quopiam, &c.* Verum inani suspicione Petavium duci certum est. Etenim si tantum Probus Aug. & Paulinus Onuphrianis Fastis addantur, nullum par alterum Coss. neque in Panvini nec in vulgaribus Fastis desideratur. Philippus Augustus Ludos Seculares celebravit anno Urbis millesimo exacto, ac primo supra millesimum ineunte. Hic autem annus V. M. ipsis Parilibus completus notatur Philippo Aug. III. & Philippo Aug. II. ut constat ex num- F mis, in quibus legitur, IMP. M. JUL. PHILIPPUS. AUG. & in postica, SÆCULARES AUGG. COS. III. Capitolinus in *Gordiano Juniori* cap. 33. scribit Philippum *millesimum ab Urbe condita annum in consulatu suo & filii sui celebrasse.* At Victor Schotti in libro *de Cæsaribus* cum dixisset A. V. millesimum celebratum a Philippo Augusto, ait: *Nostra quoque ætate post mille centesimus, Consule Philippo, excessit, nullis, uti solet, solemnibus frequentatus.* Annis Urbis M. C. evolutus Philippi ac Salliæ consulatu

notandus est, ut supra mille centesimus excessisse dicatur. Apud Panvinum duo illi Consules iniere magistratum A. V. millesimo ac centesimo, non quidem completo, sed Parilibus inchoato. Igitur unum tantum par Consulum, nempe Probi Aug. & Paulini, deficit in Fastis Onuphrii. In fragmento Bucherii legitur, *Philippo* III. *& Philippo* II. *B. Sat.* Nempe illum annum fuisse Bissextilem, ac Kalendas Januarias incidisse in diem Saturni. Est character A. V. M. ipsis Parilibus completi, & MI. inchoati, Christi Domini juxta vulgarem Epocham 248. Cyclo Solis v. Lunæ II. litt. BA. Porro ibidem ab utriusquePhilippi consulatu centesimum primum par Consulum, inclusis terminis, notatur, *Philippo & Salia B. Ven.* Est annus Urbis MC. ipsis Parilibus exactus, Christianæ Æræ 348. qui fuit Bissextilis, & Kalendæ Januariæ die Veneris contigere, Cyclo Solis XXI. Lunæ VII. litt. CB. Apud Panvinum centum tantum collegia Consulum ab utrisque Philippis Coss. ad Philippum & Saliam Coss. inclusive numerantur. Addatur consulatus Probi & Paulini, integer numerus constabit. Præterea Sextus Rufus in *Breviario* ad Valentinianum Augustum ab V. C. usque ad primum ejusdem Principis annum *numerantur*, inquit, *anni mille centum decem & septem*. Et recte; nam Valentinianus iniit imperium Joviano & Varroniano Coss. v. Kal. Martii ex Idatio. At scribit Ammianus de ejusdem inauguratione libro 26. *Nec videri die secundo, nec prodire in medium voluit, Bissextum vitans Februarii mensis tunc illucescens*. Est annus Epochæ vulgaris 364. qui fuit Bissextilis, Cyclo Solis IX. Lunæ IV. litt. DC. Itaque Annus 364. Æræ Christianæ concurrit cum A. V. 1117. Apud Panvinum A. V. 1116. primus Valentiniani annus statuitur. Ex his patet in Panvini Fastis unum tantum par Coss. desiderari, nempe Probum Aug. & Paulinum, quos fuisse ordinarios Consules ex Rescripto Probi manifeste monstrabam. Miror autem Panvinum scribere consulatum Probi ac Paulini omitti in libro *de Præfectis V.* edito a Cuspiniano, nam hic Scriptor ex eodem libello memoratos Consules laudat, ac iisdem Coss. Ovinium Pacatianum Præf. Urbis ponit, qui item legitur in eodem Anonymo iterum edito a Bucherio pag. 236. Idem Panvinus lib. 3. *Com. in Fastos* A. V. 1116. cum ex Ammiano notasset annum primum Valentiniani Senioris fuisse Bissextilem, annum etiam Urbis 1116. eundem esse certo sibi argumento probatum dicit. Nam Cæsar in suo consulatu IV. annos ob incuriam depravatos & plurimis diebus abundantes correxit, & ad cursum Solis emendavit, atque annorum Julianorum Epocham instituit. At si post eum annum, inquit, singulo quadriennio annum Bissextilem numerabis, invenies annum ab eo consulatu 408. Bissextilem omnino esse debere; cum autem annus primus Valentiniani sit CCCCVIII. a quarto Julii Cæsaris consulatu, reliquum est, ut omnis hæc annorum summa inter consulatum quartum Cæsaris & Valentiniani initia optime perfecteque digesta sit. Hæc vir doctissimus. Verum in eo lapsus est, quod Bissextiles ex anno primo Juliano deduxit, cum ex emendatione Bissextilium ab Augusto facta eosdem digerere debuisset. Etenim anno Juliano secundo occiso Cæsare, Sacerdotes in Bissextilibus decernendis statim errarunt, ita ut teste Solino cap. 2. *Per annos sex & triginta cum novem dies tantum sufficere debuisset, duodecim sint intercalati; quod deprehensum Augustus reformavit, jussitque annos duodecim sine intercalatione decurrere, ut tres illi dies, qui ultra novenarios temere fuerant intercalati, hoc modo possent repensari. Ex qua disciplina omnium postea temporum fundata ratio est*. Eadem tradit Macrobius l. 1. *Sat.* c. 16 Annus primus Julianus coincidit cum anno Urbis 709. Annus tricesimus sextus cum 744. Quo annorum spatio duodecies intercalatum fuit. Duodecim annis sequentibus ex decreto Augusti non fuit intercalatum, & sine Bissextilibus fuere; quare annus Julianus 48. Urbis 756. sine Bissextili fuit; qua ratione ex tribus quadrienniis sine intercalari tres illi dies compensati sunt. Ut vero postea intercalaretur, quatuor anni solidi debuere excurrere, ut ex quatuor quadrantibus integer dies colligeretur, ad Bissextilem restaurandum. Quare exacto anno Juliano 52. anno insequenti 53. Urbis 761. post Parilia, VI. Kal. Martias Bissextum ab Augusto restauratum est. Hic annus fuit Æræ Christianæ VIII. Cyclo Solis XVII. Lunæ IX. litt. AG. Addito autem consulatu ordinario Probi & Paulini, quem Panvinus inter suffectos perperam rejecerat, annus Dionysianus 364. Urbis 1117. evadit Bissextilis per quadriennia post reparatum ab Augusto Bissextilem, novem supra octoginta.

Calvisius in *Chronico* ad A. 364. scribit Panvinum ex supputatione illorum Bissextilium ab anno primo Juliano ad annum primum Valentiniani *gloriari de certitudine suorum Annalium. Sed pueriliter errare, & antiquum Pontificum errorem renovare.* Verum ipsum potius Calvisium errare mihi compertum est: nam testatur Solinus spatio sex ac triginta annorum Pontifices duodecimum Bissextilem decrevisse, cum tantum novies esset intercalandum. Et Macrobius laudatus ait: *Cum oporteret diem, qui ex quadrantibus confit, quarto quoque anno confecto, antequam quintus inciperet, intercalare; illi*, nempe Pontifices, *quarto non peracto, sed incipiente intercalabant. Hic error sex & triginta annis permansit, quibus annis intercalati sunt dies duodecim, cum debuerint intercalari novem*. Itaque ex errore Pontificum a primo usque ad tricesimum sextum annum Julianum duodecim Bissextiles acti sunt. At juxta Panvinum novem tantum Bissextiles spatio illorum 36. annorum fuere, nempe anno 4. 8. 12. &c. illa enim iteravit per solida quadriennia, quæ centum ac duo numerantur ab anno primo Juliano ad 410. qui coincidit cum primo Valentiniani Imperatoris, si semel cum Panvino consulatus Probi & Paulini ab ordinariis expungatur. Et quidem Bissextiles ex decreto Cæsaris in forma anni Juliani agendos fuisse anno 4. 8. 12. &c. uti dixit Panvinus, sentiunt viri doctissimi quos laudant, & sequuntur Petavius lib. 4. *de Doctr. Temp.* cap. 3. & Ricciolius libro 1. tomi prioris *Chron. Refor.* capite 22. Etiamsi Panvinus correctionem Augusti adnotasset, errorem quem in Fastis ob illud par Consulum expunctum admisit, corrigere non potuisset, imo suam inde supputationem confirmasset. Nam post annum Julianum 36. ex Solino ac Macrobio jussit Augustus annos 12. sine intercalatione decurrere, ut tres dies ex errore Pontificum admissi repensarentur. Itaque ultimus Bissextilis anni Juliani 48. qui annos duodecim sine intercalari terminabat, omissus fuit. Potuit autem Augustus Bissextilem reparare anno Juliano 52. V. C. 760. nam a VI. Kal. Martias A. 48. quæ erat dies omissi tertii Bissextilis, ad VI. Kal. Martias A. 52. quatuor anni solidi 365. dierum ac sex insuper horarum habentur, quæ quater repetitæ optime annum Julianum 52. Bissextilem constituebant; unde ex solidis quadrienniis octoginta & novem vicibus repetitis, erimus ad A. V. 1116. Julianum 410. & hunc Bissextilem juxta supputationem Panvini. Ast aliter ab Augusto decretum est.

Ex his patet nostrum Scriptorem ex actis ab anno Juliano primo usque ad primum Valentiniani ex Bissextilibus suorum Fastorum calculos minus recte probasse, neque a Calvisio ejusdem

ſupputationem ex diſpoſitione Biſſextilium a Julio Cæſare inſtituta,ſolide refutari. A poſteriori tantum, ut inquiunt, Faſtorum Panvini metachroniſmus in annis Urbis, poſt omiſſum conſulatum Probi ac Paulini, digerendis refelli poteſt. Id autem ex eclipſibus evidenter oſtenditur; illæ enim obſcuritates Luminarium nitidiſſimi characteres ſunt, quibus certiſſimus annorum ordo deſcribitur, & ex defectibus Planetarum omnis Faſtorum defectus emendatur. Scribit Dio lib. 60. A. V. 798. Vinicio Quartino II. & Statilio Corvino Coss. Kalendis Auguſti, die natali Claudii Imperatoris, eclipſim Solis contigiſſe, quam Claudius in publico programmate populo propoſuit, ne defectus ille die natalitio in malum omen ſibi ab ignava plebe verteretur. Aſtronomicæ Tabulæ exhibent illam eclipſim eodem A. V. 798. Kal. Auguſti H. 10. poſt mediam noctem, Sole in 6. gradu Leonis. Si a primo anno Biſſextili Valentiniani, Cyclo Solis IX. litt. DC. per annos 318. regrediaris, eris ad Cyclum Solis 27. litt. B. Claudio Romæ imperante. At eo anno Kalendæ Auguſti inciderunt in diem Lunæ, qua nulla ex Tabulis Aſtronomicis eclipſis contigit. Itaque Valentiniani initium anno Biſſextili 364 non contigit anno Urbis 1116. ut dicebat Panvinus. At ſi ab anno Valentiniani primo per annos 319. regrediaris, eris ad Cyclum Solis 26. Lunæ VIII. litt. C. quo anno Kalendis Auguſti, die Solis, contigit eclipſis Dioni memorata, & in Tabulis Aſtronomicis oſtenſa. Igitur anno Urbis 798.quo contigit eclipſis, adde annos 319. habebis A. V. 1117. atque hic erit primus Valentiniani. Ex his patet Panvinum unius anni metachroniſmum in annis ab Urbe condita digerendis peccare. Inſeratur ejuſdem Faſtis collegium Probi Auguſti & Paulini Coss. A. V. 1030. noſtræ Epochæ 277. anni omiſſi labes reparatur; nec video quodnam aliud par Conſulum in ejuſdem Faſtis a Petavio deſiderari poſſit, *ſive*, ut ipſe ait, *Imperatore Probo, ſive alio quopiam, quod nominatim concipere, propter Conſulum in illis depravata vocabula, minime poſſumus*. Nam ex recitata eclipſi, cujus certa dies a Dione deſcribitur, & ex aliis paſſim, quas ipſe Petavius lib. 8. aliique vulgo referunt, unum par tantum Conſulum ab anno primo Juliano ad 409. deſideratur; eſſe vero Probum ac Paulinum, ex ipſius Probi Imperatoris Reſcripto probatum eſt, cui veritati omnes Faſti veteres ſuffragantur. Cum vero ex Ammiano annus Julianus 409. V. C. 1117. Chriſti 364. fuerit Biſſextilis, per quadriennia ſolida 89. retrocedentes, habebimus Biſſextilem ab Auguſto reſtauratum A. Juliano 53. Urbis 761. Chriſti 8. Cyclo Solis IX. litt. AG. non vero anno ſuperiori, quamvis, uti oſtenſum fuit, poterit eo ipſo intercalari. Cur vero ab hoc in alterum annum Biſſextilis ab Auguſto dilatus fuerit, non incongrue tradit Ricciolius laudatus num. 10. Hactenus pro reſtaurandis Faſtis atque annis imperii Probi.

Baronius cum annos ſeptem imperii Aureliano tribuiſſet, quo in quartum annum imperium Probi prorogaret, atque in anguſtum ab Æra Diocletiani anno Dionyſiano 284. ex certiſſimis notis ſibi probe collocanda, redigeretur, coactus eſt mortem Probi atque initium Cari recitare ad A. 283. Idatius eodem anno apud Sirmium Probum occiſum refert, Caro II. & Carino Coss. Cum hic Taciti mortem Probo ac Paulino Coss. recitaſſet, in anno pariter obitus Probi deſignando aberravit. Vopiſcus in *Caro* c. 5. teſtatur, interfecto Probo, a militibus Carum Imperatorem renunciatum. Hujus inaugurationem contigiſſe A. 282. ex inſigni Inſcriptione demonſtravi in *Diſſert.* priori *de Nummo Diocletiani* c. 1. Extat Lib. 7. Cod. Juſt. *L.* 5. *quando provocare*, Reſcriptum Cari Imperatoris *Dat. Idibus Januariis Caro & Carino Coss.* Itaque initio Anni 283. Carus imperabat, ac proinde anno ſuperiori imperium iniit. Hucuſque in *Annalibus* initia Romanorum Principum, vel eorundem obitus, uno Claudio dempto, ſub alienis plane Conſulibus a Decio uſque ad Carum recitantur; cum tamen Panvinus ne ſemel quidem in his aberraverit. Et quidem Baronius, cum dixiſſet a quibuſdam (Panvinus in margine notatur) initia imperii Decii ſtatui Æmiliano & Aquilino Coss. eoſdem hiſce perſtringit: *Cum conſulatus ſubducant e Faſtis, ordine temporum ſemper confuſo, diverſis ſe alioſque implicant labyrinthis*. Hæc ille ad A. 251. Optime tamen Panvinus imperantis Decii primordia alligat A. V. 1002. nam *L.* 2. *de hæred. action.* laudatur Reſcriptum Decii Imperatoris *PP.* XIV. *Kal. Novembris Æmiliano & Aquilino Coss.* Hinc ipſe inſignis Scriptor, ordine temporum ſemel confuſo, ut ejuſdem verba reddam, tres conſulatus e Faſtis ſubducit, annos imperii Principum, qui id temporis regnarunt, pro arbitrio auget, minuit, ac una ſimul confundit; etenim Philippis ac Decio unum, Gallo & Voluſiano una cum Valeriano ac Gallieno duos imperii annos communes facit: Aureliano biennium donat, quod poſtea annis Probi demit. Hoſce omnes anachroniſmos ex lapidum ac nummorum inſcriptionibus, ipſis Auguſtorum Reſcriptis, antiquorum Faſtorum fragmentis, ac denique Cyclorum præſidio, nempe cœleſtibus characteribus, emendavi.

Æra Diocletiani initium auſpicatur Anno Nabonaſſari ab ante diem 13. Junii 1032. Urbis 1037. Juliano 329. Epochæ Chriſtianæ 284. quo anno Diocletianus XV. Kal. Octobris apud Chalcedonem ab exercitu Imperator ſalutatus, purpuram induit, uti fuſius in *Diſſertatione* priori cap. 1 oſtenſum eſt. Ejuſdem ac Maximiani collegæ Decennalia laudat Euſebius lib. 8. c. 17. Hæc autem decimo imperii anno exacto celebrata, colligo tum ex inolita conſuetudine, tum etiam ex Panegyrico die natali Maximiani recitato, in quo Orator ait: *Gaudeo igitur (ſi fas eſt confiteri) dilatam eſſe illam cupiditatem meam; neque enim Orationis ejus, quam compoſueram, facio jacturam, ſed eam reſervo, ut quinquennio rurſus exacto Decennalibus tuis dicam; quoniam quidem luſtris omnibus prædicandis communis Oratio eſt*. Si alterum quinquennium exactum laudat, Decennalia anno decimo evoluto agenda erant. Ceterum utrumque Auguſtum Vicennalia præter ſtatum tempus ſolviſſe ex eruditiſſimi Patini nummo atque Euſebio indicavi in *Diſſert. de Numiſmate Diocletiani* c. 2. Hæc Vicennalia vota ſoluta ſunt A. D. 303 V. C. 1056. a primis Decennalibus ab Auguſto celebratis 329. Ex his, quæ fuſius digeſſi, patet Licinium omnium Auguſtorum primum Decennalium ſolutionem anticipaſſe, cujus rei cauſam rationemque in proxima *Diſſertatione* explicatam, iterum cum Lectorum moleſtia non vacat repetere. Non eſt animus Decennalia Principum, qui poſt Conſtantinum Romanum imperium moderati ſunt, in litteras mittere; cum eadem & plurima eorundem Numiſmata, & Idatii ac Marcellini Faſti deſignent, ut de anno illorum ſolemnium dubitare nemo poſſit.

Hoc de Votis Decennalibus, ut Velleii verbis utar, *voto finiendum volumen ſit*. Te immortale Numen, voſque Etruriæ præſides ac cuſtodes Divos precor ac poſco, ut Sereniſſimo Magno Duci COSMO III. plura quam Auguſto DECENNIA ſolvantur. *Non pacem, non concordiam; non ſecuritatem, non opes oramus, non honores: ſimplex cunctis iſta complexum unum omnium votum eſt, ſalus* PRINCIPIS. Hoc ſane votum omnibus gentibus, cunctis homi-

num ordinibus, sed præcipue bonarum artium Professoribus concipiendum est, cum illum jam pridem Musarum præsidium senserint, ac modo præsentissimum Litteratorum Numen adorent. Etenim cum Princeps juventutis remotas quasque gentes regii vultus serenitate beaturus, Europam lustraret, Gymnasia, Academias, atque omne litterarum secretum rimabatur, angustos umbraticorum hominum lares augustus hospes implebat: doctorumque hominum laureis verendæ majestatis fasces submittebat, ita ut non exterarum gentium mores, non nobilissimarum urbium miracula, non potentissimorum Regum opes spectaturus; sed Academiarum frequentiam, Bibliothecarum apparatum, ac eruditorum hominum vultus visurus, advenisse videretur. Inde suam in Etruriam redux, naves ingenti voluminum pondere, hoc est, litterariis manubiis, Musarum spoliis, doctaque Gaza onustas, in patrios Portus summisit. Dein magno Genitore suo inter sydera recepto, in ipsis augustæ dominationis auspiciis, non antiquarum urbium mœnia, non arcium propugnacula, non armamentaria, non classem reparandam jussit, sed Laurentianam Bibliothecam, avitum illud ac copiosissimum Latiæ Græcæque sapientiæ thesaurum, regio ornatu illustrandam injunxit, eamque in tanta mole fortunæ primam initi imperii curam posuit. Et quamvis amplissimæ ac felicissimæ ditionis habenas moderetur, non equestria certamina, non theatrales ludi, non frequentatæ venationes, quibus inter lascivientis fortunæ illecebras Principes indulgere solent, breves eidem non dicam dies, sed horas suffurantur; nam omni regiarum voluptatum aditu sibi studiose intercluso, post pia eaque longa Christianæ Religionis officia, sanctiori mente, ac suo Numine jam plenus, secundas legendis voluminibus horas impertit, ut cum ipsa pietate ac litteris imperium plane partiri velle videatur. Probe enim intelligit nobilius esse, pietatis ac sapientiæ famam, quam imperii fines extendere. Hinc tanta ejusdem erga doctæ Palladis alumnos propensio, tam liberalis, tam inexhausta, & suum, id est, regium in mortem * effusa munificentia. Haud enim patitur illos intra privatos ac pauperes lares servientium gregi immixtos latere, sed eosdem vel sacris apicibus dignatus, multa in luce collocat: vel honorariis diplomatis compellatos, ac ditissimis congiariis allectos, in Pisanum Athenæum, celeberrimum sapientiæ in Etruria emporium, regia manu deducit, eisque lætiora fata dispensat, ut pene invidia mordeantur, qui procul eorumdem fortunam inaudiunt. Hunc Principum Optimum eundemque doctissimum ingenuarum artium Professoribus diu Superi commodent; sera & pronepotibus tantum nota dies cœlo afferat, & uti Divos decessores suos virtutum ac litterarum gloria, ita imperii quoque diuturnitate superet; quot enim pro ejusdem incolumitate VOTA DECENNALIA iterabimus, totidem Reipublicæ litterariæ securitatis ac felicitatis sæcula nuncupabimus.

* Vocem hanc depravatam esse nemo non videt: an leg. *mortem*, vel *morem*?

FINIS.

POGGII FLORENTINI

DE

FORTUNÆ VARIETATE

URBIS ROMÆ,

ET DE RUINA EJUSDEM,

DESCRIPTIO.

POGGII FLORENTINI


DE

FORTUNÆ VARIETATE

URBIS ROMÆ,

ET DE RUINA EJUSDEM,

DESCRIPTIO.



UPER cum Pontifex Martinus paulo antequam diem suum obiret, ab Urbe in agrum Tusculanum secessit valetudinis causa, nos autem essemus negociis curisque publicis vacui, visebamus sæpe deserta Urbis. Antonius Luscus vir clarissimus egoque admirantes animo veterum collapsorum ædificiorum magnitudinem, & vastæ Urbis antiquæ ruinas, cum ob tanti Imperii ingentem stragem, tum stupendam profecto ac deplorandam fortunæ varietatem; cum autem conscendissemus aliquando Capitolinum Collem, Antonius obequitando paululum fessus cum quietem appeteret, descendentes ex equis, consedimus in ipsis Tarpejæ Arcis ruinis, pone ingens portæ cujusdam marmoreum limen, plurimasque passim confractas columnas, unde magna ex parte prospectus Urbis patet. Hic Antonius cum aliquantum huc & illuc oculos circumtulisset, suspirans, stupentique similis, O quantum, inquit, Poggi, hæc Capitolia ab illis distant quæ noster Maro cecinit! *

Aurea nunc, olim sylvestribus horrida dumis,

Ut quod is versus merito posset converti, Aurea quondam, nunc squalida, spinetis vepribusque referta. Venit in mentem *Maronis* illius Æneas, per quem olim Urbis imperium stetit, quem pulsum patria, profugum atque egentem, cum in Africam appulisset, supra Carthaginis ruinas insedisse ferunt, admirantem suam & Carthaginis vicem, simulque fortunam utriusque conferentem, addubitantemque utrius fortunæ majus spectaculum exstitisset. Ego vero immensam hujus Urbis stragem nulli alteri possum conferre, ita cæterarum omnium vel quas natura tulit, vel quas hominum manus conflavit, hæc una exsuperat calamitatem. Evolvas licet historias omnes, omnia scripturarum monumenta pertractes, omnes

A gestarum rerum annales scruteris, nulla unquam exempla mutationis suæ majora fortuna protulit, quam Urbem Romanam pulcherrimam olim ac magnificentissimam omnium, quæ aut fuere, aut futuræ sint. Et quidam doctissimus Græcus Auctor, cum ad amicum suum scriberet, Romam videre cupientem, non urbem, sed quandam quasi cœli partem appellat eam. Quo magis dictu admirabile est & acerbum adspectu, adeo speciem formamque ipsius immutasse fortunæ crudelitatem, ut nunc omni decore nudata, prostrata jaceat instar Gigantei cadaveris corrupti atque undique exesi. Deflendum quippe est hanc Urbem, tot

B quondam illustrium Virorum atque Imperatorum fœtam, tot Ducum, tot Principum excellentissimorum altricem, tot tantarumque virtutum parentem, tot bonarum artium procreatricem, ex qua rei militaris disciplina, morum sanctimonia, & vitæ legum sanctiones, virtutum omnium exempla, & bene vivendi ratio defluxerunt, quondam rerum dominam, nunc fortunæ ludibrium omnia vertentis in iniquitatem, non solum imperio majestateque sua spoliatam, sed addictam vilissimæ servituti, deformem, abjectam, sola ruina præteritam dignitatem ac magnitudinem ostentantem.

C Missa faciamus ablatum imperium, distracta regna, Provincias amissas, in quibus dandis atque auferendis prope jure suo fortuna principatum exercet: illud majorem in modum lugendum videtur, libidinem ejus intra Urbis mœnia grassatam, adeo in illa diruenda atque evertenda funditus sævisse, ut si quis reviviscat ex priscis illis antiquæ Urbis civibus, alios homines intueri, aliam se longe urbem incolere asseveret; ita ejus specie & ipso solo subversis, ut nihil fere recognoscat,

D quod priorem urbem repræsentet. Et quidem commutantur regna, transferuntur imperia, desciscunt nationes, populi. Varia est enim mens hominum semper nova appetentium; ad fortunæ nutum commovetur, ut haud insuetum videatur, hanc illius arbitrio parere. At vero ædificia hæc Urbis, tum publica, tum privata, quæ cum ipsa immortalitate certatura, partim penitus exstincta, partim collapsa atque eversa, relictis admodum paucis quæ priscam magnitudinem servent, supra fortunæ vires esse credebantur. Stupenda

* Æneid. lib.8. ℣. 348.

quippe vis est ac varietas fortunæ quæ etiam ipsas ædificiorum moles, quas extra fatum illarum conditores existimabant, funditus demolita, nihil fere ex cunctis rebus reliqui fecit. Quid enim majus Orbis vidit unquam, quam tot ædificia Urbis, templa, porticus, thermas, theatra, aquæductus, portus manufactos, palatia fato suo absumta, & ex tanta rerum magnificarum copia nihil aut parum ferme superesse? Tum ego: Merito, inquam, admiraris, Antoni, fortunæ injuriam in hac urbium parente tam fœde vexando excitatam, quam ipse quotidie inspiciendi causa perlustrans non mirari solum, sed etiam queri cogor, nihil fere integrum, paucas admodum reliquias ex prisca illa Urbe, & eas semesas ac corruptas apparere. Nam ex publicis aut privatis operibus liberæ quondam Civitatis interrupta quædam & ea parva vestigia visuntur.

Exstant in Capitolio fornices duplici ordine, novis inserti ædificiis, publici nunc salis receptaculum, in quibus sculptum est litteris vetustissimis, atque admodum humore salis exesis:

Q. LVTATIVM Q. F. ET Q. CATVLVM COSS. SVBSTRVCTIONEM ET TABVLARIVM DE SVO FACIVNDVM CVRAVISSE, OPVS IPSA VETVSTATE VENERANDVM.

Sepulchrum quoque Capitolium juxta C. Publicio, quo ipse posterique ejus inferrentur, virtutis honorisque causa Senatusconsulto jussuque Populi datum.

Item Pons supra Tyberim, quo itur in Insulam vetustissimi operis, quem L. Fabricium C. F. Curatorem viarum faciendum curasse epigramma testatur; & M. Lepidum M. F. M. Lollium M. F. Coss. approbasse.

Arcus insuper supra viam inter Aventinum Montem, ex lapide Tiburtino, quem ex litteris incisis constat P. Lentulum Scipionem, & T. Quintium Crispinum, ex S. C. faciendum curasse atque approbavisse.

Sunt & monumenta quædam scripta, quæ hodie *Cimbron* appellant: Templum ex manubiis Cimbricis a C. Mario factum: in quo adhuc ejus trophæa conspiciuntur.

Adjiciunt & Pyramidem prope Portam Ostiensem mœnibus Urbis insertam, nobile sepulchrum * C. Cestii septemviri Epulonum quod *opus ex testamento Pont. Cla. Melæ diebus* CCCXXX. *perfectum* litteræ in eo incisæ ferunt. Quo magis miror integro adhuc epigrammate doctissimum virum F. Petrarcham in quadam epistola sua scribere id esse sepulchrum Remi. Credo secutum vulgi opinionem, non magni fecisse epigramma perquirere fruticetis contectum In quo legendo qui postmodum secuti sunt, minore cum doctrina majorem diligentiam præbuerunt. In quo laudo, inquit Antonius, curam & diligentiam tuam, Poggi, qui ista tum publicorum, tum privatorum operum epigrammata intra Urbem & foris quoque multis in locis conquisita, atque in parvum volumen coacta, litterarum studiosis legenda tradidisti. Utcunque id cæteri accipiunt, inquam, ad utilitatem certe communem diligenter omnia, nonnulla vero inter virgulta & rubos latentia, ex tenebris eruta, ut aliis paterent, ad verbum integra expressi, ut si (quod persæpe vidimus) ea Romani everterint, saltem titulorum exstet memoria. Hæc sola igitur ex tam multis nondum servitute oppressæ Civitatis ornamentis fortunæ incuria ad nostram ætatem usque perdurant. Quid loquar de sequentium temporum, in quæ similis clades pervasit, ædificiorum magnificentia? plurima & præstantissima memorantur, per varios Imperatores, privatosque tunc Civitatis principes sumtu constructa, tum ad publicum, tum ad privatum usum. Gloriari solitus erat divus Augustus, Urbem se marmoream reddere, quam lateritiam accepisset. Cujus suasu cum gener Agrippa, Asinius Pollio, Plautius, Cornelius Balbus, reliquique amici eam variis operibus exornassent, præter Pantheum cum porticu, cujus tectum trabes & tigna ærea pro lignis habet, M. Aggrippæ opus insigne, & fornicem ex Tiburtino lapide nunc conspicuum inter Palatium & Tyberim, in quo divi Augusti nomen est insculptum, cætera demolientis fortunæ sævitiam subierunt. Erat Civitas referta templis, delubris, ædibus deorum dearumque, quos cives superstitioni dediti colebant. Ex his paucorum vestigia supersunt.

Templi Pacis conspicui, quondam a divo Vespasiano constructi, tres tantum arcus super ingentem reliquorum, qui sex erant, ruinam eminent ferme integri: ex pluribus vero miræ magnitudinis unam tantum stare vides marmoream columnam, reliquis tum disjectis, tum inter templi ruinas sepultis.

Erat penes Capitolium, versus Romuli templum, cujus pars muri vetustissima quadrato lapide nunc quoque mirandam speciem sui præbet, hodie Cosmæ & Damiano Martyribus consecratum.

Huic proximum fuit divi Antonini divæque Faustinæ templum, nunc beato Laurentio deditatum; cujus porticus plurimæ marmoreæ columnæ ruinam effugerunt.

Castoris insuper & Pollucis ædes contiguæ loco edito in Via sacra, altera Orientem, altera Occidentem versus, hodie Mariam novam appellant. Inclytus quondam cogendi Senatus locus, cujus majori ex parte collapsi parva vestigia supersunt: in quem me sæpissime confero, revocans stupore quodam oppressum animum ad ea tempora, cum ibi oratoriæ sententiæ dicebantur, & aut L. Crassum mihi, aut Hortensium, aut Ciceronem orantem proponens.

Erat deæ Vestæ templum juxta Tyberis ripam, ad initium Montis Aventini, rotundum ac patens, undique nullo muro, frequentibus tantum columnis suffultum. Id posteri Martyri Stephano dedicarunt.

Ædis Minervæ portio conspicitur, ubi nunc Domus est Prædicatorum, unde & loco Minervæ est inditum nomen. Juxta eam porticus ingens ruderibus oppressa, quam nunc ad saxa in usum calcis perquirenda effossa humo, multis prostratis ad terram columnis, conspexi.

Prope porticum Minervæ statua est recubantis, cujus caput integra effigie, tantæque magnitudinis, ut signa omnia Urbis excedat. Quidam ad placandas arbores faciens scrobes detexit. Ad hoc viscendum cum plures in dies magis concurrerent, strepitum adeuntium fastidiumque pertæsus horti patronus congesta humo illud texit.

* De quo vid. clariss. Octav. Falconerii Dissertatio, Tom. IV. *Antiq. Roman.* p. 1461.

Capitolio contigua Forum verſus ſupereſt A porticus ædis Concordiæ, quam, cum primum ad Urbem acceſſi, vidi ferme integram opere marmoreo admodum ſpecioſo. Romani poſtmodum ad calcem ædem totam & porticus partem disjectis columnis ſunt demoliti. In porticu adhuc litteræ ſunt S. P. Q. R. incendio conſumtam reſtituiſſe. Ex adverſo ædes erat Telluris, cujus nulla exſtant veſtigia; Salvatorem *in tellumine* hodie vocant, pro tellure *tellumen* corrupto vocabulo dicentes.

Placet quibuſdam, neque abeſt a veri conjectura, fuiſſe Saturni templum juxta Forum: Priſci ærarium vocabant; nunc Adriano Pontifici B ſacratum.

Stat ad hanc diem nobis porticus ædes Mercurii; eam religio noſtra ad Angelum Michaelem tranſtulit, ubi nunc eſt piſcatorium Forum.

Templum Apollinis in Vaticano juxta Baſilicam beati Petri tranſlatum, in Dei cultum ſervavit religio noſtra.

Cernitur in radicibus Tarpejæ, ad Aventinum verſus, ædes vetuſtiſſima, unica teſtudine, ex lapide Tiburtino, quam noſtri ſanctum Michaelem in ſtatera appellant, quod nonnullos movet ut id exiſtiment Jovis Templum fuiſſe, C motos verbi ſimilitudine. Quod procul a vero abeſt: nam in radicibus Palatini Montis id Templum poſitum atque ædificatum Livius refert.

Junonis Lucinæ ædis nihil præter nominis memoriam conſervatum eſt, ubi Eccleſiam ædificarunt noſtri Laurentio Martyri, quam Lucinam cognominarunt.

Thermas publicas ſeptem fuiſſe accepimus lavacra plebis, quæ ita a priori facie commutatæ ſunt, omnique decore exutæ, olim communi uſui deputatæ, Diocletiani, & item Severi Antonini D, ſervato ad hanc diem conditorum nomine. Permaxima veſtigia & cæteris incorruptiora majorem in modum adſpicientes movent, non ſine admiratione quadam, quid ſibi voluerit ad tam vilem uſum tanta ædificiorum moles, tot tantarumque columnarum, tam varii generis marmorum apparatus.

Conſtantinæ in Colle Quirinali ſitæ reliquias ſuas haud pares ſuperioribus oſtendunt. Conſtantini id eſſe opus teſtimonio epigramma eſt, in quo patronum Perpennam Urbis Præfectum illas reparaſſe legimus.

Alexandri Severi Thermas ſcimus fuiſſe prope M Agrippæ Pantheum E, quarum plura exſtant & præclara veſtigia.

Domitianas (quarum perpauca rudera conſpiciuntur) fuiſſe in his locis ubi nunc Sylveſtri Eccleſia, ſcriptum in vita Pontificum adverti. Reliquarum obſcura oblivio nihil nobis certi reliquit, ne ad conjecturam quidem, quibus in locis, adeo ætas longinqua nomen obliterat, quamvis tanta impenſa, tanto robore ædificatæ. Legiſſe memini in Martyrum libris, cum a Diocletiano fabricarentur, qui fuit fidei noſtræ hoſtis acerrimus, centum & quadraginta Chriſtianorum millia ad id opus pluribus annis in F modum ſervitii addicta.

Arcus triumphales quot fuerunt numero nequaquam memoriæ proditum eſt, ſed pro multitudine Imperatorum cæterorumque, ad quorum gloriam conſtituebantur, plurimos fuiſſe crediderim. Exſtant ſalvis titulis Septimii Severi, Titi Veſpaſiani, Conſtantinique fere integri, pars Nervæ, Trajani quædam præcipui operis reſidet juxta Comitium, in quo ſculptæ litteræ Trajani arcum fuiſſe dicunt. Duo inſuper Via Flaminia, titulo in altero penitus deleto, in altero corrupto, quorum eum, qui eſt prope Laurentium in Lucina, ubi plura ſigna marmorea inſunt, vulgo ob victoriam trium civitatum, prout antiquum epigramma ſeniores ſe legiſſe referebant, *Triopolim* hodie quoque arcum appellant. Alterius nomen (perpaucæ enim litteræ ſuperexſtant, & antiquæ cælaturæ tabulæ quædam e marmore, quas ſæpe miror inſaniam demolientium effugiſſe) antiquitas penitus abolevit. Eſt alter præterea Gallieno Principi dicatus, ut ſupraſcriptio indicat, Via Numentana. Legi quoque titulum ejus arcus, quem devictis Judæis & Hieroſolymis deletis, Veſpaſiano in Circo Maximo, ubi nunc horti ſunt, Gentilitas dicavit.

Ductus aquarum novem fuiſſe refert Julius Frontinus, (cujus Libellum ipſe paullo ante repperi abſconſum abditumque in Monaſterio Caſſinenſi) Appiam, Anienem veterem, Martiam, Juliam, Virginem, Alſietinam, Claudiam, Anienem novum, adeo ſumtuoſa opera & ſtructura mirabili, ut idem Julius, qui ab divo Nerva Curatorem aquarum ſe factum oſtendit, Ægypti Pyramidibus cenſeat æquanda. Anio novus a miliario LXII. Claudia ultra miliarium XLIV. Martia a miliario XXXVI. & etiam opere arcuato partim exciſis, partim effoſſis. Quæ intercedebant montibus in Urbem deducebantur. Sola ex his Virgo in Urbem fluit; quæ a miliario VIII. concipitur. Cæteræ intermiſſæ collapſæque ſunt, nonnullis ſolo æquatis, amiſſaque non ſolum forma, ſed etiam dignoſcendi conjectura.

Videntur reliquiæ omnium magnificentiſſimi Aquæductus, qui a divo Claudio in Urbem ad Cœlium Montem uſque perductus eſt, unde & cœli montem nominabant. Et L. Septimio Severo, & M. Aurelio Antonino Pio, cum vetuſtate collapſus & corruptus plurifariam eſſet, a Sala reſtitutus, ut refert ſculptum in marmorea tabula epigramma.

Theatris & Amphitheatris Urbs referta erat ad ludos populo edendos: ingens pulcherrimumque omnium fuiſſe dicunt, quod media fere Urbe ex lapide Tiburtino opus Veſpaſiani, Coliſeum vulgo appellatum, atque ob ſtultitiam Romanorum majori ex parte ad calcem deletum. Alterius portio eſt inter Tarpejum Collem Tyberimque, ubi ad præſens macellum patet, quod olim C. Julium Cæſarem deſtinaſſe ſcribunt. Ex adverſo via intermedia plures ſunt columnæ marmoreæ. Pars porticus Templi ut ajunt Jovis, cujus portio rotunda, novis ædificiis, interius vero hortulis occupatur. Tertium ex latere quadrato juxta Eccleſiam quam Hieruſalem appellant, his novis inſitum mœniis, partem efficit ambitus murorum Urbis.

Eſt & locus ingens plebis receptaculum, hodie agonem appellant, ad venationem ac ſpectacula editus. In quo & quique Romani hodie quotannis ludos licet inſulſos quoſdam exercent.

Sepulcra tum Imperatorum, tum civium, miro opere permulta hiſtoriæ tradunt. Mauſoleum a divo Auguſto, in quo conditus fuit, inter Flaminiam & Tyberis ripam conſtructum, duobuſque ornatum obeliſcis. Divi Adriani ac livæ Sabinæ molem inprimis conſpicuam, juxta Pontem, quam ſuo quoque nomini dicavit.

Alterum disjectum vineis occupatur, licet locus in morem collis editus, conditorum (Augusta enim appellatur) nomen servet; Alterum, quod Castrum sancti Angeli vulgo dicunt, magna ex parte Romanorum injuria, licet adhuc titulus supra portam exstet integer, disturbavit; quod certe funditus evertissent, (id enim publice decreverant) si eorum manibus pervia absumtis grandibus saxis reliqua moles exstitisset.

A

Trajani & item Antonini Pii de cœlo tacta cochleæ columnæ marmore speciosæ sepulchra, in quibus conditorum gesta sculpta sunt, multos magnitudine sua ad spectaculum trahunt. Prius ex parte titulum servat; alterius nullæ resident litteræ.

Juxta Viam Appiam ad secundum lapidem integrum vidi sepulchrum Q. Cæciliæ Metellæ, opus egregium, & id tot seculis intactum, ad calcem postea majore ex parte exterminatum.

Illud quoque Via Ostiensi a secundo miliario juxta Tyberim adhuc itegrum manet M. Antonii Antii Lupi, cum inscriptione egregia rerum ab se gestarum, quod tribus tantum prægrandibus saxis, altero super alterum, con stat.

F I N I S.



FELICIS CONTELORII,

PROTONOTARII APOSTOLICI,

DE

PRÆFECTO URBIS

LIBER.

THADDÆO
BARBERINO,
ERETI DUCI, PRÆNESTÆ PRINCIPI, S.R.E. CAPITANEO GENERALI, ET ALMÆ URBIS
PRÆFECTO,
FELIX CONTELORIUS
Felicitatem.



GRATULOR Urbi Orbis principi, quia te gaudens agnoſcit, & colit Præfectum inſigni munere URBANI VIII. patrui tui, quem divinitus Eccleſiæ præpoſitum, ſupremumque ſuum Dominum ſuſpicit & veneratur. Gratulor tibi quod eximiarum virtutum, quas tam luculenter exprompſiſti, tibi delatum ſit aliquod præmium. Verum ut in hac gratulatione gratus etiam aliquantiſper eſſe videar, offero Librum *de Præfectura*, quem non tam e ſingularibus Pauli atque Ulpiani Libris, qui fere interciderunt, quam e vetuſtis Ritualibus, & optimæ fidei probatiſſimæque notæ Diariis concinnatum tibi uni reſervavi. Hunc igitur libenter, & comiter ut excipias ſupplex rogo; id enim ſi conſequar, erit quod mihi gratuler, & alacrius orare pergam æternum Numen, ut ſoſpite ſemper URBANO Pont. Max. Principeque optimo proſperioribus te ſucceſſibus in dies adaugeat & fortunet.

Auctores manuſcripti inediti ex Bibliotheca & Archivio Vaticano in Opuſculo citati.

Liber Ritualis, ſive Ordo Romanus in Codice Cencii Camerarii de Cenſibus Eccleſiæ Romanæ.
Liber Politici Benedicti Presbyteri Canonici S. Petri, ad Guidonem de Caſtello tit. S. Marci Presb. S. R. E. Card. poſtea Celeſtinum II.
Alius liber Ritualis num. 4734.
Alius ſcriptus Martino V. & Calixto III. Pontif.
Cæremoniale Paridis de Graſſis Magiſtri Cærem.
Regiſtrum Bullarum & Brevium Summ. Pont.
Inſtrumenta ex Archivio Vat. & Monaſterio SS. Andreæ & Gregorii ad Clivum Scauri, & alia.
Pandulphus Oſtiarius in Vita Gelaſii II.
Boſo S. R. E. Presb. Card. in Vita Adriani IV.
Auctor Vitæ Paſchalis II. Gregorii VII. Innocentii II. Innocentii III. & Gregorii IX.
Regiſtrum B. Mariæ Farfenſis.
Hugo Abbas in Hiſtoria ejuſdem Monaſterii.
Romualdus Archiepiſc. Salernitanus in Chronico.
Diarium Rerum Florentinarum ab Anno 1406. ad 1439.
Diarium Pauli Lelli Petroni.
Diarium Jacobi Volaterrani Sixto IV. Pontif.
Diarium, ſeu Cæremoniale Joannis Burcardi a Sixto IV. ad Julium II.
Paridis de Graſſis a Julio II. ad Leonem X.
Blaſii de Cæſena Clemente VII. & Paulo III. Pont.
Angeli Epiſcopi Theleſini Paulo IV. Pont.
Ordo Romanus vetuſtus.
Petri Burgenſis Cæremoniale in Sacriſtia Pontificia.
Liber Civitatis Corneti, qui inſcribitur Margarita.

SUMMARIUM CAPITUM.

C A P. I.

De Urbanæ Præfecturæ Origine & Antiquitate.

Præfecturæ Urbanæ origo & antiquitas, num. 1.
Auguſtus Imperator Præfecturam auxit, num. 2.
Alexander Severus Præfectos a Senatu accepit, num. 3.
Præfecti ſub Gothorum Regibus, num. 4. *& capult. ad Annum* 410. *Sub Longobardorum Regibus*, num. 5. *& ad Annum* 568. *& deleto Longobardorum Regno*, num. 6. *& ad Ann.* 800.
Petrus Præf. Urb. jurat fidelitatem Innocentio Tertio, num. 7.

C A P. II.

De Urbis Præfecti Indumentis, & Ritu, quo creari ſolet.

Caligæ, ſeu Zanchæ, num. 8.
Tunica Dalmatica, ſeu Tunicella, Senatoria, aut aurifrigiata, num. 9.
Chlamys, ſeu Mantum, vel Pallium, vel Pluviale, num. 10.
Pileum, Tiara, Infulæ, ſeu Corona, & varia ejus forma, num. 11.
Ritus, quo Præfectus creatur, num. 12.
Recipitur ad oſculum oris, num. 13. 99.
Publice epulo excipitur a Pontifice, num. 15.

C A P. III.

De Præfecti Officio.

Præfectus Pontificem nullo intermedio comitatur etiamſi adſint Reges, num. 16. *& quoties comitatur, toties ſtipendia recipit*, num. 17.
Roſa donatur a Pontifice, num. 18.
Julium Secundum Bononiam ingredientem poſt Oratores comitatur, num. 19.
Fimbrias poſteriores Pontifici attollit, num. 20. & 14
Umbellam ſupra caput Pontificis primo loco geſtat, num. 21.
Stapedem Pontifici tenet, num. 22.
Equum freno deducit, ibidem.
Principes aliquot, qui Pontificem adextraverunt, num. 23.
Delatio Imaginis Sanctiſſimi Salvatoris, & Præfecti munus, num. 24.
E *Die feſto Sancti Andreæ in Vaticano faces ſuppeditat, & comitatum Pontificis convivio excipit*, num. 25.
Pontifice celebrante veſtibus Præfecturæ indutus præſens adeſt, ibidem.
Electioni Pontificis antiquitus intererat, ibidem.
Occurrit Imperatori ad Urbem venienti, num. 26.
Illumque ducit per Urbem, & proxime præit, ſive eques, ſive pedes incedat, num. 27.
Eidem Urbem ingredienti, vel Coronam ſuſcipienti enſem nudatum præfert, num. 29.
F *Præfectus Prætorio & Protoſpatarius enſem deferunt Imperatori, & Comeſtabuli Regi Franciæ*, num. 30.
Freno equi ducit Imperatorem, num. 31.
Eidem ſtapedem tenet, num. 32.
Intereſſe debet ejus Coronationi, num. 33.
A *An coronet Imperatorem*, num. 34.
An Imperator ſolvat æs alienum Præfecti, ibidem.
Ad Præfectum ſpectat publicas vias tutas reddere a Latronibus, num. 35. & 37.
Recipit ex ſingulis Furnis ſingulos panes, a qualibet Taberna menſuram vini, & caput vervecis, num. 36.

C A P. IV.

De Urbanæ Præfecturæ Poteſtate ac Juriſdictione.

B *Præfecti Juriſdictio maxima*, num. 38. *& ſeqq.*
Vice ſacra judicat, & quid hoc ſit, num. 39.
A Rectoribus Provinciarum appellabatur ad Præfectum, num. 40.
An Senatum habere potuerit, num. 41.
Magiſtratus varii, qui ſubſunt Præfecto, num. 42.
Bona vacantia in Civitate Leoniana ſibi vendicabat, num. 43.
Creabat Judices, & Notarios, num. 44.
Caſtra aliquot Præfecturæ attributa, num. 45.
Inſignia, & Nummus Præfecti, ibidem.

C A P. V.

Urbanæ Præfecturæ Prærogativæ.

C *Præfectus Princeps erat Senatus, & primus in eo ſententiam dicebat*, num. 47. *Variis titulis decoratur*, num 48.
Quibus Urbis Magiſtratibus antecellat, num. 46. & 47. 51. 52. & 53.
Præfectus Prætorio, & Militum illi, depoſito Magiſtratu æquiparatur, num 49.
Præfertur Oratoribus Cæſaris, Regis Franciæ, Regis Hiſpaniarum, Angliæ, Poloniæ, & Reipublicæ Venetæ, ac aliis tam intra, quam extra Cappellam, num. 55.
D *Prælatis Palatinis*, ibidem,
Proceribus & Dynaſtis, num. 56.
Præfecto ad Urbem venienti obviam itur a familia Papæ, & Cardinalium, Urbiſque Proceribus, num. 57.
Inſignia Præfecturæ ſuſcipit a Pontifice, eaque die ſolemni pompa equitat, num. 58.
In ſupremo gradu ſolii ad Papæ dexteram parieti innixus conſiſtit Diacono Cardinali proximus, num. 59. & 13.
Incenſum, Pacem, Candelas, Palmas, & Cineres recipit poſt Cardinales, ſed ante Aſſiſtentes, & Oratores, num. 60.
Aquam in ultimo loco tanquam digniori infundit manibus Pontificis, num. 61.

C A P. VI.

Series Præfectorum a Romulo Rege uſque ad hæc tempora, & varia de illis hiſtoria.

Nomina & cognomina Præfectorum, & Inſcriptiones, quæ pertinent ad Præfectos.
Honoratus Primus Urbis Conſtantinopolitanæ Præfectus ad Annum 361.
De Reſtauratione Baſilicæ Sancti Pauli ad Ann. 380. & 473.

FELICIS CONTELORII,

PROTONOTARII APOSTOLICI,

DE

PRÆFECTO URBIS

LIBER.

CAP. I.

De Urbanæ Præfecturæ Origine & Antiquitate.



1 URBANAM Præfecturam si quis ipsi Urbi coævam dixerit, is Cornelium Tacitum [1] gravissimum Historicum auctorem habebit, qui ait a Romulo, Tullo Hostilio, Tarquinio Superbo adversus hostes domo proficiscentibus, ne Urbs sine Imperio foret, Præfectos in tempus delectos fuisse. Idem post exactos Reges a Magistratibus eamdem ob causam subinde factum præter ipsum Tacitum [2] docet Livius [3] & Pomponius Juris Consultus. [4] Accedit alia causa, ob quam creabantur singulis annis paucos dies Magistratum gesturi, Feriæ Latinæ. [5]

2 Intermissam sæpius potestatem amplificavit, continuamque ex temporaria fecit Augustus Cæsar, tum Mæcenate bellorum Civilium tempore Urbi præposito: tum deinceps Messala Corvino, Statilio Tauro, & Lucio Pisone, (velut Dioni [6] placet) Marco Agrippa.

3 Qui Augustum consequuti sunt Cæsares, quos maluere Urbi Præfectos deligere soliti sunt, solus Alexander Severus, quo gratiam a Senatu iniret non nisi ab illo accepit, ut novo ita subsequentibus Imperatoribus repudiato exemplo usque ad Theodosii Junioris Principatum. [7]

4 Gothorum Reges, qui ab Anno post Christum natum 412. usque ad 553. in Italia regnarunt, Præfectos Urbi nihilo secius quam Imperatores legere: ab Anno 586. usque ad 774.

5 florentibus Longobardorum rebus quatuor numerantur Urbis Præfecti, quorum prior est Sanctus Gregorius Magnus; [8] cæterorum, qui his successere, nomina vel Scriptorum negligentia oblitteravit, vel (quod simillimum veri reor) concidente Romano Imperio, ac Ravennæ Exarchatu sublato, eadem ruina hic Magistratus involutus est.

6 Rursum velut redivivum lego apud Anastasium Bibliothecarium [9] eodem Anno 774. circa quem Desiderius postremus Rex Longobardorum a Carolo Magno in Gallias ductus est. Hinc qui usque ad Annum 1198. Urbis Præfecturam gessere in criminis reos, ac inter Ci-
A ves jus dixisse testantur idem Anastasius, [1] & 7
Hugo Abbas. [2] [3] Demum Innocentio III. ad Pontificatum recens evecto Petrus Urbi Præfectus in Consistorio publice fidem ac subjectionem Juramento spopondit, atque ab eo dignitatis insignia accepit. Qui ab illo ad hanc usque diem Præfecti numerantur, ii nonnisi a Summis Pontificibus electi potestate atque ornamentis ab eisdem donati sunt; quod ex eorum serie, quam infra exhibebimus, apertum erit.

CAP. II.

B *De Præfecti Urbis Indumentis, & Ritu, quo creari solet.*

UNDENAM ortum habuerint indumenta, quibus Urbis Præfectus ornatur, non admodum certum est. Præteritorum quippe sæculorum inscitia, ac barbaries ita omnia obscuravit, ut in plerisque ne conjecturæ quidem, aut divinationi locus reliquus sit; Nos, qui aperta hoc Commentario sectamur, de Præfesti ornamentis ea tantum, quæ apud Scriptores recepta sunt, in medium afferemus. Ac primum quidem, ut ab interioribus ordiamur, Ca- 8
C ligas seu Ocreas, sive Calceos, quos nonnulli minus usitato vocabulo *Zanchas* [4] appellarunt, Præfecto tribui video non unicolores. Alteram enim ex aureo textili, alteram ex purpureo confectam fuisse memoriæ proditum est. [5] Utitur præterea tunica Dalmatica laxioribus manicis, 9
atque utroque ex latere aperta, ex serico rubro, cujus oræ phrygio opere auro exornatæ sunt; eam, qui de sacris Cæremoniis altero abhinc sæculo scripsere, & alii antiquioris ætatis, aliquando Tunicellam, nonnunquam aurifrigiatam, aut Senatoriam dixerunt. [6] Deinde Chla- 10
D mydem, sive Paludamentum inducit, quod aliqui Mantum, alii Pallium, nonnulli Pluviale appellarunt. Id ex veste holoserica punicea confectum, auroque ad extremas oras distinctum circuli forma, una tantum ex parte apertum ad talos usque dimittitur, ac supra dexterum humerum aurea ligula nectitur. Jam ve- 11
ro capitis tegumentum, quod aliqui Tiaram, alii Coronam, quidam Pileum ad modum Ducalis biretti, nonnulli Infulas vocant ex serico purpurei coloris, non unius semper formæ fuisse compertum est. [7] Aliquando cubitali ferme al-

1 Lib. 6. Annal. 2 Loco citato. 3 Lib. 4. D[illegible] 1. 4 Lib. 1. 5. & hæc omnia ff. de orig. Jur. 5 Tacit. loco citato. Gel. lib. 14. cap. 18. Alex. ab Alex. lib. 6. c. 20. 6 Lib. 54. 7 Col. de Præt. Urb. 8 S. Gregor. lib. 8. epist. 1. Baron. tom. 1. Annal. ad Ann. 581. Ciacon. in ejus Vita. 9 In Adriano I.

E 1 Loco cit. 2 Hist. Farfen. 3 In Vita Innoc. Tertii, & Registro. 4 Benedict. in Politico. Jacobus Card. de Coronat. Bonif. Oct. lib. 1. c. 9. 5 Lib. 1. sacr. Cærem. sect. 7. c. 4. tit. ordo servan. &c. Instrum. 23. Febr. 1472. Gaspare Blondo Not. Diar. Leon. X. Pont. 6 Benedict. in Post. Auct. Vitæ Innoc. Tertii, Bulla Sixti Quarti 8. Kalend. Martii 1471. lib. 1. sacr. Cærem. sect. 3. c. 4. Diar. Leon. X. In. tr. sup. cit. 7 Lib. 1. sac. Cær. sect. 7. cap. 4. Paris de Grass. Diar. Leonis X. Lelli Petron. in chron. mss. Bulla Sixti Quarti citat. Aliud Diar. Leon. X. supra allegatum.

titudine in metam aſſurgens aurea cruce phrygii operis diſtinguebatur tæniis utrinque pendentibus, quo uſus eſt Florentiæ Jo. Antonius Urſinus, Eugenio IV. Pontifice; [1] aliquando vero apice in alteram partem obverſo nonnunquam depreſſius, latiuſque in ſummo: ſemel etiam veluti ſquammis conſertum, uſurpatum eſt. Quæ hactenus de Præfecti veſtibus, ac præcipue de pileo docuimus, ea ex æneарum laminarum ſculptura impreſſa, hic legentium oculis ſubjecimus, adjectis numerorum notis, ut quæ mox dicentur iis facilius accommodari poſſint. Primo in lamina ſuo ordine Paludamentum, Tunica, & Caligæ exprimuntur: deinde plura pileorum genera, quibus olim Præfectos uſos eſſe video: namque pileum, qui numero quarto notatur, indicant ſacrarum Cæremoniarum, tum liber ſæpius laudatus, tum Magiſtri. Alter, cui quinarii numeri nota inſcripta eſt, viſitur Caprarolæ in Ædibus Farneſianis depictus, eoque vel Octavium, vel Horatium ejus fratrem, dum Præfecturam gereret, uſum eſſe credere par eſt; cui perſimilis eſt ille, quem in Caroli Quinti coronatione geſtaſſe Franciſcum Mariam Ruvereum Urbini Ducem narrat Jovius. [2] Tertium, cui numerus ſextus præfixus eſt, depictum videmus Romæ in Porticu Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Tranſtyberim ad dexteram. Quartus, qui numero ſeptimo diſtinguitur, marmore expreſſus eſt Viterbii in ſepulchrali monumento Petri de Vico Urbis Præfecti, apud Fratres Ordinis Prædicatorum. Quinto, qui numero octavo notatus, coronam adjunctam habet, Calliſtus Tertius Petrum Ludovicum de Borgia, & Sixtus Quartus Leonardum de Ruvere una cum reliquis Præfecturæ inſignibus donaſſe creduntur. [3] Cum enim illius ævi Scriptores coronam appellaverint, aliquam ejus formam in ima ſui parte expreſſam habuiſſe ſatis indicarunt; hoc inſigne eo in pretio habuit Franciſcus Maria Dux Urbini poſtremus, ut eo caput ſuum ipſo in tumulo contegi mandaverit. Præfectus equo utitur ornatiſſimo, purpureaque veſte inſtrato, cui aureum ephippium, aureæ phaleræ aureæque freni bullæ adhiberi ſolent. [4]

12 Cæterum Ritus, quo Præfectus a Pontifice creatur, hujuſmodi perhibetur. In Pontificio Sacello præſente Sacro Cardinalium cœtu, in aliquo Templo, qui Præfecturæ inſignibus donandus eſt, inter ſacrorum ſolemnia duobus ex procerum numero primoribus utrinque aſſociatus ad Pontificem ducitur. Tum flexis in imo ſolii gradu genibus ad ipſum accedit, pedibuſque de more exoſculatis nixus genibus, fidei ac ſubjectionis Juramentum præſtat. Inde ad ſolii imum regrediens conſuetum pallium ſagumque exuit, ac ſolio iterum conſcenſo genibus incumbens ſuarum veſtium conſecrationi intereſt, dum a Pontifice veteri precatione pera-
13 gitur: Tum ab eodem Dalmatica, Chlamydeque induitur. Demum pileo capiti impoſito ad oſculum oris admittitur; exinde a ſacrarum Cæremoniarum Magiſtro in ſupremo ſolii gradu proxime poſt Diaconum Cardinalem inibi adſidentem ad Pontificis dexteram collocatur, eiſque ad ſacri finem adſtat parieti incumbens. Mox
14 Pontificem diſcedentem aſſectatus pone pluvialis veſtis oras ſuſtinet. Poſtremo Pontifex eum-
15 dem nondum depoſitis Magiſtratus inſignibus epulo publice exceptum, collocutioneque coram omnibus in ſcamno ſedentem dignatus dimittit; Et demum ſolemni pompa revertitur, ut inferius dicetur. Quæ modo diximus, ea tum a Sixto Quarto, cum Leonardus de Ruvere, tum a Paulo Tertio, cum Octavius Farneſius Præfecturam iniere, fere ſervata ſunt. Hæc eadem ſuperiores Pontifices imitatus ſervavit Sanctiſſimus D. N. URBANUS Octavus, cum die 6. Auguſti Anno 1631. in Pontificio Sacello Quirinalis Palatii inter ſacrorum ſolemnia inſignibus Præfecturæ, quæ Franciſco Maria Secundo poſtremo Urbini Duce e vivis erepto ceſſaverat, D. THADEUM, fratris filium, Principem Præneſtinum, & Eretanorum Ducem, donavit.

CAP. III.

De Præfecti Officio.

QUO die quis renunciatus Pontifex ſolem- 16
ni pompa eques deducebatur, Urbi Præfectus ſui Magiſtratus inſignibus atque ornamentis indutus illum proxime, vel antecedebat, vel ad latus, ſive ante, ſive poſt, nemine intermedio comitabatur. [1] Idem fieri conſueverat, cum primum Pontificia coronatus Tiara, e Vaticana Baſilica Lateranenſes Ædes adibat, iſque ordo adeo ratus erat, ut Caroli Secundi Siciliæ Regis interventu in deductione poſt Coronationem Bonifacii Octavi turbatus minime fuerit: de qua hæc habet Stephanus Cajetanus de Stephaneſchis Cardinalis Sancti Georgii. [2]


—— Tum lora tenebant
Illuſtres, Gallique Duces, Caroluſque Secundus
Rex Siculus, Caroluſque Puer, Proleſque, juventa
Floridus Hungariæ materno a ſtipite nomen, &c.
Deficimus, vincique juvat, ſuccumbere rebus
Verba placet, voliti eſt mentem ne oblivia captent,
Quod rubeis, croceiſque rieis umbracula velent
Mixta Ducem fari, radius ne verberet illum
Objectus, Lateriſque Comes, paulumque ſequeſter
Quod ferat obſequium precioſum gauſape nari,
Sublevita prior, manto quod ſplendidus una
Auri ſubcinctus caliga, ſubcinctus, & una
Scarleti ponendus erat Præfectus, & Almæ
Urbis Apoſtolicum juxta, comitantibus illum.
Judicibus tectis pluviali corpora ſciſſo.

Die Chriſti Domini natali, atque eo, qui 17
conſequitur, duobuſque prioribus diebus Paſchatis equitantem Pontificem proximus Præfectus eques oblique præibat. [3] Quoties autem illum eques comitabatur, toties quadraginta ſolidi denariorum Papienſium ipſi perſolvebantur, nec raro quindecim ſportulas, unumque vini, alterum vero ſecundarii cadum accipiebat. [4]

Dominica quarta Quadrageſimæ, quo die Ro- 18
ſa aurea conſecratur, Pontifex equo inſidens, roſamque manu præferens Templum Sanctæ Crucis in Hieruſalem inviſere ſolitus erat, Præfecto & Proceribus feſto apparatu deducentibus. [5] Is deinde in reditu ad Lateranenſe Palatium Pontificem prægreſſus equo dimiſſo eidem pedes obviam factus, illius equum freno eo uſque ducebat, ubi erat exſcenſurus. Inde in cu-


1 Anonym. Rerum Florent. 2 Lib 27. Hiſtor. 3 Lellus Petron. in Diar. Inſtr Gaſparis Blond. 4 Diar. Leon x. 5 L. 1 ſacr cærim ſect 7 c 4. Diarium Pauli Tertii Pont. Inſtr. pub. ſupra alleg.

1 Ord. Rom c. 2. titul Quommodo Papa dat. præb. Bened. Canon. in Ritual. auct. Vitæ Innocent. Tertii. Ritual. apud Cenc. Camerar. 2 De coron. Bonif Octavi lib. 1 cap. 9. 3 Ord. Rom. c. 1. Bened in Rit 4 Ritual. apud Cenc. 5 Ritual apud Cenc. Benedict. Canon. Cæremon. ſub Martino V.


1



1



3



2



2





9


6


4


5


8


5
in Caprarola


9
Vitorbu

biculum affectatus Rosam, quæ ab illo donabatur, palam gestans magno comitatu domum reduci consueverat.

19 Quo die Julius Secundus Bononiam paulo ante in deditionem acceptam solemni pompa est ingressus, equestris comitatus series hujusmodi fuit [1]. Præcedebant equites levis armaturæ, peditesque armis instructi; sequebantur Signiferi, tum Advocati, Cubicularii, Acolythi, Cameræ Clerici, Rotæ Auditores, Dynastæ, ac Principes; His adjuncti erant Regum Oratores Laici; deinceps Urbi Præfectus; tum Equus, quo Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum vehebatur; deinde Cardinales Diaconi, Presbyteri, Episcopi; demum Pontifex umbella desuper protectus. Post Pontificem equitatus visebatur Patriarcharum, & Præsulum, tum Pontificio Sacello Adsistentium, tum eorum, qui a Regibus missi, Oratorum munere fungebantur: postremum occupabant locum Archiepiscopi, atque Episcopi, aliique Præsules, atque insignes viri togati. Agmen claudebant confertæ militum cohortes ovantium speciem vultu atque incessu præ se ferentes.

20 Cum Pontifex pedes sacris ornatus vestibus aliquo se confert [2], ad Laicum inter cæteros nobilissimum, hoc est, ad Regem, seu Imperatorem, si adsint, pertinet postremas pluvialis vestis fimbrias, vel syrma attollere: Idcirco ab Urbis Præfecto, utpote inter cæteros dignissimo, præsentibus Cæsaris, Venetæque Reipublicæ Oratoribus, præstitutum novimus [3] Romæ in Vaticanis Ædibus Anno 1504. quo tempore a Julio Secundo Galeottus Franciottus de Ruvere Cardinalis rubro galero donatus est.

Die Christi Corporis festo Anno 1506. eidem Pontifici ad Sacellum accedenti Lacinias anteriores sublevarunt Cubicularii una cum Cardinalibus; posteriores vero tenuit Præfectus; quod iterum factum est paulo post Principe Macedoniæ, & Galliæ, ac Venetorum Oratoribus comitantibus.

21 Quod vero ad quadratam umbellam spectat, quæ hastilibus suffulta super Pontificis caput solemni ritu aliquando gestari consuevit [4], usu receptum est, ut quo quisque dignitate alios antecellit, ita in ea deferenda loco prior sit; Quamobrem A. 1505. & 1506. primo loco Præfectus, deinde Princeps Macedoniæ, tum Regii Oratores illam ante cæteros gestasse narrantur [5]: in libro *Sacr. Cæremoniarum* diserte præcipitur, ut quotiescumque Pontifex equo sedens solemniori pompa deducitur, priores incedant Proceres, ac Dynastæ, tum Regum ac Principum Oratores sequantur, deinde si quis aderit Magnus Princeps, aut Urbi Præfectus.

22 Pontifici equum conscendenti [6] quicumque inter præsentes nobilitate cæteris præstat, stapedem tenet, ac pedes equum fræno aliquantulum deducit, ejusmodi obsequii genus (quod Pontificem adextrare superiorum ætatum Scri-
23 ptores dixere) Sancto Silvestro [7] exhibuisse narratur Magnus Constantinus; Luitprandus Rex Longobardorum Zachariæ [8]; Pipinus Rex Francorum Stephano Secundo [9]; Ludovicus Imperator Nicolao Primo [10]; Federicus Tertius Adriano Quarto [11], & Alexandro Tertio; tum Urbano Quinto Carolus Quartus; Gregorio Undecimo Vincislaus Caroli filius [12]; Martino Quinto Sigismundus Imperator [1]; Nicolao Quinto Fridericus Tertius; Clementi Septimo Carolus Quintus [2]. At Gregorio Nono [3], quod Rex, aut Imperator minime adessent, suo Jure exhibuit Urbi Præfectus, quem etiam Dominica quarta Quadragesimæ exhibere solitum supra docuimus.

Die Beatæ Virginis in Cælum Assumptæ sacro in supplicatione [4], qua per aream Lateranensem a Cardinalibus Christi Servatoris Imago a S. Laurentii Basilica deferebatur, Præfectus cum duodecim Viris (iis fortasse, qui e Plebe delecti seni abrasis, seni vero promissis barbis Senatum referebant) accensas ante ipsam faces, quoad totam aream præteriret, gestabat [5]. 24

Ad Præfectum itidem pertinebat die S. Andreæ festo, dum in Vaticana ejus Ecclesia solemni cæremonia a Pontifice sacrum peragebatur, faces ac cereos suppeditare, universumque Pontificis comitatum convivio excipere, in eam tamen rem Decimæ quædam illi attributæ erant. Dum vero in Lateranensi Basilica sacra celebrabantur, ex laicis (inquit Panvinus [6]) antiquitus aderat Præfectus Urbis pallio serico indutus, & caliga una rubea, & alia aurea calciatus cum septem Palatinis Officiis, sive Judicibus, qui & Ordinarii vocabantur, & cum Clero & Populo Romano Pontificis electioni intererant: horum nomina sunt Primicerius, & Secundicerius, hi duo dextra lævaque Papam in omnibus Processionibus & publicis conventibus comitabantur, &c. aderant præterea Senatores, Judices, Advocati, Scriniarii, Præfecti navales cum suis Prioribus, & omnibus postremo Nobilibus, & Proceribus Romanorum adstantibus. 25

Accedenti quacumque de causa ad Urbem Imperatori, ubi Cardinalibus Legatis extra Ecclesiæ fines occurentibus jusjurandum præstitit, se Beati Petri ditionem defensurum, obviam suæ dignitatis ornamentis induti prodire solent Urbis Præfectus cum Procamerario, Senator, Conservatores, cæterique Aulæ Præsules [7]. Ita Nicolao V. Pontifice in adventu Friderici Tertii servatum legimus. 26

Si Imperator per Urbem eques, vel pedes incedat, illum proxime Præfectus sui Magistratus ornatus insignibus præire solet, quod in Ludovici Bavari ad Vaticanum deductione factum fuisse tradit Joannes Villanus his verbis [8]; *El Prefetto di Roma sempre andandoli innanzi, come dice il Titolo suo, & era adestrato da sopradetti quattro Capitani Senatori, & Cavalieri, & da Jacopo Savelli, & Tibaldo di Santo Statio, con molti altri Baroni di Roma:* quæ Latine reddita sic se habent: „ Urbis Præfectus (quod sui muneris erat) illum semper præivit, quatuor Principes Viri (*hoc est, Sciarra Columna populi ex-Ductor, Buccius de Processo, Ursinus de Ursinis ex-Senatores, & Petrus de Montenigro Eques*) una cum Jacobo Sabello, & Thebaldo a Sancto Statio, aliisque Romanis Proceribus pedites equi frena vicissim tenentes comitabantur. Cum Fridericus Tertius, de quo modo diximus, peregrinationis gratia A. 1468. Paulo Secundo Pontifice Urbem repeteret in magno equitum comitatu, Proceres antecedebant, & Principes; sequebantur Oratores; Tum Ladislaus Pannoniæ atque Bohemiæ Rex, post illum Præfectus Urbis sui Magistratus or- 27

1 Paris de Grass in Diar. 2 Lib. sac. Cærem. sect. 2. c. 3 tit Consecratio &c & lib 2. c 14. de Missa majori Paris in Cær. 3 Paris in Diar. 4 Lib. 2 Cæren c. 15 sect. 2. 5 Paris in Diar. Lib 1. sect 12 c 1 6 Lib 1 sacr. Cær. sect 2 c. 3. Petr. Burgen in Cær. Bened Canon in Rituali. 7 Acta Sancti Silvestri. 8 Platina in Vit. Zachar. 9 Baron ad Ann 753 10 Idem ad Ann 858. 11 Baron in ejus Vita. 12 Romualdus Archiep. Saler. in Chron.

1 Concil Constan. sess. 41. 2 Jovius lib 27. Hist. 3 Auctor Vitæ Gregorii Noni. 4 Bened. Canon. in Rituali. 5 Sansuinus de familia Ursina pag. 32 Baron. ad Ann 1014. quos Henr. Sancti a Benedicto Oct. Coronationi interfuisse ait. 6 De septem Eccl. de Basilica Lateran. 7 Card Papien in Comment. 8 Histor. Fior. lib. 10. c. 56.

natu insignis; postremus inter duos Cardinales Legatos Imperator [1].

29 Cum Imperator Coronam suscepturus [2], vel post illam susceptam, aut alio quovis tempore solemni pompa Urbem ingreditur, Præfectus insignibus indutus nudatum ensem eidem præferre consuevit: idque Clemens Quintus [3] in Coronatione Henrici Septimi, atque Innocentius Sextus in Coronatione Caroli Quarti servari præcipiunt diplomatibus ea de re ad Legatos Cardinales missis [4]. Ac Bononiæ in Caroli Quinti Coronatione, & dum benemeritos equestri di-
30 gnitate donaret, servatum tradit Jovius [5]. Idem muneris ensem ante Imperat. gestandi, Præfecti Prætorio, & Protospatarii [6]; In Gallia vero ante Regem Comitistabuli proprium fuit [7].

31 Cum Cæsar Urbem ingreditur, quadratam umbellam nobiliores Cives deferunt, Conservatores freno equum ducunt, cum ad locum perventum fuerit, ubi descensurus est, Præfectus & Senator freno a Conservatoribus accepto du-
32 cunt aliquantulum. Tum Præfectus stapedem descendenti tenet, eumque peditem pedes proxime antecedit. Ad hæc interesse debet Præfe-
33 ctus, dum Cæsari a Pontifice Imperii corona imponitur, quod testatur Clemens Septimus in litteris ad Franciscum Mariam Urbini Ducem
34 ea de re missis die 7. Februarii 1530. Neque verum est quod Bartolus [8] nullo teste affirmavit a Præfecto Imperatorem coronari; id enim tum Imperatorio Juri [9], tum sacris Canonum decretis [10], & receptæ tot sæculis consuetudini repugnat; aliud quod idem Auctor habet, ab Imperatore ad coronam suscipiendam Urbem ingrediente omne Præfecti æs alienum solvi, nonnulli [11] præter ipsum affirmant, forte ob obsequium quod Præfectus illi exhibet, dum venit ad Urbem.

35 Spectabat etiam ad Præfectum publicas vias prope Urbem a Latronibus & Grassatoribus tu-
36 tas reddere. Eam ob causam, vel etiam ob adjunctam Urbanæ Annonæ curam ex singulis Urbis furnis singulos panes, atque ex singulis Cauponis, seu Vinariis Tabernis, singulas vini mensuras, unumque Vervecis Caput stipendii aut vectigalis nomine quotidie ea conditione exigebat, ut si quis inibi a Latronibus in veste, pecunia, aut alia quapiam re damnum passus esset, id illi Præfectus resarciret de suo [12]. Inno-
37 centius Tertius hoc potissimum Præfecti munus respexit, cum Gregorio Diacono Cardinali Petrum Urbis Præfectum adjunxit ad Latrones fugandos perdendosque. Idem diserte tradit Sixtus Quartus in diplomate ad [13] Leonardum de Ruvere Urbis Præfectum, & in alio [14] ad Joannem ejus successorem. Quæ ex Præfecti Officio ad Jurisdictionem pertinent, ea seorsim peculiari Capite complexi sumus.

CAP. IV.

De Urbanæ Præfecturæ Potestate ac Jurisdictione.

TAM multa sunt, quæ de Urbanæ Præfecturæ Potestate ac Jurisdictione in legum Pandectis ubique occurunt, tam multa, quæ Interpretes, Jurisque Periti ad eas declarandas collegerunt, ut illa nedum explicasse, sed leviter attigisse longum nimis legentibus ac laboriosum futurum sit. Nos, ut institutum teneamus, præcipua quædam, eaque in breviarium contracta, percurremus, fontesque indicabimus; unde qui volet, largius haurire possit.

Omnium criminum [1], quæ tum in Urbe, 38
tum intra centesimum ab Urbe lapidem admittebantur, cognitio, Cæsarum tempore, ad Urbis Præfectum spectabat; omnia corporatorum genera, universosque cives, & populares suæ subjectos Jurisdictioni, Imperioque parentes habuit; relegandi ac deportandi in Insulam, in Urbe, negociatione, vel professione, vel advocationibus, & foro, aut spectaculis in tempus, vel in perpetuum interdicendi potestas illi erat: Servos & mancipia de Dominorum sævitia, aut turpitudine, Dominos de servis libertisque querentes, interdicto Quod vi, aut clam, aut interdicto unde vi, contendentes audiebat: in Tutores, Curatoresve, qui perperam administrationem gererent, atque in eos, qui Collegium illicitum iniisse dicerentur, vindicabat; pecuniarias Argentariorum causas judicabat: ad hæc carnis cura, atque ut justo venderetur pretio, & fori Suarii, armentorum, ac pecudum, omnisque spectaculorum disciplina illi demandata erat, Urbanam Annonam una cum ejus Præfecto administrare consueverat. De capite Senatorum adjunctis Quinque viris forte delectis cognoscebat [2]: id quod deinceps Theodorici Regis jussu etiam usurpatum est [3], Civiles vero eorumdem causas solus audiebat [4], quanquam Senatorum Jura tutari, ac dignitatem defendere, teste Symmacho [5], ejus potissimum munus erat. Dicebatur præterea, Vice
sacra [6], hoc est, (ut Inscriptio, quam infra 39
exhibemus, aperte testatur) loco, seu nomine, vel auctoritate Cæsaris judicare, causasque cognoscere. A Rectoribus Provinciarum ad Ur-
banam Præfecturam appellabatur [7]. Item a duo- 40
bus Prætoribus, qui in Urbe jus dicebant [8]. Plures habebat Advocatos, qui causis, quæ se coram agebantur, præsto erant [9]. Agitatores, Scenicique, atque omnia ad ludos pertinentia Præfecti arbitrio peragebantur: Urbem a Civibus atque Artificibus, si quando opus esset, custodiri jubebat, curabatque ut calx fieret pro formis aquæductuum reparandis, cujus vectoribus pro singulis vehis singulæ vini amphoræ, postmodum vero singuli solidi præstabantur, quorum tres partes prædiorum possessores, quartam vero Præfectus in tot vini amphoris pendebat. Porro calx, cujus vehum tria millia Umbri, & Piceni, Campani, & Thusci novem millia Romæ repræsentabant, tam pro reparandis aquæductibus, quam pro publicis Urbis ædificiis reficiendis, Præfecti jussu insumebatur [10]. Hoc ipsum confirmat Theodoricus Gothorum Rex [11], qui ait ad Præfectum publicorum ædificiorum curam refectionemque spectare. Pri-
mos Urbis Consules Comitiis Centuriatis a 41
Præfecto creatos tradit Livius [12], Senatum habere potuisse diserte docet Varro [13]: an vero idem liceret Præfecto, qui Latinarum * solum

1 Mag. Cæremon. ejus temporis, & lib. sac. Cærem. p. sect. 5. tit. de Urb. ingress. Imper. 2 Rituale in Biblioth. Vatic. n. 4734 tit. ord. ad benedicen. Imperatorem. lib. 1. Cærem. loco cit. 3 In Bulla data 15. Cal. Julii Pontif. anno 6 4 Litteræ ipsius Caroli dat. Romæ Non. Apr. 1355. 5 Lib. 27. Histor. 6 Codinus de Offic. Urb. Constant. Jo. Fersius de Præf. Præt. 7 Vincentius Lupanus de Magistrat. Franc. Lib. Cæremon. loc. cit. 8 Ad l. 1. §. hæc autem actio. ff. si quis testam. lib. 9 Tit. de stat. & consuet. post usus feudor. 10 Cap venerabilem de elect in 6. & in Clem. ne Romani de Jurejur. & in lib. sac. Cærem sect. 5. lib. 1. 11 Scriptores commun.] Nicol. Boer. dec. 128 n. 9 Carb cons. 56. n. 1. Lauden. de Princip. q. 539 12 Paulus Lelli Petronus in Chron. ms. 13 Bulla data Calend. Decembr. Anno 1473. 14 Idibus Martii 1487.

1 In tit. Digestorum, & C. de Offic. Præf. Urb. 2 13. Cod. Theod. tit. de accusat. 3 Cassiod. lib 4. var. epist. 22. & lib. 1. epist. 32. 4 Cod. Theod. tit. de Jurisd. l 4 5 Lib 10. epist. 62. 6 Azon. l. præcipimus n. 1. C. de appell. lib 7. & colligitur ex inscriptione posita infra Ann 260. 7 L 13 Cod Theod. tit. de appellat. 8 L si apud utrumque C. de appell. 9 Vopisc. in Floriano. l. ad similit. 16. l. Advocati 14. C. de Advocat. divers. Jud. 10 Notitia Imperii Occidentalis c. 3. ex Cod. Theod. 11 Cassiod. lib. 1. var. epist. 6 & lib. 3. epist. 29. & 30. 12 Lib. 1. extremo. 13 Apud Gell. lib. 14 c. 7.

* Sil. *Feriarum*.

causa in Urbe relinquebatur, controversum fuit: Idem tamen Varro [1], quem alii sequuntur, licuisse affirmat. Theodorici Gothorum Regis ætate præerat Senatui [2]. Accedit quod in alios
42 complures Urbis Magistratus Jurisdictionem atque imperium exercebat [3]. Hi sunt: Præfectus Annonæ, cujus erat munus frumentum alendo populo in Urbem invehendum distribuendumque curasse: Præfectus Vigillum, qui Tribunis præerat noctu ad prohibenda incendia circumversantibus: Formarum Comes, qui reparandis aquæductibus incumbebat: Comes Riparum atque Alvei Tyberis & Cloacarum, qui Fluminum Ripas muniebat, Alveum Tyberis & Cloacas purgabat: Comes Portus, cujus erat Portum Claudii ad Ostia Tyberina advecta a Terracinensibus calce reparare, curamque mercium, quæ inibi exponebantur, gerere, atque omnes ab injuriis vindicare: Magister Census, qui singulorum civium bona, ex quibus census aliqua occasione solvendus esset, describebat: Rationalis vinorum, qui vino in Urbem vehendo, ejusque vectigali solvendo præerat: Tribunus Fori Suarii, qui curabat, ut justo pretio sine fraude ac morbo sues venderentur: Consularis Aquarum, qui aquis in Urbem derivandis dividendisque præpositus erat: Curator Operum maximorum, qui Circum Maximum, Mœnia Urbis, Campum Martium, Campum Viminalem, munda atque integra præstabat: Curator Operum publicorum, qui Prætoria, Thermas, Basilicas, Amphitheatra, Bibliothecas, Naumachias, Theatra, Curias, Arcus, aliaque hujusmodi sarta ac tecta conservabat: Curator Statuarum, qui prospiciebat, ne publicæ Statuæ effringerentur, aut læderentur, neve a furibus noctu tollerentur: Curator Horreorum Galbianorum, qui Horrea, sive a Galba Principe exstructa, sive a Galbione Valentiniani Duce frumento repleta, quibus frumentum Populo distribuendum custodiebatur, sarta atque integra conservabat: Centenarius, seu, quod idem est, Centurio Portus, qui Militibus Portum tuebatur: Tribunus Rerum Nitentium, qui operam dabat ut viæ, fora, publicaque ædificia, munda ac nitida essent [4]. Ad hæc Curatores Regionum ac Viarum Urbis eos, qui ultra vectigalia quicquam ab aliquo exegissent, puniendos ad Præfectum transmittere poterant. Confirmantur ex his pleraque, tum ex Theodorici Regis Litteris, ut est apud Cassiodorum [5], tum veterum Inscriptionum testimonio [6], quibus, & curam Annonæ Macelli, & Mœnium per Italiam construendorum, & Triumphalium Arcuum extra Urbem ædificandorum, ad Præfectum pertinere declaratur.

1 Gell. lib. 14. c. 8. 2 Cassiod. var. lib. 3. epist. 12. 3 Notitia Imperii Occidentalis a c. 5. usque ad 20. 4 Julius Capitolinus in Marco. 5 Lib. 6. var. c. 4. lib. 2. epist. 30. lib. 10. epist. 27. 6 Insm ad Annum 363. 340. 378. 394. 402. 256.

A Consequentibus Sæculis, quænam fuerit Urbanæ Præfecturæ potestas, ac Jurisdictio magis incertum est. Illud tamen ex Hugone Farfensi Abbate habetur [1] Præfectum Anno 1010. inter litigantes jus dixisse: habetur etiam ex Diplomate Calisti Secundi Præfectum in Civitate Leoniana Jus habuisse eorum bona, qui sine liberis decederent, sibi vindicandi; quod deinde ipso postulante sublatum est ab eodem Pontifice Anno 1123. Præterea ex publicis tabulis colligimus Jus fuisse Præfecto Judices creandi, 43
44 & Notarios. Constat enim Annis 1270. 1332. 1335. 1340. 1347. 1372. ab eo creatos Notarios
B Angelum Leonardi, Joannem Magistrum Roberti filium Viterbiensem, Nicolaum Jacobum Ægidii filium Sutrinum, Petrum Joannis Torchæ filium Auguillariensem, Tomaum Petri filium Vassanensem; Judices vero Nicolaum Cari filium, & Franciscum Joannis filium Viterbiensem, qui se subscribebant his verbis:

Ego Angelus Leonardi auctoritate Almæ Urbis Præfecti Notarius, vel, *Ego Nicolaus Dei gratia Sacræ Romanæ Præfecturæ Judex, & Scriniarius.*
C

45 Post aliquod annorum intervallum [2] a Calisto Tertio Præfecti Ditioni atque Imperio restituta sunt Oppida, Vetus Civitas, Montagnola, Caprarola, Vetralla, Carbonianum, Julianellum, Tulpha nova, præterea Castrum Valeranum, Rispampanum, Arx Mons Romanus, Mons Major, Casamarii, & alia quædam [3], quorum regimen ac dominatus Urbanæ olim Præfecturæ conjuncta erant.

An Præfecto monetæ cudendæ jus (ut fertur) aliquando fuerit, equidem quæsivi diligentius,
D investiganti tamen nihil adhuc se obtulit præter nummum, qui Viterbii, dum ea forte Urbs in illius ditione esset, cusus dicitur; cum in lamina vides altera parte ejusdem Urbis insignia una cum sex panibus, qui ex furnis (ut supra monuimus) Præfecto singulis diebus dari consueverant; altera vero litteram P. quæ nominis Præfecti initium est, referentem. Quod peculiaria Præfecturæ insignia pertinet: illa sunt Aquila alba extensis alis in area punicea, quæ Viterbii, & alibi insculpta etiam visuntur cum pluribus panibus circa illam dispositis, Aquila ipsa Rosam, qua Præfectus a
E Pontifice donatur, (ut superius diximus) sustinente, id quod ex veteribus monumentis deprehendere libet, quorum ac unius plumbi imaginem cum litteris hieroglyphicis Theodori Præfecti exhibendum putavi.

1 In Hist. ms. Bibliot. Vaticanæ. 2 In Litteris de hac re, Dat. Romæ prid. Calen. Augusti 1453. 3 In Bulla Alexandri Sexti die 23. Junii 1497.





CAP. V.

Urbanæ Præfecturæ Prærogativæ.

QUÆ supra de Præfecti Officio attulimus, ea hujus Magistratus Prærogativis ita connexa atque inserta sunt, ut inter hæc duo discrimen reperire difficile admodum sit. Verum, ut de Prærogativis magis constet, alia hic præcipua ac propria enumerabimus, ex quibus quo loco apud Romanos Principes ac Pontifices Præfecti dignitas fuerit, satis apertum erit.
46 Ac primum antiquioris temporis observationibus prætermissis ajo Valente, Gratiano, & Valentiniano Imperatoribus Præfectum Urbis omnibus cujusque generis Magistratibus, sive Urbanis, sive Militaribus, ut dignitate, ita loco antecessisse [1].
47 Ajo præterea illum Præsidem ac Principem Senatus fuisse, atque ante Patricios, Consules, Consulares, Præfectos Magistrosque Militum, & Viros Illustres sedisse, ac sententiam dixisse [2].

48 Quod pertinet ad appellationes atque honorarios titulos, quibus olim Præfectus decoratus est, illum reperio vocatum fuisse Illustrem, Illustrissimum, Gloriosissimum, Eminentissimum [3]: Tributa præterea hæc illi fuisse ab Imperatoribus, Tua Magnitudo, Tua Sinceritas, Illustris Auctoritas Tua, Sublimitas Tua, Nobilitas Vestra, Eximietas Tua [4]; A Gregorio Magno [5], atque ab aliis veteribus Amplitudo Tua, Eminentia Tua, Gravitas Tua, Culmen Tuum, Magnificentia Tua [6]. Demum appellatum illustrissimum, atque Excellentissimum testantur, qui ante centum & quinquaginta annos de sacris Cæremoniis scripserunt [7].

49 Et quamquam de Urbani Præfecti Dignitate ac Prærogativis Romani Principes ita cautum esse voluerunt, ut dum Magistratum gereret, nemo illi ex cæteris Magistratibus æquiparetur, eo tamen abdicato illos, qui aut Prætorii Præfectura, aut Militum Magisterio perfuncti essent, eidem pares fecerunt, itaut eum voluerint esse priorem, qui alios promotionis tempore & codicillorum adeptione præcessisset [8].

50 Quæ ab Adriani Primi Pontificatu, usque ad Benedictum Decimum a Romanis Pontificibus Urbis Præfecto dignitatis honestamenta tributa sunt pleraque, Scriptorum incuria ignorantur. Quæ consequuntur tempora usque ad Gregorium Undecimum, atque ab illo ad Eugenium Quartum ea partim diuturna Pontificum absentia extra Italiam, partim fœdo Schismate universæ Ecclesiæ tristia, ita rerum perturbationibus involuta sunt, ut Romæ, nec Populo lex, nec Pontifici Majestas, satis constarent; licet illa tum Avenione, ubi considebat, ante Schisma vigeret ac effloresceret.

Quamobrem tam calamitosis Romæ temporibus, frustra quærat quis de Prærogativis, quæ Urbis Præfectis a Pontificibus tribuerentur. Verum sublato Schismate, ac Jacobo de Vico Urbis Præfecto Ecclesiæ perduelli securi percusso, rursum Præfecturæ sua dignitas, atque auctoritas restituta est ab Eugenio Quarto Pontifice Anno 1435. Et Franciscus Ursinus Tranensis Comes, & Cupersani Dominus, in Jacobi locum suffectus, quæ post id temporis sequuntur ea litterarum monumentis, publicisque tabulis ac diplomatibus testata sunt.

Atque ut ab Urbis Senatore ordiamur, eum ubique Præfecto loci dignitate cessisse, neque usquam ea de re in controversiam venisse reperio. 51
Ex eo fit non modo Urbis Conservatores, sed etiam Populi Romani Vexilliferum, qui dignitate Senatori inferiores sunt, Præfecto posthaberi. Atque hæc ut Jure debentur, ita semper servata fuisse memoriæ proditum est [1].

Urbis etiam Gubernatori Præfectum anteferri solitum sacrarum Cæremoniarum liber typis editus tradit. 52
Ibi enim statuitur in Pontificio Sacello Præfectum priorem thure venerandum, eidemque priori pacem ac cereum deferenda [2]. Præterea multa in Ephemerides, quæ Diaria vocant, relata sunt [3], ex quibus constat Præfecto ante centum & viginti quinque annos in solemnibus publicisque pompis potiorem locum a Gubernatore concessum fuisse, ut Anno 1605. cum Oratores Regum Poloniæ, & Galliæ, ac Venetæ Reipublicæ ad præstandam suorum Principum nomine Pontifici obedientiam numeroso Equitum comitatu Urbem primum ingrederentur; Atque Anno 1606. cum eodem modo ingrederentur Oratores Ducis Sabaudiæ. Quibus respondit in distributione tum Palmarum, tum Cereorum, quæ a Pontifice fit, Præfectum Gubernatori perpetuo prælatum fuisse [4].

De generali Ductore copiarum Ecclesiæ utrum Præfectum præcedere debeat, an subsequi, vel ex eo dubitari posset, quod apud veteres sacrarum Cæremoniarum Magistros nulla omnino hujus muneris ac dignitatis mentio reperiatur. 53
Verumtamen non me fugit Urbis Præfecturam quolibet Militari Magistratu Romæ antiquiorem esse; Cæsares (ut paulo ante memini) Præfectum Prætorio, omnesque sive pedestris, sive equestris Militiæ Magistros Præfecto Urbis dignitate inferiores esse voluisse: In libro sacrarum Cæremoniarum, de quo diximus, cum de thure Altari adhibendo sermo est [5], & apud Sanctum Joannem Chrysostomum [6] potiori ac nobiliori loco Præfecti, altero Ductoris mentionem fieri; at nobiliori loco censeri majoris cujusdam dignitatis indicium esse solet [7].

Utriusque Pontificiæ Custodiæ Præfecti, hoc est, Equitum levis armaturæ, atque Helvetiorum, Præfecto Urbis ubique assurgunt. 54

Cæsaris, Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Poloniæ, Regum Oratores eidem, tum in Pontificio Sacello, tum extra, velut dignitate superiori semper de loco decesserunt. 55
Ita faciendum præcipitur in Codice sacrarum Cæremoniarum [8], tum in descriptione equestris comitatus, cum Pontificem solemni ritu deduci mos est. Tum in festo Purificationis Beatæ Virginis, cum Cerei, & Dominica Palmarum, cum Palmæ distribuuntur [9]. Habetur hoc ipsum de ordine thuris exhibendi, atque offerendæ Pacis [10]. Præfectus aquam manibus Pontifici Anno 1505. coram Cæsaris ac Regum Oratoribus postremus dedit, qui locus dignissimus est: iisdem affectantibus & pluvialis vestis fimbrias sustulit, & um-

1 Lib. 3 C. de off. Præf. Urb. Novell. 70. coll. 5. tit. 25. Ut ordi. Præf. Urb & Novell. 62. de ord. Sen. coll. 5. tit. 17. Sym. lib. 10. epist. 36. 2 Novel. citat. 62. Cassiod. lib. 6. var. c. 4. & lib. 6. epist. 7. colligitur ex Inscriptione ad Ann. 377. 3 Spec. de Jurisd. omn. Jud. §. 1. n. 2 Jo. Franc. Pu p in l. 1. nu. 96. ff. de off. ejus Docl. Imp. Ann. 285. a S T burt.o martyr. 4 L 1. C. de rapt. Virg. l. 1. C. de Præp. sac. Cubic. lib. 12. 5 S. Greg. lib. 8. ind. 3. epist. 38. 6 L. ad similitudinem C. de advoc. divers. Judic. 7 L. 2. C. de offic. Præf. Urb. l. 3. C. de spectac. & scenic. l. 2. C. de stud. libert. Urb. Rom. Passio S. Cæciliæ mart. Constan Imp. apud Baron. Ann. 420 Paris de Grass. in Diar. ad diem 24. Maii f. 216. 8 L. 1. & 2. lib. 12. C. de Præt. Præf. sive Urb. ab Crjus & lib. 1. tit. 5. de Præpos. sacr. Cubicul. lib. 12

1 Lib. 1 sac. Cær. sect. 5. & sect. 13. c. 1. & l. 2. sect. 5. Paris de Grass. in Cær. mi. Idem in Diar. servatum ait in festo Corporis Christi Ann. 1505. Burcard in Diario servatum tradit. Dominica Palmar. Anno 1506. Lib. 2. sect. 1. tit. de festo Purif. lib. 3. sect. 5. tit. 3 De Incensat. Altaris, & de ord. dand. Pacem. 4 2. Martii Jo. Burcard in Diar. fol. 160. 28. Aprilis, Burcard. fol. 168. Burcard. ibid. Burcard. ibid. 5 L. 30 sect. 5. tit. de Incens. Altar. 6 Homil. 73. vel 83 in Matth. 7 Cap. Episcopus dist. 17. l. quoties de usufr. glos. in c. bone quidem 90. distinct. 12. 8 Lib. 1. sect. 12. c. 2. tit. Ordo quomodo Papa equitat in Pontificalibus. L. 2. sect. 2. tit. de hoc facto. 9 Lib. 3. sect. 5 tit. de Incens. Alt. 10 Ibidem tit. de hac re.

bel-

bellam primo loco gestavit, ut alibi a nobis observatum est.

1 Die duodecima Maii ann. 1504. cum equestri pompa Regis Angliæ Oratores ad obedientiam Pontifici exhibendam in Urbem primum introducerentur, Præfectus primo Oratori dexter adequitavit, cum eidem Tarentinus Archiepiscopus adequitaret sinister, secundus Orator ad dexteram habuit Salernitanum Principem, ad sinistram vero Britenoriensem Episcopum; tertii Episcopus Zamorensis latus tegebat sinistrum, Episcopus vero Redonensis Regis Galliæ Orator dexterum.

2 Die Decimaquinta Aprilis Ann. 1505. singulorum Regis Galliç Oratorum eamdem ob causam Urbem solemni equitatu primum intrantium dexteræ singuli suo ordine adhærebant, Præfectus, & duo Apostolici Palatii Præsules; sinistræ vero Urbis Gubernator, Episcopus Aquensis Regis Romanorum Orator, atque Episcopus Plocensis Orator Regis Poloniæ.

3 Idem omnino factum legitur erga Oratores Venetos, dum eodem Anno die 28. Aprilis ad obedientiam Pontifici præstandam Urbem primum ingrederentur. Ut enim modo commemoravimus Principem inter deducentes locum Præfectus obtinuit. At qui inter deducentes erant Urbis Gubernator, Orator Regis Romanorum, atque Orator Regis Galliæ.

4 Die prima Junii eodem Anno primus Orator Regis Lusitaniæ obedientiam Pontifici exhibiturus, inter Præfectum atque Jaderensem Archiepiscopum medius, dextero lateri hærentem Præfectum habuit, alter vero, medius inter Episcopum Agriensem & Episcopum Aquensem Regis Romanorum Oratorem, habuit Agriensem.

5 Die decimaquarta Aprilis Anno 1506. primo Oratori Ducis Sabaudiæ, qui, ut reliquorum Principum Oratores, de quibus hactenus diximus, Romam venerat, ut Pontifici obedientiam Pontificatus initio de more præstaret, Præfectus eques incessit ad dextram, Urbis Gubernator ad sinistram, secundo Palatii Præsul ad dexteram, atque ad sinistram Venetus Orator, tertio Palatii Præsul ad dexteram, ad sinistram vero Orator Florentinus.

6 Die vigesimaquinta Januarii eodem Ann. cum Pontifex in Cœnobio Sancti Pauli extra Urbem una cum Cardinalibus epularetur, solus Præfectus Cardinalium mensæ adsedit, cum tamen constet Principum Oratores, & Pontificem in via affectatos esse, & sacro interfuisse. Idem factum narratur eodem Anno die vigesimaquinta Aprilis, in quem Paschæ festum incidit, cum Pontifex post solemne sacrum uno & viginti Cardinalibus stipatus in domo Cardinalis Papiensis epulis exceptus est. Unus enim Præfectus cum Cardinalibus convivio est adhibitus.

7 Eodem Anno cum Antonius Ferrerius Cardinalis Perusiæ Legatus ab Urbe discedens a Cardinalibus de more equestri comitatu deduceretur, proxime post Cardinales Diaconos Præfectus incessit, eidemque in Diaconorum serie postremo prçteriens Legatias gratias egit.

8 Die vigesimaquarta Maii eodem Ann. cum in Palatio Vaticano Jordanus Ursinus Felicem de Ruvere in matrimonium duxisset, nuptialique epulo Cardinales, aliique Proceres exciperentur, Præfectus post Cardinales sedit, secundum illum Urbis Gubernator, deinceps suo ordine Cæsaris, Regis Galliæ, atque Hispaniæ Oratores.

1 Quo die Ferrariæ Dux Forum Syllæ (Imolam vocant) ad Pontificem venit ingenti Procerum comitatu, Præfectoq; proxime præeunte medius inter duos Cardinales eques processit.

Præfectus omnibus Proceribus, & Dynastis, sive Romanis, sive exteris, quibus in Pontificis Sacello Cardinalitii Subsellii jus non est, tum privatim, tum publice anteferri solet. Eam ob causam Julio Secundo Pontifice, Macedoniæ, & Salerni Principes, Mantuani Marchionis frater, Nolanus Comes, & alii eidem nobiliorem locum concessere. 56

2 Præfectus cum ex itinere ad Urbem venit solemni Pompa, atque ingenti Equitum multitudine, & Nobilium celebritate excipitur. Præcedere solent muli festum in morem exornati, atque itinerariis sarcinis onusti, quas stragula integit vestis gentilitiis ejusdem insignibus opere phrygio depicta: hos regunt agasones laxioribus sagis coloratis induti: subsequuntur Tubicines, tum Pontificiæ Custodiæ Equites, mulæ purpureis dorsualibus instratæ, auratisque bullis decoræ, quibus insident famuli a pedibus cum Cardinalitiis galeris secundum humeros dependentibus; deinde honestiores Cardinalium famuli, aliique nobiles viri permiste. Hos excipit familia Pontificis suis muneribus, ordinibusque distincta; dehinc Tympanistæ, tum Romani Proceres, ac Dynastæ ingenti circumpedum turba associati, quos sequitur Præfectus peditibus famulis veste consimili ornatis, magno numero stipatus, interque duos principis dignitatis viros medius Helvetiis Pontificis Custodibus utrinque ad latera procedentibus 3. Agmen claudunt Præsules, aliique insignes togati complures 4. In hunc ferme modum Urbem intrarunt Joannes Ruvereus Præfectus Anno 1472. & Franciscus Maria Feltrius ejus filius Anno 1504. idem iterum Anno 1505. 5 57

Novissime cum TADDÆUS BARBERINUS, Prænestinus Princeps, Eretanorum Dux, & Copiarum Ecclesiæ Generalis Ductor ab URBANO VIII. patruo absens in Consistorio quarto Idus Maii Anno 1631. Præfectus Urbis creatus esset, captaque Sedis Apostolicæ nomine Urbinatis ditionis possessione ad Urbem rediret, tertio Cal. Augusti, qui dies festo illius ingressui dicatus erat, obviam ad Portam Flaminiam processere familiæ, tum Pontificis, tum Cardinalium, atque Oratorum, omnesque qui Romæ aderant Proceres ac Dynastæ, singuli ingenti famulorum peditum numero stipati, equisque generosis ac vestibus insignes.

Pontifex inter Missarum solemnia, eum quem Urbis Præfectum delegerit, insignibus Magistratus vestibus sacro ac veteri ritu induere solet. Eundem a Pontifice digressum, iisdemq; ornamentis insignem per Urbem equestri pompa, magnoque apparatu illi ipsi, quos paulo ante commemoravi, comitari solent, domumq; deducere; huic tamen posteriori deductioni accedunt præterea omnes Populi Romani Magistratus suis singuli vestibus ac peculiari dignitatis ornatu conspicui. 6 Hujusmodi honoris 58

1 Jo. Burcard. in Diar fol. 120 2 Idem fol. 168 3 Idem fol. 170. 4 Idem fol. 176. 5 Idem fol 218 6 Paris de Grass. Burcard in Diar. fol. 208. 7 25. April Paris in Diar. fol. 210. 8 Paris ibid fol 216.

1 Paris ad Ann. 1506. 2 Lib. 3. sacr. Cærem sect 5 tit de Incens Alt tit de Ord dand Pacem. 3 Jacobus Volat in Diar Sixti IV Ann. 1483. 4 Jo. Burcard in Diar. Jul. II. 5 Paris de Grass. in Diar Jul. II. 6 Hist. Florent ab Ann. 1406. usque ad Ann. 1439.

obſequium præſtitum legimus Florentiæ Franciſco Urſino Anno 1436. cum ab Eugenio Quarto Urbis Præfectus inauguratus eſt.[1] Perſimile Romæ tum Leonardo de Ruvere Anno 1472. tum Octavio Farneſio Anno 1538. cum hic a Paulo Tertio, ille vero a Sixto Quarto Urbana Præfectura eſt inſignitus. Cumulatiſſimum vero Anno 1631. THADDÆO BARBERINO URBANI Octavi fratris filio. Nam præter hos de quibus in priori Comitatu diximus, poſteriorem auxerunt frequentes Populi Romani Magiſtratus, tum ſolemnibus indumentorum ornamentis inſignes, tum affectantium multitudine ac pompa maxime conſpicui.

59 2 Quo die Præfectus in Sacello Pontificio Præfecturæ Inſignia ſuſcipit, ad oſculum oris a Pontifice admittitur, atque eodem ipſo ornatu in ſupremo ſolii gradu ad Papæ dexteram parieti innixus, conſiſtit Diacono Cardinali, qui adſidet proximus, idemque facit quotieſcumque vel in eodem Sacello, vel in Templo coram Pontifice res ſacra ſolemni ritu peragitur, conſuetis ſuis veſtibus indutus. Ita Julio Secundo Pontifice Anno 1504. in Epiphania, & die Palmarum Franciſcus Maria Feltrius ibidem inferiorem habuit Robertum Salernitanum Principem[3]; iterum eodem Anno in Templo Beatæ Mariæ ſupra Minervam die Beatæ Virginis Annunciationi ſacro[4]; denuo Anno 1506. tum feſto die Purificationis Beatæ Virginis, tum Dominica Palmarum[5]. Ita Leone Decimo Pontifice Anno 1521. Joannes Maria Camerini Dux Urbis Præfectus die Purificationis Beatæ Virginis in Pontificis ſolio ipſi propior ſtetit, quam Nolanus Comes[6]. Denique in publico Conſiſtorio Franciſcus Maria Feltrius, Mantuani Marchionis fratre, ac Salernitano Principe in ſolii ſiniſtra parte adſtantibus, in dextera conſtitit[7].

60 Ubi ſacrarum Cæremoniarum Magiſtri de Thure in Sacello Pontificio adhibendo, de Pace offerenda, de Cereis die Purificationis Beatæ Virginis, aut Palmis Dominica Palmarum diſtribuendis, de Cineribus Quadrageſimæ initio ſuſcipiendis, de Pontificia Umbella geſtanda, de aqua celebrantis Pontificis manibus affundenda præcipiunt, ibi ſemper Præfectum omnibus poſt Cardinales, illoſque Principes, qui in eodem ſcamno Cardinalibus adſident, ſive Clericis, ſive Laicis ſine ulla controverſia anteferendum eſſe docent[8]: neque excipiunt Præſules cujuſcumque dignitatis, ac muneris, etiamſi ſacris veſtibus induti ſint[9]. Ita Anno 1506 Præfectus die Purificationis Beatæ Virginis Cereum a Pontifice accepit ante Epiſcopos Aſſiſtentes, Conſtantinum Macedoniæ Principem, atque Oratorem Cæſaris; & Anno 1505. relicto majori Cereo, quem ad Pontificis dexteram tenebat, Cereum ab ipſo minorem ante Salernitanum Principem accepit, qui tamen acceperat ante Præſules Aſſiſtentes[10]. At Præſules Aſſiſtentes ante Urbis Gubernatorem accipere ſolitos certum eſt, a quo ſine controverſia accipitur ante Cæſareum, & Regios Oratores[11]. Idem in Palmarum diſtributione contigit Ann. 1505. & 1506. quo tempore Præfectus Palmam geſtabat ad Pontificis dexteram, Princeps vero Salernitanus atque Urbis Senator geſtabant ad ſiniſtram. Quod ad manuum ab- 61
lutionem pertinet, certum eſt Pontifici ſolemni ritu celebranti quater aquam manibus miniſtrari, eumque, qui poſtremus miniſtrat, dignitate cæteris præcellere. Ea de cauſa memoriæ traditum eſt[1], Anno 1505. Julio Pontifici die Paſchatis aquam primum a Florentino Oratore datam, ſecundum a Veneto, tertium a Polono, quartum a Præfecto Urbis. Et die Nativitatis Domini primum a Florentino Oratore, ſecundum a Veneto, tertium a Conſtantino Macedoniæ Principe, quartum a Præfecto.

1 Gaſp. Blond. in publi. Inſtrum. Ex Diar. Mag. Cærem. 2 Blaſius de Cæſena in Diario Pauli Tertii ad Ann 1537. Lib. 3. ſacr. Cærem. ſect. 5 cap. 2. Paris de Craſſ. tit. de his, qui in ſol. Pontif. ſtare vel ſedere ſolent fol. 60. & 205. & in Cæremon. mſ tit. de incenſat general & in Diar. ad Ann. 1505 3 Burcar. in Diar. fol. 104. Paris in Diar. fol. 69. 4 Paris in Diar. fol. 108. 5 Burcar. in Diario fol. 211. 6 Burcard. ibidem fol. 215. 7 Burcard. ibid. fol. 322. 8 Lib. 3. ſacr. Cærem. ſect. 5. Paris in Diar. fol 187 10 Paris in Diar. fol. 77. 11 Paris in Diar. ad hos annos.

CAPUT VI. & ULTIMUM.

Series Præfectorum a Romulo Rege ad hæc uſque tempora, & varia de illis hiſtoria.

QUos nonnulla mea diligentia conquiſitos Urbi Præfectos habere potui, eos hic tibi exhibeo: qua in re fateor me uſum fuiſſe opera tum Onuphrii Panvinii, tum Auctoris Anonymi, qui ab Anno poſt Chriſtum natum 256. eorum numerum recenſuit uſque ad Annum 355. Quorum Scriptorum Chronologias ſecutus laborandum minime duxi, ut caſtigatiores a me homine aliis rebus occupato prodirent, quam ab illis otio fruentibus editæ ſint. Multos Præfectos, qui eiſdem exciderant, ſupplevi: reliquos, qui poſteriori ætate ad id dignitatis ſunt evecti, ſuo ordine enumeravi: Notas atque Inſcriptiones ex veteribus monumentis cum plurimorum nominibus adjeci: videbis, Lector, & conferes.

Anni ab Urb. Cond.

DENTRES ROMVLEVS Romulo Rege, Tacit. lib. 6. *Annal.* Euſebius in *Chronico*.

NVMA MARTIVS, ſive MVMARTIVS Rege Tullo Hoſtilio, Tacit. *ibidem*. 82

SPVRIVS LVCRETIVS Rege Tarquinio Superbo, Tacit. *ibid.* Dionyſ. lib. 4. *Antiq. Rom.* num. 86. 299

Conſules, qui Præfecti munus obirent, creati, ut videtur innuere Tacit. dicto lib. 6. *Annal.* ſed apud Titum Livium Decad. 1. lib. 1. in fin. ſic legitur: *duo Conſules Comitiis Centuriatis a Præfecto Urbis creati ſunt*. 244

SPVRIVS LARGIVS a Conſulibus creatus Præfectus ſcilicet Urbis, ut aliqui interpretantur apud Dionyſium *Antiq. Rom.* lib. 8. num. 73. 267

PVBLIVS LVCRETIVS, Titus Liv. lib. 1. Dec. 1. 294

QVINTVS FABIVS VIBVLANVS, Dion. Halic. lib. 10. num. 7. Tit. Liv. lib. 1. Dec. 1. 296

QVINTVS SERVILIVS, Alexander ab Alexandro *Genial. Dier.* lib. 6. cap. 20.

Anni Chriſti.

FILIVS QVINTI SERVILII eidem ſubſtitutus, Alex. *ibidem*.

CILICIVS, ſeu CILNIVS MÆCENAS Auguſto Imperatore, Tacit. lib. 6. *Annal.* 1

MARCVS MESSALA CORVINVS eodem Principe, Tacit. *ibidem*, Alexan. ab Alexan. *Genial. Dier.* lib. 6. cap. 20. de quo forte Cl. Rutilius Numatianus in *Itinerario*,

Hic & Præfecti nutu Prætoria rexit;
Sed menti & linguæ gloria major ineſt.

1 Lib. 3. Cærem. ſect. 5. c. 4. Paris in Diar. fo. 105.

TAVRVS STATILIVS, Tacit. eodem lib. 6. *Annal.*

15 LVCIVS PISO, qui per viginti annos in Præfectura probatus, publico funere ex decreto Senatus celebratus est, Tacit. dicto lib. 6. *Annal.* Suet. in *Tiberio;* huic Horatius *Poeticam* inscripsit.

Inter hæc tempora reponendi videntur

ÆLIVS LAMIA, qui non amplius biennio superstes in Magistratu obiit, Notitia Imperii Occid. cap. 4. *de Præf. Urb.*

PAVLVS ÆMILIVS Pauli filius, de quo exstat Inscriptio Sagunti in Arcis pariete:

PAVLO ÆMILIO PAVLI FILIO
PAL. REGILLO XV. VIR SACRIS
FACIVND. PRÆFECTO VRBI JV-
RI DICVNDO QVÆSTORI J. CÆ-
SARIS AVGVSTI. PATRONO.

COSSVS, de quo Seneca lib. 12. *Epist.* ad Lucillum Epist. 84. *Tiberius proficiscens in Campaniam Cossum fecit Urbis Præfectum.*

50 TITVS AVRELIVS FVLVIVS, de quo Julius Capitolin. in *Antonino Pio*, initio: *Avus*, inquit, *Antonini Titus Aurelius Fulvius, qui per honores diversos ad secundum Consulatum, & ad Præfecturam Urbis pervenit.* Recens Auctor in *Comment. Reip. Romanæ* lib. 2. cap. 2. num. 30. fol. 93. meminit Onuphrius ad Annum 86.

60 FLAVIVS SABINVS, Vespasiani Cæsaris germanus frater, qui 12. annis Præfecturam Urbis obtinuit, ex Tacit. lib. 3. *Hist.* & lib. 1. *Adjungitur*, inquit, *Licinius Proculus intima familiaritate Othonis suspectus consilia ejus fovisse, Urbi Flav. Sabinum præfecere, judicium Neronis secuti.* Et lib. 2. *Hist. Idei Plautius Varus Præfectura functus ex intimis Dolabellæ amicis apud Flavium Sabinum Præfectum Urbis objecit.* Et de eo forte loquitur Suetonius in *Vita Vespasiani*.

75 MARCVS ANNIVS VERVS, avus Marci Antonini Imperatoris Philosophi, Capitolin. in *Marco Anton.* Anno Christi 122. Consul, & adscitus inter Patricios, Censoribus Vespasiano & Tito, hoc est, Anno 57.

De quo forte Inscriptio Beneventi in quadam Taberna:

C. LVCIVS C. F. STEL. SABINVS
BENEVENTI DECVRIO VIVVS SI-
BI, ET GALLIAI PARATAI VXORI,
ET LVCCIO VERECVNDO FRA-
TRI, POSTERISQVE SVIS FE-
CIT, MILITAVIT IN COH. OR.
VRB. ADIVT. TRIB. ORFIT. SE-
CVTOR, OPTIO VALETVDI. OP-
TIO ARCARIS SINGVLARIS BE-
NEFICO TRIBUN. QVÆSTIONI-
BVS FACTIS PER ANNIVM VE-
RVM PRÆFECTVM VRBIS ET
TESSERARIVS OPTIO SIGNIF. FI-
SCI CVRAT. OPTIO ABACT. COR-
NICVLVS TRIB. BENEF. VVLTEI
ASTATIN. PRÆF. VRB. MISSVS
AB IMPER. ADRIANO AVG. SER-
VIANO III. VI. BIOVARO COS.
BR. VIA MAIENVTIO CLARO II.
COS. IN FIN. P. XX. IN AGR. P. XX.

Sallen. Tom. I.

LVCIVS VOLVSIVS Præfectus Urb de quo Plin. lib. 7. *Nat. Histor.* cap. 14. & Onuphr. ad Annum Christi 57.

PEGASVS Jurisconsultus floruit sub Vespasiano & Domitiano, *l. 1. in fin. ff. de origin. Juris*; de illo Juvenalis Sat. 4. 84

—— rapta properabat abolla
Pegasus attonitæ positus modo Villicus Urbi, &c.

Vexabat enim tunc Romam Domitianus. Porro Villici appellatione Urbanos Præfectos censeri apud Poetas animadvertit Cujac. c. 37. lib. 10. *Observation. Juris*.

TITVS PLAVTIVS M. F. de quo Inscriptio in Agro Tiburtino ad Pontem Lucanum in Sepulcro Marmoreo:

TI. PLAUTIO M. F. AN. . . . . SILVANO
ÆLIAN. PONTIF. SODAL. AUG. III. VIR.
A. A. A. F. F. Q. TI. CÆSARIS LEGAT. LEG.
V. IN GERMANIA PRÆF. URB. LEGAT.
ET COMITI CLAUDII CÆSARIS IN BRI-
TANNIA. CONSULI, PROCONSULI, ASIÆ LE
GAT. PRÆPOSIT. MOESIÆ, IN QUA PLU-
RA, QUAM CENTUM MILLIA EX NUME-
RO TRANSDANUVIANORUM AD PRÆ-
STANDA TRIBUTA, CUM CONJUGIBUS,
AC LIBERIS, ET PRINCIPIBUS, AUT RE-
GIBUS SUIS TRADUXIT. MOTUM ORIEN-
TEM SARMATAR. COMPRESSIT, QUAM-
VIS PARTEM MAGNAM EXERCITUS AD
EXPEDITIONEM IN ARMENIAM MISIS-
SET &c. PRIMUS EX EA PROVINCIA MA-
GNO TRITICI MODO ANNONAM P. R.
ADLEVAVIT, HUNC LEGATUM IN HIS-
PANIAM AD PRÆFECTURAM URBIS RE-
MISSUM SENATUS IN PRÆFECTURA TRI-
UMPHALIBUS ORNAMENTIS HONORA-
VIT, AUCTORE IMPER. CÆSARE AUGU-
STO VESPASIANO VERBIS EX ORATIONE
EJUS Q. I. SS.
MOESIÆ ITA PRÆFUIT, NON UT DEBUE-
RIT IN ME DIFFERRI HONOR TRIUM-
PHALIUM ORNAMENTORUM, NISI QUOD
LATIOR EI CONTIGIT MORA TITULUS
PRÆFECTO URBIS, HUNC IN EADEM
PRÆFECTURA URBIS IMPER. CÆSAR
AUGUSTUS VESPASIANUS ITERUM CON-
SULEM FECIT.

Meminit Panvinus ad Annum Christi 77.

QUINTUS SATURNINUS Præfectus Urbis, cujus filius ponitur Consul ab Onuphrio ad Annum Christi 88.

ANIANVS, quo Præfecto passi sunt Simplicius & Servilianus die 20. Aprilis Ann. 100. teste Baronio in *Annalib.* tom. 2. 100

BÆBIUS MACER initio Imperii Adriani Præfectus Urbi etiam ipsi Imperatori metuendus; Spartianus in *Vita Adriani*: *Tantum autem statim clementiæ studium habuit, ut cum sub primis Imperii diebus ab Tatiano per epistolas esset admonitus, ut & Bæbius Macer Præfectus Urbis, si retineretur ejus Imperio, necaretur*, &c. *neminem læderet*. 118

LUCIUS CATILIUS SEVERUS, proavus maternus Marci Imperat. & Consul ad Annum 122. cujus meminit Julius Capitol. in *Vita Marci Antonini Philosophi*, initio: *Bis Consul, & Præfectus Urbi*. Spartianus in *Adriano*: *Antonini adoptionem plurimi tunc factam esse doluerunt, speciatim Catilius Severus Præfectus Urbi, qui sibi præparabat Imperium*. 122

125 Circa Ann. 125. ab aliquibus ponitur AVRELIANVS Præfectus Urbis sub Alexandro Papa, qui evectus est ad Pontificatum Anno 118. vel 121. ut placet Baronio; hic plures baptisatos die 10. Aprilis navi impositos in mare deduci, & ligatis ad colla lapidibus in profundum demergi jussit, ut in Martyrologio.

132 HERMES, de quo in Actis Alexandri Papę & Martyris apud Surium menseMaii, & exstat Inscriptio in antiquo marmore Sacelli Sancti Pastoris in Ecclesia Sanctæ Pudentianæ:

Martyris & Papæ Felicis honore secundi,
Nec minus Hermetis Præfecti martyris Urbis,
Et Tranquillini, Marci, Marcellique avi.

137 MARCVS ANTONINVS PHILOSOPHVS natus Anno Christi 122. & paulo post annum 15. expletum circa Annum 137. creatus est Urbis Præfectus, Jul. Capitol. in *ejus Vita*.

ORPHITVS, seu MEMMIVS VETRASIVS ORPHITVS, Præfectus Urbi Antonino Pio post tertium annum Imperii. Capitolinus in ipso *Antonino*: *Successorem viventi bono Judici nulli dedit, nisi Orphito Præfecto Urbis, sed petenti*. De quo exstat Inscriptio Romæ prope S. Stephanum in Silice in Basi marmorea:

APOLLINI SANCTO MEMMIVS VETRASIVS ORPHITVS V. C. BIS PRÆFECTVS VRBI ÆDEM PROVIDIT, CVRANTE FL. CLAVDIO EVANGELO V. C. COMITE.

Et alia in Templo S. Priscæ in Monte Aventino:

HONORI.
MEMMIO VETRASIO ORPHITO V. C. NOBILITATE, ACTIBVSQVE AD EXEMPLVM PRÆCIPVO PRÆFECTO VRBI, ET ITERVM PRÆFECTO VRBI, PROCONSVLI APHRICÆ, AC TERTIO SACRARVM COGNITIONVM JVDICI COMITI, IN CONSISTORIO ORDINIS PRIMI LEGATO SECVNDO IN DIFFICILLIMIS TEMPORIBVS PETITV SENATVS, ET POPVLI ROMANI, COMITI ORDINIS SECVNDI EXPEDITION. BELLICAS GVBERNANTI, CONSVLARI SICILIÆ PONTIFICI SOLIS PONTIFICI VESTÆ, XV. VIRO S. P. CONSVLI, PRÆTORIQVE X. OMNIBVSQVE PERFVNTO HONORIBVS INTRA ÆTATIS PRIMORDIA OB PROVIDENTIAM, ET STATVM OPTIMVM VRBI ROMÆ AB EO REDDITVM. CORPVS OMNIVM MANCIPVM SVB ÆRE CONSTITVIT.

Romæ in Basi effossa ad Templum Sanctorum Joannis & Pauli in Cælio Monte:

DOMINO NOSTRO.
CL. JVLIANO NOBILLISSIMO AC FORTISSIMO CÆSARI MEMMIVS VETRASIVS ORPHITVS V. C. ITERVM PRÆF. VRB. JVDEX SACRARVM COGNITIONVM TERTIVM D. N. M. Q. EJVS.

164 VRBICIVS, quo Præfecturam gerente Ptolomæus passus est die 19. Octobr quem Baron. in *Annal.* ponit ad Annum 164.

165 RVSTICVS Præfectus Urbis, seu Præses, dum S. Justinus Martyr passus est, Baron. ad Ann. 165.

PVBLIVS, quo Præfecto septem filii Sanctæ Felicitatis coronati sunt Martyrio die 10. Julii ad Ann. 175. sub Marco Aurelio, Baron.

VITRASIVS POLLIO, ut in Litteris Marci Aurelii Imper. in quibus pœnam statuit eis, qui Christianos accusaverint, cum illorum precibus videlicet 12. legionis, quam fulminatricem postea dixit, pluviam de cælo lapsam & fulmina in hostem conversa testetur, & victoriam de hostibus in Bellô Marcomannico reportasse, anno ab Urbe condita 927. ut refert Onuphrius in *Fastis* ad suprascriptum annum.

CLEANDER sub Commodo Imperatore, ex Marcellin. lib. 26. Post 181

PERENNIVS, seu PERENNIS, cujus tempore B. Apollonius Senator die 18. Aprilis passus est, ad Annum 189. secundum Baron. Hunc Herodianus lib. 1. *Histor.* ponit Præfectum Militum Prætorianorum.

PATERNVS ad hæc tempora referendus est, de quo Lampridius in *Commodo*: *Præfectos Paternum & Perennum non diu tulit, ita tamen ut etiam de his Præfectis, quos ipse fecerat, triennium nullus impleret*, &c. & *Præfectos Urbi eadem facilitate mutaret*. Hic quoque fuit Præfectus Prætorio.

FVSCINIANVS, seu FVSCIANVS, de quo Capitolinus in *Pertinace*: *Post hos Præfectus Urbi factus, in qua Præfectura post Fuscianum hominem severum Pertinax mitissimus & humanissimus fuit.* Tertullianus lib. 1. cap. 6. *ad Nationes*: *Unde ista quoque talis ante Tragœdia erupit Fusciano Prefecto Urbis judicata punitione Senatus*, Anno scilicet 194. quo Anno, die ultima cæsus est Commodus Imperator, ut ex Clemente Alex. lib. 1. *Stromat.* Dubia mihi est hujus Anni supputatio, si enim Pertinax plures annos Præfecturam gessit, atque ex Præfecto creatus est Imperator Anno 195. non potuit Fuscinianus esse Præfectus Anno 194. Sed quicquid sit de supputationis veritate, satis est, eum Præfectum ante Pertinacem fuisse. 194

PERTINAX, &c. Imperator Calendis Januarii 195. ex Præfecto creatus est Imperator, Falcone & Claro Consulibus. Fuit per plures annos Urbi Præfectus, ut ex Herodiano lib. *Histor.* 2. *Cæteri tot annos Urbi Præfectum non honore solum, sed etiam admiratione dignissimum judicastis*, inquit Lætus in *Orat. ad milites*. 195

CLAVDIVS SVLPICIANVS, seu FLAVIVS CLAVDIVS &c. Pertinacis socer, Urbis Præfectus, creatus est Consul Anno Christi 197. Herodian. lib. 2. *Histor. Eodemque tempore Sulpicianus, & ipse Vir Consularis, ac Præfectus Urbis, socerque Pertinacis, Imperium licitabatur*. 197

DOMITIVS DEXTER, de quo Spartianus in *Severo*, & quem Onuphr. ad Annum 199. locat Consulem II.

PLAVTIANVS Severo Imperatore, Marcel. lib. 26. *Et onerosior Plautiano, qui Præfectus, itidem sub Severo, ultra mortale tumens cuncta confuderat, ni gladio periisset ultore*. Recens Auctor *de Rep. Rom.* lib. 2. cap. 2. fol. 93. num. 40. Herodianus lib. 3. *Hist.* hunc asserit fuisse Præfectum cohortibus Urbanis fol. 71.

AVFIDIVS VICTORINVS, cujus meminit Capitolin. in *Marco*, & fuit secundum Consul ad Ann. 181. ut habet Panvin. in *Fast.* cujus exstat Inscriptio in Fano Fortunæ in Littore Adriatico.

A MARCO AVFIDIO FRONTONI PRONEPOTI M. CORNELI FRONTONIS ORATORIS COS. MAGISTRI IMPERATORVM LVCI, ANTONINI NEPOTI AVFIDI VICTORINI PRÆF. VRB. II. CONS. FRONTO. COS. FILIO DVLCISSIMO.

Circa 200 AMMIVS MANIVS CÆSONIVS NICOMACHVS ANICIVS PAVLINVS, de quo exstat Inscriptio Romæ in Vinea Pontificis:

HONORI.

B AMMIO MANIO CÆSONIO NICOMACHO ANICIO PAVLINO V. C. CONS. ORDINARIO PRÆF. VRBI, IVD. SACRARVM COGNITIONVM, CONSVLI PROVINCIÆ ASIÆ, ET HELLESPONTI VICE SACRA IVDICANTI LEGATO KARIENSI SVP. PRO. CONS. APHRICÆ ANICIO IVLIANO PATRE SVO, CVIVS PROVIDENTIA, ATQVE EVTILITAS, ET INTEGRITAS REIPVBLICÆ CORPORI CORARIORVM INSVLAS AD PRISTINVM STATVM SVVM, SECVNDVM LEGES PRINCIPVM PRIORVM IMPERATORVM VAL. SEPTIMI SEVERI, ET M. AVRELII ANTONINI RESTAVRARI, ATQVE ADORNARI PER VICINVM EA SVA PROVIDIT IN MERA MEMORIA, ATQVE IN OMNIA IVSTITIA SVA CORPVS CORARIORVM PATRONO DIGNO STATVERVNT.

201 PLAVTIANVS VRBIS Præfectus relictus a Severo Imper. dum in Orientem una cum filiis profectus est, Baron. in *Annal.* tom. 2. fol. 305.

Per hæc tempora FABIVS CYLO SEPTIMIVS, de quo in *l.* 1. *ff. de offic. Præf. Urb.* & in *l. inter pœnas, ff. de interdict. & relegat.* Idem legitur fuisse Consul ad Annum 205.

202 POMPONIVS BASSVS, de quo Spartianus, & Dio, ab Alagabalo cum filio Messala interfectum fuisse scribit, ut refert Onuphr. ad ann. V. C. 964. in *Fastis*.

218 C. PERPENNIANVS, ut in Inscriptione, quam refert Onuphr. Panv. in *Fastis* ad annum 970. & alii:

M. OPELI ANTONINI DIADVMENIANI CÆSARIS PRINCIPIS IVVENTVTIS C. PERPENNIANVS V. C. PRÆF. VRB. DD.

229 VLPIANVS, seu VLPIVS, Alexandro Severo imper. quo Præfecto inter alios passus est S. Hippolytus Episcopus Portuensis die 22. Augusti 229. ut tradit Baron.

232 TVRCIVS AMACHIVS, seu ALMACHIVS, eo Præfecto Sancta Cæcilia die 22. Novembris, & Tiburtius, & Valerianus, & Maximus die 14. Aprilis passi sunt, juxta ea, quæ tradunt Marianus Scotus in *Chron.* Ann. 235. & Card. Baron.

Circa 239 SABINVS. Julius Capitolinus in *duobus Maximinis: Interfectus est Sabinus Præfectus Urbi, percussus in Populo:* Et in *Gordiano Seniore: Tunc & Præfectus Urbi Sabinus, Consularis Vir, fuste percussus, occisus, & in publico derelictus est.*

MAXIMVM PVPIENVM ex Præfecto Urbis Senatus Augustum appellavit, Capitolin. in *duobus Maximinis*.

254 FL. EVRYCLES EPITYNCANVS, de quo Panv. ad ann. 996. cujus exstat Inscriptio Romæ in S. Vito ad Arcum Gallieni in Macello Liviæ in Basi:

FL. EVRYCLES CONDITOR HVIVS FORI EPITYNCANVS V. C. COS. X. KAL. FEBR. PRÆF. VRB. ARRIANO ET PAPO COSS.

CEIONIVS ALBINVS, cui scribit Valeria- Post 254
nus Augustus, ut Aureliano tunc Duci exercitus, postea Imperatori, pabulum extra ordinem decernat. Epistolam refert Vopiscus in *Aureliano*. Hic videtur fuisse Consul Ann. 334. idcirco haud est verisimile, eum hoc tempore Urbis Præfectum fuisse, nisi dicamus alium esse ejusdem nominis; de hoc loquitur Inscriptio Romæ ad Arcum Septimii Severi in Basi:

EXSTINCTORI TYRANNORVM, AC PVBLICÆ SECVRITATIS AVCTORI D. N. VALENTINIANO PERPETVO, AC FELICE SEMPER AVGVSTO. CEIONIVS RVFIVS ALBINVS. V. C. PRÆF. VRBI ITERVM VICE SACRA IVDICANS D. N. M. Q. EIVS.

C L. VIRIVS PAVLLINVS, de quo in hac Inscriptione, quam Panvin. refert ad ann. V. C. 1006.

D. N. C. ÆMILIANO FORTISSIMO PRINCIPI HERCVLI CONSERVATORI L. VIRIVS PAVLLINVS V. C. COMES DOMESTICORVM PRÆF. VRB. D. N. M. Q. EIVS.

AVRELIVS MARCELLINVS, de quo in 256
Inscriptione relata a Panvin. ad ann. V. C. 1018. in antiquo Arcu Veronæ:

D COLONIA, AVGVSTA, VERONA NOVA, GALLIENIANA, VALERIANO II. ET LVCILLO CONS. MVRI VERONENSIVM FABRICATI EX DIE III. NON. APRILIVM DEDICATI PR. NON. DECEMBRIS IVBENTE SANCTISSIMO GALLIENO AVG. N. INSISTENTE AVRELIO MARCELLINO V. P. DVC. DVC. CVRANTE IVLIO MARCELLINO.

Nisi litteræ *V. P.* notent *Virum perfectissimum*.

LOLLIANVS, qui Valeriano Augusto II. & Gallieno Augusto Consulibus fuit Præfectus, Panv. ex incerto de Præfectis Auctore, qui ab hoc incipit.

E VALERIVS MAXIMVS. incer. Auctor, & Panv. ad ann. 1008. ab Urbe condita.

NVMMIVS ALBINVS, Panv. ad ann. 1009. 257

JVNIVS DONATVS, Panv. ad ann. 1010. hoc Præfecto passæ sunt Sancta Ruffina & Secunda sorores; Valeriano quartum & Gallieno tertium Coss. Baron. reponit ad Annum 260.

CORNELIVS SÆCVLARIS, Panv. ad 259
ann. 1011. & seq.

CENSORINVS, de quo Trebellius in ipso, *Bis Consul, bis Præfectus Prætorii, ter Præfectus Urbis, quarto Proconsul.*

F NICETIVS, cujus magistratus tempore San- 262
cta Eugenia die 25. Decembris Anno 262. jugulata est, secundum Baron.

MVMMIVS ALBINVS ab Ann. Chr. 263. 263
ad 265.

AP. POMPEIVS FAVSTINVS, Panvin. ad 265
ann. 1015. de quo mentio in Inscriptione:

AP. POMPEIVS FAVSTINVS. V. C. PRÆF. VRB. DD.

266 PATERNVS.

268 MACER RVFINIANVS, seu L. CÆSONIVS LVCILLVS MACER RVFINIANVS, cujus Inscriptionem refert Panvin. e vico Corocollo translatam ad Urbem in Hortos Carpenses:

C. CÆIONIVS C. F. QVIRINA LVCILLVS
MACER RVFINIANVS CONSVL FRATER
ARVALIS PRÆFECTVS VRBI ELECTVS
AD COGNOSCENDAS VICE CÆSARIS CO-
GNITIONES PROCOS. V. PROV. AFRICÆ
INTER XX. VIROS EX SENATVSCONSVL-
TO R. P. CVRANDÆ CVRATOR AQVA-
RVM, ET MINICIÆ CVR. ALVEI TIBE-
RIS, ET CLOACARVM VRBIS, LEGATVS
PROV. AFRICÆ, EODEM TEMPORE VI-
CE PROCONSVL, CVRATOR. R. P. TV-
SCVLANORVM, CVRATOR R. P. SVESSA-
NORVM, PRÆTOR KANDIDATVS, QVÆ-
STOR KANDIDATVS ELECTVS IN FAMI-
LIAM PATRICIAM X. VIR STLITIBVS IV-
DICANDIS.

269 PETRONIVS VOLVSIANVS ad annum 1021.

270 PLACIDVS, quo Præfecto Interamnæ passus est B. Valentinus die 13. Februarii Anno 270. Claudio Cæsare, ut placet Baron.

271 FLAVIVS ANTIOCHIANVS ad annum 1023.

Post 271 IVNIVS TIBERIANVS, Vospicus in *Aurelian.* in princip. *Hilaribus, quibus omnia festa & fieri debere scimus, & dici impletis solemnibus, vehiculo suo me & judiciali carpento Præfectus Urbi, Vir Illustris, ac præfata reverentia nominandus, Junius Tiberianus accepit.*

273 POSTHVMIVS VARVS, Panv. ad ann. 1023.

275 PLATO, quo Præfecto Urbis Basilides, Tripodes, Mandales, & alii die x. Junii passi sunt Anno 275. ut censet Baron. Hic in Martyrologio vocatur etiam Præses.

275 276 FVRIVS ORFITVS, hunc Baronius ponit Præfectum ad Annum Christi 275. & subdit: *Seriem Præfectorum a Cuspiniano in Commentario ad Cassiodori Consules positam non constare.* Hic fuit Consul Anno 276. deque eo exstat Inscriptio Romæ:

IMP. CÆS. L. DOMITIO AVRELIA-
NO PIO, FÆLICI, INVICTO, AVG.
PONTIF. MAXIMO GOTHIC. MAX.
GERMANICO MAX. TRIB. POT. V.
CONS. DESIG. III. IMP. P. P. PRO-
CONS. RESTITVTORI ORBIS, IN-
VICTISSIMO, ET VICTORIOSIS-
SIMO PRINCIPI FVRIVS ORFI-
TVS. V. C. PRÆF. VRBIS DEVO-
TVS NVMINI, MAIESTATIQVE
EIVS DED. KAL. FEBR. AVRE-
LIANO AVGVSTO III. ET MAR-
CELLINO COS.

276 POSTHVMVS SYAGRIVS, Panv. ad ann. 1028.

277 OVINIVS PACATIANVS, Panv. ad ann. 1020. *l. si quis 2. C. de sponsal.*

278 FVRIVS LVPVS, Panv. ad ann. 1030.

281 OVINIVS PATERNVS, Panv. ad ann. 1033.

282 POMPONIVS VICTORINVS, Panv. ad ann. 1034.

283 TITVRIVS ROBVSTVS, Panv. ad ann. 1035

284 CELERINVS, quo Præfecto Chrysanthus & Daria ejus uxor die 25. Octobris passi sunt; si hæc facta sunt Valeriano Principe, necessario cadunt in Ann. 255. si vero Numeriano, in Annum 283. Baron. in Martyrologio nihil certi affirmat, sed in *Annal.* reponit sub Numeriano ad Ann. 284.

MARCIANVS, quo Præfecto Marinus Senator 22. Decembr. passus est, ex Baron. sententia ad Ann. 284. tom. 2. fol. 715. nu. 10. 284

CEIONIVS VARVS, hunc Baronius refert gessisse Præfecturam Anno 282. & eodem Anno eandem dignitatem gessisse Chromatium, & non esse mirandum, subdit, duos eodem tempore dici Præfectos, cum illi etiam ex usu loquendi vocantur Præfecti, qui Vicariam tantum gererent Præfecturam, de qua re alibi: Chromatium fuisse Præfectum Urbis asseritur in Actis, seu Vita S. Sebastiani; illius Palatium positum erat in Urbe ad Ecclesiam S. Stephani in Piscina. 284

JVNIVS MAXIMVS, Panv. ad ann. 1038. & 1039. *l. quoniam 7. C. ad l. Flaviam de Plagiar. l. ubi falsi 22. C. ad l. Corneliam de falsis.* 286

POMPONIVS IANVARIVS, Panv. ad Ann. 1041. & 42. Circa hæc tempora. 288

JVLIVS FEROX CAMPANIANVS, de quo exstat Inscriptio in duobus Statuarum Basibus, olim in Domo Bernardini Cardinalis Maffei:

IVLIVS FEROX CAMPANIANVS
V. C. PRÆF. VRB. AD AVGEN-
DAM THERMARVM TRAIANA-
RVM GRATIAM COLLOCAVIT.

TVRRIANVS GRATIANVS, Panv. ad ann. 1042. 290

IVNIVS TIBERIANVS, Panv. ad ann. 1043. 291

CLAVDIVS MARCELLVS, Panv. ad ann. 1044. 292

SEPTIMIVS ACYNDINVS, Panv. ad ann. 1045. & 46. 293

ARISTOBOLVS, Panv. ad ann. 1045. 295

CASSIVS DIO, Panv. ad ann. 1048. 296

AFRANIVS ANNIBALIANVS, Panv. ad ann. 1049. 297

ARTORIVS MAXIMVS, Panv. ad ann. 1050. 298

ANICIVS FAVSTVS. Panv. ad ann. 1051. de quo loquitur Inscriptio in Horto Julii Tertii, Fragm. 299

SIMVLACRVM MINERVÆ ABO-
LENDO INCENDIO TVMVLTVS
CIVILIS IGNI TECTO CADENTE
CONFRACTVM ANICIVS ACI-
LIVS AGINATIVS FAVSTVS V.C.
ET IN L. PRÆF. VRB. VICE SA-
CRA IVDIC. VI.

POMPEIVS FAVSTINVS, Panv. ad ann. 1052. 300

ÆLIVS DIONYSIVS, Panv. ad ann. 1053. 301

NVMMIVS TVSCVS, Panv. ad ann. 1054. 302

IVNIVS TIBERIANVS, Panv. ad ann. 1055. 303

HERACLIVS RVFFINVS, Panv. ad Ann. 1056. de quo forte *l. 3. C. de offic. Præf. Urb.* 304

POSTHVMIVS TITIANVS, Panv. ad ann. 1047. 305

LEODICIVS, quo Præfecto Papia & Maurus Milites die 29. Januarii, & Apronianus 2. Febr. Anno 303. passi sunt, teste Baronio. 303

AVRELIVS, quo Præfecturam administrante Basilides, Cyrinus, Nabor, & Nazarius die 12. Junii Anno 303. Martyrium subierunt, Baron. 304

304 SEMPRONIUS, cujus Magiſtratus tempore B. Agnes die 21. Januarii ignibus injecta eſt. Baron. de ea loquitur in *Annal.* ad Annum 304. licet affirmet certum annum non haberi.

306 ANNIUS ANNULINUS, Panv. ad ann. 1058.

307 JUSTUS TERTULLUS, Panv. ad ann. 1059.

308 STATIUS RUFINUS, Panv. ad ann. 1060.

310 ANNIUS ANNULINUS xxxiii. Præfectus Urbi fuit iii. Cal.

HERACLIUS RUFINUS II. Præfectus Urbis, ut refert Panv. ad ann. 1062.

311 TARQUINIUS PERPENNAS, quo Præfecto die 22. Auguſti paſſus eſt S. Timotheus, de quo Baron. ad Ann. 311.

313 RUFINUS VOLUSIANUS, ſeu C. CEJONIUS RUFIUS VOLUSIANUS, qui forte eſt idem cum eo, de quo ad Ann. 364. & de quo exſtat Inſcriptio:

VICTORIIS. D. D. N. N. C. CEIONIUS RUFIUS VOLUSIANUS V. C. PRÆFECTUS URBI ITERUM IUDEX SACRARUM COGNITIONUM.

Romæ in Thermis Antoninianis in Baſi:

.... FLORES ....
.... ET PIISS ....
.... D. N. VALE ....
.... MAXIM. ....
.... SEMPER ....
.... C. CEJONIUS ....
.... V. C. PRÆF. ....
.... PRÆF. URB. ....
.... IUDIC. D. N. ....

Romæ in Baſi ex Thermis Antoninianis allata in impluvium S. Petri ad Vaticanum:

VICTORIIS, TRIUMPHISQUE MAGNIFICO D. N. VALENTINIANO INCLYTO PRINCIPI SEMPER AUG. RUFIUS VOLUSIANUS V. C. PRÆF. URB. ITERUM IUDEX SACRARUM COGNITIONUM CLEMENTIÆ EIUS DEDICATUS.

Romæ in Palatio Farneſiorum ad Campum Floræ in Baſi Gordiani:

VICTORIIS, TRIUMPHISQUE MAGNIFICO D. N. VALENTI INCLYTO PRINCIPI SEMPER AUG. RUFIUS VOLUSIANUS PRÆFECTUS URBI ITERUM IUDEX SACRARUM COGNITIONUM CLEMENTIÆ EIUS DICATUS.

Et alia Romæ in Baſi effoſſa in Foro Romano ante ædem Sancti Adriani 1548.

MAXIMO PRINCIPI INDULGENTISSIMO DOMINO VALENTI TRIUMPHATORI SEMPER AUGUSTO C. CEIONIUS RUFIUS VOLUSIANUS V. C. PRÆF. URBI ITERUM IUDEX SACRARUM COGNITIONUM SERENITATI EIUS DICATUS.

Et alia Romæ in S. Potentiana apud Sanctam Mariam Majorem:

RELIGIOSISSIMOQUE C. CEIONIO RUFIO VOLUSIANO V. C. CORR. ITALIÆ PER ANNOS OCTO PROCONSULI AFRICÆ, COMITI DOMINI NOSTRI CONSTANTINI INVICTI, ET PERPETUI SEMPER AUGUSTI, PRÆFECTO URBI, JUDICI SACRARUM COGNITIONUM CONSULI.

Panv. ad ann. 1068. putat eumdem eſſe cum Fl. Rufio Cejonio Sabino, de quo exſtat Inſcriptio:

MAGNIS DIS. SACRUM
FL. VALERIUS RUFUS V. CL.
PR. URB. LEG. PROV. GAL.
NARB. QUÆST. PROV. AFR.....
VOTUM QUOD ABIENS FECIT.
POST REDITUM DE SUO I. S. L.M.

MAXIMUS, de quo infra. 314

VECTIUS RUFINUS, Panv. ad ann. 1067. 315

OVINIUS GALLICANUS, Panv. ad ann. 1068. de quo Inſcriptio Romæ in Atrio Hortorum Card. Cæſii in Baſi: 316

FLAVIO VALERIO CRISPO NOBILISSIMO CÆSARI, FILIO CONSTANTINI MAXIMI, ATQUE INVICTI SEMPER AUGUSTI, ET NEPOTI DIVI CONSTANTINI, OVINIUS GALLICANUS V. C. PRÆF. URB. ET IUDEX SACRARUM COGNITIONUM DEVOTUS N. M. Q. EIUS.

SEPTIMIUS BASSUS, Panv. ad ann. 1069. *l. 1. C. de legibus, & conſtit.* & Ann. 319. ut in *l. ſi quis 7. C. ad l. Juliam de vi public.* & Anno 321. *l. eorum 4. C. de Maleſic. & Mathemat.* 317

JANUARIUS, *l. abolitio 2. C. de abolitionibus.* 318

VALERIUS MAXIMUS BASILIUS, Panv. ad ann. 1071. Baron. hoc eodem Anno, & ejus Præfecturam aſſerit fuiſſe prorogatam ad annum quartum, *l. cum veterum 15. C. de donation. l. ſi quis C. ad l. Juliam Majeſtatis.* 319

LUCER, ſeu LUCRIUS VERINUS, Panv. ad ann. 1077. 323

ACILIUS SEVERUS, Panv. ad ann. 1077. 325

ANICIUS IULIANUS, Panv. ad ann. 1078. 326

PUBLIUS OPTATIANUS, Panv. ad ann. 1081. 329

PETRONIUS PROBIANUS, Panv. ad ann. 1082. 330

ANICIUS PAULINUS, Panv. ad ann. 1083. 331

PUBLIUS OPTATIANUS, Panv. ad ann. 1083. 333

ANICIUS PAULINUS, Panv. ad ann. 1084. 334

RUFINUS ALBINUS, Panv. ad ann. 1087. 335

VALERIUS PROCULUS, Panv. ad ann. 1089. 337

MECILIUS ILARIANUS, Panv. ad ann. 1090. 338

TURCIUS APRONIANUS pridie Idus Julias, Panv. ad ann. 1091.

TITUS FABIUS TITIANUS viii. Calen. Novembr. Panv. ad ann. 1092. de quo loquitur Inſcriptio Romæ:

TITUS FABIUS TITIANUS V. C. CONS. ORDIN. PRÆF. URB. CURAVIT.

Romæ in duabus Basibus in Foro Romano repertus, & tertia, quæ est in Foro Trajani. A

FABIVS TITIANVS V. C. CONS. PRÆFECTVS VRBI CVRAVIT.

Romæ in marmore ante ædem SS. Cosmæ & Damiani:

FABIVS TITIANVS V. C. CONS. PRÆF. VRB. CVRAVIT IBID. T. FABIVS TITIANVS V. C. CONS. PRÆF. VRB. CVRAVIT.

Et forte de eodem loquitur Inscriptio Romæ in ruinis Palatii Titi Imper. reperta Anno 1589. B

PROPVGNATORI ORBIS
AC ROMANÆ REI...
. . . .
VICTORI AC
TRIVMPHATORI
SEMPER AVGVSTO
FABIVS. . . . . CONSER.
PRÆF. VRBI ITERVM IVDEX
COGN. SACR. MAIESTATI EIVS
DICATISSIMVS.

Et Inscriptio Romæ in Vinea Francisci Montoni Galli ad Viam Flaminiam extra Portam Flumentanam in Basi: C

FABIO TITIANO V. C. CORRECTORI FLAMINIÆ, ET PICENI, CONSVLARI SICILIÆ, PROCONSVLI PROVINCIÆ ASIÆ, IVDICI SACRARVM COGNITIONVM, COMITI PRIMI ORDINIS, CONSVLI ORDINARIO, FRÆFECTO VRBIS, PEREGRINVS SERBVS DOMINO PRÆSTANTISSIMO.

Forte huic inscripta est *l. si servus 2. C. de sepulchro violato*, quamvis ibidem legatur *Tatianus*. D

341 AVRELIVS CELSINVS, Panv. ad ann. 1093.

342 MAVORTIVS LOLLIANVS, Kalend. Aprilis, Panv. ad ann. 1094.

343 ACO. CATVLLINVS PHILONIANVS, pridie Nonas Julii, Panv. ad ann. 1095.

344 Q. RVSTICVS, III. Idus Aprilis, Panv. ad annum 1096.

345 RVFINVS, III. Nonas Julii, Panv. ad ann. 1097.

346 PROBINVS, Panv. ad ann. 1098.

347 PLACIDIVS, VII. Kalend. Januar. Panv. ad ann. 1099. E

348 VLPIVS LIMENIVS, Præfectus Prætorio, & Vrbi, pridie Idus Junias, Pan. ad ann. 1099.

349 HERMOGENES, VII. Kal. Junii, Panv. ad ann. 1101.

350 TITVS FABIVS TITIANVS, III. Kalend. Martii, Panv. ad ann. 1102.

AVRELIVS CELSINVS, Kalend. Martii,
351 CÆLIVS PROBINVS, IV. Idus Majas,
CLODIVS ADELPHIVS, VII. Idus Junias,
VALERIVS PROCVLVS, XV. Kalend. Januarii,
} Panv. ad ann. 1103. & 1104. F

De quo forte loquitur Inscriptio:

POPVLONII.
L. ARADIO, VAL. PROCVLO V. C. AVGVRI, PONTIFICI MAIORI QVINDECIMVIRO, SACRIS FACIENDIS PONTIFICI FLAVIALI, PRÆTORI TVTELARI, LEGATO PRO PRÆTORE PROVINCIÆ NVMIDIÆ, PERÆQVATORI CENSVS PROVINCIÆ GALLECIÆ, PRÆSIDI PROVINCIÆ BIZACENÆ, CONSVLARI PROVINCIÆ EVROPÆ, ET THRACIÆ, CONSVLARI PROVINCIÆ SICILIÆ, COMITI ORDINIS SECVNDI, COMITI ORDINIS PRIMI, PROCONSVLI PROVINGIÆ AFRICÆ, VICE SACRA IVDICANTI, EIDEMQVE IVDICIO SACRO PER PROVINCIAS PROCONSVLAREM, ET NVMIDIAM, BIZACIVM, AC TRIPOLIM, ITEMQVE MAVRETANEAM SITIFENSEM, ET CÆSARIENSEM PERFVNCTO OFFICIO PRÆFECTVRÆ PRÆTORIO COMITI ITERVM ORDINIS PRIMI INTRA PALATIVM PRÆFECTO VRBI, VICE SACRA ITERVM IVDICANTI, CONSVLI ORDINARIO.
HVIC CORPVS SVARIORVM, ET CONFECTVARIORVM AVCTORIBVS PATRONIS, EX AFFECTV EIDEM IVRE DEBITO STATVAM PATRONO DIGNO PONENDAM CENSVIT.

SEPTIMIUS MNASEA, v. Idus Septemb. 1104. 352

NERATIUS CEREALIS, VI. Kalend. Octobris, Panv. ad 1104. & ad hunc annum reponit Baron. tom. 3. *Annal.* de quo exstat Inscriptio in Basi Statuæ repertæ Romæ ad Arcum Septimii Severi Anno 1347. 353

RESTITVTORI VRBIS ROMÆ, ATQVE ORB. . . . . ET EXSTINCTORI PESTIFERÆ TYRANNIDIS D. N. FL. IVL. CONSTANTIO VICTORI, AC TRIVMPHATORI SEMPER AVGSTO.
NERATIVS CEREALIS V. C. PRÆF. VRBI VICE SACRA IVDICANS. D. N. M. Q. EIVS.

Romæ in Hortis Perettinis;

NERATIO CEREALI V. C. CONS. ORD. PRÆF. VRB. CONDITORI BALNEARVM CVRSIVS SATRIVS PATRONO OMNIA PRÆSTANTISSIMO.

MEMMIVS VITRASIVS ORPHITVS, VI. Idus Decembris, Panv. ad ann. 1105. cui forte scripta est *l. 1. C. de quadriennali præscripsit.* 353

DOMITIVS LEONTIVS, Panv. ad ann. 1107. Leontio missa est *l. damnato 7. C. de Hæret. & Manichæis*, sed cum sit data Constantinopoli Anno 435. crediderim non loqui de hoc Leontio, sed de alio Præfecto Urbis Constantinop. 355

MAVORTIVS LOLLIANVS, cujus Panvinus tanquam Præfecti Urbis meminit ad ann. 1107.

MEMMIVS VITRASIVS ORPHITVS, Panv. ad ann. 1108. de quo exstant forte Inscriptiones positæ sub anno 137. Hucusque incertus de Præfectis. 356

BASSVS, Panv. ad ann. 1112. Si idem est cum Junio Basso. Baron. in *Annal.* illum reponit ad Annum 358. de quo ponit Consules Eusebium & Hypatium, & de eo exstat adhuc pulcherrimum sepulchrum in Cryptis Vaticanis cum hac Inscriptione: 360

IVNIVS BASSVS V. C. QVI VIXIT ANNOS XXXXII. MENSES II. IN IPSA PRÆFECTVRA VRBIS NEOPHYTVS IIT AD DEVM VIII. KAL. SEPTEMB. EVSEBIO ET YPATIO COSS.

BAS-

BASSO inscripta est *l. Præsides* 2. *C. de Assessor. & Domestic. l. Procuratoribus* 22. *C. de Procurat. l. si constiterit* 4. *C. finium regundorum, l. in Universis* 10. *C. qui dare Tutores, vel Curat.*

360 ANICIUS TERTULLUS, Panv. ad ann. 1112.

361 HONORATUS, ex Præfecto Prætorii Galliarum primus Præfectus Urbis Constantinopolitanæ factus est, teste Eusebio Pamphilo lib. 2. *Chronicorum*, Olymp. 285. Ideoque si Lector posthac inveniet aliquem, qui non sit Urbis Romanæ Præfectus, rogo ut deleat.

Primus Præf. Const.

362 ANICIUS MAXIMUS, Panv. ad ann. 1114. de quo *l. cum a nobis* 5. *C. de dilat. l. si manumissus* 2. *C. de libertis, l. libertat.* 10. *C. de Patria potest.* & vide supra ad Ann. 319.

363 L. TURCIUS APRONIANUS, Panv. ad ann. 1115. & *l. potioris C. de Offic. Rect. Prov.* de quo forte loquuntur Inscriptiones infra ponendæ: Fani Fortunæ in Piceno in Portæ antiquæ, & suprema Arcus fascia:

DIVO AUGUSTO PIO PATRI DOMINORUM.

In media Arcus fascia:

IMP. CÆS. DIVI F. AUGUSTUS PONTIFEX MAXIMUS CÆSAR XIII. TRIBUNICIA POTESTATE XXXII. IMP. XXVI. PATER PATRIÆ MURUM DEDIT.

In infima fascia:

CURANTE L. TURCIO SECUNDO APRONIANI PRÆF. URB. FIL. ASTERIO CORR. FLAM. ET PICENI.

Eadem fere Inscriptio legitur in Arcu Triumphali Arimini:

IMP. CÆSAR. DIVI JUL. FIL. AUGUSTUS PONT. MAX. COS. XIII. TRIB. POT. XXVII. P. P. MURUM DEDIT. CURANTE L. TURCIO SECUND. APRONIANO PRÆF. URB.
F. ACTIO V. C. CORRECT. FLAM. ET PICENI.

Ut refertur in Appendice Inscriptionum fol. 6. n. 4.

Romæ in Domo Julii Porcarii ad Sanctæ Mariæ supra Minervam:

L. TURCIO APRONIANO V. C. FIL. L. TURCI APRONIANI V. C. PRÆFECTI URBIS NEPOTI L. TURCI SECUNDI C. V. CONSULIS QUÆSTORI, PRÆTORI, QUINDECIMVIRO, SACRIS FACIUNDIS CORRECTORI TUSCIÆ ET UMBRIÆ, OMNI VIRTUTE PRÆSTANTI, STATUAM EX ÆRE ORDO SPOLETINORUM AD MEMORIAM PERPETUI NOMINIS COLLOCAVIT. CURANTIBUS FL. SPE. V. P. ET CONDONIO TAURO JUN. POST. AMANTI ET ALBINI CONS.

Romæ in Palatio apud Sanctos Apostolos in tabula marmorea:

EX AVCTORITATE TVRCI APRONIANI V. C. PRAEF. VRB.
RATIO DOCVIT, VTILITATE SVADENTE, CONSVETVDINE MICANDI SVMMOTA SVB EXAGIO POTIVS PECORA VENDERE, QVAM DIGITIS CONCLVDENTIBVS TRADERE, ET ADPENSO PECORE, CAPITE, PEDIBVS, ET SEVO LACTANTE, ET SVBGVLARI LANIO, ET DENTIBVS RELIQVA CARO CVM PELLE, ET INTERANEIS PROFICIAT VENDITORI SVB CONSPECTV PVBLICO, FIDE PONDERIS COMPROBATA, VT QVANTVM CARO OCCISI PECORIS ADPENDAT, ET EMPTOR NORIT, ET VENDITOR COMMODIS OMNIBVS, ET PRAEDA DAMNATA, QVAM TRIBVNVS, OFFICIVM, CANCELLARIVS, ET SCRIBA DE PECVNIIS CAPERE CONSVEVERANT; QVAE FORMA INTERDICTI, ET DEPOSITIONIS SVB GLADII PERICVLO PERPETVO CVSTODIENDA MANDATVR.
EX AVCTORITATE TVRCI APRONIANI V. C. PRAEF. VRB.
LICET FORMAM DISPOSITIONIS ACTA CONTINEANT, AD FIDEM TAMEN GESTORVM PLENIVS MEMORIAE TRADENDAM TABVLAM PLACVIT ADFIGI QVAE PVBLICARET ORDINEM RERVM.
QVOM SVARIOS VIDEREMVS DAMNIS ADFECTOS, ET EOS ETIAM ORDINES, QVI SVARIAM FACIVNT, PROVIDIMVS HIS LEVAMEN, ET TITVLO CANONICO VINARIO, VT VIGINTI MILLIA AMPHORARVM ANNVA CONSEQVANTVR, SVB EA DIVISIONE, VT DVAE PARTES SVARIIS, TERTIA VERO HIS ORDINIBVS SVFFICIAT, QVI SVARIAM RECOGNOSCVNT, ITA VT IIDEM ORDINES JVXTA CONSVETVDINEM TAM PROPRIVM, QVOD APPELLATVR, QVAM ANNONIS EXOLVANT, ET MODERATIONE ADHIBITA PERINDE A POSSESSORE SVSCIPIANT, ATQVE ACCIPERE SVNT SOLITI, ANTIQVO MORE PRÆEVNTE, INTERDICENTES, NE ENORMIA ILLA, INDEBITAQVE PRAESTENTVR, QVAE TAM TRIBVNVS, QVAM PATRONI DIVERSI, ET VARIA CONSEQVEBANTVR OFFICIA, CONTRA QVOD INTERDICTVM, SI QVI AVSI FVERINT DE COMMVNI LARGIRI, ET SCRIBAE QVIDEM CAETERIQVE POENAE SVBJACEANT.

Romæ in Campo Martio in Basi marmorea:

TVRCIVS APRONIANVS V. C. PRAEF. VRB. CVRAVIT.

C. CEJONIUS RUFIUS VOLUSIANUS, 364
Panv. ad ann. 1116. Vide supra ad Annum 313. Inscriptiones.

QUINTUS AURELIUS SYMMACHUS, 364.
Panv. ad ann. 1116. *l. intra Urbem C. de operib. public. l. disputare* 2. *C. de crimine sacrileg.* ad eum forte missa est *l.* 4. *de sentent. ex pericul. recitan.* Data Mediolani Kalend. Decembris, & *l.* 44. *de appellat.* Data pariter Mediolani sub Consulibus Clearcho & Ricimere Ann. 384. quamquam non repugnat missam esse ad L. Aurelium Anianum Symmachum Urbis etiam Præfectum.

365 C. CEJONIUS RUFIUS VOLUSIANUS, Panv. ad ann. 1117.
365 LAMPADIUS, Panv. ad ann. 1117.
366 VIVENTIUS PANNONIUS, Panv. ad an. 1118.
367 VETTIUS PRÆTEXTATUS, Panv. ad an. 1119. Ammian. lib. 27. Baron. ad Ann. 368. quo gerente Præfecturam, pulso ab Urbe Ursicino Pontifice Schismatico, quies, & pax reddita est Christianis; exstat ad eum Epistola Valentiniani, Valentis, & Gratiani in Libro *Epistolarum de Controversia Liberii & Felicis* fol. 38. in Bibl. Vatic. num. 4903.

Exstat de eodem Inscriptio Romæ ad S. Alexium:

VECTIO AGORIO PRÆTEXTATO V. C. ET IN L. CORRECTORI TUSCIÆ, ET UMBRIÆ, ILLYRICI, ITALIÆ, ET APHRICÆ CONS. DESIGNATO ACHAIÆ, PRÆF. URB. PRÆF. PRÆTORII, CONSULARI LUSITANIÆ, PROCONSULI LEGATO AMPLISSIMI ORDINIS SEPTIES, ET AD IMPETRANDUM REBUS ARDUIS SEMPER OPPOSITO, PARENTI PUBLIC. PRIVATIMQUE REVERENDO, UT ETIAM STATUÆ IPSIUS DOMUS HONORARET, INSIGNIA CONSTITUI, LOCARIQUE CURAVIT.

Et Romæ in Horto Matthæiorum:

	AGORII.
VECTIO AGORIO	CURIALI
PONTIFICI VESTÆ	NEOCORO
PONTIFIC. SOLI	HIEROPHANTÆ
QUINDECIMVIRO	PATRI SACRORUM
AUGURI	PRÆTEXTATO V. C.
TAUROBOLIATO	QUÆSTORI
CANDIDATO	ACHAIÆ
PRÆTORI URBANO	PRÆFECTO URBI
CORECTORI TUSCIÆ,	PRÆFECTO PRÆT. II.
ET UMBRIÆ	ITALIÆ, ILLYRICI
CONSULARI	CONSULI
LUSITANIÆ,	DESIGNATO
PROCONSULI.	

In latere sinistro:

DEDICATA KALEN. FEBR. D. N. FL. VALENTINIANO AUG. III. ET EUTROPIO CONSS.

Hoc est Anno Christi 367. Inter hæc tempora reponendus est

364 LUCIUS VOCONTIUS VICASIUS, de quo loquitur Inscriptio:

D. N. VALENTI MAXIM. PRINCIPI SEMPER AUGUSTO L. VOCONTIUS VICASIUS V. C. PRÆF. URB. ITERUM PRÆF. LEG. VI. PRÆF. PR. PROV. GAL. PROC. XX. HER. EJUSDEM I. S. E. D. N. M. Q. E. D. D.

365 & 366 Q. CLODIUS HERMOGENIANUS OLYBRIUS, *l. ne quis* 16. *C. de pœnis*, *l. abstinendum* 4. *C. quorum appell. l. nullus* 4. *C. ad Juliam Majestatis*, *l. quisquis* 6. *& l. providendum* 7. *C. de postulat*. Panv. ad ann. 1120. de quo loquitur Inscriptio Romæ reperta ad Busta Gallica:

TYRANNIÆ ANICIÆ JULIANÆ C. F. CONJUGI Q. CLODI HERMOGENIANI OLYBRII V. C. CONSULARIS CAMPANIÆ PROCONSULIS AFRICÆ, PRÆFECTI URBIS, PRÆF. PRÆT. ILLYRICI PRÆF. PRÆTOR. ORIENTIS CONSULIS ORDINARII FL. CLODIUS RUFUS V. P. PATRONÆ PERPETUÆ.

Eidem directæ sunt Litteræ Valentiniani, Valentis, & Gratiani in Libro *de Controversia Liberii & Felicis* in Vaticana Bibl.

RUFFINUS, *l. 3. C. de officio Præfecti Urbis*. 368
AMPELIUS ANTIOCHENUS, Panv. ad ann. 1122. eidem scribunt supradicti Imper. Ursini inquietudine provocati in eodem libro fol. 40. *l. 2. C. de offic. Præf. Urb.* 370
CLAUDIUS, Panvin. ad ann. 1124. 373
EUPHRAXIUS, Pan. ad ann. 1126. 375
L. AURELIUS AVIANUS SYMMACHUS, de quo in Basi Statuæ exstat Romæ inscriptio in Capitolio: 377

L. AUR. AVIANO SYMMACHO V. C. PRÆFECTO URBI CONSULI, PROPRÆFECTIS PRÆTORIO IN URBE ROMA, FINITIMISQUE PROVINCIIS, PRÆFECTO ANNONÆ URBIS ROMÆ, PONTIFICI MAJORI, QUINDECIMVIRO L. F. MULTIS LEGATIONIBUS PRO AMPLISSIMI ORDINIS DESIDERIIS APUD DIVOS PRINCIPES FUNCTO, QUI PRIMUS IN SENATU SENTENTIAM ROGARI SOLITUS AUCTORITATE, PRUDENTIA, ATQUE ELOQUENTIA PRO DIGNITATE TANTI ORDINIS MAGNITUDINEM LOCI EJUS IMPLEVERIT, AURO ILLUSTREM STATUAM, QUAM A DOMINIS, AUGUSTISQUE NOSTRIS SENATUS AMPLISSIMUS DECRETIS FREQUENTIBUS IMPETRABIT, IDEM TRIUMPHATORES PRINCIPES NOSTRI CONSTITUI, APPOSITA ORATIONE JUSSERUNT, QUAE MERITORUM EJUS ORDINEM AC SERIEM CONTINERET, QUORUM PERENNE JUDICIUM TANTO MUNERI HOC QUOQUE ADDIDIT, UT ALTERAM STATUAM PARI SPLENDORE ETIAM APUD CONSTANTINOPOLIM COLLOCARET.

A dextro latere:

DEDICATA III. CALEN. MAJAS D. N. GRATIANO IIII. ET MEROBAUDE COSS.

Hoc est Anno Christi 377.

PROBIANUS, Panv. ad ann. 1128. forte de eo loquitur Inscriptio Romæ in Basi marmorea: 377

GABINIUS VETTIUS PROBIANUS V. C. PRAEF. URB. STATUAM COLLOCARI PRAECEPIT. QUAE ORNAMENTO BASILICAE ESSE POSSET INLUSTRI.

Et eadem est uno vel altero verbo mutato cum alia Inscriptione, quæ legitur apud Gruterum fol. 171. num. 7.

Q. CLODIUS HERMOGENIANUS OLYBRIUS, Panv. ad ann. 1130. 379
SALUSTIUS, cui Valentinianus, Theodosius, & Arcadius super forma Basilicæ Sancti Pauli scribunt. 380

De Constructione Basilicæ S. Pauli Apostoli.

VAlentinianus, Theodosius, & Arcadius Augusti Salustio Præfecto Vrbis. Desiderantibus nobis contemplatione venerationis antiquitus jam sacratam Basilicam B. Pauli Apostoli pro sanctimonia Religionis ornare, pro quantitate Conventus amplificare, pro studio devotionis attollere, gratum fuit tuæ sublimitatis Officium, quod ad inspicienda universa, ut res exigebat, detulisti, & omnem situm, locorumque faciem sermonis congrui diligentia nostræ serenitatis auribus intimasti; instructiores enim nos jubere decuit, quæ jubenda sunt; quare participato examine cum Venerabili Sacerdote, intimatisque omnibus, & magnificentissimo Ordini, & Christiano Populo, quæ jubemus sublimitas tua rem diligentiore tractatu & plena rerum inspectione discutiat, & si placuerit tam Populo quam Senatui iter vetus, quod Basilicæ præterit dorsum, quodque Ripæ Tyberini amnis adjacet, innovari; ita ut præsens via spacio futuri operis applicetur, eatenus per Architectos futuræ Basilicæ diriget formam, quatenus se planicies exstructioni amica prætulerit, ne ulla inæqualitas splendorem fabricæ amplificentioris sublimet, siquidem in omni mœnium facie decor summus est, quem servari oportere prima statim fronte magnarum ædificationum demonstrat intentio; jam illud ipsa res exigit, & ut synopsis operis construendi fideli tendatur examine, sumptuumque omnium juxta precia rerum, quæ in sacratissima Urbe sunt, prætaxatio plenius ordinetur, adque nostram Clementiam debita maturitate referatur, ut communi omnium consilio nostræ quoque serenitatis nutus accedat, quo facilius, id quod devota mens statuit, pro tantæ Religionis meritis explicetur; & alia manu Principis: Divinitas te servet per multos aannos, parens carissime atque amantissime.

FALTONIVS PROBVS ALYPIVS, frater uterinus Q. Clodii Hermogeniani Olybrii, sub quo Amalchius, cujus commemoratio agitur die prima Januarii, passus est, ut in Martyrologio.

MARCVS SALVIVS JVLIANVS, proavus Juliani Imperat. qui a Panv. ponitur ad ann. 901. quo tempore Consulatum gessit. De Faltonio exstat Inscriptio:

DOMINO NOSTRO FL. THEODOSIO AVGVSTO FALTONIVS PROBVS ALYPIVS V. C. PRÆF. VRBIS.

381 FL. ANNIVS EVCHARIVS EPIPHANIVS, Panv. ad Ann. Christi 381. de quo loquitur Inscriptio Romæ:

FL. ANNIVS EVCHARIVS EPIPHANIVS V.C. PRÆF. VRB. VICE SACRA JVD. REPARAVIT.

Quæ videtur esse eadem cum ea, quæ est in hemicyclo Templi Sanctæ Martinæ, quod olim Secretarium Populi Romani fuit, ad Forum Romanum:

SALVIS DOMINIS NOSTRIS HONORIO ET THEODOSIO VICTORIOSISSIMIS PRINCIPIBVS, SECRETARIVM AMPLISSIMI SENATVS, QVOD VIR ILLVSTRIS FLAVIANVS INSTITVERAT, ET FATALIS IGNIS ABSVMPSIT FL. ANNIVS EVCHARIVS EPIPHANIVS V.C. PRÆF. VICE SACRA JVD. REPARAVIT, AD PRISTINAM FACIEM REDVXIT.

GRACCHVS, Vir Clarissimus, candidatus Christianæ Religionis, de quo S. Hieronymus ad Lætam epist. 7. ante paucos annos propinquus vester Gracchus nobilitatem propriam sonans nomine, cum Præfecturam gereret Urbanam, nonne specum Mithræ, & omnia portentosa simulacra subvertit, fregit, excussit. Baronius tamen ad Annum 383. dubitat, an Gracchus Urbanam, an vero Prætorii gesserit Præfecturam, eidem uti V. P. missa est *l.* 1. *C. ne quis in sua caus. jud.* 383

SYMMACHVS Urbis Præfectus ponitur a Baronio in *Annalibus* ad hunc Annum, Joannes Fersius *de Præfectis Prætorio* cap. 6. & Panv. ad Ann. 391. asserit L. F. Avianum Symmachum Virum doctissimum, cujus etiam exstant Epistolæ, iterum fuisse Urbis Præfectum, & recens Auctor *de Republ. Roman.* lib. 2. cap. 2. 384

PROCVLVS, *l. præbemus* 24. *C. ad legem Corneliam de falsis*, *l.* 1. *C. de Tutor. & Curat.* 389

ALBINVS, *l. servos C. ad legem Juliam de vi public. & l. si quis publicorum* 8. *de serv. fugitiv.* Vide ad Ann. 409. 390

ANICIVS PAVLINVS JVN. Præf. Urbis sub Consulatu Gratiani S. & Theodosii, ut in *l.* 4. & 5. *de scenicis C.Theodos.* quem Baronius asserit esse Paulinum Nolanum in *Annalib.* tom. 4. fol. 709. littera D. 394

De eo exstat Inscriptio Romæ in Basilica Lateran.

D. N. CONSTANTINO MAXIMO, PIO, FELICI, AC TRIVMPHATORI SEMPER AVGVSTO OB AMPLIFICATAM TOTO ORBE REMPVBLICAM FACTIS, CONSILIISQVE S. P. Q. R. DEDICANTE ANICIO PAVLINO JVN. C. V. COS. ORD. PRÆF. VRB. S. P. Q. R.

ÆDEM CONCORDIÆ VETVSTATE COLLAPSAM IN MELIOREM FACIEM OPERE ET CVLTV SPLENDIDIORE RESTITVERVNT.

Romæ in Thermis Constantini:

Q. FABIVS HONORATVS T. ANNÆVS PLACIDVS AMPLIFICATORI VRBIS ROMÆ DOMINO NOSTRO CONSTANTINO MAXIMO, PIO, FELICI, VICTORI, AC TRIVMPHATORI SEMPER AVGVSTO; ANICIVS PAVL. JVN. V. C. CONS. ORDINARIVS PRÆFECTVS VRBIS, ET IVDEX SACRARVM CONSTITVTIONVM PIETATI EIVS SEMPER DEDICATISSIMVS.

Rom e in Ædibus Dominorum de Cavaleriis ad Campum Floræ in Basi Statuæ Anicii Jun.

ANICIO PAVLINO IVN. C. V. PRO. COS. ASIÆ, ET HELLESPONTI CONSVLI ORDINARIO, PRÆFECTO VRBI, VICE SACRA IVDICANTI, OB MERITVM NOBILITATIS, ELOQVII, IVSTITIÆ, ATQVE CENSVRÆ, QVIBVS PRIVATIM AC PVBLICE CLARVS EST, PETITV POPVLI ROMANI, TESTIMONIO SENATVS D. D. N. N. TRIVMPHATORIS AVG. CÆSARVMQVE FLORENTIVM STATVAM SECVNDAM AVRO SVPERFVSAM LOCARI SVMPTV PVBLICO PLACVIT.

Romæ in Ædibus D. Altoviti ad Pontem Ælium:

ANICIVS PAVLINVS . . . .
SEMIGNVS SANCTVS V. . . . . .
PROCONS. AFRIC. CONS. . . . . .
PRÆFECT. VRBI ACCEPIT. . . .

Circa hæc tempora, hoc est, ab Anno 394. reponendus est

394 FLAVIVS MACROBIVS LONGINIANVS, ut in Inscriptione Romæ in Porta Ripæ, quam Portuensem, vel Navalem appellant:

IMPP. CÆSS. DD. NN. INVICTISSIMIS PRINCIPIBVS ARCADIO ET HONORIO VICTORIBVS ET TRIVMPHATORIBVS SEMPER AVGG. OB INSTAVRATOS VRBI ÆTERNÆ MVROS, PORTAS, AC TVRRES, EGESTIS IMMENSIS RVDERIBVS, EX SVGGESTIONE V. C. ET INLVSTRIS MILITIS, ET MAGISTRI VTRIVSQVE MILITIÆ STILICONIS, AD PERPETVITATEM NOMINIS EORVM SIMVLACRA CONSTITVIT, CVRANTE FL. MACROBIO LONGINIANO V. C. PRÆF. VRB. D. N. M. Q. EORVM.

394 FLAVIVS PISIDIVS ROMVLVS, de quo fit mentio in Basi marmorea, olim in Palatio de Valle:

. . . .
VIRO BIS CONSVLI ORDINARIO, MAGISTRO VTRIVSQVE MILITIÆ, COMITI DOMESTICORVM, ET STABVLI SACRI, ATQVE AB INEVNTE ÆTATE PER GRADVS CLARISSIMÆ MILITIÆ AD CVLMEN REGIÆ AFFINITATIS EVECTO, SOCIO BELLORVM OMNIVM, ET VICTORIARVM, AFFINI ETIAM D. THEODOSII AVGVSTI, ITEMQVE SOCERO D. N. HONORII AVGVSTI, POPVLVS ROMANVS PRO SINGVLARI EIVS CIRCA SE AMORE, ATQVE PROVIDENTIA STATVAM EX ÆRE, ARGENTOQVE IN ROSTRIS AD MEMORIAM GLORIÆ SEMPITERNÆ COLLOCANDAM, DECREVIT, EXEQVENTE FL. PISIDIO ROMVLO V. C. PRÆFECTO VRBIS.

397 PRÆTEXTATVS, *l. filios C. de ingratis liberis*. Inter hæc tempora fuit etiam Præfectus Urbi

400 FL. PHILIPPVS, de quo exstat Inscriptio in Foro Trajani ante Domum Q. Joannis Corisii, nunc in Hortis Barberinis;

FLAVIVS PHILIPPVS VIR. CLAR. PRÆF. VRBI NYMPHEVM SORDIVM SQVALLORE FOEDATVM, ET MARMORVM NVDITATE DEFORME AD CVLTVM PRISTINVM REVOCAVIT.

Is ponitur Consul ad Annum Christi 408.

AVRELIVS PRVDENTIVS CLEMENS, sub Honorio & Arcadio post Ann. 400. ut in Libro *Poetarum Ecclesiasticorum*, impresso Basileæ. Post 400

PETRONIVS MAXIMVS, de quo Inscriptio exstat Romæ in Sancta Maria Angelorum in Foro Transitorio ante Basilicam Nervæ:

PETRONI MAXIMI.
D. D. D. N. N. N. INVICTISSIMI PRINCIPES, HONORIVS, THEODOSIVS, ET CONSTANTIVS CENSORES, REMVNERATORESQVE VIRTVTVM.
PETRONIO MAXIMO V. C. PRÆF. VRB. OB PETITIONEM SENATVS AMPLISSIMI, POPVLIQVE ROMANI, STATVAM MERITORVM PERENNE MONVMENTVM IN FORO VLPIO CONSTITVI IVSSERVNT, CVM A PROAVIS, ATAVISQVE NOBILITAS PARIBVS TITVLORVM INSIGNIBVS ORNATVR, QVI PRIMÆVVS IN CONSISTORIO SACRO TRIBVNVS, ET NOTARIVS MERVIT NONODECIMO ÆTATIS ANNO SACRARVM REMVNERATIONVM, PER TRIENNIVM COMES, POST PRÆF. VRB. ÆT. . . . SEX MENSIBVS, HASQVE OMNES DIGNITATES INTRA VIGESIMVMQVINTVM ASSECVTVS ÆTATIS ANNVM, PVBLICVM IN SE TESTIMONIVM, ET ÆTERNORVM PRINCIPVM JVDICIVM PROCVRAVIT.

Romæ in Basi marmorea in Theatro Sancti Pauli, quam Jacobus Sirmondus indicat esse apud S. Mariam Majorem in Sidonium Apollinarem lib. 2. epistola 12.

PETRONIVS MAXIMVS V. C.
PRÆF. VRBI CVRAVIT.

Recens Auctor *de Repub. Roman.* lib. 2. cap. 2. SENATOR, de quo *l. Manichæos* 4. *C. de Hæreticis & Manichæis*. 407

SEXTVS AVRELIVS VICTOR, de quo exstat Inscriptio Romæ in Basi effossa ad Forum Trajani Anno 1563. Post 409

. . . . IORVM PRINCIPVM CLEMENTIAM . . . . NCTITVDINEM, MVNIFICENTIAM SVPERGRESSO D. N. FL. THEODOSIO PIO, VICTORI, SEMPER AVG. SEX. AVRELIVS VICTOR V. C. VRBI PRÆF. JVDEX SACRARVM COGNITIONVM D. N. M. Q. E.

CÆCINA DECIVS ACINATIVS ALBINVS, de quo loquitur Inscriptio Romæ in Palatio Archiepiscopi Ravennaten. in Civitate Leoniana in Basi; Post 409

SALVIS D. D. N. N. HONORIO ET THEODOSIO PP. F. F. SEMPER AVGG. CÆCINA DECIVS ACINATIVS ALBINVS V. C. PRÆF. VRBIS FACTO A SE ADJECIT, ORNAVIT.

Romæ in Domo Francisci Liscæ in Parione;

N. N. FL. ARCADIO JO. FELICI, VICTORI AC TRIVMPHATORI SEMPER AVG. CÆCINA DECIVS ALBINVS V. C. PRÆFECTVS VRBI VICE SACRA JVDICANS, DEVOTVS NVMINI, MAIESTATIQVE EIVS.

416 CLAUDIUS RUTILIUS NUMATIANUS
417 GALLUS, Præfectus Urbis, ut de se testatur in ejus *Itinerario* versu 157.

Si non displicui, regerem cum jura Senatus,
Si colui Sanctos, consuluique Patres;
Nam quod nulla meum strinxerunt crimina ferrum,
Non sit Præfecti gloria, sed Populi.

Et infra:

Hic Præfecturam sacræ cognoscimus Urbis,
Delatam meritis dulcis amice tuis,
Exornent virides communes gaudia rami,
Provecta est animæ portio magna meæ.
Sic mihi sic potius placeat geminata potestas,
Per quem malueram rursus honore fruar.

Et Sidonius Apollinaris Carm. 7. num. 297.

Intemerata mihi Præfectus jura regebat.

VENERIUS RUFUS successit Rutilio, ut patet ex versibus supra positis, *Hic Præfecturam*, &c. cui idem Rutilius Librum dedicavit.

418 SYMMACHUS Urbis Præfectus, ut in ejus Relatione & Litteris datis ad Honorium Imper. de Bonifacii Papæ electione IV. Kal. Januarii, secundum Baron. tom. 5. in *Annal.*

420 VOLUSIANUS, ad quem Constantius Tertius Imper. Augustus Edictum contra Pelagianos mittit, ut in tom. 3. *Constitutionum Imperatorum*, quas collegit Melchior Goldastus damnatæ memoriæ fol. 593. Baron. tom. 5. *Annal.* ad Ann. 420. ubi ponit Edictum illius contra Christianos. Cuidam Volusiano uti Præfecto Urbis inscribitur *l. 1. C. de off. Præf. Urb.*

423 RUFIUS PRÆTEXTATUS, Panv. ad Ann. 423. de quo exstat Inscriptio Romæ juxta Templum S. Nicolai de Forbitoribus in Regione Columnæ in Basi Statuæ:

RUFIUS PRÆTEXTATUS POSTHUMIANUS C. V. FILIUS MAGNIFICI VIRI MARIANI PRÆFECTI PRÆTORIO, ET CONSULIS ORDINARII, QUESTOR CANDIDATUS, PRÆTOR URBANUS, TRIBUNUS, ET NOTARIUS PRÆTORIANUS, PRÆFECTUS URBI, SECUNDO CONSUL ORDINARIUS, QUOS TANTOS AC TALES HONORES PRIMO ÆTATIS SUÆ FLORE PROMERUIT.

433 ANICIUS ACILIUS GLABRIO FAUSTUS, de quo Panvin. ad Ann. Christi 433. in *Fastis*, de quo loquitur Inscriptio Romæ effossa ad Circum Flaminium, ubi hodie dicitur, *Le Botteghe oscure*:

D. D. N. N. ÆTERNIS PRINCIPIBUS HONORI........... ANICIUS ACILIUS GLABRIO FAUSTUS V. C. PRÆF. URB.......... FATALI CASU SUBVERSAM IN FORMAM PRISCI USUS.........

441 FLAVIUS CYRUS PANAPOLYTES, de quo forte *l. qui sine* 19. *& l. Basilicam* 20. *C. de oper. public. l. qui sub prætextu* 9. *C. de sacrosanct. Eccles. l. quicquid C. de Advocatis divers. Judicum.*

447 FALTONIUS PROBUS ALYPPIUS, de quo supra post Ann. 380. Circa hæc tempora.

NILUS postea Monachus, de quo Panv. in *Vita Hilarii Papæ* in MS. nisi forte sit P. V. Constant.

468 CAJUS SOLLIUS APOLLINARIS SIDONIUS Præfectura donatus ab Anthemio Consule, ex epist. 9. lib. 1. ejusdem Sidonii, & epistola 16. lib. 9. in Saphico, ubi sic cecinit:

Accepi capiens honorem
Qui Patrum, ac Plebis simul unus olim
Jura gubernat.

FLAVIUS EUGENIUS ASELLUS, de quo exstabat Inscriptio in Tholo Aræ Maximæ in Basilica S. Pauli extra muros Urbis: Post 473

FL. EUGENIUS ASELLUS V. C. PRÆFECTUS URBIS V. S. L. REPARAVIT.

De eo Sidonius Apollinaris lib. 1. ep. 7.

IN CAPITOLIO CUSTODIEBANTUR AB HOSPITE FLAVIO ASELLO COMITE SACRARUM LARGITIONUM, QUI ADHUC IN EO SEMIFUMANTEM PRÆFECTURÆ NUPER EXTORTÆ DIGNITATEM VENERABANTUR.

B Ubi Scholiastes testatur se vidisse hujusmodi Inscriptionem, quam etiam refert Gruterus fol. 193.

ADAMANTIUS Præf. Urb. cui missa est Constitutio Zenonis de novis operibus. 480

AGABITUS Theodorico Secundo Rege Gothorum, ad quem scribit apud Cassiodor. lib. 1. epist. 6. 32. & 33.

ARTHEMIDORUS eodem Theodorico, Cassiod. lib. 1. *Var.* epist. 42. *Hinc est, quod nunc te per indictionem feliciter tertiam ad Præfecturæ Urbanæ culmen erigimus, tribuentes tibi in ea Civitate fasces, ubi perpetui sunt honores.* Et epist. 43. & 44. & lib. 2. epist. 34. 493

C ARGOLICUS eodem Theodorico. Idem Cassiod. lib. 3. *Variar.* epist. 11. *Per indictionem quartam Præfecturæ Urbanæ Infulas tibi copiosa liberalitate largimur*; & epist. 12. & 33. lib. 4. epist. 22. & 25. & 29.

REPARATUS Athalarico Rege, qui cœpit regnare Anno 526. Cassiodor. lib. 9. *Variar.* epist. 7. & sub Joanne Secundo. 531

SALVANTIUS eodem Athalarico, lib. 9. *Variar.* epist. 16. & 17. apud Cassiodorum.

D SANCTUS GREGORIUS PAPA gessit Præfecturam Urbanam antequam esset Pontifex, ut ipsemet Gregorius lib. 3. epist. 1. ad successorem Constantium testatur: *Quamvis decessor fraternitatis tuæ Laurentius districtissimam cautionem Sedi Apostolicæ remiserit, in qua viri nobilissimi ex legitimo numero subscripserunt, inter quos ego quoque tunc Urbanam Præfecturam gerens pariter subscripsi*; refert Baron. *Annal.* tom. 7. ad An. 581. & Ciaccon. in *ejus Vita*.

Idem S. Gregorius scribit LIBERTINO Expræfecto epist. 20. indict. 2. epist. 32. indict. 2.

E GREGORIO Expræfecto, epist. 11. indict. 2. epist. 50. 54. & seq. indict. 3.

GERMANUS V. P. Gelasio Secundo Pontifice, & Anno 590. quo S. Gregorius renunciatus est Pontifex. Hugo Abbas in *Hist. Monasterii Farsen.* in Biblioth. Vatic. Circa 558

ROMANUS V. P. initio Pontificatus ejusdem Gregorii ponitur; hic erat Patritius Exarchus Ravennæ; an fuerit etiam Præfectus, incertum est, Baron. ad Ann. 595.

LEONTIUS Exconsul Præf. Urb. S. Greg. lib. 8. epist. 15. indict. 3. lib. 7. epist. 34. indict. 1. 600

JOANNES gloriosissimus Præfectus, cui S. Gregor. scribit epist. 7. & 8. lib. 8. indict. 3. Circa 600

F DOMINICUS, ex Anastasio Bibliot. in *Vita Adriani Primi* fol. 164. Theodatæ relictæ Q. Dominici Præfectorii, hoc est, Præfectura functi, *l. 1. ff. de Decurion.* Circa 774

CONSTANTINUS Præfectus Urbis tempore, quo Carolus Magnus Hispaniam invasit; Franciscus Sansovinus *de familia Ursinorum* lib. 1. fol. 8. apud quem sit fides. Circa 800

PETRUS Præfectus Urbis, ex Ciacconio *de Vitis Pontificum* in *Vita Joannis* fol. 972. Cy- 965

prianus Manentus in *Hist. Civitatis Urbevetanæ* lib. I. ad Ann. 975. Hugo Abbas Farfen. qui sic loquitur:

Joannes autem Papa XIII. a Rofredo Comite Campanino Petri Præfecti adjutorio, & vulgo, & populo, & decurionibus est comprehensus, & in Castello Sancti Angeli reclusus, quem abstrahentes in Campaniæ partibus in exilium egere. Interfecto vero Rofredo Joannes Papa reversus est in suum honorem; at ubi Otto Imperator Romam venit, & hæc gesta audivit, Romanorum Consules comprehendit, & ultra montes direxit; de vulgo autem & populo in patibulum XII. suspendit; Præfectum vero in potestatem Papæ dedit, qui ejus barbam abscindere fecit, & capillos ejus, & in Caballo Constantini ad omnium exemplum suspendit, exspoliatum super Asinum posuere averso capite ad caudam Asini, & manibus sub cauda ejus, & posuere utrem pennatum in capite & in coxis ejus, & tintinnabulum ad collum, & per totam Romam flagellatum duxere, & tunc in carcerem misere; post hæc Imperatori dedere: Rofredi quoque Comitis Beneventani, & Stephani Vastararii ossa de sepulchris abstracta foris Romam sunt projecta.

1003 CRESCENTIUS de Turre Urbis Præfectus, Sergio Papa IV. Hugo Abbas Farfensis in *Historia*. Hic donavit Monasterio Sublacensi de Castello Apollori, & Sancti Angeli, ut loquitur Registrum Farfense fol. 37. & habitabat in Palatio D. Caroli Imperatoris ad Basilicam B. Petri Apostoli, ex eodem Registro anno 6. Benedicti VIII. Guido 33. Abbas Farfensis, Conventus (ut ait Hugo Abbas) coram Joanne Patritio, & Crescentio Præfecto pro Ecclesia Sancti Benedicti, & Sancti Blasii de Thermis Alexandrinis a Presbyteris S. Eustachii, &c hic tyrannice usurpavit Imperium Romæ & Italiæ, Cyprian. Manentus in *Historia Civitatis Urbevetanæ* Anno 991. & fortasse Præfecturam: de eo fit mentio in Tabulis donationis pro Monasterio Sancti Gregorii ad Clivum Scauri die 23. Novembris indict. 3. Benedicto VIII. Pontifice, Henrici Imperatoris anno 6. qui incidit in Annum salutis 1018.

1060 JOANNES Dei gratia Romanorum Præfectus, in Registro Abbatiæ Farfensis, Nicolao II. Pontifice, & anno primo Gregorii VII.

1061 Gregorio VII. Pontifice fit mentio STEPHANI Præfecti in manusc. codicibus Bibliot. Vatic. & apud Paulum Bemriedensem in *Vita ejusdem Gregorii*.

1077 CENCIUS, seu CINTHIUS, de quo Paulus in *Vita Gregorii* VII. Petrus Damianus lib. 8. epist. I. & 2. hic Cadalum Antipapam carceri mancipavit, & permittente Gregorio VII. liberavit.

RICCARDUS de VICO Urbis Præfectus; ab Anno 1080. usque ad Eugenium IV. putant nonnulli Urbanam Præfecturam in hac Familia semper continuatam, sed eorum error ex hac nostra Præfectorum Serie aperte redarguitur. Cyprianus Manentus ait Joannem Præfectum de Vico ad Annum 975. apud quem sit fides.

1088 BENEDICTUS, apud Petrum Diaconum lib. 4. cap. 2. *Chronici Cassinen.* Baron. Inscriptio ad Pontem quatuor Capitum.

1099 PETRUS de VICO, Zazzara de Familiis Italiæ, sed de cognomine fides sit penes Auctorem.

1114 PETRUS Præfectus Urbis obiit Paschali II. Pontifice, & alii filium Petri Leonis, alii puerum eligere student, ut rem totam ejus temporis Auctor enarrat, quem Baronius ad Ann. 1115. fol. 107. asserit esse Petrum Diac. Card. Bibliothecarium.

PETRUS Præfectus Urbis Gelasii II. defensionem suscepit adversus Cencium Frajepanem. Pandulphus Ostiarius in *Vita Gelasii* MS. in Bibliotheca Vaticana, Baron. ad An. 1118. fol. 125. & fol. 128. ubi ex Pandulpho hæc habet: Petro Urbis Præfecto &c. Præfectura Urbis nequam & indignissimo homini est stabilita, Princeps, clypeus omnium Curialium Stephanus Northmannus collaudantibus omnibus Protector, & Vexillifer in Dei Patris nomine nimis efficaciter ordinatur, & ad Urbis custodiam cum jam dictis optatur; vivebat Calisto II. Pontifice Anno 1123. ut in ejus Bulla dat. Albæ V. Idus Julii indictione I. Pontificatus anno V. Qua aboletur jus, quod sibi Præfectus vindicabat, succedendi illis, qui ab intestato & sine hærede decedebant in Civitate Leoniana, & Anno 1126. ut in Bulla Honorii II. ad Rogerium Pisanum Archiepiscopum, (ut ibidem habetur) quem investit per baculum de consecratione Episcoporum Insulæ Corsicanæ. Dat. Laterani dicto Anno, & Pontif. II. 1118

HUGO Urbis Præfectus, filius Leonis Frajepanis, juvit partes Anacleti II. Pseudopontificis, ita apud Baron. tom. 12. ad hunc Annum fol. 194. in quibusdam vero Tabulis, in quibus agitur de Castro Anticuli Tiburtinæ Diœc. die X. Januarii indict. IX. anno I. Pontif. Anacl. II. non Hugo, sed Uguccio appellatur. 1130

THEBALDUS Urbis Præfectus, & Petrus Latronis occurrerunt Lothario Regi, & Innocentio II. in Urbem redeunti prope Ecclesiam S. Agnetis; & IX. Junii Lotharius coronatus est Laterani, ex Auctore nondum in lucem edito *de Vita Innoc.* II. in Bibl. Vatic. 1134

Populus Romanus (ut loquitur Otto Frisingensis in *Chronico* lib. 7. c. 31.) cum Patritio suo Jordane filio Petri Leonis in furorem versus Præfecturæ dignitatem abolentes omnes Principes ac Nobiles ex Civibus ad Patritii subjectionem compellunt; deinde Eugenius III. ad exitum An. 1146. cum Romanis pacem iniit ea conditione, ut Patriciatus Dignitatem exfestucarent, & Præfecturam in pristinam dignitatem reciperent. Idem Auctor cap. 34.

PETRUS de PAPA Urbis Præfectus, apud Radevicum lib. 2. *de rebus gestis Federici Primi Imperatoris* cap. 67. & 70. qui in Pseudoconcilio quodam Papiensi pro Victore IV. Pseudopontifice testimonium dixit adversus Alexandrum III. ut testatur Boso Presb. Cardinal. in *Vita Adriani IV.* ms. in Arch. Vaticano; hic Arnaldum hæreticum capitali supplicio damnavit, ut post Ottonem Frisingen. narrat Bar. ad An. 1155. fol. 390.

JOANNES, cujus filius cedit Adriano IV. duo millia marcarum argenti, apud Cenc. Camerarium in Vatic. Arch. Paschalis III. (ait Bar. ad An. 1166.) Antipapa in præsentia Episcoporum, & Religiosorum Lombardiæ, & Tusciæ, Illustris quoque Urbis Præfecti Romæ, & multorum Nobilium Romanorum eligitur. Federicus Primus Imperator blandis verbis allocutus legatos Romanorum, eos dimisit, & in Urbem legavit Othonem Palatinum, & Heribertum Aquen. Archiepiscopum, quibus mandavit. 1135

..........consensu Præsulis, atque
Totius Populi veterem renovare Senatum,
Reddere primævo Præfecti jura vigori.

Ut canit Guntherus lib. 10. *Ligurini*. Anno vero 1177. Venetiis pacem iniit cum Alexandro III. & ut Tabulæ Anagninæ loquuntur, omnem possessionem, seu tenimentum, sive Præfecturæ, sive alterius rei, quam Romana Ecclesia habuit, & ipse abstulit per se, vel per alios bona fide restituet: de his Tabulis meminit Sigonius *de Regno Italiæ* eodem Anno; vivebat Joannes Ann. 1178. Urbis Præfectus, & Castri Albani Montis Dominus, & contra Alexandrum II. fovebat Joannem de Struma Calistum Antipapam, cui postea Alexander ad suos pedes devoluto, Præfecturam confirmavit, Romualdus Archiepiscopus Salernitanus in *Chronico* MS. ad eumdem Annum in Biblioth. Vatic. Huic Raino Civitatem Tusculanam concessit, cum permutationis nomine Montem Flasconis, & Burgum Sancti Flaviani accepisset, ut latius prosequitur Baron. in *Annal.* ad Ann. 1170.

1170 OTTO, seu forsan OCTAVIANUS de PAPA, qui Constantiam Imperatricem ex Apulia redeuntem ad Imperatorem deduxit, Godefrid. in *Annal.* ad eumdem Annum.

1198 PETRUS Urbis Præfectus, Innocentio III. Pontifice Anno 1198. ut in Registro ejusdem Innocentii anno 1. in quo sic legitur:

Altera die post consecrationem D. Innocentii Papæ III. Petrus Urbis Præfectus in Consistorio Lateranensis Palatii publice juravit ei, & successoribus suis, atque Romanæ Ecclesiæ fidelitatem contra omnem hominem, & recepit ab eo Investituram Præfecturæ per mantum, & deinde fecit ei ligium hominium inter manum ipsius, qui donavit ei Cuppam argenteam in signum gratiæ. Consecratus est autem idem D. Innocentius Papa III. eadem die solemniter in Apostolica Sede, qua B. Petrus Apostolus in Episcopali fuit Cathedra collocatus. Concordat Auctor incertus *Vitæ ejusdem Innocentii*. Hic (ajunt Tabulæ Monasterii B. Mariæ in Campo Martio) hortos habebat extra Portam S. Pauli *in contrada*, quæ vocatur Mons, de quibus etiam fit mentio in Registro anni 1. & 2. Honorii III.

1219 THEOBALDUS Præfectus Urbis, habetur in Litteris Honorii III. Pontificatus anno III. & IX.

1224 GOTTEFRIDUS Theobaldi filius, Papæ Subdiaconus & Cappellanus, totius Sardiniæ & Corsicæ Legatus, cui, ut loquitur Honorii III. Diploma, nomine Ecclesiæ Romanæ recipienti Benedicta Jud cissa Calaritana viginti annuas argenti libras obtulit nomine Census pro Regno Calaritano, seu Judicatu, ac tota Terra, quam habebat in Sardinia: quæ omnia se ab Ecclesia Romana possedisse & possidere recognovit.

1230 JOANNES Urbis Præfectus, habetur in Tabulis XI. Kalend. Maii 1230. relatis in libro Cencii de Censib. B. fol. 159. col. 4. Hic ab Auctore *Vitæ Gregorii* IX. anno ejusdem VII. dicitur, Joannes Poli Comes Albæ, & Dei gratia Almæ Urbis Præfectus Illustris Senator.

1297 PETRUS de VICO Urbis Præfectus, in Libro, qui inscribitur *Margarita Cornetana*, qui Corneti est.

1304 MANFREDUS Præfectus Urbis, habetur in Diplomate Nicolai V. Pseudopontificis, dat. Viterbii Id. Septembr. an. 1. & in *Margarita Cornetana*, ubi appellatur Potestas Corneti.

JOANNES de VICO Præfectus Urbis, Auctor 1346
Vitæ Nicolai Rentii, seu *Cola de Rienzo*, & Innocentio VI. Pontifice, Urbis Præfectus, perditionis alumnus, & Rebellis Ecclesiæ nominatur in publicis Tabulis, quibus Civitas Tuscanellæ obedientiam præstitit Ægidio tituli Sancti Clementis Presbytero Cardinali Sedis Apostolicæ Legato die 3. Aprilis 1354.

PETRUS de VICO, Urbano V. Pontifice die 1366
15. Maii 1366. & ejus uxor Maria filia Ursi Comitis Anguillariæ, habentur in publicis Tabulis, cujus Jo. Sepulveda *de rebus gestis Ægidii* passim meminit.

FRANCISCUS de VICO, Urbano V. Ponti- 1369
fice, ut in Bulla dat. XVIII. Kalend. Februar. ann. VIII. qua monetur, ut intersit disceptationi de Castro Brazani, quod Populus Romanus ab eo repetebat, & in aliis Diplomatibus sæpissime. Greg. XI. Pontifice in Arbitri sententia inter Franciscum de Vico, Ludovicum Militem, Joannem Sciarræ de Præfectis, atque Populum Romanum, qua Franciscus ad Urbis Præfecturam restituitur, & damnatur ad restituendum Castrum Fabricæ Hospitali S. Spiritus in Saxia; Possessionem vero Carcari Populo Romano; Actum Anagniæ die 13. Octobris 1377. Pontificatus Gregorii XI. anno septimo.

ANGELUS, Urbano VI. Pontifice, de quo 1378
Theodorus a Niem *de Schismate* lib. 1. c. 14. 1379
Sed Joannes & Raynaldus de Ursinis fratres dicti Jacobi Cardinalis, qui postea in Civitate Aquilæ in rumore populari simul interfecti fuerunt, atque Horatus prædictus, & Angelus Præfectus Urbis, necnon Jordanus de Monte, etiam de Ursinis, & multi alii Proceres Urbis foverunt tenueruntque partem Clementis, & suorum Cardinalium præfatorum, & Urbem ipsam undique per gyrum impugnarunt: & Ciacconius in *Vitis Pontificum* in Cardinale Thoma Ursino num. 36. narrat Angelum civili conspiratione Viterbii interfectum.

JOANNES SCIARRA de VICO, Bonifacio 1390
IX. Pontifice, quo tempore plura Castra occupavit, ut habet Julius III. in confirmatione Privilegiorum Castri Bagnajæ Viterbien. Diœc. 4. Nonas Decembris 1553. & quidem forte idem est.

JOANNES de VICO, Martino V. & Eugenio IV. Pontificibus, ut habetur in fide publica, quæ illi data est die 4. Octobris 1420. huic a Martino 14. Kalend. Maii Pont. ann. 5. condonata sunt omnia crimina, nullo excepto, etiam majestatis, si forte ab eo schismatis tempore perpetrata essent.

JACOBUS de VICO Joannis filius; hujus bona veluti Ecclesiæ perduellis Eugenius IV. proscripsit, nec multo post eumdem acie victum captumque Joannes Vitellensis Patriarcha Sedis Apostolicæ Legatus in Vetralla securi percussit; gesta hæc sunt pervigilio Sancti Angeli mense Septembris Anno 1435.

FRANCISCUS de URSINIS Comes Tranen. 1435
& Cupersani, Eugenio IV. Pont. die 14. Kalen. Novembris 1435. creatur Urbis Præfectus, ut in Diplomate hac de re, cujus formam qui consecuti sunt Pontifices, in conferenda dignitate Præfecturæ aliqua ex parte exprimere consueverunt. Id autem ita se habet:

Dilecto filio Francisco de Ursinis Comiti Tranen. & Cupersani, Almæ Urbis Præfecto, salutem.

" DUM ad insignem generis claritatem, in-
,, concussamque constantiam devotio-
,, nis & fidei, & præclara opera Do-
,, mus & Familiæ Ursinorum erga conserva-
,, tionem, & defensionem, & incrementum
,, etiam Status, & honoris Ecclesiæ, Roma-
,, norumque Pontificum hactenus per eam
,, impensa, & quæ per te etiam amore præde-
,, cessorum tuorum gesta sunt, & quotidie
,, laudabiliter geruntur, dirigimus aciem no-
,, stræ mentis decens & dignum merito existi-
,, mamus, ut personam tuam, sicut inter a-
,, lios præcipua quadam virtutum & merito-
,, rum laude præfulget, ita specialis & præ-
,, cipui honoris titulo decoremus.
,, Cum itaque dignitas Præfecturæ Almæ Urbis
,, per privationem per nos de ea factam, seu
,, per obitum Q. Jacobi de Vico ipsius Urbis
,, Præfecti, sive præmisso, sive alio quovis
,, modo, seu ex cujuscumque persona vacet
,, ad præsens, nos cupientes, prout ex debi-
,, to tenemur Officii Pastoralis, ut honor, di-
,, gnitas, & officium Præfecturæ hujusmodi
,, in virum conferatur prosapia & virtutum
,, meritis insignitum, qui amet & defendat
,, Statum Ecclesiæ, & ornamentum & glo-
,, riam afferat præfatæ Urbi, justitiam colat,
,, exaltet bonos, & improbos compescat, &
,, insuper confidentes, quod ejus auxilio, qui
,, est bonorum omnium Auctor & Perfector,
,, per strenua & laudabilia tuæ prudentiæ o-
,, pera hanc dignitatem in te collatam reddes
,, merito digniorem: Te Præfectum Almæ
,, Urbis cum Officio, Dignitate, Exercitio,
,, Auctoritate, Arbitrio, & Potestate Præfe-
,, cti Urbis hactenus attributis, motu pro-
,, prio, non ad tuam, vel alterius pro te nobis
,, super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed
,, de nostra mera liberalitate, & ex certa sci-
,, entia, de plenitudine potestatis nostræ, ac
,, ven. fratrum nostrorum, videlicet ordani
,, Episcopi Sabinen. Antonii tit. S. Marcelli,
,, Joannis tit. S. Petri ad Vincula, Francisci
,, tit. S. Clementis Camerarii nostri, Ange-
,, lotti tit. S. Marci Presbyterorum, Lucidi S.
,, Mariæ *in Cosmedin*, Dominici Sanctæ Ma-
,, riæ *in Vialata*, Diaconorum S. R. E. Car-
,, dinalium consensu, ad laudem Divini no-
,, minis & Ecclesiæ, & Urbis prædictæ sta-
,, tum & honorem facimus, constituimus,
,, ordinamus, & etiam deputamus; Tibi ni-
,, hilominus omnia & singula agendi, dispo-
,, nendi, ordinandi, statuendi, mandandi,
,, faciendi, & exercendi, & exsequendi, quæ
,, Præfecti ipsius Urbis, qui pro tempore fue-
,, runt, facere, disponere, mandare, ordi-
,, nare, exsequi & exercere quomodolibet
,, potuerunt, seu etiam debuerunt, tam de
,, consuetudine, quam de jure arbitrium, po-
,, testatem, & jurisdictionem, motu, pote-
,, state, & scientia similibus plenariam con-
,, cedentes, ac volentes, ac etiam statuen-
,, tes, ut omnibus & singulis honoribus o-
,, mnibus Præfectis Urbis olim quomodolibet
,, ex quacumque auctoritate concessis, licite
,, & libere uti possis, ac etiam gaudere man-
,, dantes, &c. Dat. Florentiæ 1435. 14. No-
,, vembris anno 5.

Idem Franciscus fide Juramentorum Sedi Apostolicæ præstitit, ut narrat Notarius his verbis:

Die 10. mensis Novembris Anno, quo supra, scilicet 1448. Nobilis Vir Franciscus de Ursinis Almæ Urbis Præfectus debitum homagium, nec non fidelitatis solitum Juramentum in forma solita præstitit in manibus Rev. in Christo Patris D. Jacobi Episcopi Avenionen. in Officio Camerariatus Locumtenentis, & hoc nomine Sanctiss. D. N. Papæ, & Sedis Apostolicæ. Romæ apud Sanctam Potentianam, præsentibus DD. Petro Burgen. Clerico Cæremoniarum Sanctiss. D. N. Baptista de Monte Rotundo d. D. Locumtenentis familiari, & me S. Cousin.

JOANNES ANTONIUS de URSINIS, Comes Taliacotii & Albæ, creatur Urbis Præfectus a Calisto III. An. 1456. 1456

PETRUS LUDOVICUS de BORGIA S. R. E. Capitaneus, nepos Calisti III. ab eodem P. V. creatur 1457. 1457

ANTONIUS de COLUMNA Princeps Salerni, frater Prosperi S. Georgii ad Velum Aureum Diaconi Cardin. creatur a Pio II. Præfectus Urbis, & (ut Bulla loquitur) unus, qui primogenitus tempore sui obitus fuerit superstes, Kal. Januarii 1455. Petro Antonio Columnæ Antonii filio, qui patre decedente cæteris fratribus major erat, quia duodevigesimum annum non excedebat, Magistratus a Sixto IV. in Consistorio abrogatur, ut est in Diplomate. Datum Romæ Anno 1471. 15. Kalend. Martii, Pontificatus anno primo. 1458

LEONARDUS de RUVERE, nepos Sixti Quarti, creatur ab eodem Sixto 13. Kalend. Martii 1471. 1471

JOANNES de RUVERE de Aragonia in Civitate Senogallien. & Comitatu Mondavii Vicarius, frater Juliani Episcopi Ostien. S. R. E. Cardinalis, nepos Sixti Quarti, & ejusdem Joannis filius natu major, ab eodem Sixto creatur. Dat. 16. Kalend. Januarii 1475. 1475

FRANCISCUS MARIA de RUVERE, postea Dux Urbini, filius Joannis, huic, cum 11. ætatis annum ageret, Alexander Sextus Litteras Sixti Quarti confirmavit sub Dat. 9. Kalend. Februarii 1501. Idem a Julio II. Pontifice & ejus tertia generatio Urbana Præfectura donantur. 1501

LAURENTIUS MEDICES, Leonis X. fratris filius. Hic Francisco Mariæ Urbini Duce, quod Cardinalem Papiensem de Alidosiis Sedis Apostolicæ Legatum interfecisset, tum Ditione, tum Præfectura multato, utrobique illi ab ipso Leone sufficitur 15. Kalend. Septembris 1516. 1516

JOANNES MARIA de VARANO, Dux Camerini, ejusque primogenitus a Leone X. creantur Præfecti 6. Idus Augusti 1520. 1520

Leone e vivis erepto, Adrianus VI. 6. Kalend. Aprilis Anno 1523. Francisco Mariæ de Ruvere Urbini Ditionem ac Præfecturam restituit. Utrum vero ille ad Præfecturam statim redierit, incertum mihi est. 1523

OCTAVIUS FARNESIUS, Pauli III. nepos, post Francisci Mariæ obitum, die 30. Octobris Anno 1538. ab eodem Pontifice in Consistorio Præfectus renunciatus est, cum annum ætatis ageret quintumdecimum, edito prius privilegio ætatem nondum adultam eidem non obesse; nec auditus est Guidobaldus Francisci Mariæ filius, qui Præfecturam post obitum patris sibi delatam postulabat. 1538

HORATIUS FARNESIUS Præfectura, quam Octavius ejus frater dimiserat, donatur a Paulo III. 3. Nonas Maii 1547. 1548

1555 GVIDOBALDVS Francisci Mariæ filius Urbini Dux a Paulo IV. Præfectus creatur Ann. 1555. 6. Nonas Julii, eique conceditur in Magistratu successor filius natu maximus.

1574 FRANCISCVS MARIA Guidobalbi filius Urbini Dux postremus Anno 1574.

1631 THADDÆVS BARBERINVS, Princeps Prænestinus, Generalis S. R. E. Copiarum Ductor, atque VRBANI VIII. fratris filius creatus ab eo est die 12. Maii 1631. in Consistorio, dum Pontificis & Romanæ Ecclesiæ nomine Vrbinatis ditionis, quæ Francisci Mariæ Ducis obitu ad liberum Sedis Apostolicæ dominatum ac regimen redierat, possessionem caperet.

Incertum quo Anno ponendi, vel prætermissi.

MAGNENTIVS, quo Præfecto die 14. Julii Justus passus est.

DVCENNIVS GEMINVS Præfect. Urb. a Corn. lib. 17. vocatur apud recentem Auctor. in *Comment. de Repub. Rom.* lib. 2. cap. 2. fol. 92. num. 30.

DRACO, quo Præfecto passus est S. Felix genere Romano in Adaucto socio, ut affirmat Ambrosius Leo de Nola lib. 2. cap. 13.

Ex inscriptionibus Jani Gruteri. Romæ circa Agonem:

APOLLINI Q. LOLLIVS VRBICVS PRÆF. VRBIS.

Aldus legit *Prætor Urbis*.

Romæ in Impluvio Domus Antonini ad Theatrum Marcelli: Basis Marmorea eo translata ex templo Herculis, quod est ad Scholam Græcam:

DEO HERCVLI INVICTO C. IVL. POMPONIVS PVDENS SEVERIANVS V. C. PRÆF. VRB.

Romæ apud S. Pudentianam:

. . . . S. VAL. MESSALA V. C. PRÆF. VRB. . . . . . SPLENDOREM PVBLICVM IN VICO PATRICIO VICTORIÆ, ET FIERI, ET ORNARI PROCVRAVIT.

Romæ in ædicula S. Helenæ juxta Thermas Constantinianas:

PETRONIVS PERPENNES MAGNVS QVADRATIANVS V. C. ET IN L. PRÆF. VRB. CONSTANTINIANAS THERMAS LONGA INCVRIA, ET ABOLENDÆ CIVILIS, VEL POTIVS FERALIS CLACIS VASTATIONE VEHEMENTER AFFLICTAS, ITA VT AGNITIONEM SVI EX OMNI PARTE PERDITA DESPERATIONEM CVNCTIS REPARATIONIS AFFERRENT, DEPVTATO AB AMPLISSIMO ORDINE PARVO SVMPTV, QVANTVM PVBLICÆ PATIEBANTVR ANGVSTIÆ AB EXTREMO VINDICAVIT OCCASV, ET PROVISIONE LARGISSIMA IN PRISTINAM FACIEM, SPLENDOREMQVE RESTITVIT.

Romæ in loco Simon Magus:

CASTALIVS INNOCENTIVS AVDAX V. C. PRÆF. VRB. VICE SACRA IVDICANS BARBARICA INCVRSIONE SVBLATA RESTITVIT.

Romæ apud Alexandrum Rondonum:

RVFIVS ANTONIVS AGRYPONIVS VOLVSIANVS V. C. PRÆF. VRBI ITERVM VICE SACRA IVDICANS CVRAVIT.

Romæ in Ædibus Colotianis ad Aquam Virginem in Basi:

M. AVR. VICTORI C. V. PRÆFECTO FERIARVM LATINARVM SACERDOTI DEI SOLIS RELIGIOSISSIMO IOVINVS CALLIDIANVS CONDISCIPVLVS PATRONO DIGNISSIMO.

In Via Ostiensi primo ab Urbe lapide in sepulchro marmoreo:

D. M.

M. ANT. ANTII LVPI PR. PATRICII AVGVRIS QVÆST. SODAL. TITII TRIB. MIL. LEG. II. ADIVTR. FIDEL. X. VIR. STL. IVD. PRÆF. FERIARVM LATINARVM, CVIVS MEMORIA PER VIM OPPRESSI IN INTEGRVM SECVNDVM AMPLISSIMI ORDINIS CONSVLTVM, RESTITVTA EST, SEPVLCHRVM AB EO COEPTVM CLAVDIÆ REGILLÆ VXORI, ET ANTIÆ MARCELLINÆ FIL. PIETATIS SVÆ ERGA EVM TESTIFICANDÆ GRATIA, ET NOMINIS EIVS IN PERPETVVM CELEBRANDI PERFECERVNT ADFINES. M. VALERIVS BRADVA MAVRITIVS PONTIF. ET ANTONIA VITELLA AMICI. Q. FABIVS HONORATVS, T. ANNÆVS PLACIDVS.

Romæ apud Titum Celsum sub simulacro hominis togati:

M. AVRELIO M. F. SEVERIANO PRÆFECT. VRB. M. AVRELIVS SYNTHYCHVS FILIVS, ET FLAVIA NICE PARENTI OPTIMO FECERVNT. VIXIT AL. M. VIR. D. I. ET. IVLIÆ ZOSINÆ LIB. EX HYLLO.

Romæ prope Cæsarinos in Basi.

L. FABIO M. F. GALER. SEPTIMINO CILONI PRÆF. VRB. C. COSS. II. M. VIBIVS MATERNVS ILVRENSIS A MILITIIS CANDIDATVS EIVS.

L. FVRIO L. F. PAL. VICTORI PRÆF. PRÆT. IMPER. OMNIVM

HONORATO, ET DONATO IN PROVINCIAM PARTHIAM, ET VER..... CORONA MVRALI, VALLARI, HASTA PVRA SINE VEXILLIS, OBSIDIONALIQVE CORONA DONATO PR. ÆGYPTI, PRÆF. VRB. PROC. A RAT. PRÆF. PRÆT. MISSV RAVENNATIVM PROC. LVDI MAGNI PROC. PROVINCIÆ HISPANIÆ ET GALL. PRÆF. ALÆ FRONTONIANÆ TRIB. LEG. II. ADIVTIC. VII. COH BRACHARVM IN BRITANNIA.

Romæ in Sancta Pudentiana:

V. S. IVDICANTI PROCONS. AFRICÆ, ET V. S. IVDICANTI PRÆF. VRBIS, ET V. S. IVDICANTI, ITERVM COMITI ORDINIS PRIMI INTRA PALATIVM PRÆF. PRÆT. CONSULI ORD. PLACIDVS SEVERVS V. C. FILIVS PATRI RELIGIOSO, ET ANTONIA MARCIANILLA C. F. NVRVS SOCERO SANCTISSIMO.

Romæ ad Templum S. Alexii in Aventino:

FLAVIO PLACIDO SEVERO V. C. PRÆF. COS. ORIENTIS V. S. IVDICANTI PROCONS. PROPR. PROV. AFRICÆ, ET V. S. IVDICANTI PRÆF. VRBI, ET V. S. IVDICANTI ITERVM COMITI ORDINIS PRIMI INTRA PALATIVM PRÆF. PRÆT. CONSVLI ORDINARIO.

Forte idem cum Placido, de quo ad Ann. 270. Romæ apud Joannem Dominicum Florentium:

SPEI AVG. SACR. GN. GEMINIVS GN. NYMPHIVS Q. GRANIVS Q. L. EVTACTVS A. CORNELIVS A. A. L. EPAGATHVS A. CORNELIVS A L. CONDITVS SVA PEC. DD. PERMISSV. T. CATII CATVLLINI SEXTI SECVNDINI PRÆF. VRB. REG. XIII.

Romæ in marmore:

A FABIVS FELIX PASIFILVS PAVLINVS V. C. ET. IN L. PRÆF. VRBI DEDICAVIT.

Romæ in Hortis Matthæiorum:

HIC CONSECRATA EST SEX. ÆLI TERTI CONIVX SERGIA SYNTYCHE, SERGI PAVLI QVONDAM PRÆF. VRB. ALVMNI CHRYSIPPI ALVMNA FECERVNT ÆLII FERTIVS, ET COMA INCOMPARABILI FÆMINÆ.

B

ERVTIVS CLARVS bis Consul, vir morum literarumque veterum studiosissimus, Aulus Gellius *Noctium Atticarum* cap. 16. lib. 13.

PANCRATIVS, Præf. Urbi, *l. nemo C. de Sacrosanct. Eccles.*

STVDIVS Urbi Præf. *l. conventicula* 15. *C. de Episc. & Cler.*

PALLADIVS, *l. cum quis* 19. *C. eod. tit.*

GENNADIVS, *l. Archigerontes* 6. *Cod. de Episc. Audien.*

C GRACILIANVS, *l.* 1. *C. de Hæretic. M. & Manichæis.*

CLEARCHVS, *l. cuncti* 3. *C. eod. tit.*

CONSTANTINVS, *l.* 5. *C. eod. tit.*

NEPHRIDIVS, *l. unica de officio diverſ. judicum.*

JVSTINIANVS, *l. ad similitudinem* 16. *C. de advocatis div. judic.*

PANCRATIVS, *l. licet* 27. *C. de Procurat.*

HIERIVS, *l. nulli* 2. *C. de formulis, & imperat.*

SEVERVS, *l. nulli* 10. *C. de Judiciis, l. ædificia C. de operib. publ.*

D NEBRIDIVS, *l. habito* 5. *C. de nudinis.*

AVRELIANVS, *l. generali* 2. *C. de Tutor. & Curator.*

MONAXIVS, *l. ne Magistratum* 13. *Cod. qui dare Tutores.*

AFRICANVS, *l. testamenta* 18. *C. de Testament.*

HYPATIVS, *leg. quisquis* 3. *Cod. quorum appellationes.*

POTITVS, *l. meminerint* 6. *C. unde vi.*

ÆMILIANVS, *leg. si cui loci* 9. *C de ædific. privat.*

E AVRELIANVS, *leg. si quando* 8. *C. de operibus publ.*

ISIDORVS, *l. nemo C. de jure liberor. l. inter virum* 2. *C. de infirmandis pœnis.*

VALERIANVS, *l. non prius* 7. *C. de Calumniat.*

F I N I S.

MARMORIS PATAVINI
INSCRIPTI OBSCURI
INTERPRETATIO,

TRIPLICI COMMENTARIO CONFECTA,

E MUSEO REINESII.

CUM MANTISSA PRO VIRIS CLARISSIMIS PHILOLOGIS PATAVINIS.

AD PERILLUSTREM VIRUM

DN. JOANNEM CAPELANUM

REGIS CHRISTIANISSIMI

CONSILIARIUM.

PERILLUSTRI VIRO
DN. JOANNI CAPELANO
REGIS CHRISTIANISSIMI CONSILIARIO, PATRONO INDULGENTISSIMO,
FREDERICUS BRUMMERUS.



Uanquam nullum mihi tempus jucundius est, quam id quod in conspectu & adloquio tuo consumitur, pietatis tamen in Te meæ fervore, qui dies noctesque me stimulat, contineri diutius non potui, quin Te Epistola hac compellandi consilium arriperem. Habet enim hoc observantia & veneratio, quæ magnorum hominum virtutibus & meritis debetur, ut non minus studeat publice quam privatim se illis exhibere, nec tam verbis, quæ abeunt & evanescunt, quam quæ consistunt ac permanent, memoriam sui testatam relinquere. Eum porro cultum & reverentiam, si quisquam, Te profecto, Perillustris CAPELANE, mereri, omnium qui aditu, sermone & congressu tuo fruuntur, una vox & consensio est. Quid enim de morum tuorum sanctitate dicam, quæ tanquam e specula lux quædam, quam probi & honesti observent, in Te elucet? Quid doctrinæ, qua polles, elegantiam, qua peregrinos & advenas allectos subinde ad Tui spectaculum evocas, commemorem? Jam acerrimum istud tuum de doctorum virorum operibus & monumentis judicium, summumque ex eo talia provehendi ardorem quis paulo humanioris notę ignorat? Quem præterea fores tuas pulsantem aperiendi facilitas, & inusitata singularisque comitas, (qua & me immeritum non ita pridem excepisti, & jam magis magisque in dies complecteris) non in admirationem conjicit & totum extra se ponit? Certe hęc sive cogitem singula, sive universa expendam, speciem aliquam reviviscentis quasi in Te Nestoris videre mihi videor. Quemadmodum enim, ut Poetarum inter Græcos princeps ait, *ex ejus lingua dulcior melle fluebat oratio;* consiliaque ab ipso profecta Regum Regi Agamemnoni adeo probabantur, ut non Ajacis, sed Nestoris similes decem habere optaret; ita suavitas sermonis tui plane Nestorea quoties degustatur, toties degustandi cupidinem exacuit: Consilia vero tua quantopere REGI MAXIMO placeant! Quam mirifica voluntatis inclinatione ab Illustrissimo COLBERTO audiantur, eventus eorum prosperrimi & Reipublicæ litterariæ maxime salutares abunde declarant. Qualia enim sunt ista, quove tendunt? non equidem ad urbes expugnandas, qui finis Nestoris consiliorum in Trojæ obsidio erat; sed ad delubra Musarum instauranda, & ad fovenda atque regiis opibus sustentanda ingenia omnibus scientiis liberalibus exculta, quæ non solum in Gallia, sed etiam in universa Europa, ac præcipue Germania nostra exstant & eminent. Ac rectissime proinde Eruditorum chorus CAPELANUM, ut Nestorem Gallicum, Græco in consiliis etiam superiorem celebrat, colit, diligit, observat, suspicit, & in quo uno inferior est, Homerici annos illi votis non desinentibus precatur. Sane cum in his consiliorum tuorum præconibus ob fructum pariter inde ad se redundantem non postremum quoque locum sibi vindicet THOMAS REINESIUS, fidi erga Te clientis officio in præsentia me fungi posse judicavi, si hoc Ἀποσπασμάτιον, ex ejus Inscriptionum veteris Romæ Syntagmate, Tibi offerrem, quod quidem jamdiu prælo paratum, nuper, uti nosti, divinæ REGIS CHRISTIANISSIMI, solius talium Statoris, munificentiæ exposuit, simulque hoc ipso gaudium meum super Viri ob litteras per sexennium sancte mihi culti & amati unice bona apud Te gratia & favore testarer. Rogo igitur hoc munusculum pari animi propensione, qua & in REINESIUM & in me offerentem hactenus fuisti, suspicias, &, si tanti videatur, sapientissimis tuis suasionibus perficias, ut non magis mihi de benevole a Te suscepto, quam REINESIO, imo universo Litteratorum ordini, de valde Tibi probato congratuler. Ex eo enim, velut particula quadam primaria, facilis Tibi de toto Syntagmate conjectura fuerit. Quod superest, VIR perillustris, DEUM pro salute tua, in qua tantum eruditi orbis incrementum continetur, orabo assidue, ut consilia, quæ amplificandis litterarum studiis tam præclare impendis, eam ipsam in posterum, quam hucusque, vim & pondus habeant; utque mihi, quod voti ac desiderii mei caput est, in illustri patrocinio tuo quam diutissime liceat gloriari.

Scrib. Parisiis XI. Cal. Martii M. DC. LXVII.

MARMORIS PATAVINI INSCRIPTI OBSCURI

INTERPRETATIO,

Triplici Commentario confecta,

E MUSEO REINESII.

Cum Mantissa pro Viris Clarissimis Philologis Patavinis.

ANTIQUARIIS EXAMINANDUM Saxum suspendam XII. *uncias altum*, XXII. *longum*; *in Hortis Sertorii Ursati, Patavini Nobilis & Medici, ad Thermas Aponi non ita pridem erutum.*

Q. MAGVRIVS. Q. F. FAB.
FEROX
LVS. EPIDIXIB. ET CETAES. I. II. III. IN
GREG. VET VRIAN QVAE. ET. IVNI
ORVM. A. A. DICAVIT. EVRAS. VIII.
ET. PERTIC. VNCINOR. XII. N. CCL. IX.

Ego Davus : Quis Oedipus ?



VErba hæc sunt CL. V. THOMÆ BARTHOLINI, Profess. Regii Hafniæ, inter principes Anatomicorum hodie maxime illustris, quæ additamenti vicem Vindic. Anatomic. pro parente subnexuit An. MDCXLVIII. eoque primus in hasce oras attulit Monumentum, de cujus quippe obscuri sensu summi in Italia Viri laborarunt. Horum conatibus & juvandi hasce litteras prolixæ voluntati non invidemus, neque quovis modo detrahimus, cum alia omnia de materia Inscriptionis sentienda esse, & explicandam eam aliter, planum facimus. Sane publice interest doceri verum, vel saltem vero similius, & seponi ea, quæ festinantibus, sæpe non satis attentis cogitata, quamvis sagacissimis, exciderunt aliena veri; quæ in quovis Scientiarum genere reperiri ob humanæ mentis imbecillitatem plurima, protrudi quoque ab ingeniis infelicium divinaculorum in hoc genus Antiquitatis litterariæ non pauciora, quotidie experimur. Promovit autem hoc quicquid est operæ, imo hortatu crebro, humanissimis Epistolis extudit vir clariss. Prof. in Illustri Salana publicus, JOH. ANDREAS BOSIUS, qui ut est *antiqua sepoltura & cæca vetustas quæ facit* cognoscendi ardore singulari & acrimonia de talibus judicandi, & Bartholiniana primus ostenderat mihi, & rogarat sententiam. Ad hoc ipse faxi dominus SERTORIVS VRSATVS DE VRSATIS, qui in Hortis suis erui viderat An. MDCXLI. id in Monumentorum Patavinorum synaxario Patavii, An. MDCLII. apud Frambottum publicato, totidem litte-

A ris apicibusque vulgavit; quo viso non differendum ultra promissum esse putavi; sed agendum gnaviter, tam ut satisfacerem iis, qui in illo hærere videbantur, quam ut Eruditis, avidis ejusmodi elegantiarum, sensus mei, candidi & simplicis, copiam facerem. Judicium fuerit penes peritos; emanento cæteri.

De MAGVRIO multa ἄνω κάτω ῥεμβόμενος dubitavi, quod adpellatione ista Familiam inter Romanas unquam fuisse sive in manuscriptis Codd, sive in impressis, sive in marmoribus & tabulis nec legissem hactenus, nec audivissem a quoquam; & divinabam igitur descriptorum erratum hoc esse, qui litteras figura & pronunciatione cognatas G & S commuta-
B verint, & MAGVRIVM dederint pro MASVRIO. MASSVRIOS, MASVRIOS autem vel maxime illustravit ille cognomine SABINVS, sectator Atteii Capitonis, Pompon. *in l. 2. D. de Orig. Jur.* Antistio Labeoni & Coccejo Nervæ contrarius in respondendo de Jure, electus in hoc ab Octavio Augusto tanquam legum & morum P. R. adprime doctus: memoratus Plinio lib. VII. cap. 55. Ejus rubricam nominavit Persius *Sat.* 5. id est, leges & responsa. Diversa ejusdem scripta, Libros memoriales Juris Civilis, Commentarios de Indigenis, Librum de furtis laudat Gellius passim: primum ejus memorabi-
C lium Macrob. 3. *Saturn.* 6. alia Bertrandus *l. 1. Vit. Jurisp. p. 26. & seqq.* Sunt etiam in lapidibus MASVRII, cognom. ALEXANDRI M. Imp. Vespas. an. V. 823. apud Grut. p. CCXL. ATTICI, P. P. L. in 3. p. MCXVI. & Q. in Capuano 8. p. DCCCXVI: FELICIS, Q. ib. HYGINI, C. an. V. 905. p. MLXXVII: POTHIMI, M. an. V. 823. Imp. Vesp. p. CCXLI: SECVNDI, C. an. V. 905. p. MLXXVII. MASVRIAM M. F. MARCELLAM in lap. Rom. 2. p. DXXXV. posito DVOBVS GEMINIS, sc. C. Rubellio & C. Fusio, Coss.

an.V. 782. filiam fuiſſe Maſſurii Sabini licebit, puto, conjicere, quod tempora prorſus conſentiant. In lapide Florentino Græce inſcripto, n.36. Claſſ. II. pertinente ad Imp. Septimium Severum ac filios, quem Fr. Lindenbrogio JC. acceptum fero, mentio eſt inter alios Poetas, Paradoxos, Comœdos, Tragœdos, Γραμματέως ΜΕΝΕΚΡΑΤΟΥΣ, ΜΑCCΥΡΙΟΥ, CΥΛΛΕΟC. ΚΩΜΩΔΟΥ. ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚΟΥ. ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ ΚΑΙ ΝΟΜΟΔΙΚΤΟΥ. ubi Menecratem iſtum Maſſurii filium fuiſſe video. Juvabat conjecturam de MASVRIO, quod compertum haberem G & S ſæpiſſime alternare in ſaxis a manibus Quadratariorum; hinc in Nemauſ. 3. p. CCCCLXVII. & 3. p. DCCLII. SENVCIOS dediſſe, qui in aliis emendatius ſculptis vero nomine GENVCII, GENVSII: ſic in Sabar. II. p. DCCCXXVI. SENECIO pro GENECIO, Geneſio, Genicio, Geniſio: ita SENTIOS, modo in GENTIOS, modo in CENTIOS: NASELLIUM, qui & Nacellius & Naſennius, in NAGELLIUM, in 5. p. DCCXVIII. transformaſſe.

Hæc ita mihi videbantur de MASVRIO. Verum poſtquam lapidem ab ipſo poſſeſſore deſcriptum inſpexiſſem cum cura, aliter ſentire cœpi, & damnato iſto MAGURIUM recipio. Gens MAGURIA, etſi nuſpiam exprimatur elementis hiſce, vere tamen Romana eſt, eademque cum MAGULLIA, quæ & MAGULNIA per ἀντίςοιχον. A. MAGULLIUS. A. LIB. EUHODUS eſt in Meſſan. i. p. DCCCCXLVII. I. p. DCCCCLXXXVI. item MAGULLIA TYCHE, ib. Q. MACULNIUS. Q. F. in Terracin. 13. p. MLXXIX. Ἐνάλλαξις liquidarum L & R uſitatiſſima eſt non Græcis tantum & Latinis, ſed & Hebræis Barbariſque: de his ut doceam locus non eſt: ἴσασιν οἱ μεμυημένοι. Qui volent adeant Bochartum in *Phaleg & Canaan*. De Græcis Schol. Apol. I. *Argon. ad v.* 308. Συγγενὲς τὸ Λ τῷ Ρ. hinc ἀχράδες, ἀχλάδες. Schol. Theocr. *Id.* I. *v.* 134. ὑδρηλοὶ, ὑδρηροὶ, ἔμπολος, ἔμπορος, Δάμαλις, Δάμαρις. Ob eandem permutabilitatem e Græco μάγειρος, μάγερρος, Latinis exiit Macellus: ex ἔρις, lis: e στερρίων, ſtellio: e σιρός, ſilus, id eſt, fovea: e λείριον, lilium: ex ἀμόλγη, amurca, ex ἅλως, area, &c. Igitur quomodo PLALIA gens & PLARIA, VETURIA & VETULLIA, VITULLIAQUE in lapp. obvia eadem habenda, pariter MAGULLIA & MAGURIA: nihil verius. Illam vero etiam formata inde prorſus referunt cognomina: MAGULLA Gavii, in 10. p. DCCCCXII: MAGULLINUS Octavii, in Rom. 2. p. DCXCVIII: MAGUNUS M Mæcii, in 8. p. MXII.

Cognomen FEROX a moribus, animi magnitudine tractum, præterquam Magurio huic, etiam adhæſit Pompeiis; *Cn. Pompejo Feroce Licuriano* Cos. cum C. Pomponio Rufo, in Rom. apud Grut. p. LXVII. item Anniis; ANNIUS FEROX, Senior & Junior inter adlectos Scenicorum an. V. 921. in 6. p. MLXXXIX: Cæciliis; Q. CAICILIO FEROCI, in 9. p. CCCIV: Nervianis; NERVIANUS FEROX in 234. Cl. I. Poſthumiis; L. POSTHUMIO Q. F. FEROCI, in 6. p. MXCIX. Valeriis; M. VALERIUS FEROX, in I. p. CCCII. Vittoriis; L. VITTORIO. L. F. FEROCI, in I. p. CCCCLXXXIX. Tib. JULIUS FEROX, Curator alvei & riparum Tiberis & cloacarum Urbis., an. IV. Conſulatus Trajani A. hoc eſt, V. 853. nominatur in 3, & 4. p. CXCVIII. Hunc anno Conſul. III. Trajani Conſulem KL. Nov. facit Panvinius*; quærerem ex eo cur hoc ſaxo, quod anno proxime ſequente poſitum eſt, Conſulatus a Feroce geſti nulla ſit mentio, ſi geſſiſſe verum eſt? Plinius *ep. ad Trajanum* 88. Julium Ferocem, ſub cujus imperio Præfectus cohortis fuerit Nymphidius Lupus, vocat *Virum clariſſimum*: inde fortaſſis Conſulatus ejus adſtrui poterit; anno tamen manente incognito. Imo vero cum e Plinii ad Arrianum ep. XI. l. II. quæ anno IV. Conſulatus Trajani Aug. ſcripta eſt, certo conſtet Julium Ferocem tum deſignatum Conſulem fuiſſe; potius in quatuor unitatis in lapide ſculptis notis unam abundare dixero, & pro Conſulatu IV. legero III. Sic enim fiet, ut lapis prior Conſulatu Ferocis poſitus, Conſulatui ejus poſt geſto nihil præjudicet: idemque patet ex eo, quod Plinio Tertulloque ſuffectus fuerit collega Acutio Nerva ex Kl. Nov. Ad Urſejum Ferocem JC. Proculejanum ſcripſit Julianus JC. *l.* 32. *D. de vulg. & pup. ſubſt.* De eo plura in *Eponymol. V. Ferox*. Cum librariorum & deſcriptorum circa ſaxa oſcitantiam cogito, non dubito adfirmare cognomenta FEROX, & alterum ei conſonum HIERAX, JERAX, ZERAX (toties enim variat) ſubinde permutata fuiſſe tam in libris quam in marmoribus, ut quod horum cujuſque proprium certo ſcire, ut maxime contendamus, nequeamus. Noti tamen e veteribus monumentis HIERACES, N. AFINIUS, T. ARRUNTIUS: L. CAPRIUS. TI. FLAVIUS: M. HERENNIUS: M. VLPIUS. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Nunc tenemus hominem poſſeſſorem vel colonum agri ad Aponum amnem, hodie ditionis Patavinorum in Venetia, QUINTUM MAGURIUM QUINTI FILIUM, tribulem Tribus FABIÆ FEROCEM. Civem Patavinum fuiſſe, quod volunt, probabile, non omnino pro certo habemus. Neque enim a tribu ad originem ſeu patriam colligere licet, quod fecit Holſtenius, cum tribus, in quam relata colonia vel civitas, non ita adſecerit cives, ut ejuſdem tribus eos omnes eſſe neceſſe eſſet. Quod ne temere dixiſſe videri poſſim, adſtruere opus habeo. In lapide Vicetiæ exſtante 8. p. CCCXXXVIII. (prope Fregellas in Latio vidiſſe Pighium refert Gruterus 8. p. MXCIII.) M. ENNIUS. M. F. MENEnia VICENTINUS eſt: ibidem Q. JULIUS. Q. F. MENEnia CATULLUS, in 9. p. CCCCXXI. Vicetia autem, uti & circum-Padanæ reliquæ in tribu Fabia, quod indubium prorſus; quomodo ergo, qui cives Vicentini erant, in tribum Meneniam adſcripti? Nimirum perpetuum non erat cives cenſeri in tribu, in qua civitas patria: & nudum ideo falli Antiquarios, qui tribum ſequi habitationem, mutata ea mutari tradiderunt. Deinde cum ex una tribu in aliam vel honoris & præmii, vel ignominiæ & pœnæ cauſa (erant enim aliæ aliis honoratiores) a Cenſoribus moveri & transferri mos fuerit, quomodo e tribu de ortu hominis judicari poterat, cum qui hodie in Palatina emineret, cras in Dumia reperet? Patronus Liberto in civitatem recepto emere potuit tribum, *l. Patronus* 15. *D. de legatis* 3. nim. vel ſuam vel alienam; eo tamen origo ejus non indicabatur. L. Cornel. Balbus Theophanes ab adoptante dictus, a Cn. Pompejo civitate donatus, in tribum Cruſtuminam pervenit, Cic. *Orat. pro Eo*, quæ erat in Sabinis, Liv. *l.* XLII. non quod Gades, unde ille domo, tribus Cruſtuminæ, ſed quod patronus ejus, etſi fortaſſis Romæ habitaret. Gentis unius capita in diverſis tribubus notavi: LABERIOS, L. in Æmilia; 9. p. CCCCXXVII: L. DECIMUM in Claudia, 3. p. MCXXXIII: L. in Fabia, 2. p. MCIX. Quid, quod patres & filios, fratres quoque in tribus diverſas digeri conſueviſſe pariter e lapidibus conſtet? quod Romanis moribus fiebat mox cum nati eſſent & nomina accepiſſent: ſane TIBerio CLaudio QUIRINA, KAPITOLINO MENSIUM IV. infanti lapis ſepulcralis poſitus a CLAUDIO ASCLEPIADE patre, 4. p. DCLXXVI. Athenis ſerius ἐγγραφὴ εἰς τοὺς φράτορας ἢ δημότας, & quidem pro lubitu celebrabatur:

* Sic omnes ferme Auctores illum nominant, at doctiſs. Noris, qui cum eo eandem patriam, idemque religioſæ Familiæ inſtitutum habebat, ſemper *Panvinum* appellat.

relatio in ephebos anno æt. XVIII: inſcriptio in tabulas lexiarchicas, εἰς νέες, εἰς ἄνδρας, an. æt. XX. Ἀλλὰ τέτων μὲν ἅλις; hoc agamus. Iſte MAGURIUS A. A. id eſt, AD vel APUD AQUAS. (ſic expreſſum eſt in cippo Patavino, 3 p. DCCCCXVIII. TU VIATOR. VALE. AD. AQUAS. & ſic vocabant thermas ſeu balneas Aponenſes.) DICAVIT EDRAS VIII. ET PERTICAS VNNCIAARUM XII. N. CCLIX. cui vero fini? Luſibus, EPIDIXESin ET CETAESESIN IN GREGE VETURIANA, QUÆ ET JUNIORUM dicebatur: hoc eſt, in uſum iſtius Corporis ſeu Sodalium ad Veturiam Juniorum (Tribus hæc erat ſive Centuria, ſive Claſſis, cui in Comitiis Centuriatis jus ſuffragiorum & ex ſortitione prærogativa competebat: nominat eam Livius *l.* 26. eratque alia etiam Veturia Seniorum) pertinentium. Hic ſenſus eſt ænigmatis; quem ut pro vero agnoſcere poſſit quiſque, fecerit ἐργασία ſequens.

Thermis balneiſve, ubi curando corpori vacabant Veteres, porticus præſtrui ſolebant: in Aponenſibus veſtigia porticus mille pedum exſtare adfirmant B. Scardeonius & L. Pignorius. Inſtrui etiam alia ædificia officinæ & cellæ, recipiendis tam indigenis quam adventoribus φιλολυτρῦσιν: hinc PORTICUS IN QUA EST CUBICULUS, in Rom. 8. p. CLXXII. item Bibliothecæ ibi haberi. Porticum ſimilem prorſus Aponenſi iſti memorat lapis 21. p. MXC. Vaſione Vocontiorum ſpectatus, in quo C. APpius Flavus H. S. L. id eſt, ſeſtertium quinquagies AD PORTICUM. ANTE. THERMAS. MARMORIBUS. ORNANDAM. LEGAſſe laudatur. DE PORTICU P. CCLX ET EXEDRA. ET PRONAO, ſtructa Tibure eſt, in 3. p. CLXXII. MEDICUS etiam LUDI GALLICI (in Reg. Urbis ſecunda) PORTICUM ET EXEDRAM DEDICAVIT, Romæ in 3. p. LXV. Cicero quoque in porticula Tuſculani exedria quædam nova ſibi inſtituta eſſe, quæ tabellis ornare velit, ſcribit VII. *ad Fam.* 23. In ejuſmodi porticibus omnis generis ludi exhibebantur, oſtentabant ſe artifices ſcenici, ὁπλόμαχοι, ἁρμονικοὶ, & id genus fabulæ producebantur, quod ἐνδείκνυσθαι & διδάσκεσθαι dicebant, declamationes de materiis variis, veris, fictis fiebant a Sophiſtis, & recitationes Poematum, diſputationis quoque inter Eruditos ita, ut in ſcholis, diatribis, recitationes huic exercitio paratis agitabantur; quod e Seneca, Plinio, & Gellio nemini ignotum eſſe poteſt. Sophiſtarum Oratorumve μελέται & declamationes erant ἐπιδείξεις, quod fierent cum quadam oſtentatione. Plut. *lib. de laude ſui*: Οἱ ῥητορικοὶ σοφισαὶ τὸ Θείως, καὶ τὸ Δαιμονίως, καὶ τὸ Μεγάλως (quæ acclamationes ſunt & adulationes plauſorum & probantium auditorum) ἐν ταῖς ἐπιδείξεσι προσδεχόμενοι. De iiſdem & de reliquis exercitatoribus uſurpat Theophr *charact. eth. c.*6. Pauſan. lib.2. *El.* in Gymnaſio apud Eleos, ubi Curia horum eſt, ἐπιδείξεις, inquit, ἐνταῦθα λόγων τε αὐτοσχεδίων καὶ συγγραμμάτων ποιῦνται παντοίων. Jambl. 1. *Pythag.* 12. δημιυργημάτων καλῶν καὶ ἔργον καὶ λόγων ἐπιδεῖξεις, εἰώθεσαν ἐν ταῖς πανηγύρεσι γίνεσθαι. Et Ælian. 9. Ποικ. c. 36. Ψάλτης Ἀντιγόνῳ ἐπεδείκνυτο, cithara nim. ludens. Himerii quoque Oratio quædam eſt, Ὅτε τὴν ἐπίδειξιν ἀξιύμενος ἀνεβάλετο, hoc eſt, quod erogatus ſpecimen edere diſtuliſſet, apud Phot. Cod. CCXLIII. Ipſa etiam loca, ubi habebantur ſeu auditoria, ἐπιδείξεις. Patet e Philoſtrato, ubi de Polemone.

Jam ergo de EPIDIXESIN non eſt dubitandum; quamvis aliud quoque aliquando in mentem fuerit mihi, nimirum minima unius alteriuſve litteræ mutatione, quæ in hoc genere exercendæ Critices omnino admittenda eſt, ſi obſcura ex ea lucem capiant, legi commode poſſe, LUSuum IBIDem (ſc. Ad Aquas) EXIBitioni: quorum omnium in excuſis manifeſta ſunt veſtigia: quid enim facilius quam F pro I, P pro B vel arripi a deſcriptore non cauto ſatis, vel ſculpi a marmorario? Verum quia proxime ſequens vocabulum e Græca L. deſumſit Auctor, convenit magis antecedens quoque ex ea petitum eſſe, & quidem ex arte rhetorica utrumque CETESES ſunt Ζητήσεις: (Græcum hoc neminem offendere debet in ſaxo Latino, cum τὸ EPIDIXES præceſſerit) ζητήματα, ἀπορίαι, ἀπορήματα, hoc eſt, *Quæſtiones*, *Dubia*, *controverſa Capita*, de quibus diſceptari inter Philoſophos ſolet, & in quibus exitum invenire difficile ſit, cum in utramque partem tam ἀποφατικὴν quam καταφατικὴν urgeant rationes. Eædem CETESES fortaſſis reperirentur in ſaxo Veſunenſi 4. CLXXI. ubi BASSVS quidam dicitur ædificaſſe vel dedicaſſe CONSÆPTum, BASILICAS. DUAS. CET. .... & quædam alia, quæ caſus fracturæ & mutilationis ne ſciremus nobis invidit & abolevit. Ibi vero Ceteſes fuerint loca, in quibus quæſtiones & problemata proponi ſolvique ſolent, ut ἀκρόασιν interdum pro ὁμακοΐῳ vel Auditorio ſumimus, ubi interrogando & reſpondendo converſamur. Τὸ CETAESESIN plane refert id quod in ſaxo eſt CETAES. I. II. III. ſi notas numerales colligamus in litteras, quod omnino ut quid velit intelligamus faciendum. Prima unitatis nota adpictis tranſverſariis dabit E: e reliquis quidni exeat ſyllaba SIN? Hæc obſervatio & ratio ἐπίσημα quæ adparent numerorum in litteras transformandi obſcuriſſimas inſcriptiones, & intellectas hactenus nemini, vel perperam explicatas, reddit manifeſtiſſimas. Docui ad 16. Cl. 1. commentario. In Langingenſi 4. p. DLVIII. PRENCIUS, AV. F. III. LEG. legendum M. id eſt, Miles LEGIonarius. In Moguntiacenſi 6. p. DLII. Materninus Pardus ARMATURÆ XXII. eſt, numerorum ſignis quatuor in totidem litteras converſis, ARMATURÆ PRÆFectus. In Tarraconenſi p. CCCCXV. eſt de Q. GARGILIO, quod fuerit TRIBunus MILitum, EQUes XCIII. Novum hoc genus Equitum nuſquam auditum, ſi cogites eſſe litteras in lapide, non ſigna numerorum, quæ dedit deſcriptor cum oculis gramioſis, offeret ſe quod eſt veriſſimum EQUiti ROMano. Τὸ X natum e littera R: C ex O dimidiato: III. e littera M. In Lugdun. 3. p. DCCCXXXI. nota numeralis III. corrupta eſt e ſyllaba HI: COSSUTIÆ. ANT. III. PIS: pro ANTHIDIS. In 13. p. XXII. HONORIus VII. AL. pro VITALIS. In II. p. DCCCXCII. IV. SICCIANUS, pro MILes S. in 7. p. MXIII. PRIIIIIILLA, pro PRIMILLA. In 4. p. XXIV. METELLA. I. DE NOMINE SUO FECIT. Scaliger exponit de METELLIA Prima, notam numeralem exiſtimans eſſe, quæ revera erat littera I: nimirum METELLA IDE: de quo cognomine in *Eponym.* In ſaxo Abrigæ in ditione Parentii reperto, quod ex Iſtria Patavium tranſtulit Præſul Æmonæ Jac. Phil. Tomaſinus, & refert Urſatus f. 237. eſt IIII. CRESCENS ADIUTor TABULariorum, puta Aug. vel Principis. Prorſus ocioſæ ſunt quatuor iſtæ virgulæ perpendiculares, & inexplanabiles, ſi pro numeris & nota quaternarii habeantur; ſin in litteras coaptentur, rem exhibent ipſam & Antiquitatis Romanæ illuſtrem particulam, hominem Veſpaſiani Aug. Tabulariis, Rationalibus, ſeu Procuratoribus rei privatæ Adjutorem. Hic ille CRESCENS CÆSARIS VESPASIAN. eſt in 2. p. LXXXIII. & pleniore adpellatione in Romano quodam, quod Cl. Bartholinus vidit deſcripſitque, Flavius CRESCENS AUG. Libertus A RATIONIBUS. Adpello Flavium ob FLAVIAm AUG. L. DAPHNEN, quæ ibidem nominatur, SORORem ejus. Quomodo vero hæ quatuor litteræ Titus FLAVIUS ex

iſtis quatuor notis generentur, obvium cuivis eſt, ſi cogitet transverſas, minutius ſculptas forte in T, F, & L, in lapide detritas a deſcriptoribus non potuiſſe agnoſci. Quoties autem τὸ I, ſive litteræ, ſive numeri ſignum ſit, cum L commutatum obſervamus? In 3. p. CCCXXX. AVGuſti LIBerto AGILIO, pro A GILLONE, id eſt, a poculo, a cyatho, pincerna, ſcanzio: in 9. p. LIV. OCIATIA pro OCLATIA: in 10. p. DCCCLXVII. IACEANE pro LACAENE vel Lacæna; MANCILIVS pro MARCELLVS in Duſſeldorp. 31. Cl. VIII. in 4. p. CCCCXXVII. ANNorum XIIX. pro XLIX. & ſic corrigendum eſſe adparet e dignitate ſeu officio hominis, qui fuiſſet III. Vir, Auro, Argento, Æri, Flando, Feriundo: quod juveni ann. XIIX. minus competit. Ex eadem obſervatione ſaxum Narbonenſe, 7. p. CCCCLXXXVIII. interpretari recte poſſumus; quod, niſi advertatur, prorſus non intelligitur. P. VINICIO. M. F. LEGION. I. AEDili. Hic ſi τὸ I. habeas pro nota numeri, & Legionis primæ ſive militem, ſive Præfectum imagineris, ineptum id erit, &, quia lapidi ſic infertur, quod in eo nequaquam eſt, violentum. Sin, ut revera eſt, accipias pro littera longa, & copules cum præcedente vocula, commodiſſime reſultat cognomen hominis LEGIONI. Eſſe vero hoc oognomen Romanum, nuſquam præterea lectum, diſcimus e Neapolit. 2. p. MCXXV. ubi Q. NVMISIVS. Q. L. LEGIO inter magiſtros Larum Auguſtorum. Contra numerorum notas tranſiiſſe in litteras, ut vox VNI hodie legatur pro VIII. id eſt, octo, ad Probum in *Eumene* obſervarunt Editores Argentinenſes: de quo loco tamen aliter ſentiunt Viri non minus eruditi. Certius teſtimonium eſt, quod peto e 5. p. DXXXIX. ubi quidam Craſtinius Martinius Miles cohortis III. PRÆTORIÆ S. T. M. quod exponendum eſt copulatis ST. M. vero reformata in III. STIPENDIORUM Trium: quod vel decies expreſſum in ſaxis, militum memoriæ dedicatis. GREX VETVRIANA hoc loco eſt φρατρία, σύστημα, Corpus, Cœtus, Sodalitium, Collegium dictum ita a Veturio quodam vel auctore, vel magiſtro. φρήταρχον, Inſcr. 1. p. CXXV. γυμνασίαρχον, 4. p. CLXIX. προστάτην γυμνασίου, p. CCCXXVII. Priorem Corporis, *Nov. Theod. de ſuar. boar. & pec.* Græca Juris Cæſarei Paratitla vocant Διοικητὴν σωματείου; quem Inſcr. 7. p. CCCCLXVI. CVRATOREM CORPORIS, alium a magiſtro, occupatum rebus Societatis, poſſeſſionibus & reditibus diſponendis & conſervandis. In Urbe, in Provinciis partem Curialium maximam faciebant ejuſmodi cœtus, & peculiaribus inſtitutis & conſuetudinibus, immunitatibus etiam quiſque eorum conſtabat. Plurium in ſaxis mentio eſt; unde petantur. De Patavino iſto nihil dum audivimus quidquam, ſilentque rerum Patavinarum Scriptores una cum Antiquariis, quos ea Urbs ſemper habuit nobiliſſimos. Altera iſtius Gregis adpellatio, qua JVNIORVM quoque dicitur, a Sevirorum ordine & a Tribuum Corporibus deſumpta eſt. IIIIII. Vir Auguſtalis SENIOR, in 14. p. MLXXIX. VI. Vir SENI. in 5. p. CCCCXLIX. VI. VIR SEN. ET AVG. in 8. p. XLIII. VI. VIR IVNIOR, in 7. p. CCCLXXXIV. VI. Viri IVNIORES, in 1. p. MVII. SEX VIRI IVVENES COLLEGIATI, in Caſulano, 98. Cl. VI. Ita Tribum Palatinam Corporis Junioris, in 11. p. DCCXI. Tribum Palatinam Corporis Seniorum Clientium, in 9. p. MCXV. Tribum Succuſanam Juniorem, in 3. p. CCXXXIX. habemus. Plura hac de re dici nequeunt, niſi inanibus conjecturis indulgere libeat. EDRAS VIII. interpretor ſedes octo, ſedilia, βάθρα, in 199. Cl. I. βήματα, ἕδρας, καθέδρας, in quibus conſiſtebant recitantes tanquam in ſuggeſtibus. Vitruv. l. 5. c. 11. *Conſtituuntur autem in tribus porticibus exedræ ſpacioſæ, habentes ſedes, in quibus Rhetores reliquique qui ſtudiis delectantur ſedentes diſputare poſſunt.* In Romana 4. p. CLXX. inter ornamenta Scholæ nominantur Sedes æneæ. SEEDES in Aletrina 8. p. CLXXI. nimirum geminare ſolebant Quadratarii nonnulli vocalem longam, quod de AA paulo poſt obſervabitur. Strabo l. 17. de Muſeo Alexandriæ: ἔχον περίπατον καὶ ἐξέδραν, καὶ οἶκον μέγαν, ἐν ᾧ συσσίτιον τῶν τοῦ Μουσείου μετεχόντων φιλολόγων ἀνδρῶν, id eſt, porticus ambulationi & corpori exercendo, & loca ſeſſui parata pro diſſerentibus & doctrinas conferentibus. Plin. *l. 5. ep.* 6. ſedilia e marmore: Vitruv. *procem. l. 7.* in eodem ſecretas *ſedes* Judicibus, in conventu Iudorum muſicorum fuiſſe diſtributas ſcribit. Cicero quoque *de Orat.* ubi de gymnaſiis, *porticus, palæſtram, & tot locis ſeſſiones* nominat. Athenis imprimis, ubi Philoſophorum, Sophiſtarumque & Rhetorum cœtus plures, totidem, in quibus convenirent, ſcholæ ac ſtationes, Academia, Lyceum, Cynoſarges, Pœcile; in quarum quavis ſtructæ ſellæ, quas θώκους & θεώκους vocabant. Lucianus in *Jove tragœdo de diſputantibus in Stoa*: βοῶντες καὶ διατεινόμενοι ἐπὶ τῶν θώκων καθήμενοι. Inde σύνθωκοι, σύνεδροι, conceſſores, combennones: item a materia πέτρας; Themiſtius λόγῳ ὑπὲρ τοῦ λέγειν: & Aratus *epigr.* in Diotimum Grammaticum apud Steph. in Γάργαρα. in 2. *Antholog.* t. 40. Latini LOCA: hinc in 10. p. MLXXIV. TRIBVNAL CVM LOCIS eſt Tribunal cum ſedibus adſtructis vel circumpoſitis; ſedentes enim judicaſſe compertum eſt. Videre id non potuit Salmaſius, quod corruptæ lectioni C. M. pro CUM inhæreret, in ep. *ad Cl. Sarravium*, & divinando fruſtra ſe fatigavit. Locus autem ſeu pegma, e quo docebant οἱ προεστῶτες, editius e lapide vel ligno, θρόνος Eunap. in *Sopol.* Olympiodoro apud Phot. Cod. LXXX. θρόνος σοφιστικὸς eſt honor & jus docturæ publicæ; inde σύνθρονοι ὁμόθρονοι, collegæ in officio docendi. Item Βῆμα, quod etiam Rabbini ſuum fecere, בימה enim adpellant ſuggeſtum in Synagogæ medio conſtitutum, quem adſcendit is qui Legem prælegit, vel verba facit ad populum. Eccleſiaſticis Scriptoribus ambo, pulpitum, analogium, lectrum, lectorium: etiam δεικτήριον, τόπος ἐν ᾧ ἐπιδείκνυνται οἱ λέγοντες.

Conſtabit hinc Euras, quas e Polluce docet Holſtenius eſſe orbes annulosve ferreos muro trabibuſve infixos, huic loco minime omnium convenire: repugnat enim ratio proportionis, quæ debebat eſſe inter annulos & inter, quas trajici per eos imaginatur uſui iſti, quem ponit, perticas: quippe perticæ CCLIX. vel duplo plures, quibus ſuſtineantur, euras requirunt, duas nimirum quævis earum, vel totidem tamen numero quot ſunt ipſæ. Non ergo ſuffeciſſent octo curæ tot perticis intra ſe recipiendis Quæ etiam illa tanta munificentia, quam ſaxeo monumento inſcriptam oportuit, perticas cum uncinis dicare thermis? Prorſus aliud hic latet: Nimirum præter EDRAS, ſeu HEDRAS (τὸ H in ſaxis omittitur, additur, tranſponitur, cujus ſculpturæ rationem toties obſervamus) ſtructas in porticu, in uſum, de quo dicebam, etiam PERTICAS VNCIAARVM XII. numero CCLIX. ſpacio porticus ampliando de fundo ſeu tenemento ſuo thermis attiguo contribuit MAGVRIVS. Cum igitur porticum Thermis Aponenſibus præſtructam pedum mille fuiſſe referant Scriptores τῶν Πατρίων Patavini, ſequitur fide hujus monumenti quartam ejus & quod excurrit partem liberalitati Magurii iſtius acceptam ferendam eſſe, qui de agro ſuo ſpacium pedum CCLIX. ad eam contribuit, prorſus ut Damianus Sophiſta, teſte Philoſtrato lib. 2. & Suida in Δαμ. ſtadii longitudine ex urbe porticum templo Epheſino adſtruxit. De ſignificatu, quem vocabulo PERTICA impono, nemo dubitet; fuiſſe enim ejus in pedatura Veterum varium uſum, remque ipſam, *perticas*, pro temporum & regionum ratione varie mutatas, vario-

que pedum numero fuisse, ipsi Gromatici Scriptores fatentur. Vetustissimi pedalem mensuram & pedem, qui est XVI. digitorum, XV. unciarum adpellarunt; perticarum & decempedarum adpellatio, qua fustem longum agris mensurandis κανόνα, χάμακα, regulam; item funem & catenam eidem usui significat; est inventum Augusteo ævo posterius; & longe differt a groma, χωροβάτῃ, quo castra agrosque metabantur; Scriptoribus mediæ ætatis *perticæ arpennales* dicuntur: sic charta Teutonis Abbatis in *Chron. Besuensi* pagg. 511. & 512. iisdem *perticata terræ* est pedum XVI. & dimidii in longitudine, & XXIV. pedum in latitudine. Alii *perticatam terræ* computant in pedes XX. *libratam terræ*, *carrucatam terræ*, *virgatam terræ*, *bovatam terræ*, aliter atque aliter. Recentioribus Auctoribus usum vocabuli *Pertica* pro pede tribuit Vir summus: *Varro & Columella non sic eo utuntur*, inquit. Atqui nihilominus ii qui sic utuntur sunt antiqui, quod apparet ex hoc monumento, ante annos mille quingentos inscripto, pertinente ad seculum Antoninorum.

Hinc liquidum satis est, UNCINORUM nullum hic locum esse posse aut rationem: sed cum de certo agri solive modo vel spacio, quod pede seu pertica dimetiri mos est, sermo sit; pes autem sive geometricus sive mechanicus constet digitis unciisve, & in ea ceu partes minimas resolvatur, τὸ UNCIAARUM prorsus verum esse, & vel a Marmorario præter Auctoris mentem corruptum, (ut hoc genus quippe rude & illitteratum plerumque prodigiose peccat quam plurima; occurritque sæpius, ubi unico versu bis terve delirarunt, dederuntque a præscriptis alienissima) vel a Descriptoribus, quibus exesa vetustate litterarum signa illuserunt, depravatum. Hisce ne quidem suspicantibus vitii quid subesse, exire potuit ex hoc illud, quod vocabulum novem litterarum conspicerent in saxo, non adtenderent autem morem Marmorariorum, (qui geminare vocales in syllabis natura longis solerent, sculpserantque UNCIAARUM) geminatam vocalem AA non intellectam in syllabam NO recte se mutare putaverunt: quod longe secius est. UNCIAARUM, ut THRAACUM in Patavino 5. pag. CCCCLXXX. forte ex ejusdem Quadratarii officina, e qua Magurianus noster. In Græco e Delo allato Venetias, 55. Cl. I. EN ΔΗΛΩ. L. BETILIENUS VAARUS, in Aletrino 8. p. CLXXI: idemque cognomen fuit Q. Posthumii, in Brixiano 6. p. MXCIX. totidem litteris sculptum; sed Editores mutarunt in VARRUS: quod velut nusquam præterea lectum merito suspectum est. VAAROS autem seu VAROS fuisse Posthumiorum constat inde, quia Posthumium Varum Præf. Urbi an. 1024. liber *de Præfectis* nominat. Sic Q. VAARIUS: VAARIA VAARILLA, in Narbon. 10. p. DCCCCXVIII. C. VAARIUS. STEPHANUS, in Volaterr. 129. CLXVII. Ælius VAALerianus EQues LEGIONis XX. in 2. p. CXXXII. ut videtur, dum succurrat certius: JULIAANE, in San-Justino 12. p. DCCCCXIV. Plura exempla requiri ex Indicis Inscr. c. 19. lit. A & G possunt. Mos autem scribendi iste ab ipsis Grammaticis desumtus est; voluit enim Accius geminatis vocalibus scribi natura longas syllabas, (idque in vetustis manuscr. Codd. nonnunquam servari vidimus, correctum a posterioribus, qui vitiosum esse existimabant) aliis adjecto vel omisso apice longitudinis & brevitatis notam ostendi posse placuit: Terent. Scaurus *de Orthogr.* Id vero genus liberalitatis, quo Collegiis, Societatibus, Gildis vel pecuniæ erogabantur legabanturve, vel possessiones & agri vel reditus tamen ex iis annui adsignabantur, tralaticium est, & vel e Plinianis *Epp.* Eruditis cognitum. Idem fecit MAGURIUS, qui fundi sui partem pedum CCLIX. porticus ad Aponum ornandæ, sive Reip. sive municipibus, vicanisve, sive Gregi, quem vocat, VETURIANO donavit, DICAVIT, concessit. Privatis etiam ab amicis factum idem aliquando in sepulturas; hinc illud, LOCVS CONCESSVS P. ÆLIO ROMANO, apud Celsum Cittadinum, Tr. *de Lingua Vulg. Ital.* c. 20. & in altero Romano, 11. p. DCCCCXXXVII. C. Clodius Euphemus P. Cornelio Mauro LOCVM ARAE (sepulcralis, in 11. p. DCCL. quæ & MENSA, in 6. p. DCCCL.) DONAVIT. QUÆ. COLLIGIT. IN. SOLO. POSITA. PEDES. QVADRATOS. TOTOS. III. Interdum Scto populique jussu LOCVS PVBLICE DATVS EST, in 1. p. CCCCLV. Interdum DECVRIONVM DECRETO, 5. p. MXCII.

Hoc denique igitur de lapide apud Thermas Aponenses sentio; præterea non esse epitaphium, ut Liceto visum; cujus ariolationes quo habendæ loco sint, vidit ante Holstenius; indicio alio non opus est, toto eum cælo errasse, & somniasse de Fabro uncinorum ferreorum trium millium centum & octo pro piscatoribus thynnorum in mari Gaditano, de LUSITANis EpiDIXibus de GREGORA piscatui præfecto, de VETURIA CETAESTRITA, cetariorum Præside, nemini homini unquam auditis lectisve, etiam nusquam Orbis & Antiquitatis Romanæ, quantacunque est, reperiendis; Fabulæ de Tasmo, Lamiæ turres, & pecten Solis ista sunt ex Hannonis Periplo & Libris Libycis. Neque felicius divinavit Holstenius, de tribus zetis seu diætis, quas struxerit MAGURIUS apud Thermas. Accepit τὸ CETAES casu quarto, quomodo ergo stabit hoc cum τῷ EPIDIXIBUS in tertio? Deinde Epidixes litterarii exercitii specimina, declamationes, dissertationes, μελέται, διαλέξεις, recitationes sunt, quarum caussa, vel quibus dicatæ fuerunt a Magurio hedræ; Zetarum gratia vel Zetis dicatas fuisse quomodo intelligam? Etiam incongruum est Zetas primam, secundam, tertiam, dicere, pro tribus, confunditur enim adpellatio numeri ordinalis cum cardinali. Tres Zetas expressisset Marmorarius signo ternarii vel monadis ter repetitæ sic, III. quod frequentissimum: atqui hic unitatis, binarii, ternariique numeri notæ sunt I. II. III. Restat igitur non esse istas nominis numeri sive cardinalis sive ordinalis notas, sed colligendas reformandasque in litteras, uti demonstravi. Quod vero *de usu perticarum cum uncinis*, de quibus vestimenta suspenderent sive lavantes sive ludentes, adfert firmandæ conjecturæ suæ Vir Illustris, de suo id nobis nolentibus admetitur. Veteres enim Græcos, Romanos, Barbaros ita consuevisse nondum quisquam eorum, qui de Balneorum, Palæstrarum, Xystorumque dispositione & partibus, de lavandi ritu scripsere, tradidit: sed in FAMILIA THERMENSI, (nominat hanc lapis Patavinus 5. p. CLXXXI.) præter fornacatores, aquarios, unctores, frictores, suppilones seu picatores, erant ἱματιοφύλακες, vestispici, custodiæ vestium deputati homines, *capsarii* Paulo *l.* 3. *D. de offic. Præf. vig. qui mercede servanda in balneis vestimenta suscipiunt*; ejusque ministerii meminit sub adpellatione ἱματιοφυλακούντων Lucianus in *Hippia*, & Epiphanius *hær.* XXX. ubi de συγκυρίᾳ S. Johannis & Ebionis in balineo Ephesino. Idem Lucianus balneum ab Hippia mire commendans & exquisita arte, commemorat etiam ἑκατέρωθεν διαρκεῖς τοῖς ἀποδυομένοις ἀποθέσεις, id est, sufficientia pro eorum, qui loturi se exuerent, vestibus reconditoria seu depositoria fuisse. Perticarum ad hoc non meminit; neque licet de his exponere τὰς κοινὰς τῶν ἱματιοφυλακούντων κατασκηνὰς, quas ibi nominat: (hæ enim sunt cellæ seu habitatiunculæ eorum) Servi vero servabant reposita, non suspensa de paxillis, in exutorio seu spoliario, quæ balneis adhærens cel-

laerat vel cecus, Gr. ἀποδυτήριον. Plin. lib. v. epist. 6. *Apodyterium balinei laxum & hilare*. In Lexico vetusto, *Apolucium est locus ubi vestes exuuntur in balneo*. Videri poterat esse ἀπολύσιον, absolutorium, exsolutorium. Sed vero similius est spectasse Grammaticum τὸ ἀποδυτήριον, quod Balbo Apodisterium; legendumque igitur, Apodutium, Apodysium, ἀποδύτιον; ut ὑπόδρσις, ὑπόδυτον, de quo in Epist. ad Rupert. pag. 561. *Ferrum cudit ferrum, & Vir exacuit faciem amici sui*; Quidni igitur sperem e sententiarum amica collatione in hac litteraturæ secretioris parte, quæ videbantur obscurissima, dispulsis tenebris fore cuivis manifesta? Judices autem æquos Veritati, in cujus gratiam & hæc & alia quæcunque scribimus, concessuros non dubito. Tradamus mutuas operas, doceamus *sine invidia*; doceamur *sine fastidio*.

Νῦν Σφιγγὸς γρίφους Οἰδίπους ἐφρασάμην.
Φθόγγος μὲν ξυνετοῖς, ἀξυνέτοις δ' ἔρεβος.

Lipsia, Anno O. R. cIↃ. DCLI. finiente.

REINESIUS.

FORTUNII LICETI

GENUENSIS,

In Gymnasio Patavino Prof. Physiologi Ordinarii,

De saxo Patavino Maguriano

DIVINATIO.

Sertorius Ursatus ab Ursatis Nobilis Patav. & Medicus *Monument. Patavin.* l. 1. sect. 5. f. 214. edit. Patav. An. 1652.

Obscurissimus iste lapis XII. *uncias altus*, XXII. *longus*, *Aponi ad Thermas in Hortis meis erutus fuit An. salutis* MDCXLI. *De quo Eruditorum sententiam, tum præsertim Clarissimi Fortunii Liceti Secundo de Quæsitis per Epistolas expiscatus fusissimam ejus obtinui enodationem; nec alius, quod sciam, ipsum interpretatus est, suæ autem disceptationi, quam longissime deducit, doctissimus Licetus loco citato hanc imponit coronidem: Quare jam Epitaphii sensus apertus videtur hujusmodi:*

Quintus MAGURIUS Quinti filius

FABER primarius, plurimos habens sub se ministros, fabricantes instrumenta ferrea, necessaria numerosæ multitudini piscantium uncinis e mari Gaditano Thynnos innumeros initio æstatis cujuslibet anni,

FEROX cognominatus vel a truculentia vultus, vel ab asperitate ferociaque morum, vel a conditione servili; qua Lucernarum antiquarum Plastes agnomen sibi FORTIS imposuit: quale plurimis in lucernis antiquis legitur.

LUSITANIS EPIDIXIBUS, qui supremi Judices fuerunt ad Gades Thynnorum piscatui Præfecti.

ET CETAESTRICIS, qui Præsides exstitere Cetariorum, ubi Thynni capti membratim diffindebantur, saliebantur, & in cadis ad venum asservabantur.

I. II. III. Primis, qui seniores Epidixes erant. Secundis, qui Cetæstritæ similiter ætate provecti, sedentes pro suo quisque Tribunali jura dabant, atque dicebant Piscatoribus & Salsamentariis. Tertiis, qui robusti juvenes Epidixes Cetæstritæque circum obequitantes, operariorum turbam immensam cogebant, & bajulis imperii sui urgebant ad opus. Nominatim vero & particulariter in honorem sibi dilectiorum; sub quorum Præfecturis artem fabrilem cum emolumento suo maximo fabricans Uncinos piscatorios exercuerat; nimirum:

IN GREGORAM Epidixen, Piscatui Præfectum supremum.

VETURIAMQUE Cetæstritam, Cetariorum Præsidem: seniores Judices duos sibi chariores.

ET JUNIORUM Aliorum Animas ad sepulchrum honorarium vocatas: qui juniores Epidixes, Cetæstritæve, tertio continebantur ordine Præfectorum infra Gregoram & Veturiam, qui duobus in prioribus ordinibus sedebant.

DICAVIT in honorario tumulo ab se apud Aponenses Thermas constructo.

EURAS gemmas OCTO, donarium mortuale congruentissimum Fabro ferrario dedicanti, judicibus Præfectis vita defunctis, Tumulo sepulcrali, & Thynnorum Piscatui.

ET PERTICAS item sepulcrales UNCINORUM DUODECIM, numero ducentas quinquaginta novem. Continentes propterea ferreorum uncinorum tria millia centum, & octo; Symbolum magisterii fabrilis, quo ferramenta præcipua, tam celebri piscatui Thynnorum necessaria, fabricavit sub illorum Præfecturis Magurius Fabrorum Princeps ad Herculeas Columnas in Lusitaniæ littore Gaditano.

Hæc erudite & accurate disertissimus Licetus. Sed cum in conjecturis quibuscunque divinare liceat, videant quæso, qui antiquitatum notitia pollent, qualenam sit ænigma hoc abstrusissimum, & an illa nota FAB. non potius pro FABIA tribu, quam pro fabro sit accipienda, cum ibi locata sit, ubi in omnibus monumentis tribui locus attribuitur? An vox illa EURAS non cum re rustica aliquid habeat commune, & esse possint Euræ, ferra axi initentia, quæ a rota teruntur, ut in sua Amalthæa *e Julio Polluce collegit Josephus Laurentius? Et an PERTICAE & UNCINI ibi descripti non cum agri mensura conveniant, & instrumenta ad agros metiendos denotent?* Hactenus Ursatus.

VIRI CLARISSIMI

LUCÆ HOLSTENII, DE MONUMENTO MAGURIANO, AD JOANNEM RHODIUM EPISTOLA.

MALO parcius solvere, quam longiore procrastinatione debitum augere. Promissam tibi Magurianæ Inscriptionis explicationem, sive divinationem potius meam ad antiquum illud ænigma nunc exhibeo. Ubi illud jure meo ab humanitate tua postulo, ne mihi culpæ aut vitio vertas, si a doctissimi amici nostri expositione tantum recedam, quantum dissidet Hesperiis Gadibus Eridanus. Ego enim Patavinam Inscriptionem existimo Magurii civis Patavini, Aquis Aponis dedicatam, in quarum margine repertam scribis. Magurius ille in xysto sive porticu aquis imminenti de suo posuerat Euras illas & perticas, quas lapis commemorat, ut lusoribus gregis Veturianæ. quæ grex etiam Juniorum dicebatur, eorumque exhibitionibus sive exercitiis servirent, quæ singillatim explicare operæ pretium fuerit.

Q. Magurium Patavinum fuisse ostendit tribus Fabia, in quam omnes Transpadanæ civitates relatæ fuere, cum Romana civitate donarentur. De Brixia, Verona, Mantua multi lapides id testantur apud Rossium, Panvinium & Gruterum. De Patavio idem Gruterus aliquot affert ex Scardeonio, quos videre est, CCCCXL. 4. DCCCI. 12. DCCCXXCV. 3. DCCC. 1. DCCCCXXI. 19. DCCCCXLV. 4. & apud Montem silicis CCCC. 5. neque hac de re quisquam in his studiis paulo versatior dubitabit.

Ferocis cognomen sæpius antiqui lapides exhibent. Sic Annius Ferox senior & junior apud Gruterum MLXXXIX. 6. ut alios taceam.

LUS. EPIDIXIB. ET. CETAES. I. II. III. de Lusorum Epidixibus & Zetaes, sive diætis tribus intelligo. Ideoque in voce CETAES errorem Quadratarii, vel potius Scriptoris Patavinitatem agnosco, qui pro Z posuit C, forte quod vocis originem & orthographiam ignoraret. Lusorum epidixes in Thermis & Xystis olim exhibitas notius est, quam ut indicari a me debeat, post Mercurialem, Fabrum & alios. Epidixes autem de omnium generum ludis & artificiis, non de solis Poetarum & Rhetorum recitationibus accipi, cum alii, tum Cresollius in *veterum Rhetorum Theatro* prolixe docet. Porticum vero illam mille pedum, cujus vestigia juxta Aquas Aponi Scardeonius & Pignoria * exstare affirmant, ædificia sive distincta cubicula (has enim Zetas Veteres dixere) quam plurima habuisse ignorare non potest, qui Vitruvium legerit lib. V. cap. XI. ubi de Palæstris & Xystis agit.

* Leg. *Pignorius*.

GREG. VETURIAN. Integris vocibus Gregis Veturianæ explico, ubi illud primum moneo Gregem fæminino genere olim dictum fuisse, quod Lucretii exemplo & auctoritate firmat Nonius, apud quem *Buceriæque greges* lib. 2. legitur. Sic quoque in magno Inscriptionum Opere, CCCXXXVIII. 5. GREX RUSSATA habetur. Veturiana autem dicebatur, quod a Veturio aliquo instituta fuerit. Hanc enim Veturianam Familiam Patavii fuisse docent lapides antiqui apud Gruterum DCCCCLVII. 10. & DCCCXCV. 1. & alius qui Vigizotti exstat, DLXVIII. 2. ex Scardeonio. Vicentiæ quoque Viturios fuisse ostendit lapis DCCXLVIII. 8. Eadem grex sive schola lusorum etiam Juniorum appellabatur, sive quod non nisi juvenes ad eam admitterentur, sicuti apud Gruterum LUSUS JUVENUM legitur; sive potius quod jam ante alia schola sive grex lusorum fuisset in iisdem Thermis instituta: ut apud Gruterum DCCXI. 2. Tribules Corpori Juniorum in Tribu Palatina, & MCXV. 8. Tribules Corporis seniorum clientium Tribus Palatinæ, atque ita passim in *Notitia Imperii* Scholæ militum juniorum & seniorum leguntur.

A. A. Aquis Aponis intelligo, atque ita Scaliger in Indice magni Operis Inscriptionem Patavinam apud Gruterum DCCCCXVIII. 3. *Vale ad Aquas*, recte Aponas explicat. Fontibus autem sive aquis præsertim medicatis, quod sacræ haberentur, varia dedicata constat ex antiquis monumentis. Sic apud Eminentissimum Card. Barberinum in pyramide marmorea, AQUIS. ALBULIS. SANCTISSIMIS. &c.

EURAS nos intelligere unus Pollux docet, cui varia curruum ferramenta, explicanti lib. I. cap. 10. Euræ sunt ferramenta, quibus axes curruum muniuntur & quæ rotis atteruntur. Romæ vulgo *sprangas* ferreas vocant: ego hoc loco ferramenta vel muro vel trabibus ligneis infixa accipio, quæ perticas uncinis clavatas sustinerent, ea scilicet forma qua hic appinxi. Perticarum autem & uncinorum usum eum fuisse puto, ut vel lavantium vel potius ludo sese exercentium vestimenta sustinerent. Hunc obscurissimæ Inscriptionis sensum existimaverim, donec viri doctiores veriora me docuerint. Romæ XXIV. Augusti CIↃ. IↃC. LII.

MANTISSA PRO ANTIQUARIIS ET PHILOLOGIS PATAVINIS.

His potissimum debebantur ista, quorum propria sunt, quorum patriam Urbem celeberrimum augustissimumque Litterarum, Virtutum, & Eruditionis omnis Emporium illustrant. His etiam velut maxime idoneis Judicibus, quippe quibus saxa ista vernacula sunt, & quotidie inspiciundi ea rimandique copia suppetit, ista ἀπανθίσματα conjecturarum, emendationum, interpretationum exhibita velim, ut vel voluntatis bene merendi nomen gratiamque auferam, vel si minus feliciter divinationum hoc genus mihi successerit, candidos merear, experiar, excitemque monitores, & in hoc studio adjuvas *.

I.

Patavii apud Alex. Bassanum.

POPPIA. CAVALERINA. ET
TIB. MARCELLVS. QVIETVS.
SARCIN O O.AB. SOLO.FABRI
CAVERVNT......

Ita e Scardeonio repræsentat Gruterus n. 7. p. DCCCCXVIII.

Patavii in ædibus Bassanorum.

POPPIA. CAVALERINA. ET. ATIC.....
MARCELLVS. QVIET. ARSINOO.
AB. SOLO.FABRICAVERVNT.N. CCCC.

Ita Sert. Ursatus *Monum. Patav.* lib. 1. f. 2. f. 68. & V. C. Thomas Bartholinus in *Collectan. manuscr.* qui tamen ultimas quinque omisit.

Titulus iste fabricam mausolei seu sepulchri indicat, quod fortasse nemini hactenus suboluit ob incognitas siglas O. O. & collectas, quas disjungi oportuit, voculas duas in unam, SARCIN. Neque nomina quidem structorum sana sunt. POPIA eadem est cum POPPÆA e rebus Neronis Aug. apud Sueton. &. Tacitum nota. Simplices & diphthongi frequenter permutantur. Sunt in lapidibus POMPIVS, ICEMENIVS, in 5. p. DCXCII: IRINEVS, in 6. p. DLXXX: PARAGMIVS, ANESTITVS, VERNE: pro POMPEIVS, OECVMENIVS, EIRENÆVS, PARACMÆVS, παρακμαῖος, ANÆSTHETVS, ἀναίσθητος, VERNÆ. Sunt itidem AEOS, in Mediolan. ÆCLOGE, in 4. p. DCCCCXCII: MENAELAVS, in 7. p. MCIX: SVEIS, in 8. p. DCCCCLXVI: 9. p. CCCCLXXXVI: SIBEI, in 8. p. DCXXXIII: DIIIBVS: in 6. p. DCLVI; SIISTIA HIILLAS, in 6. p. LXIII: EPHOEBO, in 4. p. DCLXXXIX: MOESICVS, in 6. p. DXXXII. pro EOS, EGLOGE, MENELAVS, SVIS, SIBI, DIEBVS, SESTIA HELLAS, EPHEBO, MVSICVS. CAVALERINA: hoc nec Romanum nec barbarum est, sed corruptum a descriptoribus. Verum puto, C. F. VALERINA; cognomen hoc est SEVERIÆ, in Lugdun. 10. p. DCCXLI. Nihil magis obvium quam prænominum initiales litteras singularias cum nominibus coalescere; hinc in 3. p. MXXII. TIMAGIO pro TI. MAGIO: in 3. p. DCCCXXXV. TRASIDIO pro T. RASIDIO: in 3. p. XX. VESPECIATIÆ pro VE Flaminicæ SPECIATIÆ. Pancharia Soteris est in omnibus editionibus Plin. lib. 10, *ep.* XI. pro P. Ancharia. Anchariorum Familia e Cicer. & Tacito: Ancharenorum, eadem, e lapidibus nota est. ATIC. ATICIVS exponi potest: eadem Familia cum eodem cognomine nominatur in 4. p. MCL: ATICIA MARCELLA: quanquam videatur legendum ATILIA, & sic est in 8. p. DCCLXXII. Sin in saxo vestigium detritæ litteræ M deprehendi posset, mallem MATICIVS; Maticii enim notiores Aticiis, qui fortassis fictitii. QVIET. ita Urs. & Barthol. Τὸ QVIETVS, quod e Scard. habet Gruterus, merito seponitur, abundans nimirum syllaba, quæ hodie in saxo non conspicitur. Exponam, QVIETORIUM. Non memini alibi legere quam in saxis, 2. p. DCCX: 11. p. MCXXXI. REQVIETORIVM, in 4. p. DCCCLXXXIII: in 1. p. DCCCCLIV. in 8. p. MXXX Gr. εὐναστήριον dixero cum Lycophrone, ut κοιμητήριον. ARSINOO. Prorsus desperatum hoc, nisi subveniret lectio Scard. conservata a Grut. SARCIN. quæ si puncto inter tertiam & quartam dirimantur, exibunt, SARcofagum, CINerarium, partium in ædificiis monumenti, rem sepulcralem attinentia vocabula. *Sarcofagus marmoreus, fictilis, terrenus, duplex,* exstat in Grut. Ara marmorea, quæ eluvione amnis, qui prope Apulum in Dacia Mariso miscetur, in conspectum venerat, visa An. 1623. Opitio, Cibinii descripta a Wilh. Cothurnio & aliis quoque Rob. Robertino, Berneggero, Kœstelio, Ruperto communicata, SVPERPositum PILÆ EXTRVCTÆ SARCOFAGVM, in quo VARENIA PROBINA CONDITA ERAT, memorat. CINERARIVM, quod aliis *reliquiarium*, est in 11. p. CCCCXVIII: 10. p. DCCCL. MASSA CVM CINERARIO, in 3. p. DCLXIII. O. O. Silent hic qui Antiquorum notas nobis explicarunt: nec extricarunt Auctores Indicis Inscr. Puto me recte conjicere significari Ollas Ossuarias. Figuram talium expressit ex Apiano Grut. 1. p. DCCCCLXIII. In monumento ÆDICVLAM CVM OLLIS OSSVARIIS habemus in 6. p. DCXXVI: OLLAS N. XXXIV: CVM. SARCOPHAGO. MARMOREO. FECIT. M. PLÆTORIVS, 8. p. CCCVIII: OLLAS DECEM, in 11. p. DCLI. Vocant etiam VASCELLVM. ET. MASSAM, in 6. p. MCVIII. Locus talium legabatur, donabatur, in 7. p DCCLXIV. dabatur quoque PVBLICE EX DECR. DECVRionum, in 4. p. CCCCXXIV. Formula, AB SOLO significat quantum ædificii e solo exstet, vel solo, sive publicum sive privatum id sit, instructum visui pateat. In 3. p. CLXVI. FVNDAMENTA, MVROSQVE. AB. SOLO. FACIVNDOS. COERAVERVNT: fragmentum quod plenius in 2. p. CVII. auctumque præterea duobus versibus a Cl. Tomasino: PERFECTO. AB. SOLO. BALNEO, in lap. Juliæ apud Opit. l. 2. *Silv. Poet.* p. 108. Extrema sumtum structuræ monumenti impensum, *Nummos quadringentos* notant: quod in simi-

* Leg. videtur, *adjuvem.*

libus curiose annotatum observamus. In Patav. 5. p. DCXLI. in locum monumenti pro SEPVLLIO. ex pensi N. CCLVI. Pariter in Patav. 13. p. LXXXIII. N. CCCCII. in structuram pro ISIDE REGINA. In Jader 9. p. CLIX. Emporium sterni, arcum fieri, & statuas superponi conjux in memoriam mariti testamento jussit. Ex HS. DCDXX. PR. id est, ex sestertiis nongentis viginti præsentibus: in 8. p. DCXXII. monumento in culturam H. S. VII. legata sunt.

II.

Patavii apud Joh. Cavinium.	*Patavii apud Bassanos.*
D. M.	M. D. M.
IN. MEMOR.	N. MEMOR.
VSIÆ. L. FIL.	VSIÆ L FIL.
TERTVLLIANÆ.	TERTVLLINÆ.
SACERD. DIVAR.	SACERD. DIVARVM.
MATRI. SVÆ.	MATRIS SVÆ.
SEX. APPI.	SEX. APPVLEIVS. MARCELL.
	D. D.
e Scard. Grut. 4. p. XXIX.	e Schedis Pinelli Grut. 4. p. XXXIX. Ursatus, l. d. f. 59. & Bartholin.

Matri Deum Magnæ inscripsit hunc titulum SEXTVS APPVLEIVS, quod monumenta tutelæ Numinum adsignare solerent; IN MEMORIAM vero MATRIS SVÆ LVSIÆ (ita Ursatus) vel CVSIÆ TERTVLLINÆ, ex adfectu filiali. DeDicavit. De dignitate fœminæ consentit utraque descriptio, etsi in paucis, nullius adeo rei variet. Pignorius SACERDotem DIVARum interpretatur *Cybeles, Cereris, & Proserpinæ*; Ursatus adprobat. Verum ipsa loquendi ratio refutat hanc expositionem. Cybele, Ceres, & Proserpina Deæ sunt, non Divæ. DIVÆ autem fœminæ Augustæ, Augustorum conjuges, Decreto Senatus, matres, sorores, filiæ, neptes, socrus quoque & nurus, ἀποθεωθεῖσαι seu in Dearum numerum relatæ consecratione, cujus certi ritus & insignia, ut templa, sacerdotes, aræ, religiones, pavones, carpenta: quæ omnia e nummis earum cognosci, petique etiam possunt ab On. Panvin. libro 2. *Fast.* & J. Gutherio *de Jure Man.* lib. 2. c. 5. & 6. Quin & facta consecratione nominibus Dearum, JVNONES, VENERES, DIANÆ AVGVSTÆ adpellabantur. DIVAS autem MATRIS SVÆ, id est, JVNONES quomodo intelligi velint, requirendum fuerit ab Indicis auctoribus, qui sic interpretantur cap. 1. lit. D. Quomodo, ajo, JVNONES DIVÆ MATRIS SVÆ, & quæ, & cujus? Prorsus ἀνεκδιήγητα hæc sunt & ἀσυνάρτητα. Unica casus in saxo mutatio tantam obscuritatem attulit rei per se satis manifestæ, quem conservavit in sua descriptione Scardeonius. Mihi verissimum videtur, quod est simplicissimum, de secundo casu modo dictum. DIVAS autem intelligo vel DIVAM PLOTINAM AVG. Trajani AVG. conjugem, 1. p. CCCXXII. & DIVAM MARCIANAM AVGVSTAM, sororem AVG. TRAJANI: sic est in arcu Anconæ; 6. p. CCXLVII. & DIVAM MATIDIAM, AVGustæ (scil. Marcianæ) filiam AVGustam, in Suessano 9. p. CCLII: vel DIVAM MATIDIam AVG. & DIVAM JVLIAM AVG. filiam ejus, Adriani A. conjugem, in 7. p. CCLII. Utrum quis eligat, nihil errabit, quia nomina Divarum expressa non sunt; dictæque iisdem vixere temporibus. In lapide Arimin. 11. p. MLXXXVIII. LEPIDIA PROCVLA adpellatur SACERDOS DIVÆ FAVSTINÆ AVG. (quæ fuit Galeria Annia Faustina, M. Antonini PII. Avg. conjux) & DIVÆ MATIDIÆ AVG. de qua modo. Huic plane similis LVSIA APPVLLEI mater, etsi quarum Divarum Avgg. fuerit conjicere solum potuerimus.

III.

Patavii apud Bassanos.

VIVA. F. S. ET S. L. CAETRO
NIO. L. L. ANDEROVDO VIRO. &c.

Ursatus l. d. f. 68.

Patavii in Vico Caudæ longæ.

VIVA F. S. S. L.
CAETRONIA. L.
L. ANDRERVVO. VIRO. &c.

e Scard. Grut. 3. p. MCLV.

Mutilum capite hoc saxum est, exciditque nomen fœminæ, quæ VIRO suo L. CÆTRONIO & filio FIRMO, filiæque PRIMAI, quos sequentes versus comprehendunt, memoriam statuit. Pravum est τὸ CÆTRONIA versu secundo e Scard. neque sequentibus copulari potest. Monstrosum cognomen hominis Romani est, quod exhibent descriptores triplex: ANDERCVDO: ANDEROVDO: ANDERVVO. Faxo, ut vere Latinum sit; saltem doctos lectores oratum adeo, ut conjecturæ rationabili & emendationi probabili locum quadantenus dare velint. Hoc venerationis Antiquitati debemus, nihil ejus, ut videatur exiguum, negligere. Existimo autem post conditionem hominis, quod fuisset L. Cætronii Libertus, tribum ejus annotari: quod ita tenere in lapidibus nemo nescit. Legam igitur disjungendo juncta, AN. id est, ANiensi tribu, quæ notissima: reliqua dabunt vel cognomen vel officium Viri. Si Scardeonii scripturam, quæ videtur e tribus optima, sequamur, nullo negotio e DERVVO exibit GERVLO. D & G quam sibi similes? & quam facile commutabiles? In 7. p. DCCXLVII. ARIAGNE est pro ARIADNE. in 4. p. DXX. & 4. DCCXLVI. ADNAMATONIS, & ADNOMATI pro AGNOMATI, quod interpretor e Germanica Lingua in *Eponym.* lit. A. V si inclinetur refert L. exstatque sculptum V. pro L in 8. p. CCCLXXIX. DVVIÆ pro DVLIÆ: in 2. p. MLXII. VATINILLÆ pro L. LATINILLÆ, uti est in 16. p. DCCCXXXIIX. in 10. p. DCCXII. AVENTINA pro VALENTINA. AVLIANVS in 5. p. CLXXII. pro ALLIANVS: VEPONIVS pro LEPONIVS. Si hic idem factum cogitemus, rem habebimus expeditam. GERVLVS & geminata liquida GERVLLVS cognomen C. LARTII, in Inscr. reperta Salutiis, 76. Cl. II. & P. SENECII, in 7. p. DCCCLXII. Sin de cognomine non persuasero, officium hominis esto GERVLVS Geruli adparitores seu ministri sunt minorum magistratuum ac Tribulium digesti in Decurias, ut Corpus constituerent, & quidem lectum e Libertis, quod patet e Romana 6. p. DCXXVI. Hinc DECVRIALES GERVLI in Rom. II. p. MLXXV & MEVIVS, DECVRIALIS GERVLVS, in Rom. 4. p. DCXCVI. Collegium hoc non minus ac reliqua ejusmodi certis constabat legibus ac ritibus, habebat sua emolumenta, immunitates, reditus, impensas, erogationes, arcam communem, præterea suos ἐπιμελητὰς, ἐφόρης, φροντιστὰς, λογιστὰς, curatores, ψηφιστὰς seu Rationales, actuarios, arcarios & numerarios. Etiam DISPENSATORES. Ex his FORTVNATVS DECVRIALIVM GERVLORVM DISPENSATOR, in 12. p. MIX. celebratur. Fere est, ut Viatoribus & Accensis annumerem tales, quos & ipsos in Decurias relatos constat e 1. p. MCXVI. hoc tamen discrimine, quod hi magistratuum majorum essent, illi inferiorum, Tribuumque, utrique habitu servili, etsi interdum sanguinis ingenui, quod de viatore Tribunicio Gemello Valer. libro IX. c. 1.

IV.

Patavii apud Baſſanos.

C. BRICENIO. C. F.
CLEMENTI. S. ET
COELIAE VOTIENAE
VXORI, &c.

Urſatus l. d. f. 69. e Scard. & Grut. 3. p. DCCLXIV.

Patavii in mœnibus ad portam de Avantio.

C. BRICENIO. C. F.
CLEMENTIS. ET
COELIAE VCHINI
VXORI, &c.

Urſat. l. d. f. 124. e Scard.

Difficile conjectu eſt quo conſilio Scardeonius ſaxum unum velut geminum producat, an quod diverſis Urbis locis exſtiterit, an quod diverſam lectionem deprehenderit vel etiam intulerit ipſe. Sane ob cognomen COELIÆ, quod aliud in uno, aliud in altero, adparebat, non debuit. Unum illud verum eſt VCHINI, ſelitterum: quod quomodo tranſire in τὸ VOTIENAE, octo litterarum potuerit, non comminiſcor. Manifeſta παροραςία eſt Apiani & B. Amantii, quique hos ſecuti ſunt. Neque cognomen id eſt, ſed familiæ nomen, VOTIENVS, VOTENNIVS. Votienus Montanus Narbonenſis Rhetor, a Tiberio relegatus in Baleares, Tac lib. 4. *Ann.* Hier. in *Chron.* notus etiam e Sen. *ſuaſor.* 21. & 28. Mart. lib. 8. epigr. 71. Ab ea adpellatio Tribui Votienæ. In 1. p. DCCCCX. DOMITIO L. F. VOTiena MONTANO. & alibi. Vera & primitiva ſculptura (prima enim littera E fuerat deperdita) EVCHINI, quod idem cum EVCHENI, ut NICINI cum NICENI, in II. p. DCCCLXXXIX. STACTINIS cum STACTENIS, in 3. p. DCCCCXXXXII. In hoc genus Græcis cognominibus Latina ſaxa, quaſi tertiæ flexionis eſſent, obliquos formavere in ENIS, ENI, pro ES, AE. Hinc CHRESTENIS, in lap. Rom. 19. Cl. xv. & in 13. p. DCCCLIX. pro CHRESTES ſeu Chreſtæ: MARCIANENI in Vicent. apud Urſ. f. 277. pro MARCIANÆ: DANENI, in 3. p. DCCCXVIII. BERONICENI, in 4. p. CCCLXIII. Calliſteni, in 3. p. M. GLYCENI, in 9. DCCCCVIII. EROTICENI, in 5. p. DCCCCXCII. RODINENI, in 8. p. DCCCCXLVII. GRAPTENI, in 4. p. DCCCXXXVII. in quibus omnibus ſyllaba ultima, ſi ad uſitatam Latinis formationem reducantur, abundat. EVCHE vero, pro cognomine muliebri quod Latine OBSECRATIO, in Rom. 10. p. DCXVIII. ANTISTIÆ, OBSECRATIONI; ſumtum, ut EVCHVMENE, AVGE, GNOME, RHOME, HEDONE, & plura talia: de quibus in Epiſt. ad Rupertum XXXVI. p. 290.

V.

Patavii in ædibus Baſſanorum.

P. MANLIVS. SYRVS. P. F. III. V. CAP. &c.

ita Urſatus l. d. f. 69. & Barthol.

Patavii apud Alex. Baſſanum.

P. MANLIVS. SYRVS. P. F. IIII. V. CAP.

ita e Fabricio & Scard. Grut. 2. p. CCCCXXXV.

Memorabilis conjugum maritali concordia incomparabilium pactio in iſto ſaxo continetur, nimirum quid honoris alter cui ſupervivere contigerit ad ſepulcrum jacentis alterius præſtare quotannis teneatur, & quid poſteri; nec indiget interprete; de dignitate ſolum iſtius Manlii oritur e diverſa ſcriptura dubium, Triumvirumne, an Quatuor-Virum Capitalem habere debeamus. Dicam, quod ſentio, nihil arroganter præjudicaturus; inſpectio lapidis cum majore cura facta de tota re decidet. Quatuor-Virum Capitalem merito ſuſpectum duxere Viri ſummi, eoque non retulerunt in Ind. cap. v. quo oportebat; neque Triumvirum Capitalem agnovere in hoc ſaxo, quippe quem pariter d. l. omiſerunt annotare. Mihi de utroque idem videtur; ſed notam IIII. V. omnino retinendam: poſt delendum C., ſinendumque τὸ AP. quod de quali IIII. Viro loquatur indicat, nim. de IIII. Viro Ædilicia Poteſtate. Eſſe hanc ſiglarum AP. vel. A. P. ſignificationem tradunt illi l. d. teſtimoniis Inſcriptionum octo; quibus ego & hujus addidero, & alterum ſaxi Veronenſis, de quo mox: neque ſupererit ſcrupuli tantillum. Quatuor-Viri autem Ædilicia Poteſtate magiſtratus fuere Municipales & Colonici, non Urbani; & hinc ſaxa, quæ eos nominant, omnia in Municipiis & Coloniis Italiæ reperiuntur; nimirum Mediolani, Angleriæ, Brebiæ, Comi, Foro-Sempronii, Auguſtæ Taurinorum, Tarviſii, Ferentini, Tibure, Ocriculis, in Foro Rhegino Calabriæ, Cyperani &c. quod obſervaſſe non eſt inutile.

VI.

Veronæ apud Cæſarem Nicheſolam Patricium & Canonicum.

HONORI
M. GAVI. M. F.
POB. SQVILIANI
EQ. PVB. IIII. VIR. I. D.
IIII. VIR AP. VB &c.

Vidit L. Pignorius, refertque in Comm. de ſervis pag. 35. & Bartholinus: item Patavii apud Corradenos Urſatus l. d. f. 229. & Palermus lib. 3. de vera Plinii patria c. 1.

De cognomine iſtius GAVII *admodum debilem ſibi conjecturam eſſe*, quod nim. dictus ſit *a corporis forma, qua ſquillæ inſtar gibber eſſet*, fatetur Urſatus. Sane infirma eſt & nemini vel modice cauto perſuaſerit; ea vero, qua adpellatum ſic putat *a ſonitu vocis ſimili tintinnabulo exili, quod communiter Squilla dicitur*, ne pueris quidem fatuis. Quis enim credat Romanos veteres e Germanorum Lingua mutuatos eſſe cognomina? *Squilla ſkella*; a ſono, Schall ita dicta tintinnum, tintinnabulum ſeu nola eſt, quæ circumferri, trahive manu, brutis etiam de collo ſuſpendi ſolet: de quo more Aimoinus lib. 3. *Hiſt. Fr. c.* 82. eſt & in Lege Salica, WiſeG. Burg. & Longob. Non utar ambagibus: SQVILLANVS eſt ESQVILIANVS ab Eſquiliis, a quibus & Tribui adpellatio, ſic dictus. Fortaſſis in ſaxo veſtigium eſt reſectæ E.; vel conſonans ſculpta gravida eſt vocali ſua qua pronunciari ſolet, quamque in talibus hodie exprimere ſolent Galli, *eſcot, eſchevins, eſquadron, eſtoffer*. Etiam in veteribus legibus legi *ſceptus, ſcanduit, ſculcatores*, pro *exceptus, excanduit, exculcatores* notatum a Salmaſio memini. ESQVILINVS, ISQVINVS, idem cognomen Cornelii Lentuli Cos. an. V. CCLXXV. a Tribu: de ESQVILINIS, Q. BLÆSIO, 4. p. DCLXXIII. de DOMITIO, 4. p. DCLIII. de Ju. RVFICANO, 3. p. DCCCXXIII. a Tribu ita denominatos fuiſſe, non dixero. SQVILLVM in Liciniis nominat Glandorpius: habuit autem ex Auctore *de Bello Alex. c.* 52. Videtur SVILLVM voluiſſe, quod eſt inter cognomina a ſtudio aliquo apud Panvinium.

VII.

Patavii in ædibus Scard.

IMP.
EGNATI
PII. FEL. AVG.
MAX. TRI. P.
P. P. COS. II. P.

Urſatus l. d. f. 316.

A Saxum hoc cum Imp. Romani, ignoti hactenus, & nulli, quod sciam, Historicorum nominati, memoriam contineat, a Scard. vero & Ursato neglectim fuerit habitum, eo facilius adduci me passus sum, ut indicarem candide, quid deco videretur. Ἑνὶ λόγῳ. Est ille, quem ΠΟΠΛΙΟΝ ΛΙΚΙΝΙΟΝ ΙΓΝΑΤΙΟΝ ΓΑΛΛΙΗΝΟΝ vocat lapis conservatus a Fulvio Ursino *not. ad Treb. Poll.* & inde repetitus a Grutero n.1. p.CCLXXV. P. Licinii Valeriani AVG. F. Augustus: cujus consulatus secundus incidit in An.Christ.255. Stemma ejus e libris & lapidibus tale est:

Valerius — N. N.
Treb. Pollio, ed. Lugdun. p. 1.

Matiniana — P. Licinius, Valerianus — N N. prior conjux. — Q. Julius Gallienus vir summus in Rep. *Pollio p.* 29. avus Salonini Gall. — N. N.

Matiniana: *Cruf. ann. Suev. P. 1. lib. 5. c. 2.*

P. Licinius, Valerianus AVG. factus Imp. An. Ch. 253. cognom. Colobius, *P. Diac.* 10. *hist. misc. c.* 31. captus a Persis an. Imp. 6.

Gn. Cornelia Supera AVG. in numo apud Tristan. t.3.f. 134. an est Superantiæ.

Valerianus Junior, alia quam Gallienus matre natus, *Poll. p.* 8. Imp. & cos. An. Chr. 265. *Poll. p.* 9. & 24. P. Corn. Lic. Valerianus Cæsar, in 12. p. MLXXXV. & in 8. p. CLVIII. Nobiliss. Cæsar inscr. l. XI. C. de transact. l. 16. C. de inoffic. test. & l. 4. C. de condict. ob cau. dat. circa Mediolanum occisus una cum fratre Gall. Aug. An. 267.

N. N. N. N. Gallienus fratrum suorum liberos conjugavit, *Pollio p.* 20.

P. Licinius Valeriani AVG. F. Gallienus. Πόπλιος Λικίνιος Ἰγνάτιος Γαλλιηνὸς, Inscr. 1. p. 275. & in duobus numis Græcis; altero Πρυσιέων apud Tristanum l. d. f. 90. 91. In 4. ib. P. DECIVS vocatur, sine dubio pro LICINIVS. — Pipa seu Pipara, Regis Barbarorum F. *Pollio*: *P. Diac. l. d.* concubina: *Sex. Aur. Vict. V.* Eponymol. in *Adila*. — Cornelia Salonina AVG. in 2. 3. 4. p. 275.

Saloninus Gallienus Junior, 6. p. 275. Cæsar, *Pollio p.* 7. Salonianus *P. Diac.* occiso eo a Gallis Posthumus arripuit imperium, *Pollio p.* 32.

P. Licinius Saloninus Valerianus, Nob. Cæs. Princ. Invent. nepos Valeriani A. Gall. & Salon. AVGG. Filius, S. p. 275. & *Casaub. ad Poll. f.* 209. *a.*

Cornelius, *P. Diac. l. d.*

Q. Julius Saloninus Gallienus Imp. Fil. Gall. & Salon. Augg. 7. p. 275. *Pan. lib.* 2. *Fast. p.* 47.

JULIA, nobiliss. puella, *ibid.*

Non ignoro quædam a viris doctis disputari adversus ea, quæ de conjugibus Lic. Gall. A. hic allata sunt, sed quia quod de avo Salonini dixi, certissimum est, fieri non potest, quin quod illi de conjuge eademque concubina, ῥῆσιν clarissimam S. Aur. Victoris interpolando, aliterque exponendo sciscunt, a vero sit alienum.

VIII.

Patavii in ædibus Bassanorum.	*Patavii apud Alex. Bassianum.*
P. CHARM SOSTHE MEDIC. IIIIII VIR. AVG. SIBI ANCHAR	P. CARM. SOSTHE MEDIC. IIIIIIVIR. AVG. ANCHAR
ita Ursatus l. d. f. 70.	ita ex Ursino Grut. 3. p. DCXXXIII.

Vitium sculpturæ, vel etiam scripturæ, quod primum versum in utraque descriptione insedit, ultimus nobis patefecit, nomen familiæ verum ANCHARIOS in utraque lectione repræsentans integrum. Et sane deesse in capite nominis unam alteramve litteram ex Ursati delineatione satis liquet.

B Fuerit igitur P. ANCHARIUS M. f. SOSTHENES MEDICUS, qui SIBI & ANCHARIIS liberis suis, quorum nomina vetustate vel casu potius absorpta sunt & subducta nobis, titulum posuit. Hujus conjugem fuisse P. Anchariam Soterida, de qua Plin. lib. x. ep. XI. vel e cognomine conjicere posse videor, quod τῷ SOSTHENIS synonymum est. Hoc enim familiare uxoribus, ut vel iisdem cum maritis cognominibus adpellarentur; sic ATILIA ALBINA a CELSIDIO ALBINO, in 10. p. DCLXXV. ÆLIA SVRIA a M. STATIO SVRIONE, in 5. p. DCCCXXX. POMPEIA VALERIANA ab ANNIO VALERIANO, in 8. p. VCLXVIII.

C vel æquivalentibus; hinc P. Marii NIGRI conjunx CORVINA, in Patav. 10. p. DCCDVI. SOSTHENES aptum Medico cognomen, ut SOTER, SOZON, SOSAS: Sosipolis Medico Alexandrino, Aetii Antiocheni magistro, Philostorg. lib. 3. *Hist. Eccl.* 1. PAVSANIAS, PAVSILYPVS, SYMPHORVS, CALVS, CALLISTVS, EVTYCHVS, FAVSTVS, in lapidibus occurrentia: & in 5. p. DLXXXI. LYSISPONVS, cognomen Medici ocularii; sic enim

D emendandum est, quod edidere CVTISONVS. Et in isto Medicorum Ordini honorifico, restituto lapidi Romano, *vocamento* Commentatiunculæ hujus mihi FINIS. Lipsia Anno O.R. CIƆ IƆCLXI. finiente.

F I N I S.

DELINEATIO
DIANÆ ARELATENSIS
RETRACTATA ET EMENDATA

A

FRANCISCO DE REBATV,

CONSILIARIO REGIO, ET EJUSDEM CIVITATIS SEDIS DECANO.

NUNC PRIMUM E GALLICO IDIOMATE IN LATINUM VERSA.

ILLUSTRISSIMO VIRO

FRANCISCO ADAHYMAR DE MONTEIL, DE GRIGNAN,

Archiepiſcopo Arelatenſi, Abbati de Aigue-belle, Primati & Principi, Conſiliario Regio in ejus ſanctioribus Conſiliis.

ILLUSTRISSIME VIR,



Iana adeo celebris noſtræ civitatis, quam honorem mihi ſumſi ante aliquod tempus Tuæ Amplitudini offerendi, nonniſi recens e terra prodiens, ubi mille quingentos aut ſexcentos annos abſcondita jacuerat, nondum ſatis erat expurgata ad tuam merendam approbationem. Delineatio, quam tum temporis exhibui, rudi tantum depicta erat Minerva. Et licet lineamenta ibi apparuerint fortia & ſatis expreſſa, non tamen majoris facere volo, quam adumbrationem mediocriter recipi dignam. Retractavi eam ab iſto tempore, & vividioribus illuſtravi coloribus, quales Diana meretur, quam in apertiſſimo poſui lumine, ut eam adſpectui exhibeam qualis eſt, ſoror Apollinis, Jovis filia, omnium Deorum maxima, ut Pindarus eam vocat. Eſt igitur, Illuſtriſſime Vir, hæc Imago ita reparata, quam Amplitudini Tuæ ſiſto, animo renovato & ſimiliter iterum tacto illuſtriſſimo affectu amoris & gratitudinis quam maxime ſinceræ & reverentia plenæ, quem plus quam unquam poteſt, aut debet, habere, ſe aſſerit

Illuſtriſſime Vir

Tuus humillimus, obſervantiſſimus
& addictiſſimus ſervus

DE REBATV.

Arelatæ 7. Julii 1659.

DELINEATIO
DIANÆ ARELATENSIS
RETRACTATA ET EMENDATA
A NOBILI
FRANCISCO DE REBATU.





PERSCRUTATIO & cognitio rerum antiquitatem spectantium, quemadmodum difficilis revera est, ita etiam pulchra semper existimata fuit, & magnam iis, qui animum ad illas appulerunt, attulit gloriam. Utilitas, quæ inde percipitur, haud exigua est, & delectatio perquam grata, quare non sine ratione dicere me puto, illum, qui hac de materia publice edit Tractatus, universalem omnium mereri applausum.

Duo antiquissima in nostra urbe habemus Idola, veneratione digna propter divinos honores, qui ipsis olim fuerunt exhibiti, & excellentem ob pulchritudinem pretiosa; digna sane, quæ repleant animum desiderio gloriæ, qua, dum ea, quantum res exigit, in omnium producit cognitionem, se ipsum reddat notum, & ad summum honoris

A & ingenii evehat gradum, quantum ejus fieri potest: hoc autem ei in ipso scriptionis opere curæ esse debet, & ut civitati suæ celebritatem, & ut suorum civium favorem sibi conciliet.

Arelate multis nominibus magna famæ gaudet gloria. Titulus Romæ Gallicæ, qui ipsi datus est ab Ausonio, & comparatio, quam ego feci, declarare satis possunt, illam in splendore positam esse. Nullus autem dubito, pulchras ejus Statuas, & præcipue incomparabilem ejus Dianam, extollere pretium. Plures civitates ob similia opera magni fuerunt æstimatæ. Multi in Gnidum navigarunt

B videndi tantum gratia Praxitelis Venerem; cujus laus & existimatio fuit tanta, ut Rex Nicomedes ejus emendæ cupidus, omnia civitatis hujus debita, quæ haud exigua erant, solvere promitteret. At vero Gnidii illam ei vendere recusarunt, hoc Marmor, quod celebrem suam reddebat civitatem, pluris quam cætera omnia facientes. Nonne Cupido, ejusdem manus opus, fuit gloria Thespiæ Bœotiæ civitatis, quo plures ean-

dem ob causam profecti sunt? & quis pro certo affirmet annon peregrini, qui hunc Tractatum lecturi sunt, aut illi qui jam eximia hæc opera viderunt, & illorum pulchritudinem palam fecerunt, talem curiosorum animis impresserint ideam, quæ ipsos, ad ea coram perspicienda constringat?

Dicamus igitur (omisso Jove) de nostra Diana ea, de quibus meus Lector fortitan instrui desiderat: scil. An verum sit hanc esse Dianam: Quomodo sit inventa: Qualis de ea fiat relatio: Cujusnam ea olim fuerit usus: Et quas ob causas nos eam tanti æstimemus.

Curiosæ sunt hæ quæstiones, sed solutu difficiles, saltem cum aliqua certitudine, propter profundam oblivionem rerum istius temporis, quarum, pro ratione extremæ illarum antiquitatis, ad nos vix tenuis famæ perhibitur umbra.

Hoc tamen loco dicam, non solum id quod Traditio (quæ non parvæ est auctoritatis) nos docet, sed etiam id; quod aliunde intenso studio & labore ediscere potui ex magna farragine scriptorum, collectorum a Domino Johanne Gertousio Doctore nostræ urbis, (cujus historiam meditabatur) cui *Miscellaneorum* indidit titulum; ubi jam Belleforestum, modo Gervasium Tilesberiem Regni Arelatensis Mareschallum allegat, modo etiam librum nostrarum antiquitatum, a Ludovico de Romieu Doctore compositum, qui per magnam incuriam deperditus est; ex qua omnium confusione, tanquam ex indigesto Chao, operosa quam adhibui selectione, magnam partem lucis mutuatus sum, qua Lectorem meum curiosum perfundo, præterea propriarum mearum Reflexionum ipsi faciens copiam; sicut ex sequenti Sermone videbit.

Præter excellentem pulchritudinem & raram majestatem, quæ in hac Statua apparent, maxima est probabilitas & conjectura illam verum esse Dianæ Idolum, cui cives nostri tempore Paganismi suam exhibuerunt venerationem, eam supremo revera adorantes cultu, qualem Deus verus & vivens meretur; quam sæpissime & abundantissime sacrificia animalium & bestiarum cornutarum ei offerentes; & (quod non minus percellens quam narratu horrendum est) per nimiam crudelitatem & abominabilem furorem super crudelibus suis aris quotannis primo Maii die immolantes tres formosos infantes publica pecunia emtos, & eum in finem pinguefactos; quorum sanguine innumerabilis multitudo adspergebatur, quæ huic spectaculo intererat; quod secundum illorum fidem ad expiationem & salutem publicam erat utile.

Fiebat hoc sacrificium in Templo, quod ejus nomini consecratum erat, eminentiori urbis loco superba structura & Regiis sumtibus inædificatum, multo marmore ditatum, magnifica Architectura ornatum, in cujus structuræ zophoris ordine dispositi erant orbes & boum capita, quorum adhuc aliquas temporis dentibus abrosas videmus reliquias in zophoro Arcus, qui nunc Franciscanorum dicitur, annexi Domui illustr. de Boches; & quæ adhuc extus conspiciuntur sub Turre, quæ Rolandi vocatur, supra quinque magnas portas, quæ præcipuum hujus Templi introitum exhibebant, & muro clausæ hodie mœnium urbis nostræ partem faciunt.

Hæc est fides, quæ nobis de patre ad filium fuit tradita, & id, de quo dictus Gervasius (præterquam quod taceat de Diana) quandam mentionem fecit in suo Libro *de Mirabilibus mundi*, & capite *de distinctione Galliarum* folio 26. Qui ad vocabulum *Arelas*, sumta occasione in ejus etymologiam inquirendi, dicit urbem nostram sic appellatam fuisse, quasi *ara lata Deorum*, & maledictam hanc superstitionem penitus abolitam fuisse ab eo tempore, quo sanctus Trophimus Episcoporum nostrorum primus venit, qui postquam ipsis nostram Religionem & Crucis mysterium prædicasset, ipsos docebat, solum sanguinem, qui homines salute bearet, esse sanguinem Jesu Christi.

Quo facto nullus dubito (licet id scriptum non sit) primos hos Christianos sancta in inhumana adeo sacrificia ductos ira, in ipsa Diana ultos esse crimina, quæ ipsius occasione commiserant, disrupisse ejus Idolum, evertisse ipsius aras, destruxisse & igne consumsisse ejus Templum: id quod conjicere licet ex reliquiis, quæ supersunt; & ex ejus Imaginis fragmentis; ex columnis marmoreis fractis; ex Architecturis & ornamentis, quæ in terra sunt inventa, & post mille quingentos annos in lucem protracta sunt.

Quod autem Gervasius dixit, omnes Regni Provincias & alios earum vicinos horum solennium sacrificiorum gratia ad infinitum usque populorum numerum convenisse, in memoriam me revocat illa quæ Rosinus libro 11. cap. 7. *suarum Antiquitatum Romanarum*, dixit de simili solennitate, quæ Romæ in honorem ejusdem Deæ observabatur, his verbis: *Primum Dianæ Templum Romæ in Aventino Monte extructum fuit, &c. Quo convenientes civitate[illegible] privatim simul & publice sacra facerent [illegible]erentque forum rerum venalium certis temporibus: & si qua offensa populis incideret, inter sacra Deorum conciliarentur ex aliorum populorum arbitrio*

Quantum vero ad id, quod idem Gervasius scriptum reliquit, sacrificia ista [illegible] fuisse in nostris suburbiis, & in loco dicto *la Roquette*, valde dubito an non erraverit, & ejus ratiocinium ipsum erroris convincere videatur. Dicit enim in hoc loco, duas immensæ magnitudinis exstructas fuisse columnas, iisque impositam aram, in qua miserabile illud celebrabatur sacrificium. Nunquam enim audivi hoc in loco *la Roquette* duas fuisse columnas, quarum facit mentionem: audivi quidem de templo isto augusto & superbo, de quo modo locutus sum, & cujus vestigia etiamnum in loco eminentiori nostræ urbis conspiciuntur, ubi duæ columnæ immensæ revera magnitudinis (quarum materia pretiosa est, ad formam jaspidis elaborata) adhucdum supersunt, & admodum magnus lapis supra ipsas; quæ majori cum fundamento fidem facere videntur hoc in loco, quam in altero *la Roquette*, istam sacrificii celebrationem fuisse peractam.

Grandes hæ & magnæ columnæ ita variegatæ & ex magnis granis, quæ murrhinas, smyrides & diversorum colorum agathas referunt, compositæ, occasionem mihi præbent resolvendi in transitu dubium, quod multi proposuerunt, (sicuti non adeo diu quidam doctiss. Germani, me visitationis honore dignati, ex me quæsiverunt) An illæ ex fusili materia constarent, propter enormiter immensas massas, quæ ex uno eodemque frusto conspiciuntur; animo comprehendere haud valentes, ad illas tam longe transferendas, aut erigendas, ullum suppeditari posse medium. Quibus (ut etiam omnibus) respondi, naturales hos esse lapides, non vero fusos, innitens auctoritati Plinii & aliorum veterum Auctorum, qui a doctiss. de Vigenere allegantur in *suis Annotatis ad Continuationem Philostrati*, in Titulo, *Satyrus, aut Callistratus*, allegantes lapicidinas, ex quibus sectæ fuerunt, ut & quomodo translatæ fuerint & erectæ.

Post hanc digressionem revertamur ad miseros istos infantes oblatos nostræ Dianæ, cujus considerans qualitatem Virginis, Deæ, & indolem ad-

eo clementem, ut Cretensibus dederit occasionem lingua vernacula ipsam appellandi *Britomartem*, quod sermone nostro (dicit Beroaldus ad hæc vocabula *Dictynna Diana* Comment. in l. 11. Apul. *de Aureo Asino*) sonat Virginem dulcem; immane quantum miror, & credere nequeo, illam talibus crudelitatibus delectatam fuisse: cum verisimile non sit, (uti Plutarchus in lib. *de Oraculorum defectu* loquitur) ullum unquam fuisse Deum, qui postulaverit & petierit, ut sibi offerrentur homines: quod non nisi perversis & malis convenit spiritibus, qui pestem, famem & terræ sterilitates, bella civilia & seditiones adducunt; quorum ira & lethale odium mitigari non potest, nisi offerendo iis homines, imo infantes Regum, consentientibus etiam patribus, necessitate coactis.

Sed fortasse aliquis detestabili huic crudelitati aliquod patrocinium vellet quærere, illam tegendo magno amore, quo erga formosos hosce pueros affecta esset, quorum corporibus illa gaudere nec vellet nec posset, ut loco cit. Plutarchus loquitur; qui mihi in memoriam revocat sacrificium Polyxenæ, filiæ Regis Priami, oblatum Manibus Achillis, (exempli gratia) qui post suum obitum Principibus exercitus Græcorum apparuit, ab iis Virginis hujus postulans sanguinem; cum notum sit, eum propter eximiam ejus pulchritudinem deperiisse ipsam, & ejus nuptias petiisse. At vero Dianam quod attinet, quæ est (ut dixi) Virgo venationi dedita, & præterea Dea, quis animo comprehendet, illam talibus obnoxiam esse posse passionibus. Poetæ tamen illam in tanto honore non habuerunt, ut eam non introduxerint tanquam ardenti correptam amore sub nomine Lunæ, (Diana enim aut Jane, est Luna, ut dicit Rosinus) narrantes eam formosum Endymionem in Latio monte Cariæ profundo sopiisse somno, ut eo commodius eum deosculari posset. Et hoc est, quod Spirituum amorem spectat.

Alii prætexuerunt mandatum Oraculorum & absolutam Deorum voluntatem respectu horum sacrificiorum, quibus velle resistere in hominibus summa foret stultitia. Et hanc ob causam Apollonius Thyaneus, ex relatione Philostrati libro sexto & capite 10. *de ejus Vita*, juvenes Lacedæmonios excusat, qui se flagellis cædi patiebantur usque ad magnam effusionem sanguinis ad modum Scytharum, imo usque ad mortem, sicut Plutarchus in *Vita Lycurgi* vidisse se asserit supra altare Dianæ, quæ Orthia dicebatur: quæ inaudita est cæcitas a parte populi tam bene instructi, ut dictum est; & barbara crudelitas a parte Divinitatum, si verum est, illas talia præscripsisse mandata. Quare Thespesion respondens Thyaneo, absque ullo scrupulo dicit, Deos Græciæ hac in re exigua præditos fuisse sapientia, quod mandaverint tales homines, quales erant Spartani, virgis cædi, qui profitebantur se libertatem præ omnibus aliis rebus in maximo habere pretio. Et procul dubio verum dicit.

Exemplum enim Scytharum quod attinet, & illorum Dianæ, illam hac sanguinis profusione delectatam fuisse verum est, ut ex multis testimoniis edi$\!$scimus, & imprimis ex Epist. Regis Theoderici ad Maximum scripta, quæ facit caput 42. libri 5. *Var.* Cassiodori; ut & feros hosce homines docuisse Spartanos ut Dianam suam talibus honorarent sacrificiis. Notum est etiam in Taurica Chersonneso tempore Regni Thoæ, Dianæ Tauricæ immolatos fuisse peregrinos: & paulo ante Regem Agamemnonem filiam suam Iphigeniam, quo impetuosos ventos propitios sibi redderet, qui suam in Aulide detinebant classem, hujus loci obtulisse Dianæ; & post captam & destructam Trojam Vatem Calchantem consultum respondisse, illorum reditum (cui etiam mirum in modum resistebant venti) Græci alicujus morte obtentum iri. Sed cui usui inserviunt hi prætextus & exempla, cum tamen sint exsecrabiles, & si homo hominem exuat, ferociorem ipsum faciant tigrem quam ipsas Tigres? Ob hanc rationem ad detestationem exsecrabilis adeo consuetudinis, Gelon, Carthaginensibus ad urbem Himeram profligatis, pacem cum iis faciens, ipsos Articulis pacis inserere coegit, se non amplius Saturno in sacrificium suos oblaturos esse infantes. Theodericus profecto, licet Gothus, justa cum indignatione exclamat: *O Spectaculum actione deterrimum, in honorem Scythicæ Dianæ repertum, quæ sanguinis effusione gaudebat! O miseræ deceptionis errorem, illam desiderasse colere, quæ hominum morte placabatur!*

At vero nimis longe nostrum de subjecto funesto adeo & inauspicato protraximus sermonem. Dicamus concludentes absque profundiori inquisitione in causas horum sacrificiorum, esse Satanam, qui extremas hasce confusiones & rationis perturbationes in Mundo idololatriæ dedito produxit; & quidem ita, ut Deus ipsi tantundem aliis in locis quam apud nos per incognitum adorabilis suæ Providentiæ judicium permiserit; donec per Filium suum tempore præordinato eundem hunc Mundum secum reconciliare ipsi placuerit; & expulso Tyranno cum sua tyrannide, ut Patri pacifico miseros mortales gubernare, & in tantum iis delectari propter veram illorum fidem & bonorum operum exercitium, quantum eos olim aversatus fuerat propter cultum falsis Diis præstitum, & exsecrabilia crimina commissa, de quibus jam modo locuti sumus. Et hoc est, quod convenientius de nostra Diana dicere me posse credidi.

Restat jam, ut de statu nostræ Statuæ loquamur, & quomodo per benevolæ fortunæ favorem & singularem urbis nostræ felicitatem nos illam hodie possideamus; uti etiam de judicio, quod perita ingenia de eo tulerunt; & tandem de eo quod mihi videtur.

Fundus, in quo olim templum, quod dicitur esse nostræ Dianæ, fuit exstructum, Collegii usum civibus nostris præbuit; & Jesuitæ, qui eum possidebant, ipsum reliquerunt, ut suum Collegium in pulchriori & commodiori domo stabilirent. Tam amplus hic & spatiosus fundus privatis hominibus fuit divenditus, qui ipsum partiti sunt, & ædificia ei superstruxerunt; quorum unus, dictus Brun Presbyter, magis vicinus, imo etiam duarum istarum illustrium columnarum, de quibus antea sermo fuit, possessor, ad exstruendam cisternam effodiens terram, primo Statuæ hujus invenit caput, cujus majestatis plena forma statim amplissimos Consules Anni 1651. incitavit, ut illud publico sibi compararent nomine; jubentes deinde terram ulterius circa istum locum effodi invenerunt corpus; & haud ita procul vestibus indutæ partes fuerunt detectæ, crura & pulchri pedes, quæ basi annexa majori artificio erant elaborata, quam ut efferri possit: quæ cum admirationis publicæ essent objectum, ego perpendi, Sculptorem, qui hanc effecerat Statuam, forte illis intensius quam reliquis partibus impendisse studium, & rescisse forsan id quod dixit Oppianus Cilix libro secundo *de Venatione*, eam appellans ΚΑΛΛΙΣΦΥΡΕ ΦΟΙΒΗ, Diana pulchris pedibus, atque ideo oportuisse eos elaborari & sculpi hunc in modum. Brachiale habet aut armillam, quæ anteriorem sinistri ejus brachii partem cingit, similem illis, quas simili loco gerunt multæ figuræ dimidiæ exstantes ex antiquo marmore confectæ, quales Romæ in Borghesiorum Hortis conspiciuntur;

ut patet ex delineationibus, quas Franciſcus Perrerius effecit, quarum altera qualitate Muſæ, nutricis Bacchi, donata eſt a Johanne Petro Bellorio, qui ipſi notas addidit, & altera Baccha eſt. Priſcianus annulos hoſce Brachialia, Latini Armillas vocant; quia antiquitus humeri æque ac brachia, eo quo conjunguntur loco, Armi dicebantur: & tales armillæ gerebantur tanquam ſingulare ornamentum pulchri brachii, quod nudum & ſine manica conſpicitur: his armillis etiam Romani milites, Centuriones, & Equites in præmium rei in bello bene geſtæ honorari ſolebant, teſte Livio libro 10. qui allegatur a Pierio libro 41. capite 33.

In hac Dianæ armilla parvum conſpicitur foramen forma umbilici præditum, cui ſelectam quandam magni pretii gemmam inſertam fuiſſe judicant. Si in rebus adeo obſcuris conjicere licet, ego puto Topazium fuiſſe duas ob rationes. Prima eſt, quia hæc gemma auget virtutem ſuam & diminuit, ſicut Luna creſcit & decreſcit; & eximium pro lunaticis eſt remedium; quare etiam Lunaris dici poſſet: ut ſcriptum reliquit Petrus Arondel Anglus in ſuo Dialogo 10. ubi tractat de lapidibus pretioſis. Secunda ratio eſt, quia Topazius iram compeſcit & luxuriam, juxta opinionem Petris de Boniſacis, nobilis & magni Poetæ Provincialis, qui de virtute & proprietate Gemmarum compoſuit carmen, citatum a celeberr. Noſtradamo in ſua *Hiſtoria Provinciæ*, pag. 424. ad Annum 1367.

Probabilis itaque & rationis veriſimilitudini innixa eſt hæc conjectura, Dianam hac gemma donatam eſſe, quæ ſingulis diebus creſcit & decreſcit, & quam cuilibet conſtat eſſe virginem, & ſingulari modo impuritatis deteſtatam eſſe vitium. Habet adhuc hæc Statua exiguum foramen ſupra frontem, ejus, ut putatur uſus, ut illi parva ex chryſtallo aut argento efformata creſcens inſeratur luna. Materia ejus eſt ex leucophæo marmore: pro certo aſſerere non poſſum, an non ſit ex eo lapide, qui marmaritis vocatur, quem doctiſſ. de Vigenere in *Calliſtrato* Junioris Philoſtrati cinereum eſſe dicit; an vero incendia aut humor terræ, quæ marmor hoc mille & ſexcentos annos in ſinu ſuo conditum tenuit, hunc ei colorem indidiſſe potuerint. Viri eruditi magni illam pretii eſſe exiſtimant, & credunt ei aliquid ineſſe, quo cum pulcherrimis, quæ Romæ conſpiciuntur, poſſit comparari. Gaudeo ejus Auctorem ſcopum ſuum tam bene attigiſſe, minorem enim adeſſe non oportebat pulchritudinem, ut digne repræſentaretur illa, quam Euripides in ſuo *Hyppolito* Jovis filiam, ſororem Apollinis, & omnium Deorum maximam appellat. Totum ipſi deeſt dextrum brachium & ſiniſtri dimidia pars: corpus ejus eſt nudum uſque ad aliquod ſpatium infra umbilicum: Statura ejus plus quam naturalis eſt, id quod eam clarius oſtendit eſſe Deam, non minus quam ejus veſtis, quæ uſque ad pedes deſcendit. Et ex primo indicio Æneas perſuaſus fuit uxorem ſuam Creuſam, quæ Trojæ incendio periit, factam eſſe Deam, quoniam illa ſe oculis ejus majorem offerebat quam antea, *& nota major imago*: exque deſcendente veſtimento matrem cognovit Venerem, quæ ipſi ementita veſte occurrebat, quando cum poſt longum ſermonem ipſi valediceret, *pedes veſtis defluxit ad imos, & vera inceſſu patuit Dea*.

Poſtquam hæc Statua in Curia collocata fuit,

A quilibet eam cum animi intentione vidit, & de ea ſuam dixit ſententiam. Et præcipue quæſitum fuit, an illa poſſet eſſe dicta Diana. Id quod quidam negabant, ejus corporis innitentes nuditati, quæ pudorem offendit; cum credi minime poſſit Sculptorem ignoraſſe eam Virginem eſſe, eumque contra decorum voluiſſe peccare.

Hæc ratio me percellebat. Et, ut verum fatear, ullam Dianæ Imaginem vidiſſe me non memini, quæ corpus haberet ita denudatum, niſi quando cum ſuis ſociis balneum frequentabat: id vero erat in loco ſeparato, a conſpectu hominum
B quam longiſſime remoto; ideo male ceſſit Actæoni ipſam conſpexiſſe nudam, etiamſi id fortuito tantum caſu & ſine ullo malo facta n eſſet conſilio; adeo & pudicitia & verecundia ipſi erant curæ. Quomodo igitur quis in loco ſacro illam meretricis forma exponere auſus fuiſſet? Profecto Cartari in Libro *de Imaginibus deorum*, de Diana ſcribens, dicit, illam repræſentatam fuiſſe veſtitam, ut Nympha, habitu ſuccincto, cum arcu in manu, & ſua pharetra ſagittis plena a latere. Et ſi figuræ, quæ Romæ in marmoribus antiquis conſpiciuntur, poſſint mereri fidem, comperietur in Arcu Conſtantini Dianam (cui Impe-
C rator ſacrificium offerens exſculptus eſt) tunica eſſe veſtitam, infra mammas faſcia cinctam ſupra tenuem togam talarem, quæ uſque ad ipſius genua deſcendit, habentem cothurnos pedibus alligatos, in fronte lunam creſcentem, pilos conſtrictos ſicuti noſtra Diana, ſpiculum in manu; nihil nudi exhibentem præter brachia & aliquam crurum partem: ſicut etiam altera iſta Diana in Hortis Medicæis, tecta levi tunica ſupra induſium, quod ad genua deſcendit, cum cothurnis ad crurum uſque medietatem, reliqua habens nuda, dextra manu arcum, altera cervæ catu-
D lum tenens, qui ipſam mulcet: quæ mihi ſatis evincere videntur Idolum noſtrum non eſſe Dianam.

At vero non obſtantibus hiſce rationibus & exemplis in medium productis, puto ſatis validis inniti me fundamentis ad ſuſtinendum hoc Dianæ revera eſſe Idolum, quemadmodum in Sermonis hujus initio declaravi.

Et primo ſupponere oportet hanc veritatem, eo melius ſtabilitam, quod pro fundamento habeat Antiquitatem, quæ eam fulcit, ut & noſtram legem, quæ cum ea convenit: nempe Divinitates eſſe repræſentatas nudas quoad partes ſu-
E periores; tectas vero quoad inferiores, reſpectu perſonarum quibus ſeſe manifeſtant, quæ duobus modis poſſunt conſiderari. Alii enim homines in cælo ſunt, de facie ad faciem videntes Divinitatem, talem qualis in ſe ipſa eſt, apertam & detectam. Homines in his terris illam non niſi confuſe cognoſcunt, per umbras, ambiguitatibus & ænigmatibus involutam, idque repræſentatur per veſtimenta, quæ ad pedes uſque eam tegunt. Et hoc eſt quod eruditiſſ. du Choul dixit in ſuo Libro *de Religione Romaanorum*, qui exhibens numiſmata ænea Marci Aurelii, quarum figura repræſentat Jovem partim nudum, partim
F veſtitum, aſſerit Veteres hoc ita feciſſe, ut per occultam & myſticam ſuam Theologiam ſignificarent, res ſublimiores hominibus debere eſſe abſconditas, Diis autem Cæleſtibus apertas & detectas. Vincentius Cartari in *de Imaginib us Deorum* p. 116. ſic de eis loquitur: *Partes ſuperiores erant undæ & apertæ, ad nobis ſignificandum, Deum ſe manifeſtare divinis Intelligentiis; & inferiores erant tectæ & veſtitæ, quia illas nos*

videre non possumus, quandiu inferiorem hunc mundum incolimus.

Seneca huic Deorum nuditati alium applicat sensum, licet ea totam spectaret personam; generaliter de iis asserens capite octavo lib. *de Tranquillitate animi*, eos esse nudos, quia omnia largiuntur, & nihil sibi ipsis reservant.

Sed Cartari pag. 12. libri supra allegati alium adhuc affert sensum ex Alexandro Aphrodisæo, quem citat: qui scriptum reliquit, Deorum & Regem statuas antiquitus factas fuisse nudas, ut indicarent, illorum potentiam detectam esse & omnibus manifestam; illosque animam & cor liberum possidere nullis vitiis commaculatum, sine ullo velamine fraudis & calliditatis.

Hæc nuditas supposita & probata primæ meæ rationi præbet fundamentum, scilicet nostram Dianam potuisse esse sculptam ita nudam, quemadmodum Jupiter, qui est ad ipsius latus: & si testes vocare velim antiqua marmora Romana, ex iis patebit, in Templo sancti Francisci *Ad Ripas* Glaucum & Portumnum Deos marinos repræsentatos esse quasi ludentes in mari, & in tergis suis ad delphinorum figuras efformatis portantes duas Nymphas aut Deas, non minus nudas saltem quam nostra Diana, uti patet ex delineationibus ejusdem Perrerii, quas ego possideo: ex quibus dictus J. P. Bellorius asserit primam esse Leucothoen, quæ eadem est cum Aurora: Secundam vero Thaliam, lyram tenentem manu, quam unam esse constat ex Musis & Gratiis, quæ licet juvenes & virgines, nudas tamen sese in conspectum dare non recusant.

Memorabile autem est illud nuditatis exemplum, quantum Divinitates spectat, quod jam producam. Tres Dearum maximæ Juno, Minerva & Venus ex mandato Jovis duce Mercurio de cælo descendunt, ut se coram Paride Alexandro sisterent, cui mandatum erat, ut pomum aureum illi ex tribus hisce concertatricibus daret, quam pulcherrimam esse judicaret. Quo in statu illæ conspiciendas se præbuerunt? Desidero illas nudas videre, inquit Paris. Denudate vos, ipsis dicit Mercurius: quod illæ sine ulla difficultate statim faciunt; imo ne ipsa quidem Minerva, utut virgo, refractariam se præbuit. Nulla in illarum corpore fuit pars, quam juvenis hic Judex non perspexerit, ipsis etiam rogantibus: adeo hic sexus summo desiderio flagrat, ut & pulchræ sint, & pulchritudinis famam sibi vindicent. Nosti eventum, & id quod Lucianus lepidissime narrat 20. Dialogo, cui titulus *Deorum Judicium*, quo te ablego, si tibi videbitur esse e re: postquam tibi indicavero, quando serio res agitur, ut sese pulchras ostendant, nullum ipsas retinere pudorem: juxta id, quod Apulejus convenienter huic subjecto dicit libro *de Aureo Asino*, quod *pleræque indolem gratiasque suas probaturæ, lacinias omnes exuunt, amicula dimovent, nudam pulchritudinem suam præbere se gestiunt, magis de cutis roseo rubore, quam de vestis aureo colore placituræ.*

Secunda mea ratio Traditioni suum debet fundamentum, cujus magna in nostram fidem est potestas, quæ ab omni tempore de patre ad filium nobis persuasit id, quod videmus de Arcu antiquo, qui uni angulorum domus clariss. *de Bocbes* & Fratrum Minorum furno conjunctus est, Turrim dictam Rollandi, (quæ cum clausis Arcubus, qui ipsius lateri adjacent pleni Architecturis, mœnium nostrorum facit partem) Collegium vetus, ubi duæ magnæ istæ existunt columnæ, & omne illud spatium, habita semper fuisse Templi Dianæ reliquias; ideoque quia hæc Statua prope istas inventa est columnas, quæ accurate medium istius spatii occupant locum, debet nobis parere conjecturam illam, revera esse Dianam.

Quod si veteres consuetudines approbatæ & in praxim deductæ communi consensu, vim juris obtineant & legem imitentur juxta §. *ex non scripto, Instit. de jure natur. gen. & civili*, sufficiatque spatium decem annorum, ad illarum stabiliendum valorem juxta Glossam ad vocabulum *Diuturni*; quare Traditio aliqua & opinio mille & sexcentos annos hominum animis sine ulla variatione infixa, nullam omnino obtinebunt auctoritatem?

Tertia ratio, quæ me ad hoc credendum impellit, sunt ornamenta & zophori Templi, quod ipsi consecratum fuisse dixi, quantum illa (obscure licet) observare est supra majores ejus porticus, ubi insignia & veluti vestiariæ tesseræ hujus Deæ expressæ sunt, scilicet cornua boum, quinimo boves, qui ad humeros usque ex certis quibusdam veluti rosarum foliis egrediuntur, alternatim dispositi cum orbibus ad rosarum figuram efformatis: quæ cornua a Romanis Dianæ Aventinæ attributa fuerunt (quibusdam aliis propria erant cornua cervi; quamobrem etiam *Elaphiarum* nomen ipsis fuit impositum, Strabo libro 8. *Geographiæ*) propter rationem, quam tradit Cartari *de Imaginibus Deorum*, & Rosinus libro 2. *Antiquitatum Romanarum* capite 7. in utriusque titulis *Diana*.

Restat jam, ad absolvendum hunc Tractatum, ut quorundam Curiosorum satisfaciamus quæstioni, qui scire desiderarunt, utrum nostra Diana opus esset Sculptoris Græci an vero Latini; qua in re antequam me explicem & meam proferam sententiam, dicam, doctiss. Cartari pagina 12. *de Diis* proposuisse, quod Plinius scripserit Græcorum fuisse morem ut statuas suas efficerent nudas, contra ac Romani qui illas formabant vestitas, aliqua saltem tunica, colobio, aut thorace.

Non tamen puto certam esse hanc Regulam & universaliter veram: Apud Auctores enim invenio, qui de rebus antiquis fecerunt sermonem, statuis suis sæpe vestes induisse Græcos; Latinos vero e contra non semper eas vestibus texisse.

Lysimachus Alexandri successor numismata argentea & ænea cudi curavit, in quorum latere dextro repræsentatum est ejus caput, pars vero eversa Minervam exhibet sedentem, cum galea in capite, sinistro brachio innitentem suo scuto, dextra manu parvam sustinentem Victoriam, cum Literis Græcis utrique impressis, in æreo, ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ ΒΑΣΙΛΕΟΣ, & infra sedem, ΚΑΛΧΑ, sicuti illa vidi apud doctiss. du Choul pag. 54 lib. *de Religione Romanorum*: Minerva vero optime vestita est, ut etiam Victoria. Sebastianus Erizzus in Tract. *de Numismatis* pag. 178. profert Numisma Græcum æreum Neronis, quod ab una parte repræsentat ejus caput coronatum, cum hisce litteris circum scriptis..... ΣΑΡ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡ ΝΕΡ.... in parte aversa habet figuram Victoriæ, manu sinistra tenentis coronam lauream, & sinistra palmas, cum hoc vocabulo anteriori, ΡΟΔΙΩΝ. At vero conspicitur nitidissime vestita a collo usque ad pedes. Pag. 396. exhibet Numisma Antonini Caracallæ, grande ex flavo me-

metallo, & Græcum, aversa parte habens pulchram figuram sedentem, cum turribus in capite, Cybelen aut matrem deorum repræsentantem; portantem manu dextra Victoriam, & sinistra cornu copiæ, cum hisce litteris Græcis in antica, ΑΔΡΙΑΝΟΡΟΛΕΙΤΩΝ; illa autem perquam bene vestita est, ut & Victoria similiter.

Sicut e contrario Latini non semper Imaginibus suis induerunt vestes, sed ipsas sæpe formarunt nudas; ut evidentissime patet ex exemplis, quæ in libris Numismatum reperiuntur, & in illo de Imaginibus Deorum: sicut apud Erizzum pag. 183. ex pulchro metallo illud Numisma Auli Vitellii, in Urbe Roma cusum, signatum in aversa parte figura Martis Gradivi, hoc est, Victoriosi, qui in totum est nudus, humero portans Trophæum, quod sinistra sustinet manu, & dextra spiculum: & idem Mars similiter nudum se præbet conspiciendum in aversa Numismatis ærei Imperatoris Marci Antonini, pag. 338. & pag. 343. idem Mars Gradivus nudus apparet in aversa Numismatis Lucii Veri: Hercules, pag. 358. in aversa Numismatis Commodi, & multis aliis in locis. Et in Libro doctiss. du Choul *de Relig. Roman.* omnes imagines Jovis, quæ sunt in aversa Numismatum Lucii Lentuli & Caii Marcelli Consulum, pag. 62. Antonini Pii, pag. 63. & paginis sequentibus in Numismatis Gordiani, Vespasiani & aliorum, figuras videbis nudas: & apud Rosinum libro 2. *Antiquitatum Romanarum* cap. 5. Colossum Jovis Pompejanum dictum.

Non igitur certa est regula, vestem alicujus statuæ probare illam esse Latinam; neque magis, Græcam eam esse, si veste careat; quoniam & Græci & Latini ex arbitrio utrorumque illas aut nudas, aut vestitas efformarunt, prout ipsis placuit.

Aliud profecto Statuarum est genus, quod nec omnino nudum, nec in totum est vestitum; quod medium quasi inter duo reliqua obtinet locum; quemadmodum illas in Libris videre licet, ad aliquod infra umbilicum spatium usque nudas, cætera vestitas usque ad pedes; sedentes aut erectas, qui omnium venustissimus est situs; cum non minor in perito Sculptore sit perfectio pannum marmoreum bene plicare, quam corpus efformare, quod veræ carnis teneritudine sua exhibeat similitudinem. Hunc in modum repræsentatum esse videmus Jovem Capitolinum in Libro cit. doctiss. du Choul pag. 42. quod Latinum est Numisma: Alexandri Regis Epirotarum Numisma, quod Græcum est, pag. 47. Domitiani Græcum & unum Latinum, pag. 58. Marci Aurelii, pag. 59. Jovis Anxuris de Pansa, pag. 67. quæ erectæ sunt, & bene suis impositæ pedibus, quales sunt Genius Senatus in aversa Antonini Pii; & apud Erizzum in *lib. Numismatum* pag. 200. Æsculapius Adriani, pag. 264. Alia Victoria Lucii Veri, pagina 342. Et nostræ denique Dianæ & Jovis statuæ, quæ jam dictis testimonium præbent; sed quæ omnes cæteroquin nullam adspergant lucem Plinii regulæ, quantum eam, quam facit, distinctionem spectat. Ita ut quæstio de Græcis Statuis & Latinis impræsentiarum plane non sit decisa.

Attamen dicam (melioribus nihil detrahere volens opinionibus) quando adspicio excellentem nostræ Dianæ pulchritudinem & majestatem; nuditatis hujus teneritudinem, quæ ad digiti contactum introrsum recedere debere videtur; formosum istum vultum animatum & caput illud divinum, quod ex se ipso aliquid cogitare crederetur magni; hosce capillos nostris mollitie similes, tanta cum gratia compositos; vestem ejus rugis plicatam, ut ex tenui flexilis & tractabilis serici materia fabricatam eam esse diceres; pulchros istos pedes, Thetidis pedibus elegantiores; innixus Virgilii versibus lib. VI. *Æneidos*,

Excudent alii spirantia mollius æra,
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus.

Id quod Servius ejus Interpres dicit intelligi debere de Corinthiis & Pariis, qui Græci sunt, quibus hic Poeta minime dubitat in arte sculptoria præeminentiam supra Romanos tribuere; procul omni dubio ego illam existimarem esse Græcam.

Præcipue vero & ultimo loco propter illam maximi valoris & momenti conjecturam, quæ desumitur ex iis, quæ Strabo scripta reliquit initio libri 4. *Geographiæ*, ubi postquam dixisset urbem Massiliam opus esse Phocæensium, eamque intra suos muros & in sua Arce quoddam possidere EPHESIUM, quod dicit esse Ephesiæ Dianæ Ædem sacram, ulterius Nationis hujus in eas regiones refert adventum: unde propositionem meam confirmare conor, & probare, non solum nostram Statuam Græci Artificis esse opus, sed etiam alterius quam Dianæ eam esse non posse.

Cum Phocæenses (inquit idem Auctor) ex terra sua natali excessissent, illorum Principem oblitum esse indicare, quod iter suum sub auspiciis Dianæ Ephesiæ instituere deberent: id quod eos urbem Ephesum petere coegit, ut Deam consulerent quidnam sibi in hoc suo proposito esset faciendum, & ejus mandata acciperent; eam cuidam Aristarchæ dictæ in somnio apparuisse, eique mandasse, ut certum aliquod in Sacrario assumeret simulacrum, & una cum Phocæensibus aggrederetur iter; eoque absoluto illos huic Deæ exstructo templo, Aristarcham Flaminiam aut Sacerdotem constituisse, & postea in omnibus civitatibus, ubi illorum dispersæ erant coloniæ, hanc Deam singulari modo decenter iisdem affectam esse honoribus, qui eidem huic Statuæ divinæ habentur cum omnibus aliis ceremoniis, quas in principali sua & Metropolitana Urbe recipere solet.

Ex his meus Lector hæc duo jam comprehendit, scilicet ab una parte Græcos (Phocæenses enim Græci sunt populi Minoris Asiæ) nostram incoluisse regionem, quoniam ibidem Massiliam condiderunt; & ab altera totam hanc Regionem Dianæ repletam fuisse cultu, quia sub faventibus hujus Deæ auspiciis longum illorum & molestum ad finem perductum fuit iter.

Imo etiam adhuc quoad Linguam Græcam, respectu nostræ Statuæ, in eodem Strabone videri poterit illustrem illam urbem Massiliam adeo fuisse Græcam, ut exquisita Eloquentiæ & Philosophiæ scientia Græce ibi doceretur, & contractus eadem conscriberentur Lingua; & ejus cives adeo amicos fuisse & familiares Græcis, ut ΦΙΛΕΛΛΕΝΕΣ fuerint appellati. Regia nostra

Civitas Arelate, quam Græci jam tum possidebant, & quæ prima nobiles hosce hospitio excepit Peregrinos, quos vidit civitate donatos, simul ac illorum Princeps ex hoste & supplice Regis factus esset gener, censeri debet præterea quam maxime libenter una cum illorum personis, A etiam libentissime recepisse illorum Linguam, Religionem, & cultum istius Deæ, quæ ipsis Ducem se præbuerat, ei apud se exstrui curasse superbum aliquod EPHESIUM, & ab eo ipso tempore aut deinceps divinam illam fabricari Statuam, quæ nostro materiam præbuit Semoni.

F I N I S.



GEMINIÆ
MATRIS SACRORUM

TITULUS SEPULCRALIS

EXPLICATUS,

VERUS EXEQUIARUM RITUS UNA DETECTUS;

A

JOANNE JACOBO CHIFFLETIO,

EQUITE, PHILIPPI IV. REGIS CATHOLICI MEDICO A CUBICULIS.

APPROBATIO.

GEminæ Titulus ſepulcralis explicatus, & verus Exequiarum ritus detectus, a Joanne Jacobo Chiffletio, Medico Regio, publicam merentur lucem.

Gaſpar Eſtrix Plebanus & Librorum Cenſor Antverpiæ.

MONERE, A MEMORIA; QUOD IS QUI MONET, PROINDE SIT AC MEMORIA: SIC MONIMENTA QUÆ IN SEPULCRIS, IDEO SECUNDUM VIAM, QUO PRÆTEREUNTES ADMONEANT, ET SE FUISSE, ET ILLOS ESSE MORTALES.

ILLUSTRISS. ET EXCELLENTISS.

D. D. FRANCISCO DE MONCADA,

MARCHIONI DE AYTONA, COMITI DE OSSONA,
BELGICÆ BURGUNDIÆQUE PRO REGE GUBERNATORI,
NEC NON MILITIÆ TERRA MARIQUE
PRÆFECTO SUPREMO.



EXemplo Marci Catonis, ſepulcra legens, EXCELLENTISSIME DOMINE, non vereor, quod ajunt, ne memoriam perdam; imo, ut ille, ipſis legendis in mortuorum memoriam redeo. Quemadmodum enim æternæ legis meminiſſe, prudentiæ tribuitur: ſic illa non terreri, ſapientiæ; quia iter aperit ad vitam ærumnis, doloribus, & invidiæ minime obnoxiam. Mors vero licet reapſe omnibus ſit æqualis, ſenumque ac juvenum funera ex æquo ſint permixta, apud poſteros tamen diſtingui ſolent, vel oblivione quæ ſolerter evitari, vel gloria quæ honeſte poteſt ambiri. Hac dudum mihi, fateor, animus ad ſtudia accenſus non vulgaria, e quibus hauſi hæc paucula reconditæ doctrinæ FUNEBRIA, quæ tum ex voto meo viventibus proſint, tum gratiæ tibi a me ſi non ſolutionem, ſaltem debitionem publice teſtentur. Tu ſoles enim, VIR MAXIME, noſtras eſſe aliquid putare nugas: tu non ita pridem in Muſeo meo coram adeſſe voluiſti, horarum aliquot inſumpto tractu in luſtrandis curioſe numiſmatis, gemmis, ſignis, & ſcriptis libris: in quibus, etſi conquiſitis, nihil tibi obſcurum occurrit, nihil peregrinum. Sed hæc privata ſunt. Quid pro REGE & BELGICA, anno elapſo, qui bellici tui imperii primus fuit, non præſtitiſti, Bouchinium Comitatus Auſtrevanenſis caput, quod ab REGIS Imperio deſciverat, illico per te REGI aſſertum: Inſula dein S. Stephani ad Moſam occupata & munita, validum iniquis Batavorum prædationibus frænum: hoſtis denique, qui Brabantiam ſe velle deglutire palam jactabat, audacia repreſſa Regio exercitu, quem tua rexit conſtans & animoſa præſentia. Diſcant exemplo tuo Magnates mature ſe, filioſque ſuos, utrique Palladi devovere: diſcant Reges & Principes, ſago ſimul & toga præclaris rerum gubernacula credere. Tu vero, HEROS INCLYTE, perge quo cœpiſti pede; omnium voluntatem in te propenſam habes, Ordinum, militum, populi, & ſic Dei: majores in poſterum palmæ tibi non deerunt. Ego interea ſolito favore tuo nixus, aggredior Tituli ſepulcralis a vulgo non intellecti explanationem; opportune, ni fallor, in hac temporum infelicitate, qui ob Sanctiſſimæ PRINCIPIS noſtræ, veræ & piiſſimæ Sacrorum Chriſtianorum Matris deceſſum, fati & mœroris acerbitate perculſi & pullati omnes ſumus.

Vivus quadratæ formæ lapis, erutus Vesontione, in pomœrio Boreali, juxta viam, ubi propugnaculum a S. Claudio denominatum exstrui cœptum Anno M. DC. XXXIII. *sic est inscriptus:*

GEMINIA'. II. IVLLA
ARAVSIENSIS. MATER
SACRORVM. HIC
ADQVIESCIT
D. IVL. PI. AVGTVS. CON. PI
ISSIMÆ. ET. AVRÆ
SEVERI. QVI. M. PRO. F.
OBSER.

GEMINIÆ TITULUS SEPULCRALIS
EXPLICATUS
A
JOANNE JACOBO CHIFFLETIO.

GEMINIA'. II. IULLA.



EMINIA, gentilitium apud Romanos nomen, sed plebejum, frequens in antiquis monumentis apud Janum Gruterum [1]. Ductus ille supra lineam, est fabrile mendum. II. *secunda*, vel nominis numero, vel nascendi ordine. IULLA, cognomen Geminiæ.

ARAVSIENSIS.

Agnomen Geminiæ a loco natali tractum, urbe scilicet quæ *Arausio*, in Provincia Narbonensi; Plinio [2] *Colonia Secundanorum*; Ptolemæo Ἀραυσίων: unde Sidonius [3] vocem *Arausionensis* deduxit. Dicta est postmodum *Arausica*, ubi Concilia Arausicana seu Arausicensia celebrata Annis CD. XLI. & D. XXIX. Inusitatum vocabulum *Arausionsis*, deductum puto a voce *Arausia*, vel *Arausium*. Loci porro natalis Geminiæ hic adjecti causam Theophrastus indicavit, ubi dixit [4]: *Si uxor obierit, monumento ejus, & mariti, & patris, & matris nomina inscribet, itemque* CUJAS *ipsa sit*.

MATER SACRORVM.

Feminas, apud Antiquos, Sacerdotes fuisse tam certum est, ut non sit ambitiose probandum. Sed cur Geminia hic dicatur *Mater Sacrorum*, singularis est indagationis. Juliam Mammæam dictam invenio *Matrem castrorum*. Goltzius [5] ex Kalendario profert hanc sine nomine inscriptionem, MATRI SACRVM. Sola mihi reperta est Geminia cum honoraria *Matris Sacrorum* appellatione. Romæ, in Hortis Matthæjorum, hæc antiquo marmori sunt inscripta [1]:

VETTIO. AGORIO
PONTIFICI. VESTÆ
PONTIFICI. SOLI
QVINDECIMVIRO
AVGVRI
TAVROBOLIATO
CVRIALI
NEOCORO
HIEROFANTÆ
PATRI. SACRORVM.

Per varia Sacerdotia evectus fuerat Agorius ad supremum *Patris Sacrorum* munus: primum *Pontifex*, seu *Sacerdos Vestæ*; deinde *Soli*: *Quindecimvir*, ad librorum Sibyllinorum custodiam & inspectionem: *Augur*, quarro loco, bene; quia Numa, inter genera Sacerdotum, quartum ordinem facit de cælo signa observantium: *Taurobolìatus*, hoc est, taurorum sacrificiis suppositus & purgatus, quem ritum belle descripsit Prudentius [2]: *Curialis*, Flamen, Nonio Marcello *Curiæ Sacerdos*: *Neocorus*, templi custos: *Hierofanta*, qui ad sacra Hecates sacrorum filiis & candidatis mysteria aperiebat, ut Euryclides apud Laertium [3]: tandem *Pater Sacrorum*, sive Sacerdos summus, cærimoniarum præses & sacrificiorum, in sacris Mithriacis. Quidni Geminia nostra, inter dicatas Sacris feminas, ad parem dignitatem per gradus etiam adscenderit? Romæ in basi fracta mentio fit [4] MANLIÆ FADILLÆ REGINÆ SACRORVM. Metis in veteri tabula

1 In Inscripr. Orb. Rom. 2 Lib. 3. c. 4. 3 L. 6. ep. 12. 4 In Charact. 5 in Thes. rei antiq.

1 P. 1102. 2. 2 Per Steph. hym. 10. 3 In Aristippo. 4 Pag. 1087. 8.

A legitur [1], ARETE DRVIS ANTISTITA; quæ somno monita Sylvano & Nymphis loci publicam memoriam dicarat. Brixiæ in S. Salvatoris exstat hoc Epitaphium [2]: COELIÆ. PATERNÆ. MATRI. SYNAGOGÆ. BRIXIANORVM: quod idem est ac *matri cœtus pii, in quo sacra peragi solita*; non equidem, ut puto, Judæorum. Hi certe tituli honorarii ad Matris Sacrorum munus tam prope accedunt, ut unum & idem videantur. Sed nos adhuc propius, præferente facem magno Vate [3];

Fit CALYBE *Junonis anus, templique Sacerdos* B

Calybem Junonii templi Sacerdotem, paullo post irridens Turnus sic alloquitur:

Sed te victa situ, verique effeta senectus,
O MATER, *curis nequidquam exercet, & arma*
Regum inter, falsa vatem formidine ludit.
CVRA TIBI DIVVM EFFIGIES ET TEMPLA TVERI.

Hic diserte *Matrem* habemus, & *templi Sacerdotem*, ob senium ad sacrorum summa evectam. C Ita nostra Geminia, quod reliquarum sacra Vesontione facientium Antistita esset, quod Divorum effigies & templa tueretur, recte dicta fuerit in lapide *Mater Sacrorum*, in Romano municipio; ut in alio monumento, quod Cartamæ in Hispania [4], JVNIA RVSTICA dicitur SACERDOS PERPETVA ET PRIMA IN MVNICIPIO CARTIMITANORVM.

HIC ADQVIESCIT.

[5] Sic plane Lugduni in fossis S. Vicentii, & Mediolani ad S. Nazarium [6]. D Defunctis enim Ethnici quietem precabantur. Tibullus [7]:

Et BENE, *discedens dicet*, PLACIDEQVE QVIESCAS.

Alibi:

Sic BENE *sub tenera parva* QVIESCAT *humo*.

Virgilius de Antenore [8]:

—— *Nunc* PLACIDA *compostus* PACE QVIESCIT.

E Rationem Tacitus [9] adfert animo ancipiti, ob defectum Christianæ fidei: *Si quis piorum* MANIBVS *locus; si, ut sapientibus placet, non cum corpore exstinguuntur magnæ animæ*, PLACIDE QVIESCAS. Hujus, puto, ratiocinationis fundamento nixi, sepulcrum vocabant AGRVM SOMNI, QVIETORIVM, & REQVIETORIVM, ut passim in tumulis videre est.

D. IVL. PI. AVGTVS.

F D. nota prænominis *Decimus*, ex Polybio, Diodoro, Dionysio, Plutarcho, Dione. *Decium* alii ex Probo & Diomede interpretantur; quod prænomen plebejum fuit, & huic plane loco magis conveniens. IVL. lego *Jullus*, nomen a quo Geminia *Jullæ* cognomentum sumpserit: nam si prænomina a viris, auctore Onuphrio [10], feminæ traxerunt, ab illis etiam cognomina potuerunt assumere; quod omisisse Panvinium haud miror, cum ipse, ad libri sui calcem, nonnulla in eo argumento a se præterita non diffiteatur. PI. AVGTVS. cognomina *Pius*, *Augtus*. Augtum alibi non legi, etsi Auctum multis locis.

1 P. 61. 9. 2 P. 323. 3. 3 Virg. 7. Æn. 4 P. 174. 8. 5 P. 383. 8. 6 P. 970. 1. 7 lib. 2. Eleg. 4. & ult. 8 L. 1. Æn. 9 In Vita Agric. 10 Lib. de Ant. nom.

CON. PIISSIMÆ.

Apposite *conjugi piissimæ*, quia Matri Sacrorum Pietas enim eximia dicatas numinibus feminas præ aliis decebat. Ceteris uxoribus, ob alias causas, positum legas, *frugalissimæ, fidelissimæ, castissimæ, innocentissimæ, rarissimi exempli*, &c.

ET AVRÆ SEVERI.

Subaudi CONJVGI; quæ vox eleganter omissa, ne jam scripta repeteretur. Positus ergo fuit hic lapis duabus feminis, eodem sepulcro conditis, Geminiæ Augti & Auræ Severi conjugibus, forte.

—— *quas certus amor, quasque hora novissima junxit,*
Quodque rogis restans una requievit in urna.

QVI. M. PRO. F. OBSER.

QVI, Severus nempe Auræ maritus. M. *monumentum*: quod etsi proprie sit *inscriptio sepulcri memoriæ causa*, hic tamen sumitur pro sepulcro ædificato, ut ex sequentibus patebit.

PRO. F. OBSER. sunt qui legant, *pro foribus obseravit*. Et quidem sepulcra fornicata seu concamerata, certum est januis fuisse clausa. Petronius [1]: *Præclusis conditorii foribus*. Vopiscus de Tacito Imperatore [2]: *Mortis omnia hæc fuerunt; patris sepulcrum, disruptis januis, se aperuit*: quod prodigiale habitum, quia obseratæ erant. Inscriptio inedita, Romæ reperta:

DIS. MANIBVS.
PIERI. AVG. L. PRÆC
PVERR. CÆSARIS. N
FLAVIA. NICE. CONIVNX
B. M. TITVLVM CVM VALVIS
ÆNEIS. D. S. P. PERMISSV HERMÆ
AVG. L. A. CVB. DOMITIÆ. AVG.

Julius Firmicus *sepulcrorum janitores* obiter tetigit in hæc verba [3]: *In tertio loco Mercurius cum Saturno ab horoscopo partiliter constitutus, pollinctores faciet, ac funerarios mortuorum, cadaverum custodes, ac sepulcrorum janitores*. Verum quia sepulcris occlusis, janitoribus non erat opus, crediderim hic intelligi ministros viliores, qui ante absolutum funus, ad apertas sepulcri fores starent ad removendam turbam, vel certe qui agri muris cincti, in quo sepulcrum esset, januam custodirent.

Nihilominus lectio illa, *Pro foribus obseravit*, probari mihi non potest: elegantius enim scriptum fuisset, *qui monumentum obseravit*, ut *obsignare cellas* apud Plautum legitur [4]: vel certe, *qui monumenti fores obseravit*, ut Suetonius [5] *obseratas Curiæ fores* dixit. Frustra namque illud *Pro*, quod est *ante*; quia non nisi deforis obserabantur conditoria; nec ullus, una cum mortuis, spelunca se includebat, ut sepulcrum ab intus obseraret: quod semel clausum, ad eum modum manebat perpetuo, & ex more. Ammianus [6]: *Bibliothecis, se-*

1 In Satyr. 2 In Floriano. 3 Lib. 3. cap. 2. 4 Casina. 5 In Tito. 6 Lib. 14.

pulchrorum ritu, in perpetuum clausis. Optatus Afer [1]: *Unicuique sepulcro sufficit unum funus, & clauditur*. Distingue tamen, nisi sepulcrum heredes sequeretur, & alteri condendo denuo aperiretur: unde C. Pedo Albinovanus [2] conqueritur de frequentia funerum in domo Augusti, quibus condendis sepulcrum fuerat aliquoties apertum:

Claudite jam Parcæ, nimium reserata sepulcra
Claudite, plus justo jam domus ista patet.

PRO. F. OBSER. alii legunt, *pro fronte obseravit*; quod nec probo. Ager qui ad monumentum pertinebat, si muro cinctus, frontem habere dicebatur. Hinc Probus in Notis, IN. FR. P. VI. *in fronte pedum sex*. IN. AG. P. X. *in agro pedum decem*. Marmor Arundellianum ex Latinis octavum: IN. FRONTE. P. XII. IN. AGRO. P. XII. Sed hæc de privato sepulturæ loco, non de publica area, qualis ea fuit, qua mulieres hæ conditæ sunt. Neque ad rem fuisset, Severum agri fores quamvis privati obserasse, quas referari quotidie nullum secutum fuisset incommodum: nam ad ejusmodi loca itus, aditus, ambitus sæpe concessus, ut passim in lapidibus videre est.

Igitur, PRO. F. OBSER. lego, *pro Flamine obseravit*: quemadmodum F. singulare, Flaminem notat in Viennensi lapide [3], quem *Flavio Constantino Augusto* inscripsit M. ALFEVS. APRONIANVS. PP. F. id est, *perpetuus Flamen*. Hoc posito, ritum aperio a nemine hactenus observatum.

VERUS EXEQUIARUM RITUS DETECTUS.

Circa funera publicis Sacerdotibus multa prohibita erant; & primum quidem Auguribus, *contrectare feralia*: unde, apud Tacitum [4], Tiberius Germanici factum non probavit, qui cæsis ante sextum annum in Variana clade militibus, & condendis trium legionum ossibus, primum tumulo cespitem posuerat, dicens, *Imperatorem Auguratu, & vetustissimis cærimoniis præditum, contrectare feralia non debuisse*. Pontifici deinde *cadavera inspicere* vetitum, quod adspectu illorum polluto sacrificare fas non esset. Hinc *Tiberius Cæsar* (apud Senecam [5]) *& quem genuerat, & quem adoptaverat*, cum amisisset; *ipse tamen pro rostris laudavit filium, stetitque in conspectu posito corpore, interjecto tantummodo velamento, quod Pontificis oculos a funere arceret*. Augustus quoque (apud Dionem [6]) *laudationem Agrippæ recitavit, velo quopiam ante mortuum expanso*. Causam se ignorare fatetur Dio; sed de Pontifice Senecam vera scripsisse Lipsius existimat [7], cui assentiuntur Docti omnes: sacer enim Pontifex erat; ideoque non ipsum tantum arceri adspectu funesto, sed & statuas Deorum voluerunt. Albinovanus de Drusi funere id insinuat:

Dique latent templis, nec iniqua ad funera vultus
Præbent, nec poscunt thura ferenda rogo.
Obscuros delubra tenent, pudet ora colentum
Adspicere, invidiæ quam meruere metu.

Imo si positæ essent Deorum statuæ in loco ubi supplicia & cædes, velari eas mos fuit, aut transferri; quod notat ipse Dio: *Claudius*, inquit [8], *delectabatur gladiatoribus, & præsertim meridianis. Ideo plerosque servos, qui Dominos sub Cajo & Tiberio calumniati erant, hoc modo perdebat: eorumque tantus fuit numerus, ut Augusti statuam eo loci positam jusserit transferri, ne aut semper adspiceret cædes, aut semper velata esset*. Apud Christianos, in templis mos est antiquus, Divorum imagines velandi, sacræ tempore Quadragesimæ; quia tunc, puto, per luctum prævium, ex ritu veteri quadragenarium [1], in Ecclesia viget mortis Christi recordatio, velis obductis indicata; ratione sane ab Ethnica superstitione multum diversa, licet usu non absimili.

Pontifici præterea *cadaveris contactus & ad funus deductio, seu prosecutio*, vetita erat. Dio in funere Cæsaris Augusti [2]: *Tum Tiberio impunitas data, quod cadaver (prohibitum enim erat) tetigisset, ac comitatus fuisset*. Prohibitum erat, ne sacræ Pontificis manus & oculi inquinarentur: quod tamen a Senatu non semel dissimulatum; nam & *Augustus Agrippæ funus extulit* [3]; & idem Tiberius [4] *quorundam illustrium exequias ad rogum usque frequentavit*.

De Flamine Diali, sic Fabius Pictor apud Gellium [5]: *Locum in quo bustum est numquam ingreditur; mortuum numquam attingit*; FUNUS TAMEN EXEQUI RELIGIO NON EST. De eodem Festus: *Funebres tibiæ dicuntur, cum quibus in funere canitur, quas audire Flamini Diali putabant illicitum*. Joannes Kirchmannus vir alioqui doctissimus hic hæret: *Nam si*, inquit, *Flamini exequiis interesse nefas non fuit, certe tibias ipsum audivisse erit necesse*. Exequi funus, Kirchmannus interpretatur [6] *exequiis interesse*, seu *prosequi funus*; sed profecto citra acumen, & nimis vulgari fide. Nodum illum ecce solvo, si non Herculeum, necdum saltem a quoquam extricatum.

Igitur EXEQUI verbum explico, *perficere, absolvere*: unde qui opus aliquod perficit, Isidoro, AB EXEQUENDO dicitur EXECUTOR. Hinc apud Fabium Pictorem, *Flamini funus exequi, religio non est*: verto, *Flamini funus absolvere, seu perficere, absque scrupulo licet*. Quod hercle a Flamine aptius fieri non poterat, quam sepulcri, jam complicatis valvis, per seram occlusione; sic enim, quia reliquias jam conditas nec videbat Flamen, nec tangebat, non polluebatur: clausa namque monumenta pollutionis contagio sacros homines non affecisse, argumento est, quod *Antoninus Philosophus* (etsi Pontifex, ut reliqui Cæsares) *suorum magistrorum sepulcra, aditu, hostiis, & floribus exornare solitus esset* [7]. Ad meum sensum Albinovanus de Augusto loquens [8]:

Condidit Agrippam quo te Marcelle sepulcro,
Et cepit generos jam locus ille duos.
Vix posito Agrippa TUMULI BENE JANUA CLAUSA EST;
PERFICIT OFFICIUM FUNERIS *ecce soror*.

Hoc est, vix Agrippæ generi funus absolvit Augustus, obserata sepulcri janua, cum ecce soror ejus Octavia C. Marcelli filii funus eodem modo exequitur & perficit. Ubi notandum, tumuli januam a Poeta non dici nude *clausam*, sed *bene clausam*: quod de alia opera quam obseratione non intelligo; nam *sera remota valvas patere, & fores pandi*, Nonius [9] & Varro [10] dixerunt. Obiter quoque advertendum, quod ut cespititium sepulcrum per glebæ injectionem, ita lapideum & concameratum per obturationem, religiosum fiebat; scilicet occlusis valvis, quarum obseratio, funeris erat

1 Lib. 2. adv. Parm. 2 Eleg. de morte Drusi. 3 Pag. 283. 7. 4 Lib. 1. Annal. 5 In Cons. ad Marc. 6 Lib. 54. 7 Ad 4. Annal. Taciti. 8 Lib. ult.

1 Me vide Lint. sep. c. 8 2 Lib. 54. 3 Dio loc. cit. 4 Suet. in Tib. c. 22. 5 Lib. 10. c. 15. 6 Lib. 2. Fun. c. 21. 7 Jul. Capit. 8 Loc. cit. 9 V. Patibulum. 10 Lib. 6. de Ling. Lat.

erat executio. Funeris ergo munus absolvit noster Severus, sepulcrum Geminiæ obserando, idque vice Flaminis, forte absentis, qui exequi illud debuerat, vel ex munere suo, vel in gratiam Matris Sacrorum, & majoris honoris illi Antistitæ ultro exhibendi causa. Eo vero titulo vices Flaminis obivit Severus, quod ipse esset *vir Flaminalis*, sive Sacerdos minor: quæ vulgaris nuncupatio scite in lapide omissa, quia tacite expressa, cum ei tantum qui e flaminatu esset, Flaminis obire munus liceret. Verum funeris executionem accuratius ponderemus.

Scio EXEQUIAS ampla significatione sæpe sumptas pro pompa funebri, & honoraria funeris deductione: quæ Ausonio passim dicitur *Exequialis honos* [1]; Sulpitio Severo in Vita S. Martini, *obsequium funeris*; Balderico in Chronico Cameracensi, [2] *Funebritas*, unde vox Gallica, *Funerailles*. Nihilominus pompæ illi & funeris deductioni qui intererant, proprie *funus sequi*, *prosequi*, & *persequi*, non vero *funus exequi* dicebantur. Apulejus [3]: *Funus, toto feralem pompam prosequente populo, deducitur ad sepulturam.* Seneca [4]: *Funus ignoti hominis prosecuturi*. Festus: *Funus prosecuti, redeuntes ignem supergrediebantur aqua adspersi; quod purgationis genus, suffitum vocabant*. Terentius:

——— *Funus interim*
Procedit, sequimur, ad sepulchrum venimus.

Macrobius [5]: *Mortuos ad sepolturam persequi oportere cum cantu, plurimarum gentium vel regionum instituta sanxerunt.* Nazianzenus de funere S. Basilii: *Plena erant fora, porticus, duplicia & triplicia tabulata, hominum illum deducentium, præeuntium, sequentium, assectantium, seque invicem conculcantium.* Quibus loquendi modis docemur, stricte sumtas *exequias*, non significasse funebrem pompam, sed ipsam executionem, seu perfectionem funeris, per monumenti obserationem, de qua supra: quæ muneri Flaminico permissa, teste Fabio Pictore; ipsa vero funeris deductio, vel prosecutio, Pontifici vetita erat, ut ex Dione probavimus. Itaque *prosequi funus*, & *exequi funus*, ita differunt, ut via & terminus, ut funeratio & sepulcrum: namque, Servio teste [6], *funeratio sepulcrum præcedit*; id est, prosecutio funeris præcedit ejusdem executionem, quemadmodum ædificatio exædificationem, seu ædificii perfectionem. Illas tamen dicendi formulas confuse, etsi minus religiose, a Scriptoribus usurpatas invenias, non secus ac *ire exequias*, *venire exequias*, & *solvere exequias*; quæ tamen perinde distinguuntur. Phormio apud Terentium [7]:

EXEQUIAS *Chremeti, quibus commodum*, ITE, *bem tempus est*.

Hannibal apud Silium Italicum [8]:

——— *Vos* ITE *superbæ*
EXEQUIAS animæ. ———

quod idem est, ac si dicerent, *Prosequimini funus ad persolvendas exequias*. Apulejus [9]: *Asclepiades cum forte in civitatem se reciperet, & rure suo suburbano rediret, adspexit in pomœriis civitatis funus ingens locatum; plurimos homines ingenti multitudine, qui* EXEQUIAS VENERANT, *circumstare, omnes tristissimos & obsoletissimos vestitu*. Homines illi multi exequias venerant, hoc est, ad sepulturam corpus comitati fuerunt, & stabant circa rogum, donec *supremæ exequiæ* peractæ essent; nempe donec ossa lecta, defleta, deposita, & obseratum monumentum, quod erat vere & proprie *exequias solvere*, seu *explere*. Cornellius Gallus [1]:

Ac velut EXPLETIS *desinit* EXEQUIIS.

Culte Virgilius [2] ad hunc ritum, post Cajetæ nutricis Æneæ ossa urna condita, & inscriptum sepulcro nomen:

At pius EXEQUIIS *Æneas rite* SOLUTIS,
Aggere composito tumuli. ——— ———

Hoc est, post occlusum monumentum; quod Ovidio marmoreum fuit [3]:

——— *urnaque Æneia nutrix*
Condita, marmoreo tumulo breve carmen habebat.

Mos ille notus etiam Ausonio Æmiliæ Hilariæ scribenti epitaphium [4]:

Hæc quia uti mater monitis & amore fovebas,
SUPREMIS *reddo filius* EXEQUIIS.

Propertius ad Cynthiam [5]:

Cum mihi AB EXEQUIIS *somnus penderet amoris,*
Et quererer lecti frigida regna mei.

Ab exequiis, hoc est, post expletum & absolutum funus per obturationem sepulcri.

Addo Cœnam seu Epulum funebre, quod ad ipsum sepulchrum fiebat, & supremas exequias statim sequebatur, inde dictum EXEQUIUM. Festus: *Silicernium dicitur cœna funebris, quam alio nomine* EXEQUIUM *Scriptores vocant*. Quia nempe fiebat immediate postquam funus executum, seu exequiatum erat [6]. Varro: *Funus* EXEQUIATI *cum lausu, ad sepulcrum antiquo more silicernium confecimus*.

Quæ quidem a me de Exequiis dicta hactenus, tribuenda moneo vulgari & plebejo mori, quo funus (quod, ex Donato [7], *pompa erat exequiarum*) ipsas exequias seu sepulturam immediate præcedebat. In Cæsarum namque funeribus, ordine contrario quandoque id fiebat; nam prius cremabant cadavera, & reliquias sepulcro condebant, ordinario munere exequiarum: deinde cum otio funebrem pompam, & novum rogum instruebant ad consecrationem. Capitolinus morem illum clare expressit in Antonino Philosopho, ubi exequias a funere belle distinxit: *Adriani sepulcro* (inquit) *corpus patris* (Antonini Pii) *intulerunt, magnifico* EXEQUIARUM *officio: mox justitio secuto, publice quoque funeris expeditus est ordo*. Verba illa, *magnifico exequiarum officio*, explico, sumptuosa urnæ collocatione, cum lacrymis, amomo, balsamo, & aliis pretiosis odoramentis, quam secuta est monumenti obseratio. Idem de Septimio Severo factum tradit Herodianus [8], cujus nempe corpus in Britannia ignibus traditum, cineres cum odoribus in alabastri vasculum conjecti, & Romam relati; ubi, more reliquorum hominum, Marci sepulcro sumptuose conditi sunt: postmodum cum cerea defuncti imagine lecto imposita, peractum est imaginarium funus, novaque incensa pyra pro consecratione.

1 Epist. 3. 2 Lib 1 cap 28 & 86. 3 L. 12. Met. 4 De Brev. Vit. c. 12. 5 L 1. Som Scipion. cap 3. 6. In 6. Æneid 7 Act 5 sc ult 8 L b. 15. Punic. 9 L 4. Florid.

1 Eleg. lib. 2 Æn. 7. 3 Met 14. 4 Parent. 6. 5 Lib. 4: 6 Meleagris ap. Non. 7 In Ter. And. 8 Lib. 3.

Ex quibus constat, sepulturam seu exequias illorum Cæsarum præcessisse funebrem pompam, contra communem ritum, quo funus deducebatur longo prosequentium ordine, mox cremabatur cadaver, & consequenter ossa & cineres claudebantur monumento, quod postremum erat *exequi funus*.

Concludo, & dico, in funere plebejo supremas mortuorum exequias, primas fuisse in intentione, ultimas in executione, unde & illis nomen. Et quia *exequias ire*, seu *prosequi funus*, Flamini seu Pontifici vetitum erat, *exequias* autem *explere*, sive *funus exequi* eidem licitum, recte in lapide nostro legemus de Severo, *qui monumentum pro Flamine obseravit*: id est, *qui vice Flaminis monumentum obserando, supremas absolvit exequias*; vel brevius, *qui funus executus, seu exequiatus est*. Ritus rarus, inauditus, & sepulcri titulo revera dignus.

Atque hisce paucis quia Tituli sepulcralis explicationem videor executus, finem facio, si prius binis amicorum petitionibus fecero satis. Prima est, cur in pomœrio Vesontino, juxta viam, repertus Geminiæ titulus. Lex XII. Tabularum respondet: HOMINEM MORTUUM IN URBE NE SEPELITO, NEVE URITO. Ratio triplex: prima, ne fœtore corpora viventium inficerentur; secunda, ne funestarentur sacra civitatis, quæ contaminatum iri existimabant, si intra urbis mœnia mortui sepelirentur: tertia, propter ignis periculum, quia in funere Clodii ipsa Curia & Porcia Basilica flagrarant. Idem per Provincias postea vetitum fuit, primum D. Hadriani Rescripto, deinde Antonini Pii [1], quod Diocletianus & Maximianus postea firmarunt: ne sanctum municipiorum jus pollueretur rerum funestarum adspectu, sed incolarum domicilio sanctitas relinqueretur, sacris non contaminatis. Ubi ergo mortui condebantur? Extra civitatis portam. Apulejus [2]: *Portam civitatis egressi, monumentum quoddam conspicamur*. Circa urbem. Livius [3]: *Cum priorem populationem sepulcris circa Urbem diruendis exercuisset*. In suburbio. Ovidius de ossibus urna concludendis [4]:

> *Atque ea cum foliis & amomi pulvere misce,*
> *Inque suburbano condita pone loco.*

In pomœrio. Iterum Apulejus [5]: *Adspexit in pomœrii civitatis funus ingens locatum*. Denique juxta viam, vel in ipsa via. Porphyrio [6]: *In Aggeribus* (id est, in viis militaribus) *religiones & sepulcra erant*. Propertius [7]:

> *Si te forte meo ducet via proxima busto,*
> *Esseda cælatis siste Britanna jugis.*

Quæ omnia conveniunt loco, ubi lapis Geminiæ effossus, qui haud dubie communi sepulturæ destinatus fuit; extra portam, circa urbem, in suburbio, in pomœrio, juxta viam; denique non longe a Battalibus, propter frequentes cædes; ut alius ob eamdem causam, etiam Vesontione, in pomœrio Occidentali, e regione arenarum, quem *campum nigrum* vocant [8].

Altera quæstio est, cur integrum cranium, juxta lapidem Geminiæ, cum aliis ossibus ignem non expertis repertum. Plane existimo, ossa illa esse posterioris & Christiani ævi, quo spatium sepulturæ publicæ dicatum, extra civitatem servatum fuerit; ad eumdem quidem usum, sed immutato ritu, ut ubi cadavera primum cremabantur, eodem postmodum loco humata fuerint. S. Joannes Chrysostomus [1], qui vitam mortalitate commutavit Anno Christi CDVII. omnem civitatem, & omne castellum, ante ingressum sepulcra habuisse, idque, suo tempore, usu receptum testatur. Et Constitutio Concilii Braccarensis primi, celebrati Anno D. LXIII. de Galliæ civitatibus id clare asseverat, his verbis: *Firmissimum hoc privilegium usque nunc retinent Galliæ civitates, ut nullo modo, intra ambitum murorum, cujuslibet defuncti corpus sit humatum*. S. Gregorius Turonensis Episcopus [2], qui vivebat sub finem sexti sæculi, agens de B. Radegunde mortua in urbe Pictaviensi, scribens visa, de ejus funeratione diserte narrat, *Sanctum corpus psallendo deduci cœptum, sub muro urbis transitum, & ad sepulturam ventum, ubi in loco Sacerdotali benedictione non sacrato, locata capsa, in fossa, quæ spatiosior facta est, ablatis duorum sepulcrorum singulis spondis*. Ibi, ante annos mille, sepulturam Christianam habemus extra urbem, in loco profano, ubi alia corpora jam sepulta erant. In Gallia passim, extra urbes & vicos, cœmeteria Christianorum occurrunt; quæ prius fuisse Ethnicorum, Diis Manibus inscripta saxa ostendunt. Propinquioribus sæculis, pace Ecclesiæ data, polluta pleraque, cum funera in urbes & sacras ædes reducta. Atque hinc est, quod Vesontione, & alibi in templis, vix ulla reperiantur monumenta, nisi post sæculum duodecimum.

Magnam porro Vesontione mutationem vel ex eo licet colligere, quod Geminiæ lapis eo loci effossus fuerit, ubi monumentum fornicatum & obseratum non occurrit: quod tamen titulo suppositum fuisse, verba indicant, *hic adquiescit*. Manibus scilicet haud pepercit fortuna, quæ memoriam servavit in vivo seu virgine lapide, quem Vesontini vulgo vocant *Vergenne*:

> —— *data sunt ipsis sua fata sepulcris* [3].

Mirabilem namque subversionem, & loci publici antiquitatem simul testantur ossa grandiora integra combustis fragmentis confuse permixta; urnæ variæ reliquias cinerum continentes; pocula Samia operæ eminentis; vascula vitrea & testacea postremo lacrymarum muneri destinata; lucernæ sepulcrales testaceæ; armillæ æneæ; argentea & ænea Neronis & aliorum Cæsarum numismata, quæ hac illac sparsa magno numero inter fodiendum operis occurrerunt: quibus certe si adfuissem, Scriptum hoc meum plenius exivisset: eo qualicumque, VIR EXCELLENTISSIME, fruere, vive & vale, ut Reipublicæ Christianæ virtutibus tuis longum præluceas. Bruxellæ, ex Museo, Kal. Januariis Anni Christiani M. DCXXXIV.

1 Lib. 3. §. Divus. D. de Sep. viol. 2 Metam. l. 4. 3 L. 30.
4 Lib. 3. Trist. Eleg. 3. 5 Flor. 4. 6 Epod. Od. 5. in Can.
7 Lib. 2. Eleg. 1. 8 Vide Vesont. p. 1. cap. 26. & 31.

1 Ser. de Fide & Lege 2 De Glor. Confess. cap. 106.
3 Juven. Sat. 10.

F I N I S.

DISSERTATIO
DE
OTHONIBUS ÆREIS.
AUCTORE
HENRICO THOMA CHIFFLETIO,
JOANNIS JACOBI F.

SERENISSIMO ARCHIDUCI,

LEOPOLDO GUILIELMO,

AUSTRIACO, BURGUNDICO,

BELGARUM SEQUANORUMQUE
PROREGI,
VERI AC PERFECTI PRINCIPIS
PROTOTYPO,
OTHONIS IMP. NUMISMATA,
EX AURO ET ARGENTO LEGITIMA,
EX ÆRE NONNISI ADULTERINA,
VENERABUNDUS OFFERT
HENRICUS THOMAS CHIFFLETIUS.
IOANNIS IACOBI F.

INDEX CAPITUM.

DISSERTATIO DE OTHONIBUS ÆREIS.

AUCTORE

HENRICO THOMA CHIFFLETIO, JOANNIS JACOBI F.

CAPUT I.

Veri Othones aurei & argentei, cum explicatione.



AGgredior de Othonis Augusti numismatis scribere; opus & intactum Antiquariis, &, si occasionem consideres scriptionis, sane illustre. Non enim apud privatos sedit hæc quæstio, sed mota magnos inter Principes; FERDINANDI Imperatoris excitata jussu, CHRISTINÆ Reginæ auctoritate fulta, cujus nos e longinquo fama feriebat, Majestas postea mirabilis propius perculit oculos. Ego optimi Principum, LEOPOLDI GUILIELMI, Archiducis, imperio obsequor, qui cum parentem meum designasset qui scriberet, ipso aliis occupato, acquievit, si filius parentis vice fungeretur. Magnum quid profecto est, ubi jubet Archidux, incitat Imperator, Regina decernit.

Lineas ergo prius ducam per veros Othones aureos & argenteos, qui ad falsorum ex ære differentiam inspectorem juvabunt in tabella incisi, in qua duo dumtaxat exhibentur Othonis capita, sed aversæ illorum partes diversæ decem.



Primus ordine Otho sic est inscriptus: IMP. OTHO. CÆSAR AVG. TR. P. absque Mar-

A ci prænomine. Suetonius [1]: *Fuisse traditur modicæ staturæ, & male pedatus, calvusque: munditiarum vero pæne muliebrium; vulso corpore; galericulo capiti, propter raritatem capillorum, adaptato & annexo, ut nemo dignosceret. Quin & faciem quotidie rasitare, ac pane madido linere consuetus, idque instituisse a prima lanugine, ne barbatus umquam esset.*

II. CONCORDIA PRÆTORIAN. Milites prætoriani [2], *Othonis speculatores* erant [3], quorum *animum fidemque erga se expertus est Otho, pæne internecione amplissimi Ordinis*. Plutarchus de illis: *Sollicitaverunt eum monentes, ut suspectos haberet, caveretque & deprimeret primores*. Illorum

B signifero dextram porrigit Otho, & de fide gratulatur.

III. VICTORIA OTHONIS. Suetonius: *Tribus quidem, verum mediocribus præliis apud Alpes, circaque Placentiam, & ad Castoris, quod loco nomen est, vicit*. Per Legatos scilicet, ut etiam per Aponium in Mysia [4], *Othone gloriam in se trahente, tanquam & ipse felix bello, & suis Ducibus, suisque exercitibus Rempublicam auxisset*.

IV. PONT. MAX. Insignis Pontificatu Otho Capitolium subiens exultat in equo. Tacitus: *Otho, cruento adhuc foro, in Capitolium vectus*, equo scilicet. Plutarchus: *Novus Imperator, lucis princi-*

C *pio, in Capitolium progressus sacrificavit*.

V. M. OTHO. IMPERATOR. CÆSAR. AVGVST. Marci prænomen hic habet Otho ab avo, Marco Salvio Othone, monetali triumviro. Tectum est Imperatoris caput pileolo, qui calamistrata gradatim coma conspicuus est, ut in primo.

VI. JOVIS CUSTOS. Sedens Otho habitu Jovis Custodis: quo forte respexit Tacitus, ubi dixit, *adesse consiliis numen Othonis*. Vel ipse Otho *custos* dici voluerit, aliorum Imperatorum exemplo. Horatius ad Augustum [5]:

D *Divis orte bonis, optime Romulæ*
CUSTOS *gentis, abes jam nimium diu.*

Item alias in Augusti laudes excurrens:

CUSTODE *rerum* CÆSARE, *non furor*
Civilis, aut vis eximet otium.

VII. PONT. MAX. Otho rursum sedens habitu Jovis Custodis, qui est idem cum Capitolino.

VIII. ROMA. Utebatur Otho majestate Urbis: Tacitus; *Erat grande momentum in* NOMINE *Urbis, ac prætextu Senatus*.

E IX. SECURITAS POP. ROM. Post cædem Galbæ [6], *Othonis mens, levata omni sollicitudine,*

1 In Othone. 2 Plutarchus 3 Suetonius. 4 Tacit. 5 L. 4. Carm. 6 Tacitus.

vacare gaudio cœpit, ut ab eo crederetur orta patriæ securitas, & quies.

X. Secvritas. p. r. Alius securitatis typus, quem sic describit Ant. Augustinus[1]: *Stans erecta, sinistra sceptrum, dextra lauream tenens corollam*, quæ victoris præmium est.

XI. Secvritas. p. r. Alia *securitas*, ut ait Seneca, *affluens* hic spectatur, cum cornucopia & clypeo. Tacitus: *Profectus Otho*, QUIETEM *Urbis, curasque Imperii, Salvio Titiano fratri permisit*.

XII. Pax. orbis. terrarvm. Numisma cusum, postquam[2] *Pax & concordia speciosis & irritis nominibus jactata sunt*. Quæ pax enim esse potuit bellis civilibus? *ubi solitudinem faciunt, pacem appellant*[3].

CAPUT II.

Communi sapientum sententia æreî Othones antiqui non inveniuntur.

PRODUCTIS & explicatis ex materia principali Othonibus legitimis, succedit quæstio, *An ex vil ori æris metallo cusi antiquitus Othones reperiantur*. Dissolvit controversiam Serenissima CHRISTINA, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque incomparabilis Regina, quæ cum a parente meo inaudisset allatum e Germania Serenissimo Archiduci Othonem æreum, Apollinari responso subdidit: QUI ÆREUM OTHONEM REPERERIT ANTIQUUM, PHILOSOPHICUM LAPIDEM INVENERIT. Dictum sapiens, Augustum, aurea dignum statua. Ut namque pro illo lapide frustra multi bona sua dilapidant; ita pro hoc numismate omnes in vanum exercent industriam.

In eamdem sententiam descenderat jampridem Æneas Vicus Parmensis, Antiquariorum primipilus: sic enim ille, ubi agit de numismatis ex ære Corinthiaco[4]; *Delle medaglie di rame grandi con la effigie di Augusto, taccio, perche se ne sono poche, & meno di quelle di Cesare*. *Di* OTHONE *non dico, la cui effigie niuno, senza suo inganno, si vanta haver veduta stampata in rame*. Hoc est; *De numismatis æreis majoribus cum effigie Augusti, taceo, quia raro occurrunt, Cæsarisque rarius*. *De* OTHONE *nihil dico, cujus effigiem nemo, absque errore proprio, jactare potest se vidisse æri impressam*. Alio item loco[5]; *Le medaglie di* OTHONE *in argento, & in oro, sono tutte rare: ma di rame, sin qui non ne ho veduta alcuna anticha, ne parlando con vechi professori di cose antiche, in tutta Italia, ho ancor trovato uno, che veduto ne habbia, ben di finte assai*. Id est: *Numismata* OTHONIS *argentea & aurea omnia sunt rara: sed antiquum hactenus nullum vidi æreum; neque agendo cum senibus rerum antiquarum per totam Italiam professoribus, vel unum nancisci licuit, qui vidisset, sed adulterata plurima*.

Succedit Antonius Piso, vir de Antiquitatibus optime meritus[6]: *Profert Joannes Sambucus* OTHONEM, *octavum Imperatorem, quem dicit se in ære servare; quod inauditum est, & incredibile Itali Antiquariis, qui negant ullum reperiri numisma* OTHONIS *æreum*.

Mirabilis Claudii Menetrii genius fuit, in disquirendis nummis assiduus, totus in illis: Italicam tellurem Sequanus amavit ut matrem, quod illa tot pareret, tot aperiret ingenia, promente terra quotidianam materiem, semperque novam scribendi. Notus fuit Nicolao Peireskio, Laurentio

1 Dial. 2. 2 Tacitus. 3 Idem in Agricola. 4 In Discursibus. l. 1. c. 6. 5 Idem c. 28. 6 Cap. 1. fol. 3. 2.

A Pignorio, Equiti Cassiano a Puteo; & cui non notus, cum Eminentissimi Cardinalis Francisci Barberini Antiquarius fuerit? Interrogatus aliquando a meis, parente, & patruo, tam explosum esse hunc Romæ nummum, respondit, ut qui ÆREUM OTHONEM jactaret sermonibus, venderet fabulam.

Nullum Adolphus Occo refert, ille sedulus scriniorum in Germania scrutator: nullum Joannes Tristanus, qui in hoc studio consumpsit ætatem; nullum Franciscus Angelonus, numismatum nuperus editor. Pol, isti cum non loquuntur, consentiunt, Plautinumque[1] hic locum habet;

B

Pergo ad alios, venio ad alios, deinde ad alios; una res,
Omnes compacto rem agunt.

Quod ergo falsum est, obducto veri simulacro, ac nomine, oculis nostris, animisque fucum facit, & quamdiu nos fugiet falsi verique numismatis discrimen, perpetuo allucinabimur.

C

CAP. III.

Cur ærei Othones legitimi non exstent.

SEBASTIANUS Erizzus, & Levinus Hulsius, causam fuisse scribunt breve Othonis imperium. Imperavit Otho, ut Suetonius tradit, diebus nonaginta quinque; ut Cassiodorus, mensibus tribus, & diebus quinque. Spatium vides; & si perpendas, brevius Helvii Pertinacis, qui octoginta septem; Quintilli, qui septemdecim; Floriani, qui octoginta diebus imperium tenuerunt. Illorum tamen ærea numismata nostris versantur in oculis. Non igitur constat illa ratio, transeamus ad aliam.

D Numismata aurea, argentea, & electrea Imperatores arbitrio suo cudi jubebant vel in monetis Palatinis, vel in castris. Unde Dio Augustum scribit[2], *pecunias suas ab ærario separatim habuisse*. τὰ χρήματα, *pecunias*, explico aureos & argenteos usuales nummos, qui jussu Cæsarum cudebantur. Plinius de aureis[3]: *Paulatim Principes imminuere pondus aureorum*. Lampridius de Heliogabalo: *Varias nummorum aureorum formas invenit causa largitionis*. De argenteis Suetonius in *Augusto*: *Nummum argenteum nota syderis Capricorni, quo natus est, percussit*; Rursum Lampridius de Alexandro Severo: *Alexandri habitu plurimos nummos figuravit, & quidem* ELECTREOS: *plurimos tamen aureos*.

E Electrum auro simul argentoque, vel natura, vel arte mixtis constabat[4].

Æris autem signandi auctoritas penes Senatum erat; unde nummi ærei notam SC. hoc est, *Senatusconsulti*, præferebant in aversa facie, usque ad tempora collabentis Imperii: quibus cum Respublica per Tyrannos lacerata fuisset, Senatus auctoritate cassa ac deminuta, factum est, ut omne nummi genus, etiam æreum, Imperatoris solo jussu cuderetur, nulli inscripta SC. nota, sed alia; quæ locum monetæ in civitate aliqua, ut Constantinopoli, Scissiæ, Aquilejæ, Treviris, Lugduni, vel

F alibi cusæ indicaret.

Quod dixi de auctoritate Senatus in signando ære primis Imperii Romani sæculis, firmatur ex Dione, cujus hæc sunt verba de Caligula[5]; CAII *memoriam ægre ferentes, omne æreum numisma, quod ejus imaginem haberet, conflari jusserunt*. Æreum dumtaxat Caligulæ numisma conflatum scri-

1 In Captivis. Act. 3. Sc. 1. 2 Lib. 53. 3 Lib. 33. cap. 3. 4 Plin l. 33. cap. 4. 5 Lib. 60.

bit Dio, non aureum, non argenteum: quia scilicet æreum solum jussu Senatus signatum fuerat, ejusque decreto conflari solum poterat.

Atqui constat Othoni non favisse Senatum, qui favore militum imperium arripuerat. Tacitus [1]: *Manifesta in Othonem omnium militum studia, desertum fuga populi forum, districta adversus dubitantes tela.* Et paulo ante: *Milites Romani disjecta plebe,* PROCULCATO SENATU, *truces armis, rapidis equis forum irrumpunt.* Deinde per aliquot paginas: *Fremit miles, & Tribunos, Centurionesque proditionis arguit, tamquam* FAMILIÆ SENATORUM *ad perniciem Othonis armarentur.* Tum denique: *Undique arma, & minæ, modo in Centuriones, Tribunosque, modo in* SENATUM *universum.* Plutarchus [2] etiam rogantes inducit milites, *ubi essent* HOSTES CÆSARIS SENATORES. Suetonius currentes per Palatium, *cædem* SENATUS *flagitantes.* Et Dio [3] de Othone: *Milites multitudine munerum, blandisque sermonibus in tantam licentiam scelusque induxerat, ut aliquando sint ausi in Palatium irruptionem facere, cum frequentes* SENATORES *apud Othonem cœnarent; interfectisque iis a quibus arcebantur, tandem irruere eo ubi convivium agebatur, occidereque* OMNES, *qui intus erant, solis iis, qui inde abierant, aut se ante aliquo abdiderant, conservatis: cujus rei causa Otho & præmium ipsis largitus est, perinde ac si id facinus in gratiam ejus fecissent.*

Certe si Otho *(cujus,* Tacito teste [4], *nota fuit adulatio)* prætulit nomen Senatus, non admisit auctoritatem. Idem Tacitus: *Multos e magistratibus, magnam Consularium partem, Otho, non participes aut ministros bello, sed* COMITUM SPECIE, *secum expedire jubet.* Alio loco: *Erat grande momentum in nomine Urbis, ac* PRÆTEXTU SENATUS. Itemque alio: *Eas, quæ Lugduni agebant, copias* SPECIE SENATUS *misit.*

Memorandum hic etiam Othonem Imperatorem a Senatu & populo ne titulo quidem honestatum. De Claudio Gothico narrat Pollio: *Adulator* SENATUS, *adulator Populus Romanus, adulatrices exteræ Gentes, adulatrices Provinciæ; siquidem omnes ordines, omnis ætas, omnis civitas, statuis, vexillis, coronis, fanis, arcubus, bonum Principem, aris ac templis honoraverunt.* Tam vero nudus fuit ab ejusmodi monumentis Otho, ut nulla ejus superfuerit epigraphe in ære, lapide, marmore, præter sepulcralem, eamque non ut pro Imperatore, sed quasi pro vernula positam. *Vidi ego,* inquit Plutarchus, *cum Brixilli essem, & modicum monumentum, & inscriptionem ejusmodi,* M. OTHONIS. Suetonius de Vitellio: *Lapidem nomine Othonis inscriptum intuens, dignum eo mausoleo ait.* Ex quo scilicet vixisse colligas potius quam imperasse Othonem, a cujus morte *milites infensum Othoni* SENATUM *adhuc arbitrabantur* [5].

Hæc cum ita sint, mirum non est, nulla Othoni cusa fuisse ærea numismata, cum SC. nota. Cur vero Senatus auctoritate, quam sibi totam usurpaverat Otho, ad æs signandum non sit usus, hanc mihi parens meus mentem injecit: Othonem superbum ac prodigum Imperatorem fortassis abhorruisse a vili æris materia, quæ sordidam æruginem facile contrahit: & situm est in experimento, contactu æris manus infici odore pravo, veneni etiam participe materia, & quæ a poculentis abdicetur & esculentis. Unde vero simile est Othonem, qui cutem curabat & capillos, suaviter fragrantibus *odoribus perfusus* [6], etiam quod mirere, *in plantis pedum;* dictus idcirco a Martiale *mollis Otho,* & a Juvenale *pathicus Otho,* hoc est, suis datus affectibus: vero, inquam, simile est illum æream odio habuisse materiem. Odia individuis peculiaria sunt, & connata: sunt qui caseum abhorreant, alii vinum: sunt qui poma & rosas, quarum odore animo linquuntur: alii felis, alii muris adspectum exhorrescunt. Scaliger ad conspectum nasturtii ita contremiscebat, ut horrore quassatus abire cogeretur. Illa autem odia ab idiosyncrasia, certoque corporeæ mixtionis modo derivantur. Ut sic plane veritati non repugnet, Othonem æream materiem odisse, qua numquam usus legitur, sed auro sæpius & argento.

Plutarchus de illo [1]: *Quoties Galbam invitaret, sæpius cohortem excubantem nundinabatur largitionibus,* AUREOS *in singulos dividens.* Item Suetonius: *Quoties cœna Principem exciperet,* AUREOS *excubanti cohorti viritim dividebat.* Rursum Plutarchus [2]: *Fama est cum Nero aliquando pretioso unguento, quo unctus erat, Othonem adspersisset; illum contra insequenti die excipientem Neronem, repente fistulas* AUREAS *&* ARGENTEAS *diversis locis proposuisse, quæ quasi aquam magna vi fuderunt unguentum.* Et inferius de Othone eodem: *Deficienti ab Nerone Galbæ primus ex Rectoribus Provinciarum aggregavit se, offerensque quicquid in poculis, & mensæ instrumentis,* AURI *&* ARGENTI *haberet, tradidit Galbæ, ad signanda ex eo numismata.* Vides Othonem ad cudendam pro Galba pecuniam aut æs sprevisse ob materiæ vilitatem, aut odisse naturali fastidio & contemptu.

Respexit deinde parens meus ad Italicum vocabulum OTTONE, (Latini *æs flavum* dicunt) forte fluxum ex eo, quod Imperator Otho ab ære abhorreret, & adoptatum per ἀντίφρασιν, *sicut ex adverso* (verba sunt Sidonii [3]) *majores nostri prælia, quibus nihil est fœdius, Bella dixerunt: quique etiam pari contrarietate Fata, quæ non parcerent, Parcas vocitavere.*

Varii nunc sunt, ut fuere olim, Principum affectus: quæ ex ære numismata spernebat Otho Cæsar, hodie Serenissimus Archidux noster præ aliis æstimat propter magnitudinem, & aversarum imaginum elegantiam multiplicem; secundo loco aurea habet; postremo argentea.

CAPUT IV.


Pseudo-Othones ærei duo primæ magnitudinis, itemque alii plures ejusdem formæ explosi.

Postquam sæculo præterito exsulare barbaries cœpit, litterarumque gloria restitui, Viri principes, & rerum antiquarum studiosi, numismata vetera congerere orsi sunt, & Imperatorum series instituere. Primos inter duodecim Cæsares deerat ipsis æreus Otho, quem undequaque scrutari, quovis pretio investigare. Unde lucri aviditas corruptorum excitavit ingenia. *Patavinus quidam,* inquit Ant. Augustinus [4], *hac in plactica* * *excelluit, veteres nummos feliciter exprimens, ut spectanti voluptatem præbeant, & nisi peccarent interdum vel litteræ, vel imagines, nihil requiras amplius.* Illi Patavino Artifici Joanni Cavinio nomen erat, cujus nota fraus, nota & manus, sed laudata felicitas: tam belle namque typis novis expressit Othones æreos, ut omnes expeterent, nisi novitas demeret pretium. Duos dumtaxat repræsento, in qui-

1 Lib. 1. Hist. 2 In Othone. 3 L. 64. 4 L. cit. 5 Tacitus. 6 Plinius lib. 13. c. 3.

1 In Galba. 2 In Nerone. 3 Lib. 2. Epist. 1. 4 Dial. 11.
* Leg. videtur *plastica*.

quibus eædem inscriptiones, sed diversa emblemata partium aversarum.



Primus Patavini æreus Otho idem pæne est cum alio adulterino, quem vidit Jacobus Strada, descripsitque in hunc modum [1]: *Numisma æreum Othonis vidi, in cujus altera parte ara conspicitur, cui Imperator togatus adstat. Ab altera parte aræ est Tribunus militum loricatus, & paludatus, jungens in ara dextram cum Imperatore. A tergo Tribuni sunt alii milites loricati gerentes signa militaria, cum inscriptione*, CONCORDIA MILITVM. *Infra subscriptum SC.* Sola differt inscriptio, quæ in nostro legitur, SECVRITAS P. R. videturque desumpta ex æreo numismate, quod exstat in MS. Goltziano, ubi eædem litteræ & imagines nullo prorsus discrimine sunt expressæ.

In alio numismate, quod hic secundo loco insculptum habes, eadem est SECVRITAS P. R. sed alio typo erecta, ferens coronam lauream. Ejusmodi Pseudo-Othones multorum manibus teruntur, quos pulchritudinis gratia servant, non antiquitatis.

Alium Othonem æreum Joannes Sambucus ad finem suorum *Emblematum* edidit magno cum gaudio, quod Joanni Groliero significavit his verbis [2]: *Per hoc triennium multis modis Bibliothecam auxi ornavique meam, atque antiqui operis numismata, quæ tu adeo extollebas, maxime raris cumulavi, ut vel summis Cardinalibus admirabiles Romæ & per Italiam Principibus fuerint: præsertim* OTHO *hic* ÆREUS, *cum circo Hadriani, & Pescennio*, UNICUS, *quod sciam, in Europa*. Plaudit sibi Sambucus de suo unico Othone, cui rosione artificiali detritum caput, & plane mutila inscriptio. Audio Sambuci querelam, & credo facile, *patrimonium ejus quorundam mercatorum impostura diminutum*. Quisquis illi mercem hanc obtrusit, maligne imposuit. Insusurravit alias Lipsius Giselino tamquam in aurem [3], *plus famæ Sambucum, minus habuisse doctrinæ*.

Octavium Stradam quis mendosum non arguat? Duos exhibuit Othones æreos; quorum vultus si conferas cum aureis & argenteis, qui nemine contradicente legitimi sunt, tam esse dices similes, quam ova ovibus.

Hubertum Goltzium oportet adeamus: ille, Erycii Puteani elogio [1], *instaurator antiquitatis*, Othones æreos aliquando viderit? Perqui ivi in tabulis, & respexi, sed non veros. Deceptum Goltzium dicemus rerum falsarum ludibrio? Non hoc quidem, sed audi: aliter pingere, aliter explicare solitus Goltzius; si tulisset judicium, damnasset errorem.

Doctus est Lud. Savotus, & opus ejus æstimo Gallici saporis: voluit ille turbam sequi, & errare cum multis: *Pescenii*, ait [2], *numisma in quovis metallo rarum est post æreum Othonis*. Existimavit ergo Savotus exstare veros Othones æreos. Alibi [3] dicentem observo: *notitiam numismatum longos requirere annos, sumptusque infinitos; nec licuisse sibi per conditionem, effusione pecuniarum tanta, ad ejusmodi pervenire notitiam*. Non igitur Savoto licuit examinare Othones, & pro uno æreo expendere quingentos supra mille Brabanticos florenos ut alias Carolus Croyus Dux Arschotanus pro supposititio, qui ex æreo Titi numismate effictus erat. Dicam amplius, æreum Othonem, inducta dolo specie, a Buquinganio Duce emptum aliquando Jacobis Anglicis quingentis, qui florenis Brabanticis quinquies millenis æquales pretio erant. *Æstimaretur*, inquit Lævinus Hulsius [4], *nummus æreus elegans Othonis authenticus aliquot centum, immo mille aureis*. Recte quidem, *æstimaretur*, si occurreret: sed uno falso ære vilitas auro redditur, atque, ut jam Plinii ævo [5], *pluribus veris denariis adulterinus emitur*.

CAPUT V.

Othones quatuor ærei, primæ & secundæ magnitudinis, ex aliorum Cæsarum nummis veteribus sunt effícti.

Accuratam numismatum antiquorum collectionem, *studium elegantiæ* appellabat Lipsius [6]. Audeo majore encomio *studium Principum* nominare, quod in eo nec meliora discant, nec plura quam Principes. *Heroicum* jam ab initiis Romani Imperii *studium* fuit, quo oblectatus Augustus [7] *amicis munera dividebat, nummos omnis notæ, et jam veteres Regios, ac peregrinos*. Hodie Augustissimus Imperator FERDINANDUS III. ejusmodi antiquitatum delectatur amœnitatibus, Romanæ magnitudinis, vel in numismate magnus inspector, interpres summus: cujus genium ac virtutem æmulatus Serenissimus noster LEOPOLDUS GUILIELMUS, interrogare per litteras Augustum fratrem voluit de Othonibus æreis, ut si quos haberet, mitteret examinandos. Quaternos per intervalla lubens misit Imperator, Marcum Antoninum Cæsarem imitatus; qui etsi versatissimus in omni studiorum genere, omnibus tamen non credidit, sed *diu inquisivit quod erat verum*.

1 In Epist. Thesauri. 2 In nuncupatoria, An. 1565. 3 Epistolar. Misc. cent. 1. epist. 2.

1 In Geneal. Putean.
2 Parte 4. cap. 21. pag. 382.
3 Parte 4. cap. 1.
4 In Othone.
5 Lib. 33. cap. 9.
6 Cent. 3. Epist. 3.
7 Sueton. in Aug.



Primum numisma Cæsareis codicillis inclusum ut accepit Vienna Sereniſſimus, parenti meo porrexit, ut judicaret. Non diu hæſit parens, quin affirmaret Othonem eſſe novum ex antiquo Galba efformatum: quod & idem poſtmodum patruus meus Balernenſis Abbas calculo ſuo firmavit. Conſenſere item rogati ſententiam Viri eruditiſſimi, Otho Zylius, Albertus Rubenius, & Caſperius Gevartius, qui in adulterato Othone illo Galbæ lineamenta ſupereſſe cenſuerunt. Idemque poſtremo ac decretorio ſuffragio ſanxit Sereniſſima Regina CHRISTINA, cum percupiiſſet videre numiſma, quod a parente meo ipſi eſt oſtenſum. Naſus enim Othoni ſpurio ſupereſt aduncus, quem Galbæ tribuit Suetonius; contractiores genæ, ac velut recedentes, ut in ſene, cum Otho pinguior eſſet, & ſpectabilior viridi in ætate.

Præterea in epigraphe circa Othonis caput (præter alios nævos) obſervabis pedatam nimis eſſe adſpirationem H. nimiamque apparere inter crura diſtantiam, præter ſcribendi ejus temporis morem; quemadmodum videre eſt in epigraphis aureorum argenteorumque Othonis numiſmatum, necnon & in æreis avi ejus III-Viri monetalis, quæ Sereniſſimus ſervat, quibus inſcriptum, M. SALVIVS OTHO. Id quod etiam obſervari poteſt in HADRIANI nummis, atque in aliis multis Marci Aurelii, Fauſtinæ utriuſque, Didiæ Claræ, ac Juliæ Piæ, in quibus legitur HILARITAS, ubi paſſim non adeo pedata adſpiratio, cruraque paulo ſunt conjunctiora.

Denique averſum Emblema, LIBERTAS PUBLICA, cum pileo in dextra, Galbæ proprium eſt, propterea quod poſt mortem Neronis, *plebs pileata Urbe tota diſcurreret*, teſte Suetonio: qua de re Aurelius Victor: *Adeo cunctæ Provinciæ, omniſque Roma interitu Neronis exſultavit, ut plebs induta pileis manumiſſionum, tamquam ſævo exempta dominio triumpharet.* Libertas certe adeo Galbæ propria fuit, ut ejus numiſma conſenſu Senatus reſtituerit Nerva, in cujus averſa parte circa typum libertatis ſcriptum; IMP. NERVA. CÆS. AVG. REST. Quod & idem proprium Galbæ ſymbolum inſtauravit etiam Trajanus cum epigraphe, TRAJANVS AVG. GERM. DAC. PART. REST. Utrumque nummum propria delineatum manu reliquit Hubertus Goltzius. Sed & hanc marmoream baſim edidit Gruterus [1], quæ ad rem facit;

IMAGINVM. DOMVS
AVG. CVSTODIB. SIGNVM
LIBERTATIS. RESTITVTÆ
SER. GALBÆ. IMPERATORIS. AVG.
CVRATORES ANNI SECVNDI.

Secundum numiſma antiquum eſt, non eſt tamen antiquus Otho, cum palam ſit non eſſe Othonianorum temporum: qui enim verſatus ſit in Numiſmatica praxi, animadvertet a Julio Cæſare uſque ad Hadrianum, in æreis numiſmatis rotunditatem fortunæ ſpectari, paucis demptis, quæ ſub Auguſto cuſa ſunt in Colonia Nemauſenſi, in quibus Auguſti & Agrippæ capita, & in averſa parte crocodilus. Quapropter hoc numiſma Othoni tributum non recte ad illa tempora referetur, cum ejus forma ſit inæqualiter rotunda, qualis primum cœpta cudi ſub Antonino Pio.

Ad hæc, præter rotunditatem, quam habent numiſmata ante Antoninum Pium, oræ ſunt illis ſemi-rotundæ, quæ in hoc Othone adulterino planæ ſunt & angulatæ, quod etiam fieri cæptum ſub Antonino Pio. Adde craſſitiem laminæ enormem proportione rotunditatis, quæ in præcedentium Imperatorum nummis non occurrit niſi cum magnitudine conveniens, idque raro. Ex quibus omnibus ad oculum patet, hoc numiſma non ſolum bene referri ad Antonini Pii tempora, ſed in eo vultum Antonini expreſſum fuiſſe, ex quo dempta barba, mentoque deminuto, Othonianus vultus fuerit fictus; ſed non affabre omnino, cum ſuperſit e ſcalpro galericali aſperitas in capite Othonis; ut etiam in corolla, quam averſa figura ſtans dextra tenet. Neque ita eraſit Artifex litteras, quin earum veſtigia ſuperſint, non tantum in poſtica parte, ſed in antica etiam, ubi, præter alias labes, ductus obliquus adhuc reſtat poſt nomen Othonis. Poſtremo, dempta, ſi quis velit, inſcriptione, valde imperitus erit, qui Othoni tribuet gracilem hunc vultum, cujus plenior facies & rotundior erat.

Tertium Othonem ut vidi, inſcriptionem laudavi nitidam & exſtantem, proportionem commodam, Romanos characteres pulchre expreſſos. Sed non obſervavit adulterator, *ne quid nimis*. Nimium enim expolita eſt adverſa nummi facies & quaſi nova: depreſſa nummi veteris lamina, expreſſæ nimis diligenter exſtant litteræ novæ, & puncta minutula; cum poſtica pars eroſa ſit ærugine. Aliam vero arguas Artificis oſcitantiam; qui capillitium non plane compoſuit Othonianum in morem, neque per gradus ſatis diſcriminavit; quod cum aureis argenteiſque legitimis comparando obſervavit ipſemet Sereniſſimus.

Formam præterea numiſmatis obſerva: ejus congruentiæ & magnitudinis nullæ ſunt ab Auguſto uſque ad Trajanum; omnia enim vel majoris vel minoris ſunt formæ, neque adeo craſſa. Denique inſcriptionem ſi demas, Othonianum eſſe vultum

[1] P. 238. num. 12.

nemo dixerit, sed potius Hadrianeum, ex quo reflexa in frontem coma, abrasisque mentum ac genas obducentibus pilis, ut tuberosior appareret vultus, non operosum fuit fingere caput, quod accederet ad Othonianum.

A

Quarti Othonis hic in tabella expressi mentionem facit Erizzus, & injiceret veritatis scrupulum, nisi quod se vidisse ait numisma, hic videres coram quam exigua fictum sit industria. Totum Augusti caput est, quale in nummis III-Virorum monetalium. Capilli Augusti ad Othonis rationem negligentius sunt compositi. Servavit Artifex aversam nummi Augustei partem totam, in qua SC. intra coronam lauream. Numisma denique male exceptum est a lima eodem modo, quo illa Nemausensia, de quibus ante, quorum ne unum quidem lima non arrosum vidi, vel per oras, vel per capita, vel per emblemata in modum monetæ antiquatæ; quod dignum alias examine singulari.

B

Isthæc autem numismata quatuor a nobis examinata cum successive per Cursores remisisset ad Cæsarem Serenissimus, alterum ex illis (primum nescio, an secundum) ostendit Imperator Illustrissimo Comiti Nicolao Draskovich, Camerario suo, hujus studii peritissimo, qui primo intuitu verum esse Othonem dixit, deceptumque in sua crisi parentem meum. Nummo tamen postmodum domi attente considerato, ad Imperatorem Possonii agentem has dedit Litteras doctrinæ plenas & ingenuitatis.

C

Erravi nuper, Imperator Auguste, circa agnitionem numismatis Othonis Imperatoris, temere & præcipitanter illud pro legitimo approbando. Hujus erroris mei a Majestate vestra humiliter veniam peto. Sed hic diutius ac diligentius considerato numismate, tandem agnovi illud ab Impostore quopiam (quibus abundat Italia) falsificatum esse, ac in antiquo numismate, deleto priori, caput Othonis, sive effigiem taliter qualiter incisam, sive insculptam esse. Potissimum autem litteræ male insculptæ idipsum indicant evidentissime: neque enim forma litterarum est ævi Othonis, sed longe posterioris: quod Majestati vestræ sacratissimæ coram aliquando efficacissimis & evidentissimis rationibus comprobabo. Quare, clementissime Imperator, recanto palinodiam, Chiffletium absolvo, meque ipsum præteriti erroris arguo; ac me M. V. *sacratissimæ humillime commendo. Viennæ* XIV. *Aprilis, Anno* M. DC. LV.

D

CAP. VI.

Minuti Othones ærei vel fuere argentei subærati, vel ad argenteos veteres fusi.

E

VEtus est fraus æreos nummos auro illinendi: scribit enim Suetonius [1], *Julium Cæsarem in primo consulatu tria millia pondo* AURI *furatum in Capitolio, tantumdem* INAURATI ÆRIS *reposuisse*. Sunt etiam illiti auro nummi cultus & honoris causa: habemus domi optimorum Imperatorum, Trajani & Probi, ærea numismata, quibus auri folia ab antiquo sunt inducta; quodque Trajanum refert, supra caput perforatum est ad gestationem, de qua fuse parens meus in *Anastasi Childerici Regis* [2].

F

Alia fraus fuit, ut aureis crustulis æream laminam interponerent, nummosque percuterent. Themistius [3] vocat χρυσίον ὑπόχαλκον, *aurum subæratum*. Itemque Persius [4]:

1 In Julio. 2 Cap. 18.
3 Orat. 1. 4 Sat. 6.

—— & veri speciem dignoscere calles,
Ne qua SUBÆRATO *mendosum tinniat* AURO.

Tinnire verbum ad æs proprie pertinet, cui sonus est acutus. Qui solidos eo modo adulterabant, criminis rei censebantur. *Qui nummos* AUREOS, ait Ulpianus [1], *raserint, tinxerint,* FINXERINT, *si quidem sint liberi, ad bestias dentur; si servi, summo supplicio afficiantur.*

Argentei subærati, & subferrati etiam, passim exstant in abacis Antiquariorum. Plinius de illis [2]: *Miscuit* DENARIO *Triumvir Antonius* FERRUM: *miscent* ÆRA *falsæ monetæ*: id est, falsi Monetarii, ut alibi dixit, *servitia, opera, dignitates, officia*. Fraus illa solemnis primum fuit tempore Reipublicæ, contra quam lex promulgata: *Ars facta*, inquit idem Plinius [3], *denarios probare, tam jucunda* LEGE *plebi, ut Mario Gratidiano vicatim togatas statuas dicaverit*. Artem illam non aliam fuisse existimo, quam ut nummi serra ad oras dentarentur, ut appareret, nullam intus latere laminam æream, vel ferream; unde *serratos nummos* vocarunt, hic in Belgio satis frequentes; ut vere Tacitus dixerit [4] de Germanis nostris: *Pecuniam probant veterem*, SERRATOS, *bigatosque*. Peccarunt Cœlius Rhodiginus, Æneas Vicus, & Fulvius Ursinus, qui *serratos* credidere dictos ab impressa serræ nota. Aliter, & vere Claudius Chiffletius pro-patruus meus [5]: *Serrati Tacito, quorum circumferentia serrata sit*. Pene rem tetigit Lipsius [6], cum *dentatos* vocavit; sed nec rationem adjecit, quam habe a laudato Chiffletio: *Incidebantur circa oras, ut fraus falsariorum agnosci posset, qui laminis aureis & argenteis æs interponebant*.

Falsarii postmodum novos cuderunt denarios, & quidem serratos, sed interposita tanto artificio ærea lamella, ut observari dolus nequiret: qua fraude rursus comperta, serrationis usum Respublica neglexit: nulli enim hactenus visi a nobis nummi Imperatorii, qui serratione conspicui essent: etsi subinde perseverarit subæratio a primis Cæsaribus usque ad Imperii declinationem. Julios enim vidimus, Augustos, Tiberios, Nerones, Galbas, Vitellios, Vespasianos, aliosque subæratos: unicum Othonem argenteum subæratum servat Serenissimus, quem ipsi Roma attulit Joannes Michael Rita, eximius antiquitatus cultor: typo similis est ei, quem tertio loco attulimus capite primo.

Ex nonnullis autem argenteis subæratis solum æs restat cum nota typica, vel ob temporis diuturnitatem decidua argenti lamella tenui, vel ea certe absumpta, quod in sulphureo solo nummi resederint.

Parvos ejusmodi ex ære rubro Othones hodie reperire est, in quibus quamvis detritioribus, vultus & inscriptio Othonis dignosci queunt, ut in numulo, quem habet scientissimus in hoc studio P. Otho Zylius, cujus epigraphe est, VICTORIA OTHONIS. Alium cum inscriptione, SECURITAS P. R. servat patruus meus Balernensis Abbas, qui in sermone familiari mihi narravit, popularem suum & amicum Claudium Menetrium, cum Romæ degeret, in similes numulos Othonis æreos incidisse, quos vel argenteos subæratos fuisse, vel fusos ab argenteis judicabat; cujus ego sententiæ lubens & volens subscribo.

1 L. Quicumque. ff. ad leg. Corn. de falsis. 2 Lib. 33. cap. 9.
3 Loc. cit. 4 Lib. de Germ. 5 De ant. numism. cap. 7.
6 In Notis ad Tac. de Germ.

CAPUT VII. & ULTIMUM.

An exstent antiqui ex ære Othones Græci.

ÆNeas Vicus, Antoninus Piso, & Claudius Menetrius, periti Antiquarii, non visos in Italia legitimos Othonis æreos nummos absolute professi sunt, nulla Græcorum exceptione[1]. Unicum tamen produxit Octavius Strada, quod aversum Aquilam præfert cum lauri ramo. Sed apertam falsitatem ostendit caput, quod laurea est redimitum.

Julius Cæsar, calvitio deformis[2], *deficientem capillum revocare a vertice consueverat, & ex omnibus decretis sibi a Senatu honoribus, non aliud aut recepit, aut usurpavit libentius, quam* IUS LAUREÆ *perpetuo gestandæ.* Otho Imperator[3], *propter raritatem capillorum, galericulum capiti adaptavit, & ita annexuit, ut nemo dignosceret.* Unde in veris ejus nummis, quos exhibuimus capite primo, non expressum est cum laurea caput ejus, sed cum galericulo.

Adulterationem præterea prodit inscriptio, quæ est ejusmodi, M. ΟΘΩΝΟΣ. ΚΑΙΣΑΡΟΣ, ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Qui hanc finxit, Græce peritus non fuit: aliter enim scripsisset ΣΕΒΑΣΤΟΥ, non ΣΕΒΑΣΤΟΣ.

In Catalogo MS. numismatum Francisci Gottifredi, Nobilis Romani, alterum Othonem reperi sic breviter descriptum inter ærea secundæ magnitudinis:

Caput Othonis Græcum.
CA. ΟΘΩΝΟΣ. KAIC. CEBACTOY.
Mons KAICAPEIAC ET :::::

Imperatorium numisma, cum figura montis, & inscriptione KAICAPIC, nullum hactenus visum ab Antiquariis ante tempora Macrini[4], qui Cæsarea civitate oriundus erat, & filii ejus Diadumeni. Macrini duo descripsit Adolphus Occo, & primum quidem sic:

ΜΗΤΡΟΠΟΛ. KAICAPIAC ET B.
Monticulus, ex cujus altera parte Luna, altera stella.

Huic plane simile delineatum habemus nitida Goltzii manu. Alterum sic descripsit Occo:

ΜΗΤΡΟΠ. KAICAPIAC. ΝΕΟΚΟΡΟΥ. ET B.
Videtur monticulus, sed diversus a superiore; nummus pulcherrimus.

Quod attinet ad Diadumenianum, Tristanus[1] exhibet ejus aversum numisma cum inscriptione ΜΗΤΡΟΠ. KAICAPIAC. circa montem rupibus asperum, quem arbitratur esse Argæum Cappadociæ montem, a populis indigenis pro Deo habitum.

Ex adductis porro colligere licet, numisma Othonis Græcum, quod possidet Gottifredus, ex Macrini, vel Diadumeni antiquo fuisse confictum. Si liceret archetypum inspicere, fraudem facilius detegeremus.

Ceterum pro hujus capitis colophone, isthoc appono ratiocinium: Adfert Lampridius[2] Imperatoris Macrini concionem ad milites, qua monet se Diadumenum filium suum ANTONINUM nuncupasse, quod intelligeret desiderium ingens Antonini nominis apud illos manere. *Hac habita concione,* addit Scriptor, *statim apud Antiochiam* MONETA *Antonini Diadumeni nomine percussa est: Macrini usque ad* IUSSUM SENATUS *dilata est.* Antiocheni ergo nomine Antonini intellecto exhilarati, Diadumeno Cæsari monetam anticipatione percusserunt; sed Macrini Imperatoris usque ad Senatus mandatum distulerunt. Unde datur intelligi, in longe dissitis ab Urbe Provinciis nummos æreos Imperatoribus haud fuisse cusos ante Senatus jussionem. Æris enim vel signandi, vel signatum conflandi auctoritatem penes Senatum dumtaxat fuisse, supra docuimus capite tertio. Ostendimus etiam ibidem, *Othoni non favisse Senatum, hostes fuisse Othonis Senatores,* qui nulla ejus honori & memoriæ cudi fecerunt Romæ ærea numismata. Quocirca credere par est, longe minus in Græcia Othoni fuisse cusa, infensi Senatus auctoritate ac jussu.

Cum itaque Othones æreos, tam Latinos quam Græcos, de falsitate & adulterio convicerimus, si prodeat alicubi verus Otho æreus, mirabimur: si non prodeat, nec inquiremus.

1 Supra cap. 2. 2 Sueton. in Julio. 3 Idem in Othone. 4 Lamprid. in Macrino.

1 Tom. 2. pag. 316. 2 In Diadumeno.

F I N I S.

CLAUDII CHIFFLETII
DE
ANTIQUO NUMISMATE
LIBER POSTHUMUS
EX EDITIONE ALTERA
CORRECTIORE.

APPROBATIO CENSORIS.

EXIMIA *ſunt quæcumque a Chiffletiorum manu & mente. In quibus hic de Antiquo Numiſmate Liber Poſthumus; quem poſteritate & prælo cenſeo digniſſimum. Bruxellæ pridie Idus Octobris*, M. DC. XXVIII.

Joann. Bapt. Stratius Librorum Cenſ.

ILLUSTRISSIMO GENEROSISSIMOQUE

D. D. LUDOVICO
MARCHIONI MATHÆIO,

HEROIBUS ROMANIS PROGENITO,
HISPANICI ORDINIS DE ALCANTARA
EQUITI,
NECNON SERENISSIMI ARCHIDUCIS
LEOPOLDI GUILIELMI
PRIMÆ DECURIÆ CAMERARIO,
ANTIQUUM NUMISMA,
QUO DE PRIMARIO URBIS IMPERIO
QUIDQUID CELEBRARI POTUIT,
ÆTERNA IMAGINE SERVATUR,
HENRICUS THOMAS CHIFFLETIUS,
JOANNIS JACOBI F.
DD. LM.

INDEX CAPITUM.

CLAUDII CHIFFLETII DE ANTIQUO NUMISMATE LIBER POSTHUMUS.

CAPUT I.

De Pecuniæ, Nummi, Monetæ vocabuli ratione & causis; & cur a Pecore Pecunia dicta, contra quam Plinio visum sit.



PEcuniæ, Nummi, Monetæ appellationes fere hodie promiscuæ sunt; sono tantum vocis distinguuntur: sed tamen aliud verbum alio antiquius, & aliter denominatum. Pecuniæ appellationem vel esse antiquissimam, hinc deprehendas, quia ante Nummi nomen & usum usurpata fuerit. Nam Pecuniam pro substantia, sive bonis dici ostendit Pecuniæ nomen, quod a Pecore est, ut omnes fatentur: non quod pecore signata primum fuerit Pecunia, ut voluit Plinius [1]; sed quia substantia Veterum in pecore erat. Quod cum sacræ Litteræ multis in locis edoceant, tum vero Germanorum veterum mores ostendunt, primarii illius sæculi non absimiles moribus, quos Tacitus scribit [2] *pecorum numero gaudere, easque solas illis esse opes gratissimas*. Livius item de Massylis Africæ populis ait [3]: *Familiæ aliquot cum mapalibus pecoribusque suis (ea pecunia illis est) persecuti sunt Regem.* Inde factum puto, ut, cum substantia nostra in aliis rebus quam pecoribus cœperit consistere, ad eas etiam res Pecuniæ vocabulum fuerit accommodatum. Atque hinc Pecuniæ appellatio apud Jurisconsultos, veros antiquitatis custodes, tam late diffusa [4]. Pecuniæ ergo, quam Nummi vocabulum antiquius est: nam & ante nummorum usum Pecunia dicebatur; & cum ipso nummo Nummi appellatio orta est. Nummi autem vocabulum ex Græco defluxit: tradit enim Festus [5], *Nummum ex Græco Numismate nasci.* Irrepsit postea Monetæ appellatio, ideo, ut arbitror, dicta, quia pondus & character valoris ac potestatis nummi homines admoneret. Ita Juno, a monendo *Moneta* olim dicta est. Vel, si Glossarii Græci auctoritatem sequi volumus, nihil aliud erit Moneta, quam quæ memoriam nobis principalis vultus, aut rei gestæ renovet ac refricet: in Græcis enim manuscriptis & fidelissimis ita scriptum inveni, *Moneta*, *μνημοσύνη*.

1 Lib.33. c.3. Nat. Histor. 2 Lib.de Mor.German. 3 Lib.29. 4 L. Pecuniæ verb. 178. L. Pecuniæ nomine 222. D. de verb. signific. L. Pen. C. de Constit. pec. 5 Verbo Nummus.

A

CAPUT II.

De origine, causis atque utilitate Nummi adinventi, & a quo jure sit Nummus.

QUI primi Nummum invenerint, & in usum produxerint, inter Auctores non constat. Nam Herodotus [1] Lydorum inventum esse alii Phædoni Argivo, alii Erichthonio tribuunt [2]. Sunt & qui Naxios primos inventores prædicent. Ælianus [3] Æginetas, qui olim potentissimi inter Græcos exstiterunt, primos numisma excudisse prodit. Mihi susque deque est in tanta vetustatis
B nube, quis primus boni hujus conciliator fuerit, nisi quod existimem antiquiorem ejus originem esse, quam putarint Veteres illi, utpote cum Abrahami tempore nummus argenteus publice percussus celeberrimo in usu jam fuerit, ut Mosi id afferenti haud dubie credimus. Nam argenteis siclis Abrahamum mercatum fuisse agrum, in quo Sara sepeliretur, ita ait [4]: *Quod cum audisset Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron postulaverat, audientibus filiis Heth, quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ.* Sed & de Patriarcha Jacob ita scriptum est [5]: *Emitque partem agri, in qua fixerat tabernacula, a filiis Hemor pa-*
C *tris Sichem, centum nummis.* Nam ita hunc locum rectissime verti posse, didici ab Hebraicæ Linguæ peritis, omnesque fere Rabbini in ejus loci interpretatione consentiunt; quamvis Thargum, cui adhærere videtur vetus Interpres, pro *nummis*, *agnis*, malit. Sed priorem sententiam ideo probabiliorem existimo, quia ex *Thesauro* doctissimi viri Sanctis Pagnini accepi, Rabbi Hachibah, unum ex antiquis Magistris, scriptum reliquisse, quod cum in Arabiam proficisceretur (eo autem loci res suprascripta gesta est) audiverit Nummum
D vocari ab iis eodem, quo Moses utitur, nomine; & quod etiam alibi usurpant sacræ Litteræ [6]. Possem alios Divini Instrumenti locos in medium proferre, quibus Nummi antiquitas probaretur, nisi supra relati sufficerent: quibus sacris Annalibus si Græci conferant sua, pueri merito vocabuntur; quo nomine aliquando eos compellarat Ægyptius sapiens, ut apud Platonem scriptum est [7].

Hujus autem nobilis instituti vim maximam paucis verbis Aristoteles [8] complexus est, cum *Nummum, mensuram esse rerum omnium* dixit, & *sine eo civilem societatem non consistere*; quamvis de
E causa Nummi adinventi non uno in loco scripserit. Nemo tamen illustrioribus verbis eam exsecutus est, quam Paulus Jurisconsultus, cum ait [9]: *Quia non semper nec facile concurrebat, ut, cum tu haberes quod ego desiderarem, invicem haberem quod tu accipere velles; electa materia est, cujus publica ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum,*

æqua-

1 Lib.1. 2 Jul.Pollux Onom. l.9. cap.6. 3 Lib.12. Var.Hist. 2 Genes. 23. 5 Genes. 33. 6 Jos. cap. ult. 7 Initio Timæi. 8 Lib. 5. Eth. c.5. 1. Polit. cap.6. 9 L.1. D. de Contrah. empt.

æqualitate quantitatis, subveniret; eaque materia forma publica percussa, usum dominiumque non tam ex substantia præbet, quam ex quantitate. In quibus verbis notandum est, usum separari a dominio, rectissime; quemadmodum possessio a proprietate, nihil enim est aliud possessio, quam usus rei, ut Jaboleno & Ælio Gallo visum est apud Festum, quod pluribus demonstravit Jacobus Cujacius, 1 princeps Jurisprudentiæ, dux & auctor studiorum meorum. Illud vero apud Paulum, *non tam ex substantia præbet, quam ex quantitate*, sic intelligendum, in pecunia non corpus, sive substantiam, aut speciem, sed quantitatem cogitari, ut dixit Papinianus alibi; 2 corpus enim a quantitate separat Jurisconsultus, 3 Quamvis autem (nam & eo revertimur) dicatur ab Aristotele Nummus non natura, sed lege valere, non ideo existimandum est Juris Civilis esse Nummum. Etsi enim forma quidem publica cujuslibet nummi civilis sit, quia instituto cujusque civitatis nummus signatur; tamen ut omnes fere gentes nummo utantur, id hominum consensus effecit, non lex civilis: unde juris gentium, sive juris hominum (ut appellatur a Tacito) nummum esse dicimus, ut & fere omnes alios contractus. Certe mutuum, quod in pecunia numerata consistit, juris gentium esse scimus. 4 Licet autem inveniantur quidam populi, nummi usum respuentes, ideo nonminus nummus ipse in genere consideratus, juris gentium erit; sicut nec furtum jure hominum turpe esse definit, quamvis permissa sint apud Lacedemonios furta. Inter eos vero populos, alii in totum, alii minus ab usu nummorum abhorrebant: nam Lacedæmonii, de quibus dixi, etsi non vero & proprio, saltem sui cujusdam generis nummo utebantur, ut in *eorum Republica* docet Xenophon. Montani porro Hispaniæ populi, quantum olim nummis detulerint, aut quid in vicem nummorum substituerint, sic Strabo retulit: 5 *Ἀντὶ δὲ νομίσματος οἱ δὲ λίαν βαθεῖ φορτίων ἀμοιβῇ χρῶνται, ἢ τοῦ ἀργύρου ἐλάσματος ἀποτέμνοντες διδόασι. Loco nummorum gravi admodum sarcinarum permutatione utuntur, vel extensi argenti laminæ frustum abscissum exhibent.* At vero Silurum Britanniæ gentem, nummum refutare, Solinus scribit; cum tamen generatim de Britannis ita Cæsar: 6 *Utuntur autem nummo æreo, aut annulis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo* Verba Solini sunt, de Siluris loquentis: 7 *Cujus homines etiam nunc custodiunt morem vetustum, nundinas ac nummum refutant, dant res & accipiunt, mutationibus necessaria potius quam pretiis parant.* Quo in loco bonus Auctor mutationem a pretio distinguit; recte; id est, permutationem ab emptione. Explosa enim est Sabinianorum sententia, qui emptionem rebus fieri posse putabant, permutationem emptionis speciem constituentes; obtinuitque Proculi sententia, 8 permutationem non emptionis, sed contractus speciem affirmantis. Unde factum, ut nostri Auctores mutationis verbo, sive permutationis, haud facile in emptione usi sint; quod tamen alii Scriptores, verborum nostrorum incuriosi, minime servant: nam Columella, 9 *ære mutare*; Plinius, 10 *permutare pretio*; Ammianus Marcellinus, *aureis decem mutare*, dixerunt.

1 In l. quæst. 115. de Verb. sign. 2 In Paratit. D. de Aeq. possess. 3 L. Si qui 94. D. de solut. l. plane 34. §. 1. de leg. 1. l. Lucius 24. D. depos. Bart. in l. 1. n. 2. D. de contrah. empt. 4 L. ex hoc Jure D. de Just & Jur. §. Jus autem gentium Inst. de Jur. Nat. Gentium & Civili. 5 Lib. 3. Geogr. 6 Lib. 5. Bel. Gall. 7 Cap. 25. 8 Lib. 1. de contr. empt. 9 Lib. 8. c. 5. 10 Lib. 9. cap. 55. 11. Lib. 25.

CAPUT III.

De utilitate considerationis veteris Numismatis.

Mihi autem non universam rei nummariæ rationem, sed tantum veteris Numismatis, ac præcipue Romani, considerationem scribere instituenti, de ejus utilitate ac fructu potius dicendum videtur: quem si quis homine liberaliter nato, nobilissimoque dignum esse judicaverit, is ad verum mea sententia proxime accedit. Quid enim honestius, quam eorum vultus intueri, quorum nominis fama in Auctorum scriptis & hominum sermone celebratissima est? quosque vel præclare gesta imperia commendant, vel turpiter acta vita dedecorat? *Majus enim nullum est felicitatis specimen* (si Plinio credimus 1) *quam semper omnes scire cupere, qualis fuerit aliquis.* Credo hoc studio inflammatum M. Varronem, illustrium virorum imagines in Bibliotheca habuisse dispositas, & unicuique suum subjectum elogium, atque ea de re postea libros Imaginum conscripsisse: 2 quem Philostratus apud Græcos aliquot post sæculis est æmulatus. Videbatur enim iniquum doctissimo Varroni, ut tot illustrium virorum vultus atque habitus, cum præclaris illorum scriptis aut factis posteritati non traderentur: qua inventione muneris, etiam Diis invidiosus fuisse dicitur, quando immortalitatem non solum dedit, verum etiam in omnes terras misit, ut præsentes esse ubique & claudi possint. Inde etiam acris Historicis cura, statum, habitumque corporis viri illius, cujus vitam historia cupiunt includere, describendi. Id autem, in quo Varronis sudavit ingenium, in quo Historicorum diligentia commendatur, nobis magna ex parte præstat veterum Numismatum contemplatio; in quibus expressos vultus eorum, qui illustres in Republica sua fuerunt, animadvertimus. Nam qui Rom. Reipub. studio tenetur, qua nulla umquam in terris major, nulla pluribus virtutum, vitiorumque documentis fecundior; & forte fortuna in scrinium deducatur præstantis alicujus viri, hoc nummorum genere instructissimi, Dii boni, quas suavitates, quos fructus ex hac contemplatione percipiet? dum hinc Consulares nummos, Triumphales, Dictatorios; inde Triumvirales, Imperatorios, consecratorios & peregrinos, digestos ac in seriem lineamque dispositos adspiciet? dum vultum ex vultu comparabit: dum mores ex oris cujusque delineamentis colliget, & bonos a melioribus, optimos a nequissimis & postremissimis segregabit ac distinguet? Certe, si aliorum gaudium meo metiri liceat, fatebor ingenue, nihil mihi umquam gratius contigisse, quam cum aliquando clarissimorum hominum beneficio, mihi hujusmodi nummorum adspectu frui datum est. Magna enim utilitas ex hoc studio accedit Antiquitatis cognitioni, & verior ac certior Fastorum series ordinatur. Quibus adjumentis freti Reipub. Rom. illustratores, multa rectius quam Veteres, hujus historicæ partis ignari, constituerunt. Nam & Imperatorum nominum ordinem, numerum, Consulatus, Tribunitias Potestates, Patris Patriæ, Patris Senatus appellationes, in tanta Romanæ Historiæ egestate, non aliunde tutius petere possumus: ac si quid dignum & memorabile contigerit, quove id tempore acciderit, abunde docemur; idque signat nummi fere cujusque pars altera. Ut

1 Lib. 35. cap. 2. 2 Gell. l. 3. cap. 11.

omittam orthographiam germanam ac veram, quæ non minus ex antiquis nummis quam ex marmoribus & libris repetenda est. Ipsæ etiam mechanicæ Artes, Pictura, Cælatura, Statuaria, Flatuaria, Metallaria, hac antiquitatis parte maxime juvantur; cum id artificiosum & in suo genere excellens judicetur, quod ad antiquitatem proxime accedit. Denique ipsa vetus historia, temporum iniquitate manca, diminuta, corrupta, obscura, ab ipsis antiquis nummis suppetias & lucem postulare sæpe cogitur. Quot enim apud Auctores loci mutili, corrupti, non intellecti, hodie restituti, integri, clari & aperti deprehenduntur veterum numismatum beneficio? Quin etiam veteres Historiæ controversias nummorum antiquorum cognitio componit: cujus rei exemplum sit, quod cum olim dubitaretur inter Eruditos, utrum Firmus, qui sub Aureliano Tyrannidem invaserat, Princeps & Augustus fuerit, necne, non aliunde certius petit Vopiscus [1] testimonium, quam quod, percussa moneta, Augustus fuerit vocitatus: *Quin etiam* (inquit) *nummos ejus Severus Archontius protulit*. Similiter si ambigeretur, Tetricus, qui unus ex triginta Tyrannis Imperium invaserat, Cæsar vel Augustus fuerit vocatus, necne, fidem facient nummi ejus nomine percussi, qui passim apud nos inveniuntur; quia dum in Gallia Præsidatum regeret, Imperii ornamenta sumpserat. [2] Denique Imperatoriæ dignitatis certius nullum fuit signum, quam moneta cusa, quod Trebellius Pollio satis ostendit, cum ait: [3] *Odenatum participatum Imperio Augustum vocavit*, (Gallienus scilicet) *ejusque monetam, qua Persas captos traheret, cudi jussit*. Idem Auctor Trebellianum, Imperii invasorem, monetam etiam cudi jussisse narrat. Sed & ubi de Victorina loquitur, quæ etiam ad Imperium adspiravit: (adeo profligata res Romana Gallieni temporibus fuit) *Cusi sunt*, inquit, *ejus nummi æreí, aurei & argentei, quorum hodieque exstat forma apud Treviros*.

CAPUT IV.

Quod Veterum & Recentiorum nonnulli parum diligenter, aut feliciter nummis antiquis usi sunt.

EXEMPLO Vopisci, viri diligentissimi, potuisset Julius Capitolinus [4] provocare ad vetera numismata, in decidenda illa Græcorum Auctorum & Latinorum controversia, *Maximus*, an *Pupienus* vocatus fuerit, qui cum Balbino adversus Maximinum Tyrannum Imperator a Senatu fuit appellatus. Inde enim, tamquam a capite memoriæ, certissima hujus rei decisio petenda erit: quod præstitit nostro sæculo Onuphrius Panvinius, diligentissimus Fastorum Scriptor, qui antiquum nummum profert, in quo utroque nomine *Pupienus Maximus* appellatur. Præterea si Sex. Aurelius Victor curiosius antiqua numismata lustrasset, non turpe in Historia mendum commisisset, cum de Aureliano scribit: *Iste primus apud Romanos Diadema capiti innexuit, gemmis & aurata omni veste, quod adhuc fere incognitum Romanis moribus videbatur, usus est*. Meminisse debuerat Victor, antea de Caligula se scripsisse: *Primus diademate imposito Dominum se jussit appellari*. Atque ut, quod de gemmis & aurata veste scribit, prætermittamus, (verius enim de Aureliano Vopiscus retulit, *vestem ne holosericam quidem in vestiario habuisse*) certe cum in Philippum & alios Impe-

[1] In Firmo. [2] Trebell. Pollio in Tetrico. [3] In Gallienis. [4] Capitol. in Maximo & Balbino.

A ratores incidimus vittatos, diadematosque, falsitatis, aut negligentiæ non ferendæ reum facimus Victorem; non solum quod erraverit, sed etiam erroris causam Paulo Diacono, eadem ab ipso accepta referenti, præbuerit. Possem plures alios Veterum locos proferre, in quibus hæsit Veterum industria, propter incuriosam Numismatum inspectionem. Sed & nostri sæculi homines, si quando plus fidei conjecturis suis, quam certissimis his documentis adhibent, in Romanis temporibus digerendis aliquando impingunt: id uno argumento demonstrare constitui. Nemo est horum studiorum peritus, quem lateat, qualis, quantusque
B sit Onuphrius Panvinius, is tamen in præclaro illo & operoso *Fastorum Romanorum* Opere constituit Cæsarem Augustum, Divi filium, Patrem Patriæ ex senatusconsulto appellatum fuisse, Non. Febr. an. V. C. 758. Valerio Messala & Corn. Civica Coss. utiturque, hujus rei confirmandæ causa, nummo argenteo, atque Ovidii & Suetonii testimonio. Sed neque Ovidius, neque Suetonius, quamvis de Augusti Patris Patriæ appellatione loquantur, annum hunc designant, quo id factum fuisse asserant. Præterea nummus argenteus, quo nititur Onuphrius, magis eum oppugnat, quam adjuvet: nactus sum enim ejusdem generis num-
C mum, in cujus parte una, quæ Augusti vultus exprimit, ita exaratum est: CÆSAR. AUGUSTUS. DIVI. F. PATER. PATRIÆ: in postica vero parte, quæ Caii & Lucii personas refert, una cum parmis, & hastis, ac Sacerdotiorum insignibus, hæc leguntur: C. L. CÆSARES. AVG. F. COSS. DESIGN. PRINC. IVVENT. Parmas autem & hastas aureas acceperunt ab equitibus, cum virilem togam sumpserunt, quibus mortuis eæ in Curia suspensæ sunt, Dione teste. [1] Illa vero postrema nummi verba Onuphrium satis monere poterant, Cæsarem Augustum Patrem Patriæ appellatum fuisse antequam
D Cajus & Lucius, ejus filii adoptivi, mortem obiissent; & non in annum 758. hanc primam appellationem conferendam esse, quo tempore, mortuis Cajo & Lucio, in spem Imperii per adoptionem Augusti jam venerat Tiberius: Nam cum nummus ille, Cajo & Lucio Coss. designatis ac Principibus Juventutis appellatis, percussus fuerit, aut saltem eo anno, quo exstincti, corporaque eorum Romam transportata sunt, ante adoptionem Tiberii, quo tempore jam Augustus Patris Patriæ appellatione utebatur; multo sane ante, quam putaverit Onuphrius, hanc appellationem ei fuisse decretam, dubium non est: cumque Valerio Messa-
E la, legationem Senatus nomine suscipiente, id factum fuisse dicat Suetonius, arbitrarer decretæ hujus appellationis tempus ad Messalæ Volusii Consulatum referendum non esse, sed Messalæ Corvini Oratoris, quem Augusti III. Coss. Collegam fuisse scimus anno Urbis 723. cujus Consulatus meminit Cornelius Tacitus. [2] quo tempore Horatius de Augusto scribere potuit: [3]

—— Hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici Pater, atque Princeps.

F Alludens non tantum ad Patris Patriæ, sed etiam Principis appellationem, quam Augustum recepisse, exsecrata Domini nuncupatione, Ovidius ait, his verbis Romulum, quem alloquitur, Augusto comparans: [4]

Vis tibi grata fuit, florent sub Cæsare leges:
Tu Domini nomen, Principis ille tenet.

[1] Lib. 55. [2] Lib. 13. [3] Ode 3. lib. 1. [4] Lib. 2. Fast.

Nam & de Augusto Suetonius scripserat: *Domini appellationem, ut maledictum & opprobrium, semper exhorruit*: Ex quibus omnibus, a me hoc & superiore Capite memoratis, patet, quod ut veteres nummi lucem Historiæ afferunt, incerta componunt, erronea detegunt, mendosa coarguunt; ita sine Historiæ exacta cognitione, Auctorumque lectione, fere inutilem esse veterum nummorum usum atque inefficax studium. Quod si quis vanas esse hujusmodi occupationes & inquisitiones Numismatum existimet, is non aliud a me responsum feret, quam pulchrum esse, vel Augusti Cæsaris exemplum imitari, quem hujus nummorum generis percupidum fuisse, indicio est, quod, ut Suetonius de eo scripsit. *amicis munera diviserat, nummos omnis notæ, etiam veteres regios, ac peregrinos*. Sint sane aliqui studii hujus contemptores, & in sua sibi placeant merce, non deest tamen hodie honestorum, honoratorum, eruditorumque magna copia, qui in hoc veteris monetæ officio versantur industrie, quorum præclara studia imitari mallem, quam obscuras illorum negotiationes, venalis cujusdam scientiæ tectas involucro, vel primis digitis attrectare. Memini me apud Symmachum aliquando legisse, [1] *Spectatorum veteris monetæ solus supersum*; sed quod ille de se suo tempore & sensu dixit, felici hoc nostro tempore, meoque sensu dicere jure possum, *Spectatorum veteris monetæ multi, iidemque illustres supersunt*.

CAPUT V.

De ponderatis, numeratis, mensuratis Nummis, primis Numismatum materiis, & successione metallorum.

NUmerari, non appendi solitos nummos, maxime post signi usum, docet Aristoteles: [2] primo enim simpliciter magnitudine, ac pondere definitos, ad extremum vero nota signatos, ut labore metiendi vacui & liberi essent, quia signum impressum quantitatem repræsentaret. Numerabantur tamen, & appendebantur simul Abrahami tempore, ut divinæ Litteræ testes sunt: [3] verum eo tempore signatos fuisse, vel affirmare, vel negare, in tanta vetustate haud equidem possum. Apud Romanos autem initio Civitatis, & multo postea, nummos non numeratos, sed appendi solitos, cum Plinius, tum Varro & Festus tradunt: cujus primarii instituti gratia, quamvis labore ponderandi signo impresso liberati, tamen dicis causa, in emptionibus mancipi, ut Plinius appellat, nexi dationibus & liberationibus, libra interponebatur. Emptiones mancipi separo a nexu, ex sententia Mutii Scævolæ, apud Varronem: [4] *Nexum*, inquit, *Manilius scribit omne, quod per libram & æs geritur, in quo sint mancipi: Mutius Scævola, quæ per æs & libram fiant, ut obligantur, præterquam si mancipio dentur. Hoc verius esse, ipsum verbum ostendit de quo quæritur, nam idem quod obligatur per libram, neque suum fit, inde nexum dictum*. Ex quo apparet, aliud esse suum fieri, & aliud obligatum habere, id est, aliud esse nobis deberi, aliud nostrum esse; quæ toto genere distinguuntur, ut dominium ab obligatione, [5] In emptionibus mancipi dominium transfertur, resque nostra fit: mancipatio enim species alienationis est, modusque transferendi dominii, Ulpiano auctore: [6] unde Horatius dixit: [7]

> *Si proprium est, quod quis libra mercatur & ære.*

In nexu non transferetur dominium, sed tantum obligatio contrahitur. Verius ergo Varroni visum est Mutium definire nexum, quam Manilium, quam Ælium Gallum apud Festum, qui emptiones mancipi nexus definitione includebant. Porro ut nexu dando, ita & liberando semper libra interveniebat. Livius enim de Manlio Capitolino ait: *Inde rem creditori palam populo solvit, libraque & ære liberatum emittit*.

Ut ad rem igitur revertamur, qui prius appendebantur nummi, postea numerari cœperunt. Hodie autem non tantum numero, verum etiam pondere constant; nam ut argenteos numeramus, ita aureos etiam appendimus. Metiri vero nummos usu publico, post inventum signorum usum, numquam receptum memini: id privatim divitibus & pecuniosis concessum, ut de Umidio quodam refert Flaccus, [1] quem ita divitem fuisse ait, ut non appenderet, sed metiretur nummos:

> —— *nec facias, quod*
> *Umidius quidam, (non longa est fabula) dives,*
> *Ut metiretur nummos: ita sordidus, ut se*
> *Non unquam servo melius vestiret.* ——

Sed jam tempus est, ut de Numismatum materiis dicamus: nam, nisi eis cognitis, & quo demum tempore unaquæque admissa sit, haud umquam recte in veterum Numismatum cognitione versabimur.

Signati ergo nummi prima Romæ materia fuit æs, indeque *Assis* & *Ærarii* nomen Varro deducit. [2] Et Jurisconsulti, [3] Antiquitatis observantissimi, etiam aureos nummos *Æs* dicunt: ab origine enim & primo rerum usu infinita sunt in Lingua Latina denominata, que mutato eo tamen remanserunt, quemadmodum *Pascua* appellata vult Plinius [4] *omnia, ex quibus populus reditus habet, quia solum hoc diu vectigal fuerat*. Eadem est & Fideicommissorum, & Tribuum, & Centumvirorum aepellationis ratio. Æris autem appellatione etiam aurichalcum intelligimus quia inter genera æris refertur a Plinio; qua materia nummi plerique inveniuntur. Porro apud Romanos (nam de eorum Numismate præcipue agimus) Servius Tullius, qui in multis aliis Rempub. bene constituerat, primus etiam æs signasse dicitur a Plinio, his verbis [5]: *Servius Rex primus signavit Æs. Antea rudi usos Romæ Remeus tradit*: sic enim magna pars excusorum Librorum, & qui potissimum versantur in manibus, præfert, cum tamen calamo exaratus codex, & alius antiquus, ante centum fere annos editus Parmæ, in *Remei* locum, *Timeum* adscribant; & recte, nam hic est *Timeus*, quem inter Auctores externos Plinius refert, aitque scripsisse de disciplina Metallica. Existimarem eumdem esse, qui oratione Græca de rebus Pop. Rom. composuit, cujus meminit Gellius [6], & qui Siculus dicitur a Dionysio [7], quem etiam proprio libro bella Romanorum cum Pyrrho descripsisse tradit. Grave autem æs Romæ initio fuisse haud dubium est, cum asses librales essent: unde & *gravis Æris* appellatio frequens apud Livium, & alios. Festus; *Grave Æs dictum est a pondere, quia deni asses singuli pondo libræ efficiebant, denarium ab hoc ipso numero dictum*. Et quamvis, reformato varie asse, fuerit ex librali factus sextantarius, unciarius, &

1 In Epist. 2 L.1. Polit.c.6. 3 Genes.23. 4 L.6. 5 L.non ut ex plurib. D de Reg. Juris l.scribit. §.1. D.de auro & arg.leg. 6 L.2. de stipu.serv. in fragment tit.de acquir.re.dom. 7 L.2. Ep. ad Flor.

1 Lib.1.Satyr.1. 2 Lib.4. 3 L.Etiam D.de verb.signif. 4 Lib.11.c.3. 5 Lib.33.c.3. 6 Lib.11.c.1. 7 Lib.1.

semunciarius nihilominus gravior semper æreus quam argenteus, aut aureus nummus, quorum paulatim imminuebantur pondera, ut de auro docet ibidem Plinius.

CAPUT VI.

De Numismatis ærei primis signis, ac de Rostratis & Ratitis Nummis.

UT nulla fere fuit gens, nullus populus, qui nummo non uteretur, sic propriam ac peculiarem formam, ut etiam propriam vim ac valorem suis quilibet dedit nummis. Atheniensium moneta vetus bovem insculptum habebat, ideoque *Bos* dicta, quam eis signasse Theseum Plutarchus auctor est: [1] horum vero diobolum noctuam impressa gerebat. Denique Corinthii Pegasum, Tarentini Tarantem, Neptuni filium, delphino vectum; Dardani gallorum gallinaceorum pugnam; Aspendii luctatores; Rhegini leporem; Cephaleni equum; Thasii Persam; Argivi murem nummis suis insculpserunt: quorum omnium mentio exstat apud Jul. Pollucem. [2] Tradit etiam Athenæus [3] Samios nummis suis pavum impressisse, quia pavus Junoni, quæ ibi colebatur, sacer erat; quod videre est ex antiquis nummis Faustinæ Antonini Pii conjugis: in quibus ex una parte Juno stans sculpta est, cujus pedibus adhæret pavo, cum hac inscriptione, JUNONI REGINÆ. At vero Romanos signis propriis nummis percussisse ab initio nummi recepti, idem qui sæpe mihi Plinius auctor est. Nam ubi de Servio Tullio qui primus æs signavit, dixit, continuo subjecit: [4] *Signatum est nota pecudum.* Sed & alibi ait: [5] *Servius Rex ovium boumque effigie primus æs signavit*: Addo *& vervece*: quo pertinere existimo Varronis fragmentum, quod tamquam statuæ operis antiquissimi trunculum, seu semi-membrum divulsum a suo corpore agnosco, deerrans sine nomine & honore apud Nonium Marcellum, quodque huic iterum disputationi, veluti proprio suo corpori, conglutinandum ac ferruminandum esse duxi. Verba Varronis sunt: [6] *Aut bovem, aut ovem aut vervecem habet signum.* Sed & idem alibi: [7] *& quod æs antiquissimum, quod est flatum, pecore notatum est*: sic enim is locus mihi repurgandus videtur, in quo passim succrevit, iterataque est mendose vox *Pecore*: Postea, reformato Asse, mutata fuit prima illa æris nota. Nam ubi de sextantariis Assibus Plinius scripsisset, ita ex continenti subjecit: [8] *Nota æris fuit ex altera parte Janus geminus, ex altera rostrum navis; in triente vero & quadrante rates.* De Rostratis autem & Ratitis intelligendus Ovidius, hujusce rei & instituti causam hanc reddens, cum de Saturni in Italia adventu & Jani hospitio loquitur: [9]

At bona posteritas puppim formavit in ære,
Hospitis adventum testificata Dei.

Quæ tamen Ovidii ratio Plutarcho non satisfecisset, qui characteris hujus mysticam & allegoricam rationem adfert: [10] a quo qui volet repetere poterit; indicasse enim mihi sufficit. Macrobii [11] autem sententiam prætermittere mihi religio est, qui aliter quam ceteri omnes, instituti hujus auctorem altius repetit; Janum videlicet, *cum primus æra signaret, servasse in hoc reverentiam Saturni, ut quoniam ille navi fuerat advectus, ex una quidem*
A *parte sui capitis effigies, ex altera vero navis exprimeretur, quo Saturni memoriam etiam in posteros propagaret.* Hæc quidem Macrobius. Janum autem æs primum signasse, Saturno auctore & monitore, tam mihi novum non est (quia de Saturno ita Eutropius: [1] *Ipse etiam eis nummos æreos primus instituit*) quam nave signasse, quod post Servii tempora primum factum, vel certe post Janum, Plinius & Ovidius, quos supra retuli, ostendunt. Quod si verum sit, (in tam profunda enim antiquitate quid certi potest constitui?) probabile est, imitandæ vetustatis gratia, veteres Romanos, Asse reformato, easdem notas & signa iterum usur-
B passe, diuque in Romana Republica hoc nummi genus retentum fuisse, quod vel ex sequentibus clarius apparebit; placet etiam veteris cujusdam puerilis instituti, ad hoc nummi ærei genus pertinentis, non negligendam observationem ex eodem Macrobio referre; subdit enim: [2] *Æs ita fuisse signatum, hodieque intelligitur in aleæ lusu, cum pueri denarios in sublime jactantes, capita aut navim, lusu teste vetustatis, exclamant*: quod fere lusus genus videmus a nostris pueris hodie frequentari.

C

CAPUT VII.

De argenteo Numismate, quando primum signatum, & quibus signis, ubi de Bigatis, Quadrigatis, Serratis & Subæratis Nummis.

DE argenteo signato sic Plinius. [3] *Argentum signatum est anno Urbis* CD. LXXXIV. *Q. Fabio Cos. quinque annis ante primum bellum Punicum.* Sed cum alias usitatum sit Plinio, in notandis temporibus non alterius Consulis, sed utriusque meminisse, mirum est hoc in loco alterum fuis-
D se prætermissum, ac in re momenti non minimi. Fuerit sane hoc Poetis familiare, apud quos sæpe lex carminis utrumque Consulem non recipit; in Plinio tamen, aliisque liberioris orationis Scriptoribus, id non facile tolerabimus, talis enim anno rum designatio valde est incerta. Quæ me ratio compulit, ut diligentius Joannis fratris manuscriptum Plinii librum evolverem, in quo hæc germanæ lectionis vestigia reperi, Q. OC. FABIO. CONS. ut ita omnino legendum existimem, Q. OGULNIO. C. FABIO. COSS. ut ex Eutropio in Fastis suis reponendum docuit vir ma-
E gnæ diligentiæ Onuphrius Panvinius: Ogulnii enim nominis & prænominis, non parva vestigia in veteri exemplari supersunt. Et ne quis de nomine Ogulnii dubitet, vel ea ratione adducor rectum esse, quia hoc tempore alter Consulum ex plebe erat. Fuisse autem Q. Ogulnium plebejum (nam Fabios patricios nemo nescit) ideo existimo, quia anno Urbis 453. Tribunatum plebis gessit, teste Livio, his verbis: [4] *Certamen injectum inter primores civitatis, Patricios Plebejosque a Tribb. Pleb. Q. & Cn. Ogulniis, qui undique criminandorum Patrum apud Plebem occasionibus quæsitis, &c.* De nummi autem argentei characte-
F re sic Plinius loco supra citato: *Nota argenti fuere Bigæ atque Quadrigæ; & inde Bigati Quadrigatique dicti.* De Bigatis possum Livii nonnullos locos proferre, veluti de Q. Minutii Consulis triumpho, in quo argenti Bigati tria millia & ducenta translata fuisse narrat: [5] Sed & M. Marcellum L. Plantio fortissimo juveni Nolano, quod strenue in Cannensi pugna se gessisset, de-

1 In Theseo. 2 Lib. 9. 3 Lib. 14. Dipnos. c. 25. 4 Lib. 33. c. 3. 5 Lib. 18. c. 3. 6 Lib. 1. de Vita Populi Rom. 7 Lib. 2. de Re Rust. 8 Lib. 33. c. 3. 9 Lib. 1. Fast. 10 Probl. 40. 11 Lib. 1. Saturn. cap. 7.

1 Histor. lib. 1. 2 Loco citato. 3 Lib. 33. cap. 3. 4 L. 10. 5 Lib. 32.

narium his verbis obtulisse scripsit [1]: *Macte virtute esto, apud me tibi omnis bonos atque omne præmium erit, & quo frequentior mecum fueris, senties eam rem tibi dignitati atque emolumento esse, lætoque juveni promissis equum eximium dono dat, Bigatosque quingentos Quæstorem numerare jubet.* Idem Livius de Helvii ovatione [2]: *Argenti infecti tulit in ærarium* XIV. *millia* P. SEPTINGENTA TRIGINTA DVO, *& signati Bigatorum* XVII. *millia* XXIII. Sed & de iis ita Festus [3]: *Nummi Quadrigati & Bigati a figura cælaturæ dicti*; ut *Serrati* Tacito [4], quorum circumferentia & extremitas serrata sit: *Pecuniam probant veterem, & diu notam, Serratos Bigatosque.* Tales vidi aliquot in agro Bisontino erutos. Incidebantur autem circa oras, credo, ut facilius Falsariorum fraudes cognosci possent, qui laminis, aureis & argenteis æs interponebant, nummosque cudebant subæratos, cuivis Antiquario notissimos, de quibus intelligendus Persius [5]:

—— & veri speciem dignoscere calles,
Ne qua subærato mendosum tinniat auro.

CAPUT VIII.

Ante Servium Tullium Populum Romanum ære signato usum fuisse, non rudi, ut Timæus voluit: declarantur aliquot Plinii & Dionysii loca.

QUÆ de primo nummi signati tempore apud Romanos diximus, ea Plinii (quem omnes hucusque secuti sunt) auctoritati deberi palam professi sumus; adeoque in dubium illa revocare, non tam Plinium, quam eos, quos secutus est, Auctores gravare est, atque id, quo nos quasi manu ducit Plinius, aggredi; quem hoc genus contradictionis tentasse potius, quam perfecisse, satis ex sequentibus apparebit. Dabunt, credo, mihi, hanc disputationem aggredienti, facile veniam omnes, quibus notæ & perspectæ sunt Annalium veterum varietates circa Urbis Romanæ primordia. Non enim L. Pisoni cum Fabio Pictore, quamvis antiquiori; non Catoni, Annio Fæciali, Tuberoni, Cassio Heminæ, Valerio Antiati cum Pisone, aut inter se, conveniebat: quorum dissidentes sententias dum unusquisque, modo hanc, modo illam sequitur, discordiæ haud leves in tota Romana Historia coortæ sunt. Indeque est, cur sæpius a Dionysio Livius [6], a Livio ceteri dissentiant: nemo enim se putat errare, qui suis nititur Auctoribus. Varietatis vero tantæ tres potissimum redduntur rationes a Livio; quia res vetustate nimia obscuræ, veluti quæ ex magno loci intervallo vix cernuntur; tum quod & paucæ per eadem tempora litteræ fuere, una custodia fidelis rerum gestarum memoria; & quod etiam, si quæ in commentariis Pontificum, aliisque publicis privatisque erant monumentis, incensa Urbe pleraque interiere. Quid quod etiam res multo post Gallica incendia gestæ mirabili varietate narrantur, cujus rei argumentum est haud leve in libris Numæ Pompilii repertis: nam & in numero librorum, & personis & forma involucri, aliisque circumstantiis pugna est, non solum inter Veteres illos, Pisonem Tuditanum, Varronem, Antiatem, Cassium Heminam; sed etiam Recentiores, Livium, Valerium, aliosque. Verum, ut ad præsentem exsecutionem revertamur, prius verba Plinii aggre-

1 Lib. 23. 2 Lib. 34. 3 In verbo grave æs. 4 Lib. de Germ. mor. 5 Satyr. 6. 6 Initio lib. 6.

A diemur, quibus Timæum (ut videtur) secutus, Servium Tullium Regem primum æs signasse contendit, cum antea rudi ære uterentur: nam æqualem Urbi signati æris auctoritatem ideo existimo, quia duo sunt in omni Republica nummorum genera; unum proprium ac peculiare civitati; alterum vero commune exteris etiam populis, cum quibus commercia exercentur; quod & Plato [1] in sua Republica admittebat, ut scilicet peculiare numisma quotidiani usus gratia inter cives comparatum sit; ex eoque mercenariis opificibus mercedes persolvantur, quod apud ipsos quidem in pretio sit, apud alios autem homines reproba-
B tum, commune autem illud valeat in expeditionibus bellicis, & profectionibus ad externos homines, sive legationis, sive commercii, aut rei alterius civitati necessariæ gratia; cujusmodi potuit esse initio Civitatis Romanæ numisma Græcum, ut ex sequentibus clarius apparebit. Vernaculo eo, & apud illos percusso numismate, usos Romanos fuisse non dubitabat, qui fœneratores jam tum exstitisse, ac Plebem ante Servii Tullii tempora ære alieno fuisse obstrictam ab ipsis Romanæ antiquitatis Auctoribus repetierit. Verum hujus rei comprobandæ gratia testimonium
C ipsius Servii Tullii advocemus, qui antequam Rex a Pop. Rom. creatus esset, neque dum aliquid sancire potuisset, gratiæ sibi parandæ causa eorum debitorum, quorum res valde erant tenues, fidesque in præcipiti versabatur, nomina omnia, æsque alienum dissolvit, mensis in foro positis, spectantibusque omnibus, numeravitque creditoribus debita, ut de eo Dionysius Halicarnassæus, probatissimus Antiquitatis Auctor, scriptum reliquit [2]. Quorsum autem mensa, quorsum numeratio præsens, nisi nummorum usus jam tunc fuisset? Æreos autem vel saltem fuisse ut credam, Plinii adducor auctoritate, qui his Au-
D ctoribus, quos ante secutus fuerat, postea veritatis controversiam facere videtur, ac tacite adnuere Numæ Pompilii temporibus, immo & Urbis initio nummum æreum fuisse. Sic enim, ubi de ære loquitur, ait [3]: *Docuimus quamdiu Populus Romanus ære tantum signato usus esset, & alia, quæ vetustas tradidit, cum æqualem Urbi auctoritatem ejus declararet, a Rege Numa collegio tertio ærariorum fabrum instituto:* quæ ne alio, quam ad æs signatum, referri possint, illa verba, *auctoritatem ejus*, satis evincunt. Ceterum male de Plinio meriti essemus, per quem toties profecimus, ac proficimus quotidie, si ei in verbis præcedentibus
E luxato, auctoritate veteris Libri medicas ac fideles manus non adhiberemus, cum ejus restitutio illustrius nostram sententiam confirmet. Sic igitur manuscriptus liber Joannis fratris: *Alia vetustas æqualem Urbi auctoritatem, &c. Alia vetustas*, id est, alii vetustatis Auctores, quos Varro videtur sequi. Sed & ubi de annulis eorumque usu loquitur, hæc subjicit: *Celebratior quidem usus cum fœnore cœpisse debet: argumento est consuetudo vulgi ad sponsiones etiamnum in annulo, exiliter acta alio tempore, quo nondum erat arrha velocior, ut plane affirmare possimus, nummos ante apud nos, mox annulos cœpisse.* Quod si nummi annulos
F præcesserunt, ante Numæ tempora jam fuisse nummos in usu merito colligemus, cum idem Auctor paulo ante scripserit, Numæ Serviique Tullii statuas annulos habere, quos cum velociores nummis senserit, ideoque consuetudine vulgi ad sponsiones exsilire, facile id animadvertet, qui meminerit nummos æreos maxime vetustissimos valde graves fuisse, ut satis supra de-

1 Lib. de Legibus. 3 Lib. 4. Antiq. Rom.
3 Lib. 34. cap. 1.

monſtravimus, ideoque & appendi ſolitos. Cum enim aſſes librales eſſent, non dubium, quin ſextantarius nummus, aut unciarius annulo conſueto ponderoſior fuerit. Graves autem æreos nummos fuiſſe vel hic Livii locus indicabit [1]: *Patres bene cœptam rem perſeveranter tueri, conferre ipſi primi; & quia nondum argentum ſignatum erat, æs grave plauſtris quidam ad ærarium convebentes, ſpecioſam etiam collationem faciebant*. Indicio erunt & alii loci, ubi gravis æris meminit ſæpius, quam ut a me ambitioſe recenſeri debeant. Ejus vero conſuetudinis, qua arrhæ nomine annulus exſiliebat, meminerunt etiam Juriſconſulti noſtri [2]: meminit Terentius [3]: *Chæream*, inquit, *ei rei præfecimus, dati annuli, locus, tempus conſtitutum eſt*. Cumque plurali numero uſus ſit Comicus, facit ut ſuſpicer utrimque datos fuiſſe annulos. Quod etiam exemplum Juſtiniani Imp. & Antoniæ conjugis ejus (quam *Theodoram* poſtea vocatam exiſtimo) magis confirmat, relatum apud Amoinum Monachum [4], Hiſtoriæ Francorum veterem Auctorem. Ceterum de arrhis & arrharum contractibus qui plura ſcire voluerit, legat quæ erudite (ut omnia) obſervavit Jacobus Cujacius. Poſtremo Timæi illius Pliniani fidem magis dubiam faciunt Livius & Dionyſius, quorum uterque cum Servii Tullii inſtituta pacis bellique retulerit, de nummo æreo primum percuſſo nullum verbum facit; ut omittam Timæum nationis Græcæ fuiſſe, cui in his Romanæ Urbis originibus, vix ſuis civibus perſpectis ac cognitis, credi temere non debet.

CAPUT IX.

Populum Romanum argento ſignato, quamvis peregrino, uſum initio fuiſſe; multo citius tamen Romæ ſignatum videri, quam Livius, Plinius, aliique voluerint.

AT vero nummo argenteo tamdiu caruiſſe Romanos, primumque fuiſſe percuſſum quinque ante primum bellum Punicum annis, ſi quis negare audeat, habebit repugnantem non ipſum Plinium tantum, ſive Plinii Auctorem, ſed T. Livium & Euſebium. Nam etſi Livii decimuſquintus liber deſideretur, in quo hujus rei aperta erat mentio, ſupplet tamen Livii defectum Florus in ejus libri compendio, cum ait: *Tunc primum Pop. Rom. argento uti cœpit*. Quæ verba ad tempora, quæ Plinius deſignavit, videntur pertinere, cum ſubſequentibus libris primum Carthagirienſe bellum deſcripſerit Livius; ſed tamen quo impulſu commovimus ſuperiora, eodem, aut, niſi fallor, majore hanc de argenteo nummo traditionem convellemus: conabimur enim oſtendere tantum-non cum ipſa Urbe aureorum argenteorumque nummorum parem auctoritatem, ut hoc interim conſequamur, Pop. Rom. his perpetuo fuiſſe uſum, etſi non propriis, & apud eos ſignatis, ſaltem peregrinis; ſignatos vero nedum quo illi putant anno, ſed Regum ipſorum tempore, firmiſſimis ſtabiliemus auctoritatibus. Pugnabimus ergo primum aureis telis: nam auro ſuum honorem, aurique ſacram famen initio Urbis non defuiſſe, hæc habeo argumenta; quod Tarquinii Priſci filius [5] bulla aurea donatus ſit a patre, cum in prætexta hoſtem occidiſſet; quod Regum Romanorum cultus ex auro eſſet, aurea videlicet corona, aureique ſtaminis veſtis. Et, ut a publicis perſonis ad privatas deveniam, nonne Tarpeja virgo in ipſis Romanæ Urbis incunabulis auro corrupta

A dicitur a Sabinis [1]? Nonne Tarquinius Superbus in conſilio Latinorum cujuſdam Turni Aricini ſervum in domini necem ſollicitavit, auroque corrupit [2]? Ceſſerat etiam his temporibus aurum mulierum ornatui, quæ, auro purpuraque depoſitis, dicuntur luxiſſe Junium Brutum, & Valerium Poblicolam [3]. Quod ſi ultra progrederer, non deeſſent hujus rei auctoritates: creſcente enim Civitate, crevit & auri fames, uſuſque crebrior. Idque & XII. Tabularum Leges profitentur, quæ vetant, ne aurum ſepulcris addatur, niſi cui auro dentes vincti erunt; quod non vetarent, niſi ſolitum eſſet fieri. At vero Varronem audiamus referentem memorabilem Sibyllæ hiſtoriam de libris Tarquinio Priſco divenditis; B nam ex ejus *Rerum Divinarum* libris hæc nobis conſervavit Lactantius [4]: *Ea novem libros attulit ad Regem Tarquinium Priſcum, ac pro eis trecentos Philippeos poſtulavit. Rex adſpernatus pretii magnitudinem, &c.* deinde addit: *Denuo tribus aliis exuſtis, cum in eodem pretio perſeveraret, motus eſt Rex, & reſiduos trecentis aureis emit*. Ex quibus verbis apparet, Philippeos aureos fuiſſe, & Romanis jam tunc familiares; alioquin cur Sibylla nummum inuſitatum poſtulaſſet, aut Rex ei dediſſet? In Varronis autem verbis notatu dignum eſt, quod C ad Tarquinium Priſcum referat, quæ Dionyſius & Gellius [5] Superbo tribuunt, ut mirer Plinium ita ſcriptum reliquiſſe [6]: *Inter omnes convenit Sibyllam ad Tarquinium Superbum tres libros attuliſſe*: cum tamen tam aperte a ceteris Varro diſſentiat, & in nomine Regis, & in numero librorum, magis miror Plinii inconſtantiam, (niſi illa Librarii, non Auctoris vitio acciderit) qui in Regis nomine varius eſt, videturque alio in loco cum Varrone ſentire, ac Tarquinium Priſcum agnoſcere Sibyllinorum emptorem; nam Sibyllæ & Actii Navii ſtatuas, Tarquinii Priſci ætate poſitas diſerte contendit [7]: D quem locum ſi ſequamur, conſentientem habebimus Varroni Plinium in Tarquinii nomine. Idque cum ab illis, qui de Sibyllis ſcripſerunt, non fuerit animadverſum, a nobis negligi hoc loco minime debuit. Sed ut, quam telam primum ordiri cœperam, pertexam, ſi aureo numiſmate, cuicuimodi tandem illud fuerit, uſi ſunt veteres illi ac primi Romani, multo magis argenteum illis familiare fuiſſe exiſtimandum eſt. Cum enim Populus Romanus in maxima annonæ caritate, frumento emptitio & advectitio, ut Sicilienſi, uteretur, quod ſæpiſſime factitatum eſſe poſt Reges exactos, & multo ante primi belli Punici tempus, Livius multis in locis E auctor eſt; quomodo a commerciis ſe expedire Pop. Rom. potuerit, niſi aureo argenteove nummo gentibus illis probato, non video. Nam emptionem tunc rebus, non pecunia factam, nemo dicet, qui ſciverit uſitatam hujuſmodi emptionem nullo tempore apud Romanos fuiſſe; alioquin Sabinianorum ſententia haud tam facile rejecta fuiſſet, qui permutationem ab emptione non diſtinguebant, ut dixi ſupra. Inde enim maximum ſuæ opinionis momentum ſumere potuiſſent. Movet me præterea, quod Livius de Tarquinio Su- F perbo ſcripſit: *Is primus* (inquit) *bellum Volſcis in ducentos amplius poſt ſuam ætatem annos movit, Sueſſamque Pometiam ex his vi cepit; ubi cum divendita præda* XL. *talenta argenti aurique recepiſſet, concepit animo, &c.* Quibus verbis opinor aperte demonſtrari, uſum argentei aureique nummi illis temporibus celebrem fuiſſe. Nam & Talenti vocabulum quamvis varium ſit, ut ex Polluce, Heſychio & Suida colligimus, magis ta-

1 In fine l. 4. 2 L. exempt. §. Is qui vina emit. ff. de act. empt. 3 In Eunucho. 4 Lib. 2. c. 5. 5 Plin. lib. 33. cap. 1.

1 Dionyſ. lib. 4. Livius l. 1. 2 Livius ibidem. 3 Dionyſ. l. 4. 4 L. 1. c. 6. 5 Lib. 3. 6 Lib. 13. c. 13. 7 Lib. 34. c. 5.

A men solere ad pecuniam signatam referri notum est; utque hoc in loco faciamus, verbum, *divendita*, cogit. Quinimo Dionysius Halicarn. idem bellum referens [1], quamvis paulo aliter rem narret, tamen argentum hoc fuisse signatum innuit, cum ita partitam prædam declaret a Tarquinio, ut retenta in constructionem templi decima, militibus reliquas pecunias distribuerit; tantumque auri atque argenti captivi numerum fuisse dicat, ut singuli milites *quinas argenti minas* acceperint. Unde manifestum est (quid enim apertius dici posset?) nummo argenteo signato jam tum Romanos fuisse usos; Servii quoque Tullii temporibus, B qui in censu instituendo, ut refert Dionysius [2], jussit omnes Romanos referre ac describere sua bona sive substantiam, eaque argento æstimare. At si nummus argenteus in usu non fuisset, cur bona uniuscujusque adærare jussisset? aut quomodo id aliter fieri potuisset? Nam hic est præcipuus nummi usus, ut eo omnia æstimentur. Adde quod ex Varrone in Annali, apud Charisium lib. 1. idem *Servius Tullius argentum conflasse primum dicitur*. Porro cum supra demonstraverimus ex Dionysio, in usu Romanis fuisse *minas*, peregrini nummi argentei genus, idem in *drachmis* ex eodem Auctore faciemus, C qui sollicitatam a Tarquiniis Romanam Plebem, & servitia concitata referens, atque ut in Patricios nefarie conspirarent, largitionibus occultis impulsa, tandem patefacta conjuratione, indicio duorum Laurentinorum, quorum nomina erant P. & M. Tarquinii, indicibus accessisse hæc præmia ex SC. tradit, *argenti denas millenas drachmas, agri vero publici jugera vicena*. Valde igitur eo tempore familiaris erat argenteus nummus, cum in præmii beneficiique vicem cederet. At vero, ut minus de argentei nummi usu dubitemus, efficiet loculi vel reconditorii ejus appellatio prisca, quæ etiamnum est superstes. *Flavissas* autem ea loca dicta fuisse D ex Q. Valerio Sorano scriptum reliquerat Varro [3], in quadam ad Servium Tullium Epistola, quem solitum dicere ait, *Quos thesauros Græco nomine appellamus, priscos Latinos Flavissas dixisse, quod in eas non rude æs argentumque, sed flata signataque pecunia conderetur*. Ex quibus omnibus æquævus Urbi argentei nummi, quamvis peregrini, usus arguitur. At vero tanto tempore, quanto Plinius, Livius, aliique volunt, Populum Romanum argento signato Romæ caruisse, atque in tanta jam Imperii mole Urbisque magnitudine, tamdiu argento peregrino belli pacisque commercia cum exteris nationibus exercuisse, vix mihi fit E verisimile, præsertim cum inciderim aliquando in T. Minucii Augurini nummum argenteum, qui si est Consul, L. Posthumii Collega, anno V. C. 448. (nam in Romanis antiquitatibus alium his nominibus nondum inveni) maturius quam illi voluerint, signatum Romæ argentum fuerit necesse est: nam Consules illi, triginta & quod excurrit annis, Q. Ogulnii & C. Fabii Consulatum præcesserunt. His alii plura superaddere poterunt, quibus magna veterum numismatum copia suppetit, unde tutius multo repetuntur, quam ab Auctoribus. Quæ si mihi præsto fuisset, F exivisset scriptura hæc nostra locupletior instructiorque: certe non dubitassem firmioribus urgentioribusque rationibus Plinii Liviique auctoritates convellere: sed satis sit digitum intendisse, atque ejus rei diligentissimos, & quibus otia curiosius ista tractandi non desunt, admonuisse. Homini certe in alio studii genere occupatissimo, publicisque muneribus adstricto, hæc satis superque sint.

1 Lib. 4. 2 Ibid. 3 Gell. l. 2. Non. Marcell. in Flavissas.

CAPUT X.

De aureo Numismate, quando percussum. Ejus formæ variæ.

NUnc vero de aureo Numismate dicendum, cujus multo obscurior est origo; nam & quod primum aurei nummi signum fuerit ignoratur. Tantum scribit Plinius [1] post annum LXII. percussum esse serius quam argenteum. Sed utcumque sit, constat aureos nummos semper rariores argenteis fuisse; non quod minor esset auri quam argenti copia, sed quia in varios liquationum & filorum usus magna vis auri deperiret. Ita enim Vopiscus de Aureliano Imp. [2] *Habuit in animo, ut aurum neque in cameras, neque in tunicas, neque in pelles, neque in argentum mitteretur, dicens plus esse in rerum natura auri quam argenti, sed aurum per varios bractearum, filorum & liquationum usus perire; argentum vero in suo usu manere*. Denarium vero aureum ante Plinium fuisse signatum existimo, cum ipse scribat [3] hujus instituti auctorem incertum esse, ejusque nomen latere; ut valde mirer Lampridium scripsisse [4], Elagabalum primum formas binarias, ternarias, quaternarias & denarias invenisse; cum & denarius ex auro ante fuerit percussus: quid enim aliud sint formæ binariæ, ternariæ, denariæ, & ceteræ, quam formæ bilibres, & deinceps, non video. Verba ejus subjiciam, ut apertiora sint: *Formas binarias, ternarias, & quaternarias, & denarias etiam, atque amplius, usque ad bilibrem quoque, & centenarias, quas Elagabalus invenerat, resolvi præcepit, neque in usu cujusquam versari; atque ex eo his materiæ nomen inditum est*. Ecce quas binarias formas ante dixerat, postea *bilibres* appellat, cum ait, *usque ad bilibres*; quæ verba licet obscura, hoc mihi præferre videntur, Alexandrum Imp. resolvi præcepisse formas omnes a bilibribus, id est, binariis ad centenarias, & quæ centum libras valerent, ut particula *usque* includat etiam binarias formas; hac enim interpretatione mihi videtur adjuvandus Auctor, puri sermonis non nimius amator. Ergo remanserunt tantum aurei; quos qui primus signaverit nescio. Illud scio, si Lampridii fides sequenda sit, semissarios aureos primum Alexandrum Severum instituisse, sed & aureos trientes, cum etiam quadrantes cogitasset. Verba Lampridii sunt: *Tunc primum semisses aureorum formati sunt: tunc etiam, cum ad tertiam partem auri vectigal decidisset, tremisses, dicente Alexandro, etiam quartarios futuros, quod minus non posset, &c.* Ex quibus verum apparet, quod Plinius multo ante scripserat [5], *Paulatim Principes auri pondus imminuisse*. Sed imminutum sæpissime solidum jam inde ab ejusdem Plinii tempore, argumento est Constantini Lex ita præscripta; *Pro imminutione, quæ in æstimatione solidi forte tractatur, omnium quoque specierum pretia decrescere oportet* [6]. Vult itaque Imperator, ut species, quæ inferuntur a collatoribus, & possunt argento vel auro æstimari, eo imminuto pretia earum decrescant; solidi autem imminutionem exempli gratia posuit, quasi & argentei nummi imminui possent: dictio enim *forte* paradigmatica est.

1 Lib. 33. c. 3. 2 In Aurel. 3 Lib. 33. c. 3. 4 In Alex. Severo. 5 Lib. 33. c. 3. 6 Lib. 2. de Veter. numism. potest. C. l. XI.

CAPUT XI.

De confusione Auri, Æris & Argenti, ac de incoctilibus seu tinctis Nummis, & aliis speciebus.

SED de æreis, argenteis, & aureis nummis hactenus, quas maxime proprias fuisse monetæ materias existimo, cum qui monetæ flandæ faciendæ præessent, III-Viri monetales ita appellarentur, A. A. A. F. F. id est, ut ex Probi Libro *de Notis* constat, *auro, ære, argento, flando, feriundo*; quorum etiam in libris nostris mentio est aperta [1]. Non solum autem ex simplici ære, auro argentoque, sed iis etiam commixtis & confusis nummi fiebant. Æs enim argento misceri solitum, jam inde a Livii Drusi Tribunatu plebis institutum est, quem Plinius ait [2] octavam partem æris argento miscuisse; quod & diu in Rep. Rom. retentum fuisse, cum veteres nummi multi, tum vero Constantii Constitutio argumento est [3], qua puniuntur flatuarii, qui pecuniam purgant separato ære ab argento. Æs ab auro separari olim non potuisse, didici ab Ulpiano nostro [4]; an hodie possit, sciunt hujus artis periti. At quin etiam olim æs ab argento deduci potuerit, non est dubitatum; ait enim Callistratus [5]: *Si ære meo & argento tuo conflato aliqua species facta sit, non erit ea nostra communis, quia cum diversæ materiæ æs atque argentum sit, ab artificibus separari, & in pristinam materiam reduci solet.* Existimavit JC. plus esse cognationis æri cum auro, quam cum argento, ideoque conjuncta & commixta difficilius ab illo quam ab hoc deduci & separari. Varias præterea & diversas horum metallorum mixtiones olim in numismatis fuisse ex ipsorum adspectu hodie nobis constat. Quin etiam ex incoctilibus nummi formabantur; nam & complures ejusmodi me vidisse memini. De incoctilibus autem sic Plinius [6]: *Album* (plumbum scilicet) *incoquitur æreis operibus Galliarum invento, ita ut vix discerni queat ab argento, eaque incoctilia vocant. Deinde & argentum incoquere simili modo cœpere, equorum maxime ornamentis, jumentorumque jugis in Alexia oppido: reliqua gloria Biturigum fuit. Cœpere deinde & esseda, & vehicula, & petorita exornare.* Nummi autem ex incoctilibus facti, sunt (ni fallor) illi, qui in Lege Cornelia *Tincti* dicuntur, & cujusmodi multi inveniuntur. Incoctilia opera olim, ut & hodie argentata, dicebant; nam quod de essedis, vehiculis & petoritis Plinius ait, de carrucis ita Lampridius [7]: *Carrucas Romæ, & rhedas Senatoribus omnibus, ut argentatas haberent, permisit; interesse Romanæ dignitatis putans, ut his tantæ Urbis Senatores uterentur.* Recte Senatores expressit Lampridius; nam id privatis non licebat, qui eboratis aut æratis tantum vehiculis utebantur; quibus tamen postea etiam argentatis vehi concessit Aurelianus; nam de eo ita Vopiscus: *Dedit præterea potestatem, ut argentatas privati carrucas haberent, cum antea ærata atque eborata vehicula fuissent.*

1 Pomponius in lib. 2. de Orig. Jur. 2 Lib. 33. cap. 3. 3 L. Comperimus. C. Theodos. de fals. mon. 4 Lib. 5. §. 1. ff. de Rei vind. 5 L. Lacus. ff. de Acq. rer. dom. 6 Lib. 34. cap. 17. 7 In Alexandro.

CAPUT XII.

De Nummis Electreis, & duplici Electro metallico. Explicatus Lampridii locus in Elagabalo. *Emendata* L. Pediculis de auro & arg. leg. *Et Julius Capitolinus in* Pertinace *restitutus.*

AURO etiam & argento commixto, id est, Electro, primus, ut arbitror, Alexander Severus nummos cudi jussit, qui, ut supra demonstravi, totam rem monetariam diligenter retractavit. De eo sic Lampridius: *Alexandri habitu nummos plurimos figuravit, & quidem electreos aliquantos, sed plurimos tamen aureos.* In quod nummi genus si quis hodie incideret, vix electreos, nisi historiæ peritus, suspicaretur, propter incognitum fere nostro sæculo electri usum. *Electrum* autem non *succinum* hic intelligimus, sive *Glesum*, sed propri.m metalli speciem, auro & argento constantem, de quo ita Plinius [1]: *Ubicumque quinta argenti portio est, electrum vocatur. Scrobes eæ reperiuntur in Canaliensi. Fit & cura electrum argento addito: quod si quintam portionem excessit, incudibus non resistit.* Unde manifestum est, duplex esse electrum, nativum & factitium. Sed præcipua nativo gloria, cum propter raritatem, tum vero vim eximiam; quam his verbis prædicat Plinius: *Quod est nativum, & venena deprehendit; namque discurrunt in calicibus arcus cælestibus similes, cum igneo stridore & gemina ratione prædicunt.* Indeque Veterum studium circa vasa electrina, ut puta lances, calices, pateras, quorum omnium frequens apud Auctores mentio, ut Serenum:

Produnt electri variantia pocula virus.

De nativo autem electro, non eo quod artificio constat, intelligendus hic Lampridii locus in *Elagabalo*, cum de impurissima illa bellua & Imperii monstro ita loquitur: *Scobe auri porticum stravit & argenti, dolens, quod non posset & electri.* Si enim potuit auri & argenti scobe porticum substernere, cur non etiam ei perfacile fuisset, electro illo factitio libidines suas & profusissimas voluptates adimplere; cur doluisset in electro, quod in auro non fecerat, nisi raritas electri hos ei doloris stimulos subjecisset? Nam & supra Plinium jam adduxi hujusmodi scrobibus electreis Canaliense tantum celebrantem. Eadem electri naturalis paucitas efficiebat, ne vasa ex solido electro Veteres efformarent; sed cum aliæ partes argenteæ aut aureæ essent, cavum vasis electreum erat, quia in venenis coarguendis ea in parte maxime vires suas exerebat. Et hujus generis vasa quædam fuisse in auctione rerum Commodi Imp. scriptum reliquit Julius Capitolinus; nam cetera ejus auctionis insignia referens addit [2]: *Vasa electro, auro, argento, ebore, citroque composita.* Ubi vulgo legitur, *eluto auro*, sed corruptissime; cur enim potius *elutum aurum*, quam *obrizum*, dixisset? Deinde quis non videt curæ non fuisse Auctori, unicuique speciei suum addere epithetum? & *elutum aurum, ebur Indicum, argentum pusulatum, &c.* dicere, quin potius enumerare metallorum aut materiarum species, quibus ea vasa constarent? Sed quia de vasis electrinis mentionem fecimus, non importune mihi videbor in medium proferre Jurisconsulti Responsum, quod de iis scriptum exstat: nam & ex suprascriptis lucem recipiet, &

1 Lib. 33. cap. 4. 2 In Pertinace.

tur-

A turpe in eo mendum breviter indicabimus. Ait JC. [1] *Neratius Proculum refert ita respondisse; vasis electrinis legatis nihil interesse, quantum ea vasa, de quibus quæritur, argenti, aut electri babebant, sed utrum argentum electro, an electrum argento cedat: id ex adspectu vasorum facilius intelligi posse: quod si in obscuro sit, inspiciendum esse, in utro numero ea vasa is qui testamentum fecit, habuerit.* Cur Paulus Responsi hujus auctor maluit a Neratio quam Proculo sumere? quia forte nihil in Proculi Scriptis ea de re; nam non omnia sua Responsa in libros referebant, sed eorum discipuli, quibus præsentibus de jure respondebant, ea B postea litteris mandabant. Sic Alphenus Servi, sic Africanus Juliani Responsa digesserunt: quoties enim, *respondit*, in Alpheno legimus [2], Servium intelligamus oportet, nisi Servio ipsi atque Alpheno injurii esse velimus, cum alteri propria detrahimus, alteri tribuimus aliena. Neratium autem fuisse Proculejanum notius est, quam ut a me ultro comprobetur. Fingamus ergo (ut ad Jurisconsultum revertamur) eum sensisse de vasis, non Commodianis illis nimium pretiosis & ambitiosis, sed quæ ex electro & argento tantum constarent; vasa autem electrina legata fuisse, quæ vasa debebuntur? Et certe nihil tam repugnans dici aut C fingi potest, quam quod hic Proculus respondit. Nam si, ut volunt, ex adspectu jus accessionis metimur, valde multum intererit, plus auri sit, an electri; alioquin cur ad adspectum JC. provocat? an ut magis pretium tantum, quo res esse * pretiosior, non materia perpendatur? minime: nam sæpe in eo tractatu definitum est, semper cum quærimus, quid cui cedat, illud spectari, quid cujus rei ornandæ causa adhibeatur, ut accessio cedat principali, non quæ sit pretiosior. Præterea & totus hic locus ex Pauli ad Vitellium libris 3 sumptus est, qui ne in pictura quidem accessionis regulam vitiari concessit. Adspectus ergo electri D deprehendet non quidem artem & figuram, (quæ quia electro ornando adhibetur, cedit principali, quamvis pretiosior) sed quantitatem [4]; quod si is potentior sit, certum est argentum cedere electro, ut in margaritis, ornamentis muliebribus contextis, in quibus auri adspectus eminebat, respondit Paulus [5]. Non erit autem potentior adspectus, nisi & objectum electri prævaleat; nam ratione objecti metimur adspectum; ergo necesse est plus insit electri quam argenti. Unde apparet falso respondisse JC. *nihil interesse, quantum ea vasa, &c.* nam & subsequentibus e diametro repu- E gnant, quæ nos ad adspectum deducunt. Quamobrem stat mihi hæc sententia, corruptum esse Jurisconsulti Responsum, nec aliter subsistere, quam si illud *nihil* in nihilum redigamus, & in ejus locum substituamus *multum*; vocem quidem specie & figura affinem, sed vi ac potestate contrariam; aut vero utramque subducamus; vel *nihil* in *nonnihil* commutemus. Quod ut ita sentiam, cum ratione prædicta commoveor, tum vero quia in Pandectis Florentinis, omnium emendatioribus, sed & aliis quibusdam libris, non *idque*, verum simpliciter *id* legitur; ut integer locus non a subditi- F tia tantum voce, sed etiam a mendo distinctionis vacuus ita legi debeat: *Vasis electrinis legatis multum interesse, quantum ea vasa, de quibus quæritur, argenti aut electri babebant: sed utrum argentum electro, an electrum argento cedat, ex adspectu vasorum facilius intelligi posse, &c.* Qui ad judicium

[1] L. Pediculis. §. Neratius. ff. de aur. & arg. leg. [2] Lib. 2. in fin. de Orig. jur. [3] L. Cum aurum. §. Perveniamus, & §. fin. ff. eod. §. Si tamen. Instit. de Rer. div. [4] L. In rem. ff. de Rei vind. [5] D. l. Pediculis. §. 5.

* Videtur leg. *esset*.

aurium descendere, seriem ac filum orationis expendere, & rationum momenta suis ponderibus examinare voluerit, nihil a nobis temere tentatum, immo vero ulcus fœdum & latens patefactum ac sanitati restitutum judicabit.

CAPUT XIII.

De Nummis Scorteis, seu Coriaceis, Stagneis & Plumbeis.

SCorteos nummos aliquando percussos fuisse, & vim numeratæ pecuniæ habuisse, exigente ita rerum necessitate, non erit dubium ei, qui in Auctorum lectione fuerit versatus. Quod non solum apud Lacedæmonios, sed aliquando Romæ factitatum fuit: quando autem, & qua de causa, obscurum est. Auctor enim incertus, subjectus *Notitiæ utriusque Imperii*, (qui mihi videtur Arcadii & Honorii temporibus vixisse, sic ait: *Posteriores fastidientes priscæ vilitatis inventum, formatos e coriis orbes auro modico signaverunt, quibus Regum munificentia & commutationum necessitas intactis collatoribus utebatur.* Sed & potior Auctor Seneca, *Æs*, inquit [1], *alienum babere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium forma publica percussum, quale apud Lacedæmonios fuit, quod usum numeratæ pecuniæ præstat.* His addatur & hic Hieronymi locus in *Apologia contra Ruffinum: Cum montes aureos pollicearis, ne scorteum quidem nummum de thesauris tuis profers.* Id aliquando in Gallia factitatum Joannis Regis temporibus, cum alii, tum ex nostris Vidius Papius Auctor est [2]: ut mirer, fabulosum existimatum a Car. Molinæo, quod de coriacea moneta traditur; qui si eos Auctorum locos notasset, haud dubie aliter sensisset. Nam, ut de Joanne Rege usquequaque verum non putem, tamen, quin alio tempore coriacei nummi introducti fuerint, ex præcedentibus nemini dubium esse potest. De Stagneis vero nummis in Pandectis Florentinis mentio; de quibus in *Observationibus* Cujacius [3], ubi monstrat scribendum *stagneos*, non *stanneos*. Plumbeorum meminit Plautus non semel. In *Trinummo:*

Numquam nummum credam plumbeum.

In *Casina:*

Cui homini hodie peculi non est nummus plumbeus.

Item *Martialis* lib. 10.

—— quamdiu salutator
Anteambulones & togatulos inter,
Centum merebor plumbeos die toto.

Ejusmodi nummi minuti e plumbo Romæ fodientibus sæpe occurrunt: haud dubie olim percussi, ad viliora rerum pretia æstimanda; quamquam Lege Cornelia vetitum erat, argento plumbum admiscere, ut factitabat ille faber, ad quem Plautina persona in *Mostellaria:*

Tace tu faber, qui cudere soles plumbeos nummos.

[1] Lib. 5. de Benefic. c. 14. [2] Decis. 493. Tract. de Usur. [3] Lib. 11. Observ. cup. 1.

CAPUT XIV.

De Monetariis, Procuratoribus Monetæ, ac Præpositis Thesaurorum. Indicatus in Notitia utriusque Imperii *defectus.*

A Bsoluta quantum licuit de Nummorum materiis quæstione, nunc de monetæ Opificibus ac Præpositis strictim dicemus. Qui igitur monetam flabant, signabant, faciebant, *Monetarii* dicebantur, & sic passim in Jure nostro appellantur [1]; ut valde mirer Joannem Baptistam Egnatium virum doctissimum, *suis in Vopiscum Annotationibus*, Monetariorum appellatione Gynæciarios & Baphiarios etiam comprehendere voluisse, quorum & nomina & officia diversa sunt. Monetariorum autem conditio quamvis ita vilis fuerit, ut a dignitatibus prohiberentur, neque eam facile mutare possent; tamen corpus eorum & officium late diffusum fuisse, argumento est bellum sub Aureliano ab iis suscitatum; in quibus comprimendis septem millia Hiberorum, Riparienfium, Castrianorum, & Dacifcorum militum interempta fuisse, Aurelianus ipse quadam apud Vopiscum Epistola profitetur. Cui magis credendum existimo, tumultus illius motum ad Felicissimum Rationalem referenti, quam Eutropio, Victori, Paulo Diacono, qui incuriosius, & secus quam res gesta sit, ea de re loquuntur. Monetarii porro magnas sæpissime fraudes invehebant in ratione monetæ: unde non mediocria damna & Reipublicæ & privatis infligebantur. Nam & nummos contra verum eorum usum vendebant, ac mercis loco habebant; quosque arbitror Lege Cornelia de falsis maxime comprehendi [2], in cujus pœnam dicuntur incidere nummorum emptores ac venditores. Hoc autem perfamiliare Monetariis fuisse hujusmodi, ostendit Auctor incertus jam citatus, ubi de fraude & correctione monetæ agit; ait enim: *Ementis eumdem solidum fraudulenta calliditas, & vendentis damnosa necessitas, difficultatem quamdam ipsis contractibus intulerunt, ne rebus possit interesse simplicitas.* Sed quia, ut dixi, diffusum valde erat eorum Corpus, ac longe lateque patebat, vix coerceri hujusmodi fraudes poterant. Cui quidem malo idem Auctor anonymus, vir mea quidem sententia & civilis & armatæ partis prudens, tali remedio occurrendum existimat: *Ut Opifices monetæ redacti undique in unam insulam congregentur, nummariis & solidorum usibus profuturi, a societate videlicet contiguæ terræ prohibiti, ne commixtionis licentia fraudibus oportuna integritatem publicæ utilitatis obfuscet, &c.* Monetariis autem primum credo præfuisse Triumviros Monetales, de quibus supra diximus, quorum officium diu in Republica retentum, ac sub Imperatoribus adhuc creatos, ab antiquis marmoribus didici. Erant & Prætores, quibus etiam commutatis ab aliis Imperatoribus, (nam varie habita & commutata ejus rei forma, ut ait Tacitus) tandem ad Præfectos ærarii res rediit, qui & in Republica diu manserunt, & ultimorum Imperatorum tempore; idque ex Symmachi *Epistolis* & Marcellino patet. In *Notitia Provinciarum utriusque Imperii* nullam eorum fieri mentionem miror: quorum loco Præpositi Thesaurorum constituuntur, qui una cum Procuratoribus Monetæ sub dispositione Comitis sacrarum Largitionum esse dicuntur. Atque in *Notitia Imperii Occidentis* (nam Orientalis hac in parte mihi videtur manca) duodecim enumerantur, una cum locis quibus præpositi erant. Procuratores autem Monetæ ut in *Notitia Orientali* desunt prorsus, ita in *Occidentali* mihi videntur imperfecte numerari, hi videlicet: *Procurator Monetæ Siscianæ, Procurator Monetæ Aquileensis, Procurator Monetæ Urbis Romæ, Procurator Monetæ Lugdunensis, Procurator Monetæ Arelatensis, Procurator Monetæ Trevirorum.* Cum tamen plures fuisse, numerus Præpositorum, de quo supra, sit argumento; nisi dicamus non unicuique Præposito Thesaurorum suum Monetæ Procuratorem fuisse, quod in tanta eorum temporum caligine adseverare non ausim. Tantum existimo Monetæ Procuratores nummos cusos, & a Monetariis acceptos, Præpositis Thesaurorum tradidisse, atque in eorum rationes apud Rationalem retulisse. At vero *Notitia Orientalis*, ut dixi, in Præpositorum ac Procuratorum Monetæ, simulque Rationalium, bona sui parte deminuta est. Nam non est dubium, quin Oriens suum habuerit Monetæ officium multis in locis: Alexandriam enim inter cetera possum citare, in qua Monetam fieri solitam ab Ammiano Marcellino didici. De reliquo autem Monetæ officio spatiis iniquis exclusi, ac destituti Auctorum veterum ope, plura non dicemus.

1 L. 1. C. de Falsa Moneta. Lib. 6. C. lib. 12. de Dignit. l. 1. & l. Si suis. C. de mutil. lib. 11. 2 L. Lege Cornelia. ff. ad L. Corn. de Falf.

CAPUT XV.

De veteri more suscipiendæ pecuniæ e publico erogatæ. Vindicatus Eumenii locus: ac de veteri adorationis ritu.

CUM olim militibus stipendia, aut aliis salaria de publico solvebantur, denique cum principalis largitio suscipiebatur; hic mos invaluit, Imperatorum recentiorum maxime temporibus, ut oblatam pecuniam non ante susciperent, quam adorationis aut venerationis quadam specie uterentur. Nam cum antiquitas illa Imperatores aut Principes veluti præsentia numina coleret, ita etiam signa eorum, seu imagines, pari venerationis cultu prosequebatur. Indeque sacros Principum vultus tam sæpe legimus, & *Adorationis* verbum eo in sensu. Cumque nummi vultus Principum referrent, verisimile est etiam a suscipientibus adoratos fuisse. Cujus antiquitatis apertissimum est vestigium in illa Eumenii *Oratione de Scholis instaurandis*, quæ inter Panegyricos alios exstat; sic enim, cum de salario suo loquitur, vetus editio, & hac in parte melior, habet: *Hoc ego salarium, quantum ad honorem pertinet, adoratum accipio, & in accepti ratione perscribo, sed expensum referre Patriæ cupio:* qui locus mihi videtur integer, & observationis non vulgaris index: neque facile *adoratum* in *adæratum* commutarem; cur enim *adæratum suum salarium* diceret Eumenius, cum ei in pecunia numerata fuerit constitutum? ita ut adæratione opus non fuerit; idque ex Constantii Imp. Epistola Orationi inserta fit manifestum: Annonæ adærari poterant, salaria non item: salaria enim separantur ab annonis in Lampridii *Alexandro*. Præterea an absurdius est adorari sacros vultus in pecunia numerata, quam in militaribus signis? namque id fieri solitum, atque in veteri militia usitatum sexcentis locis probare possem; sed unus aut alter suffecerit. Ait Vegetius [1] de prima cohorte legionis, quæ *milliaria* dicebatur: *Hæc imagines Imperatorum, hoc est, divina & præsentia signa, veneratur.* Item Tertullianus in *Apologetico*: *Religio Romanorum tota castrensis signa veneratur, signa jurat, omnibus Diis præponit, omnes illi imaginum suggestus insignes monilia crucium sunt:*

1 Lib. 2. cap. 6.

ſuppara illa vexillorum & labarorum, ſtolæ crucium ſunt, &c. Item CL. Julianus Coſ. Urbis Romæ, in *Epiſt. ad Pupienum & Balbinum*, a Jul. Capitolino relata: *Denique legionibus ipſis* (gratulatus tum ſcilicet) *& auxiliis, quæ ubique terrarum jam veſtros vultus adorant, &c.* In ſumma, Principum vultus ſive æreos ſive marmoreos adoratos fuiſſe, D. Ambroſius (qui mihi eſt multorum inſtar) teſtis erit optimus; ait enim [1]: *Sola ære fuſa capita, & ducti vultus de ære vel marmore; ab hominibus adorantur.* Hoc minus mirum ei videbitur, qui obſervaverit Imperatores inclinantis Imperii non ægre tuliſſe hujuſmodi adorationis cultum, cum & *cæleſtia*, & *divalia*, ſua *ſtatuta*, dicant, & *divinæ ſanctionis affatus* [2]. Per adorationem vero intelligo venerationem, quæ procumbendo fiebat, & quæ primis Imperatoribus fuit inſolita; ſed poſtea ab adulatoribus invecta, quibuſdam placuit, quibuſdam diſplicuit. Eam ſane in ſe prohibuit Alexander Severus. At de Pertinace ita Capitolinus: *Fuit in Curia honorificentiſſimus, ita ut Senatum faventem adoraret.* De Othone item Tacitus [3]: *Nec deerat Otho protendens manus, adorare vulgum, jacere oſcula, & omnia ſerviliter pro dominatione.* Ritum autem veteris adorationis ſi quis forte requirat, hic a Suetonio traditur, ubi de L. Vitellio loquitur [4]: *Primus C. Cæſarem adorare ut Deum inſtituit, cum reverſus ex Syria non aliter adire auſus eſſet, quam capite velato, circumvertenſque ſe, deinde procumbens, &c.*

CAPUT XVI.

De antiquorum Numiſmatum vi ac poteſtate hodierna; an in iis ſit merx, aut pretium. Explicatæ quædam Juris Civilis quæſtiones.

CUM, ut ait Ariſtoteles [5], nummi non natura, ſed νόμῳ, id eſt, *lege*, valeant, in nobiſque ſit ut mutentur, & reddantur inutiles, & Remnius Fannius Palæmon de iis ita ſcripſerit [6],

—— non fœdere certo
Naturæ, ſed lege valent hominumque repertis:

videndum eſt, quid nummus valeat antiquus, aut quem hodie præbeat uſum; quæ diſquiſitio fere tota noſtra eſt, & a libris noſtris repetenda. In qua ita breviter ſentio, nummos antiquos uſum hodie pecuniæ numeratæ non præbere [7]. Itaque cum in emptione & venditione ex una parte ſit pretium, ex alia merx, numiſmata antiqua pretii loco non erunt, ſed mercis potius, quia in emptione & venditione pretium debet in numerata pecunia conſiſtere, id eſt, ea pecunia, quæ inter cives recepta & uſurpata ſit: abolita enim eſt eorum ſententia, qui emptionem rebus fieri poſſe exiſtimabant [8]. Ergo potius mercis vicem [9] obtinent vetera numiſmata, vel, ut Lampridius ait, materiæ. Ut enim pecunias in uſu publico conſtitutas pretium oportet eſſe, non mercem, id quod lege Conſtantini ſtatuebatur [10]; ſic etiam numiſmata, quæ uſum pecuniæ numeratæ non præbent, mercis non pretii loco ſunt, ut de Victoriato Plinius [11] ait, quem ex Illyrico advectum mercis loco habitum fuiſſe dicit: quod de Victoriato peregrino intelligo, (nam idem jus de peregrinis con-

1 Hexaem. 6. cap. 6. 2 Lib. 3. C. Theod. de Stud. lib. Urb. Rom. 3 Lib. 17. 4 In Vitel. cap. 2. 4 Lib. 5. Ethic cap. 5. 6 In Carm. de pond. & menſ. 7 Lib. 1. de contrahend. empt. §. Item pretium. Inſtit. de empt. & vendit. 8 Lib. 1. C. de contr. empt. 9 L. emptionem C. de Rer. permut. 10 Lib 5. C. Theod. Si quis pecuniam conſl. vel mercandi cauſa tranſtul. 11 Lib. 33. cap. 3.

A ſenſu civium non receptis, ac de reliquis antiquis nummis ſtatuendum exiſtimo) fuit enim & Romanus lege Clodia percuſſus, ut idem Auctor ſcribit, cujus poteſtas quæ fuerit, Voluſii Metiani verba ſubjecta oſtendunt [1]: *Victoriatus nunc tantundem valet, quantum quinarius olim; at peregrinus nummus loco mercis, ut nunc tetradrachmum & drachma, habebatur.* Ex quibus colligimus, Victoriatum Romanum pretii peregrinum mercis loco cenſeri. De Romano etiam Victoriato intelligendus Tertullianus, cum ait [2]: *Unius Victoriati vel quamcunque eleemoſynæ operationem ſiniſtra conſcia facere prohibemur.* B Nummi genus tanquam non magni pretii Tertullianus elegiſſe videtur, quodque olim in ſtipem fere cederet. Signum autem Victoriæ habuiſſe, indeque nomen ex nummorum adſpectione deprehendi, & Plinius oſtendit [3], in cujus verbis maculam, levem quidem, ſed non negligendam, ex manuſcripti libri collatione ſuſtuli, in quo ita ſcriptum inveni: *Eſt autem ſignatus Victoriæ, & inde nomen:* vulgo *Victoria* legitur, non tam eleganti ratione loquendi; ſic enim dicimus Latine, *ad Pacis*, *ad Veſtæ*, præciſa locutione, ſcilicet ut ſubintelligamus ædem, ſive templum. Signatus igitur Victoriæ, id eſt, C ſignatus nota & charactere Victoriæ. In hac emendatione nullum eſt meum audax facinus, qui libro veteri & ratione nitor. Porro Valentinianus & Valens Imperatores aliquando effecerant [4], ut veteri numiſmati ſive ſolido ſua redderetur poteſtas, & eo res ſeu ſpecies emerentur aut diſtraherentur, dummodo debiti ponderis aut ſpeciei probæ eſſent & materiæ: quod deſuetudine inumbratum revocaverat Philoſophus Novella Conſtitutione [5], quæ etiam hodie uſu recepta non eſt, veteri deſuetudine remanente [6]. Quid ergo? nullus erit antiqui numiſmatis honos, & uſus legibus cognitus & approbatus? Immo maximus: etſi D enim ſatis ſuperque retulerimus laudatiſſimam eorum vim & poteſtatem, tamen ex Legum noſtrarum verbis demonſtrabimus nobiliſſimum eorum uſum. Ait ergo Pomponius Juriſconſultus de iis [7]: *Numiſmatum aureorum, vel argenteorum veterum, quibus pro gemmis uti ſolent, uſusfructus legari poteſt.* His verbis nihil dici poteſt accommodatius ad commendationem ſtudii veterum numiſmatum, quod etiam olim frequens fuiſſe indicant jura, quæ ad illa aptantur. Ergo in iis legatis conſtituitur uſusfructus, non fictitius ille Senatusconſulto [8] introductus, ſed verus & proprius; tanquam vetera numiſmata etiam rerum numero ſint, in quibus E non abuſus, ſed uſus eſt, id eſt, quæ utendo non conſumuntur, cum iis pro gemmis uti ſoleamus, in quibus verus ineſt uſusfructus. Sit ergo hoc conſtitutum & fixum, vetera numiſmata gemmarum vicem obtinere in quæſtione uſusfructus; non quod gemmæ ſint aut lapilli, (repugnat enim definitio a Juriſconſulto [9] tradita) ſed quia in uſufructu relicto aut conſtituto gemmarum locum occupant *, iiſque pro gemmis utamur. Et quia de legato numiſmatum loquitur Pomponius, nihil extra lineas feciſſe videbor, ſi nonnullas quæſtiones breviter diſſolvero, ab hac de veteri nummo F diſputatione non alienas. Quæro igitur, An auri vel argenti legati appellatione veniant antiqua numiſmata? Quod puto: certum eſt enim aureum numiſma aurum eſſe. Denique cum auri legati vel argenti appellatione pecunia numerata non

1 Lib. de Aſſe. 2 Lib. de Virginib. veland. 3 Lib. 33. c. 3. 4 Lib. 1. C. lib. 11. de Vet. numiſm. poteſt. 5 Nov. Leonis 52. 6 Vide Novel. Theod. 7 L. Numiſmatum. ff. de Uſufruct. 8 Lib. 1. de Uſufr. ear. rer. quæ uſu conſ. 9 L. Cujus aurum. ff. de Auro & arg. leg.

* Rectius vid. *occupent*.

intelligatur, quod (contra quam Cicero [1] putaverit) Jurisconsultis nostris [2], fidelissimis hujus controversiæ arbitris, placuit; veteres autem nummi pecuniæ numeratæ potestate non fungantur: reliquum est, ut auri & argenti appellatione comprehendantur. Item quæro, An auri vel argenti facti nomine veniant? Quod non puto: quia argentum factum a signato separatur tanquam diversum; ergo auri vel argenti signati nomine comprehendantur. Quidni? cum & peregrini, ut Philippei, ea veniant appellatione; ait enim Ulpianus [3]: *Si autem aurum vel argentum signatum legatum est, id paterfamilias videtur testamento legasse, quod ejus aliqua forma est expressum: veluti quæ Philippi sunt, itemque numismata, & similia.* Hæc verba non ad peregrinos tantum, sed & veteres, ac denique quacumque forma expressos, pertinent. Philippi nummi peregrini sunt, utpote Macedonici, quorum frequens apud Livium mentio; & Horatius de Chœrilo, Regi Alexandro grato, dixit [4],

Rettulit acceptos Regale numisma Philippos.

Fuere postea usu Romæ recepti Philippei nummi, tam ærei quam argentei, quorum frequens etiam apud Auctores mentio [1], a Philippo Imperatore dicti, ut Antoniniani & Aureliani, ab Antoninis & Aureliano. Ea Philippeorum forma & pondere cum alii postea ferirentur, quamvis alio quam Philippi vultu, tamen Philippei dicebantur. Itaque Valerianus Imperator in quadam ad Zosimionem Procuratorem Syriæ Epistola, ait de Claudio, qui postea rexit Imperium [2]: *Dabis Philippeos nostri vultus annuos centum quinquaginta.* Cum autem in superioribus quæstionibus aurum vel argentum factum a signato distinxerimus, id cum ex Jurisconsultorum, tum vero aliorum Linguæ Latinæ Auctorum usu fecimus. Apud Livium enim ita Valerius ait [3]: *Cautum erat, quo ne plus auri & argenti facti, quo ne plus signati argenti & æris haberemus, &c.* Ceterum quas supra decidimus quæstiones, eæ demum obtineant, ut constituimus, si de voluntate testatoris dubitetur, quo casu ad Juris interpretationem decurrimus; nam si appareat utro in numero vetera sua numismata testator habuerit, facti an signati argenti numero, eam proculdubio sequemur, ut in toto eo Tractatu faciendum esse prudenter monent Jurisconsulti.

1 In Top. 2 D. l. Cum aurum. in princ. l. Q. Mur. §. 1. Et auro arg. leg. 3 D. leg. Quint. §. pen. 4 Epist. 1. lib. 2.

1 Vopisc. in Aurel. & Probo. 2 Trebel. Pollio in Claudio. 3 Lib. 24.

Marmor Dolæ Sequanorum in Æde sacra D. Georgii.

VERBO ÆTERNO
ET CLAUDIO CHIFFLETIO,
LAVR. CONSILIARII REGIS MAGNI F.
SEQVANO,
DOLANÆ ACAD. ANTECESSORI,
RARA SANCTITATE VITÆ,
RARISSIMA IVRIS BONARVMQVE ARTIVM
PROFESSIONE CLARISSIMO:
QVI IN IPSO ÆTATIS ET STVDIORVM VIGORE,
CVM VARIA AD LEGES, AD HISTORIAS,
AD ELOQVENTIAM DIV MEDITATA COLLIGERET,
GRASSANTIBVS TORMINIBVS RAPTVS,
ET SVBLATVS IN CÆLVM,
PATRIÆ DESIDERIVM, BONIS AMOREM,
STVDIOSIS ÆMVLATIONEM, IMPROBIS INVIDIAM,
SIBI GLORIAM, SVIS LVCTVM RELIQVIT,
IOANNES CHIFFLETIVS MEDICVS,
FRATRI INCOMPARABILI ET B. M.
HVNC TITVLVM S. S. E. D. D. D.
NATVS EST ANNO A CHRISTO NATO
M. D. XLI. PRIDIE ID. IVLII.
DENATVS M. D. XXC. XVII. KAL. NOVEMB.
HVNC LAPIDEM NOSTRI MONVMENTVM ET PIGNVS AMORIS
ACCIPE, ET ÆTERNVM FRATER AVE ATQVE VALE.

FINIS.

GEORGII GREENII,

HOLSATI,

DE

RUSTICATIONE ROMANORUM,

NECNON

DE

VILLARUM ANTIQUARUM

STRUCTURA APUD EOSDEM,

COMMENTARIOLUS.

ILLUSTRISSIMO atque GENEROSISSIMO.

BARONI. ac DOMINO.

D^N. CAROLO
LIBERO. BARONI.
DE. FRIESEN.

Rotaviæ &c. Domino, Potentissimi Electoris Saxoniæ in Consilio Sanctiori Senatori, & Consistorii Ecclesiastici supremi Præsidi gravissimo, Mæcenati Eruditorum certissimo, Patrono & Promotori meo maximo,

Dedico

ILLUSTRIS IPSIUS NOMINIS ADMIRATOR, ET
INFRA SERVOS CLIENS PERPETUUS,

GEORGIUS GREENIUS HOLSATUS.



NONDUM excesserat ex ephebis ætas, MÆCENAS ILLUSTRIS, cum FRISIORUM magnum Nomen, sua quidem gloria illustre, sed ex Tuis præsertim in Patriam meam meritis, inter Cimbros cives meos multum celebratum, tacita mente suspicere atque venerari cœpi. Sanctius tamen Illud, & imprimis TUUM postmodum habui, quando perfectior ætas divinam sapientiam, admirandam prudentiam, heroicas virtutes, salutis publicæ curam, maximam in Patriam pietatem, Musarum tutelam, aliaque in TE, quæ oculos trahunt, & Europa stupet, æstimare docuisset; atque ego totam Europam in FRISIORUM cultu esse intellexissem. Quorsum enim deinceps pedem ponerem, sive in Germania apud Cattos, Suevos, Rauracos, Nemetes, Belgasque agerem, sive extra Germaniam, in Anglia, Dania, aut in Svecorum ditionibus versarer, aut cum Gallis essem, ubique gloria Tui Nominis coruscabat, & Virtutum Tuarum sapientiæque laudes extollebantur. Partim quod fama Illustris Nominis illuc penetrasset, (non enim adeo ingratæ sunt Musæ nostræ, ut illorum, qui ipsas diligunt, tuentur, aut cultores alios fovent ac sublevant, occultare nomina velint) partim quod IPSE, cum aliquando has obiisses regiones, Virtutum Tuarum memoriam reliquisses. Accendebant hæc animum, ut TE sibi placare Numen secum constitueret, atque venerari religiosius; etiamsi nomen, quo potissimum delectareris, aut cultum, quo placari posses, ipsum lateret. Quocunque tandem modo colere tunc satis erat. Verum processit postea mentis aviditas, & quod in Sacræ paginæ Religiosis etiam advertimus, intueri oculis Numen, quod mente hactenus contemplatus eram, gestiit, cum a Musis contenderet, ut viam, qua adire illum Præsidem & Ducem suum, mentisque profiteri reverentia possem, aperirent. Idque eo contentius postulavi, quo pluris mea intererat, & meam erga TE pietatem TIBI notam fieri, & memet ipsum a TE non ignorari. Siquidem, cum compertum haberem, quid olim prudenter instituisset Respublica Lacedæmoniorum, ut advena, qui commodo nullo Rempublicam juvare posset, nec se alicujus Civis egregii favori applicuisset, ejiceretur; verebar, ne idem in me quoque, quod ipsi usui hactenus non fuerim, Saxonia statueret, nisi me Aris Tuis, MAGNE MÆCENAS, & Illustri Nomini, quod invidiæ tutissime opponitur, applicuissem. Atque impetraveram illud, cum in Bohemiam me contendentem Dresdæ benigne admitteres, nec tantum admitteres, sed gratioso intuitu, nescio quæ non beneficia impertireris ac promitteres. Quo animus erigebatur quidem, & ad cultum, tuumque obsequium multo gnavior fiebat: sed nondum satiatus erat vultu adspectuque Tuo. Unde mox consilium subortum ipsi est, fingere novum nomen, quo TE denuo adiret, atque parare sacrum aliquod, quod TIBI TUTELARI suo faceret, quod nunc ea qua par est humillima devotione offero, TUOQUE illustri Nomini do, dedico. Exiguus est Libellus, quem ad pulvinar Tuum depono, cui TU IPSE, quod Praga me reduce in Secessum TE receperas, argumentum suppeditasti. Enimvero hoc de RUSTICATIONE & VILLIS VETERUM thema nec temere occupavi, nec quo exhiberem aliquid, quod TE fugeret: qui enim in TE alicujus rei ignorantia deprehenderetur? cum TUte TIBI viva Bibliotheca sis, ut proinde nulla rerum divinarum humanarumque scientia ab homine exspectari possit, quam IPSE TIBI non præstes: sed quod loco temporique illud convenire, nec ingratum TIBI fore arbitrarer; quo nemo ad Veterum morem publicam sollicitudinem erudito otio unquam dispunxit elegantius, aut amœnis litteris sapientius in Secessu quietem collocavit. Sic enim, licet totum TE negotiis Principis impendas, in omni tamen elegantiori litteratura excellis, ut huic soli invigilasse videaris. Religio mihi sit in Virtutum Tuarum laudes excurrere, PATRONE OPTUME MAXUME, ne parum facunda lingua minimum dicendo, aliquid iis deteram. Modeste potius TIBI supplico, qualecunque hoc donum Aris Tuis impositum respicias. Nec TE, quod mutilum est, quale Dii aversantur, qui integris perfectisque placari cupiunt, offendat. Non potuit non idem mihi quod canibus contingere, qui festinando ni

nium cæcos pariunt catulos, quoniam & ego intra paucas feptimanas hunc fœtum concepi & edidi; & ipfe feftinabat, quo TE in Seceffu morantem offenderet. Id quoque deprecari maxime opus habeo, quod nulla litura politum fine ornamentis apparet: cum luteum vere Opus foret, neceffum fuit imitari figulos, ante aprico teftaceum opus exponentes quam expoliant, quo induretur, nec prenfantium manibus adhæreat. Quare fi & TU, VIR ILLUSTRIS, hoc noftrum GRATIÆ TUÆ radiis illuftrare dignaberis, & limatius aliquando ad TE & ornatius redibit. Demitte igitur Generofum Spiritum, atque ea, quæ TIBI innata eft generofa quædam humanitas, quam fummus in Curia Electorali locus non mutavit, verum, quod omnes mirantur, auxit, erga me utere. Solent Dii in donis confecratis non pretium æftimare vel ornatum, fed pietatem mentis, fed animi obfequium. TU, fi dederis, jure applicationis fruar,

Numinis inftar eris femper mihi, meque fatebor.
Muneris effe Tui.

Dabam Lipfiæ prid. Id. Octobr. Anni O. R.
MDCLXVII.

INDEX CAPITUM.

DE RUSTICATIONE &c.

DE ANTIQ. VILLARUM STRUCT.

GEORGII GREENII, HOLSATI, DE RUSTICATIONE ROMANORUM COMMENTARIOLUS.

CAPUT I.

Licet a Republica ad otium secedere.



OTII nominis tanta est suavitas, atque dulcedo, ut facile neminem offenderit; quin potius omnes amœnitate sua ad amplexum sui rapere valeat. Nam ea nunc ingenii humani imperfecta est conditio, ut continuos labores & concatenatas molestias sustinere nequeat; sed remittere interdum & interponere negotiis seriis otia necessum omnino habeat. Quemadmodum arcus, nisi remittantur nonnunquam, vel franguntur, vel amittunt feriendi impetum: pariter comparatum est cum ingenio hominum, nimia perpetuaque intentione frangitur, aut virtute sua minuitur. Quod ergo in Cælatoribus aut Pictoribus deprehendimus, quod oculos diu intentos ac fatigatos remittunt atque avocant, &, ut dici solet, pascunt; idem omnibus incumbit, relaxare animum, & quibusdam oblectamentis reficere, vel quasi pascere. Quanquam & ipsa oblectamenta opera sint, & otium, ad quod nos referimus, negotium audiat, ex quo aliquid fluere possit aut erui salutare. Non enim illud probatur otium, quod vetus Comicus otiosum appellavit, quo animus non remittitur, sed resolvitur. Aliud longe otium est, ad quod hortantur sapientes, atque frui permittunt. Quale illud Scipionis Africani, nec non Ciceronis fuit, litterarum & cum Philosophia atque dignitate conjunctum; quod ipse Cicero lib 3. *de Off.* §. 1. seqq. explicat. In quo qui versantur, idem cum Scipione dicere audent [1]: *Nunquam se minus otiosos esse, quam cum otiosi sunt.* Hujusmodi otium suadet Seneca *ep.* 68. *Otium tibi commendo, in quo majora agas & pulchriora, quam ea, quæ reliquisti.* Mirum id videbitur cuiquam, otium dici quod merito est negotium, & statuere esse eadem, quæ cum semet ipsis pugnare atque mutuo convellere videntur. Quare intentius inquirendum erit in Philosophorum veterum mentem, ut quid ipsis fuerit otium, aperiatur. Non autem eum animi torporem, qui segnities est, dixere otium; (quanquam alias hæc vox eam significationem quoque admittat) sed distinguentes inter id, quod est vitam segnem ducere, & agere in otio, opposuere hoc nomen turbido & inquieto vitæ statui, minime vero omni negotio. Et quemadmodum Cicero, non uno in loco, otium Reipublicæ dixit illam tranquillitatem, quæ post motus turbasque sedatas reducitur; ita sapientes dixere privatæ vitæ statum otium, quo quis semotus a turbis strepituque Civitatum, a congressu & frequentia hominum, aut procul a curis officiisque publicis, A inter Musas litterasque vitam transigit: partim ut in virtute se meliorem reddat, partim ut contemplationibus vacet, aut ea ordinet rerum actionumque præcepta, quibus non patria modo civitas, sed omnes omnium gentium homines regerentur. Si testibus hæc res indigeret, laudare possem, præter Ciceronem *de Oratore*, &c. Senecam, aliosque; sed Plinii testimonium mihi sufficit hoc loco. Hic *lib.* 1. *ep.* 9. „ Satius est, ut Attilius noster „ eruditissime simul & facetissime dixit, otiosum es„ se quam nihil agere. Et *lib.* 4. *ep.* 23. Quando o„ tium & secessus mei non desidiæ nomen, sed tran„ quillitatis accipient. Ad hoc otium quidam ita B nati videntur, ut alieno a negotiis civilibus animo, tantum ad otium suæ quasi naturæ impetu ferantur: quales olim Pythagoras & Pythagoræi, qui congressus hominum fugiebant; item Democritus & Anaxagoras, qui se totos ad cognitionem rerum transtulerunt. Cujusmodi homines nec omnino culpandi sunt, nec ab otio illo abstrahendi.

Quæsitum quondam est a Stoicis & Epicureis, *An homo sapiens in otio & secessu possit agere?* nec convenit inter ipsos super hoc argumento. Stoicorum hoc erat præceptum, *πολιτεύσεσθαι τὸν σοφὸν, ἂν μὴ τὶ κωλύει, iturum ad Rempublicam sapientem,* C *nisi quid impediat.* Hoc Zenon præcepit: quo nomine Tacitus lib. 14. *Annal.* Stoicis tribuit: *Quod arrogans sit Secta, reddens homines turbidos & negotiorum appetentes.* Quæ vero illa justa impedimenta sint, quæ sapientem a Reipublicæ negotiis retrahere possint, explicat Seneca in *fragmento de otio aut secessu sapientis* c. 30. *Causa*, inquit, *illa late patet, si Respublica corruptior est, quam ut adjuvari possit; si occupata est malis; non nitetur sapiens in supervacuum, nec se nihil profuturus impendet: si parum habebit auctoritatis & virium: nec illum erit admissura Respublica, si valetudo illum impediet.* D Sic Stoici opinabantur; a quibus in alteram contrariamque partem ivere Epicurei, statuentes [1]: *Non accedet ad Rempublicam sapiens, nisi si quid intervenerit:* id est, explicante hanc limitationem Lipsio, *si Patria periclitatur; si lex eum cogit; si populus ignarum eligit.*

Quid in hoc sententiarum divortio eligendum sit, non obscurum esse potest; id nempe dicendum, quod utrique sententiæ aliquid adhæreat emendandum. Sed supponendum in antecessum erit circa sententiam Stoicorum, hominem non tantum Reipublicæ, sed & sibi, Deoque esse factum; seu, ut Schola Pythagoræ apud Stobæum docuit, *Factus* E *& conditus est homo, ut contempletur rationem universæ naturæ & sapientiæ, eidemque hoc opus est, acquirere & considerare omnium quæ exstant sapientiam.* Vel juxta Epicteti effatum: *Deus hominem spectatorem hunc in mundum induxit, & sui & suorum operum, nec spectatorem tantum, sed enarratorem & præconem.* Vel si placent verba Senecæ omnium

1 Cic. l. cit. & Plutarch. in Apopht.

1. Senec. fragmento cit. & ep. 86.

luculentissima: *Natura nos ad utrumque genuit, & contemplationi rerum & actioni*. Quæ verba ideo malo, quia sunt Stoici Philosophi. Quod si vero quisquam hoc principium negatum ire vellet, ipsa hunc ratio recta redargueret. Quorsum enim tam ardens sciendi desiderium indidisset natura homini? Nam omnis intellectus natura scire desiderat; quod & Aristoteles affirmat, & Veterum molestæ peregrinationes atque indefessus acquirendi rerum cognitionem labor arguunt. Nisi igitur hoc desiderium expleatur, non sinit hominem perfecte esse beatum. Quomodo enim is posset dici beatus, qui perpetua indigentia laboraret; qui semper appeteret, & frui nunquam vel satiare appetitum auderet? Rectum & cordatum Epicuri dictum est, modo reliqua consentirent: *Quod non convivia aut commessationes, non item amores, non alia oblectamenta faciant vitam jucundam:* ἀλλὰ νήφων λογισμὸς, καὶ τὰς αἰτίας ἐξερευνῶν πάσης αἱρέσεως καὶ φυγῆς. *Sed sobria & vigilans ratio, causas explorans cur quidque eligat aut vitet*. Similiter etiam Aristoteles judicat *de part. animal.* l. 1. c. ult. καὶ γάρ. inquit, εἰ καὶ κατὰ μικρὸν ἐφαπτόμεθα, ὅμως διὰ τὴν τιμιότητα τοῦ γνωρίζειν, ἥδιον ἢ τὰ παρ' ἡμῖν ἅπαντα. *Illius* (sc. cognitionis rerum divinarum) *si vel minimam partem adepti sumus, suavius hoc nobis, quam si omnia inferiora, quæ circa nos sunt*. (sc. cognosceremus) Ut ea impræsentiarum subticeam, quæ Aristoteles l. 10. *Eth.* c. 6. 7. 8. de perfecta felicitate disputavit. Hanccine cognitionis & scientiæ sitim impressisset natura, ut dum negaret restinguere, perpetuo torqueret? neutiquam. Insuper ita gignit natura hominem ad utrumque, ut & ipsa distinguat ingenia, discernatque imprimendo voluntatem, & impetum quendam mentis ad hæc vel illa vitæ studia sectanda, fingendoque ingenium hominis, aut ad otium & quietem, aut ad negotium regendasque civitates: paucos enim ad utrumque simul formabit.

Deinde quæstio proposita in tres partes poterit dividi. Primum, ut possit aliquis vel a prima ætate contemplationi veritatis atque justitiæ rerum divinarum & humanarum totum se tradere, rationem vivendi quærere atque exercere secreto.

Secundo, ut possit aliquis emeritis jam in publico stipendiis, provecta ætate, vel alia impellente causa, a civitatibus ad otium animum referre.

Denique, ut possit nonnunquam, non deserendo Rempublicam, in curarum levamen & animi refocillationem ad tempus secedere. Primam & secundam partem negabant Stoici; tertia ne quidem in dubium vocabitur. Verum enim vero quod primam attinet, cum Stoicis facere nequeo; aut omnes, etiam quos natura suo indicio contemplationi destinaverit, ad forum damnare. Qua ratione is peccasse dicendus sit scire cupio, qui naturæ ductum sequutus, omne vitæ curriculum in investigando vero justoque posuit; siquidem naturæ voluntatem & officium, cui ipsum Creator destinarat, implevit. Nec juste desidiæ accusabitur, quoniam & hoc ipsum contemplari & ratiocinari est non esse desidem, dum ratio a segnitie ad opus ducit. Si interponat Stoicus nos omnes Reipublicæ esse natos: dabimus illud responsi, quod Seneca suppeditat *de otio & secessu sapientis* c. 30. „Hoc ab homine exigitur, ut prosit ho„minibus, si fieri potest, multis; si minus, pau„cis; si minus, proximis; si minus, sibi. Nam „cum se utilem cæteris efficit, commune agit ne„gotium. Quomodo qui se deteriorem facit, non „sibi tantummodo nocet, sed etiam omnibus iis, „quibus melior factus prodesse potuisset: sic si „quis bene de se meretur, hoc ipso aliis prodest, „quod illis profuturum parat &c. Multa præter hæc in hanc rem disseruit cap. 31. & lib. 1. *de*

A *Tranq. animi* c. 3. quæ paginæ angustia non capit. Non is certe Reipublicæ commodum modo promovet, qui se rebus agendis præparat, & opera sua juvat; sed etiam qui ad obtemperandum se rite componit, & virtute obediendi; sic enim Schola Politicorum distinguit, animum instruit. Ne dicam veteres Philosophos in iis artibus, quæ repertæ sunt, ut puerorum mentes ad humanitatem formarentur, atque Reipublicæ pararentur, in otio omne tempus atque ætates suas consumsisse; quo ipso Reipublicæ non parum profuere. Liceat id ex Seneca confirmare, qui *ep.* 90. hæc scripsit: „Solon, qui Athenas æquo jure fundavit, inter
B „septem ævi sapientia notos. Lycurgum si eadem „ætas tulisset, sacro illi numero accessisset octavus. „Zaleuci leges Charondæque laudantur, hi non „in foro, nec in Consultorum atrio, sed in Py„thagoræ tacito sanctoque secessu didicerunt jura, „quæ florenti tunc Siciliæ, & per Italiam Græ„ciæ ponerent. Et *de Vita beata* c. 32. idem: „Nos certe sumus qui dicimus, & Zenonem & „Chrysippum majora egisse, quam si exercitus du„xissent, gessissent honores, tulissent leges, quas „non uni civitati, sed humano generi tulerunt. Adde c. 3. Senecæ *de Tranquill. animi*, & *epist.*
C 8. Nec alia fuit Ciceronis sententia lib. 9. *ad Famil. ep.* 2. „Si minus in curia atque in foro, ta„men in litteris & libris, ut doctissimi Veteres „fecerunt, navare operam Reipublicæ, atque de „moribus & legibus Reipublicæ quærere, & scri„bere & legere πολιτείας possumus.

Sed ad alteram quæstionis partem me conferam, atque posse quenquam ab ipsa Republica, cui manum jam admoverat, vergente ad exitum ætate, aut alia de causa, in otium se recipere, & partes suas deserere, ostendam. Cum Epicuro disputare, quod sapiens omni tempore Reipublicæ munia obire possit & debeat, haud erit necessarium:
D siquidem, quæ hoc negat sententia, cum communem hominum societatem convellat aut labefactet, absurditate sua corruit. Stoicos nunc oppugnabo, qui in actu mori jubent, (Seneca *ep.* 8.) vel ut alibi [1] Seneca, usque ad ultimum vitæ finem in actu esse: quod omnibus probari non potest. Non moveor, ut contradicam Stoicis, exemplo Vestalium apud Romanos, quarum tempus tricennale erat, referente Plutarcho in *Numa*, & ex hoc decem annos discebant, decem operabantur sacris, totidem deinde docebant alias, quæ ipsæmet fuerant edoctæ & fecerant. Nec cedo auctoritati Plinii, qui *l.* 4. *ep.* 23. ita distinguit ætatis humanæ
E partes: quod prima vitæ tempora & media Patriæ, extrema nobis impertire debeamus. Neque urgeor instituto Romanorum, quod majorem annis sexaginta otio reddit. Ipsa me hoc natura docet, quæ, dum senibus vires agendi subtrahit, veniam quasi operum concedit. Inhumanum certe foret & ingratum, ne dicam injustum, qui per omne vitæ tempus Reipublicæ molestam curam pertulit, & publicum privatæ utilitati antepofuit, omniaque incommoda patienter devoravit, illi tantillum otii in senectute velle invidere, aut denegare redhostimenti loco tranquillitatem, quo ad exitum iterque
F ultimum se accingere possit. Mittamus hæc, quoniam aperta satis, ut cum Seneca manum conseramus. Quod dixit Seneca, *Sapientis esse abstinere se a Republica, si occupata est malis, si corruptior quam ut adjuvari possit*, admitti simpliciter & sine distinctione non potest. Non equidem illi, qui in bivio adhuc hæret, & cuinam Reipublicæ accedat, deliberat, auctor esse cupio, ut vel Atheniensium se adjungat, in qua Socrates ob virtutem damna-

1 Fragmento de otio & secessu sapientis.

A batur; aut Carthaginensium, cum assidua seditione agitaretur; aut aliam ingrediatur, cui cum virtus tum libertas infesta est. Sed de tali casu sermo mihi est, ubi quis vel in civitate natus, vel in illam receptus semel fidem & operam illi addixit, aut curam publicam suscepit; is certe, si inciderit in summum discrimen Respublica, aut cum desperato malo cœperit conflictari, eam curam abjicere non potest, aut quia immedicabile est vulnus, operam suam subducere. Si secus opinatur Seneca, ceu nobis videtur, postulamus eum erroris; non conti argumento quo utitur, quod non sit sapientis niti in supervacuum. Sæpe enim desperatissimis B morbis, præter omnem spem, medicina audendo inventa est: ut non denegare ægroto Medicus consilium & operam soleat, quamdiu vel non rejicit medicamenta, vel conclamatus non est. Parentibus aut cognatis decumbentibus, adhærere solemus ex pietate quadam lectulo, ministrare indesinenter, observare ægritudinis intervalla; & derelinquere eos, antequam concesserunt, impietati verteretur. Quanto magis id officium Reipublicæ ac Patriæ tribuendum est; qua juxta Ciceronem *Philip.* 5. *nulla cognatio propior est, in qua parentes continentur*; cui ita copulati & quasi desponsati sumus, ut, nisi ipsa nos ejecerit injuste, aut dimise- C rit ultro, abire nequeamus. Damus id Senecæ, quod sapiens ex ratione agere debeat, & non niti in supervacuum, quamdiu id in sapientis est potestate; at quando in extremo malum versatur, sæpius pro ratione fortuna est. Ut in morbis curationis ratio non semper dari potest, nec in bello victoriæ; sic in Republica laborante non omnes eventus a ratione pendent, & magnam sibi quoque partem fortuna vendicat. Et nemo ita sapientia munitus est, quin interdum se fortunæ permittere usu ipsi veniat. Socratis gloria sapientiæ imminuta non est, potius ex eo immortalis facta, quod, cum Athenæ a triginta Tyrannis essent oppressæ, & plane pes- D sundatæ, ut nulla recipiendæ libertatis animis spes appareret, nec ulli remedio contra tantam vim malorum locus ostenderetur, (his verbis Seneca calamitatem Athenarum c. 13. *de Tranq. animi* describit) pedem porta non extulit, ut loquitur Cicero *ad Atticum*, sed in medio fuit, & lugentes Patres consolatus, & desperantes de Republica exhortatus est, divitibus opes suas metuentibus seram periculosæ avaritiæ pœnitentiam exprobrans, & magnum circumferens exemplar imitari volentibus, cum inter triginta dominos liber incederet. Medicus in desperatione, gubernator in tempestate cognoscitur; horum omnium famam extollunt peri- E cula: ita moris est sapientibus viris ingeniorum facultatem periculorum difficultatibus probare. Quod si vero omne, quod vires suppeditant, facultatis frustra in Patriam impenderit civis, nec spes post perditam operam consumtamque virtutem salutis reliqua fuerit, vel si ipsa nolit Medicum, tandem in otium se recipere potest. Id in navium Magistris cernimus, qui adversis etiam ventis, furente tempestate, & reluctantibus fluctibus navim in portum inferre laborant, ubi vero exciderint, statione sunt contenti. Ita accipienda sunt Ciceronis verba lib. 9. *ad Famil.* ep. 6. *Quis hoc non dederit nobis,* F *ut cum opera nostra patria seu non possit uti, seu nolit, ad eam vitam revertamur, quam multi docti homines fortasse non recte, sed tamen multi etiam Reipublicæ præponendam putaverunt.* Aurea Senecæ verba in hanc rem scripta ex c. 3. *de Tranq. animi* allegare possem, sed intermitto; satis enim de hoc argumento philosophati sumus, & longius, quam volui, fluxit oratio.

Id nunc explicandum restat, quod feriari a feriis negotiis interdum, & respirare animo, quo alacrior ad curam redeat, homini sapienti concessum sit. Non statuimus homini, qui se Reipublicæ mancipavit, licere pro lubitu a negotiis ad otia ruris & quietem confugere; aut assidua laboriosi operis statione fatigatum corpus voluptaria peregrinatione recreare; aut studiis privatis animum detinere; vel denique ex placito disponere diem. Qui imperii negotia sustinet, non magis is ex arbitrio suo otiari potest, quam ille se incurvare, cujus humeris fabulosa Antiquitas mundum imposuit. Suprema lex optimi civis est; *Ne quid Respublica detrimenti capiat*: ad hanc in singulis respiciendum est, huic per omnia obtemperandum; ne idem de ipso conqueri Patria necessum habeat, quod Nicetas de Imperatoribus Romanis: *Imperatores consuevisse in ora Campaniæ, in magnificentissimis Prætoriis æstivare, quod sæpe rebus magnis impedimento fuit.* Verum si imperii negotia non impediunt, si non repugnat Reipublicæ fortuna, permittimus sapienti cessare a negotiis, & ab occupatione ad vacationem, ab industria ad otium, a civitate in Secessum animum nonnunquam transferre. Eam enim vicissitudinem imposuit nobis quædam naturæ nostræ necessitas, quam effugere non possumus. De qua Cicero lib. 2. *de Orat.* postquam meminisset Lælii & Scipionis rusticationes: „Quemadmodum volucres videmus procreationis atque utilitatis suæ causa „fingere & construere nidos, easdem autem cum „aliquid effecerint levandi laboris sui causa, passim ac libere solutas opere volitare: sic nostri „animi forensibus negotiis atque urbano opere „defessi, gestiunt ac volitare cupiunt vacui cura „atque labore. Exinde est quod Respublica Romana, ditissima exemplorum virtutis, certis anni temporibus, solvere animos curis & laboribus Curiæ forique, atque in otio reficere civibus suis indulsit, de quo nunc plura.

CAPUT II.

Securum otium veteres Romani in Villis & Secessu quærebant.

VERAM tranquillitatem & securum otium veteres Romani non intra Urbis mœnia, sed ruri in Secessu, in Villis, hortisque suis quærebant [1]. Nam licet omnis urbana vita inquieta turbataque sit, maxime tamen quæ Romæ amplissima in Astu agebatur, molesta fuit, & plurimis clamoribus multoque strepitu perturbata. Audire inanes discursiones hominum, strepitus transcurrentium essedorum & equitum; interesse officio togæ virilis [2]; sponsalia ac nuptias frequentare; venire ad signanda testamenta; rogari in consilium & in advocationem; vacare officiis clientum ac mane salutantium; spe metuque nec non multis rumoribus sollicitari; hæ erant in Urbe Romana molestiæ, quæ animum distendebant, fatigabant, (& si vera sunt quæ Seneca de Chrysippo suo, Lipsius mavult Crispo, refert, quod assidua eum salutatio ad mortem perduxit) tantum non enecabant. Ne dicam de clamoribus libariorum, potulariorum, crustulariorum, & omnium popinarum institorum, item balneatorum, alipilorum, & ejus farinæ hominum; partim mercem insignita quada modulatione, partim operas suas Stentorea voce venditantium. De quibus Seneca in *epistola* 56. Ab hisce molestiis multum remota est tranquilla sedataque vita, quæ in Secessu & ruri agitur. Non exscribam Horatii *epistolas* 10. &

1 Martialis lib. 5. ep. 21. l. 12. ep. 69. 2 Plin. l. 1. ep. 9.

14. lib. 1. quibus prærogativas vitæ rusticæ deprædicat; nec compilabo scrinia sive Veterum seu Recentiorum, qui de vitæ rusticæ laudibus plurimum commentati sunt. Audivisse Plinium satis erit (*lib. 1. ep. 9.*) datis in Villa Litteris: *Nibil audio quod audisse, nibil dico quod dixisse pœniteat; nemo apud me quenquam sinistris sermonibus carpit: neminem ipse reprehendo, nisi unum me, quum parum commode scribo: nulla spe, nullo timore sollicitor, nullis rumoribus inquietor. Mecum tantum & cum libellis loquor*. Et adjungam Tertulliani verba, quæ libro *de Pallio* προσωποποιικῶς de pallio Cynico fecit, quoniam negotia Urbis molesta & profundum in secessibus otium optime explicant: *Ego nibil* (inquit pallium Cynicum) *foro, nibil campo, nibil Curiæ debeo; nibil officio advigilo, nulla rostra præoccupo, cancellos non adoro, subsellia non contundo, jura non conturbo, causas non elatro, non judico, non milito, non regno. Secessi de populo; imo unicum negotium mihi est, nec aliud curo, quam ne curem &c.* Tanta est Secessus tranquillitas. Hinc Cicero indicaturus summam tranquillitatem qua domi fruebatur, comparat cum otio rustico, lib. 6. ep. 19. *ad Fam. Otium domus est, quæ nulli Villarum mearum cedat: Otium omni desertissima regione majus; Itaque ne litteræ quidem meæ impediuntur, in quibus sine interpellatore versor*. Idem alibi Tusculanum lenimen laborum dixit, lib. 1. *ad Atticum* ep. 4. *Uno illo in loco ex omnibus molestiis & laboribus conquiescimus*.

Sed ut specialius dicamus, quærebant otium in Villis, hortis, & municipiis, quæ propterea *Secessus* appellabantur. Vocabulum quidem *Secessus* nonnunquam quemlibet secretiorem & ab arbitris strepituque remotum locum notat. Cyprianus epist. *ad Donatum* lib. 2. *Epp.* locum secretum, meditationibus & confabulationibus commodum, appellat Secessum: *Dant secessum vicina secreta, ubi dum erratici palmitum lapsus nexibus pendulis per arundines bajulas repunt, viteam porticum frondea tecta fecerunt*. Eodem sensu Plinius; *studia altissimus ille secessus affatim suggerit*, l. 2. ep. 8. In specie tamen vel ipsa Rusticatio, vel loca extra Urbem, in quibus otio litabant & Musis, Secessus appellata sunt. Plinius *l. 2. ep.* 13. aperte Secessum opponit Urbi: *Ille meus in Urbe, ille in secessu contubernalis*. Tacitus l. 14. *Annal.* c. 62. *Magna ei præmia & secessus amœnos promittit*. Suetonius in *Nerone* c. 34. *Submissi qui Romæ morantem litibus, & in secessu quiescentem per convitia & jocos, terra marique prætervehentes inquietarent*. Et in *Augusto* c. 72. *Ex secessibus præcipue frequentavit maritima, Insulasque Campaniæ, aut proxima Urbi oppida, Lanuvium, Præneste, Tibur*. Quibus verbis etiam illud docemur, Romanos in municipia, tanquam in Secessus, otii causa, se retulisse. De quo etiam Plinii testimonium in promptu est, *l. 5. ep. 15. Secesseram in municipium &c.* Deinde præter municipia, Secessus etiam hortos comprehendit, in quibus Veteres otiandi & quietis causa habitarunt. Suet. in *Vita Tiberii Claudii* c. 5. *Tunc demum abjecta spe dignitatis ad otium concessit, modo in hortis & suburbano, modo in Campaniæ secessu delitescens*. Et Lampridius *de Heliogabalo*: Secessit in hortos Spei Veteris. Confirmatur idem *l. 16. ff. mandati* & *l. 66. ff. de donat. int. Vir. & Ux.* in qua lege mentio fit Virginis Sponsæ, in hortos deductæ ante nuptias. De quo ritu JCti, qui antiquitates legunt, observant, Virgines nupturas quondam in hortos fuisse deductas; vel ut nuptiæ ibidem celebrarentur, quibus Venus præsidebat, quæ hortorum quoque dea credebatur; vel quod Veteres in hortis habitationes habuerunt: conf. *l. 3. §. 3. ff. de injur. & famos. lib.* Nec habitationis modo, sed majoris voluptatis ergo, exstruxerunt amœna maxime & sumptuosa ædificia, quæ diætas vel Zætas appellarunt. Lege Brissonium in *Select. ex Jure Civili Antiq.* l. 3. c. 13. & Anton. Velserum in *Epistola ad Hieron. Fabrum de diæta*, quæ *Commentario* Pignorii *de Servis* addita est. Inde quoque est, quod ob commodiorem habitationem hortos suos penu instruxerant, *l. 4. §. 5. ff. de penu leg.* De Cicerone constat, quomodo Epistolis Atticum suum identidem monuerit, ut sibi hortos emeret Urbi vicinos, ne ab Urbe abesset. Habitare enim malebant in hortis Urbi junctis, præsertim Senatores [1]. Commorantes enim in hortis suburbanis, non absentes sed præsentes, non extra Urbem sed esse in Urbe censebantur, quod probat Brissonius *l. cit.* multis Juris textibus. De hortis Urbi junctis conf. *lex. 4. §. 5. ff. de penu leg.* Cujusmodi fuerunt Horti Mæcenatis ad Esquilias, de quibus C. Pedonis Albinovani *Elegia in obitum Mæcenatis* loquitur;

Maluit umbrosam quercum Nymphasque canentes,
Paucaque pomosi jugera certa soli,
Pieridas Phœbumque colens in mollibus hortis,

Horti Salustiani, a C. Crispo Salustio Historico exstructi, & ad amœnitatem valde exornati. Hic cum universum fere patrimonium profudisset, ac paternam domum vendidisset, ut ab adulterii, quo accusatus fuerat, crimine se redimeret; a Cajo Julio Cæsare Numidiæ est præfectus; qua expilata ditissimus factus est, & hortos extra pomœrium ad Collinam Portam, prope malum punicam, & Tiburti Villam, exstruxit, ac adeo exornavit, ut in deliciis haberentur, & Principes deinceps possiderent. Vid. Vopiscum in *Aureliano*. Pariter & Ovidii Poetæ horti erant prope Urbem & Tiberim, ad initium Viæ Claudiæ, de quibus ipse *lib. 1. eleg.* 9. Cæterum etiam hortos longa via ab Urbe remotos, in aliis regionibus, possidebant, ad quos non minus secedere solebant; *l. 16. ff. mandati* indicat hortos Aurelii Quieti, quos Ravennæ habebat, in quos omnibus annis secedere solebat.

De Villarum secessu nunc non dicam, tam apertum hoc est, quod Veteres otiandi causa in Villas secesserint, ut nullo teste indigeat. Præsens quidam, Plinii secundi amicus, adeo capiebatur otio & deliciis Villarum, ut a se impetrare non posset reverti ad Urbem; quo nomine ipsum Plinius Epistola quidam monebat, ad Urbem rediret, atque temperaret vitam rusticam urbanis molestiis, ne voluptates istæ satietate languescerent [2]. Est *ep. 3. l. 7. Ut si cœnam tibi facerem*, scribit amico Plinius, *dulcibus cibis acres acutosque miscerem, ut obtusus illis & oblitus stomachus his incitaretur: ita nunc hortor, ut jucundissimum vitæ genus nonnullis interdum quasi acrioribus condias*.

CAPUT III.

Non omnibus hoc otium Respublica Romana, nec omni tempore indulsit.

PRIVILEGIUM aut beneficium fuit rusticari, & frui in Secessu otio, non omnibus, sed notæ tantum auctoritatis hominibus concessum; quales fuerunt Imperatores, Senatores, Patricii, Pompejus, Cicero, Cato, Labeo, (cujus mentio fit *l. 2. §. 47. ff. de orig. Jur.* & apud Gellium *l. 13.*

1 Martialis lib. 6. ep. 43. 2 Conferatur Symmachus passim multis Epistolis.

Noct. Att. cap. 10. & 12.) aliique. Hoc colligo ex textu *legis* 21. §. 10. *ff. de Recept. qui arb.* Casus qui legi latæ occasionem præbuit, hic erat: Si arbiter litigatores in eo loco, qui sit circa Urbem, adesse jusserit, an parendum? & respondet Legislator, *omnino* SI EJUS SIT AUCTORITATIS arbiter, ut IN SECESSIBUS SOLEAT AGERE. Quis non animadvertit, verba legis ea quæ dixi, aperta quasi fronte referre? Conferantur præterea Commentaria JCtorum in illam legem. Quemadmodum vero non omnibus hoc otium concessit Respublica, sic nec omni tempore eodem frui permisit. Prima quidem ætate, quum nondum adolevisset Imperium Romanum, cum omnes in Urbe cives dediti essent agrorum culturæ, & major rusticationis gloria, omnem ætatem ruri extra Urbem transigebant. Quintus Cincinnatus ab aratro ad Dictaturam vocatus est: ad quod, postquam juverat Patriam, citissime rediit; ita ut dubium foret, an festinantius reddiderit fasces victor, an acceperit Dictator nominatus. Idem de Cajo Fabritio & Curio Dentato recensent Annales. Cicero *de Senectute: A Villa arcessebantur in Senatum Curius & cæteri senes, ex quo, qui eos arcessebant, Viatores nominati sunt.* Luculentissime omnium de hisce Columella loquitur *Præfatione in lib.* 1. *de Re Rustica: Nundinarum conventus manifestum est propterea usurpatos, ut nonis tantummodo diebus urbanæ res agerentur; reliquis administrarentur rusticæ. Illis enim temporibus proceres civitatis in agris morabantur, & cum consilium publicum desiderabatur, a Villis arcessebantur in Senatum. Ex quo qui eos evocabant Viatores nominati sunt.* Adulta vero ætate Romana, cum minor esset rusticationis gloria, & fiducia frumentationum publicarum cultura agrorum cessaret, vel servis aut vinctis & colonis esset commissa; cum voluptatis & otii capiendi causa modo secederent, & frequentia negotiorum Urbis plures postularet manus, plurium operas; lege cautum est, ne omni vitæ tempore in Villis hærerent, *l. un. C. Si Cur. relict. civ.* verba legis sunt: *Curiales* (id est, Primores Urbis) *jubemus interminatione moneri, ne civitates fugiant, aut deserant rus habitandi causa; fundum quem civitati prætulerint, scientes fisco esse sociandum.* Una quidem causa hujus Constitutionis Imperatori fuit, quod proceres Urbis, Curiæ & fori munia, ceu molesta onera, declinarent; & ut ab iisdem liberarentur extra Urbem se reciperent. Cui de inde hæc accedebat, quod Principes putarent, ad cultum civitatum facere Primorum urbium præsentiam, nec parum eadem urbium augeri splendorem & fortunam. Ad hunc pene modum nobilibus Italis necessitas a nonnullis Principibus imponitur hodie, certis anni temporibus in Urbe morandi; quod & ad urbium ipsarum splendorem & vectigalia simul exigenda satis ingeniose excogitatum est.

Quo ergo tempore licebat otiari? Eo puta, quo solemnes anni curarum induciæ fuerunt, & judiciaria cura remissa, tempore messis & vindemiarum. Ita expressum est *l. ne quis messium ff. de fer. & dilat. Ne quis messium vindemiarumque tempore adversarium cogat ad judicium venire, oratione Divi Marci exprimitur; quia occupati circa rem rusticam in forum compellendi non sunt.* Et *l. omnes dies C. de feriis* concedunt Imperatores Valent. Theod. & Arcad. curarum remissionem Judicibus: *Omnes dies jubemus esse juridicos, illos tantum manere feriarum dies fas erit, quos geminis mensibus ad requiem laboris indulentior annus excepit; æstivos quidem dies fervoribus mitigandis, per autumnos fructibus decerpendis.* Hasce ferias Veteres in Villis & Secessibus rusticationibus & otio collocasse,[1] perspicue docent Minutius Felix, & Cyprianus. Ille in *Octav. Ad vindemiam feriæ judiciariam curam relaxaverant. Nam id temporis post æstivam diem in temperiem semet autumnitas dirigebat.* Nempe cum in Secessu ageret & illud de Religione eruditum colloquium institueret. Cyprianus lib. 2. *ep. ad Donatum: Tempestivum hoc tempus est reddendi promissa, quo indulgente vindemia, solutus animus in quietem solemnes ac statas anni fatigantis inducias sortiatur.* Quæ hic de stato feriarum tempore Donato scribit Cyprianus, ex *l. ut in die Dominico C. de feriis* explanari possunt. Ibi Imperator Theodosius; *Causæ vel lites quiescant, & a die octavo Kal. Julii usque in Kal. Augusti messis feria concedatur: & a Kal. Augusti usque in decimum Kal. Septembris agendarum causarum tribuatur licentia: a decimo autem Kal. Septembris usque in Idus Octobris vindemialis feria concedatur.* Idem ex parte apud Plinium legimus *lib.* 8. *ep.* 21. *Julio mense maxime lites interquiescunt.* Et si Suetonium poscimus, narrat de Augusto, statuisse Imperatorem: *ne Septembri Octobrive mense necesse esset in Senatum venire præter sorte ductos, per quorum numerum decreta confici possent.* An quidem hæc Augustus ex animo sanciverit, ut Senatores molestiis senatoriis sublevaret, an prætexuerit hanc falsam causam, non sine causa dubitare quis posset. Illi certe, qui ingenium Augusti & axiomata imperii Principis perspecta habuerit, minime vera, sed speciosa causa videbitur. Veram autem eam habebit, quod auctoritati Principis & potestati quam affectabat, neutiquam conduceret, Senatum veteris Reipublicæ frequenter cogere, & in rerum consilia vocare. Quicquid tandem de eo fit, est & antiquum Calendarium Romanum, quod Boxhornius in *Notis ad Historiam Augustam* nobis communicavit, in quo legitimi senatus dies singulis mensibus consignati sunt. Refert Calendarium hoc, Senatores Romanos mensibus Octobri & Novembri semel tantum singulo mense venisse in Senatum. Quod dubio procul vindemiarum causa ita constitutum est, quæ in Italia mense Octobri, alibi vero mense Novembri, ut censet Boxhornius, contingebant.

Hisce feriis accensent alii sationum tempora, auctoritate *legis* 1. *C. de Agric. & Cens.* de quo vide Perez. *ad Codicem.* Sed etiam aliis diebus, qui rerum agendarum non erant, quos Cicero l. 3. ep. 1. *ad Quinctum Fratrem* dies ludorum appellat, rusticatum secedere licuisse monstrante Cicerone *l. cit.* mihi persuadeo. Cic. lib. 1. *de Orat.* §. 7. ludorum Romanorum diebus L. Crassum, quasi colligendi sui causa, se in Tusculanum contulisse. Etiam in Saturnalibus concessum erat justitium & cessatio a foro & causis. Martialis *lib.* 7. *ep.* 27. ut Macrobium non citem.

Otia dum medius præstat tibi parva December.

Parva quæ hic dicit, alibi *l.* 7. *ep.* 52. ad quinque dies extrahit, quod ex Caligulæ instituto est, qui ad quinque dies protraxit. Hac vero stati temporis lege, illi non tenebantur, qui incumbente provectiore ætate novissimam vitæ partem in Secessu componere instituerant. Fortassis etiam, qui negotiis fori non erant impliciti. De Silio Italico Plinius *lib.* 3. *ep.* 6. *Novissime ita suadentibus annis ab Urbe secessit, seque in Campania tenuit: ac ne adventu quidem novi Principis inde commotus est.* Idem *ep.* 1. de Spurinna refert, quod postquam obierat officia, gesserat magistratus, rexerat Provincias, tandem in otio ultimam ætatem consumsit. Nihilominus quemadmodum sæpius eve-

[1] Vid. Symmachus lib. 3. ep. 23. & l. 1. ep. 53. & 8.

nit, ut incidente quodam negotio Senatores ex prædiis in Urbem accerferentur & tanta velocitate citati accurrerent, ut ipfos fæpe Viatores antevcrterent: ita reliqui foluti lege, reftituta monarchia, nonnunquam venire in Urbem, & Principi facere officium habebant neceffum, oftendit hoc Plinius, dum *lib. 3. ep.* 7. & c.48. *Panegyrici in Trajanum* comitatem fummam Trajani extollit, quod negligentibus falutantium officia non facile fuccenfere folitus fit, fed excufatos habere comites, quos aliquid quafi magis neceffarium domi tenuiffet.

CAPUT IV.

Romani rufticantes in Villis feria tractabant.

HÆrentes in Villis & Seceffu rufticari dicebantur: non quidem ea ratione, qua olim hæc vox ftudium & culturam agri denotabat, & illi dicebantur rufticari, qui exercebant agrum, & fructus caufa rebus rufticis vacabant. Sed latius extenfa fignificatio vocis omnes rufticari dicit, qui in agris morantur, feu fructus feu delectationis caufa agros inviferint. Utamur teftimonio Ciceronis, qui *Oratione pro Archia §.* 16. *Studia*, inquit, *delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobifcum, peregrinantur*, RUSTICANTUR. [1] Et lib.2. *de Oratore* refert, quomodo Lælius cum Scipione folitus fuerit RUSTICARI. Apponam etiam ex Symmacho locum *Lib.*6. *ep.*66. fcribit duobus Juvenibus in Seceffu agentibus, & venatione fe exercentibus quod probat: *Vos malo cum Atilio rufticari, & ludum virium fequi, quam bonis verbis deduci ad inftituta defidiæ*. Hi rufticantes vel in feriis erant occupati, vel in rufticis, ut Symmachus appellat, voluptatibus. Quod etiam pene Cicero lib.1. *de Orat.* ∬.249. expreffit: *Qui fundos fuos obeunt, aut fructus caufa, aut delectationis invifunt*. Summatim exprimit rufticantium labores Martialis *l.*5. *ep.*21.

—— Geftatio, fabulæ, libelli,
Campus, porticus, umbra, virgo, thermæ,
Hæc effent loca femper, hi labores.

Inter feria recenfeo curam prædii & ftudia. Secedebant in agros, ut eofdem & rem familiarem oculis fubjicerent, mandarent procuratori de agricultura, aut imperarent villico, colligerent fructus, vel alia rei familiaris ordinarent. [2] Martialis de rufticatione fua *l.4.ep.*90.

Rure morans quid agam, refpondeo pauca, rogatus.
Luce deos oro, famulos poft arva reviso.
Partibus atque meis juftos indico labores.

De Sexto Pompejo Hifpaniæ citerioris Principe obfervavit Plinius l.14. c. 5. *Hift. Nat.* quod podagra correptus fuerit, *cum horreis fuis ventilandis præfideret*, quem dolorem eo fedavit, quod fefe in triticum fuper genua merfit. Adi etiam Symmachum *lib.*3. *ep.*23. *Nos hic in otio* RUSTICAMUR, *aut multis modis autumnitate defruimur. Nam poftquam doliis nova vina commifimus, quæ calce & prælo fubacta fluxerunt, trapetis teritur bacca Sicyonia, ut præcox olea in ufum olivi viridis mulceatur. Interea loci ferarum domos indago follicitat, ut incertus agricola in officia diverfa difcurrat. Alii fcalis ad arborum fumma prorepunt. Plerique condita mufta defæcant. Nonnulli aprum veftigia odora canum fagacitate difquirunt.*

Deinde ftudiis potiffimum in Villis applicabant animum, quibus magis reficitur, quam rifu, lufu, aut joco: fecedebant enim ut non minus ftilo quam vomeri incumberent, ingenium quam rus excolerent, ut fcribit Sidonius *lib.* 8. *ep.* 4. Et Philofophi omnium maxime in Seceffu litteris incumbebant, legentes Libros & audientes qui legerent: erudire adolefcentes diverfis artibus; meditari, & de fummis rebus Philofophorum colloqui; difputare controverfa, & quæ difputata fubtiliter in libros referre. Plinius *lib.*7. *ep.* 25. *Terentius Junior equeftribus militiis, atque etiam procuratione Narbonenfis Provinciæ integerrime functus; recepit fe in agros fuos, paratifque honoribus tranquilliffimum otium prætulit. Hunc ego invitatus hofpitio, ut bonum patrem familiæ, ut diligentem agricolam intuebar, de his loquuturus, in quibus illum verfari putabam, & cœperam, cum ille me doctiffimo fermone revocavit ad ftudia. Quam terfa omnia! quam Latina! Quam Græca! nam tantum utraque Lingua valet, ut ea magis videatur excellere, quam cum maxime loquitur. Quantum ille legit! quantum tenet! Athenis vivere hominem, non in Villa putes.* Digna funt ut audiantur quæ Cicero *Philippica* II. de M. Varronis Villa differit, poftquam Antonii injuftam deprædationem & Bacchanalia in Villa increpaffet, ∬. 104. 105. *O tecta ipfa mifera quam a difpari tenebantur! Studiorum enim fuorum M. Varro voluit effe illud, non libidinum diverforium. Quæ in illa Villa ante dicebantur? quæ cogitabantur? quæ litteris mandabantur? jura populi Romani, monumenta majorum, omnis fapientiæ ratio, omnifque doctrina.* Et alibi Cicero de ftudiis & otio Doctorum luculenter dixit: *Ut homines labore affiduo & quotidiano affueti, cum tempeftatis caufa opere prohibentur, ad pilam fe, aut ad talos, aut ad tefferas conferunt, aut etiam novum fibi ipfi aliquem excogitant in otio ludum: fic illi a negotiis publicis, tamquam ab opere aut temporibus exclufi, aut voluntate fua feriati, totos fe alii ad Poetas, alii ad Geometras, alii Muficos contulerunt; alii etiam, ut Dialectici, novum fibi ipfi ftudium ludumque pepererunt &c.* Symmachum laudare fuperfedeo, qui *l.* 1. *ep.* 53. Agorio Prætextato illud encomium ftudiorum tribuit: *Remiffa tempora, & ab negotiis publicis feriata Libris Veterum ruminandis libenter expendis.* Produco in medium exemplum Ciceronis, qui l. 15. *ad Atticum* ep. 2. & 4. mentionem facit difputationum Tufculanarum. Nam quæ in *Tufculanarum Quæftionum* libris configuata funt, fubtiliter ante in Tufculano Seceffu funt difputata. Et quæ apud Minutium Felicem gravis de Religione difputatio legitur, habita eft in Seceffu. Propterea folebant juvenes, qui animum artibus dederant, aut Reip. fe deftinaverant, Philofophos & prudentes viros, in Seceffus euntes, comitari; quo ftudiis, colloquiis, & difputationibus ipforum intereffent, & aliquid memoria ufuque dignum ex ipfis imbiberent. Tradidit id nobis Cicero lib. 1. *de Orat.* §. 24. Cum L. Craffus fe in Tufculanum diebus ludorum contuliffet, comitabantur ipfum adolefcentes, in quibus magnam fpem majores natu dignitatis fuæ collocaverant, C. Cotta, qui tum tribunatum plebis petebat, & P. Sulpicius, quibus fupervenerunt Q. Mucius & M. Antonius. In quo Seceffu primo die de univerfa Republica multum inter fe ufque ad extremum tempus diei collocuti funt; fequentibus vero de artificio dicendi plurimum differuerunt. Et alibi l.9. *ad Att.* epift. 18. indicat Orator, fe ludum aperuiffe in Tufculano, atque adeffe fibi quofdam difcipulos, quos infti-

1 Symmachus l.4.ep. 32. l.3.23. Apollinaris Sidonius infinitis in locis Epiftolarum hac voce utitur. 2 Cic. lib.2. de Orat. ∬.249. Plin.lib.4.ep.1.Symmachus l.1. ep.5. lib.5.ep.17.

tueret. Nec non *ep.* 16. *Hirtium ego & Dolabellam dicendi discipulos habeo*, (sc in Tusculano) *cœnandi magistros. Puto enim te audivisse, illos apud me declamitare, me apud eos cœnitare*.

Denique scripsisse in Secessu Libros, ex multis Epistolis Ciceronis confirmari posset, sed nunc ad Labeonis tantum exemplum provocabo. Erat vir magno ingenio & multa doctrina conspicuus, qui dudum Consulatum meruerat. Ipse totus in litteris ita annum diviserat, ut sex mensibus Romæ cum studiosis esset, sex mensibus secederet, & conscribendis Libris operam impenderet, inde 400. volumina reliquisse fertur, Gellius l. 13. *Noct. Att.* c. 10. & 12. Cæterum licet in Secessu & æstate delicate tantum Minervæ & studiis inserviendum foret, ex Plinii judicio *l.*9. *ep.*10. nonnulli tamen in Secessu ita litteris Librisque imminebant, ut ne quidem inter exercitia valetudinis, cum gestarentur, ambularent, lavarentur, aut fricarentur; vel etiam cum venarentur, avocare animum, aut sibi temperare a Musis vellent. De avunculo suo Plinio Seniore id Junior Plinius commemorat, *ep.*5. *l.* 3. *ad Macrum*, qua indefessum avunculi in studiis laborem enarrat: *In secessu solum balnei tempus studiis eximebatur. Quum dico balinei, de interioribus loquor. Nam dum distringitur, tergiturque, audiebat aliquid aut dictitabat*. Et Plinius Junior cum venabatur, pugillares & stylum in promptu gerebat ad notanda ea, quæ in sylvis meditatus erat, *l.*1. *ep.* 6. & *l.*9. *ep.*36. *l.* 5. *ep.*18. & Martialis *Præf. in l.*12. in provinciali solitudine se intemperanter studere, de se ipso affirmat. Ad quod intemperans studium Seneca *ep.*15. hortatur: *Gestatio & corpus concutit, & studio non officit, possis legere, possis dictare, possis audire: quorum nihil nec ambulatio quidem vetat fieri*.

Sic satis multa de studiis rusticantium diximus: non intempestivum forsan erit, de Bibliothecis, quibus Villas & Secessus dotaverant, quædam verba nunc facere. Maximum Veterum studium fuit in conquirendis Libris, & comparandis numerosis Bibliothecis, quarum indices perlegere vix tota vita domino integrum foret, non semper in studiorum instrumenta, sed sæpius ornamenta cœnationum & spectaculum. Siquidem moris fuit, [1] frontes Librorum decenter pumicibus lævigare, umbilicos superbe expolire, & titulos minio vel cocco, non sine insigni ornatu, inscribere; (de quibus Lipsius in *Syntagm. de Bibliothecis* plura scripsit) Seneca c.9. *de Tranquillitate animi* hanc studiosam, vel inanem luxuriam graviter reprehendit, quam studiosius jam non persequemur. Ad Villas referimus stylum, in quibus vel studiorum gratia, vel in speciem & cultum parietum conquisitas Bibliothecas deprehendimus. Ostendit eas *lex* 12. §. 34. *ff de instr. & instr. leg. Instructo fundo & Bibliothecam & Libros, qui illic erant, ut quoties venisset, uteretur*, (paterfamilias) *contineri constat. Sed si quasi apotheca Librorum utebatur, contra erit docendum.* Martialis quoque *l.*7. *ep.* 16. meminit ruris sui delicati Bibliotheca:

Ruris Bibliotheca delicati
Vicinam videt unde Lector Urbem &c.

Nisi cuipiam arriserit, exponere de loco in quo Libri positi fuerunt. Nam juxta textum *leg.*52. *ff. de leg. & fideicomm.*3. vox Bibliothecæ alias locum, seu ædificium, seu armarium; (sicut dicimus eboream Bibliothecam emit [2]) alias Libros (sicut dicimus Bibliothecam emisse) significat. Et paulo post: *Armaria plerique Bibliothecas appellant*. (Armaria sunt repositoria vel loculamenta, ex ebore & cedro tecto tenus sæpius exstructa, & variis loculis seu nidis, quæ vox Martialis est, distincta; morisque erat optimos Libros in summo forulo, eos vero qui minoris erant æstimationis, in infimo & ultimo reponere, Martialis *l.*7.*ep.*4. & *l.*1. *ep.*118.) Sed intelligamus ita verba Martialis, quod locum non Libros significent, dabitur nobis nihilominus hoc; Prædium Martialis non armariis tantum & loco, sed etiam Librorum supellectile instructum fuisse. Subjiciemus Plinii auctoritatem, qui *lib.* 3. *ep.* 7. de Silii Italici fortuna: „ Plures iisdem in locis Villas possidebat, adamatisque novis priores negligebat. Multum ubique „ Librorum, multum statuarum, multum imaginum; quas non habebat modo, verum etiam „ venerabatur, Virgilii [1] ante omnes, cujus natalem religiosius quam suum celebrabat: Neapoli maxime, ubi monumentum ejus adire, ut „ templum, solebat. Facit mentionem Bibliothecarum in singulis Villis; sed præterea indicat morem, quo Veteres in Bibliothecis & Larariis suis imagines statuasque virorum, doctrina & virtute illustrium, positas habebant. De Alexandro Severo tradidit Ælius Lampridius: „ In Larario „ suo, ubi rem divinam faciebat, habebat divos „ Principes, sed optimos, electos, & animas sanctiores, in queis & Apollonium, & quantum „ Scriptor suorum temporum dicit, Christum, Abraham, & Orpheum, & hujusmodi cæteros, „ ac majorum effigies. Et post pauca: „ Virgilium „ Platonem Poetarum vocabat, ejusque imaginem „ cum Ciceronis simulacro in secundo Larario habuit, ubi & Achillis, & magnorum virorum. „ Alexandrum vero M. inter Divos & optimos in „ Larario majore consecravit. De statuis in Bibliothecis positis multa scripsit Lipsius in *Syntag. de Bibliothecis*, qui ut inspiciatur ad manus non est: nec operæ pretium multum desudare in re notissima. Conf. Plinius *lib.* 35. *c.* 2. Seneca *de Tranq. animi* c.9. & *ep.*64. qua causam venerationis exponit; partim ut accenderent animum ad imitationem; partim ut illis Præceptoribus generis humani, a quibus tanti boni initia fluxerunt, justus honor exhiberetur. Haberem plura ex Capitolino, Spartiano, sed non oppono, remitto Lectorem ad Casaub. *Notas in Sueton. Augustum*, & Frigelii Libellum *de Statuis*.

1. Martialis l.8. ep.72. l.1. ep.67. l.3. ep. 2. &c.
2. Plinius lib.2. ep.17.

CAPUT V.

Veteres rusticantes solebant ruri variis animi oblectamentis se reficere.

NON semper imminebant seriis, sed honestam voluptatem indulgebant nonnunquam animo, & reficiebant variis oblectamentis. Sæpius deposita omni urbana severitate, ad ludicra descendebant. Hujus primum testem damus Ciceronem, qui lib.2. *de Orat.* §.22. Scipionis & Lælii rusticationem commemorat: „ Sæpe ex socero meo „ audivi, cum is diceret, socerum suum Lælium „ semper fere cum Scipione solitum rusticari, eos„ que incredibiliter repuerascere esse solitos, cum „ rus ex Urbe tanquam e vinculis evolavissent. Non „ audeo dicere de talibus viris, sed tamen ita solet „ narrare Scævola, conchas eos & umbilicos ad Cajetam & ad Laurentum * legere consuevisse, & ad „ omnem animi remissionem ludumque descendere. Simile quiddam refert de Scævola Valer. Max. *l.* 8. c. 8. „ Optime pila lusisse traditur, quia videlicet

1 Sidonius l.8. ep.4. de Consentii agro, dicto Octavianus, thesauris Bibliothecalibus large referto.

* Rescr. *Lucrinum*.

ad hoc diverticulum animum suum, forensibus ministeriis fatigatum transferre solebat. Alveo quoque & calculis vacasse interdum dicitur; cum bene ac diu jura civium & cæremonias Deorum ordinasset: ut enim in rebus seriis Scævolam, ita & in scurrilibus lusibus hominem agebat, quem rerum natura continui laboris patientem esse non sinit. Ad quæ Augustus se demiserit, quando animum recreare volebat, narrat Suetonius in *Augusto* c. 83. „ Modo talis aut ocellatis, nucibusque ludebat cum pueris minutis, quos facie & garrulitate amabiles undique conquirebat, præcipue Mauros & Syros. Pari modo Minutius Felix cum Octavio suo rusticatus, in Secessu puerilis lusus spectaculo, tanquam summa voluptate capiebatur, quem in *Octavio suo* describit: „ Cum ad id loci ventum est, ubi subductæ naviculæ substratis roboribus a terrena labe suspensæ quiescebant, pueros videmus certatim gestientes, testarum in mare jaculationibus ludere. Is lusus est, testam teretem jactatione fluctuum lævigatam legere de littore, eam testam plano situ digitis comprehensam, inclinem ipsum atque humilem quantum potest super undas inrotare: ut illud jaculum vel dorsum maris raderet, dum leni impetu labitur: vel summis fluctibus tonsis emicaret, emergeret, dum assiduo saltu sublevatur. Is se in pueris victorem ferebat, cujus testa & procurreret longius, & frequentius exsiliret.

Inter rustica delectamenta ponit etiam Cicero l. 2. *ad Atticum* ep. 6. numerare fluctus maris: *Ita*, inquit, *complexus sum otium, ut ab eo divelli non queam. Itaque aut libris me delecto, quorum habeo Antii festivam copiam, aut fluctus numero*. Ita solebant Veteres in Villis maritimis pascere animum fluctuum maris agitatione. Audiamus Minutium Felicem: *Jam liberum littus tenebamus*: loquitur de prodeambulatione sua secundum littora, „ ibi arenas extimas velut sterneret ambulacro perfundens lenis unda tendebat. Et ut semper mare, etiam positis fluctibus, inquietum est, & si non canis spumosisque fluctibus exibat ad terram, tamen crispis torosisque ibidem erroribus delectati perquam summus, cum in ipso æquoris limine plantas tingeremus: quod vicissim, nunc ad pulsum nostris pedibus adluderet fluctus nunc relabens ac vestigia retrahens in sese resorberet. Nec fluctus labentes maris, & ruentes cum murmure undas spectare erat tantum volupe, sed etiam observare præternavigantes, & cymbas variis coloribus ornatas inter fluctus saltantes adspicere, erat jucunda in Secessu recreatio. Seneca *ep.* 51. *Habitaturum tu putas unquam fuisse in Utica Catonem, ut præternavigantes adultera numeraret, & adspiceret tot genera cymbarum variis coloribus picta, & fluitantem toto lacu rosam &c.* quibus Seneca molles illas visus delicias Catoni placuisse, quin potius detestatus ipse fuerit, negat: adde Symmachi *lib.* 3. *ep.* 82. & 55. Quæ omnia nobis causam ostendunt, cur JCtus ad *l.* 15. *ff. de Serv. præd. Urb.* inter prospectus gratiores non impediendos, montium & hortorum quales sunt, etiam numeraverit prospectum maris, videlicet quod ejus voluptate maxime caperentur. Lege Martialis *ep.* 64. *l.* 4. qui Villam suam a spectaculorum deliciis commendat.

Præterea Venationibus sese exercebant in Secessu; quod genus recreationis Salustius quidem in *Bello Catilinario* servile officium appellavit, verum invenit neminem, qui in hanc suam sententiam iret. Increpat ipsum hoc nomine Symmachus *l.* 5. *ep.* 66. & Plato, Cicero, Virgilius, Sidonius Apollinaris, Herodotus & omnes alii laudant ferarum venationem, quod corpori robur addat, manum peritia feriendi erudiat, & homines illa ad similitu-

A dinem bellicæ disciplinæ exerceantur: digna est ut legatur *epistola* Plinii 6. *lib.* 1. Multum igitur erat venandi studium in Secessu, ut vel retia ponerent feris, vel canibus insectarentur, vel cominus venatulo † conficerent, aut eminus lancea emissa manu fugientem prosequerentur. (de hisce artibus Martialis *lib.* 1. *ep.* 11. 12. 13.) Molestum certe foret omnia in hanc rem testimonia, quæ ex Cicerone, Plinio, Symmacho, aliisque depromi possent, audire: laudabo pauca, Plinium *l.* 9. *ep.* 36. & 16. *l.* 5. *ep.* 18. Symmachum *l.* 1. *ep.* 53. *l.* 3. *ep.* 23. *l.* 5. *ep.* 18. Et Plinius *lib.* 5. *ep.* 6. commendat Villam, quod variam & frequentem venationem habeat. Conclu-
B dam Suetonii testimonio, qui de Domitiano *cap.* 19. *Centenas varii generis feras sæpe in Albano secessu conficientem spectavere plerique; atque ex industria ita quarundam capita figentem, ut duobus ictibus quasi cornua effingeret*. Dum cornu vocem audimus, injicitur simul recordatio illorum, quæ Symmachus *l.* 5. *ep.* 66. scripsit: Quod Veteres captorum cervorum cornua honori numinum sacrare, & aprinos dentes liminibus affigere soliti fuerint. Et si ex Martialis *l.* 1. *ep.* 50. mihi conjectura feliciter cecidit, major fuit ipsis voluptas venari leporem, quam cervos, damas, aut apros sectari: lepus enim, cum callidior sit, magis solet venatorem
C exercere.

Denique & in Secessu piscabantur animi causa. Martialis *l.* 1. *ep.* 56. de deliciis ruris:

Cui licet exigui nemoris rurisque beati
Ante focum plenas explicuisse plagas;
Et piscem tremula salientem ducere seta, &c.

Plinius *l.* 9. *ep.* 7. laudat Villas propter piscandi commoditatem, quod ex una possit despicere piscantes, ex altera ipse piscari, hamumque e cubiculo, ac pene etiam lectulo, ut e navicula jacere. De Augusto quoque Sueton. c. 83 narrat, quod ani-
D mi laxandi causa piscari hamo consueverit. Huc referri debent quæ Cicero l. 2. *ad Att.* ep. 6. de lacertarum captura injicit: *Ad lacertas captandas tempestates non sunt idoneæ*. Muretus quidem in masculino *lacertos* legit; sed minimum refert, quo genere legas, utrumque receptum est apud Latinos. Fuisse autem lacertas inter aquatilia numeratas, docet nos Plinius *l.* 32. *c. ult.* & Aristot. l. 9. *Hist. Anim.* c. 2. qui inter pisces gregales lacertas referunt. Erant Antiquis in medicamentis, Plinius *l.* 29. c. 6. verum etiam in cibum sumebantur muria conditæ, unde muriatos lacertos dixit Martialis *l.* 10.
E *ep.* 48.

Secta coronabunt muriatos ova lacertos.

Et *l.* 3. *ff. de penu leg.* lacertas cum muria sua penui cedere statuitur.

Deveniamus nunc ad alia oblectamenta animi, quibus in Secessu rusticantes fruebantur. Volupe erat adstare piscinis, vocare suis nominibus pisces, ut ad manus accederent, vel plausu compellere; pascere item, & spectare vorantes. *Nostri Principes*, scribit Cicero *ad Atticum* l. 4. ep. 30. *digito cœlum se putant attingere, si mulli barbati in piscinis sint, qui ad manus accedant*. Eandem delectatio-
F nem notat Martialis *l.* 4. *ep.* 30.

Sacris piscibus hæ natantur undæ,
Qui norunt dominum, manumque lambunt,
Illam, qua nihil est in orbe majus. *
Quid? quod nomen habent, & ad magistri
Vocem quisque sui venit citatus.

† Leg. *venabulo*.
* Domitiani intelligit.

De

De Cæsaris piscina audiendus est Plinius *lib.* 10. *cap.* 70. *Pisces quidem auditus nec membra habent, nec foramina, audire tamen eos palam est, utpote cum plausu congregari feros ad cibum consuetudine in quibusdam vivariis spectatur: & in piscinis Cæsaris genera piscium ad nomina venire, quosdam singulos.* Notissimum est, Veteres, invalescente luxu, sub mensis in cœnaculis habuisse piscinas, de quo seq. Tractatu, & in hisce aluisse pisces, certis nominibus insignitos; testis est mihi Martialis *l.* 10. *ep.* 30.

——— ——— ——— tuta de sua mensa
Piscina, rhombum pascit, & lupos vernas.
Natat ad magistrum delicata murena.
Nomenculator mugilem citat notum,
Et adesse jussi prodeunt senes mulli.

Postremum quæ diximus confirmabimus ex Varrone l. 3. *de Re Rust.* c. 17. ubi de piscinis in Hortensii Villa, quarum piscibus ipse non vescebatur: *Neque satis erat*, inquit, *eum non pasci piscinis, nisi eos ipsi pasceret ultro, ac majorem curam sibi haberet, ne ejus esuriant mulli, quam ego habeo, ne mei in Rosea esuriant Asini, &c.*

CAPUT VI.

Veteres curabant in Villis valetudinem, & valetudinis causa gestabantur.

VEteres Romani dabant in Secessibus operam valetudini. Nam illud debemus Reipublicæ patriæ, impendere curam valetudini, ne neglecta corporis cura, quod fulcimentum animi est, Patria membri utilis & necessarii jacturam faciat. Quapropter cum morbis conflictantes conferebant se rus, ut morbum sanarent, & in sereniori & salubriori aere restituerentur. Id rogat Plinius *l.* 5. *ep.* 19. Paullinum pro Liberto Zosimo, *ut ægrotum in Villam recipere velit, quo curationibus superesse commodius posset.* Vel si non decumberent, studebant tamen in Secessu valetudini, ut antevertérent morbos, & valetudinem, quam assidui urbani labores detriverant, sustentarent. Ea autem remedia, quibus vel ad tuendam vel inducendam sanitatem utebantur, erant moderatus corporis motus, qui vel gestatione, vel ambulatione, vel alio exercitio corpus concutiebat; insolationes, balnea, frictiones, & alia, de quibus in sequentibus quædam dicturus sum, hoc capite gestationis modum saltem explicabo. Motus ita inservit valetudini, quod corpus concutit, & concussione laxat, ut Seneca *ep.* 15. rem exponit: it. *ep.* 56. „ Mihi tamen opus erat concutere corpus, ut sive bilis insederat faucibus, discuteretur, sive ipse ex aliqua causa spiritus densior erat, extenuaret illum jactatio. Levissime autem corpus concutiebat gestatio, præsertim mollis & sedatior, quam plerumque in Villis adhibebant. Plinius de rusticatione sua in Tuscis *l.* 9. *ep.* 36. „ Post somnum demum lectionemque non vehiculo, (sed quod brevius quia velocius) equo gestor. Seneca *ep.* 55. „ A GESTATIONE cum maxime venio non minus fatigatus, quam si tantum ambulassem, quantum sedi, labor est enim & diu ferri: ac nescio an eo major quia contra naturam est, quæ pedes dedit, ut per nos ambularemus, oculos, ut per nos videremus. Sed ad Plinium recurro, qui *l.* 9. *ep.* 15. iterum gestationis mentionem facit: *Interdum equum conscendo, ac patremfamilias hactenus ago, quod aliquam partem prædiorum, sed*

A *pro* GESTATIONE, *percurro*. Vereor, (quod obiter indico) ut Pancirollus in *Lectionibus variis V. Juris* l. 1. c. 55. acu mentem horum verborum tetigerit, dum ly* *percurrere*, non de gestatione equestri, sed cursu pedestri exponit. *Percurro*, inquit, id est, *loco equestris gestationis pedes percurro*. Nihil enim in verbis Plinii lego, quod talem explicationem urgeat, quin potius hic optimus sit sensus. Loco gestationis, quam alias in Villa, in spatio huic motioni destinato peragere solitus sum, nunc equo agros percurro. Satis probata sic est in Villis gestatio; ast si recte calculum pono, initio tantum in Villis extra Urbem gestati sunt
B Romani, ut non nisi crescente luxu in Urbe cœperit fieri gestatio. Versus Martialis [1] id docere videntur:

Et rus in urbe est, vinitorque Romanus,
Intraque limen clausus essedo cursus.

Locus quo gestabantur in Villis erat peculiaris, huic exercitio in specie dicatus, qui GESTATIO appellatus, de quo seq. Tract. dicam. Sed nonnunquam extra Villas excurrebant per agros viasque publicas. Id, præter Plinium modo citatum,
C perhibet Suetonii locus, quo secretum Galbæ vivendi modum sub Principatus Neronis initio describit: „ Ad medium prope Neronis Principatum in Secessu plurimum vixit: ne ad gestandum quidem unquam iter ingressus, quam ut secum vehiculo proximo decies H. S. in auro efferret. Videlicet si casus aliquis subito nunciaretur, qui fugæ necessitatem ei afferret, ne a pecunia imparatus reperiretur; quoniam Veteres consueverunt pecuniam, ad subitos fortunæ adversæ casus sublevandos, secum circumferre: vid. Casaub. *ad locum citatum Suetonii, & ad Apuleii Apologiam.*

Proferamus stylum ad gestamina, ut loquitur
D Tacitus *libro* 11. & 14. *Annal.* seu ad explicandum modos gestationum. Celsus lib. 2. *de Medicina* c. 15. quod totum de gestatione est, exponit genera gestationum; *Levissima*, infit, *fit navi, seu in portu, seu in flumine, vehementior in alto mari, vel lectica, aut scamno, acrior vehiculo.* Navibus Veteres fuisse in Villis gestatos, nemo in dubium vocabit, qui plurimas Villas Romanorum ad mare positas fuisse, aut adhæsisse lacubus perpendit; qui naves lusorias Romanorum novit; easque nec ad usum belli, nec ad merces evehendas factas fuisse, sed ad lusum tantum atque circumvectationis delicias, Salmasio *ad Vopisci Aurelianum*
E commentanti credit. Qui Senecæ de luxu agentium in Secessibus ab Bajas scribenti *ep.* 51. attendit: *Videre ebrios per littora errantes, & commessationes navigantium, & symphoniarum cantibus perstrepentes lacus &c. quid necesse est?* Quanto certius est, cum & ipsi rusticantes de se asserant quod navigent. Est & apud Senecam Mæcenatis quoddam suffragium in aurea *Epistola* 13. quod stylus & sermonis character respondeat ingenio hominis. Referam verba: *Vides ut alveum lintribus arent, versóque vado remi iciant hortos.* Ita legit Lipsius, ut sensus sit: Videsne ut arent alveum tenuem inter hortos, & remis sublatis hor-
F tos ipsos verberent? Verum an valetudinis causa, an ex voluntate illud fecerint, definire nequeo. In continenti gestabantur lectica, inquit Celsus. Lectica erat gestamen, quod lecticarii succollando suppositis cervicibus gestabant. Sene-

[1] Lib. 18. epigr. 57.

* Vox nihili, Correctorum vel Typothetarum imperitia depravata, pro qua forsan reponendum τό Gr.

ca *ep.* 110. „ Hoc itaque ipsi mihi dico, quoties ta- „ le aliquid perstrinxerit oculos meos, quoties oc- „ currit domus splendida, cohors culta servorum, „ lectica formosis imposita calonibus. Conf. Pignorium *de Servis p.* 136. Huic officio deligebant homines robustos, Liburnos, Britannos, Syros &c. de Syris produco testes Martialem & Juvenalem: hic *Satyr.* 6.

Non melior silicem pedibus quæ conterit atrum,
Quam quæ longorum vehitur cervice Syrorum.

Martialis *l.* 9. *epigr.* 3. ita lusit:

Octo Syris suffulta datur lectica puellæ,
Nondum sandapilæ pondus amicus erit.

De Britannis est vetus Inscriptio apud Torrentium:

TI. CLAVDIVS. AVG. L. QVADRATVS. DEC. LECTICARIORVM. BRITANNICORVM. VIX. ANN. LX.

Etiam ex Germanis lecticarios esse lectos multis Tertulliani testimoniis probat Lipsius *Elect.* l. 1. c. 19. Lecticariis tradidit Beroaldus asseres & fulcimenta in manus, quibus fulcirent gressus, nam ita exponit locum Suetonii *l.* 4. *c.* 58. *Ad primum tumultum lecticarii cum asseribus in auxilium accurrunt.* Nec non locum Martialis *lib.* 9. *ep.* 23.

Ut Canusinatus nostro Syrus assere sudet.

Ego vero solidum hujus conjecturæ fundamentum non invenio. Quæ ratio est conjectandi? accurrerunt in auxilium cum asseribus, ergo asseres fulciendi causa in manibus gestarunt? & qui conciliabitur cum Martiali, qui sudasse asseribus scribit? firmior certiorque videtur Lipsii conjectura loco citato *Electorum.* Sed omnium optime fortassis dicetur, asseres fuisse sudetes*, quibus lectica portabatur; in quam sententiam Buchnerus *ad Fabrum* inclinat. Confirmant idem Scholiastes *in Juven. Satyr.* 3. ad versum,

Qui sequitur, ferit hic cubito, ferit assere duro
Alter.

Antonius Mancinellus: „ Asseres, inquit, pali „ dicuntur vel perticæ. Cæsar namque libro 2. de „ Bello Civili ait: Asseres enim pedum XII. cuspi- „ dibus præfixi. Et Hirtius lib. 4. de Bello Alexan- „ drino: Asseres remorum usum obtinebant. As- „ ser item lignum & longum & eminens, quo le- „ ctica portatur a servis. Juvenalis *Satyra* 7.

Perque solum † Juvenes longo premit assere Medos
Empturus pueros.

Et Domitius Calderinus Veronensis: „ Asser, ut „ nonnulli sentiunt, tabulam significat, sed mea „ sententia a Juvenale & Martiali accipitur pro li- „ gno eminente, quo lectica sustinetur. Consentit quoque Georgius Merula, *lignum hac in parte habetur, quo utebantur lecticarii.* Lecticæ formam satis descripsit Lipsius *l. cit.* quare paucis adjectis actum non agemus. Fuit sedes pulvinaribus & lecto structa, in qua gestati recumbebant, & somnum capere poterant, sed & studere, legere atque scribere. Juvenalis *Satyra* 3. de usu lecticæ:

*Atque aliquid** leget, aut scribet, vel dormiet intus:*
Namque facit somnum clausa lectica fenestra.

* Leg. *sudes* † Rescr. *forum.* ** Rep. *obiter.*

A Et Suetonius de Augusto *cap.* 78. *Sic quoque sæpe indigens somni, & dum per vicos deportaretur, & deposita lectica inter aliquas moras condormiebat.* Si recte capio verba Ciceronis lib. 7. *ad Famil.* ep. 1. in lecticis, si non omnibus, nonnullis tamen bini gestari potuerunt: *Tu vero istam imbecillitatem valetudinis tuæ sustenta & tuere, ut facis, ut nostras Villas obire, & mecum simul lecticula circumcursare possis.* Alii legunt *mecum nostra simul lecticula &c.* Denique opertam & clausam fuisse lecticam liquet etiam ex Cicer. ep. 12. libro 9. *ad Atticum*, qua Lentulum aperuisse paullum lecticam, ut a viatore cognosceretur, scribit. Sed mox aliud gestationis

B genus inventum est, atque cœpit vilescere lecticæ usus; *gestatoria sella* illud dicebatur; Celsus scamnum, Tacitus gestamen appellant. In eo plures erant sedes, nam ut apud Tacitum est lib. 2. *Annalium*, Narcissus sibi in eodem gestamine sedem poposcit & sumsit. Confirmat hoc etiam Plinius Junior *l.* 3. *ep.* 5. de Plinii Majoris studiis referens: *In itinere quasi solutus curis huic uni vacabat. Ad latus Notarius cum libro & pugillaribus, cujus manus hyeme manicis muniebantur, ut ne cœli quidem asperitas ullum studii tempus eriperet. Qua ex causa Romæ quoque sella vehebatur.* Nimirum ut Notarius juxta latus sedem capere posset. Formam hujus ge-

C staminis adeo certam Auctores nobis non tradiderunt. Lipsius suspicatur, eam ita compactam fuisse, ut apta esset ad sedendum, eoque discretam a lectica, quæ ad jacendum parata erat. Colligit tum ex voce ipsa, tum quia non lectus in sella, sed tantum cervical, ad caput reclinandum. Juvenalis:

Ut spectet ludos conducit Ogulnia vestem,
Conducit comites, sellam, cervical, amicas.

Materiam sellæ indicavit Lampridius in *Heliogabalo*, recensens constitutionem Imperatoris, qua

D definivit, quæ matronarum pilento, quæ equo sagmario, quæ asino veheretur, quæ carpento mulari, quæ boum; quæ sella veheretur, pellicea, vel ossea, vel eborata, vel argentata. Erant hinc sellæ vel pelliceæ, vel osseæ, eboratæ, aut argentatæ. Reliqua, quæ de gestatoria sella, & de sella muliebri, de sellis varii generis, variisque usibus destinatis dici, nec non de cathedris in medium afferri possent, legantur apud Lipsium in *Electis* l. c. Pignorium *de Servis* p. 142. seqq. Bajulabant sellam gestatoriam etiam Lecticarii. Est locus Suetonii in *Othone* c. 6. *Tunc abditus propere muliebri sella in castra contendit, ac deficientibus le-*

E *cticariis &c.* Tandem & id demonstrandum erit, Veteres gestationem sellariam, ut ita dicam, valetudinis ergo adhibuisse; quod ex Cælio Aureliano damus: *Ante cibum, inquit, præterea erit adhibenda gestatio portatoria sc. sella, sine vehementi motu, quo partes vehementer patientes releventur,* lib. 1. c. 1.

Tandem de gestatione & illud notandum, quod in gestationibus valetudinis ergo susceptus fuerit certus passuum numerus observatus, quod in antiqua Inscriptione apud Pignorium, Pancirollum aliosque, quam alibi reddemus, inveni-

F mus.

Tertium gestaminis genus est vehiculum, idque communissimum. Plinius *libro* 3. *ep.* 1. de Spurinna: *Mox vehiculum adscendit, assumit uxorem singularis exempli, vel aliquem amicorum, ut me proxime.* Sueton. *libro* 5. *cap.* 33. de Tiberio: *Aleam studiosissime lusit: de cujus arte librum quoque emisit. Solitus etiam in gestatione ludere, ita essedo alveoque adaptis*, ne lusus confunderetur.* Multa dici possent de vehiculis Veterum, de variis vehiculi

* Scrib. *adaptatis.*

speciebus, Carruca, Rheda, Carpento, Pilento, Curribus, quæ vehendis portandisque hominibus potissimum parata fuerunt; nec non de superbo vehiculorum ornatu. Erant enim vehicula cælata argento, argentata, eborata, ærata, mox auro obducta, & gemmis distincta; pari modo in jumentis & mulis trahentibus vehicula, magnifici sumptus conspiciebantur; juncturæ & ornamenta erant ex auro parata, & soleas induerant mulis argenteas. Verum immorari hisce non vacat; explicuit aliquam horum partem Meursius *de Luxu Romanorum* c. 11. & Guido Pancirollus in *variis Lectionibus utriusque Juris*.

Id demum addendum est, quod etiam recensita hactenus ex parte inferunt: Veteres quando gestarentur, adjunxisse sibi amicos & comites, quibus otium fallerent. De Cicerone audivimus, quod invitaverit Marium l. 7. *ad Famil*. ep. 1. de Spurinna idem quoque Plinius, quod uxore vel amico comite vectus sit, ut haberet quibus cum confabularetur. Plinius sibi adjunxit Notarium; Tiberius adscivit cum quo luderet. Delicati homines habebant in vehiculo secum pueros delicatos, teneros & molles, quod ex Martialis *ep*. 13. *l*. 10. constat:

Cum cathedralicios portet tibi rheda ministros.

Lautioris fortunæ qui erant, ut cum splendore & magno apparatu incederent, conduxerunt anteambulones, pedissequos, qui ante, pone, & juxta gestamen irent; vel etiam sua sponte accedebant clientes, & comitabantur dominum. Martialis *l*. 3. *ep*. 36.

Horridus ut primo semper te mane salutem,
Per mediumque trahat me tua sella lutum;
(si me jubes)
Lassus ut in thermas decima vel serius hora
Te sequar Agrippæ, cum laver ipse Titi.

Item *lib*. 9. *ep*. 102.

Denariis tribus invitas, & mane togatum
Observare jubes atria, Basse, tua.
Deinde hærere tuo lateri, præcedere sellam, &c.

Idem *lib*. 10. *ep*. 10.

*Lecticam sellamque sequar? nec ferre recuso**:*
Per medium pugnas sed prior ire lutum.

Adde *l*. 9. *ep*. 23. Sed qui gestationem, ob corporis infirmitatem, perferre non poterant, hisce excogitavit Asclepiades aliud remedium & exercitationem, suspendendo lectulos, quorum jactatu aut morbos extenuarent, aut somnos allicerent. Plinius *l*. 26. *c*. 3. & Celsus lib. 2. *de Medic*. c. 15.

CAPUT VII.

Veteres ambulabant in Secessu, insolabantur, aliisque dabant operam exercitiis, ut valetudinem sustentarent atque reficerent.

Veteres exercitiis plurimum favebant, ut singulis diebus se exercerent atque agitarent corpus suum; partim ob animi delectationem, ut iisdem refocillarent; partim ad Juventutis disciplinam, ut Juvenum corporibus robur, & membris agilitatem conciliarent, denique ut sanitatem hoc remedio tuerentur. Ob sanitatem (qui considerandi modus noster est) utebantur exercitiis, non modo quod sudorem elicerent, & noxios humores, Seneca *ep*. 15. sed etiam quod ex placitis suorum Medicorum credebant, exercitationes corporis esse ad balnea præparatoria, sine quibus non essent conducibilia, maxime sanis. Hoc ex Galeni lib. 2. *de tuend. sanit*. constat; neque non exinde dicitur, quod ante probe exercitati semper lavarentur. Si pluribus testibus res opus habet, Martialem adducemus *l*. 14.*:

Non pila, non follis, non te paganica Thermis
Præparat, &c.

Vide etiam *l*. 14. *ep*. 45. Sed varia sunt exercitationum genera, quæ sanitati Veterum inserviebant, quæ a Galeno libro 2. *de sanit. tuend*. nec non ab Andrea Baccio Elpidiano, Cive Romano, in Commentario quem *de Thermis* scripsit & prodidit Venetiis 1571. libro 7. c. 6. & 7. item Hieronymo Mercuriali *de Arte Gymnastica*, & aliis enumerantur; nec nostri instituti est, omnia illa explicare, aut Doctorum pagellas describere; ordinis saltem causa quædam, priusquam ad balnea & lotiones deferebamur, erant degustanda. Dividebantur a Medicis pro ratione ætatis, roboris, & valetudinis; & alia senibus decrepitis, vel morbo debilitatis; alia junioribus & mediæ ætatis vel integris viribus viris imperabantur. Hisce robustiora exercitia conveniebant. Fodere, remigare, discum mittere, celeriter moveri, saltare, grave quodvis telum jaculari, continuatis jactibus onere maximo sublato, & acclives ambulare; gravi armatura tectum celeriter agitari, per funem manibus apprehensum scandere, quomodo in Palæstris pueros exercebant; vel e fune vel pertica manu apprehensa sublimem pendere, ac diu tenere; manibus in pugnum reductis, iisdemque prolatis, vel in altum sublatis: halteribus seu globis plus minus gravibus seorsum positis, utraque se inflectentem manu attollere, quæ robustior erit exercitatio, si qui ad sinistram manum fuerit, dextra conetur attollere, & sinistra, qui ad dextram; movere se saltu, cursus ad metam instituere, summis invicem manibus concertare; complecti quempiam manibus digitisque *pectinatim*[1] junctis, iisque divellere se adniti; medium apprehendere, ac sublatum, ceu magnum onus, protendere & reducere; erectum & circumactum se prope adstantem mutare; stare, nec sinere se loco dimoveri, quo exercitio Milo Crotoniates celebratur; pectoribus ex adverso innixos magno se conatu invicem retrudere; manu altera tanquam fune, collo alterius injecta, ipsum retrorsum trahere ac revellere; coryco & parva pila ludere: ne dicam de acrocorismis seu festivis saltationibus, & sciamachiis, quæ crura, brachia & manus simul exercent, aliisque, de quibus Auctores laudati, potissimum Galenus. Hæc junioribus & robustis.

Senioribus & gravibus viris competebant aliæ moderatæ exercitationes; scil. per vocem, si egendo aut cantillando exerceatur, item ambulationes, jactationes in lectis pensilibus &c. Commode adducemus exemplum Augusti, de quo Suetonius c. 83. *Exercitationes campestres equorum & armorum statim post bella civilia omisit, & ad pilam*[2] *folliculumque transiit, mox nihil aliud quam vectabatur & deambulabat*. Cum scil. nervorum

* Alii, *recusas*.

1 De digitis pectinatim nexis adi Justi Zinzerling. Promulf. Critic. juvenil. pagina 204. 2 De pilæ lusu consf. Mercurialem in Gymnastica, & Fabrum in Agonistico.

* Est lib. 7. epigr. 31.

debilitas fecisset incrementum. Sed ad nostros rusticantes veniamus. Plinius de Spurinna in Secessu degente: *Pila vehementer & diu movetur*. Plinius idem de se ipso *lib*. 9. *ep*. 36. reddens rationem otii in Secessu: *Mox orationem Græcam Latinamque clare & intente, non tam vocis quam stomachi causa, lego, pariter tamen & illa firmatur*. Ita antiquis Medicis visum fuit, vocis claræ excitationem non modo inter exercitia, sed etiam inter medicinas recensere. Hæc Plinii sententia est, lib. 28. *Hist. Nat*. c. 4. idem videtur Celso lib. 2. *de Medic*. c. 8. & probatur Galeno in libro *de Voce*; ideo quod instrumenta omnia vocis permovet, dilatatque, naturalem excitat calorem, & quo magis fit assidua, eo magis universis corporis partibus communicatur. Ex hisce principiis præcipit Seneca vocis exercitium; *Nec tu intentionem vocis contemseris, quam vero te per gradus & certos modos attollere, deinde deprimere &c*. Et paulo post: *non id agitur ut exerceatur vox, sed ut exerceat*.

Vertam nunc ad deambulationes stylum, quibus multum oblectabant animum, & mederi valetudini solebant. Possem plura ex Plinio, Cicerone, Symmacho, aliisque, testimonia cumulare, sed nolo in re certa esse negotiosus. De Augusto referentem Suetonium adducam testem, c. 83. *Vectabatur & ambulabat: ita ut in extremis spatiis subsultim decurreret, sestertio † vel lodicula involutus*. Dicit Suetonius Augustum ambulasse, dein ita ambulasse, ut spatium in fine decurreret, & graviori motu, levi nempe saltatione, valetudini subveniret. Deducit plenius hæc Casaubonus: „Veterum Asclepiadarum divina solertia, quæ „ambulatio cuique morbo conveniret, subtilissi„me vestigaverat. Itaque alium jubebant per pla„na, alium per clivosa, alium brevioribus spatiis, „alium longioribus ambulare: quosdam contento „cursu, quosdam leni; nonnullos subsiliendo, sic „ut duo vel tria exercitationis genera miscerent, „ambulationem, saltum, cursum. Hujus porro (sal„tum dico) species multæ, in longum, in altum, sa„liaris seu fullonius, ut Seneca appellat *ep*. 15. E„rant & aliæ pene innumeræ ambulationum spe„cies, quarum Hippocrates 2. & 3. de Diæta, & „Oribasius l. 6. & alii multi Medici passim meminerunt. Hactenus Casaubonus; nunc recensebimus ex Plutarcho aliisque: Veteres certum numerum passuum in deambulationibus observasse Plutarchus in *Vita Ciceronis* auctor est; *Fuit aliquando in corporis cura curiosus & nimius, ut ad certum numerum frictionibus & ambulationibus uteretur*. Confirmat id Plinii narratio de Spurinnæ rusticatione *lib*. 3. *ep*. 1. *Mane lectulo continetur, hora secunda calceos poscit, ambulat millia passuum tria: nec minus animum quam corpus exercet*. Et eadem epistola; *Peractis septem millibus passuum, iterum ambulat mille*. Nec semel tantum in die, sed identidem ambulationibus indulgebant, & per plurima intervalla defatigabantur ambulando, Plinius, ut de se ipso perhibet *lib*. 9. *ep*. 36. primum gestabatur vehiculo; mutatione hac refecta, paululum redormiebat; deinde ambulabat, & post cœnam denuo ambulabat. Idem de Spurinna narrat epistola paulo ante citata. Tanta erat Antiquis ambulare voluptas, tantum censebant conducere valetudini. Unicum offendo Plinium Seniorem, qui ambulationes increpavit, arbitratus, omne tempus studiis esse impertiendum, ex Plinii Junioris *lib*. 3. *ep*. 5. Sed etiam locum indicabimus. Ambulabant ordinarie in Xysto vel porticu. Cicero *de claris Orat. quum ambularem in Xysto*. Xenophon in *Oeconomico*, εἰ ἐν τῷ ξυστῷ περιπατοῖεν, *si*

† Leg. *segestri*, vel *segestro*, ut Casaubonus ad hunc locum.

A *in Xysto obambularent*. Erant etiam certa spatia in Villis ambulationibus destinata, quæ ambulationes dicebantur, de quibus seq. Tract. agemus. Illud prætermittendum non videtur, sæpius extra Villam ad littora maris Veteres exspatiatos esse. Non repetam quæ supra ex Minucii Felicis Octavio citavi, sed Ciceronis verba ex ep. 13. lib. 14. *ad Atticum* afferam: „Litteris quæris, atque etiam me ipsum „nescire arbitraris, utrum magis tumulo prospe„ctuque an ambulatione ἁλιτενεῖ delecter. Est me„hercule, ut dicis, utriusque loci tanta amœnitas, „ut dubitem utra anteponenda sit. Erat quæstio de Prædiis Cumano & Puteolano, illud in tumulis situm erat, hoc in littore. Insuper & in umbra ambulare solebant, & in Sole; præsertim in Sole, nam & hoc conducere valetudini credebant. Plinius de Spurinna *lib*. 3. *ep*. 1. *In Sole, si caret vento, ambulat nudus*. Et Celsus Medicus lib. 1. *de Medicina*: *Melior est ambulatio sub dio, quam in porticu, melior si caput patitur in Sole, quam in umbra*. Quæ nos ad insolationes Veterum quasi manu deducunt, dum etiam rusticantes hisce dedisse operam in Secessu inferunt. Veteres inter præsidia valetudinis habuerunt, sedere, ambulare, aut jacere nudato corpore in aprico Sole, utiliusque visum est in Sole quam ad flammam & in hypocausto sudare. Plinius de avunculo *ad Macrum lib*. 3. *ep*. 6. *Si quid otii, jacebat in Sole, liber legebatur &c*. paulo post; *post Solem plerumque frigida lavabatur*. Et *lib*. 6. *ep*. 16. iterum de avunculo; *Usus ille Sole*. Suetonius de Augusto; *Augustus vero quando ungebatur, ungebatur autem sæpius, non sudabat in Sole, cujus erat impatiens*, (Solis ne quidem hyberni erat patiens, & domi quoque non nisi petasatus sub divo spatiabatur) *sed ad flammam, & deinde perfundebatur aqua egelida, vel multo Sole calefacta*. Sed ex Martiale docemur, secessisse Veteres in Villas & Secessus, ut corpus insolarent; partim valetudinis causa, partim ut cutem nitidiorem redderent; *lib*. 10. *ep*. 12.

I precor & totos avida cute combibe soles,
Quam formosus eris, dum peregrinus eris;
Et venies albis non cognoscendus amicis,
Livebitque tuas pallida turba genas.
Sed via quem dederit, rapiet cito Roma colorem;
Niliaco redeas tu licet ore niger.

Insolabantur ut pallorem depellerent, hinc dum Urbanos insolato opponit, vocat pallidam turbam: & *lib*. 1.

Sole utitur Charinus, & tamen pallet.
Tingit cutem Charinus, & tamen pallet.

E Conf. Senecam, qui ep. quadam inter luxus rationes colorari in Sole numerat. Ex his alii uncti utebantur Sole, alii sine unctione, quod Cicero *Solem assum*, Plato (ἥλιον καθαρὸν) sicut alterum *Solem unctum* dixit, lib. 12. *ad Atticum* ep. 6. *Pro isto asso Sole, quo tu abusus es in nostro pratulo, a te nitidum Solem unctumque repetemus*. Quid sanitati præstet Sol vel assus vel unctus, pluribus exponit juxta mentem veterum Medicorum Andreas Baccius lib. 2. *de Thermis* cap. 17. quem vide. Præterea alii insolabant se desidentes, alii decumbentes, alii stantes, aut ambulantes, aut currentes; & peculiaris erat in ædibus locus apricationibus dedicatus, quem *Solarium* dixerunt aut *Mœnianum*. *Solarium* dicebatur, quia Soli patebat, ad excipiendam auram & vaporem Solis, ut in Sole percoqui possent; & inde est, quod Ulpianus *l*. 17. *ff. de Serv. Urb. præd*. contra servitutem eum egisse judicat, qui umbram facit in heliocamino vel solario, quia umbram facit in loco, cui Sol est necessarius [1]. *Mœniana* vero unde sint dicta sola-

1 Turneb. lib. 18. Adverf. c. 2. Buchn. ad Plin. ep. 16. l. 6. Publius Victorius &c.

ria, exponit Iſidorus Hiſpalenſis lib. 15. c. 3. *Orig. Mœnianus collega Craſſi in foro projecit materias, ut eſſent loca in quibus ſpectantes inſiſterent, quæ ex nomine ejus Mœniana appellata. Hæc & Solaria, quia patent Soli, poſthæc alii lapide, alii materia ædificare porticibus Mœniana, & foribus, & domibus adjecerunt.* Hæc in editiori ædium loco ædificabantur, ut Soli magis paterent. Evincit hoc jocus Auguſti, apud Macrobium *Saturn.* lib. 2. c. 4. Cum de Tyriæ purpuræ, quam emi juſſerat, obſcuritate Auguſtus quereretur, dicente venditore, erige altius & ſuſpice: his uſus eſt ſalibus. Quid ergo? Ut me Populus Romanus dicat bene cultum, in Solario ambulaturus ſum. Vel ergo ipſa tecta ædificiorum plana, & undique aprica, erant ſolaria; vel certæ ædium partes iis inſtructæ fuerunt. Quod Suetonius *lib. 6. c. 16. Formam ædificiorum Urbis novam excogitavit: & ut ante inſulas ac domos porticus eſſent, de quarum Solariis incendia arcerentur.* Si tamen feliciter conjicio, etiam in infimo ædificiorum plano, ſpatia quædam Solaria nuncupata reperiuntur. Congruum enim magis videtur locum Plauti *Milit. glorioſi* Act. 2. Sc. 3.

Neque ſolarium, neque hortum, niſi per impluvium.

Item locum Suetonii *lib. 5. c. 10. prorepſit ad Solarium proximum, interque prætenta foribus vela ſe abdidit*, exponere de imo ædium loco, in quibus ambulantes, ſtantes, aut currentes &c. apricabantur. Qui decumbentes Sole utebantur, & in ſtrato, & in ſale, aut ſuper corio, ſabulo, tritico, & arena jacebant. Saburratio dicebatur, quando ſub Sole ſaburra corpus obruebant, ſive foret ſaburra maris, ſive mineralis, quæ præferebatur. Arenatio, quando ſe in arena calida fluviatili volutabant, quo remedio Symmachus adverſus podagræ dolores uſus eſt, *lib. 8. ep. 45.* nec non Auguſtus cum & ipſe pedum dolore vexaretur. Conſ. Celſum lib. 2. *de Medic.* c. 17. & Andream Baccium *de Thermis* lib. 2. c. 17. 18. Alii vero ſuper arena volutabant corpus, ut ferendo calori adſuefacerent. Sicuti illi, qui frigori præparabant, vel in nive ſe verſabant, vel ſtatuas nive obductas nudi amplexabantur. De inſolationibus ſuper corio, furfure, tritico, conſule Baccium *loco* proxime *cit.* & veterum Medicorum Commentaria. Concludimus ex hiſce, Veteres ut nudi exercebantur, ita etiam nudos verſatos in Sole fuiſſe, ſi per valetudinem fieri poſſet; ſin minus, ſumebant gauſapam, pallam, ſegeſtrum, vel lodiculam, qua corpus contra nimium Solem defendere poſſent. Quod vel Auguſti exemplum apud Suetonium monſtrat.

Et jam ſi ad clepſydram ſcriberemus, imponerem huic capiti finem, ſed quoniam hac lege non conſtringimur, liceat deſpicere, qualenam exercitationis genus Seneca intellectum velit, cum *epiſtola* 15. ait, *manus motæ cum pondere*. Lipſius in *Annotationibus* & *ad locum cit. Senecæ*, & *ad epiſtolam* 56. interpretatur de Halteribus, quibus olim uſi ſunt ſaltatores, ad librandum corpus; hodie tali libratione utuntur funambuli. Erant iſtæ maſſæ plumbeæ, in circuli dimidiati, aut & aliam formam factæ, quarum crebra mentio apud Auctores incidit. Juven. *Sat.* 6.

—— magno gaudet ſudare tumultu,
Cum laſſata gravi ceciderunt brachia maſſa.

Ad quem locum Scholiaſtes, Domitius Calderinus Veronenſis: „De halteribus intelligit, nam halte„res pondera erant, quibus ambabus manibus com„prehenſis & ſalientes utebantur, & qui volebant „ſudare antequam lavarentur. Ariſt. ſaltans pon„deribus ſuſceptis innititur. Georgius Merula Alexandrinus, Scholiaſtes Juvenalis, in eundem locum Juvenalis, aliter de halterum uſu loquitur: „In balneis varius circumſonabat clamor. Nam „ſudaturi, auctoribus Celſo & Paulo, ſe exerce„bant: nunc graviora onera ferendo, nunc alteres „rotando, quam item rem Seneca Epiſtolarum ſe„ptima (eſt quinquageſima ſexta) ſignificat, hæc „ſcribens: Supra ipſum balneum habito: propone „nunc tibi omnia genera vocum, quæ in odium „poſſunt inducere aures: cum fortiores exercen„tur, & manus plumbo graves jactant: cum aut „laborant, aut laborantem imitantur. Ergo gravi „maſſa alterum accipe. Nam alter ſive alteres, quan„tum in antiquo Etymologico Græco legi, ex „plumbo maſſa quædam erat; qua ad exercenda „corpora in Gymnaſiis utebantur, ab ἅλλομαι, quod „eſt ſalio; nam circumducebant alteres, dum ſal„tando ſe exercerent: Unde Julius Pollux Gymna„ſiorum inſtrumenta enumerans, hæc ait, pelveris „* ſportula, alteres, trochi, & diſci. Quod autem „in balneis alteres haberent, aut quod jactarent, „oſtendit Martialis de Philenide † dicens,

Alteres facili rotat lacerto.

Si Galenum conſulamus, & Andream Baccium, dicent: halteres fuiſſe duo pondera poſita in ſolo, in quorum medio ſtantes, & ſeſe deinde inflectentes, dextra ſuſtulerunt a ſiniſtra, ſiniſtra vero a dextra poſitum. Ex quibus illud percipimus, non unam fuiſſe halterum ſpeciem, & exercuiſſe halteribus manus ſeu brachia, etiam extra ſaltationes, ad ſanitatem. Sit ita, inventos primum eſſe halteres in commodum ſaltatorum, & nomen ſuum exinde accepiſſe; negari tamen nequit, uſos eſſe halterum agitatione vel jactatione tantum ad exercendum lacertos. Quod Veteres manuum jactatione valetudini medicati fuerint, dubio caret: ſiquidem de Auguſto Suetonius *lib. 2. cap.* 82. *Quoties nervorum cauſa marinis albulſque calidis utendum eſſet, contentus hoc erat, ut inſidens ligneo ſolio, quod ipſe Hiſpanico verbo duretam vocabat, manus ad pedes alternis jactaret.* Ut vero vehementior eſſet motus, injecerunt manibus pondus. De tali motu ſive jactatione lacertorum, pondere halterorum aggravatorum, ſive antrorſum & retrorſum, ſive ſurſum & vorſum moveantur, accipio verba Senecæ tam *epiſtola* 15. quam 56. & tale genus exercitii videatur Galenus lib. 2. *de ſanit. tuend.* innuere, mentionem faciens agitationis, quæ continuatis jactibus pondere maximo ſublato fit. Reliqua, quæ de halteribus dicenda forent, vide apud Hieron. Mercur. in *Gymnaſtica*, Biſciolum *Hor. ſubſiciv.* lib. 3. cap. 9. & Raderum *in Martialis lib.* 14. *ep.* 45.

CAPUT VIII.

Veteres in Seceſſu valetudini inſervientes lavabantur ſæpius, fricabantur, ungebantur &c.

CRebro lavabantur Veteres, vel munditiei cauſa vel valetudinis. Lavabantur ſtatim poſt exercitationem, & cum ſæpius exercitationes repeterent, etiam toties ſoliti ſunt ad lotiones redire, & abſtergere ſudores. Imprimis lavabantur accubituri ad epulas. Plinius de Spurinna, *lotus accubat*, *lib.* 3. *ep.* 1. & alibi ſæpius hujus ritus meminit. Huc ſpectant falſum Martialis epigramma

* An *pulveris*? † Rectius, *Philæni*, vel *Philene*.

l. 9. *ep.* 20. Petronii de convivio Trimalcionis narratio, & alia loca Ciceronis, Martialis, aliorumque. Unde Artemidorus scripsit, balneum nihil aliud suo ævo fuisse, quam transitum ad cœnam. Quin & surgentes ab epulis proluebant corpora, quod Barthius libro 6. *Adverſ.* c. 11. ex Arriani libro 7. probat. Et causa, cur toties laverint corpus tam Romani quam Græci, Barthio hæc redditur; quod lini apud eos usus non fuerit, inde sordes statim corpore abluendæ, nisi eas in ipsa vestimenta pervenire vellent, quæ cum alba essent, deformabantur illico concepto sudore. Olim, ut Senecæ testimonio probatur *ep.* 86. non quotidie lavabantur, multo minus toties: *Scipio non quotidie lavabatur. Nam, ut ajunt, qui priscos mores Urbis tradiderunt, brachia & crura quotidie abluebant, quæ scilicet sordes opere collegerant: ceterum toti nundinis lavabantur*, sc. cum in urbem venissent. Sed post M. Pompeii ætatem, totos se singulis diebus lavare cœperunt; ut censet Baccius *de Thermis* l. 7. cap. 12. Et fuerunt, qui septies in die lavarentur, quod de Commodo Cæs. & Gordiano afferunt Scriptores: vel si non septies, tamen multoties. Adeo enim delectabantur olim balneis, ut nunquam difficilius ægrotos obsequentes haberent Medici, quam ubi imperata erat balneorum abstinentia, ut ipsorum Libri nos docent. Reprehendunt alii hanc lotionum frequentiam, & in vitium vocantes, luxuriam atque mollitiem interpretantur; vide plurium testimonia apud Joh. Savaronem Claramontensem in *Notis ad epistol.* 9. *libro* 2. *Sidonii Apollinaris*, Lamprid. in *Vita Alex. Sev.* alii vero defendunt, & non vile exinde emolumentum Rempublicam accepisse credunt. Licet enim ad oblectandum corpus plurimi balneis uterentur; nihilominus per hæc oblectamenta deducebantur ad exercitationes crebras, tanquam lavandi præparatorias; quibus denique ad armorum industriam animum adsuefaciebant, ut facilius militiæ labores possent sustinere. Deinde & aliam causam afferunt, quod illi, qui ab honestis conatibus quodammodo tepescere cœpissent, per hasce delicias a vitiis, quæ otia dant, retraherentur, nec essent plane nihil agentes; quod facem seditionibus & pravis motibus præbere solet.

Sed mittimus ea, & ad modum lavandi exponendum contendimus. Quomodo enim ex Veterum opinione lotiones valetudinem sanaverint aut roboraverint, satis prolixe a Galeno, Oribasio, Celso, antiquissimis Medicis, nec non Andrea Baccio in *Tractatu de Thermis* ostensum est. Lavabantur vel in aqua frigida, & piscina; vel in thermis, tam publicis, quam privatis. Piscinæ dictæ sunt, quod & pisces haud dubie continerent, non tamen ad usum piscium; nam ad hoc propria erant vivaria, sed ad munditiem aquarum servandam, ad lotionem, natationem, atque amœnitatem. Cicero scribit Quincto Fratri: *Latiorem piscinam voluissem, ubi jactata brachia non offenderentur.* De Alexandro Severo Ælius Lampridius: *Post exercitia corporis unctus lavabatur, ita ut Caldariis vel nunquam, vel raro, piscina semper uteretur, in eaque una hora prope maneret.* Idem de Heliogabalo: *Non nisi unguento nobili, aut croco piscinis infectis, natavit.* Plinius describens Prætorium in Villa Tusculano *l.* 5. *ep.* 6. *Si natare latius aut tepidius velis, in area piscina est, in proximo puteus, ex quo possis rursus adstringi, si pœniteat teporis.* Oribasius, Galenus, Aristoteles referunt natationes inter exercitia corporis, & remedia valetudinis. Origo repetenda esse videtur a piscina publica, sub Clivo Capitolino constituta, ad quam natandi causa populus confluebat. Consulatur Festus. Et ex hac dictæ sunt particulares natationes piscinæ, quas ubique in Villis habebant, ut ex Plinio aliisque constat. Sed de Piscinis plura libro sequenti. Hæc lotio, quæ cum natatione conjuncta est, est antiquissima, & ante balnea accepit ortum. Nam Juvenes exercitati satis in Campo Martio, ut pulverem sudoremque detergerent, atque simul ad obeunda aquarum pericula excitarentur, natare in piscinis solebant. Inde veterum quidam Philosophorum permiserunt, immo mandarunt hasce lotiones, quia corpus ad frigus & laborem indurant, cum thermæ molle illud & effœminatum reddant.

Ast deveniamus ad thermas privatas, in quibus non omnes eodem modo, sed pro morbi cujusque conditione lavabantur. Alii frigida, alii calida, nonnulli simplici aqua, quidam infecta & medicata perfundebantur. Augustus, nervorum infirmitate & doloribus vexatus, utebatur marinis, albulisque. Nam ex Plinii judicio, aqua marina est maxime salubris illis, qui ex pedibus laborant, aut nervorum infirmitate occupati sunt, *lib.* 31. *c.* 6. Quod si aqua marina & a natura medicata præsto non esset, arte præparabatur. De hoc idem Plinius [1] *loco cit.* designans modum conficiendæ muriæ, cujus maturitatis indicium est, quod ovum innatet, juxta Galeni regulam libro 4. *Simpl.* quam etiam ii, qui carnes muria condiunt, hodienum attendunt. Adjungo Celsi Medici calculum; *Aquam marinam*, inquit, *vel muriam duram fervefacere oportet; deinde in pelvem conjicere, & cum jam homo pati potest, pedes demittere.* Sicuti vero aquam ex sale medicam præparabant, ita etiam sulphuratam, aluminatam, bituminatam, aut nitrosam facile erat arte ad lavandum conficere. Denique erant thermarum diversæ partes & membra, sive cameræ, cellæ, ita collocatæ, ut ex una in aliam facile transiretur, Hypocaustum, Laconicum, Calidarium, Frigidarium, Tepidarium, & Sphæristerium. In alia sudabant, in alia abluebantur tepida, in alia frigida, in nonnullis fricabantur, aut distringebantur. Plinius Junior *lib.* 3. *ep.* 5. de avunculo suo: *In secessu solum balnei tempus studiis eximebatur; quum dico balinei, de interioribus loquor, nam dum distringitur, tergiturque, audiebat aliquid aut dictitabat.* De Augusto Suetonius cap. 82. *sudabat ad flammam*, (id est, in balneo, interprete Beroaldo) *deinde perfundebatur egelida aqua, vel multo Sole calefacta.* Andreas Baccius l. 7. *de Therm. c.* 10. hunc tenorem & ordinem lavationis recenset: *Primum exercitium, deinde balneum, ubi frictio fiebat, & deterſio, mox statim frigidæ lavatio, postea cibus & potus, ultimo somnus.* De frictione ergo aliquid dicendum est, qua utebantur in balneis. Suetonius in *Vespasiano* capite 20. quod membra sibimet in Sphæristerio ad numerum defricavit. Quod dicit seipsum fricasse, explicandum ex Plinio Seniore *libro* 26. *cap.* 3. „ Asclepiades quinque res maxime communium auxiliorum „ (in Libro quem inscripsit *communium auxiliorum*) „ professus est, abstinentiam cibi, vini, fricatio„ nem corporis, ambulationem, & gestationes; „ quæ cum unusquisque semetipsum sibi præstare „ posse intelligeret, faventibus cunctis, ut essent „ vera quæ facillima erant, universum prope hu„ manum genus circumegit in se, non alio mo„ do, quam si cœlo emissus advenisset. Cognosce, Lector benevole, ex hisce, cum originem eorum valetudinis remediorum, quæ hactenus tractavi, quam Plinius Asclepiadi tribuit; (Celsus vero lib. 2. c. 14. *de Medic.* ait, Asclepiadem omnia ab Hippocrate accepisse, & ea tantum, quæ Hippocrates paucis verbis dixerat, pluribus exornasse)

[1] Vid. ibi Dalechampius.

A tum illud quoque, quod Veteres vel seipsos fricarint, vel ministerio servorum sint fricati. Illud abunde quidem probatum est, hoc testibus non caret. Referam quædam ex Ælio Spartiano in *Vita Hadriani Cæsaris*: „ Cum quodam tempore „ veteranum quendam, notum sibi in militia, dor- „ sum & ceteram partem corporis vidisset attere- „ re, percunctatus, cur se marmoribus destringen- „ dum daret? ubi audivit hoc idcirco fieri, quod „ servum non haberet; & servis eum donavit & „ sumptibus. Verum alia die, cùm plures senes ad „ provocandam liberalitatem Principis parieti se at- „ tererent, evocari eos jussit, & alium ab alio invi- „ cem defricari. Mercurialis verba paulo post reddam. Nitar hoc loco etiam Clementis Alexandrini testimonio, qui de moribus Christianis *Pædagogii* libros conscripsit, & in fœminarum intemperantem libidinem graviter invehitur: „ Eo venere intem- „ perantiæ mulieres nostri temporis, ut cœnent, „ & sint ebriæ, dum lavantur. Viris autem & fœ- „ minis aperta communia sunt balnea, ac ex eo e- „ xuuntur ad intemperantiam, &c. ita quæ coram „ suis maritis vix se exuerint, simulatum pudorem „ probabiliter præ se ferentes. Licet autem aliis vo- „ lentibus, eas quæ domi sunt inclusæ, nudas vi- „ dere in balneis: hic enim se exuere spectatoribus „ tanquam corporum cauponibus, non erubescunt. „ Quæ autem non usque adeo pudorem exuerint, „ externos quidem excludunt, una autem cum „ suis ministris collavantur, a servis nudæ exuun- „ tur, & ab eis itidem nudis fricantur. Hactenus Clemens Alexandrinus, increpans ea, quæ contra verecundiam & summam in Thermis honestatem Romanis servatam libido & intemperantia induxerant. Honestiores tamen Matronæ non servorum, sed ancillarum ministerio utebantur, quod Pignorius ex antiquo lapide *Tract. de Servis* p. 48. probat. Fricabantur vero unguibus. Plinius *l.28. c.4. Remediis adumeratur exercitatio, intentio vocis, ungue fricari cum ratione*. Seu ut plenius dicam, vel sicca erat fricatio, vel madida. Optime facit ad sanitatem judice Baccio lib.2. *de Thermis* c. 17. fricatio ex sale in aquam aut oleum illiquato, si cum eo in Sole aut igne defricentur &c. Sed summatim complectitur Mercurialis lib.1. cap.12. „ Aderant servi fricandis corpo- „ ribus destinati, qui ad præscriptum Gymnastæ, „ aut Pædotribæ, modo nudis manibus, modo un- „ ctis, modo cum linteis, alias duris, alias mollibus, „ alias asperis, alias mediocribus, vario ac diverso „ modo, prout opus erat, corpora fricabant. Dum peculiarem in fricando methodum observasse fricantes, ex Mercuriali audivimus, redit in memoriam, quod Suetonius dixerat, Vespasianum ad numerum fricasse; nec non de Cicerone Plutarchus, quod in fricando numerum certum observarit. Eum numerum censet Torrentius *ad Suetonium*, (qui ea ex Celso lib. 2. *de Medic.* c. 14. mutuatus est) definivisse ex viribus corporis fricandi. Si perinfirmum foret, sufficere poterat quinquagies; si robustius vel ducenties erat faciendum. Nam vehemens fricatio spissat, lenis mollit; multa adimit corpus, auget modica, Plinius *l. cit.* Sufficiat hæc dixisse de fricatione; neque strigilum usus prætermittendus videtur, quibus in balneis stringebantur. Juvenalis *Sat.* 3.

—— domus interea secura puellas *
Jam lavat, & bucca foculum excitat, & sonat unctis
Strigilibus, pleno componit lintea gutto.

Uncti ait *strigilibus*: credo intinxisse strigiles in oleo, & unctis strigilibus rasisse cutem, vel ad leniendum dolorem, quem cutis ex rasura sentiret, vel ut sudores inhiberentur. Quam ob causam strigili ampulla apud Pignorium additur. Plautus in *Persa* Cynicis ampullam & strigilem tradit, nec non inter parasitica instrumenta numerat strigilem rubiginosam & ampullam rubidam in *Sticho*. Cicero lib.4. *de Finib. bon. & mal.* de Stoicis; quod dicere soliti sint, quoties de vita beata sermo fieret: *Si ad illam vitam, quæ cum virtute degatur, ampulla aut strigilis accedat, sumpturum sapientem eam vitam potius, quo hæc adjecta sint, nec beatiorem tamen ob eam causam fore*. Existimabant igitur Stoici, strigilem esse quoddam beneficium humanæ vitæ. Verum simus potius solliciti, ut sciamus, quale instrumentum balneatorium fuerit. Scholiastes *ad Juvenalem* modo ferreum, modo æneum appellat instrumentum, ad radendum lavantium corpus, sudoremque tergendum idoneum. Sed non ferreum tantummodo fuit & æneum, sed etiam ex osse & argento conficiebantur strigiles, teste Galeno. Formam describit Apulejus, & expressit ære Pignorius, quam a Nicolao Fabricio Romæ acceperat, *de Servis p.* 46. reperies eandem & apud Mercurialem lib. 1. *Artis Gymn.* c. 8. & Martialis confirmat, quando *curvum ferrum* appellavit. Neque usum in fricandis corporibus strigiles solum commodabant, sed utebantur tanquam instrumento applicandis medicamentis; probat illud Pignorius *l. cit.* addo Celsum, qui medicamentum in aurem per strigilem instillari jubet. Cum raderent corpus, non molliter sed aspere id agebant. Inde Suetonius de Augusto; quod assiduo vehementique strigilis usu plurifariam sibi callum contraxit; & Juvenalis, quod *sonarit strigilibus domus*. Quod cum ferre non possent ægroti, spongia non strigilibus abstergebantur sudores. Subjiciam Lucilii versiculum, quo exprimitur superstitiosa & nimia corporis cura in balneis, prout restitutus est a L. Carione *Antiq. Lect.* Comm. 1. c. 12.

Scabor, suppellor, desquamor, pumicor, ornor,
Expilor, pingor. —— ——

Post hanc curam abstergebantur linteis & sindone, ut loquitur Galenus, uncti in eleothesio, vel eleothecio, ut Raderus *ad Martialem* legit; qui tenuioris fortunæ erant, simplici oleo, lautiores unguento exotico, vel laute admodum composito. Nec dici satis potest, quam pretiose uncti fuerint oleo Mendesio, Cyprino, Narcissino, Susino, Megalio, Nardino, sive Foliato, Spicato, Cupressino, Myrteo, & Nucato, de quo vide Meursium in *Mantissa ad Librum de Luxu Rom.* c. 12. adi imprimis Plinium *lib. 13. capp.* 1. & 2. ubi de compositione unguentorum, Galenum, Theophrastum lib. *de Odoribus*, Athenæum *lib. 15. c. 14.* aliquot seqq. Miror Meursium, qui luxum Romanorum justo Libello detegit, non hunc quoque luxum indicasse. Quidam balnea, in quibus se abluebant, vel aquam, qua lavabantur, inficiebant unguentis, ut odorem & virtutem corpora immersa diutius servarent. Id supra de Heliogabalo nobis retulit Lampridius. Martialis *lib.10. ep.13.*

Et Thetis unguento palleat uncta tuo.

Hadrianus, referente Spartiano, fuit profusor unguenti, nam in honorem Trajani balsama & crocum per gradus theatri fluere jussit. Caligula calidis frigidisque unguentis [1] lavabatur. Sueton.

* Rescr. *patellus.*

1 Caligulæ tempore una lotio constitit 4608. coronatis, unguento impensis: vid. Glareani computatio, apud Schildium ad Suet. Calig.

lib. 4. *cap.* 37. hunc imitatus eſt ſervus quidam Neronis, & alius quidam privatus juſſit ſpargi parietes balnearum unguento; alii folia, nonnulli veſtigia pedum tingebant, Plinius *lib.*13. *c.*3. Catullus *Fabullo*:

Nam unguentum dabo, quod meæ puellæ
Donarunt [1] *Veneres, Cupidineſque;*
Quod tu cum olfacies, Deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, naſum.

Tandem non ſemel in die, ſed bis terve ungebant corpus. Seneca ep. 86. *Parum eſt ſumere unguentum, ni bis die terque renovetur, ne evaneſcat in corpore.* Nec liniri ſatis, erat ſed perfundi, inquit Plinius: quod etiam Horatius dictum voluit:

Perfundi nardo juvat.

Et Juvenalis *Satyra* 8.

—— *Coſmi toto mergatur abeno.*

Nec eſt quod dicas, hunc luxum tantum in Urbe habitaſſe, imo & extra portas in prædia exiit: nam in Villis quoque habebant unctoria, ut Plinius ſcribit, vel cellas unguentarias, in quas unguenta reponebantur. Obſervabis etiam in ampullis, quibus in balnea oleum & unguentum deportabatur, luxum; erant facta ex cornu rhinocerotis. Juvenalis *Satyra* 7.

—— *magno cum rhinocerote lavari.*

Alibi *Satyra* 3. ampullam unguentariam guttum dixit,

—— *pleno componi lintea gutto.*

Et quidem guttus dicebatur, quod guttatim oleum lavantibus affundebat: pauperibus ex cornu bovino, ſed ditioribus ex cornu ſive naſo rhinocerotis erat factus, quæ Martialis *l.*14. *epigr.* 52. & 53. nec non Scholiaſtes *ad Juvenalis locum* probabunt. Hanc, ut & alia inſtrumenta balneatoria, ſolebant ſervi deportare in balnea. Clemens Alexandrinus ait anteferre; teſtatur enim lib.3. *Pedagogii* c. 5. conſueviſſe Nobiles anteferre ad balneas vaſa innumerabilia, aurea, atque argentea, quorum hæc quidem ad lavandum, illa ad edendum, alia ad propinandum, nec non carbonum craticulas, & cathedras. Quæ verba & eum in finem citavi, ut illuſtrarem illud Juvenalis *Sat.* 8.

Thermarum calices inſcriptaque lintea vadit.

Ultima verba indicant luxum in linteis, quibus abſtergebantur; quod varia textura quaſi inſcripta & picta fuerint. Prima vero verba id docent, Veteres in thermis potaſſe, quod præter Juvenalem Martialis *lib.* 12. *ep.* 58. & Quintil. *lib.*1. *c.*9. aſſerunt. Comediſſe quoque liquet ex Suetonii *Auguſto*; *In balneo demum poſt horam primam noctis duas bucceas manducavi, priuſquam ungi inciperem.* Satis dixi de uſu & ratione lavandi Veterum, nec non de luxu eorum in balneis [2]; agendum nunc foret de diſciplina in balneis uſitata, niſi Joh. Savaro Claromontenſis in *Notis ad Sidonii ep.* 2. *lib.* 2. affatim de hoc argumento dixiſſet: cui adjunge Baccium lib. 7. cap. 12. *de Thermis*.

1 Dono mittebantur unguenta, Seneca l. 2. c. 32. de Ira.
2 Providebant de eo, ut ſemper in Villis medicamenta in promptu eſſent: nam l.12. §.41. ff. de inſtr. leg. theriacam, & cætera medicamenta, quæ ſeceſſus cauſa dominus ibi habuit, inſtructo fundo legato ineſſe judicat JCtus.

Unicum adjiciam illis intactum relictum. Quod Virgini vitio datum fuerit, ſi cum maritata lavaſſet. Hieronymus *ad Lætam*: *Scio præcepiſſe quoſdam, nec Virgo Chriſti* (id eſt, Chriſtiana) *cum Eunuchis lavet, nec cum maritatis fœminis, quia alii non deponant animos virorum, aliæ tumentibus uteris præferant fœditatem. Mihi omnino in adulta virgine lavacra diſplicent, quæ ſe ipſam debet erubeſcere & nudam videre non poſſe.*

CAPUT IX.

Veteres ruſticantes non ſecus ruri atque in Urbe diem ordine diſpoſuernnt.

MOs erat Veterum, dividere diei ſpatia, atque ad ſolaria & clepſydras vivere, ut ſingulis horis negotia certa deſtinarent, & non ſine ordine vitam agerent. Sapientum hoc eſt præceptum. Theodoricus apud Caſſiodorum *l.*1. *epiſt. ult.* *Diſtinguat ſpatia diei actibus ſuis, horarum aptiſſime momenta conſtituat, ordo vitæ confuſus agitur ſi talis diſcretio ſub veritate neſcitur; belluarum quippe ritus eſt, ex ventris eſurie horas ſentire, & non habere certum, quod conſtat humanis uſibus attributum.* Eſt & vetus Scriptor apud Stobæum, ex quo de Xenocrate illud legimus: *Ξενοκράτης διαιρῶν ἕκαστον μέρος τῆς ἡμέρας εἰς πρᾶξίν τινα καὶ τῇ σιωπῇ μέρος ἀπένεμε.* Plura deinde adducemus, & jam nullum aliud dabimus præterea exemplum, quam Medici Crinæ Maſſilienſis, qui ſecundum horarum legem corpus curandum eſſe imperabat; cujus Plinius meminit *lib.*29. *cap.*1. Diem artificialem dividebant in 12. horas, ſpatium ſcilicet illud inter occaſum & ortum Solis; nec brevior anni dies brumalis alium numerum horarum conſtituit; id ſaltem intercedebat inter æſtivos & hyemales differentiæ [1], quod illæ eſſent majores, quia longior dies; hæ breviores, ob brevius diei ſpatium, atque ſic deinceps mediis anni temporibus ex proportione horæ reſponderent. Et fuiſſe alium horarum modum, quantitatemque veterum, quam noſtrorum temporum, liquido conſtat ex Sidonii *ep.* 8. *l.* 4. *jam duæ ſecundæ facile proceſſerant*, id eſt, horæ quatuor ab ortu Solis fere effluxerant; quod punctum reſpondet tempori diei noſtræ poſt nonam, vel circa nonam, ſic enim deſcribit; *Jam Sol adultus roſcidæ noctis humorem radio creſcente ſorbuerat, æſtus ac ſitis invaleſcebant, atque in profunda ſerenitate contra calorem ſola quæ tegeret nebula de pulvere.* Indicant certe hæc verba vel tempus circa meridiem, vel diei partem, quæ ad meridiem inclinat. Explicabant autem haſce partes diei ad legem clepſydræ. Sidonius *lib.* 2. *ep.* 13. cujus verba paulo poſt accipies. Citabimus nunc alia ex *ep.* 9. *l. cit.* *Ecce & ab Archimagiro adventans, qui tempus inſtare curandi corpora moneret, quem quidem nuncium, per ſpatia clepſydræ horarum incrementa ſervantem, probabat competenter ingreſſum quinta digrediens.* Ad clepſydram ergo vivebant. Horologia enim, quæ & diei & noctis horas ſignarent, non erant in Urbe alia penes privatos. Primis temporibus Prætoris ex arbitrio pendebat diei diſtinctio. Varro l 5. *de L. L.* ex Caſconio; *Prætorum accenſum ſolitum eſſe jubere, ubi ei videbatur horam eſſe tertiam, inclamare horam eſſe tertiam, itemque meridiem, & horam nonam.* Primum horologium, quod Romæ ſtatutum eſt, alii in Capitolio, nonnulli in æde Dianæ poſitum fuiſſe volunt. In

1 Conf. Mart. lib. 12. ep. 1. Raderus in Notis ad lib.4. ep. 7. ejuſdem Mart.

In Foro postea aliud constitutum constat, quod ex Sicilia advectum fuit, quo unico horologio tota Urbs diu horas accepit, Censorinus *de Die natali* cap. 22. & Salmasius *ad Sueton.* Hinc, censente Salmasio, Proceres Romani pueros in ministerio habuere, qui horas sibi nunciarent: huc trahitur locus Suetonii *lib.* 8. *cap.* 16. *Tunc horas requirenti, pro quinta, quam metuebat, sexta ex industria nunciata est.* Martialis *l.*8. *ep.* 67.

Horas quinque puer nondum tibi nunciat.

Adde Lipsium lib.2. *Elect.* cap.28. & Hieronymum Magium *de Tintinnabulis* c. 5. & 6. Idem apud Græcos consueverat, & dominabus erant ancillæ, quæ hoc munere fungebantur. Hesychius, *περιητρία ἡ παραγγέλλουσα τὴν ὥραν ταῖς κεκτημέναις*. Quo spectat ministerium servorum monitoriorum, quod apud Romanos constitutum erat, ut dominum monerent, quid hac vel illa hora agendum ex dispositione foret. Seneca *de Brevitate Vitæ* c. 12. „ Nec „ illos quidem inter otiosos numeraveris, qui sella „ te & lectica huc & illuc ferunt, & ad gestatio- „ num suarum, quasi deserere illas non liceat, ho- „ ras accurrunt: quos quando lavari debeant, quan- „ do natare, quando cœnare, alius admonet, & „ usque eo nimium delicati animi languore solvun- „ tur, ut per se scire non possint an esuriant. De hisce etiam Valer. Max. *lib.* 8. *cap.* 7. ubi monitricis meminit; „ Carneades cum cibi capiendi causa re- „ cubuisset, cogitationibus inhærens, manum ad „ mensam porrigere oblivifcebatur, nisi monitrix „ domestica temperato inter studia officio, manum „ necessariis usibus aptasset. Ita Plinius, *postquam Balnei bora annunciata est*, *libr.* 3. *ep.* 1. Sidonius Apollinaris *l.* 2. *ep.* 9. cujus verba paulo ante adduxi. Accipio etiam Senecæ verba *epist.* 15. de iisdem: „ Quod si velis deinde quemadmodum ambules di- „ scere, admittes istos, quos nova artificia docuit „ fames: erit qui gradus tuos temperet, & buccas „ edentis observet, (conf. Plinius *lib.* 28. *cap.* 5.) „ & in tantum procedet, in quantum ejus au- „ daciam patientiæ credulitate perduxeris. Fallor? an loquor certa? quod hæc negotiorum ad clepsydras dispositio potissimum fuerit privatorum, non ita Principum; his enim, cum omnem Reipublicæ curam sustineant, & omnia in ipsos negotia incidant, perque horas fere singulas novi labores emergant, adeo integrum non est definire exacte per horas negotia, uti privati solebant, qui uni tantum rei agendæ supersunt. Id mihi Sidonius inculcare videtur *lib.* 2. *epist.* 13. ubi Petronii Maximi Principis vitam, quam olim vel privatus vel Senator egerat, confert cum Principatu suo: „ Pro- „ fecto invenis, *inquit*, hominem beatiorem prius „ fuisse, quam beatissimus nominaretur. Igitur il- „ le, cujus anterius epulæ, mores, pecuniæ, pom- „ pæ, litteræ, fasces, patrimonia, patrocinia flo- „ rebant, (NB) cum ipsa sic denique spatia vitæ „ custodiebantur, ut per horarum dispositas cle- „ psydras explicarentur, is nuncupatus Augustus, „ ac sub hac specie palatinis liminibus inclusus, an- „ te crepusculum ingemuit, quod ad vota perve- „ nerat. (NB) Cumque mole curarum pristinæ „ quietis tenere dimensum prohiberetur, veteris „ actutum regulæ legibus renuntiavit, atque per- „ spexit, pariter ire non posse negotium Principis „ & otium Senatoris. Nec tamen plane sine ordine transegere diem, sed pro re nata disposuerunt, Sueton. *lib.* 3. *cap.* 11.

Hic usus vivendi & modus collocandi horas non erat omnibus idem, quod ex illis imprimis Scriptoribus, qui Vitas Magnatum consignarunt, perspectum est. Tradidit Seneca quædam de hoc argu- A mento lib. *de Tranquillitate Animi* circa finem: „ Magni viri quidam sibi menstruas certis diebus „ ferias dabant: quidam nullum non diem inter & „ otium & curas dividebant, qualem Pollionem „ Asinium Oratorem magnum meminimus, quem „ nulla res ultra decimam retinuit. Ne Epistolas „ quidem post eam horam legebat, ne quid novæ „ curæ nasceretur; sed totius diei lassitudinem dua- „ bus illis horis ponebat. Sed neque omnes post decimam a studiis requiescebant. Martialis sæpe nocturnis vigiliis carmina scribebat & Augustus a cœna se in lecticulam lucubratoriam recipiebat, residua diurni actus in Imperii commentarios ad multam noctem referens. B *Quidam medio die*, pergit Seneca, *interjunxerunt*, *& in postmeridianas horas aliquid levioris operæ distulerunt* 1. Ea apud Græcos consuetudo observabatur; sed quia hi nihil ad nos, de Romanis petemus exempla. Notissimum est, Romanis post medium diem jus dicere fas minime fuisse 2: exstat apud Auctorem *ad Herenn.* lib. 1. & multæ Principum leges id prohibent: confer Plutarchum *Rer. Roman.* cap.84. Inde est quod matutinum tempus Virgilio *pars melior diei* dicitur, & *l.* 2. *§. cujuscumque ff. de verb. sign. pars major diei cujuscumque est horarum septem primarum diei, non supremarum.*

C Sed descendamus ad specialia, ut videamus sigillatim horarum operas, partim ruri, partim in Urbe; ita tamen, ut cordatiorum & honestiorum usum vivendi, non vero eos respiciamus, quorum meminit Seneca *de Brevitate Vitæ* cap. 12. nec qui ad exemplum Veri Imperatoris noctes diesque in Villis ingenti luxuria debacchabantur, Julius Capitol. in *Vita Veri Imperatoris*. Ducem constituimus, quem sequamur, Martialem, qui *lib.*4. *ep.*8. urbanorum operum dispositionem, & *lib.* 5. *ep.* 90. rusticationis usum exponit, ad quæ duo epigrammata pauca commentabimur. *Prima*, inquit Martialis, D & *altera* salutationis officio destinata erat. Hoc officio auspicabantur diem exorto Sole; imo sæpius antevertebant clientes luci, certantes inter se, quis prior venire posset; is enim majorem sportulam aut gratiam promeruisse sibi persuadebat. Quod Juvenalis testimonio certum est *Sat.* 3. *vers.* 126. Sed si prima & secunda hora officium absolvere, & domi omnibus apparere non potuissent, tertia se in Forum conferebant, ad salutandos Equites, & Judices, qui in triplici Foro sedebant. Observat illud Domitius Calderinus Veronensis, Scholiastes *ad Juvenalis Satyram* 1. Explico secundum hanc glossam Martialem *lib.* 4. *ep.* 79.

E *Discurris tota vagus Urbe: nec ulla* cathedra *est*,
Cui non mane feras irrequietus ave.

Adde *ep.*34. *lib.*8. Quibus hoc officium fiebat, erant potentiores; summo vel aliquo in loco positi. Si commodum foret, accipiebant, sin minus, simulabant morbum, somnum 3; prætexebant absentiam, aut fingebant occupationes, quod per janitorem clientibus significabatur. Vid. Martialis *lib.* 9. *ep.* 8. *l.* 2. *ep.* 5. *l.* 9. 19. nam molestum erat & laboriosum, tantæ multitudini, quæ apud unum sæpius confluebat salutandi causa, vacare, præsertim cum multi valde importune se gererent. Qualem Hieronymus *Epistola ad Eustochium* describit: F „ Cum festinus exsurgit, salutandi ei ordo dispo- „ nitur, viarum compendia requiruntur, & pene „ usque ad cubicula dormientium senex importu- „ nus ingreditur. Si pulvillum viderit, si mantile ele- „ gans, si aliquid domesticæ supellectilis, laudat, mi- „ ratur, attrectat, & se his indigere conquerens, non

1 Conf. id. Seneca ep.83. ubi operum diurnorum suorum rationem reddit. 2 Conf. Clarissimi D. Strauchii Compend. Chronol. 3 Cicero pro Cn. Plancio §. 66. Neminem a congressu meo neque janitor meus, neque somnus absterruit.

„ tam impetrat, quam extorquet, quia singulæ „ metuunt veredarium Urbis offendere. Quis adeo importunos non excluderet? Sæpius autem dum induebant, admittebant salutatores, & accipiebant officium. Sueton. in *Vespasiano*: „ Dum salutaba- „ tur, aut calciabat ipse, aut amiciebat. Hoc officium facere erat clientum & juniorum, qui Consules, Senatores, Equites, Philosophos, Patricios, aliosque honoratiores & potentes amicos, etiam matronas vetulas divites, a quibus hæreditatem exspectare poterant, tali observantiæ cultu mactabant, Juvenal. *Sat.* 3. (Solebant maximo in honore habere eos qui sine liberis erant, & officiosissimo ac obsequentissimo cultu prosequi, ut hæredes ab illis instituerentur. Hieron. in *Epistola ad Nepotianum* 2. testatur, purulentiam stomachi, & phlegmata pulmonis propria manu clientes excepisse &c.) Apparebant ad hoc officium salutantes in albis togis, exceptis Nobilibus, qui purpura induti erant, Mart. *lib.* 4. *ep.* 79. *l.* 9. *ep.* 94. & 103. *l.* 1. *ep.* 56. *l.* 10. *ep.* 10. & *l.* 4. *ep.* 26. adde Ausonium in *Ephemeride*. Formula salutantium erat brevissima. Latini accedentes AVE, recedentes VALE dicebant. Græci χαῖρε καὶ ὑγίαινε, ut est in Dionis *Hadriano*, & apud Plutarchum περὶ ἀδολεσχίας. Succinctam fuisse formulam, indicat Sidonius *lib.* 9. *ep.* 9. „ Salutatio nisi negotium aliquod activa „ deportet materia, succincta est: quam qui por- „ rigit verbis non necessariis, a regula Salustiani „ tramitis detortus exorbitat, quæ Catilinam cul- „ pat, habuisse satis eloquentiæ, sapientiæ parum. „ Unde AVE dicto, mox VALE dicimus, orate „ pro nobis. Sermo quidem est Sidonio de salutatione, quæ fit per litteras. (siquidem Veteres salutantes per litteras, etiam alloquebantur se invicem voce *Ave* vel *Salve*; & concludebant cum *Vale*; quibus inter Christianos adjiciebatur, *Orate pro nobis*. Quemadmodum Ausonius *Paulino*:

Quid probibet Salve aut Vale brevitate parata
Scribere.)

Sed ductus est hic scribendi modus ab officio quotidianæ salutationis. Porro ut officiosior esset salutatio, vocabant Dominos suos, quos adibant, item Reges, Martialis *lib.* 7. *ep.* 94. & *lib.* 8. 44. idem & Juvenalis confirmat. Figebant & oscula, aut porrigebant, sive potius prensabant manus. Servi osculabantur manus dominorum, liberi vero os vel genas. Martialis *lib.* 7. *ep.* 94. & *lib.* 9. *ep.* 44. *lib.* 2. *ep.* 21.

Basia das aliis, aliis das, Posthume, dextram.

Etiam osculo excipiebantur clientes. Suetonius *lib.* 7. *c.* 6. de Othone: „ Mane Galbam salutavit: „ utque consueverat, osculo exceptus, etiam sa- „ crificanti interfuit, audivitque prædicta haruf- „ picis. Hoc officio merebantur sportulas, quarum non semel meminit Martialis:

Si matutinos facile est tibi rumpere somnos,
Attrita veniet sportula multa toga.

Et Juvenalis *Satyra* 1. ad hoc præmium intendens, sportulam posuit pro salutatione ipsa:

Ipse dies pulcro distinguitur ordine rerum,
Sportula, deinde forum &c.

Unicum addendum, illud VALE vel SALVE fuisse mutuum; hac voce utitur Ausonius, & salutatos resalutasse salutantes Ausonius in *Ephemeride*, & Martialis *lib.* 5. *ep.* 52. & 67. dicunt. Tum quoque mediocris fortunæ homines & ab inferioribus officia ac salutationes exspectasse, eadem autem majoribus reddidisse. De quo festivum epigramma Martialis est *lib.* 2. *ep.* 18.

Mane salutatum venio, tu diceris isse
Ante salutatum: jam sumus ergo pares.
Sum comes ipse tuus, tumidique anteambulo Regis,
Tu comes alterius: jam sumus ergo pares &c.

Sed revertamur ex Urbe ad rusticantes nostros. Liberati erant ab hac molestia cum ruri agerent: licet enim nonnulli salutatum apparerent etiam in Secessu, quod colligo ex Martialis *l.* 12. *ep.* 69. pauci tamen admodum fuerunt; & hinc Martialis primum opus ruri fuit, non salutationibus vacare, sed rem divinam facere, *l.* 4. *ep.* 90.

Rure morans quid agam? respondeo pauca rogatus,
Luce Deos oro[1] ————

Idem de se Ausonius in *Ephemeride*, & Lampridius de Alexandro Severo narrat in *Vita ipsius*. Sæpe in horam usque tertiam dormiebant. Martialis *lib.* 12. *ep.* 18.

Ingenti fruor improboque somno,
Quem neque tertia sæpe rumpit hora.
Et totum mihi nunc repono, quicquid
Ter denos vigilaveram per annos.

Confer usum vivendi Alexandri Severi apud Lampridium in *ejus Vita*. Vel excitati a somno studebant & meditabantur aliquid. Plinius de seipso *lib.* 9. *ep.* 36. „ Evigilo cum libuit, (*agebat in Tuscis*) „ plerumque circa horam primam, sæpe ante, ra- „ ro tardius: clausæ fenestræ manent. Mire enim „ silentio & tenebris animus alitur, ab iis quæ avo- „ cant abductus & liber: & mihi relictus non ocu- „ los animo, sed animum oculis sequor &c. Et de Spurinna *lib.* 3. *ep.* 1. „ Mane tectulo continetur, „ hora secunda calceos poscit, ambulat &c. Vel ubi necessum erat, curabant valetudinem statim novo mane, aut ibant venatum. Sidonius *l.* 5. *ep.* 17.

Mane novo, seu cum ferventia balnea poscunt,
Seu cum venatu frons calefacta madet.

Martialis autem, credo, *hora secunda* ordinavit servitia ruris, loco citato:

——— *famulos post arva reviso;*
Partibus atque meis justos indico labores.

Vitio non dabitur, si hoc loco quædam de cura rustica Patrisfamilias apposuero, quæ quidem superius commodiorem invenissent locum, sed exciderant. Paucis eam comprehendit Cicero lib. 16. *ad Fam.* ep. 21 „ Emisse te prædium vehementer gau- „ deo. Habes ubi deponendæ tibi sint urbanitates, „ rusticus Romanus factus es. (NB. olim nomen rustici inter odiosa non fuit, sed ut Cato *Præf. in lib.* 1. *de R. R.* „ Quum virum bonum laudabant, „ ita laudabant, bonum agricolam, bonumque „ colonum) Cum ego mihi nunc ante oculos tuum „ jucundissimum conspectum propono, videor vi- „ dere ementem te rusticas res, cum villico loquen- „ tem, in lacinia servantem ex mensa secunda se- „ mina. Specialius vero officium Patrisfamilias, item quæ cum villico loqui debeat aut soleat, declararunt Scriptores rei rusticæ. M. Cato lib. *de R. R.* c 2. Columella *lib.* 1. *cap.* 7. & Palladius *cap.* 6. qui imprimis urget necessariam esse domini præsentiam, quoniam ex Symmachi sententia *l.* 5. *ep.* 17. „ In- „ ane erit, quicquid remoto atque inconsulto pos- „ sessore tentatur. Et recentioribus Heresbachius *de R. R.* & Egidius Vander Myle in *oblectatione vitæ rusticæ*. Ovidii denique curam agriculturæ afferam ex lib. 1. *de Ponto*:

1 Conf. Sidon. lib. 1. ep. 2.

Non meus amissos animus desiderat agros,
Ruraque Peligno conspicienda solo.
Nec quos pomiferis positos in collibus hortos*
Spectat Flaminiæ Claudia † juncta Viæ.
Quos ego nescio cui colui: quibus ipse solebam,
Ad sata fontanas (nec pudet) addere aquas.
Sunt ibi si vivunt, nostra quoque consita quædam,*
Sed non & nostra poma legenda manu.

Tertia deinde *hora* in Urbe agebantur causæ in foro, quod præter Martialem Juvenalis *loco citato* ostendit:

Sportula, deinde forum, jurisque peritus Apollo,
Atque triumphales.

Sic quæ rem publicam & officia curiæ spectabant, peragebantur hora tertia & sequentibus. Sidonius *lib.* 1. *ep.* 2. de Theodorico, *Peractis sacris antelucanis reliquum mane administrandi regni cura sibi deputat.* Martialis vero, cum ruri hæreret, dabat hisce horis operam litteris:

Inde lego, Phœbumque cio, Musamque lacesso.

Idem Spurinna, *ambulare, legere, disserere.* De avunculo suo *lib.* 3. *ep.* 5. Plinius Junior: *Ante lucem ibat ad Vespasianum Imperatorem, inde ad delegatum sibi officium, reversus domum, quod reliquum erat temporis, studiis reddebat.* Et etiam in Secessu erat totus in studiis. Post *quartam, quinta labente*, vel *elapsa*, prandebant. Prima ætate Romanorum erat flagitium bis in die comedere, postea vero consuevit civis Romanus levem & facilem cibum in meridie sumere; usque dum invaluisset copiosius prandere. Plinius Junior de avunculo suo *lib.* 3. *Reversus domum, quod reliquum erat temporis, studiis reddebat. Post cibum sæpe, quem interdiu levem atque humilem, & facilem Veterum more sumebat.* Et Sidonius *lib.* 2. *ep.* 9. cum esset in Villis Ferreoli & Apollinaris: *Prandebamus breviter copiose Senatorium ad morem: quo insitum institumque multas epulas paucis paropsidibus apponi, quamvis convivium per edulia, nunc assa, nunc jurulenta, variaretur.* Sic apud Martialem *lib.* 4 *ep.* 90. quo Martialis rationem rusticationis suæ reddit: legunt nonnulli codices, *Prandeo, poto, cano, &c.* & hæc lectio Doctis magis arridet, quam altera.

Sed quod hora quinta decedente, aut sexta labente, pransi fuerint, nunc est ostendendum. Habetur in terminis apud Sidonium: „ Ecce & ab „ Archimagiro adventans, qui tempus instare cu„ randi corpus moneret, quem quidem nuncium, „ per spatia clepsydræ horarum incrementa servan„ tem, probabat competenter ingressum, quinta „ digrediens. Idem ex *lib.* 4. *ep.* 7. Sidonii colligitur: *Jam duæ secundæ facile precesserant &c. tum longinquitas viæ per virens æquor campi patentis exposita, visentibus, quippe ob hoc ipsum sero pransuris, ingemebatur.* Sic Ausonius in *Ephemeride*:

Quod cum per horas quatuor
Inclinet ad meridiem,
Monendus est jam Sosias.

Nempe convivas ad prandium invitet. Sic enim sequitur:

Tempus vocandis namque amicis appetit,
Ne nos vel illi demoremur prandium.

Et paulo post:

Sosia, prandendum est, quartam jam totus in horam
Sol calet, ad quintam flectitur umbra notam.

* Heinsius legit, *piniferis.* † Idem, *Clodia.* * Idem mavult, *quondam.*

A Huc traho verba Martialis, *sexta quies lassis.* Nam post prandium in meridie interponebant somnum. Nec non quæ Martialis *lib.* 8. *ep.* 67. *in Cæcilianum* lusit:

Horas quinque puer nondum tibi nunciat & tu
Jam conviva mihi, Cæciliane, venis.
Cum modo distulerint raucæ vadimonia chartæ,*
Et Floralitia lasset arena fera.

Quæ si nihil aliud, hoc tamen probant, Veteres post quintam, cum finita essent negotia publica, sumsisse aliquem cibum, licet convivia tempore Martialis forsan non celebrarint. Et si *epigramma* 90.
B Martialis *lib.* 4. nec non *epistolam* 9. *l.* 2. Sidonii cum cura inspexeris, habebis etiam in prandio sibi famem exercitationibus opsonasse. Confer omnino dispositionem diei qua Alexander Severus utebatur ex Ælio Lampridio.

Vertamus nunc stylum ad meridiationes Veterum, quibus propter valetudinem, ut respiraret corpus, indulgebant. Non dicam impræsentiarum, eo dementiæ processisse Gentiles, ut etiam deos in meridie a somno occupari crediderint, adeo ut omnis accessus, strepitus, tumultus circa fana esset interdictus, ne deorum quies interpellaretur,
C de quo Meursius in *Miscellaneis.* Romanos interjunxisse meridie, ut loquitur Seneca, meridiasse, in aprico est. Varro: *si non insititio somno diem diffinderem meridie, non viverem.* Meridiabant Augustus, Caligula, Severus, Trajanus, ut ex ipsorum Vitis apparet. Cic. *de Div. meridiationes addidi, quibus uti antea non solebam.* Plinius de se ipso, quod in Tuscis solitus fuerit meridiari, in Laurentino cum esset hyeme non item, sed exemisse somnum. Quibus verbis in eam opinionem deducor, ut credam, sola æstate, non hyeme, meridiasse, & confirmant mentem, quod Plinius *lib.* 7. *ep.* 4. *dein cum meridie (erat enim æstas) dormiturus*
D *me recepissem.* Reddit causam meridiani somni, æstatem; nec indiguisse hyeme tali refectione corpus dicendum videtur, quoniam brevior esset dies. Idem de avunculo *lib.* 3. *ep.* 5. dormiebat minimum. Mox quasi alio die studebat in cœnæ tempus. Quod & apud Sidonium docemur *lib.* 1. *ep.* 2. de Theodorici Regis vitæ qualitate: „ Dapibus expleto somnus „ meridianus sæpe nullus, semper exiguus. Et *lib.* 2. *ep.* 9. „ Excusso torpore meridiano paulisper e„ quitabamus, quo facilius pectora marcida cibis „ cœnatoriæ fami exacueremus. Conf. Plin. *lib.* 7. *ep.* 4. & Buchneri in eundem Notas. *Romam, post prandium meridiantibus Romanis, ab Alarico captam,*
E tradit Procopius. Tandem quæ diximus confirmantur per *leg.* 26. *ff. de operis libert.* Præcipitur, *ut a libertis non nisi operæ liberales exigantur*, id est, ut adjicit JCtus, *ut adquiescere eos meridiano tempore, & valetudinis & honestatis suæ rationem habere permittatur.* Ex quo textu agnoscimus, non lautiores tantummodo voluptatis causa meridiasse, sed etiam alios quoscunque locatores, meridianis horis acquievisse, & quidem, quod JCtis notum est, invito quoque conductore. Quo facit Isidori explicatio *lib.* 20. *cap.* 3. *Merenda, quod pueri operarii meridient.*

F Satis hæc confirmata sunt, progrediamur ad alterum quasi diem, id est, alteram pomeridianam diei partem. Sic enim Plinius de avunculo suo scribebat: „ Dormiebat minimum, mox, quasi alio „ die, studebat in cœnæ tempus. Hoc diei spatium post excussum meridianum somnum transigebant variis studiis, usque ad octavam [1]. Plinius studebat, quem etiam alii Philosophi & sapientes modum

1 Confer. Alexandri Severi usus vitæ ex Lampridio.

* Alii rectius, *quartæ.*

servare solebant. Martialis cum in Villa esset: *Prandeo*, inquit, *poto, cano, ludo*: Sidonius equitabat: Theodoricus certis horis tabulæ & calculorum ludo animum exercebat. Alii ambulabant, & inter ambulandum confabulabantur; vel etiam, præsertim qui pransi erant, exercebant se ante balnea. Nam *hora* deinde *octava* æstate erat hora balnei; hyeme *hora nona*, juxta Plinium *lib.3.ep.*1.& Martialis *Ephemeride* sua:

Sufficit in nonam nitidis octava palæstris.

Et *lib.* 11. epigr. 53.

Octavam poteris servare, lavabimur una.

Julius Capitolinus refert, ante Alexandri Severi tempora nunquam thermas ante auroram apertas fuisse, & semper ante Solis occasum claudi consuevisse: ipsum vero mutasse, & oleum luminibus thermarum donasse. Vitruvius *lib.* 5. *cap.* 10. commune tempus lavandi constituit inter meridiem & vesperam, cum maxime calidæ auræ spirant. Antoninus Pius ad curam corporis promtissimus, sub bruma sive brevibus diebus, Sole occidente, in palæstram ingressus, & lavari solitus est; in solstitio autem hora nona, vel ad summum decima. Communissime tamen hora octava observabatur, sive in Villa, sive in Urbe agerent. M. Cicero scribit de Cæsare *ad Atticum*: *Ambulavit in littore, post horam octavam in balneum, unctus est, accubuit, edit, bibitque opipare*. Inde est quod Ælius Spartianus de Hadriano Cæsare monumentis tradidit: *Ante horam octavam in publico neminem nisi ægrum lavari passus est*. Hæc balnei hora publice tintinnabulo indicabatur, cujus sonitus populum ad lavandum invitabat, quod ex Martiali probari posset, privatim vero a pueris & servis nunciabatur.

Tandem accumbebant *hora nona* cœnæ, quæ lautior erat prandio & sæpe in multam noctem protrahebatur. Confer quæ Plinius *lib.3.ep.* 1. ex qua cognosces, etiam in Secessu opipare & splendide cœnasse, atque epulas Comœdiis, lectione Librorum, sive studiis distinxisse. Et post cœnam, si quid restaret diei, Comœdiis, sermonibus jucundis & utilibus, diem componebant. Plinius *lib.* 9. *ep. ult. Si agendi necessitas instat, quæ frequens hyeme, non jam Comœdo vel Lyristæ post cœnam locus: sed illa quæ dictavi identidem retractantur, ac simul memoriæ frequenti emendatione proficitur*. Quæ Epistola id quoque indicat, diversitatem quandam inter rusticationis & vitæ modum, quem hyeme, & quem æstate observabant, intercessisse. Nonnulli ambulabant usque ad somni tempus, quod in Vitis Imperatorum *Historiæ Augustæ* observabis. Hoc vivendi modo consumebant Veteres diem, conficiebant horas, sæpius non sine religione aut superstitione. Nam sicuti dierum auspicia captabant, & infaustas, quibus vetabantur negotia feria inchoare, aut perficere, notabant; (sic enim Augusto omnes Nonæ erant infelices) pariter quoque horarum auspicia observabant. De utroque Suetonius *lib.* 6. *cap.* 8. *Inter horam sextam septimamque processit ad excubitores: cum ob totius diei diritatem, non aliud auspicandi tempus accommodatius videretur*. Hanc superstitionem perstringit Juvenalis *Sat.* 6.

Ad primum lapidem vectari si placet, hora
Sumitur ex libro.

CAP. X.

Veteres non in togis, sed tunicis in Secessu rusticabantur.

Quod Symmachus *lib.* 7. *ep.* 9. scripsit: *In vestitu hominum, cæteroque vitæ cultu, loco ac tempori apta sumuntur*; id sine dubio ex instituto Reipublicæ Romanæ hausit, in qua diverso habitu & officia & vitæ actiones discernebantur. Habebat in animo Alexander Severus, ut refert Lampridius in *ejus Vita*, omnibus officiis genus vestium proprium dare, & omnibus dignitatibus, ut a vestitu dignoscerentur; & omnibus Servis, ut in populo possent agnosci, ne quis seditiosus esset, simul ne Servi Ingenuis miscerentur. Sed hoc Ulpiano Pauloque displicuit, dicentibus; plurimum rixarum fore, si faciles essent homines ad injurias. *Tunc satis esse constituit, ut Equites Romani a Senatoribus Clavi qualitate discernerentur. Pœnulis intra Urbem frigoris causa ut senes uterentur permisit, cum id vestimenti genus semper itinerarium, aut pluviæ fuisset*. In Theodosiano Codice habetur Rescriptum Impp. Gratiani, Valentiniani & Theodosii A. A. A. ad Pancratium *l.* 1. *C. de habitu quo uti op. intra Urb.* Quo Senatoribus toga, Officialibus, per quos statuta Judicum perficiuntur, pœnulis indui præcipitur; ut hujusmodi agnitione conditionem suam testarentur, ut verba legis habent, eosque proinde conditio vel dignitas vestiret. Et antiquum fuit institutum Urbis Romanæ, procedere cum toga in publicum; quod quia certissimum, non probo alio quam Suetonii testimonio, referente in *Vita Augusti* c. 40. *dedisse Principem operam, ut habitum vestitumque pristinum reduceret*; (togas intelligit, quas deposuerant, ausi cum tunicis & pœnulis in publicum exire) *& cum vidisset pro concione pullatorum turbam, indignabundum exclamasse: En Romanos rerum Dominos gentemque togatam! negotiumque Ædilibus dedisse, ne quem posthac paterentur in Foro Circove nisi positis lacernis Togatum consistere*. Nolo de habitu Servorum, de tunica plebis, de vestitu puerorum & adolescentum, denique de vestibus ministerii Imperatorii dicere: illud magis cognatum est argumento nostro, quod alio vestitu Romani in otio & domi usi sunt, alio cum in negotiis versarentur. In negotiis semper togati conspiciebantur, partim Senatores, partim Advocati, Causidici, etiam qui salutatum mane venissent. Inde officia Fori & Curiæ dicebantur togata; domi autem, quia toga molesta erat, levioribus vestibus induebantur, chlamyde, aut tunica, aut lacerna. Sed chlamydis etiam usum privatum interdixit Theodosius Constantinopoli *leg. cit.* concessitque tantum quieta, id est, pacis vestimenta, colobiorum, ac pœnularum. Sidonius *lib.* 1. *ep.* 5. de Ricimeris cum filia Anthemii Imperatoris nuptiis: *Jam corona sponsus, jam palmata Consularis, jam cyclade pronuba, jam toga Senator honoratur, jam pœnulam deponit inglorius*. Spartianus in *Hadriano* Senatores & Equites Romanos semper in publico togatos esse jussit, nisi si a cœna reverterentur. Ostendunt hæc abunde, fuisse alium vestitum Veterum in otio, alium in negotiis. Sed explicanda sunt ultima verba ex ritibus Romanis: consueverant Romani in cœna induere vestem, quam *cœnatoriam* dixerunt, vel *triclinariam*, *leg.*33. *ff. de auro & argento leg.* utebantur hac & viri & fœminæ, unde erat vel muliebris vel virilis; qualis autem inter hasce fuerit differentia, dicere non possum. Post cœnam exutis cœnatoriis, sumebant iterum

chlamydes aut tunicas & pœnulas. Sidonius *lib.* 1.
ep. 11. *Vix post hæc alia pauca, surreximus, paulu-
lum ab inspectu Imperatoris processeramus; atque e-
tiamnum chlamydibus induebamur &c.* Post cœnam
ergo, cum nulla negotia expedienda superessent,
prodire in publicum vel cum tunica, aut cum chla-
myde licebat, neutiquam cum cœnatoria. Martia-
lis *l.* 14. *ep.* 15. Si tamen veritati hæc testimonia non
sufficiunt, adducam & illud, quod ludos specta-
rint in pœnulis, non in toga. Olim pœnularum
usus tantum Tribunis plebis erat concessus, ut iis-
dem, cum identidem in publico essent, se adver-
sus pluviam defenderent. Spartianus in *Hadriano*:
*Pœnulas quibus uti Tribuni plebis pluviæ tempore sole-
bant, Imperatores autem nunquam &c.* Deinde lu-
dorum spectatoribus indulsit Commodus Imper. a-
pud Lampridium. Et contra consuetudinem pœ-
nulatos jussit spectatores, non togatos ad munus
convenire: quod funeribus solebat. Postremo con-
cessit pœnularum indumentum Alexander Severus
senibus intra Urbem, frigoris causa. Habuisse et-
tiam vestes quibus in balneis amicirentur, liquet ex
Lampridii *Alex. Severo*: *Dedit Præsidibus Provin-
ciarum inter alia singulis vestes forenses binas, do-
mesticas singulas, balneares singulas* &c. Succurrit
adhuc locus Suetonii ex *Vitellio* cap. 8: *Subito a
militibus e cubiculo raptus, ita ut erat in veste domesti-
ca.* Et præclarum institutum Reipublicæ Romanæ
hoc fuit; de quo Cicero *pro Flacco*: *Hæc ratio ac
magnitudo animorum in majoribus nostris fuit, ut,
quum in privatis rebus, suis sumptibus, minimo con-
tenti, tenuissimo cultu viverent; in imperio atque in
publica dignitate, omnia ad gloriam splendoremque
revocarent.* O quam aureum hoc consilium! O di-
vinum institutum! beatiores certe forent Respu-
blicæ si hoc instituto viverent. Quis autem rustican-
tium fuit habitus? In *l.* 12. *§.* 41. *ff. de instr. & in-
str. leg.* fit mentio vestium, propter Secessum in fun-
do depositarum, quæ legato instructo fundo inesse
statuuntur. Non induebantur toga molesta, nec
calceis opus habebant. Plinius *lib.* 7. *ep.* 3. *quousque
calcei nusquam? nusquam togæ?* ita enim restituit
hunc locum Buchnerus: & *lib.* 5. *ep.* 6. *Nulla neces-
sitas togæ*; & Martialis *lib.* 12. *ep.* 18. quo docet
quam pingue in Villa otium sit, quanta Urbis mo-
lestia:

Ignota est toga, sed datur petenti
Rupta proxima vestis a cathedra.

Intelligit quamcunque vilem vestem, primo ob-
viam. Dum vero calceus ruri non fuisse dicitur, mi-
nime id de nullo accipiendum est, quasi nullus om-
nino calceorum fuisset usus; sed intelligendi sunt
elegantiores, quibus in Urbe ornari necessum erat.
Eo intendit digitum Martialis *lib.* 1. *ep.* 50. quod est
de deliciis & tranquillitate ruris:

Lunata nusquam pellis, & nusquam toga,
Olidæque vestes murice.

(Sequor non Farnabii sed Lipsii explicationem *E-
lect.* lib. 1. cap. 25. quæ etiam Raderi est) Tunicis
e contra utebantur in Secessu, is enim erat rustico-
rum habitus. Cicero *contra Rullum* de Capuanis:
Jam vero qui metus erat tunicatorum illorum? per tu-
nicatos intelligit rusticos, in Coloniis, Villis, &
Municipiis, in quo omnibus Interpretibus conve-
nit, Lipsio, Radero ad Martial. Savaroni ad Si-
donium, aliisque. Concinunt hisce Martialis &
Sidonius, qui otium in Villis *tunicatam quietem* di-
xerunt: Martialis *lib.* 10. *ep.* 51. & Sidonius *libr.* 2.
*ep. ult. Destinas illuc usque ad adventum hirundineum,
vel ciconinum, Jani Numæque ninguidos menses in otio*

A *fulginoso sive tunicata quiete transmittere.* Idem *lib.*
5. *ep.* 7. *Hi sunt, qui invident tunicatis otia.*

Cap. XI.

*Etiam Convivia ruri instruebant, invitabantque
amicos ad fruendum otio.*

Ut nullius boni sine socio satis jucunda posses-
sio est, ex judicio Senecæ *ep.* 67. ita nec satis
jucunda videbatur vita in Secessu sine socio
aut contubernale. Uxores & liberos duxisse secum
in Villas certius est quam ut probari debeat. Pli-
B nius in Tuscis agens: *Mei nusquam salubrius degunt:
usque adhuc certe neminem ex iis, quos eduxeram me-
cum, (venia sit dicto) ibi amisi*, *lib.* 5. *epp.* 6. 18.
Scribit hæc Plinius, quoniam regio Tuscorum pe-
stilens & noxia credebatur, Sidon. *l.* 1. *ep.* 5. Vitru-
vius *l.* 1. *c.* 4. & Plinius *l. cit.* Est & hoc præceptum
Scriptoris rei rusticæ, quod uxor una in Secessum
deducenda sit. Invitabant rusticantes amicos suos,
ut secum ruri & otio fruerentur. Ita Horatius in-
vitat Tyndaridem amicam in Lucretilem suam *lib.*
1. *od.* 17. Ita Agricola Sidonium invitabat in Seces-
sum ad piscationis voluptatem, miseratque ipsi na-
C viculam, qua adveheretur, *lib.* 2. *ep.* 12. adscribam
verba, quoniam quædam notatu digna habent;
„ Misisti tu quidem lembum mobilem solidum lecti
„ capacem, jamque cum piscibus. Tum præterea
„ gubernatorem longe peritum, remiges etiam ro-
„ bustos expeditosque, qui scilicet ea rapiditate
„ prætervolant amnis adversi terga, qua defluit.
„ Sed dabis veniam quod invitanti tibi in piscatio-
„ nem comes venire dissimulo &c. Describunt hæc
nobis formam navium, quibus Veteres animi gra-
tia vehebantur, nempe erant cubilibus & lectis in-
structæ, vel ita paratæ, ut lectum, ædificatum
culcitris thorum, (ut alibi Sidonius *l.* 8. *ep.* 12. lo-
D quitur) recipere possent. Unde Senecæ l. 7. *de Be-
nef.* c. 20. *cubiculatæ dicuntur*: & Ausonius Theo-
ni *ep.* 5.

Expositum super paradas, lectoque jacentem,
Corporis ut tanti non moveatur onus.

Vide quæ Savaro *ad Sidonium* scripsit & ex Baptista
Egnatio Schildius *ad Suet. lib.* 1. *cap.* 52. annotavit.
Sed hæc quasi in transcursu. De Heliogabalo testa-
tur Lampridius, quod amicos suos nobiles rogave-
rit, ut venirent in vindemias. Ingens enim & a-
E bundans erat lætitia vindemialis. De Tiberio Con-
stantino Cæsare narrat Paulus Diaconus, eum ri-
tu Imperatorio rus petiisse, ut vindemiali lætitiæ
operam impertiretur, diebus triginta. Celebraba-
tur cum multa libertate, ac factorum dictorumque
licentia, ut multa jocularia in dominos & audienti-
bus dicerentur. Heliogabali impuri hominis vinde-
mialis licentia describitur apud Lampridium *c.* 10.
„ Cum ad vindemias vocasset amicos nobiles, & ad
„ corbes (*Casaub. ad uvas electas ad edendum*)
„ sedisset, gravissimum quemque percunctari cœ-
F „ pit, an promtus esset in Venerem, erubescenti-
„ busque senibus exclamabat: Erubuit, salva res
„ est, silentium ac ruborem pro consensu ducens.
„ Addidit præterea ipse quæ faceret sine ullius pu-
„ doris velamento. Postquam senes vidit erubesce-
„ re ac tacere, vel quia ætas, vel quia dignitas ta-
„ lia refutabat, contulit se ad juvenes, & ab his
„ cœpit omnia exquirere, a quibus cum audiret æ-
„ tati congrua, gaudere cœpit & dicere, vere li-
„ beram vindemiam esse quam sic celebrarent. Fe-
„ runt multi ab ipso primum repertum, ut in vin-
„ demiarum festivo multa in dominos jocularia &

„, audientibus dominis dicerentur, quæ ipse com- „, posuerat, & Græca maxime. Sicuti autem Heliogabalus invitavit amicos ad vindemias, ita alii ad venationes, & gestationem, aliasque voluptates sollicitarunt: vid. Ciceronem l. 7. *ad Fam.* ep. 1. qui non semel amicos sollicitavit, ut obirent Villam suam. Plinius *l.*6. *ep.* 14. & alibi, Sidonius *l.* 2. *ep.* 2. invitat Domitium suum, ut apud se clementissimo recessu canicularem inclementiam falleret, & *ep.* 12. Agricolam. Accedebant etiam non invitati, qui amicum inviserent; ita Cæsar & Octavius visitabant Ciceronem in Puteolano hærentem, quod ipse quadam Epistola amico narrat: alibi lib. 14. *ad Attic.* ep. 18. & lib. 2. ep. 14. conqueritur de frequentia visitatorum: lib. 15. ep. 2. *ad Att. Habuimus in Cumano quasi pusillam Romam: tanta in his locis erat multitudo.* Et l. 15. ep. 13. „ Ego in Pompejanum properabam, non quod hoc loco quicquam pulchrius, sed interpellatores illic minus „ molesti. Symmachus etiam *lib.* 6. *ep.* 33. *frequentia mihi, quæ sola Romæ venerabilis judicatur, amicorum præstat adventus.* Scripsit hæc degens in Se- A cessu suburbano. Easdem querelas audies ex Martiali *lib.* 12. *ep.* 69.

Matutine Cliens, Urbis mihi causa relictæ,
Atria, si sapias, ambitiosa colas.
Otia me somnusque juvant, quæ magna negavit
Roma mihi: redeo, si vigilatur & hic.

Tandem illud quoque subticendum non est, in Villis epulas & convivia instituisse. Domitianus celebravit in Secessu Albano Quinquatria Minervæ, Sueton. l. 8. cap. 4. *Domitiani*: & Nero Claudius B Cæsar frequentavit Quinquatruum festivos dies apud Bajas, Tacitus l. 4. *Annal.* cap. 4. De M. Antonio dicit Cicero in *Philippicis*, quod natalitia dederit in Hortis suis. Quo spectat quod supra cap. 2. *ex ff. de donationibus inter Vir. & Ux.* allegavimus, quod Veteres nuptias in hortis celebrarint. Quibus huic libro, *de Rusticatione Romanorum*, manum ultimam imponimus, proferentes eam ad sequentem, qui *de Villarum structura* exarabitur.

GEORGII GREENII, HOLSATI, DE VILLARUM ANTIQUARUM STRUCTURA APUD ROMANOS.

CAPUT I.

Quædam Italiæ antiquæ Villæ indicantur.



Postquam de rusticationis modo apud Veteres nonnulla dicta sunt, tunc loca ipsa, in quibus tam amœnas voluptates, & tranquillum otium invenerunt, perlustrare juvat. Amplissimum hoc argumentum est, in quo satis multa & plura, quam quibus nunc sufficimus, nobis explicanda offeruntur; præsertim si per omnes Prætorii partes ire, aut quæ in Villa rustica reperiebantur, singula illustrare institueremus. Verum quia non eo fine, ut Doctis satisfaciamus, aut aliquem de hisce erudiamus, sed plane alio hæc scribimus, merebimur veniam, si quædam intacta majori otio reliquantur. Primum caput *de Villis Italiæ* constituimus, non omnibus, sed quondam conspicuis & ornatissimis, ac quantum nobis ex antiquorum rerum monumentis de illis constat. Pauca enim de illarum cultu & splendore regio tradita sunt, neque omnium nomina novimus quidem. Siquidem totam fere Italiam occupaverant privati, ut vix publico quicquam reliquum foret; cuncta erant adeo ad voluptatem & delicias prætoriis, piscinis, hortis, vivariisque exculta & occupata, ut vix aratro & sementi ager superesset. Præsertim in regione Tuscana, Albana, & Bajana erant plurimæ exstructæ Villæ, quoniam amœnissimæ; præsertim Bajarum regio ob aquas calidas sanitati commodissima fuit, multa amœnitate & voluptate conspicua, juxta illud Horatii:

E *Nullus in orbe Sinus Baiis prælucet amœnis.*

Et Seneca *ep.* 51. vocat Bajas *diversorium vitiorum, ubi sibi plurimum luxuria permittit, & tamquam aliqua licentia debeatur loco, magis solvitur.* In Bajana regione fuit *Villa Luculli* magnifice exstructa & polita; „ Ipse in Bajano tanta ardebat cura, ut ar- „ chitecto permiserit, suam pecuniam consume- „ ret, dummodo perduceret secus e piscinis in ma- „ re objectaculo, quo æstus bis quotidie ab exorta „ luna ad nonam proximam introire, aut redire „ rursus in mare posset, ac refrigerare piscinas. F Varro l. 3. *de R. R.* cap. 16. adde Suet. in *Tib.* cap. 73. Cæterum quas Villas, quæ opificia maritima, quosve hortos Lucullus exstruxerit, vid. apud Plutarchum in *Vita Luculli* & Plinium l. 9. *H. N.* cap. 54. Idem habuit in Tuscano diætas mediterraneas & speculas. Marci Luculli *Villa*, cujus mentionem Varro facit *l. cit.* ubi sita fuerit non adeo constat, fuisse putant ad radicem Miseni, in littore, versus Prochyten, ubi sub undis piscinarum ruinas conspici perhibetur, Schottus in *Itiner. Italiæ, pag.* 559. Q. Hortensius Orator, in regione Bajana, ad Baulos, *Villam* ossidebat, quod probatum est a Schotto; quamvis Tacitus lib. 14. *Annal.* ubi blandimenta Neronis, quibus Agrippinæ imposuit, enarrat, dicat, fuisse hanc Villam ipsos Baulos.

Cui accedit Symmachus *lib.* 1. *ep.* 1. quod dissidium non componimus. Varro de hac Villa Hortensii *l.* 3. *cap. ult.* referens quantam curam impenderit in piscinas, & magis sollicitus fuerit de ægrotis piscibus, quam de male habentibus servis. Fuisse etiam Hortensio in Tusculano Villam certum est ex Plinii testimonio *lib.* 35. *cap.* 11. Caii Pisonis *Villa*, in regione Bajana, quam amœna fuerit atque culta, vel exinde colligitur, quod Nero hujus amœnitate captus, crebro eo ventitabat, balneasque & epulas inibat, omissis excubiis & fortunæ suæ mole, Tacitus lib. 15. *Annal.* Illi quoque ad quos primos fortuna Romani Populi publicas opes transtulit, C. Marius & Cn. Pompejus & Cæsar exstruxerunt quidem *Villas* in regione Bajana, sed illas imposuerunt summis jugis montium. Videbatur hoc magis militare, ex edito speculari late longeque subjecta. Quod verbis Senecæ recensui *ep.* 51. Circa Tibur etiam plurimæ Villæ conspiciebantur, præsertim qua parte Tusculum itur. Inter quas *Villa* Hadriani Imp. lautissime exornata eminebat, de qua Ælius Spartianus in *Vita ejus*: *Tiburtinam Villam mire exædificavit, ita ut in ea & Provinciarum & locorum celeberrima nomina inscriberet: velut Lyceum, Academiam, Prytaneum, Canopum, Pœcilen & Tempe vocaret, & ut nihil prætermitteret, etiam inferos finxit.* Quem latet *Villa* Cæsarum, quæ etiam ad Gallinas Auctoribus dicitur? Villa hæc, quæ olim Vejentanum, juxta Plinii descriptionem *lib.* 15. *cap.* 30. fuit Tiberii, imposita Via Flaminia, juxta nonum ab Urbe lapidem. Unde acceperit nomen ad Gallinas, exponit Suetonius in *Galba* cap. 1. Cum Livia olim, Augusti conjux, statim post nuptias Vejentanum suum reviseret, prætervolans aquila ei Gallinam albam, ramulum lauri rostro tenentem, ita ut rapuerat, demisit in gremium: cumque nutriri alitem placuisset, tanta pullorum soboles provenit, ut hodie quoque ea Villa ad Gallinas vocetur. Quid dicam de *Villa* Antonini Pii, *Lorinum* vel *Lorii* Auctoribus nuncupata? quæ duodecimo ab Urbe milliari fuit, in qua diem obiit Imperator Hadrianus; vid. Julius Capitolinus in *ejus Vita*. Diversum est ab hoc Lorio *Laurentium*, in Via Hostiensi, non longe a Lanuvio, quo Commodus pestis tempore secessit. Quid referam de *Villa Tiburtina* Manlii Vopisci? quam Statius describit lib. 1. *Sylvar.* carm. 3. de Pollii cujusdam? quam idem Statius l. 2. *Sylv.* carm. 2. versibus illustravit, commendans a largo vini proventu. Quid de *Villa* Pansæ, Cic. lib. 5. *ad Att.* ep. 12. de *Villa Siliana*, lib. 12. epist. 26. quæ Villula pusilla & sordida dicitur? quid de Marci Crassi agris, qui in agris suis Sestertium M. M. possedit, Quiritum post Syllam ditissimus, nec fuit satis, nisi totum Parthorum esuriisset aurum? Plin. *l.* 33. *cap.* 10. de *Villis* Quinti Fratris, quarum mentio ap. Cic. l. 3. ep. 1. *ad Quintum Fratrem*. Quid de Servilii Vatiæ *Villa*, quam Seneca *ep.* 55. delineavit in regione Bajarum sitam? Quid de Axii Appi *Villa* in Rosea? fuit autem Rosea campus Reatini agri fertilissimus, cujus tanta fuit fertilitas, ut etiam perticæ longitudinem altitudo herbarum excesserit, & quantum per dies demptum esset, tantum crescebat noctibus singulis, vid. Serv. *in l.* 7. *Æn. Virg.* Scipionis Africani Linternini, sic dicti, quod prope oppidum Linternum situm esset, meminit Plinius *lib.* 16. *cap.* 44. Quod vita arborum ibidem consitarum immensa sit, vel valde longæva.

De Ciceronis *Villis* nunc quædam recensebo. Possedit plurimas; In Campo Solonio, quæ exinde *Solonium* dicebatur. Habuit etiam *prædium Pompejanis* vicinum, cujus meminit Plutarchus, & ipse *Pompejanum suum* vocat, in *Epistolis ad Atticum* lib. 14. epp. 17. 18. 19. Ad oppidum Trebulum erat *Tre-*

A *bulanum* Ciceronis, de quo passim in Epistolis. Inter plures eminebat *Puteolanum*, quod nomen a vicinis Puteolis accepit; refert ipse Cicero nobis hanc Villam libr. 14. *ad Att.* epp. 7. 18. & lib. 15. ep. 1. Imposita fuit littori, teste Plinio: sed hodie rudera loco a littore remotiori conspiciuntur: causam vide ap. Schottum in *Itiner. Italiæ p.* 563. & Cluver. in *Ital. antiq.* Hæc fuit Academia Ciceronis, quam insigni Bibliotheca, multisque signis, ex Græcia ab Attico missis exornaverat [1]. Hermathenam imprimis nominat ornamentum Villæ suæ proprium. In hac composuit egregia sapientiæ monumenta,

B libros ejusdem nominis; in qua & monumentum sibi instauraverat, ceu vero non in toto terrarum orbe fecisset. In parte prima hujus Villæ, cum ab Antistio Vetere possideretur, eruperunt fontes calidi, perquam salubres oculis, quas Laurea, libertus Tullii, carmine celebravit, Plinius *lib.* 31. *cap.* 2. Præter Puteolanum [2] celebrat etiam Cicero *Villam Cumanam*, alias *Cumanum suum* lib. 14. *Ep. ad Atticum*: *Perpaucis diebus Pompejanum, post hæc in Puteolana & Cumana regna renavigare. O loca cæteroqui valde appetenda! interpellantium autem multitudine pene fugienda.* Mentio fit & alibi Cumani

C a Cicerone lib. 15. *ad Att.* lib. 14. ep. 19. Hæc intelligenda venit, quoties *Villam ad Lucrinum* nominat, nam ad lacum Lucrinum erat posita, quod indicat ep. 3. *ad Att.* l. 14. ubi quidem minusculam Villam appellat. Nec prætereundum est *Formianum* Ciceronis, quod & Cajeta dictum. Gemino namque nomine exstat, propterea quod in medio oppidorum, Cajetæ & Formiarum, situm fuit. Duplex hoc nomen demonstratur ex ep. 3. lib. 1. *ad Atticum*: „ Quæ mihi antea signa misisti, ea non„ dum vidi, in Formiano sunt, illa omnia in Tu„ sculanum deportabo. Cajetam, si quando abun„ dare cœpero, exornabo. Confer nunc *epistolam*

D 1. „ Signa quæ nobis curasti, *scribit*, ea sunt ad „ Cajetam exposita, nos ea non vidimus. Apertum est, loqui Ciceronem de iisdem signis, utraque epistola, quæ modo in Formiano, modo Cajetæ exposita refert. Accedit & aliud testimonium. Memorant Plutarchus in *Vita Ciceronis*, ubi Villam hanc ab amœnitate commendat, & Valer. Max. *lib.* 1. *cap.* 4. Ciceroni, cum Cajetæ moraretur, omina cædis, ab Antonio intentatæ, apparuisse. Auctor vero libri *de Viris illustribus*, qui Aurelio Victori additus est, ait contigisse, cum Formiis forte quiesceret. Rudera hujus Villæ adhuc hodie cerni putant, dicique communiter *La Villa*

E *di Cicerone*. De hac Villa sunt accipienda verba *epistolę* 14. *l.* 2. *Basilicam habeo non Villam frequentia Formianorum*. Plures Ciceronis Villas nominat Plutarchus in *Vita Ciceronis*; omnibus tamen anteponendum *Tusculanum*, Villa, quæ olim Syllæ Dictatoris fuit, teste Plinio *l.* 22. *cap.* 6. & a vicino oppido Tusculo appellationem nacta est. Gratissima hæc fuit Ciceroni & valde jucunda, quo multa ornamenta & signa comportaverat, ceu ipse in *Epistolis ad Atticum* indicat: *Nos Tusculano ita delectamur, ut nobismet ipsis tum denique, cum illo venimus, placeamus.* Conf. l. 1. ep. 1. *ad Att.* epist. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 10. &c. Quod eo facilius fidem invenit,

F quoniam tota Tusculana regio amœnissima, delicata & saluberrima fuit. Sic enim Seneca lib. 4. *de Benefic.* cap. 4. *Nemo Tusculanum aut Tiburtinum emere paratus salubritatis causa & æstivi secessus, quoto anno empturus sit disputat.* Et notabis, in Tusculana regione plurimas fuisse Villas, quæ omnes Tusculani nomen acceperant, & addito Possessoris nomine distinguebantur. Liquet ex Ciceronis loco lib. 1. *de Oratore* ab initio. Sic in Albana re-

1 Conf. lib. 2. ad Att. ep. 1. 2 Etiam Catulus quidam habuit Prædium Cumanum, Cic. l. 4. Acad. quæst. §. 80.

gione plurima erant Prædia, Albani nomen quæ habebant: & quæ ad Tibur oppidum, aut in regione circa dicebantur Tiburtina. Sed ad Tusculanum Ciceronis redeamus, ubi multas Scholas habuit, Oratores & sapientes formavit, atque ea, quæ in libris *Tusculanarum Quæstionum* comprehenduntur, disputavit. Hæc de Ciceronis Villis, quantum instituto nostro convenire credebamus.

Si hinc in agrum Solonium relegimus iter, obviam fiet nobis Marii *Villa*; & alia quædam Mucii, de quibus Plutarchus in *Vita Marii*. Sed transeamus ad sanctissimi & integerrimi Varronis *Villam*, quæ sub Casino oppido fuit, quam Cicero 2. *Philipp.* §. 104. 105. celebrat, (verba alibi reddidimus) & ipse lib. 3. cap. 5. *de R. R.* prolixe describit; fuit vere studiorum diversorium. Quot porro Villas ex Juvenale, Martiali, Cicerone, Sidonio Apollinari, Symmacho aliisque monstrare possem? Dicendum foret de *Albano* Pompeii ad Lacum Albanum, Viamque Appiam; de *Albano* Clodii, vicino Pompejano; de *Lucretile* Horatii in Sabinis, quam *lib.* 1. *od.* 15. decantat; de *Sublacensi* Neronis apud Frontinum in libro de *Aquæ-ductibus*; de ea quæ *Spelunca* Sueton. *l.* 3. *cap.* 39. & Tacit. l. 4. *Annal.* dicitur; de *Pausilypo* Pollionis in Campania, prope Puteolos & Neapolim, quam moriens Augusto legavit, ut refert Dio *l.* 54. conf. Plin. *l.* 9. *cap.* 53 de *Tuscis* & *Laurentino* Plinii, quas describit *l.* 9. *epp.* 15. & 36. *l.* 5. *epp.* 6. & 18. *l.* 4. *ep.* 1. & 6. de *Villa* Gordianorum, in Via Prænestina, quæ ducentas columnas uno peristylo habebat, quarum quinquaginta Carysteæ, quinquaginta Claudianæ, quinquaginta Synnades, quinquaginta Numidicæ, pari mensura fuerunt, Capitolinus in *Gordiano*.

Sed satis pervagati sumus Italiam, figamus pedem, & vertamus ad alia calamum. Conferantur Crusius *de Hortis*, Draudius *ad Solinum*, Schotti *Itiner. Italiæ*, Cluverii *Italia Antiq.* Bosii *Roma subterran.* aliique. Observabis autem, quod exemplis monstrari posset multis, unum Civem Romanum sæpe plurimas Villas possedisse: lege Juvenal. *Satyram* 14.

CAPUT II.

Nomina Villarum propria explicantur.

Villæ nomen unde originem traxerit, jam non inquiro; Varro *de L. L.* Villam quasi vehillam dictam credit; sed displiceat aliis, eam litem nostram non faciemus. Nec disputabo cum Valla, quomodo Villa, prædium, fundus, hæc vocabula significatis distinguenda sint. Novi juxta *l.* 15. *ff. de instrum. & instrum. leg.* Villam esse partem fundi; sed neque illud me fugit, non Ciceronem, nec Poetas, nec Plinium hanc Grammaticorum subtilitatem attendere. Conf. Varron. lib. 1. *de R. R.* cap. 16. Cic. in *Orat. pro Milone* aliisque in locis. Primum nomen & antiquissimum, quo Villæ nominabantur, erat *Horti*. Nunquam enim Legibus XII. Tabularum occurrit Villæ vox, semper Horti appellantur, in ea significatione, ut Plinius *l.* 19. *cap.* 4. refert: nam adeo ampla fuit initio hæc vocis significatio, ut etiam omnis Villa comprehenderetur, auctore Festo Pompejo. Quæ significatio postea exspiravit, cum vox Villæ subnasceretur. Sive tamen Villas dicas, sive Hortos, de eo tecum non certabimus, quibus animus est de nominibus Villarum specialibus hoc Capite quædam notare. Nomina specialia & quasi propria indebantur communiter a regionibus, in quibus exstructæ erant: hinc Albanum, Tusculanum, &c. vel a vicino oppido; ita Formianum, Cajetanum, & Pompejanum Ciceronis, quia Villæ Pompeii vicinum erat. Adjiciebatur deinde nomen Possessoris, melioris discriminis ergo, Pompejanum Ciceronis, Tusculanum Ciceronis, &c. Vel etiam a Possessoris nomine ducebatur appellatio, Pompejanum, item Zenobia, de quo Trebellius Pollio: *Sic Alexandri Severi Palatium cum stagno in regione Bajana, quod Mammæa dictum est, in honorem matris, cui nomen Mammæa erat.* Unde succedente novo Possessore, novum etiam nomen contigit. Trebellius Pollio in 30. *Tyrannis* de Zenobia scribens: *Fertur que vixisse*, inquit, *cum liberis, matronæ jam more Romanæ; data sibi possessione in Tiburti, quæ hodie Zenobia dicitur.* Unde mirum est, Puteolanum Ciceronis, sub novo Possessore, retinuisse Ciceronis nomen, ut Plinius refert.

Præterea propter amœnitatem, & quædam recreationis beneficia, solebant delicata & voluptuosa nomina Villis suis imponere. Observat id Varro in suæ ætatis hominibus, quod Villis suis delicata nomina, usque inde e Græcia petita, imponere consueverint. Talia sunt nomina Pausilypum, quod Vedii Pollionis Villæ prope Neapolim inditum fuit. Natum est ex amœnitate loci, quæ λύπην παύει, *animi mœrorem sedat*; ita ἄμπελος παυσίλυπος dicitur apud Athenæum *vitis mœroris sedatrix*. Hujusmodi est Academiæ nomen, quod Cicero Puteolano dedit, ab exemplo Athenarum: vid. Plin. *lib.* 31. *cap.* 2. & Cicero l. 1. ep. *ad Atticum*: „ Quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est; & ornamentum Academiæ proprium meæ, quod & Hermes commune omnium, & Minerva singulare est ejus Gymnasii insigne. Quare velim, ut scribis, cæteris quoque rebus quamplurimis eum locum ornes. Provoco etiam ad Plinium, qui duas possidebat Villas, quarum alteram Tragœdiam, alteram dixit Comœdiam; illam, quod quasi Cothurnis, hanc, quod quasi Socculis sustineretur; altera enim erat imposita saxis, altera vero lacum tangebat. Addo novum exemplum. Hadrianus Imperator exstruxerat Villam in Tiburtina regione, Tiburtinam dictam, eamque magnifice exornaverat: ut in ea & Provinciarum & locorum celeberrima nomina inscriberet: velut Lyceum, Academiam, Prytaneum, Canopum, Pœcilen, Tempe vocaret. Huc quoque referenda sunt quæ Suetonius in *Vita Aug.* cap. 72. tradidit. Quod Secessum in edito singularem Syracusas & τεχνόφυον appellavit, ideo, quod locus ille ipsi, cum solus esset, non minus arrideret, quam delicato cuipiam Syracusæ, urbs Siciliæ amœnissima, & quod ad artes excogitandas exornandasque conduceret. Concludam denique hoc Caputillis, quæ de Villis XII deorum commemorantur. In Insula, quæ Capreæ dicebatur, erant exstructæ XII. Villæ, quæ Cæsarum habitæ sunt; de his censet Lipsius *ad Tacitum lib.* 4. *Annal.* impositа ipsis XII. deorum nomina fuisse, quoniam Suetonius Capreis Villam, cui nomen Jovis hæsit, assignat, Suet. in *Tib.* cap. 65. ita & Horti Spei Veteris acceperunt Deæ nomen, Lampr. in *Heliogabalo* cap. 13.

CAPUT III.

Prædiorum & Villæ commoda juxta Antiquos ostenduntur.

Omnis ager Romanus fuit ab initio Reipublicæ, ficuti omnia ea, quæ armis publicis occupantur, funt totius Communitatis, & non nifi indulgente Republica cedunt privatis. Poftea vifum eft Reipublicæ, inter privatos dividere, ut eo ftudiofius exercerentur, & quæ erant univerforum, finguli melius fruerentur. Sæpe etiam militibus veteranis emeritis, in folatium neglectæ rei familiaris, & præmium operæ Reipublicæ datæ, aut ob rem bene geftam, conferebantur: quod tam certum eft, quam quod certiffimum, ut etiam eos non lateat, qui nondum ære lavantur. Addam tamen unicum locum ex Hiftoria Augufta, quo conftet Romam femper hunc morem obfervaffe. Ita Lampridius in *Vita Alex. Severi: His vero, qui Rempublicam bene gefferant, confularia ornamenta decreta funt, additis etiam Sacerdotiis & agrorum poffeffionibus, iis, qui erant pauperes, & ævo jam graves*. Dehinc Villas exftruere cœperunt in agris conceffis, quo ea, quæ ftudio agriculturæ ex agris quæfiverant, deportarent. Non vero regia Palatia, non fuperba Prætoria erexerunt, fed fimplices frugalesque cafas, nullis deliciis fumtuofas, in quibus nihil urbani, nullæ tabulæ pictæ, nullum citrum, aurum, minium Armenium, nulla tectoria emblemata & figna Lyfippi aut Antephyli, fed ubique paftoris & fatoris erant veftigia. Qualis fuit M. Catonis Confularis Viri & Cenforis, de qua Gellius *lib.* 13. *cap.* 23. Tum omnis agricultura non voluptates & delicias, fed utilitatem & commodum rei familiaris fpectabat, non plantabantur quibus oculos tantum pafcerent, nec quæ odorem fpargerent ferebant, fed quorum proventu fubftantia domus augeretur. Et fi quæ contigiffet optio eligendi, ad fertilitatem & falubritatem modo refpiciebant, curabantque unice, ut Villa fundo refponderet. Sed poftquam urbani rufticantibus felicem tranquillitatem & ruris divitias invidere cœperunt, atque amor habendi juffit prædia emere, & colonos parare, ipfe mox luxuriam genuit, quæ quotidie feipfam incitat, & ingenio crefcit; quæ primum fupervacua concupifcere cœpit, inde negligere neceffaria, & intendere eo ingenium, ut corporis atque fenfuum libido expleretur. Hinc rufticitatis & miferiæ fuit habitum, poffidere prædium anguftum, licet fertile, fine Prætoriis, pifcinis, vivariis, & fpatiofis ambulationibus. Villæ in urbium fere magnitudinem extendebantur. Prætoriorum moles regio fumtu ornabantur, pifcinæ & ftagna imitabantur ampliffimos lacus, imo ipfa pene maria. Plurima quidem cultores agrorum nova inveniebant, (Senec. *ep.* 90.) per quæ fertilitas augeretur, fed eum in finem, ut quæ ferebantur arbores, opaciorem umbram ambulantibus redderent, aut fpectantium oculos majori voluptate afficerent.

Sed ne hæc fingere videamur, teftimoniis confirmabimus. Conqueritur Saluftius *in Catilinam: Domos atque Villas cognoveris in urbium modum exædificatas*. Et Tiberius in Litteris ad Senatum: *Infinita effe Villarum fpatia*, Tacit. *lib.* 3. *Annal.* Et ficut domos inftar urbium exftruebant, ita etiam *rura inftar Provinciarum dilatabant*, Senec. *ep.* 90. Optime Varro *lib.* 1. *cap.* 13. de veterum & fui temporis Villarum differentia agens, Antiquorum ftudium appellat diligentiam, noviffimorum luxuriam: „ Illi, *inquit*, faciebant ad fructum com„ munem, hi faciunt ad libidines indomitas.

A „ Itaque illorum Villæ rufticæ erant majores quam „ urbanæ, quæ nunc funt pleræque. Contra illic „ laudabatur Villa, fi habebat culinam rufticam „ bonam, præfepes laxas, cellam vinariam, & o„ leariam ad modum agri aptam, & pavimento „ proclivi in lacum, quod fæpe ubi conditum no„ vum vinum, orcæ, ut in Hifpania fervore inufti „ ruptæ: nec non & dolia, ut in Italia, ne vinum „ prolueret. Item cætera ut effent in Villa hujuf„ modi, quæ cultum quærerent, providebant. Nunc „ contra Villam urbanam quam maximam ac po„ litiffimam habeant, dant operam: ac cum Me„ telli & Luculli Villis peffimo publico ædificatis
B „ certant. Quocirca hi laborant, ut fpectent fua „ æftiva triclinaria ad frigus orientis: hiberna ad „ Solem occidentem, potius quam orientem. An„ tiqui non curabant in quam partem cella vina„ ria, aut olearia feneftras haberet; dum fructus „ in eo vinarius quærat ad dolia aera frigidiorem. Huc fpectat tota Oda 15. *lib.* 2. *Carm.* Horatii, qua Antiquorum frugalitatem extollit, & luxum fui ævi reprehendit. Sufficiant hæc de antiquorum temporum Villis in genere monuiffe.

Ad frugalem illam fimplicitatem Veterum erat exftructa Villa publica, cujus Varro *lib.* 3. *cap.* 2. *de R. R.* meminit; erat exftructa in Campo Mar-
C tio; ad illam folebant cives animi gratia exfpatiari, vel, fi in Campo Martio in Comitiis effet verfandum, ad fallendum moræ tædium fecedere. Utilis quoque erat ad adminiftrandam Rempublicam: ibi cohortes ad delectum Confuli adductæ confidebant, arma oftendebant: & Cenfores ibi cenfu admittebant populum, Varro *loc. cit.* Qua occafione diftinguitur optime inter Villas publicas & privatas. Nam præter Varronem fuggeritur nobis nomen Villæ publicæ a Cicerone *lib.* 4. *ad Att. ep.* 15. „ Efficiemus rem gloriofam: nam in Cam„ po Martio fepta Tribunitiis Comitiis marmo-
D „ rea fumus & tecta facturi: eaque cingemus „ excelfa porticu, ut mille paffuum conficiatur. „ Simul adjungetur huic operi VILLA etiam „ PUBLICA.

Sed nos agere incepimus de Villis privatis in Prædiis privatorum, in quibus Romanorum magnificentia fpectari poteft. Prius tamen agemus paucis de fundis, antequam ad Villas nos vertamus, & ea, quæ in fundis commoda aut requifita effe volebant, expendemus. Eft omnium rei rufticæ Scriptorum ea unanimis fententia, quod foli fœcunditas & aeris falubritas fint conditiones prædiorum, quæ abeffe non poffint. Cum nemo
E adeo infanæ aut perverfæ mentis fit, ut in agrum, qui fumtus non exercet, impenfas facere velit, aut operam impendere fruftra; nec aliquis agri benignitate frui poffit, fi cœli inclementia fanitatem affligit, ac quotidie perimit. Confule Columellam *lib.* 1. *de R. R. cap.* 3. & 4. Quapropter, cum Plinius agrum fuum effet laudaturus, commendat eum primo a falubritate, deinde a fertilitate, *lib.* 5. *ep.* 6. a falubritate ita, ut argumenta, quibus falubritatem colligit, fint: Cœli & ventorum temperata conditio, Incolarum veterum longævitas, denique illorum natura, quæ regio fert,
F aut ferre recufat. Quibus etiam judicium fuperftrui poterit, fi potiffimum emptor in fe defcenderit, & num ea quoque fibi, quæ aliis congrua funt, conveniant, cum ratione perpenderit. Quæ fertilitatis figna fint, explicarunt fatis rei rufticæ Scriptores: fuperfedemus hinc illorum explicatione, nec eo dilabimur, cum a noftro fcopo, quibus animus non eft agriculturæ fcientiam hic profiteri, aut præcepta illius artis feu difciplinæ, fic loquitur Varro, tradere, quodammodo remota effe videantur; ac per diverfas quafi ruris fpecies eundum, & quod

ſolum arvis, quodnam pratis, quod hortis, vineis, aut olivetis commodum ſit, oſtendendum foret. Perſequimur ea commoda, quæ Veteres in prædiis eximiis requirebant. Nempe præter duo illa memorata commendant Villam maxime, juxta Marci Porcii Catonis, nec non Columellæ judicium, via facilis, aquæ beneficium, & optimus vicinus, quibus annumerabitur, ut Urbi vicina ſit. Ob vicinitatem Urbis laudat Plinius Laurentinum ſuum, *lib. 2. ep. 17.* ſi enim vicina eſt Urbi, inter occupationes quotidianus excurſus poſt negotia fieri poteſt. *Aſt qui longinqua, ne dicam transmarina, rura, mereantur*, inquit Columella *lib. 1. de R. R.* cap. 1. *velut hæredibus patrimonio ſuo: & quod gravius eſt, vivi cedunt ſervis ſuis, qui tam longa dominorum diſtantia corrumpuntur, & corrupti poſt flagitia quæ commiſerunt, ſub exſpectatione ſucceſſorum rapinis magis quam culturis ſtudent.*

Augetur deinde præſtantia Villæ, ſi via ad illam itur compendioſa, amœna, ſtrataque, ut cum cœno colluctandum non ſit. Multum certe confert iter commodum; primum, quod eſt maximum, ipſam præſentiam domini; qui libentius commeaturus ſit, ſi viæ difficultatem non reformidet: deinde ad vehenda & exportanda utenſilia, quæ res frugibus conditis auget pretium, & minuit impenſas rerum invectarum, quia minoris apportantur eo, quo facili niſu perveniatur &c. apud Columellam *lib. 1. cap. 3.* Ob hanc felicitatem viæ laudat Villam ſuam Plinius *loco cit.*

Aqua indiget Villa, partim ut irrigentur arva prataque, partim ſi navigabilis ſit amnis, anni proventus deportentur.

Omnibus tamen hiſce eſt bonus vicinus anteponendus: ſicut enim malus vicinus inter eas cauſas eſt, quæ fundos confines ſupra juſtam æſtimationem emere cogunt, juxta *leg. 54. ff. de legatis* 2. ita reddit bonus vicinus fundum maxime vendibilem. Quod Themiſtocles indicare voluit, cum venalem fundum proſcripſiſſet, juſſit indicare præconem, ὅτι καὶ ἀγαθοὺς ἔχει γείτονας, *quod vicinos haberet bonos*. Adde Sidonii *ep. 14. l. 2.* Denique cum prædia ad delicias inſtituere cœperunt, ut amœnos fundos haberent, dederunt operam. Tandem juſſerunt Veteres, habere rationem facultatum ſuarum, ut agrum paraturi non majorem emerent, quam ratio calculorum pateretur. Hoc Sapientis ex ſeptem antiquis Sapientibus fuit præceptum, & acutiſſimum Pœnorum effatum: *Imbecilliorem agrum quam agricolam eſſe debere, ne ſi colluctandum ſit cum agro, & fundus prævaleat, allidatur dominus.* Columella *lib. 1. cap. 3.* hoc latius deducit, & Marcus Cato *lib. 1. cap. 1.* *Sumtuoſus ager ne ſiet; Scito idem agrum quod hominem, ſi ſumtuoſus erit relinquere non multum.* Inde eſt, quod Cicero præcipiens Attico, ut agrum vel hortum ſibi emeret, ſemper hortatus eſt, ut ſuarum rationum modum reſpiceret, *lib. 12. Epiſt. ad Atticum*, & Plinius de agro ſuo non ſine laude refert, quod tutela ſumtuoſa non ſit, *lib. 2. ep. 17.* & *lib. 3. ep. 19.* quod exiguis ſumtibus colatur. Modum vero & numerum agrorum definiverunt Scriptores rei ruſticæ: quidam centum jugera, quod Marco Catoni placuit; alii, ex lege Licinia, quingenta jugera conſtituerunt; quem modum tamen deinceps libido poſſidendi ſupergreſſa eſt, cum non tam agros quam Provincias haberent [1]. Optimus, juxta Columellam, modus cuique eſt, voluntas facultaſque, *lib. 1. cap. 3. de R. R.* Hæc de fundis Veterum; deſpiciamus nunc, quæ præcepta aut placita de ponendis in fundis Villis dederint. Primum eſt, ut in ſaluberrima regionis parte ædificium conſtituatur, ubi aer calore & frigore temperatus eſt. Placuit Veteribus Villas vel ad mare vel ad lacus ædificare; Suetonius de Auguſto, quod inſulæ Campaniæ & ſeceſſus maritimi ipſi fuerint gratiſſimi, *lib. 2. cap. 72.* & de Caligula: *In exſtructionibus Prætoriorum atque Villarum omni ratione poſthabita nihil tam efficere concupiſcebat, quam quod effici poſſe negaretur. Et jactæ itaque moles infeſto ac profundo mari* &c. *cap. 37. lib. 4.* Scilicet, ut Horatius *lib. 3. Od. 1.* conqueritur, ſubmovere maria, ut Prætoria & Villæ locum invenirent:

Contracta piſces æquora ſentiunt,
Jactis in altum molibus: huc frequens
Cœmenta demittit redemptor,
Cum famulis, dominusque terræ
Faſtidioſus.

Idem narrat Statius de Pollii cujuſdam Villa *lib. 2. Sylv.* carm. 2.

—— placido lunata receſſu,
Hinc atque hinc curvas prorumpunt æquora rupes.
Dat natura locum: montique intervenit unum
Littus, & in terras ſcopulis pendentibus exit.

Et aliquanto poſt:

Quum jam feſſa dies, & in æquora montis opaci
Umbra cadit, vitreoque natant Prætoria ponto.

Sed videntur hi non ſatis curæ habuiſſe valetudinem, quoniam aer marinus non conducit corpori, ſed multas offenſas parit, niſi longa conſuetudine corpus induratum ſit. *Lacuum vero & paludum vicinitas*, inquit Columella, *gignit armata infeſtis aculeis animata, quæ in nos denſiſſimis examinibus involant. Tum etiam natricium ſerpentiumque peſtis biberna deſtituta uligine, cœno & fermentata colluvie venena emittit: ex quibus ſæpe contrahuntur cæci morbi, quorum cauſas ne quidem Medici perſpicere poſſunt.* Confer Varronem *de R. R. lib. 1. c. 12.* Prohibet quoque Columella, Villam ad viam militarem propter multa incommoda exſtruere. Varro ſuadet, provideatur, ut intra Villæ ſepta aqua ſit, ſin minus quam proxime. Denique ut fundus Villæ reſponderet voluerunt, ne Villa fundum, ſi excederet, aut fundus Villam, ſi pro modo fundi minor foret, quærere neceſſum haberet.

CAPUT IV.

Prætorium, cultiſſima pars Villæ, in cubicula æſtiva & biberna dividitur.

DUo in prædiis ſpectanda ſunt, primum Villa ipſa, deinde quæ circa vel extra Villas fuerunt. Circa Villam erant vinea, hortus irriguus, ſalictum, oletum, pratum, campus frumentarius, ſylva cædua, arundinetum, arbuſtum, & denique ſylva glandaria, Cato *lib. 1. de R. R. cap. 1.* Varro *lib. 3. de R. R. cap. 3.* etiam Ornithones, Leporaria, & Piſcinas inter ea, quæ circa Villam, & partim fructui, partim delectationi ſunt domino, recenſet. Villam ipſam quod ſpectat, in duas, vel, ut Columella *lib. 1. cap. 6.* in tres partes diſtinguebatur, urbanam, ruſticam, & fructuariam. Urbana dicebatur ea, quæ ad elegantiam, voluptatem, & animi delicias erat exſtructa, & inde nomen ſortita eſt, quia magis

[1] Confer Meurſium de Luxu Rom.

ad urbanam vitam quam rusticam curam apta fuit: A vel etiam quoniam ad modum urbanarum ædium erat ædificata. Docet enim nos Vitruvius, *easdem fuisse rationes ædificiorum in Urbe & ruri, nisi quod in Urbe atria proxima januis solent esse, ruri vero Pseudo-urbanis statim peristyla, deinde tunc atria, habentia circum porticus pavimentatas, spectantes ad palæstras & ambulationes*. Rustica pars erat agrestibus rebus ipsisque agris ac fructuum curæ convenienter parata, in qua culina, & cubilia animantium, bubilia, equilia, ovilia, caprilia, & omne instrumentum rusticum atque cellæ servorum rusticorum, ut existimo, exstructa erant. Fructuaria dicebatur pars, in quam anni proven- B tus & reditus recondebantur; continet cellam olea-riam, torcularia, cellam vinariam, defructoriam, fœnilia, paleariaque, apothecas, & horrea. Urbana pars, quam Vitruvius *l. 6. cap.* 8. Pseudo-Urbanum dixit, appellatur etiam absolute Prædium Urbanum: nam *Urbana Prædia*, juxta Ulpianum *l. 168. ff. de verb. sign. omnia ædificia accipimus, non solum ea quæ sunt in oppidis, sed & si forte stabula sunt, vel alia meritoria in Villis & vicis: vel si Prætoria voluptati tantum deservientia: quia urbanum prædium non locus facit, sed materia. Proinde hortos quoque, si qui sint in ædificiis* C *constituti, dicendum sit Urbanorum appellatione contineri. Plane si plurimi horti in reditu sunt, vineari forte, vel etiam olitorii, magis hæc non sunt urbana*. Vocata etiam Prætorium est, quod non modo Gulielmus Philander *ad lib. 6. cap. 8. Vitruvii* observat, sed etiam ex multis textibus Juris Romani Auctorumque testimoniis liquidum ac planum est. Suetonius in *Augusto* cap. 72. nominavit Villas elegantiores, in quas Augustus secedere solebat, vel partem earum Urbanam, *ampla est operosa Prætoria*. Idem *lib. 3. cap.* 39. locum, ubi Nero cœnaverat, qui Tacito *Villa Speluncæ* dicitur, vocavit Prætorium, cui Speluncæ nomen erat; D adde lib. 4. *de Vita Caligulæ* cap. 37. & Statium loco supra cit. Ex textibus Juris illud plurimi evincunt: *l. 2. ff. de Serv. præd. rust.* recenset inter servitutes Prædiorum rusticorum, *si liceat altius tollere, & officere Prætorio vicini, vel cloacam habere per vicini domum & Prætorium*. Et *l.* 12. *ff. de usu & hab.* conjunguntur Villæ & Prætoria tanquam pars & totum: it. *l.* 91. *ff. de legat. 3. Lucio Titio prædia mea illa cum Prætorio &c. do. l. 198. ff. de verb. sign. Prætoria voluptati tantum deservientia*. Sic Palladius lib. 1. *de R. R.* tit. 8. & 9. agit de exstructione Prætorii. Adderem Tertull. lib. *de Idololatr*. Sed abunde satis E hæc confirmata sunt. Si quæras, cur Prætoria? respondent alii, quod sicut in Urbe solius Principis domus Prætorium appellabatur, reliquorum civium non item, ne vel hac una re Principis dignitate participarent: sic in Villis rusticis, in quibus fere quisque dominium tantum habet in suos, quantum Princeps in suos subditos habet, Prætorium dixerunt, ubi quasi Rex & Princeps habitaret. Sed subtilis magis est ratio hæc, quam solida. Verisimilius Casaubonus dixit: *Illud appellabatur Prætorium, quod Prætore dignum erat, vel non indignum, hinc Prætoria domus, quam Prætori sive Principi habitare indecorum non erat*. Recte F hæc Casauboni se habent: Prætoria erant Prætorum, magnifice splendideque exstructa, ut majestatem Imperii Romani intuentibus injicerent. Quare & Villæ, quæ ita exornatæ erant, ut eandem majestatem possent referre, vel non imminuerent, scite Prætoria dicebantur. Demonstrari autem facile posset, tanta magnificentia exstruxisse Prætoria, ut Prætorem Principemque non dedecerent; tanto parasse luxu & splendore, ut vitio non careret. Plutarchus in *Vita Marii*: *Villam Marius amœnam & mollius habebat instructam, quam conveniret viro, qui tot bella & expeditiones perpetraverat; eam ferunt* LXXV. *millibus denariorum Corneliam emisse, nec multo interlapso spatio L. Lucullus quingentis millibus & ducentis est licitatus*. Inde dixit Cicero Villas *ocellos Italiæ* lib. 16. *ad Attic.* ep. 6. & respexit Cicero ad illum luxum ep. 1. lib. 3. *ad Quinctum Fratrem*: *Tua Villa, quæ nunc est, tanquam Philosophia videtur esse, quæ objurget cæterarum Villarum insaniam*.

Concluderem Caput hoc, nisi adhuc quædam de partibus Villæ suburbanæ generatim essent monenda. Partes Prætoriorum, quas Cicero l. 3. *ad Quinctum Fratrem* ep. 1. & Plinius membra vocarunt, sunt cubicula, cœnationes, balnearia, ambulationes &c. de quibus deinde in specie agere decrevi. Distinguebantur in æstivas & brumales, non enim tantum æstate agebant in Prædiis, sed etiam hieme. Sueton. *de Augusto* cap. 72. *quamvis parum salubrem valetudini suæ Urbem hieme experiretur, assidueque in Urbe hiemaret*. Et apud Ciceronem in *Epistolis*, non uno loco, legimus hiemationis agrestis in Prædiis mentionem. Sic supra citavimus Plinium, quod rationem operum diurnorum & hieme & æstate ruri redderet. Sed confirmabimus, quæ modo dicta sunt de discrimine cubiculorum hiemalium & æstivorum. Scriptores rei rusticæ non posco. Apud Plutarchum in *Lucullo* reprehendit Lucullum Pompejus, quod Villam optime ad æstivam habitationem struxisset, verum brumali habitationi fecisset incommodam. Ad quæ Lucullus arridens dixit: *Putasne minus me quam grues & ciconias sapere, quin cum temporum articulis commutem Diætas?* Luculentius id patet ex Varrone *de L. L.* l. 4. *Postquam ubi cœnabant plura* (scil. cubicula) *facere cœperunt, ut in castris ab hieme hiberna hibernum domus vocarunt: contra æstivam &c.* desiderantur quæ sequuta sunt. Suet. in *Augusto* cap. 72. refert tanquam insolitum & præter consuetudinem Romanorum de Augusto, quod per annos amplius quadraginta eodem cubiculo *hieme & æstate* permansit. Adde Vitruvium l. 7. *de Architect.* cap. 7. qui triclinia æstiva, hiberna, verna, & autumnalia enumerat, & *lib. 7. cap.* 4. invenimus passim apud Plinium *l. 2. ep.* 17. Vitruvium *lib. 7. cap. 4. l. 6. cap.* 3. & alibi vocem *hibernaculum*, quo ejusmodi conclave hiemale designatur. Sidonius *hiemale triclinium lib. 2. ep. 2.* & *Carm.* 22. vers. 180. *thermæ hiemales*. Conf. Pallad. *tit.* 9. Hanc partium Prætorii discriminationem ex Asia, omnis luxuriæ officina, & Romani luxus quasi vagina, manasse censet Casaubonus; quæ in eo non substitit, sed suppellex deinde etiam in hiemalem & æstivam distincta est, ut refert idem Casaubon. *ad Sueton.* In ordinatione sive collocatione harum partium observabant cœli plagas; aliam namque plagam spectabant hiberna, aliam æstiva, quanquam inter Auctores per omnia consensus non sit. Vitruvius *l. 6. cap.* 7. suadet, ut hiberna Occidentem hibernum, æstiva Septentrionem excipiant. Varro hiberna ad Occidentem quidem dirigit, sed æstiva ad Orientem, *lib. 1. cap.* 13. ubi & illud monet, Antiquos tam sollicitos non fuisse in digerendis conclavibus. Palladius *tit.* 9. jubet, ut hiberna ita constituantur, quo per totum diem a Sole illustrari possint. Consule etiam Columellam *lib. 1. cap.* 6. Omnes in eam sententiam conspirant, ut æstiva sint a Sole remota, hiberna vero Solis radiis exponantur. Versus quam plagam, Bibliothecæ, balnearia & ambulationes ponenda sint, vid. apud Vitruvium

& Columellam ll. cit. Id tandem ex Plinii *lib.* 2. *ep.* 17. referendum occurrit, æſtiva altiori in loco, hiberna in tutiori & imbribus ac ventis magis ſubducto, fuiſſe conſtituta. Colligo ex hiſce verbis: „ Poſt hanc cubiculum cum procœtone, altitudine æſtivum, munimentis hibernum. Et quæ paulo ante præcedunt: „ Hujus cubiculi & triclinii illius objectu includitur angulus, qui puriſſimum Solem continet & accendit, hoc hibernaculum, hoc etiam gymnaſium meorum eſt. Ibi omnes ſilent venti, exceptis qui nubilum inducunt, & ſerenum antequam uſum loci eripiunt. Habes hic ſitum hibernorum, quod ventis ſubducta fuerint, & expoſita Soli, cujus radiis etiam calefiebant.

Opportunus nunc forſan erit hic locus indicandi, quo Veteres modo ſua hiberna calefecerint. Certum ex iis eſt, quæ ex Plinio modo audivimus, Solis radiis incaluiſſe; nec dubium mihi, ita fuiſſe extructa, ut Solem multo repercuſſu exciperent, atque ita calor augeretur. Id innuere videtur Plinius, quando *puriſſimum Solem accendere angulum* dicit, & in ſubſequentibus, de Xyſto & Cryptoporticu *teporem Solis infuſi repercuſſu auget*. Sed etiam arte calefiebant, nempe ex caminis. Caſaubonus quidem in *Notis ad Suetonium* negat, in cubiculis vel tricliniis fuiſſe caminos, exiſtimans favilla vivente, vel carbonibus candentibus ſive prunis, in triclinia illatis, excitaſſe calorem; quod locus Suetonii in *Vita Tiberii* cap. 74. confirmat; *Ac Miſeni cinis e favilla & carbonibus ad calefaciendum triclinium illatus, exſtinctus & jam diu frigidus, exarſit repente prima veſpera, atque in multam noctem pertinaciter luxit*. Quanquam vero hunc calefaciendi triclinia modum non refutem, verba enim aperta Suetonii illum probant; tamen nec illud negari poteſt, in tricliniis fuiſſe caminos, in quibus ignem accenderent. Suetonius in *Vita Vitellii* cap. 18. *Nec ante in Prætorium rediit, quam flagrante triclinio ex conceptu camini*. Ejuſdem rei teſtem habeo Sidonium, *carmine* 22. *de Burgo ſive Caſtello Pontii Leoncii* verſ. 188. ſeqq.

Occiduum ad Solem poſt horrea ſurgit opaca,
Quæ dominis hiberna domus. Strepit hic bona flamma,
Appoſitas depaſta trabes, ſinuata camino
Ardentis petit unda globi, factoque flagello,
Spargit lentatum per culmina tota vaporem.

Evincunt hæc quæ dixi; nam hiberna domus eſt triclinium, vel cubicula, in quibus Pontius hiemare ſolitus eſt. Dilucidius dixit *l.* 2. *ep.* 2. Sidonius: *A cryptoporticu in hiemale triclinium venitur, quod arcuatili camino ſæpe ignis animatus pulla fuligine infecit*. Quid apertius dici poſſet? Sed ad quartum calefaciendi modum, tres enim jam percepimus. Etiam hypocauſtis adjunctis calefiebant. Negat id, ſi recte memini, Marcellus Donatus in *Dilucidationibus ad Lampridii Heliogabalum*: (deficior enim nunc Auctore) ſed minime negandum eſt, cum *lex* 55. §. 3. *de legat. & fideicomm.* 3. expreſſe mentionem faciat *diætarum hypocauſtarum*, quæ lignis pariter atque balnea calefiebant. Et quod firmius teſtimonium Plinii teſtimonio eſſe poteſt? Ipſe *lib.* 2. *ep.* 57. ſtructuram Prætorii in Laurentino exhibens: „ Applicitum eſt cubiculo, *ſcribit*, hypocauſtum perexiguum, quod anguſta feneſtra ſuppoſitum calorem, ut ratio exigit, effundit, aut retinet. Et *l.* 2. *ep.* 6. Idem cubiculum hieme tepidiſſimum, quia plurimo Sole perfunditur. Cohæret hypocauſton, & ſi dies nubilus, immiſſo vapore Solis vicem ſupplet. Seneca lib. *de Providentia* c. 4. „ Cujus cœnationem ſubditus & parietibus circumfuſus calor temperavit, hunc levis aura non ſine periculo ſtringet. Addere ex Sulpicii Severi *epiſt.* 1. de Vita Martini Epiſcopi etiam quædam poſſum: Deinde cum „ ſe Martinus cubitum collocaſſet, inſuetam mollitiem ſtrati male blandientis horreſcit, quippe qui nuda humo, uno tantum cilicio ſuperjecto cubare conſueverat. Itaque quaſi accepta permotus injuria, ſtramentum omne projecit. Caſu ſupra fornaculam partem paleæ illius, quam removerat, aggeſſit. Ipſe ut erat moris nuda humo, laſſitudine itineris urgente, requievit. Ad mediam fere noctem, per interruptum, ut ſupra diximus, pavimentum, ignis æſtuans areſcentes paleas apprehendit. Philandri deſcriptionem hypocauſtorum adducere operæ prætium erit: „ In ſubterranea ſcil. ſtructura fornix erat oblongus, & ex eo quaquaverſum in intimis parietibus de induſtria relicti ſtructiles ad ſummam contignationem canales, qui nares haberent ad loca omnia, in quibus vellent procurare calorem, contectos exemptilibus operculis. Fornix ille partim concalefiebat ſuccenſis lignis: cineres enim & fuliginem reperimus: partim ferventibus implebatur aquis, unde per canales patefactis naribus (Plinius ſupra feneſtras appellavit) excipiebant œci, triclinia, cubicula, & ejuſmodi ædificia calidum vaporem, ad Vitruvii l. 7. cap. 3. Hæc ſatis de hibernis, apponam æſtivi delineationem ex Sidonii Apollin. *lib.* 2. *epiſt.* 2. „ Poſt edulia excipiet te diverſorium, quia minime æſtuoſum, maxime æſtivum. Nam per hoc quod in Aquilonem ſolum pateſcit, habet diem, non habet Solem. Hic jam quam volupe, auribus inſonare cicadas meridie concrepantes, ranas crepuſculo incumbente blacterantes, cygnos atque anſeres concubia nocte clangentes; intempeſta gallos gallinaceos concinentes, oſcines corvos voce triplicata puniceam ſurgentis auroræ facem conſalutantes. Diluculo autem philomelam inter frutices ſibilantem, prognen inter aſſeres minurientem, cui concentui licebit adjungas fiſtulæ ſeptiforis armentalem Camœnam, quam ſæpe nocturnis carminum certaminibus inſomnes noſtrorum montium Tityri exercent, inter greges tintinnabulatos, per depaſta bucceta reboantes, quæ tamen varia vocum cantuumque modulamina profundius confovendo ſopori tuo lenocinabuntur. Solebant quoque, teſte Placido Grammatico, Antiqui frigida aqua in ſubterraneum fornicem e formis demiſſa, omnes ædium particulas per emiſſam lenis ſpiritus evaporationem, adſcendentis per tubos hypocauſti, (de quibus ſupra in hibernis) refrigerare. Id Galenus l. 9. & 10. *Methodi* euripo poſſe fieri cenſet. Vid. Philander *ad Vitruvii l.* 7. *c.* 3.

CAPUT V.

Cubicula & Diætæ Prætorii perluſtrantur,

STructuram Villarum & formam partium maximam partem ex ſtructura domorum in Urbe colligere poſſumus, cum utrobique fere par fuerit ratio, teſtante Vitruvio *lib.* 6. *cap.* 8. Præter ea tamen ſatis expreſſum ad vivum Villarum veterum exemplum reliquere nobis Plinius *lib.* 2. *ep.* 17. & *lib.* 5, *ep.* 6. & Sidonius *lib.* 2. *ep.* 2. Statius, aliique; ex quibus partim de compage membrorum, partim forma partium certiores reddimur. Compactionis modus in omnibus Villis idem omnino non fuit, quod in exemplis cernere licet; membra vero eadem reperimus; hæc ergo, ut perluſtremus, ingrediamur. Cubicula primum viſitabimus & Diætas, quarum plurimæ in Villis fue-

runt. Sunt quidem qui de solis dormitoriis vocem cubiculi male accipiunt, quos Plinius & Sidonius refutant; dum ille *lib.* 5. *ep.* 6. *dormitorium cubiculum*, & *l.* 2. *ep.* 17. *cubiculum noctis & somni*: hic *l.* 2. *ep.* 2. *dormitorium cubiculum*, faciendi discriminis causa inter cubiculum, ubi per diem manebant, & ubi noctu somnum capiebant, adjecta limitante voce dixit. Ne referam quod Plinius *l. c.* membrum dormitorium cubiculo adhærere asserat; aut ad Suetonium, aliosque provocem. Hæc cubicula etiam alio nomine triclinia vocantur, quanquam me non fugit Servium judicasse, maximo in errore hærere, qui triclinium ipsam basilicam & cœnationem dicunt; contrarium tam perspicuum tamen est, ut qui probare illud ingrederetur, lucem afferret in meridie. Consule Vitruvium, Stuckium, Ciacconium, & alios. Vocantur etiam Diætæ. De qua voce quidem omnes fere aliquid dixerunt, sed potius involverunt rem quam explicarunt, & quot capita, tot inveniuntur opiniones, fingentes modo hanc, modo illam vocis significationem. De vocis ortu & forma vide Turneb. *lib.* 24. *c.* 4. Cœlium Rhod. l. 12. *Ant. Lect.* c. 18. Velserum in *Epist. ad Hieronymum Fabrum Medicum de Zeta & Zetario &c.* adjecta est Pignorii *Commentario de Servis*, Joh. Mariam Catanæum in *Annotat. ad l.* 2. *ep.* 17. *Plinii Secundi*, aliosque deinceps citandos. Conveniunt in eo fere omnes, Diætam & Zetam ab eadem origine processisse, neque distingui voces significatione, aut alia quadam re, præterquam dialecto. Ast quam partem domus denotent, in hoc magnopere dissident. Communiter id observatum volunt Interpretes, Raderus, aliique; JCtis notari hac voce habitationem amœnam, voluptatis causa in hortis exstructam. Quod quidem non nego, sed ea significatio nec JCtis, nec orationi Legum est propria. Plinius quoque Secundus *l.* 2. *ep.* 17. eodem sensu dixit: *horti Zeta est, amores mei, revera amores, ipse posui*. Neque non alium hujus vocis significatum invenimus in Jure, quo idem significat quod cubiculum, *l. uxorem §.* 3. *ff. de leg.* 3. „ Fortunio, inquit Scævola, liberto meo, ex domo mea, quam libertis „ dedi, Diætam, in qua habitabam, item cella„ rium junctum eidem Diætæ concedi volo; item „ *l. Lucius ff. de donat.* Hospitio illo, quamdiu vo„ lueris, utaris in superioribus Diætis omnibus gra„ tuito; item *l. Codicillis ff. de usufructu leg.* „ Li„ bertis meis habitationem in domo, quamdiu vi„ vent; Pactiæ & Trophimæ Diætas omnes, qui„ bus uti consuevit, habitent. Quid ergo est causæ identidem crepare, JCtis notat habitationem vel cubiculum in horto, cum nec soli, nec unicam hanc significationem agnoscant: addo *l.* 1. *ff. de Naut. Caup. & stabular.* in qua Ulpianus custodes navium appellat diætarios. Quanquam enim nonnulli per diætarios intelligant eos, qui annonam navis administrant, verba tamen ipsa legis alium sensum monstrant: *Et sunt quidam*, sic habent verba, *in navibus qui custodiæ gratia navibus proponuntur ut ναυφύλακες, id est, navium custodes (& diætarii.)* Intendit JCtus sine dubio digitum ad naves cubicularias. Athenæus *lib.* 5. *c.* 8. refert, navem admirandam Hieroni Syracusano fuisse, quæ quatuor Diætas habuit; quæ triginta virorum lectos capiebant; item aliam Diætam naviculariorum quindecim thoros continuisse, tres præterea thalamos tricliniares, in quorum uno, proræ proximo, culina exercebatur. Scaliger aliam hujus Ulpiani textus explicationem *ad Catalecta Virgiliana* suppeditat *p.* 293. „ Paulo, *inquit*, JCto Zeta„ rii vocantur a Diæta, quæ erat custodum non „ solum in navibus, verum etiam domibus. Pla„ num hoc inscriptione lapidis Tiburtini:

AD. ID. SEPVLCHRVM. HORTVS.
QVI. EST. CINCTVS. MACERIA
ET. DIÆTA. ADJVNCTA. JANVÆ.
CVSTODIÆ. CAVSA. SEPVLCHRO.
CEDAT.

„ Nam custodes post januam locatos, paucos puto „ esse qui ignorent. Unde etiam Janizari apud „ Turcas. Calchondilas de eorum gestis lib. 1. O„ thomannici generis Principem satellites sibi ad„ hibuisse & allegisse, quos Janitzaros, id est, Ja„ nuas Regis seu Principis appellaverit. Hæc Scaliger. Quæ omnia satis ostendunt, JCtos voce Diætæ non solum notare amœnam in hortis habitationem. Pergimus ad alios. Molanus, Baronius, & Calepinus faciunt Diætam locum unius lectuli capacem, cum sellis duabus, qui velis obductis & reductis modo adjicitur cubiculo, modo aufertur. Si ad hanc solam significationem alligant vocem Diætæ citati Auctores, merito repudiata est a Velsero, & Marcello Donato in *Dilucid. ad Lampridii Heliogabalum*. Si vero præter hanc formam Diætarum aliam admittunt, nihil absurdi dixerunt; quoniam expresse Plinius *l.* 2. *ep.* 17. „ Qua „ mare contra parietem medium Zeta perquam ele„ ganter recedit; quæ specularibus & velis obdu„ ctis reductisque modo adjicitur cubiculo, modo „ aufertur. Lectum & duas cathedras capit. Aliam significationem vocis & formam Diætarum produxit Nicolaus Perottus in *Cornucopia*: „ Zetæ, „ *inquit*, quæ in usu nostra tempestate non sunt, „ Veteres autem frequentissimas in domibus habe„ bant, loca erant in variis partibus domus, ad „ quæ meatus quosdam inter parietes relicti, qui „ tubuli dicuntur, adscendentes ex imo spiritus fri„ gidæ seu calidæ aquæ in pavimento inferiore „ sparsæ: locum ipsum autem tepefaciebant, aut „ refrigerabant, prout ratio temporis exigere vi„ debatur. Erroneam hanc explicationem statuit Marcellus Donatus *l. cit.* Sed non plane ejiciendus est cum sanguine infans; omnino meminit textus Juris, quod jam indicavimus, Diætarum hypocaustarum, quæ lignis æque atque balnea calefiebant. Notum autem est ex Seneca, aliisque, per tubos parieti impressos effudisse Veteres calorem in balnea, de quo deinceps. Concedi ergo potest, quasdam Zætas ita fuisse instructas; quod vero omnium hæc una fuerit forma, illud negandum. Aliis notat cœnationis locum *eine* Taffel-Stuben/ quod vero convenit, sed nonnunquam etiam eidem contradistinguitur. Vid. Velserum *l. cit.* & Plin. *l.* 5. *ep.* 6. Turnebo est Diæta ædificium vel membrum domus, cœnationem & cubiculum habens, l. 23. c. 4. *Adv.* Marcellus Donatus comparat Diætas cum Germanorum hypocaustis, dictis Stuben/ in quibus vel cœnant, vel moram trahunt; quibus adhærent dormitoria & cubilia ad somnum facta.

In tanto Auctorum dissidio illud videtur dicendum, vocem hanc esse ex illarum numero, quæ plures significationes obtinent; atque modo amplissimo significationis ambitu complecti quodcunque cubiculum, quamcunque cellam etiam Servorum, si Scaligeri explicationi locus est concedendus. Deinde coarctatur vocis significatus, atque notat majorem partem constructæ Villæ, quæ plura cubicula comprehendit, Germani forsan *einen* Stock. Sic Plinius *lib.* 5. *ep.* 6. *Diætæ duæ, quarum in altera cubicula quatuor, altera tria*. Item: *Est in hac Zeta dormitorium cubiculum, quod diem, clamorem sonumque excludit: junctaque ei quotidiana amicorumque cœnatio*. Denique speciali modo accipitur vox Diætæ pro Cœnatione, vel alio quodam cubiculo speciatim: quibus observatis, sunt

enim in Auctorum verbis hactenus citatis fundata, difficultas omnis erit e medio sublata.

Hæ Diætæ, seu malis cubicula, distinguebantur nominibus; nam varia cœnaculorum & cubiculorum cognomina apud Scriptores reperiuntur. Lampridius refert de Alexandro, quod in palatio Diætam exstruxerit, dictam *Mammæam*, quod mater Mammæa vocaretur; quod imperitum vulgus deinde ad mammam dixit: & in Bajano fecit Palatium, quod *Mammææ* nomen accepit. Plutarchus, quod Lucullus Diætam Apollinem cognominarit; unde nota est vox, *Cœnatur in Apolline*, ubi hospitibus suis magno impendio cœnam apposuit. Hic enim Lucullus non tantum nomina diversa inscripserat cœnaculis, sed etiam constituerat quanti cœna paranda esset in illo cubiculo. Vid. Plutarchum in *Vita Luculli*. Claudio Imperatori Diæta fuit, Hermæum nomine, ut auctor est Tranquillus. Strabo tradit, Alexandriæ ab Antonio Triumviro factam esse Diætam regiam, quam *Timonion* appellavit; in quam post Actiacam pugnam secessit, & vitam Timoniam seu solitariam egit. Huc referri potest cœnatio illa parva Domitiani, *Mica* appellata a parvitate, de qua Martialis *lib.* 2. *ep.* 43. Eusebius in *Chron. A. G.* 90. Distinguebantur deinde alia ratione cubicula in Prætoriis, quod ex Plinio & Sidonio aliisque cognoscimus. Plinius *l.* 2. *ep.* 17. meminit cubiculi, quod Andron appellatum fuit. *Interjacens andron parietem cubiculi hortique distinguit*; apud Sidonium vero legitur *matronale triclinium*: & Plutarchus in *Poblicola* meminit Diætæ pellicum. Quod non obscure nobis subjicit Veterum habitandi modum, quo viris & fœminabus distincta habitacula fuerunt, de quo Vitruvius *l.* 6. *cap.* 10. & de Græcorum consuetudine Æmilius Probus in *Præfat. Andron* enim est *ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς*, & notat viri mansionem seu cubiculum. Confer Festum, Suidam, Pollucem, Vitruvium *l. cit.* & Joh. Mariam Catanæum *ad Plinii locum*.

Hæc credo erant cubicula in quibus ordinarie habitabant, & stataria quasi mansione morabantur. Nam ad alia deinde se conferebant vel cœnandi, vel animum pascendi causa. Et habebant cubicula, vel Sole refulgentia, vel umbra opaca, prout aut Sole uti placuit, aut umbra. Plinius *lib.* 5 *ep.* 6 *In altera* (sc. Diæta) *cubicula erant quatuor, in altera tria, ut circuit Sol, aut Sole utuntur aut umbra*. Hæc in Tuscis. Eidem quoque in Laurentino maxime umbrosum cubiculum fuit: *Mox zetecula refugit*, (*hisce describitur*) quasi in cu„ biculum idem atque aliud. Lectulus hic & „ undique fenestræ, & tamen lumen obscurum „ umbra premente, nam lætissima vitis per omne „ tectum in culmen nititur & adscendit. Sed de illis Zætis, in quibus cœnabant, pauca dicemus, quantum Villas nostras attinet. Plinius etiam hujusmodi cubiculum *Gustatorium* vocat. Non enim nunc facere possum cum Catanæo in *Notis ad Plinium Secundum*, exponente Gustatorium, ad mentem Martialis, de mensa contenta putaminibus testudinum, quam primus Carbilius Pollio, prodigi ac sagacis ingenii, ad instrumenta luxuriæ fertur excogitasse, licet sciam Martialem *l.* 14. *ep.* 88. Gustatorium pro mensa tali accepisse; cum verborum nexus alium sensum monstret; & constet, Plinium non ad instructi novam speciem, sed ad aliud cubiculum procedere. Quicquid sit de eo, cernimus Prætoriorum in Villis cœnacula amœnissimo semper loco imposita, ut jucundo inde prospectu, cum ventrem cibis opplerent, animum satiare possent. Plinius de cœnaculo uno in Laurentino: „ Modica cœnatio plurimo Sole, plurimo mari „ lucet. Et de alio: „ Cœnatio quæ latissimum „ mare, longissimum littus, amœnissimas Villas pro„ spicit. Et *l.* 5. *ep.* 6. plura. Sidonius *l.* 2. *ep.* 2. in cœnaculis Abitacensis secessus voluptatem prospectus deprædicat: „ Ex hoc triclinio fit in diætam seu cœ„ naculum transitus, cui fere totus lacus, quæque „ tota lacui patet. Quo loci recumbens, si quid in„ ter edendum vacas, prospiciendi voluptatibus oc„ cuparis. Hinc jam spectabis, ut promoveat alnum „ piscator [1] in pelagus, ut stataria retia suberinis „ corticibus extendat, aut signis per certa interval„ la dispositis, tractus funium librentur, hamati „ scilicet, ut nocturnis per lacum excursibus, rapa„ cissimi salares, in consanguineas agantur insidias. „ Quid enim hinc congruentius dixerim, cum pi„ scis pisce decipitur? Tanta erat voluptas inter epulas animum & oculos quoque pascere. Porro Cœnationes erant vel graviores vel leviores, ut loquitur Plinius, id est, vel amplæ & spatiosæ, vel angustæ, qualis illa Domitiani dicta *Mica* ob breve spatium. Levior, quæ alias Plinio *l.* 2. *ep.* 17. *modica* dicitur, quoad cultum & ornamenta minor vel omnino non erat vel parum. Lipsius quidem *ad epp.* 18. & 100. *Senecæ*, explicaturus quid ibi apud Senecam sint Pauperum cellæ, hæc supponit: „ Veteres præter „ cœnationes illas magnifice instructas, habuisse „ in ædibus alias cœnationes seu cellas, nullo mun„ do ornatas, in quibus tenuem aut pauperem vi„ ctum imitarentur. Causam exponit ipse Seneca *Consolatione ad Helviam* cap. 12. „ Sumunt quos„ dam dies, (*divites*) cum jam illos divitiarum tæ„ dium cepit, quibus humi cœnent, & remoto „ auro, argentoque fictilibus utantur. (docet *Seneca* id fecisse varietatem interponendi causa, alii addunt & hanc rationem, ut inopiæ se assuefacerent.) Sed hæc levior cœnatio cultu superbo non deficitur. Nam in Plinii Tuscis levior navicularum & avium figuris innatans circuit, id est, figuris navicularum & avium tessellata, & vermiculato pavimento, in quo variæ erant figuræ navicularum & avium. Sicut hodie, inquit Catanæus, Romæ, in ædibus saxorum * cernimus diversorum piscium, ita ut impositæ aquæ innatare videantur.

Circumferamus nunc oculos ad Sigmata vel Stibadia, quæ ad accumbendum in cœnaculis posita erant, quod nemini non notum esse potest. Si non aliunde, certe ex Sidonio *lib.* 2. *ep.* 2. postquam enim usus tricliniorum cessavit, cœperunt Stibadiis & Sigmatis uti. Sunt vero Stibadium (Græcis *ςιβὰς ἡ ςιβάδος*) & Sigma apud Grammaticos synonymicæ voces, quæ significatione conveniunt, & Stibadium a figura semicirculari accepit Sigmatis appellationem. Utraque vox notat lectulum vel thronum mensis appositum, ut convivæ in illis accumberent. Est quidam non infimo inter Grammaticos loco Brodæus, qui mensam interpretatus est; cui se Lipsius opposuit, stans & pugnans pro ea sententia, quam nostram fecimus & communior est. Brodæi causam Savaro *ad Sidonium* tueri fategit, nixus auctoritate Sidonii, & Petri Archiepiscopi Ravennatis. Sidonii loca & testimonia laudantur ex *lib.* 2. *ep.* 2. *Carmine, quo Ominatium ad natalem diem suorum invitat*; nec non ex *Carmine de Burgo Pontii Leontii* vers. 214. Sed quod pace tanti viri dictum sit, non video, qui in Sidonii verbis patrocinium Brodæi causæ invenire possit, cum optime de lectulis seu thoro, in quibus mensæ accumbebant, exponi queant. Nec tanti sunt, quæ ex Petri Archiepiscopi Ravenn. sermonibus attulit, ut Brodæi partes tueri possent, quod ver-

1 Veteres piscantium spectaculo libenter oblectabant animum, Plin. l. 9. ep. 7. Martial. de littore Formiano l. 10. ep. 30.

* Sic habetur in Catanæi *Notis*, forte *Saxonum*.

A ba ipsa inspicientibus quoque videbitur. Ex Athenæo forsan quædam adduci possent pro Brodæo, quæ ipsi in calamum non venere: sed nolo hujus litis me facere participem; cum vix unum vel alterum. Auctorum suffragium Brodæo faveat; reliqua omnia evincant, Sigmata fuisse thoros & lectulos, qui in locum tricliniorum surrogati sunt [1]. Differebant a tricliniis primo figura; tricliniorum figura erat recta, Sigmatum lunata seu semicircularis: quod tam ipsa appellatio ostendit, quam quæ in descriptione porticus, quæ Constantinopoli in tertia Urbis Regione, apud Zosimum *lib.* 3. dicuntur: *Porticus semirotunda, quæ ex similitudine fabricæ sigma Græco vocabulo nuncupatur*. Adde Mart. *lib.* 4. *ep.* 87. Sidonium *lib.* 1. *ep. ult.* Juvencum & Paulinum Poetas, quorum verba deinceps scribemus. Secundo in eo est discrimen, quod triclinium omnibus mensis conveniat, Sigma non item, quippe secundum mensæ magnitudinem variat, & vel majus est, vel minus; unde tertio numero lectulorum non conveniunt: triclinia tribus tantummodo lectulis erant instructa, & tres capiebant convivas; verum Sigma vel septem vel octo. Memini quidem Casaubonum *ad locum Lampridii in Vita Heliogabali* negasse ogdoadem in Sigmate convivarum. Locus Lampridii est: *Habuit & hanc consuetudinem, ut octo calvos rogaret ad cœnam, item octo luscos, & item octo podagrosos, octo surdos, octo nigros, octo longos, & octo pingues, cum capi non possent uno Sigmate, ut de his omnibus risus citaret*. Ad hæc verba commentatur Casaubonus, *singulæ nempe ogdoades: nam septenos capiebant Sigmata, non octonos. Martialis, septem Sigma capit*. Verum miror vehementer, Magno Casaubono non venisse in mentem Martialis versum *lib.* 14. *ep.* 87.

Accipe lunata scriptum testudine Sigma
Octo capit.

Aut quod Sidonius *lib.* 1. *ep. ult.* referat, in epulo Majoriani Augusti uno Sigmate assedisse mensæ octo cum ipso Augusto. Vel si venerunt in mentem, forsan dixit cum Ciacconio, Martialem non hic tam veritatem attendisse, quam in alio loco. Recordor equidem ab Antiquis legem convivalem sancitam fuisse, ut septem tantum essent in convivio convivæ; sed non adeo id observatum est, quin vel octo vel novem quoque adhibuerint epulis. Unde Salmasius in *Notis ad Historiam Augustam*, quod Sigmata alia dicta sint hexaclina, alia heptaclina, octaclina, vel enneaclina, ex numero convivarum, quos capere poterant. Et locus Lampridii parum imo nihil favet Casaubono, quoniam illa verba, *cum capi non possent uno Sigmate*, non de singulis ogdoadibus intelligi debent, sed de pinguium numero, quibus majus & amplius Sigma strui debuisset, quam octo communis habitudinis hominibus. Quoniam ergo ipsos angustius Sigma non capiebat, risus inde excitatus est Imperatori. Et sic locum Lampridii pro numero octonario nunc citamus. Si verum est quod nonnullis visum, Christum cum Discipulis suis in Sigmate seu Stibadio accubuisse, ἐπὶ σιβάδος, ut loquitur Chrysostomus *Hom.* 27. *in Ep.* 1. *ad Corinthios*, & Capuæ est opus musivum, a Desiderio Casinensi Abbate, qui postea Pontifex Victor II. fuit, dedicatum, quod idem ostendit, conjicere tuto possumus, Stibadia etiam ampliora fuisse octaclinis. Adde narrationem de convivio Maximi Augusti, cui interfuit S. Martinus Episcop. apud Paulinum l. 3. *de Vita Martini*, & Sulpicium Severum.

[1] Sidonius Carmine de Burgo Leontii Sigma pro ipso cœnaculo & hibernum Sigma pro hiberna cœnatione posuit.

Sed in viam revertamur, & ex Salmasio *ad Hist. Aug.* accipiemus quartum differentiæ momentum: censet enim, lectulos in Sigmate fuisse sine distinctione perpetuos, qui in tricliniis distinguebantur, ut ex Stuckio, Ciacconio, aliisque constat.

Hic mihi etiam de ordine, quo in Sigmate sedebant, liceat quædam in medium afferre. Duo quasi cornua referebat Sigma, alterum dextrum, sinistrum alterum: & honoratior seu supremus locus erat accubitus in cornu dextro, secundus in sinistro, & sic deinceps, qui hisce viciniores fuerunt. Cognoscimus hæc ex Sidonio & Juvenco. B Juvencus Poeta Christianus *lib.* 3. *in caput* 14. *Lucæ* sic expressit legem Christi convivalem:

Si vos quisque vocat cœnæ convivia ponens,
Cornibus in summis devitat ponere membra
Quisque sapit, veniet forsan si nobilis alter,
Turpiter eximio cogetur cedere cornu.

Sidonius illum accumbendi ordinem expressit *lib.* 1. *ep. ult.* qua modum convivii Augusti Majoriani in Circensibus Ludis exponit: „ Primus jacebat „ cornu sinistro Consul ordinarius Severinus. Juxta eum Magnus, olim ex Præfecto, nuper ex- C „ Consule par honoribus persona geminatis: re„ cumbente post se Camillo filio fratris, qui dua„ bus dignitatibus & ipse decursis, pariter orna„ verat pro-Consulatum patris, patrui Consula„ tum. Pæonius hinc propter: atque hinc Athe„ nius, homo litium temporumque varietatibus „ exercitatus. Hunc sequebatur Gratianensis, o„ mni ab infamia Vir sequestrandus, qui Severi„ num sicut honore post ibat, ita favore præcesse„ rat. Ultimus ego jacebam, qua purpurati la„ tus lævum margine in dextro porrigebatur. Cognosce ex hac relatione quæ diximus, Lector: nam in dextro cornu, ut in loco supremo, sedit D Imperator, in cornu sinistro, tanquam secundo loco, Consul, & sic deinceps. Peculiare quiddam adhuc observari poterit in convivio Maximi Augusti, cujus jam memini ex Paulino & Severo. In dextro cornu considebat Imperator, in sinistro Consul Euodius, deinde reliqui, S. Martino vero posita est sella extra Stibadium, ad dextram Imperatoris, in qua sessum cepit Episcopus. Apud Gregorium Turonensem Arianus quidam hospitio excepisse Catholicum legitur, cui in sinistro cornu locum dedit, lib. 1. *de Mirac.* cap. 8. Videntur hæc nobis contradicere, cum verisimile sit, & E exigat honestatis ratio, quod ipsi concesserit locum supremum, tanquam hospiti. Sed nihil hæc de sententia nostra nos movent, ludibrio enim hospes convivam ut in aliis, sic etiam in hoc habuit. Si plura de Stibadiis scire cupis, adi Suidam & Athenæum, qui Stibadia ex herbis, & lignis, ramisque constructa fuisse afferunt. Sed hujusmodi forsan facta sunt, cum rudior esset hominum ætas, & nondum luxuria diffluerent mortalium animi; aut, quod opinor maxime, cum in hortis struerentur vel castris. Plinius enim ex candido marmore factum Stibadium refert *l.* 5. *ep.* 6. & ita structum, ut incubantium pondere quasi expressam aquam redderet. Heliogabalus præter ea Sig- F mata, quæ in lectulis sternebantur, aliud quoddam illorum genus invenit, de quo vide Lampridium in *Heliogabalo* cap. 25. εἰκονισμὸς Stibadii videri poterit apud Ciacconium *de Triclinio*.

Nondum egredimur cœnatione, sed etiam Euripos & piscinas in cœnaculis spectare lubet; nam verisimile est hunc luxum etiam in Villis habitasse, quamvis citare possim Sidonium *Carm.* 22. vers. 209. seqq. *de Burgo Leontii*; quem inter Secessus refero:

Alta volubilibus patet hinc cœnatio valvis,
Fuſilis euripus propter, cadit unda ſuperne
Ante fores pendente lacu, venamque ſequuti
Undoſa inveniunt nantes cœnacula piſces.

Et quod per ſingula cubicula in Villis ducti ſint fontes, Statius in *Tiburtino* oſtendit:

An picturata lucentia marmora vena
Mirer, an emiſſas per cuncta cubilia lymphas?

Hunc luxum multis Seneca perſtringit lib. 3. *Nat. Quæſt.* c. 17. & 18. „ In cubili natant piſces: & „ ſub ipſa menſa capitur, qui ſtatim transferatur „ in menſam. Parum videtur recens mullus, niſi „ qui in convivæ manu moritur, &c. &c. & *epiſtola* 100. item *de Tranquill. animi* cap. 1. „ Quid „ perlucentes ad imum aquas & circumfluentes ip- „ ſa convivia loquar? Dum in Cœnaculo verſamur, adjiciemus locum ex Seneca, qui nobis probabit, quam elegantes & multa arte elaboratæ fuerint menſæ, *de Tranq. Animi cap.* 1. „ Placet „ menſa, non varietate macularum conſpicua, nec „ per multas elegantium dominorum ſucceſſiones „ civitati nota: ſed in uſum poſita, quæ nullius „ convivæ oculos nec voluptate moretur, nec ac- „ cendat invidia. Conſule Meurſium *de Luxu Rom.* cap. 9. qui plurima de menſarum ſuperbo cultu apud Romanos.

De feneſtris nunc nonnulla exarabo in lectione Auctorum obſervata, quoniam partes cubiculorum ſunt, & Veteres Prætoriorum conclavia multis feneſtris, quod ex Plinii Junioris narratione certum eſt, illuſtrare conſueverunt. Cicero lib. 2. *ad Atticum* ep. 3. meminit feneſtrarum: *Feneſtrarum anguſtias quod reprehendis, ſcito te* Κύρυ παιδεῖαν *reprehendere. Nam cum ego idem iſtud dicerem, Cyrus ajebat viridariorum* διαφάσεις *latis luminibus non tam eſſe ſuaves. Si* κατ' εἰδώλων ἐμπτώσεις *videremus, valde laborarent* εἴδωλα *in anguſtiis, nunc fit lepide illa* ἔκχυσις *radiorum.* Videtur hic Cyrus Stoicorum Sectæ fuiſſe addictus, qui viſum per emiſſionem radiorum ex oculis fieri diſcipulos ſuos docuerunt, unde anguſtius feneſtræ ſpatium fecerunt, exiſtimantes, quod quo arctior fuerit aditus, eo junctiores & certiores in exitu ſint viſivi radii, obque id ſuaviores egreſſiones. Contraria hiſce erat Epicureorum opinio, qui per receptionem ſpecierum accedentium ad oculos, oculum officium ſuum homini præſtare, perſuaſum ſibi habebant, atque propterea patulas ſtruxerunt feneſtras, ut ingreſſus patens foret & inoffenſus. Qua opinione is forſan imbutus fuit conditor Tuſcorum Plinii, qui latiſſimas feneſtras inſeruit; vel Laurentini, quod feneſtras non minores valvis habuit. Quæ feneſtrarum forma etiam poſtmodum maxime placuit, quod feneſtræ latiores & patentes non parum domus ſplendorem magnificentiamque augerent, & habitatores id agerent, ut multo Sole cubicula calefierent, vel æſtate aura frigida reficerentur. Materia feneſtrarum erat teſta lapidis ſpecularis, qui ita præparari poterat, ut lumen tranſmitteret, atque ventos imbreſque arceret, vid. multa de hoc ſcripta apud Pancirollum part. 1. *Rerum Memor.* tit. 6. Item Plinium *l.* 36. *cap.* 22. *In Arabia quoque eſſe lapidem, vitri modo translucidum, quo utuntur pro ſpecularibus.* Seneca eam lapidis præparationem inter ætatis ſuæ inventa refert: *Quædam noſtra demum memoria prodiſſe ſcimus, ut ſpeculariorum uſum, perlucente teſta, clarum tranſmittentium lumen, ep.* 90. & cap. 4. *de Providentia.* Ex vitro quoque fuiſſe, ſimul hæc verba nobis ſubjicere videntur, eſt enim antiquior uſus vitri, quam ſpeculariorum. Et dubium mihi nullum, vitrum quoque feneſtrarum vario fuiſſe colore tinctum, ſicut Statius in Etruſci balneo:

Effulgent cameræ vario faſtigia vitro.

Confer Savaronis *Notas ad Sidonii lib.* 2. *ep.* 10. Feneſtras fuiſſe quadratas, non arcuatas, affirmat Philander *ad Vitruvii lib.* 2. *c.* 6. Præter hæc poſſem de cubiculorum ſtructura memorare, quod quædam in apſida curvata fuerunt, quædam cum, quædam ſine procœtone ſtructa; idque Plinii teſtimonio ex *ep.* 17. *lib.* 2. confirmare, ſed reſtat potius, ut de ſervorum cubiculis quædam huic Capiti inſeramus. Auctor eſt nobis Plinius in deſcriptione Laurentini ſui, fuiſſe in Prætoriis etiam cubicula ſervorum exſtructa; quod de familia urbana intelligo, non ruſtica, quæ in parte Villæ ruſtica habitabat: verba ſunt *lib.* 2. *ep.* 17. *Reliqua pars lateris hujus ſervorum libertorumque uſibus detinetur, pleriſque tam mundis, ut accipere hoſpites poſſint.* Cubicula ſervorum, quæ vel in Prætoriis, aut Villis, vel etiam in ædibus urbicis condita erant, dicuntur Auctoribus communi nomine cellæ: *Nam cellas Latini vocant omnia gurguſtiola infimæ ſortis hominum*, ait Caſaubonus *ad Sueton.* Marcus Cato *de R. R.* cap. 14. *Faber hæc faciat oportet, præſepis bubus hibernas, æſtivas faliſces, equile, cellas familiæ, carnaria, &c.* Cum hæc verba, *cellas familiæ*, Scaligero crucem figerent, mutavit ſcriptionem, ponendo S. pro C. legitque *ſellas*; & interpretatur de ſellis, ventris expletioni inſervientibus, ad uſum familiæ comparatis. Auſonius Popma rejiciebat hanc Scaligeri emendationem, & exponit de cellis in quibus penora familiæ reponebantur, ſed præter rem. Non nego cellam unam penum aſſervaſſe, ſed præterea luculenter demonſtrari poteſt, ſervorum cubilia cellas eſſe vocata, in quibus feriantes habitabant, & noctu cubabant. Non urgebo impræſentiarum, vocem familiæ paſſim apud Latinos pro ſervis accipi; occurrit Suetonii locus in *Vita Vitellii* c. 16. Ubi cum deſerta omnia reperiſſet, dilabentibus etiam qui ſimul erant, zona ſe aureorum plena circumdedit, confugitque in cellulam janitoris, religato pro foribus cane, lecto & culcitra objectis. Idem ex Petronio liquet: *Non longe ab Oſtiarii cella canis ingens a catena vinctus, in pariete erat pictus, &c.* Adde Colum. *l.* 1. *c.* 6. Vitruvium *lib.* 6. *cap.* 10. Ipſe Cicero *Philipp.* 2. *Conchyliatis Cn. Pompeii periſtromatis, ſervorum in cellis lectos ſtratos videres.* Inde dictæ ſunt Monachorum cellæ, quod eſſent inſtar ſervilium quondam cubiculorum arctæ & anguſtæ. Vix enim capiebat cella duos ſervos. Et ſunt qui opinantur, ſervos in cellis non ſolos cubaſſe, ſed ſemper cum ſocio. Colligunt ex Senecæ libro *de Brevitate Vitæ* c. 12. Illum tu otioſum vocas, qui vinctorum ſuorum greges in ætatum & colorum paria diducit. Nec non ex Plauti *Sticho* act. 5. ſc. 1. Apud Sidonium locus quidam in Prætorio dicitur Conſiſtorium *lib.* 2. *ep.* 2. *Interjecto Conſiſtorio peranguſto, ubi ſomnolentiæ cubiculariorum dormitandi potius quam dormiendi locus eſt.* Appellationis cauſa proculdubio hæc eſt, quod cubicularii ibidem conſiſterent & excubarent. Et tantum de cubiculis Prætorii.

CAP.

CAPUT VI.

Ornatus Cubiculorum fuit maximus, imo regius.

DISTINGUIT *l.12. ff. de instructo & instr. leg.* inter instrumenta & ornamenta domus. Instrumenta ea dicuntur, quæ ad tutelam pertinent, quæ tempestatis aut incendii causa parantur. Ornamenta vero, quæ ad voluptatem parantur, ut tabulæ pictæ, &c. Subjicitur & aliud exemplum, velorum scilicet; velis enim operiebant domos suas Romani, quo ædificia ex vento vel pluvia vitium non contraherent, & hæc vela, quæ cilicia dicuntur ex pilis pecorum, inter necessaria domus instrumenta censentur: alia vero vela suspendebantur frigoris & umbræ causa, & hæc ad ornamenta domus vel cubiculi spectant. Non igitur argumento vel officio nostro egrediemur, si de ornamentis Diætarum Prætorii nonnulla differamus; quoniam splendida, superba, magnifica, imo regia, & regiis majora ostentant. Primum foris spectabimus, & alta culmina mirabimur, quæ nobis Juvenalis *Sat.* 14. ostendit:

Ædificator erat Cetronius, & modo curvo
Littore Cajetæ, summa nunc Tiburis arce,
Nunc Prænestinis in montibus, alta parabat
Culmina villarum &c.

Ita de patre; & mox ait filium marmore extulisse ædificia:

—— filius amens,
Dum meliore novas attollit marmore Villas.

Constat ex Seneca Veteres turritas fecisse domos [1], *Consolat. ad Helviam* c. 9. Dubitandum ergo non est, etiam Villarum Prætoria turribus exornasse, & potissimum verba Salviani de Prætoriis Villarum esse accipienda: *Non superbas ac præeminentes excelsis urbibus domos, non supra humanos visus elata culmina, nec inserta nubibus aerio habitatore fastigia.* Ideo quod omnes sumtus fere in Villarum culturam effunderent, ne quid voluptatis aut luxuriæ deficeret rusticantes. Dum Villam Africani nec lautam nec politam intueor, quam Seneca *ep.* 86. describit: *Vidi Villam structam lapide quadrato, murum circumdatum sylvæ, turres quoque in propugnaculum Villæ utrimque subrectas. Cisternam ædificiis ac viridibus subditam, quæ sufficere in usum vel exercitus posset.*

Duo, quæ ad Villarum structuram spectant, animadverto; primum est, quod muris, munimentis, & propugnaculis circumsepta fuerint; alterum, quod turres propugnaculorum spectaculo suo ornarint Villas. Villæ ipsæ ex marmore erant exstructæ pretioso. Juvenalis *loco citato*:

———— alta parabat
Culmina Villarum, Græcis, longeque petitis
Marmoribus: vincens Fortunæ ac Herculis ædem.

[1] Adde Plinium l. 2. ep. 2.

A Et paulo post:

—— turbavit filius amens,
Dum meliore novas attollit marmore Villas.

Græca & longe petita marmora sunt Lacedæmonium, Carystium, & Chium, item ex Armenia, Numidia, & Ægypto advectum: vide Plinium *lib.* 36. *cap.* 6. & alibi. Sed illa verba, *vincens Fortunæ ac Herculis ædem*, ostendunt maximam magnificentiam Villarum: nam vetus Interpres Juvenalis putat indigitari ædem Fortunæ, ex lapide Phengite candido &
B translucenti in Cappadocia reperto: quare & foribus opertis interdiu claritas ibi diurna erat, haud alio specularium modo, tanquam inclusa luce non transmissa, quam Nero aurea domo amplexus est: vid. Plinius *lib.* 36. *cap.* 22. hanc si superarunt Villæ magnificentia, dubium non est, totas fuisse etiam foris marmoreas ornatissimasque. Quam Herculis innuat ædem Poeta, nondum consentiunt Interpretes; quidam exponunt de ea, quam Marcius Philippus exstruxit Herculi Musarum, de qua Sueton. *lib.* 2. *cap.* 29. ita duo Scholiastæ Juvenalis: vel de ea, quam Domitianus condidit. Marcellus Dona-
C tus *ad Sueton.* de illa, quæ Tiburi fuit, accipit verba Juvenalis: & qualis tandem fuerit, certe divina fuit, & cultissima, dignaque ut inter exempla ponatur, nec tamen accessit ad Villarum superbam elegantiam. Conferamus quoque Festi, vel potius Catonis apud Festum suffragium: *Dicere possum*, inquit, *quibus* VILLÆ *atque ædes* ÆDIFICATA, *atque expolita maximo opere, citro atque ebore, atque pavimentis Punicis stent.* Quæ verba nos in ipsa conclavia deducunt, in quibus tantus apparuit splendor, tam dives ornatus, ut fidem me hercule exce-
D dat. Magna mole extollebantur cœnationum fastigia. Sen. *Consolat. ad Helv.* cap. 9. laquearia fuerunt auro tecta. Plin. *lib.* 33. cap. 3. ubi originem hujus cultus refert: *Laquearia* [1], *quæ nunc & in privatis domibus auro teguntur, post Carthaginem eversam primo inaurata sunt in Capitolio, censura L. Mummii. Inde transiere in cameras, in parietes quoque, qui jam & ipsi tanquam vasa inaurantur.* Docet nos Seneca laquearia cœnaculorum versatilia & ita coagmentata fuisse, ut subinde alia facies atque alia succederet, & toties tecta quoties fercula mutarentur, *ep.* 90. Ibidem & hæc verba de Antiquo-
E rum frugalitate leguntur: *Non tecta cœnationi epulum recepturæ parabantur, nec in hunc usum prius aut abies deferebatur longo vehiculorum ordine vicis intrementibus, ut ex illa lacunaria auro gravia penderent.* Meminit etiam ea epistola Philosophus cælatorum laquearium. Si exemplum vel specimen versatilium laquearium desideras, ingredere domum auream Neronis, cujus structuram Suetonius depinxit *lib.* 6. *cap.* 31. *Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores fistulis, ut unguenta desuper spargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumage-
F retur.* Nec laqueata solum tecta operiebant cubicula & cœnationes, sed etiam concamerata. Plinius *lib.* 2. *ep.* 17. *cubiculum in apsida curvatum.* Quid laquearia a cameris differant, ostendit Salmasius in *Notis ad Hist. Aug. & Vopisci Aurelianum*: *Laquearia ex tabulis ligneis fiebant, & erant plana. Cameræ* [2] *& curvatæ*

[1] Lacunaria inaurata appellat Sidonius bracteata l. 2. ep. 10. [2] Curvatas fuisse cameras probat etiam multis Savaro ad Sidonii l. 9. ep. 7.

erant & truſſilatæ atque inductæ tectorio. De forma ipſarum nec non de tectorii præparatione vid. Vitruvius *lib.* 7. *cap.* 3. Multis modis expoliebantur hæ cameræ, coronario opere, muſivo, ærographia, vel encauſtice, de quibus vide Vitruvium & Salmaſium *ad Spartianum*. Denique inaurabantur, quod ex Vopiſci *Aureliano*: cum hic in animo haberet prohibere, ut aurum neque in cameras, neque in tunicas, neque in pelles, neque in argentum mitteretur. Quod ſapientiſſimum animi conſilium fuit, quia aurum in laminas diductum, & aliis rebus impactum uſu deteritur, ut ad nullum uſum deinceps redire queat. Propertius alium morem recenſet diſponendi cameras eburnas in trabes auratas, *lib.* 3. *eleg.* 2.

Quod non Tænariis domus eſt mihi fulta columnis,
Nec camera auratas inter eburna trabes.

Demittamus nunc oculos ad pavimenta & parietes; quam ſplendidus ibi cernitur ornatus! Variis depictis emblematibus, metallis, gemmiſque, auro, marmore, & argento cuncta erant adornata, Statius de Villa Vopiſci *Tiburtino*:

Dum vagor adſpectu vultuſque per omnia duco,
Calcabam nec opinus opes; nam ſplendor ab alto
Defluus, & nitidum referentes aera teſtæ,
Monſtravere ſolum; varias ubi picta per artes
Gaudet humus, ſuberantque notis Aſarota figuris.

Item;

Vidi artes, Veterumque manus, variiſque metalla
Viva modis, labor eſt auri memorare figuras
Aut ebur; aut dignas digitis contingere gemmas.

Sunt verba in hanc rem non prætermittenda apud Senecam *ep.* 86. „ Pauper ſibi videtur ac „ ſordidus, niſi parietes magnis & pretioſis or„ bibus refulſerunt; niſi Alexandrina marmora „ Numidicis cruſtis diſtincta ſunt: niſi illis „ undique operoſa & in picturæ modum va„ riata circumlitio prætexitur; niſi vitro abſcon„ ditur camera; niſi Thaſius lapis, quondam „ rarum in aliquo ſpectaculum templo, piſci„ nas noſtras circumdedit &c. Eo deliciarum „ pervenimus, ut niſi gemmas calcare nolimus. Indicat hiſce verbis nonnullos incruſtationis parietum modos. Marmore indui parietes ait & pavimenta, vel marmoris cruſtis. Primus id fecit Romæ Mamurra Præfectus fabrum C. Cæſaris. Plin. *lib.* 36. *c.* 6. *Primum Romæ parietes cruſta marmoris operuiſſe totius domus ſuæ in Cælio Monte Cornelius Nepos tradidit Mamurram*. Plinius Junior *lib.* 9. *ep.* 39. cum eſſet refecturus ædes Cereris in prædiis ſuis, præcipit Muſtio Architecto, marmora emat: *Velim emas marmora, quibus ſolum, quibus parietes excolantur*. Et in hanc rem ſunt notatu digna verba Senecæ Rhetoris lib. 2. *Controverſ.* 9. ubi multa de deliciis luxuriæ mortalium: *In hos ergo exitus varius ille ſecatur lapis, ut tenui fronte parietem tegat, quam vinctus ſevere in hoc pavimentum levatum*. Ab initio veſtiebantur parietes tabulis pictis, ſed mox in totum pictura a marmoribus pulſa eſt, ut Plinius *lib.* 5. *cap.* 1. loquitur. Quando vero cœperit marmoris uſus, vide apud eundem Plinium *lib.* 36. *capitibus primis*. Et quidem primum tecti ſunt parietes abacis ſeu tabulis marmoreis, poſtmodum vero cruſtis pro abacis uſi ſunt; & cruſtas varia figura diſpoſitas, ſi natura maculoſæ variæque non eſſent, pictura fingebant. Diſcimus ex Plinii *lib.* 35. *cap.* 1. „ Nunc vero in totum „ marmoribus pulſa (ſc. pictura) jam quidem „ & auro, nec tantum ut parietes toti ope„ riantur, verum & interraſo marmore, ver„ miculatis ad effigies rerum & animalium „ cruſtis. Non placent abaci, nec ſpatia mon„ tis in cubiculo delitentia, cœpimus & lapi„ dem pingere. Hoc Claudii principatu inven„ tum; Neronis vero maculas quæ non eſſent, „ in cruſtis inferendo unitatem variare, ut „ ovatus eſſet. Numidicus ut purpura diſtin„ gueretur, Synnadicus, qualiter illos naſci optarent deliciæ. Conf. Turneb. l. 26. c. 3. *Adverſ.* & Caſaub. *ad Sueton.* Sic cum non tantum pingerent marmora, verum etiam cruſtis diſtinguerent diverſos colores, dixit Seneca, *marmora Alexandrina cruſtis Numidicis diſtincta ſunt*. Item, *quod in picturæ modum variata ſit circumlitio*. Sunt enim marmora alia aliis coloribus imbuta, prout regio, qua naſcuntur, tinxerit. Indicat Sidonius *lib.* 2. *ep.* 2. ubi de Villæ balineo; *Jam ſi marmora inquiras, non illic quidem Paros, Charyſtos, Proconiſſos, Phryges, Numidæ, Spartiatæ rupium variatarum poſuere cruſtas &c.* Luculentius in *Epithalamio Ruricii*:

Hic lapis eſt de quinque locis dans quinque colores,
Æthiopus, Phrygius, Parius, Pœnus, Lacedæmon,
Purpureus, viridis, maculoſus, eburnus, & albus.

Confer Vitruvium *lib.* 7. *c.* 5. Illud te quoque monitum velim, cogites; Veteres non ornatus modo cauſa, ſed etiam ut frigidæ eſſent ædes marmore incruſtaſſe. Palladius *lib.* 1. *tit.* 9. & Sidonius in *Propemptico*;

Seu contra rabidi Leonis æſtus
Veſtis frigore marmorum penates.

Item *lib.* 2. *ep.* 2. *Sed etſi nullo peregrinarum cautium rigore ditamur; habent tamen tuguria ſeu mapalia mea civicum frigus*. Non prætereundum hic opus tectorium, dum de marmoreis incruſtationibus agimus, nam Varro lib. 3. *de R. R.* c. 2. monſtrat Villam opere tectorio politam. Initio cum tectoria ex calce & arena præpararentur, inter infima ornamenta Villarum erant, quod mihi colligi poſſe videtur ex Gellii *lib.* 13. *c.* 23. & Seneca dixit hæc gregalia tectoria *ep.* 86. ſed poſtmodum majori arte & elegantia confecta ſunt. Plinius *l.* 23. *c.* 23. *Tectorium*, inquit, *niſi ter harenato* (id eſt, calce arena permiſta) *& bis marmorato* (marmoratum fit e marmore trito & calce viva) *non ſatis ſplendoris habet*. Confer Vitruvium *lib.* 7. *c.* 3. & 6. ubi Philander in *Notis*, quod Veteres admiſcuerint incruſtationibus conchas, potiſſimum fontium fornicibus, quod noſtra ætas imitatur. Quod genus videtur in Villa Ciceronis ad Formias interſparſis purpuris, peloridibus, cæteriſque conchis.

Sed abunde diximus de incrustatione marmorea, de picturæ ornamentis nunc quædam fari incipimus. Jam audivimus ex Plinio, picturam a marmoribus in totum fuisse expulsam: alibi *lib. 36. cap. 25. Pavimenta*, ait, *originem apud Græcos habent elaborata arte, picturæ ratione, donec lithostrota expulere eam.* Satis inde quidem constat picturis expolivisse parietes & pavimenta, sed pluribus roborare possumus auctoritatibus. Varro lib. 3. c. 2. *R.R.* de incultiori Villa: *Nuncubi hic vides citrum? aut aurum? aut minium? aut armenium? num quod emblema?* &c. Et paulo post: *Tua hæc in Campo Martio* (sc. Villa) *oblita est tabulis pictis, nec minus signis ornata.* Plenius expressit Sidonius *lib. 2. ep. 2.* ubi de balnei sui simplicitate: ***Interior** parietum facies solo lævigati cæmenti candore contenta est. Non hic per nudam pictorum corporum pulchritudinem turpis prostat historia, quæ sicut ornat artem, sic devenustat artificem. Absunt ridiculi vestitu & vultu histriones, pigmentis multicoloribus Philistionis supellectilem mentientes. Absunt lubrici tortuosique pugilatu & nexibus palæstritæ, quorum etiam viventum luctas, si involvantur obscœnius, casta confestim Gymnasiarchorum virga dissolvit. Quid plura? nihil illis paginis impressum reperietur, quod non vidisse sit sanctius. Pauci versiculi lectorem adventitium remorabuntur.* Ad duo hic advertas animum velim, Lector benevole; alterum est, quod figuris pictis parietes ornarunt; alterum, quod balneorum parietibus turpes historias inscripserunt, quod Christianos non decebat. Addimus testimonium Symmachi *lib. 6. ep. 50.* ***In** minoribus balneis piscinalem picturis potius quam musivo excoli non probavi.* Conf. Vitruvius *lib. 7. c. 5.* Pomponii Gaurici liber *de Sculptura*, cum *Commentario* Ludovici Demontiosi *de Sculptura, Cælatura, Scalptura, & Pictura Antiquorum*, Abrahami Gollæi * Anno 1609.

Videbimus nunc vitreas Senecæ cameras, quibus respexit ad morem Veterum; quod vitreis ornamentis domos induxerunt. Statius:

Effulgent cameræ vario fastigia vitro.

Certum quidem est, calluisse antiquos Architectos artem expoliendi tectoriis parietes ut vitri pelluciditatem referrent, sed etiam vero tegebant parietes pavimentaque vitro. Fl. Vopiscus in *Vita Firmi*: *Nam & vitreis quadraturis bitumine aliisque medicamentis insertis domum induxisse perhibetur.* Accersendus quoque Plinius ut sententiam ferat *lib. 36. c. 25.* „ Pulsa deinde „ ex humo pavimenta in cameras transiere e vi„ tro; novitium & hoc inventum. Agrippina † „ in Thermis, quas Romæ fecit, figulinum o„ pus encausto pinxit, in reliquis albaria ador„ navit, non dubie vitreas factura cameras, si „ prius inventum id fuisset, aut a parietibus sce„ næ, ut diximus, Scauri pervenisset in cameras. Reperies etiam in parietibus Bibliothecæ loco marmoris vitrea tectoria apud Boetium. Deinde specula parietibus tanquam venusta emblemata inseruere, ex vitro aut alio pellucido lapide confecta, vide Vitruvium *lib. 7. cap. 3.* & Salmasium in *Notis ad Hist. A.* Et, ut pertexamus hujus Capitis filum, de ornatu Diætarum sciatis; parietes Tyriis & hyacinthinis regiisque velis induisse, de quo Tertullianus *de hab. mul. Parietes Tyriis & hyacinthinis, & illis regiis velis, quæ vos ope-*

A *rose resoluta transfiguratis, pro pictura abutuntur.* Purpura stravisse Sigmata Paulinus *de Vita Martini* l. 3. init.

Stipant subjectas regalia fercula mensas,
Dives in excelsis splendescit purpura fulcris.

Item Sidonius *Carm.* 17.

Non tibi gemmatis ponentur fercula mensis,
Assyriusque murex nec tibi Sigma dabit.

B Nec minus pretiosa fuisse illa vela existimandum est, quæ umbræ causa suspendebantur in cubiculis, vel quæ circa columnas extendebantur, quarum mentio fit *l. 12. ff. de instr. & instr. leg.* vel quæ foribus appensa sunt, ut cubicula operirent; id enim statuendum est ex lege elegantiarum & ornatus, quæ jubet, ut cultus sibi ubique respondeat, & colligi potest ex Sidonii *lib. 4. ep. 24.* ubi de Maximi Villa; miratur Villam omnem suum cultum deposuisse, & foribus cilicum vela esse appensa. Si probandum foret quod velis opertæ fuerint fores, possem allegare Lamprid. qui in

C *Heliogabalo* de Principe refert: *Cum milites Heliogabalum in hortorum secessu hærentem trucidatum venissent, Imperator exterritus se in angulum condidit; objectuque veli cubicularis, quod in introitu erat cubiculi, se texit.* Facile quoque & illud ostendi posset, cubiculorum fastigia olim velis, non cameris nec laquearibus, tecta opertaque fuisse, si ingrueret imber vel pluvia, nam alias erant hypæthra & aperta: confer *legem citatam* 12. & Senecam *ep.* 90.

Sed prætereo hanc partem, & dum animus ad Balineorum Basilicas tendit, assigno huic

D Capiti sub calcem locum ex Suetonio in *Vita Augusti* cap. 72. & quædam de statuis columnisque. Columnis utebantur Antiqui non in ornamentum, sed fulcimentum, quia omnium firmissima esse fulcimenta putabant; quod alicubi Plinius tradidit: deinde vero in ornamenta potissimum positæ sunt. Savaro distinguit inter pilas & columnas; pilæ erant saxeæ & fulciebant ædificia, columnæ vero ad ornatum collocabantur, hinc optimis Auctoribus dicuntur *columnæ purpuræ ædificiorum.* Sed sequor Plinium l. 36. c. 6. *H. N.* qui aliter me informat: *Columnis utebantur in templis nec lautitiæ*

E *causa, (nondum enim ista intelligebantur) sed quia firmiores aliter statui non poterant.* Et ne excipere possit Savaro, apud Priscos olim aliter obtinuisse, adjungam verba Senecæ *ep.* 86. *Quid cum ad balnea libertinorum pervenero? Quantum statuarum, quantum columnarum, & nihil sustinentium, sed in ornamentum positarum, impensæ causa?* Videtur Seneca distinguere inter columnas nihil sustinentes, & fulcientes ædificia. Et quid moror,' Savaronem ex Juvenalis, Martialis & Statii auctoritatibus redarguere? Juvenalis *Sat.* 7.

F

Parte alia longis Numidarum fulta columnis
Surgat, & algentem rapiat cœnatio Solem.

Martialis *l. 5. ep.* 13.

At tua centenis incumbunt tecta columnis.

Et Statius in *Epithalamio Stellæ*:

Pendent innumeris fastigia nixa columnis.

* Leg. *Gorlæi*. † Leg. *Agrippa*.

Ex eodem Statio confirmabimus quoque, quæ a nobis dicta sunt de ornamentis, quæ ex statuarum & columnarum decore Villis addebantur, ad Plinii enim auctoritatem non confugiam. Statius *Sylva* 7. Tiburtinæ Villæ Vopisci hæc ornamenta commemorat,

Vidi artes, Veterumque manus, variisque metalla
Viva modis; labor est auri memorare figuras,
Aut ebur, aut dignas digitis contingere gemmas:
Quicquid & argento primum, vel in ære Myronis
Lusit, & enormes manus est experta Colossos.

Idem de Villa Pollii, *Surrentino*;

Quid referam veteres ceræque ærisque figuras?
Si quid Apellæi gaudent animasse colores;
Si quid adhuc vacua, tamen admirabile Pisa
Phidiacæ rasere manus, quod ab arte Myronis
Aut Polycletæo jussum est quod vivere Cœlo,
Æraque ab Isthmiacis auro potiora favillis
Ora ducum, & vatum, sapientumque ora piorum,
Quos tibi cura sequi —— ——

Alio ornatu instruxit Villas suas Augustus; de quo Sueton. *loco* antea *cit.* quo loco concludam; *Ampla & operosa Prætoria gravabatur. Et neptis quidem suæ Juliæ, profuse ab ea exstructa, etiam diruit ad solum; sua vero quamvis modica, non tam statuarum tabularumque pictarum ornatu, quam Xystis & nemoribus excoluit, rebusque vetustate ac raritate notabilibus: qualia sunt Capreis* (alii codices legunt *capita*) *immanium belluarum ferarumque membra prægrandia, quæ dicuntur, Gigantum ossa, & arma Heroum.* Possem quidem cultum feralem & ornamenta, quibus in luctu induebant cœnacula, referre, sed remitto Lectorem ad epulas ferales Domitiani, de quibus Xiphilinus ex Dione. Apparavit ædes nigerrimas ex omnibus partibus, erant atra laquearia, parietes ac pavimentum sedesque nudæ eodem modo collocatæ erant. Hæc de capite sexto, sit nunc septimum.

CAPUT VII.

Balneorum structuram & cultum describit.

QUI veterum Villarum structuras explicarunt, Plinius & Sidonius, nullum fere Prætorii membrum, dum omnia ostiatim exhibent, studiosius descripserunt quam balnea: vel quod inter vitæ adminicula summe necessaria haberent; vel quod multis sumtibus & luxurioso cultu structa essent. Nam cum natura ab initio monstraret lavandi necessitatem, siquidem non dubium est, quin necessitas, quæ homini imperavit curam valetudinis, defendere ab æstu corpus, & tueri contra frigus, eadem etiam, ut sanitas servaretur, imperaverit munditiei curam, & a sordibus corpus purgandi studium. Quod quidem aqua simplici in fluviis fieri potuit; sed mox in id incubuit solertia humana, ut commode fieret, excogitavitque adminicula, quibus lavaretur, præsertim cum lautionibus corporis membra refici persentisceret; donec a commoditate & utilitate ad abundantiam & luxum, quæ tritissima semper ad luxuriem via fuit, ingenium humanum processit. Sed si ad Romanos respiciamus, ignorabat Roma in pueritia sua balneorum usum. Juvenes in palæstra defatigati & pulvere sordidi diluebant sudorem pulveremque in Tiberi fluvio, teste Vegetio. Postquam vero accepissent quæ apud Græcos lavandi esset ratio & commoditas, crescente præsertim juventute, ac exercitiorum studio, incivile visum est & rusticitatis esse, illustrem civitatem in luculentis fluminis aquis quotidie lavari; atque cœpit mox consilium more Græcorum balnea struere. Sed differre propositum necessum habuit propter aquarum penuriam. Nondum enim didicerant artem, per fistulas & euripos aquas in alias regiones perducendi, vel in colles, quos tunc habitabant maxime, extrahendi & elevandi. Anno tandem 444. ab V. C. Valerio Max. & P. Decio Mure Coss. Censore Appio Claudio curante, primum statutum est decretum, ut ex Tusculano in Urbem aqua duceretur, quæ a Curatore Appia appellata est. Quam curam deinceps & alii suscepere, & plurimæ aquæ in Urbem adductæ sunt, de quibus vide Baccium l. 7. *de Thermis* cap. 4. constructique sunt lacus, alvei brevi muro clausi, in quibus aquæ reciperentur, deinde balnea & piscinæ in loco publico; mox indecorum habitum, virum gravem & divitiis vel officio celebrem cum plebeiis in loco publico lavari, inde sunt facta balnea privata in Urbe. Neque hic substitit solertia humana, sed etiam ruri & in Villis condidit balnea: nam ab initio non extitisse in agris balnea probatur ex Senecæ *ep.*86. qua scribit, Veteres in nundinis tantummodo se totos lavisse, videlicet cum venissent in Urbem. Sed si tempora Romana prima cum ultimis conferas, quanta deprehendetur in primis structuræ & cultus simplicitas! quantus in ultimis luxus & voluptas! de quo apud Senecam *ep.*86. plurima: *Olim pauca erant balnea, nullo cultu exornata. Cur enim ornaretur res quadrantaria, * & in usum, non oblectamentum reperta?* Postmodum nullibi major luxus apparuit quam in balneis: cæca erant Antiquorum, aut obscura, aut sine lumine. Seneca *loc. cit.* de balneo Africani, quod ceu antiquæ frugalitatis exemplum nobis porrigit: *In hoc balneo Scipionis minimæ sunt rimæ magis quam fenestræ, muro lapideo exsectæ ut sine injuria munimenti lumen admitterent.* Et verisimile est pudoris ergo intrasse obscura balnea, ne se nudos viderent; confer. Savaro *ad Sidon. lib.*2. *ep.*2. Sed deinceps obscura illa balnea vocavere blattaria, & parata sunt amplissimis fenestris, quo plurimum Solem reciperent, & non lavarentur solum, sed etiam colorarentur, multaque in luce decoquerentur, aut ex solio agros & maria prospicerent, ut loquitur *Seneca*. Simplici & gregali tectorio incrustabantur parietes, qui postea auro, colore vario, marmore, operosa pictura & gemmis fulgebant. Ne dicam de argenteis epistomiis, quæ aquas fundebant, de superbis piscinis, quas

* Sic restituit Cœlius Rhodig. Antiq. Lect. l. 30. cap. 19.

Thasius lapis, rarum quondam in aliquo templo spectaculum, circumdedit; de columnis auro ornatis saltem impensæ causa factis, & quæ alia erant luxus spectacula.

Balneorum erant certa membra & partes; quod ex Plinio, Vitruvio, Sidonio, Celso, Galeno, Palladio, Columella, aliisque, tum ex Icone Thermarum Diocletianarum apud Baccium *l. 7. c.* 5. cognoscere integrum est. Primum membrum dicebatur Apodyterium, cujus meminit Plinius *l.*5. *ep.*6. & Cicero *ad Quinctum Fratrem*: ubi ingressuri ad balneas deponebant vestes; appellabatur etiam Tepidarium, unde Celsus lib. 1. cap. 4. *de Med.* refert, *solitos primum paululum in Tepidario sudare sub veste, & tum transire in Calidarium*; in quod etiam loti ex Frigidario revertebantur, ut abstergerentur & uncti vestibus se iterum induerent. Ex Tepidario hoc descendebant in Caldarium, ubi sudabant, & in calidam aquam se immergebant. Unde dicitur *Sudatorium* Senecæ. Item *Laconicum*, quod Lacones hunc ritum primum instituerunt teste Plutarcho in *Alcibiadis Atheniensis Vita*. Quanquam alii balneum Laconicum distinguant a Caldario, ut Galenus, &c. quibus Caldarii vox specialius accipitur, non pro toto membro, sed pro piscina seu baptisterio calida aqua redundante, quæ erat in hac parte, ob quam Sidonio cella aquarum coctilium dicta est, *lib.* 2. *ep.* 2. *Hinc aquarum surgit sella coctilium, ubi & vis ferventis undæ per parietem foraminatum flexilis plumbi meatibus implicita singultat.* Idem appellat *conclave succensum*. Nam succendi dicebantur balneæ, & subjacebat fornax [1], quæ succendebatur, & calorem per fistulas & tubulos, qui alibi in Jure cuniculi appellantur, immittebant succenso, *l.* 15. *ff de leg. & fideicom. leg.* 13. *ff. de serv. præd. urb. l.* 58. *ff. locat.* & *l.* 8. *§. ult. ff. si serv. vind.* & Seneca *ep.* 90. confer. l. 3. *Nat. Quæst.* cap. 24. & Vitruvium *l.* 5. *c.* 10. Huc facit, quando in codicibus Juris fit mentio lignorum ad usum balneorum; jumentorum, quibus ista ligna deferuntur; mancipum thermarum, qui subvectionem lignorum curabant; calefactorum; item quod calefactio balnearum inter munera personalia censetur, quæ JCtis cognita sunt. Post sudorem emissum in Caldario in Frigidarium se recipiebant, quæ Plinio est cella frigidaria, *lib.* 5. *ep.* 6. aliis dicitur piscina: nam vox piscinæ non tantum notat vivarium in quo aluntur pisces, sed etiam labrum dicitur piscina; quod Plinius, ni fallor, me docuit *l. c. Cubiculum despicit ante piscinam, quæ fenestris servit ac subjacet, strepitu visuque jucunda: nam ex edito desiliens aqua, suscepta, marmore albescit.* Hisce receptaculum aquæ ex marmore factum appellat piscinam. Porro piscina ponitur pro balneo; Plinius piscina calida pro balneo calido, & Senecæ sunt piscinæ sæpius balnea *ep.* 86. Accipitur etiam specialiter pro Frigidario, ita apud Palladium lib. 1. *de R. R.* t. 39. Piscinales cellæ sunt cellæ frigidariæ balnei, confer. Sidon. *Carm.* 19. Denique etiam piscina appellabatur quicunque alveus, in quo natare solebant privatim, vel in Villis vel in ædibus; quod non ex uno loco Ciceronis, Plinii, aliorumque ostendi posset. Plinius *l.* 5. *ep.* 6. *excipit cella frigidaria, in qua baptisterium amplum atque opacum. Si natare elatius aut tepidius velis, in area piscina est, in proximo puteus, ex quo possis rursus adstringi.* In frigidaria hac cella morabantur, & aqua frigida perfundebantur, & sæpe quasi cataclysmo, vid. Cæl. Aurel. l. 1. *Chron.* cap. 1. ut corpus & cutem adstringerent: credebant enim calorem dissolvere, frigus adstringere. Sidonius *Carm.* 19. quod in piscinam fecit:

Intrate algentes post balnea torrida fluctus,
Ut solidet calidam frigore lympha cutem.

Item Martialis *l.* 1. *ep.* 50.

Tepida natabis lene Congedi vada,
Mollesque Nympharum lacus,
Quibus remissum corpus adstringas brevi
Salone, qui ferrum gelat.

Erant magnifice exstructæ frigidariæ: Sidonius: *Hinc frigidaria dilatatur, quæ piscinas publicis operibus exstructas non impudenter æmularetur.* Seneca *ep.*86. quod Thasio lapide pretioso piscinæ fuerint exornatæ. Plinius *ep.*17. *lib.* 2. ita structuram intra parietes describit: *Inde balinei cella frigidaria spatiosa & effusa, cujus in contrariis parietibus duo baptisteria velut ejecta sinuantur, abunde capacia, si innare in proximo cogites.* Confer. *lib.*5. *ep* 6. & prolixam cellæ frigidariæ descriptionem dedit Sidonius *lib.*2. *ep.* 2. quam non exscribemus totam, quia prolixior; eam modo partem hic proferam, quæ baptisterium delineat. „ Huic Basilicæ „ (id est frigidariæ) appendix piscina forinsecus, seu si græcari mavis, baptisterium ab „ Oriente complectitur, quod viginti circiter „ modiorum millia capit. Huic elutis e calore „ venientibus triplex medii parietis aditus per „ arcuata intervalla reseratur. Nec pilæ sunt „ mediæ, sed columnæ, quas Architecti peritiores ædificiorum purpuras nuncupavere. In „ hanc ergo piscinam fluvium de supercilio „ montis elicitum canalibusque circumactis per „ exteriora natatoriæ latera curvatum, sex fistulæ prominentes, leonum simulatis capitibus effundunt, quæ temere ingressis veras „ dentium crates, veros oculorum furores, certas cervicum jubas imaginabuntur. Hic si „ dominum seu domestica seu hospitalis turba „ circumstet, quia præ strepitu caduci fluminis „ mutuæ vocum vices minus intelliguntur, in „ aurem sibi populus confabulatur. Ita sonitu „ pressus alieno, ridiculum affectat publicus „ sermo secretum. Hactenus Sidonius describens baptisterium, quod etiam piscinæ nomen habebat: & hinc puto factum esse, quod frigidaria cella piscina vel piscinalis diceretur, quia piscinas & baptisteria comprehendebat. Hisce membris adjungit Plinius Sphæristerium *l* 5. *ep* 6. cujus etiam meminit *Ulpianus l.* 16. *ff. mandati*: *Si aurelius Quietus mandaverit Medico, ut in hortis ejus, quos Ravennæ habebat, in quos omnibus annis secedere solebat, Sphæristerium & hypocaustum, & quædam ipsius valetudini apta, sua impensa faceret,* &c. Monendus hic erit Lector, ut observet in Historia Romana, ab initio exercuisse corpora variis motibus, cum Thermæ nullæ essent: introducto autem Thermarum usu, cum peritia Architecturæ magis elaborata vel cognita esset Romanis nox Thermæ ad exercitiorum loca exstructæ sunt. Sic Nero Neronianas suas juxta Agonalem Circum ob Ludos construxit, qui ibi ce-

[1] De constructione fornacis vid. Constantinum l. 2. c. 3 de gric. Vitruvium & alios.

lebrantur. Et Titus Vespasianus, dedicato Amphitheatro, Thermas celeriter exstrui jussit, ad Amphitheatri & exercitiorum, quæ in eo fiebant, commoditatem. Donec tandem more Græcorum Thermæ cum Palæstris conjungerentur, & pars balnei fieret Sphæristerium. Erat locus rotundus, quod ex Plinio constat *lib.* 5. *ep.*6. *Apodyterio superpositum est Sphæristerium, quod plura genera exercitationis, pluresque circulos capit.* Probatur etiam ex nominis ratione, dictum enim videtur a sphærica figura; nisi eorum probare malles opinionem, qui a pila, quam Græci σφαῖραν dicunt, derivant. Hic locus erat multis palæstris & exercitiis destinatus, quod Plinius nobis indicavit. Quanquam Ælius Lampridius in *Vita Alexandri Severi* videatur locum, quo pila ludebatur, dixisse Sphæristerium; *Post lectionem operam palæstræ & Sphæristerio, aut cursui, aut luctaminibus mollioribus dabat.* Et Suetonius *tepidarium* dixit Sphæristerium, c.20. *Vitæ Vespasiani.* Non enim affirmare ausim, Suetonium intellexisse locum palæstrarum, qui nunquam legi, quod Veteres se in Sphæristerio fricarint. Cætera quæ de balneorum structura & ornatu dicenda forent, ex illis quæ de cubiculis in genere dicta sunt, cognoscentur. Nam & camerata (ut ex Cælio Aurel. l.3. *acut morb.* cap. 17. liquet, *in balnei fornice, quam appellant achicolum sive cameram)* & picturis, marmore, vitro, &c. lautissime erant exornata. Et ut absolvam, balnearum aliæ in Villis erant rusticanæ, in quibus familia, ut inquit Columella & ex eo Palladius, feriatis saltem diebus lavaretur, neque enim frequentem earum usum robori corporis operariorum conducere credebant.

Tandem spectabimus in Villarum structura loca sanctiora, qualia sunt monumenta inhumatorum, & delubra deorum. Ponebant in Villis & Secessu diis aras, exstruebant in ipsorum cultum templa, & faciebant sacra: ejus rei testem habeo Martialem *lib.*10. *ep.*92. quo Mario rusculum suum Nomentanum commendat, una cum diis & sacris, præscribitque formulam, qua diis sacrificans pro se intercedere debeat:

Ubicunque noster Martialis est, dices,
*Hæc * ecce mecum dextera litat vobis*
Absens sacerdos; vos putate præsentem,
Et date duobus quicquid alter optarit.

Idem illud ex Plinio confirmatur, quando *l.*9. *ep.*39. in Villa Cereri ædem exstruxisse legimus. Et Cicero de Villa loquitur lib.13. *ad Atticum* ep. 29. *Ad id autem quod volumus* ἀφίδρυμα *nihil aptius videtur quam lucus, quem ego noram, sed celebritatem nullam tum habebat, nunc audio maximam.* Sed & in Villis fuisse inhumatos dubium nullum est. Scipio Africanus conditus est sepulchro in Villa sua, & draconem ibidem custodivisse ejus manes finxerunt, Plin. *lib.*16. *c.*44. Mart. *l.*5. *ep.*3. & Hadrianus Imperator in Villa Ciceronis Puteolis est compositus, additumque ab Antoninis in honorem ipsius templum, referente Ælio Spartiano in *ejus Vita.* Conferantur *epigrammata* Martialis 115. & 116.*l.*1. & *lib.* 10. *ep.*43.

* Alii, *Hac.*

CAPUT VIII.

Gestationum & ambulationum spatia contemplatur.

AMBULASSE Veteres quotidie sanitatis causa narravimus libro super. nunc spatia in quibus deambularunt, quæ Ambulationes item Gestationes dicta sunt, describenda veniunt. Aliæ vero gestationum flectebantur in circum, aliæ tendebant vel exporrigebantur in directum. Plinius *lib.* 9. *ep.* 7. de duabus Villis suis: *In altera recta gestatio longo limite super littus extenditur, in altera spatiosissimo Xysto leviter inflectebatur.* De hoc testantur antiquæ Inscriptiones:

GESTATIO. CIRCINI. EXTERIOR. A. DIÆTA. APOLLINIS. AD.DIÆTAM.EANDEM.IN.CIRCVITV.P.DCCLXXVII.EFFICIT. VIII. M. P.II. ET. P. CXV. E. XLVII. M. P.XII. ET. P. XVIII. GESTATIO.INTERIOR.A. DIÆTA. EANDEM. IN. CIRCVIT. P. ϴ. EFF. V. P. LX. M. P. XIII.

Altera Inscriptio apud Lipsium exstat:

IN. HOC.POMARIO.GESTATIONIS. PER. CIRCVITVM. QVINQVIENS. EFFICIT. PASSVS. MILLE.

Et hæ gestationes circulares, ut ex Inscriptionibus atque Plinii Epistolis liquet, erant vel exteriores, vel interiores; illæ latiori circuitu, hæ angustiori constabant. Deinde & hoc ex Auctoribus dicendum. Gestationes alias fuisse subdiales & apertas, alias clausas & opertas tectis. De illis loquitur textus *legis* 13.*§*.4.*ff.de usufruct. &c. Si forte voluptarium fuerit prædium, viridaria vel gestationes vel deambulationes, arboribus infructuosis opacas atque amœnas habens, non debet dejicere, ut forte hortos olitorios faciat, vel aliud quid quod ad reditum spectat*, id est, vel vineam vel olivetum. Ex quibus liquidum est cognoscere, fuisse ambulationes loca subdialia, opaca tamen inflexis arboribus & viridariis. (forte cupressis fuerunt multum vestitæ, quod colligi potest *ex l.*16. *§.*1. *ff. Quod vi aut clam)* Erat Romæ subdialis Liviæ vel Claudiæ porticus, quam vitis inumbrabat: refert id Plinius *lib.*14. *c.*1. *Una vitis Romæ in Liviæ porticibus subdiales ambulationes umbrosis pergulis opacat.* De qua etiam Martialis *l.*1. sive *de Spectac. ep.*2.

Claudia diffusas ubi porticus explicat umbras.

Idem ex Plinio demonstrari posset, sed prius dicturus sum de clausis & opertis, quam Plinii verba adscribam. Clausæ ambulationes & gestationes erant in porticibus. Martialis de Villa Reguli *l.* 1. *ep.*13.

Hic rudis æstivas præstabat porticus umbras,
Heu quam pene novum porticus ausa nefas!
Nam subito collapsa ruit, cum mole sub illa
Gestatus bijugis Regulus esset equis.

Et Juvenalis *Satyr.* 4.

Quid refert igitur quantis jumenta fatiget
Porticibus? Quanta nemorum vectetur in umbra.

Cicero l.13. ep.29. *ad Atticum* de ambulatione tecta: „ Tecta igitur ambulatiuncula addenda „ est, quam ut tantam faciamus, quantam in „ Tusculano fecimus, prope dimidio minoris „ constabit isto loco. Et alibi in Epistolis meminit ambulationis in porticu Europæ. Erant Porticus loca tectis munita & in eum finem exstructa, ut se contra imbres, tempestates & Solis æstum in illas reciperent. Quod liquet ex Vitruvio, qui l.5. *de Architect.* c.9. „ Post scenam, *inquit*, porticus sunt constituendæ, „ uti cum imbres repentini ludos interpellave- „ rint, habeat populus quo se recipiat ex thea- „ tro. Eandem ob causam cum Plinius in Prædiis suis ædem Cereris reficere in melius & majus instituisset, decrevit addere porticus, tanquam suffugium imbris & Solis, quo se homines ad sacra accurrentes tuto reciperent, *lib.*9. *ep.* 39. Adde *lib.*5. *ep.*6. & *lib.*2. *ep.* 17. Hæ porticus eleganter politis columnis, pro more Romanorum, erant instructæ & superimpositæ. Cic. lib.3. ep.1. *ad Quinctum Fratrem*: „ Vil- „ la mihi valde placuit, propterea quod sum- „ mam dignitatem pavimentata porticus ha- „ bebat: quod mihi denique apparuit, postea- „ quam & ipsa tota patet, & columnæ poli- „ tæ sunt. Pavimentatam fuisse porticum subindicat Cicero; idem refert Vitruvius l. 6. c. 8. *Architect.* „ Ruri, *inquit*, pseudo-urbanis sta- „ tim peristylia, deinde tunc atria habentia „ circum porticus pavimentatas. Magnum pretium porticus erat in longitudine, unde Poetæ semper illud epitheton apponunt. Virgilius;

Porticibus longis fugit ac vacua atria lustrat.

Conf. Barth. l. 44. *Adversf.* c. 15. Erant conclavibus instructæ. Cic. lib.1. *ad Quinctum Fratrem* ep.9. *Imprimis inferior porticus & ejus conclavia fiunt recte.* Sed de porticibus milliariis, stadiariis, subterraneis, simplici, duplici ordine columnarum exstructis, & quæ huc spectant, vid. apud Lucium Faunum in explicatione * Porticus Octaviæ, ubi nunc est fanum Divæ Mariæ in porticu, Illud saltem addam, porticus & ambulationes dedicatas & consecratas adeoque sacras fuisse. Plinius *l.* 5. *ep.* 12. „ Accepi litteras tuas, quibus cognovi specio- „ sissimam te porticum sub tuo filiique tui „ nomine dedicasse. Cicero clarius *Orat.*29.*pro domo sua* §.121. „ Postem teneri in dedicatione „ oportere videor audisse templi. Ibi enim postis „ est, ubi templi aditus est, & valvæ. Am- „ bulationis postes nemo unquam tenuit in de- „ dicando, &c. Sed nec hoc forsan prætermittendum, non omnem porticum opere lateritio vel cæmentitio tectam fuisse, sed eam quoque dici porticum, quæ confertis inter se & reflexis arborum fruticumque ramis tegitur, seu, ut Cyprianus epistola ad Donatum, *vitea* vocatur *porticus*. Dicitur etiam porticus apud Plinium & Sidonium *Hypodromus*, ita scribo, non Hippodromus. Placet namque nota Sirmondi *ad Sidonii l.* 2. *ep.* 2. „ Mendose vulgati exhibent

A „ Hippodromum, [1] id est, Circum: non enim „ Circum intelligit, qui quorsum in ædium ve- „ stibulo, aut quid habet cum cryptoporticu „ commune? sed tectam ut dixit longitudinem, „ & clausum undiquaque deambulacrum: qua- „ lia sunt in vestibulis magnatum, aut qualia „ quæ stadia opaca vocat Tertullianus in libello „ ad Martyres. Hypodromus autem ex eo di- „ ctus, quod sub eo incedatur; sicut peridromus „ in Xysto hypæthra ambulatio a circumitu, „ & diadromis a transitu, balnei membrum in „ Hippia Luciani. Sic Sirmondus optime de
B Hypodromo, atque corrigit communem scriptionem Plinii, ostenditque inepte legi Hippodromo pro Hypodromo. De Xysto etiam dicendum foret, sed quoniam brevitati studendum, remittimus Lectorem ad Clarissimi Buchneri *Notas in Plinium*, Donatum *in Suetonium*, Salmasium *in Tertullianum de Pallio*, Vitruvium, aliosque. Despiciamus de eo potius, quomodo hasce deambulationes multa amœnitate arborum, plantarum, & variorum emblematum ex buxo efformatorum, vel opere topiario vestiverint; quod Plinius Junior potissimum nobis tradidit, cujus verbis melioris perspicuitatis ergo,
C quædam ex Plinii Senioris lib.16. *H. N.* cap. 33. præmittimus: *Trabiturque etiam in picturas opere historiali venatus, classesve, & imagines rerum tenui folio, brevique & virenti supervestiens.* Loquitur de cupresso, cujus ramos ita inflectere & colligare poterant, ut varias figuras referrent, & hæ erant non invenustum ambulationum ornamentum. Plinius *l.*5. *ep.* 6. „ Ante „ porticum Xystus concisus in plurimas species „ distinctusque buxo, demissus inde pronusque „ pulvinus, cui bestiarum effigies invicem ad- „ versas buxus inscripsit. Acanthus in plano „ mollis, & pene dixerim liquidus: ambit hunc
D „ ambulatio pressis varieque tonsis viridibus: „ inclusa ab his gestatio in modum Circi, quæ „ buxum multiformem, humilesque & reton- „ sos manu arbusculos circumit. Idem ipse Plinius *l.* 2. *ep.* 17. refert, quod gestationes hortos circulares incluserint ambitu suo, vel etiam vineas habuerint adjacentes, aut sylvas, roseta, aliaque ad amœnam voluptatem composita: verba legantur apud Auctorem. Non incommode hic citabitur Ciceronis locus lib. 1. *de LL.* §.15. „ Visne igitur ut ille Cre- „ tæ cum Clinea & cum Lacedæmonio Me-
E „ gillo, æstivo quemadmodum describit die „ in cupressetis Cnosiorum, & spatiis silvestri- „ bus crebro insistens, interdum acquiescens „ de institutis rerum publicarum, ac de opti- „ mis legibus disputat: sic nos inter has pro- „ cerissimas populos, in viridi opacaque ripa „ inambulantes, tum autem residentes, quæ- „ ramus iisdem de rebus aliquid uberius, quam „ forensis usus desiderat. Quibus indicat Orator, Veteres in viridibus, amœnis, & valde umbrosis locis ambulacra instituisse; atque ibidem de rebus gravissimis inter deambulandum differuisse, disputasse, atque sermonibus con-
F tulisse. Vel si quæ secreta amico essent committenda, animusque explendus doloribus ad amici aures, servabant ea deambulationibus, atque in ambulacris apud familiares deponebant, quod Cicero alibi subindicat, lib. 2. ep.12. *Famil. Cum una me hercule ambulatiuncula*

* Quam vide sup. pag.250. 251.

1 Respicit ad verba Sidonii, a parte vestibuli longitudo tecta intrinsecus patet, mediis non interpellata parietibus, quæ quia nonnihil ipsa prospectat, etsi non hypodromus, saltem cryptoporticus meo mihi jure vocabitur.

atque uno sermone nostro omnes fructus Provinciæ non confero. Et l. 1. *ad Attic.* ep. 15. *Multa sunt enim quæ me sollicitant, anguntque, quæ mihi videor aures nactus tuas, unius* AMBULATIONIS SERMONE *exhaurire posse*. Quibus tam Commentariolo huic nostro, quam Capiti præsenti finem imponimus. Fuit quidem in animo extendere partim libri secundi filum latius atque nonnulla, quæ partem Villæ rusticam, nec non frumentariam, & quæ circa Villam sunt, illustrassent, attexere; partim A de toto argumento libros quatuor consignare, quorum tertius de supellectile & instructu Villæ, quartus in specie de ministerio rustico fuisset. Sed nunc deponendus est calamus, & abstrahendus hisce animus, quem alia negotia severiora sibi revocant. Si hæc boni consules, benevole Lector, & pinguius majusque otium nonnunquam suppetierit, non modo ea quæ nunc scripsimus limatius elaborata aliquando conspicies, sed etiam alteram partem Tibi pollicemur.

F I N I S.

SOLI DEO GLORIA.



ALDI MANUTII,

PAULI F. ALDI N.

DISSERTATIUNCULÆ EPISTOLICÆ,

I. DE REATINA URBE, AGROQUE, SABINAQUE GENTE.
II. DE AQUIS IN URBEM ROMAM OLIM INFLUENTIBUS.
III. DE RATIONE INTERKALANDI.
IV. DE ACCUMBENDI ET COMEDENDI RATIONE.
V. DE CONVIVIO TEMPESTIVO, SEU INTEMPESTIVO.
VI. DE AUSPICIIS.
VII. DE TRABEA.
VIII. DE SUBSELLIIS.
IX. DE SIGNO ET STATUA.
X. DE PARMA, CLYPEO, SCUTO, PELTA, ANCILE.
XI. DE PRIMIPILO.
XII. DE DRACHMIS.
XIII. DE SESTERTIIS.

ALDI MANUTII, PAULI F. ALDI N.

DISSERTATIUNCULA I.

DE REATINA URBE, AGROQUE, SABINAQUE GENTE,

AD M. ANTONIUM AMULIUM CARDINALEM.



SAepe audio de parente meo, cum dicat se tibi debere plurimum, non eo tantum nomine, quod ad exornandam augendamque virtutem, quam deformavit magna ex parte, atque imminuit temporum iniquitas, assidue totus incumbas; verum etiam, quod ipsum præcipua quadam humanitate sis complexus, officiisque quotidie quibus potes, (potes autem plurimis) ita tuearis, ut sibi maximum in patrocinio tuo præsidium atque ornamentum esse constitutum intelligat: &, quoniam tua in illum merita ad me quoque pertinent, fovet enim simul, atque alit & patris industriam, & studia mea, benignitas tua; ideo decrevi ex iis studiis, quæ a te sustentari video, si quos fructus percipiam, eos ad te, tamquam tibi debitos, mittere: qui si neque uberes, neque suam assecuti maturitatem videbuntur; peto a te, ne mihi vitio vertas, neve hoc meum præproperum officium condemnes, verum nimia quadam indicandæ tibi singularis observantiæ nostræ cupiditate excuses; nihil exiguum videri potest, cum optima voluntate conjunctum: &, quam ætas mihi nunc facultatem negat, dies afferet, ut spero: labori enim & operæ non parcam, ut in tuis laudibus prædicandis, quod onus præsentes ingenii mei vires non ferrent, aliquando mihi satisfaciam. Interim ad te mitto Reatinæ Urbis, Agrique, Sabinæque Gentis descriptionem: quæ ideo collegi, ut, quoniam, creatus ejus Civitatis Episcopus, ad curam tui muneris aliquando accedere cogitares, quod Reatini omnes, eximia tuarum virtutum fama commoti, vehementer exoptant, ad summum tuum in illam Civitatem studium, si fieri posset, aliquid adderes; cum eam & vetustate & multis rebus admodum insignem cognosceres.

Ac primum de Sabinorum Regione sic Strabo *Geographiæ* lib. v. Ἀνέχουσι πρὸς τὰ Ἀπέννινα ὄρη, τὰ πλησιάζοντα τῷ Ἀδρίᾳ, πρῶτοι μὲν Ὀμβρικοὶ, μετὰ δὲ τούτους Σαβῖνοι, τελευταῖοι δ' οἱ τὴν Λατίνην ἔχοντες. *Sursum tendunt usque ad Apennini partes Adriæ appropinquantes, primi Umbri, ab his Sabini, & postremo loco Latini.* Et paulo post: Ἡ Σαβίνη μεταξὺ τῶν Λατίνων κεῖται, καὶ τῶν Ὀμβρικῶν· ἐκτείνεται δὲ καὶ αὐτὴ πρὸς τὰ Σαμνιτικὰ ὄρη, καὶ μᾶλλον συνάπτει τοῖς Ἀπεννίνοις τοῖς κατὰ Οὐεστίνους τε, καὶ Πελίγνους, καὶ Μάρσους. *Sabinorum regio interjecta Latinis & Umbris; extenditurque & ipsa usque ad montes Samniticos, magis tamen accedit ad Apennini eas partes, quæ sunt vicinæ Vestinis, Pelignis, &* [A] *Marsis.* Et infra: Σαβῖνοι στενὴν οἰκοῦσι χώραν, ἐπὶ μῆκος δὲ διήκουσαν καὶ χιλίων σταδίων ἀπὸ τοῦ Τιβέρεος, καὶ Νωμέντου πολίχνης, μέχρις Οὐεστίνων· πόλεις δ' ἔχουσιν ὀλίγας, καὶ τεταπεινωμένας, διὰ τοὺς συνεχεῖς πολέμους, Ἀμίτερνον, καὶ Ῥεάτε ᾧ πλησιάζει κώμη Ἰντεροκρέα, καὶ τὰ ἐν Κοτιλίαις ψυχρὰ ὕδατα, ἀφ' ὧν καὶ πίνουσι, καὶ ἐγκαθίζοντες θεραπεύουσι νόσους. Σαβίνων δ' εἰσὶ καὶ οἱ Φόρουλοι, πέτραι πρὸς ἀπόστασιν μᾶλλον, ἢ κατοικίαν, εὐφυεῖς. Κύρεις δὲ νῦν μὲν κώμιόν ἐστιν, ἦν δὲ πόλις ἐπίσημος, ἐξ ἧς ὡρμήθησαν οἱ τῆς Ῥώμης βασιλεύσαντες, Τῖτος Τάτιος, καὶ Νουμᾶς Πομπίλιος· ἐντεῦθεν δὲ καὶ Κυρίτας ὀνομάζουσιν οἱ δημηγοροῦντες τοὺς Ῥωμαίους. Τρήβουλά τε, καὶ Ἤρητον, καὶ ἄλλαι κατοικίαι τοιαῦται, κῶμαι μᾶλλον ἢ πόλεις [B] ἐξετάζοιντ' ἄν. Ἅπασα δ' αὐτῶν ἡ γῆ διαφερόντως ἐλαιόφυτός ἐστι καὶ ἀμπελόφυτος, βάλανόν τε ἐκφέρει πολλήν, σπουδαία δὲ καὶ βοσκήμασι τοῖς τε ἄλλοις· καὶ δὴ τὸ τῶν ἡμιόνων γένος τὸ Ῥεατίνων διωνόμασται θαυμαστῶς ..... ἔστι δὲ καὶ παλαιότατον γένος οἱ Σαβῖνοι, καὶ αὐτόχθονες. τούτων δ' ἄποικοι Πικεντῖνοί τε καὶ Σαμνῖται .... Τὴν δ' ἀρχαιότητα τεκμήριον ἄν τις ποιήσαιτο ἀνδρείας καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς, ἀφ' ἧς ἀντέσχον μέχρι πρὸς τὸν παρόντα χρόνον. Φησὶ δ' ὁ συγγραφεὺς Φάβιος, Ῥωμαίους αἰσθέσθαι τοῦ πλούτου τότε πρῶτον, ὅτε τοῦ ἔθνους τούτου κατέστησαν κύριοι. Ἔστρωται δὲ δι' αὐτῶν, ἥ τε Σαλαρία ὁδὸς οὐ πολλὴ οὖσα, εἰς ἣν καὶ ἡ Νωμεντάνη συμπίπτει, κατὰ Ἤρητον, τῆς Σαβίνης κώμην, [C] ὑπὲρ τοῦ Τιβέρεος κειμένην, ὑπὲρ τῆς αὐτῆς Πύλης ἀρχομένη τῆς Κολλίνης. *Sabini angustam incolunt regionem, in longum ad* CIↃ. *stadia porrectam a Tiberi & Nomento oppido usque ad Vestinos: urbes habent paucas, easque continentibus bellis attritas, Amiternum, Reate, cui vicinum est oppidum Interocrea, & aquæ frigidæ ad Cutilias, quas bibunt, & iis insidentes morbis medentur. Sunt etiam Foruli Sabinorum, saxa ad rebellionem, quam habitationem aptiora. Cures nunc viculus est, quondam urbs illustris, ex qua orti sunt T. Tatius & Numa Pompilius Romæ regno potiti: unde qui Populum Romanum affantur, Quirites appellant. Præterea Trebula, & Eretum,* [D] *aliaque id genus domicilia, pagis potius quam urbibus annumeranda. Tota Sabinorum regio egregie ferax est olearum ac vitium, multumque fert glandis, ac pecori producendo opportuna est: præsertim vero Reatini muli laudantur mirum in modum ..... Antiquissima gens est Sabinorum, indigenarum nimirum; ab his sunt Picentini & Samnitæ .... Vetustatem eorum licet sumere pro argumento fortitudinis ac virtutis eorum, qua freti ad hoc usque tempus perdurarunt. Fabius historiæ scriptor inquit, tunc demum Romanos sensisse divitias, cum eam gentem sibi subjecissent. Strata est per Sabinos Via Salaria non longa, in quam Nomentana incidit apud Eretum Sa-*

A
binorum vicum supra Tiberim, ab eadem Porta incipiens Collina. Interocrea vero, cujus a Strabone mentio fit, oppidum fuit, non longe a Reate, ut ex Antonini *Itinerario* cognoscitur: licet in omnibus Libris impressis, etiam in illo, quem proavus meus, Andreas Asulanus, edidit, mendose legatur, *Interocrio*. Virgilius quoque, cujus versus apponam, *lib*. VII. nominat Amiternum, Heretum, Mutuescas, Nomentum, Casperiam, Forulos, Roseam agrum, Velinum lacum, Tetricum, & Severum montes, flumen Himellam: quo loco & vetustatem gentis indicat:

B
Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar,
Claudia nunc a quo diffunditur & tribus, & gens,
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis
Una ingens Amiterna cohors, priscique Quirites,
Hereti manus omnis, oliviferæque Mutuescæ,
Qui Nomentum urbem, qui Rosea rura Velini,
Qui Tetricæ horrentes rupes, montemque Severum,
Casperiamque colunt, Forulosque & flumen Himellæ.

C
Probitatis vero fama ita Sabini homines floruere, ut eis omnia tuto committi posse viderentur: itaque Cicero in quadam *ad Trebonium epistola* * ita scripsit: „Oratorem meum Sabino tuo commendavi. „Natio me hominis impulit, ut ei recte putarem: „nisi forte Candidatorum licentia hic quoque „usus, hoc subito cognomen arripuit. Etsi mo„destus ejus vultus, sermoque constans habere „quiddam a Curibus videbatur. Nimirum & Virgilius ad integritatem spectavit, cum dixit lib. VIII. *Curibusque severis*. Et Statius *Silv*. lib. IV. *Curibusque vetustis*.
D
Et Horatius, *rigidos Sabinos*; Ovidius, *tetricas Sabinas* vocavit, & alio loco *incultas*: quod est indicium pudicitiæ: coluntur enim eæ, quæ placere cupiunt; qua de re sic Horatius *Epodon* Ode 2.

Quod si pudica mulier in partem juvet
Domum, atque dulces liberos,
Sabina qualis, aut perusta solibus
Pernicis uxor Appuli.

Et Juvenalis *Sat*. x.

—— sanctos licet horrida mores
E
Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinas.

Item Martialis *lib*. 1. *epigr*. 63.

Casta nec antiquis cedens Lævina Sabinis,
Et quamvis tetrico tristior ipsa viro &c.

Quid religio? ubi culta diligentius? de quo Plinius: „Sabini, inquit †, ut quidam existimavere; „a religione & cultu deorum, Sevini appellati; „Velinos accolunt lacus, roscidis collibus: Nar „amnis exhaurit illos sulfureis aquis; Tiberim ex „his petens replet, e monte Fiscello labens,
F
juxta Vacunæ nemora, & Reate in eosdem conditus. Respiciens ad illud Virgilii *lib*. VII.

———— audiit amnis
Sulfurea Nar albus aqua, fontesque Velini.

In quo illud Ennii Virgilius est imitatus, VI. *Annalium*, apud Priscianum lib. x.
Sulfureas posuit spiramina Naris ad undas.

* Ea est 20. lib. 15. † Lib. 3. Hist. Nat. cap. 12.

Plinius autem, cum dixit, *quidam existimavere*, Varronem videtur indicare: quod ex Festo cognoscitur: quamquam originem nominis alio retulit Porcius Cato, ut ait Dionysius Halicarnasseus *lib*. 2. in quo hæc sunt: Κάτων δὲ Πόρκιος τὸ μὲν ὄνομα τῷ Σαβίνων ἔθνει τεθῆναί φησιν ἐπὶ Σαβίνου τοῦ Σάγκου, δαίμονος ἐπιχωρίου· τοῦτον δὲ τὸν Σάγκον ὑπό τινων Πίστιον καλεῖσθαι Δία. *Scripsit Cato, Sabinorum gentem esse nominatam a Sabino, filio Sangi, dei gentilis, qui & Pistius dictus est*. Livius autem Sabinis optimam disciplinam tribuit: ait enim de Numa *: „Suopte ingenio temperatum animum „virtutibus fuisse opinor magis, instructumque „non tam peregrinis artibus, quam disciplina te„trica ac tristi veterum Sabinorum: quo genere „nullum quondam incorruptius fuit. Ad hanc laudem accessit militiæ gloria: itaque Virgilius de Italia sic, lib. 2. *Georg*.

Hæc genus acre virum; Marsos, pubemque Sabellam
Extulit.

Cicero etiam in *Oratione pro Ligario*: *Sabini*, inquit, *fortissimi viri, Cæsari probatissimi, totusque ager Sabinus, flos Italiæ, robur Reip*. Et a Livio acerrima Sabinorum cum Romanis bella, varia fortuna, exponuntur:

Nunc de Reatina urbe: quam ab Herculis comite conditam esse, opinio fuit: & Suetonius in *Vespasiano* †: „Mediocritatem, *ait*, pristinam neque „dissimulavit umquam, ac frequenter etiam præ „se tulit: quin & conantes quosdam originem „Flavii generis ad conditores Reatinos, comi„temque Herculis, cujus monumentum exstat „Via Salaria, referre, irrisit ultro. Id confirmat vetus Inscriptio, quæ est in templo D. Mariæ, Reate:

L O C
C V L T O R V M
H E R C V L I S R E S P
S V B. Q V A D R I G A
I N : F R : P : X X X
I N : A G R O : P : X X V
H V I C L O C O
Q . O C T A V I V S : C O M M V N
T : F V N D I L I V S . Q V A R T I O
I N . F R : P : X I I I I
I N . A G R O : P : X X V
D O N A V E R V N T

Et hi versus, qui sunt in ejusdem urbis foro:

S A N C T E
DE. DECVMA. VICTOR. TIBEI. LVCIVS MVNIVS. DONVM
MORIBVS. ANTIQVEIS. PRO. VSVRA HOC. DARE. SE SE
VISVM. ANIMO. SVO. PERFECIT. TVA PACE. ROGANS. TE
COGENDEI. DISSOLVENDEI. TV. VT. FACILIA. FAXSEIS
PERFICIAS. DECVMAM. VT. FACIAT. VERÆ. RATIONIS
PROQVE. HOC. ACQVE. ALIEIS. DONIS DES. DIGNA. MERENTI.

HUNC autem deum Martianus libro secundo *Nuptiarum* appellat Sancum, his verbis: „Ex duo„decima Sancus tantummodo advocatur. Lactan-

* Lib. 1. cap. 18. † Cap. 12.

tius vero *lib.* I. *cap.* 15. „ Privatim, *inquit*, singu- „ li populi gentis, aut urbis conditores, seu viri „ fortitudine insignes erant, seu feminæ castitate „ mirabiles, summa veneratione coluerunt; ut „ Ægyptii Isidem, Mauri Jubam, Macedones Ca- „ byrium, Pœni Vranum, Latini Faunum, Sa- „ bini Sancum, Romani Quirinum, Athenæ Mi- „ nervam, Samos Junonem, Paphos Venerem, „ Lemnos Vulcanum, Naxos Liberum, Apolli- „ nem Delphi. Et Festus: „ Proterviam fit sacrifi- „ cium, quod est proficiscendi gratia, Herculi aut „ Sanco, qui scilicet idem est deus. De eodem sic Ovidius lib. VI. *Fest.*

*Quærebam, Nonas Sancto *, Fidiove referrem,*
*An tibi, Semipater: tunc mihi Sanctus * ait:*
Cuicumque ex istis dederis, ego numen habebo:
Nomina terna fero: sic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini,
Inque Quirinali constituere jugo.

Et Varro *de Sermone Lat.* lib. IV. „ Ælius Gallus, „ Dius Fidius, dicebat, Dijovis filius, ut Græci „ *Διόσκορον* Castorem, & putabant hunc esse San- „ ctum ab Sabina Lingua, & Herculem ab Græca. Et Propertius eum pro Hercule agnoscit, cum ait †:

Sancte pater, salve, cui jam favet aspera Juno.

Et Silius *lib.* VIII.

Ibant, & læti pars Sanctum voce canebant
Auctorem gentis, pars laudes ore ferebant,
Sabe, tuas, qui de patrio cognomine primus,
Dixisti populos magna ditione Sabinos.

Et Plutarchus in *Caussis **, in Sancti templo statuam ait ex ære positam C. Cæciliæ, conjugis unius ex Tarquinii liberis. Et Dionysius lib. IV. ejus jurisjurandi, quod inter Tarquinios & Sabinos factum est, monumentum ait Romæ positum in templo Jovis Pistii, quem Romani Sanctum vocabant. D. Augustinus alio nomine appellat, si modo locus mendo vacat: ait enim lib. XVIII. *de Civit: Dei* cap. 19. „ Sabini Regem suum primum Xanthum, „ vel, ut aliqui appellant, Xanthium, retulerunt „ in deos. De eodem mentio in lapide, qui est in domo Gabrielis:

PATRI. REATINO. SACR
OB. HONOREM. AVGVSTOR
VI. VIRI. AVGVST.
T. BETVINVS. FELIX
:.LICINIVS. SVCCESSVS
:POMPONIVS. MODERATVS
ET. TIVS. MODERATVS
..:::::VS. HERMEROS
.::::VS. ACHORISTVS
L. D. D. D

Nomen suum Reatina urbs videtur sumsisse a Rhea Dea, id est, Cybele; cui etiam dicatam fuisse, ostendit Silius *lib.* VIII. in illo versu:

—— Magnæque Reate dicatum
Cælicolum matri

Rheam vero Cybelem fuisse, & Scriptor antiquus Cornutus, & Suidas perspicue demonstrant. Nobilitatur & Vespasiano Imperatore urbs Reate, in qua natus est: ait enim Suetonius *: „ Na- „ tus in Sabinis, ultra Reate, vico modico, cui „ nomen est Phalacrine, XV. Kal. Dec. vesperi. Et infra †: „ Cutilias ac Reatina rura, ubi æsti- „ vare quotannis solebat, petiit. Hic exstinctus „ est IX *. Kal. Julii, annum agens ætatis sexa- „ gesimum ac nonum, superque mensem ac diem „ septimum.

Accedunt lapidum antiquorum testimonia.

Ad D. Petri.

C. CARANTIO
VOLTINIA
VERECVNDO
VIENNAE. VETERANO
CHO. VII. PR. DEDVCTO
AB. DIVO. VESP. REATE. TI
CARANTIO. PHOEBO. ET
CARANTIAE. EPAENFIENI
LIB. POSTERISQ. SVIS
IN. AGRO. P. VI. IN. P. P. V.

Et ad D. Mauri.

DIS. M.
C. COMINIO. C
VETERANO. MI.
PR. MARTIALIS. MI
DEDVCTVS. REATE. A. DIVO
VESPASIANO. VIX. A
C. COMINIVS C.
SECVNDINVS. PATRI. BENEMEREN
C. COMINIA. C. L. F. C

Item in ædibus Petri Sylverii.

DIS. MANIBVS
C. IVLIO C. F.
LONGINO
DOMO. VOLTINIA
PHILIPPIS. MACEDO
NIA. VETERANVS
LEG. VIII. AVG. DEDVCTVS
AB. DIVO. AVGVSTO
VESPASIANO. QVIRIN
REATE
SE. VIVO. FECIT
SIBI
ET. IVLIAE. C. LIBERT
HELPIDI. CONIVGI. SVAE
ET. C. IVLIO. C. LIBERT. FELICI
ET. POSTERISQ. SVIS. FEC
ET. C. IVLIO. C. L. DECAMBRO
ET. IVLIAE. C. L. VENERIAE
ET. C. IVLIO. C. L. PROSDOXO

Neque solum Vespasiano Imperatore, sed Numa etiam Pompilio, qui, Curibus accersitus, Romæ secundus regnavit, jure Sabini gloriantur: de quo Virgilius *lib.* VI.

—— Primus qui legibus urbem
Fundabit, Curibus parvis, & paupere terra
Missus in imperium magnum.

* Leg. Sanco & Sancus, ut probat eruditiss. Heinsius Not. ad vers. 213.
† Lib. 4. eleg. 10.
* Sive in Quæst. Rom.

* In ejus Vita cap. 2.
† Cap. 24.
* Rep. VIII.

Varro autem *de Sermone Lat.* lib. IV. „ Quartæ, „ *inquit*, regionis Palatium, quod palantes cum „ Euandro venerunt; aut quod Palatini, qui & „ Aborigines, ex agro Reatino, qui appellatur „ Palatium, ibi consederunt. Cujus rei apud Dionysium quoque Halicarnasseum *lib.* I. mentio fit. Solinus vero, „ Palatium, *inquit*, nemo dubita- „ vit, quin Arcades habeat auctores: a quibus „ primum Palanteum oppidum constitutum; „ quod aliquandiu Aborigines habitaverunt, & „ propter incommodum vicinæ paludis, quam „ præterfluens Tiberis fecerat, profecti Reate, „ postmodum reliquerunt.

Reatina civitas in media fere Italia sita est: qua de re Plinius *lib.* III. *cap.* 12. „ In agro, *inquit*, „ Reatino Cutiliæ lacum, in quo fluctuet insula, „ Italiæ umbilicum esse, M. Varro tradit. Et Solinus *cap.* 7. „ Umbilicum, ut Varro tradit, in „ agro Reatino habet Italia. Qua in sententia videtur Virgilius fuisse, cum ait *lib.* VII.

Est locus Italiæ in medio, sub montibus altis,
Nobilis, & fama multis memoratus in oris,
Amsancti valles: densis hunc frondibus atrum
Urget utrimque latus nemoris, medioque fragosus
Dat sonitum saxis, & toto vertice torrens.

Nunc agri Reatini admiranda persequamur. Varro lib. IV. *de Sermone Lat.* „ A fontibus, & flumi- „ nibus & cæteris aquis, dei, ut Tiberinus a Ti- „ beri, & ab lacu Velino Velinia, & Nymphæ „ Commotiæ ad lacum Cutiliensium, a commotu, „ quod ibi insula in aqua commovetur. Plinius *lib.* III. *cap.* 12. „ In agro Reatino Cutiliæ la- „ cum, in quo fluctuet insula, Italiæ umbilicum „ esse, M. Varro tradit. Et *lib.* 2. *cap.* 94. „ Quæ- „ dam terræ ad ingressus tremunt, sicut in Ga- „ biensi agro, non procul Urbe Roma, jugera fer- „ me ducenta equitantium cursu, similiter in Rea- „ tino. Et eodem *libro*, *capite* sequenti, „ Quæ- „ dam insulæ semper fluctuant, sicut in agro Cæ- „ cubo, & eodem Reatino, Mutiensi, Stato- „ niensi: in Vadimonis lacu, & ad Cutilias aquas „ opaca silva, quæ nunquam die ac noctu eodem „ loco visitur. Et ibidem *cap.* 103. „ In Ciconum „ flumine, & in Piceno, lacu Velino lignum de- „ jectum, lapideo cortice obducitur. Ibidem, pau- „ lo post: „ In exitu paludis Reatinæ saxum cre- „ scit. Et ibidem: In Reatino fons Neminiæ ap- „ pellatus, alio atque alio loco exoritur, annonæ „ mutationem significans. Et *lib.* XXXI. *cap.* 2. „ Cicero, *inquit*, in Admirandis posuit, Reati- „ nis tantum paludibus ungulas jumentorum in- „ durari: quem Ciceronis locum cum significaret Isidorus, *Etymologiarum* lib. XIII. cap. 13. hæc ait: „ Reatinis paludibus jumentorum ungulas indu- „ rari, dicunt. Cutiliis aquis remedium tribuit Plinius *lib.* XXXI. *cap.* 2. ad medicinam stomachi, nervorum, universi denique corporis, his verbis: Cutiliæ, in Sabinis gelidissimæ, suctu quodam „ corpora invadunt, ut prope morsus videri pos- „ sit, aptissimæ stomacho, nervis, universo cor- „ pori. Et eodem *libro*, *cap.* 6. „ Bituminata, „ aut nitrosa, qualis Cutilia, utilis est bibendo, „ atque purgationibus. Et Celsus *lib.* IV. *cap.* 5 „ Consistere in frigidis medicatisque fontibus, qua- „ les Cutiliarum, Symbruinarumque sunt, salutare est. Quo in loco male quidam, *Subcutiliarum*; cum de Symbruinis mentio fit apud Tacitum *lib.* XI. & XIV. Et Vitruvius *lib.* VIII. *cap.* 3. „ Est, „ *inquit*, aquæ frigidæ genus nitrosum, uti Pin- „ næ, Vestinæ Cutiliis, aliisque locis similibus, „ quod potionibus depurgat, per alvumque tran- „ seundo etiam strenarum a * minuit tumores. Dio- „ nysius autem Halicarnasseus illustrem ac nobilem urbem appellat Cutiliam *lib.* I. quo loco & de lacu, & de insula mobili mentionem facit his verbis: Ἀπὸ δὲ σαδίων ἑβδομήκοντα Ῥεάτου Κοτυλία, πόλις ἐπιφανὴς, πρὸς ὄρει κειμένη· ἧς ἐςιν οὐ πρόσω λίμνη τεττάρων πλέθρων ἔχουσα τὴν διάςασιν, αὐθιγενοῦς πλήρης νάματος ἀποῤῥέοντος ἀεὶ, βάθος, ὡς λέγεται, ἄβυσσος· ταύτην ἔχουσάν τι θεοπρεπὲς, ἱερὰν τῆς Νίκης οἱ ἐπιχώριοι νομίζουσι, καὶ περιείρξαντες κύκλῳ σέμμασι, τοῦ μηδένα τῷ νάματι πελάζειν, ἄβατον φυλάσσουσιν, ὅτι μὴ καιροῖς τισι διετησίοις, ἐν οἷς ἱερὰ θύουσιν, ἃ νόμος, ἐπιβαίνοντες τῆς ἐν αὐτῇ νησίδος, οἷς ὅσιον· ἡ δὲ νῆσός ἐςι μὲν ὡσπερὰν πεντήκοντα ποδῶν τὴν διάμετρον, ὑπερανέςηκε δὲ τοῦ νάματος, οὐ πλεῖον ἢ ποδιαῖον ὕψος. ἀνίδρυτος δ᾽ ἐςὶ, καὶ περινήχεται πολλαχῆ, δινοῦντος αὐτὴν ἄλλοτε κατ᾽ ἄλλους τόπους τοῦ πνεύματος. χλόη δέ τις ἐν αὐτῇ φύεται βουτόμῳ προσεμφερὴς, καὶ θάμνοι τινὲς οὐ μεγάλοι, πρᾶγμα κρεῖττον λόγου τοῖς ἀθεάτοις ὧν ἡ φύσις δρᾷ, καὶ θαυμάτων οὐδενὸς δεύτερον. „ Septuagesimo a Reate stadio abest clara urbs „ Cutilia, monti apposita; & ab ea non longe la- „ cus quatuor jugerum magnitudine, nativis & „ perennibus fluentis plenus, immensæ profundi- „ tatis, ut perhibent: huic numen quoddam præ- „ sens, ipsumque Victoriæ sacrum indigenæ autu- „ mant: & circumquaque coronis cincto nemi- „ nem propinquare sinunt, inaccessosque servant „ ejus latices, nisi cum stata sacra post biennium „ recurrentia suo ritu faciunt, iis quibus fas est, „ in parvam ejus insulam conscendentibus: ea dia- „ metrum habet ferme quinquaginta pedum, nec „ plus quam pedem ex aquis eminet, instabilis & „ huc illuc plerumque fluitans, alio atque alio ven- „ tis eam impellentibus. In ea gramen quoddam „ provenit butomo *seu carici* simile, & dumi qui- „ dam non magni; res supra captum eorum qui „ naturæ contemplationum imperiti sunt, & nul- „ lo miraculo inferior. Idem *lib.* 2. sic: Κάτων δὲ Πόρκιος τὸ μὲν ὄνομα τῷ Σαβίνων ἔθνει τεθῆναί φησιν ἐπὶ Σαβίνου τοῦ Σάμου, δαίμονος ἐπιχωρίου· τοῦτον δὲ τὸν Σάμον ὑπό τινων Πίςενον καλεῖσθαι Δία· πρώτην δ᾽ αὐτῶν οἴκησιν ἀποφαίνει γενέσθαι κώμην τινὰ καλουμένην Τεςρίναν, ἀγχοῦ πόλεως Ἀμιτέρνης κειμένην, ἐξ ἧς ὁρμηθέντας τοὺς Σαβίνους εἰς τὴν Ῥεατίνην ἐμβαλεῖν, Ἀβοριγίνων ἅμα κατοικούντων, καὶ πόλιν αὐτῶν τὴν ἐπιφανεςάτην Κοτυλίαν πολέμῳ χειρωσαμένους κατασχεῖν· ἐκ δὲ τῆς Ῥεατίνης ἀποςείλαντας ἄλλας τὲ πόλεις κτίσαι πολλὰς, ἐν αἷς οἰκεῖν ἀτειχίςοις, καὶ δὴ καὶ τὰς προσαγορευομένας Κυρεῖς· χώραν δὲ κατασχεῖν τῆς μὲν Ἀδριανῆς θαλάττης ἀπέχουσαν ἀμφὶ τοὺς ὀγδοήκοντα καὶ διακοσίους ςαδίους· τῆς δὲ Τυῤῥηνικῆς τετταράκοντα πρὸς διακοσίοις· μῆκος δὲ αὐτῆς εἶναί φησιν ὀλίγῳ μεῖον χιλίων ςαδίων. „ At Porcius „ Cato nomen Sabinis impositum ait a Samo „ Sanci filio; & Sancum vero istum fuisse re- „ gionis genium, & a nonnullis Dium Fidium „ (*Græce* Δία Πίςιον) appellari. Eorum pri- „ mam sedem fuisse vicum quendam Testrinam „ nomine, non procul Amiterna situm; unde ex- „ peditione facta Sabinos Reatinum agrum in- „ vasisse, tunc habitatum Aboriginibus; urbem- „ que ipsorum nobilissimam Cutilias armis occu- „ passe: missisque e Reatino agro coloniis, inter „ alia oppida multa, sed immunita, etiam Cures „ condidisse: regionem autem illos occupasse ab A- „ driatico Mari distantem stadiis circiter CCLXXX. „ a Tyrrheno autem CC. & XL. in longitudinem „ vero patere paulo minus mille stadiis. Macro-

* Leg. *strumarum*.

bius etiam *Saturnaliorum* lib. I. " Pelasgi, *inquit*, " ut Varro memorat, cum, sedibus suis pulsi, di- " versas terras petissent, confluxerunt plerique " Dodonam; & incerti, quibus adhærerent locis, " ejusmodi accepere responsum,

Στίχεται * μαιόμενοι Σικελῶν Σατύρνιον αἶαν
Ἠδ' Ἀβοριγενέων Κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται
Οἷς ἀναμιχθέντες δεκάτην ἐκπέμψατε Φοίβῳ,
Καὶ κεφαλὰς Ἅδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

" Acceptaque sorte, cum Latium post errores plu- " rimos appulissent, in lacu Cutiliensi enatam in- " sulam deprehenderunt: amplissimus enim ce- " spes, sive ille continens limus, seu paludis fuit, " coacta compage, virgultis & arboribus in silvæ " licentiam comptus, jactantibus per omne mare " fluctibus vagabatur; ut fides ex hoc etiam Delo " facta sit, quæ celsa montibus, vasta campis, ta- " men per maria migrabat. Hoc igitur miraculo " deprehenso, has ibi † sedes prædictas esse didice- " runt; vastatisque Cutiliensibus incolis, occupa- " vere regionem, decima prædæ, secundum re- " sponsum, Apollini consecrata, erectis Diti sa- " cello, & Saturno ara: cujus festum Saturnalia " nominaverunt.

Livius Cutilias inter Reate & Amiternum constituit, *lib.* XXVI. *Cœlius*, inquit, *Romam euntem ab Hereto divertisse eo Hannibalem tradit; iterque ejus ab Reate, Cutiliisque, & ab Amiterno orditur: ex Campania in Samnium, inde in Pelignos pervenisse*.

Agri quoque amœnitas ita celebrata est apud Veteres, ut eam Thessalicis Tempe comparaverint: itaque Cicero dixit *ad Atticum* epist. 15. lib. IV " Reatini me ad sua Τέμπη duxerunt, ut agerem " caussam contra Interamnates apud Consulem, " & decem legatos, quod lacus Velinus, a Man. " Curio emissus, interciso monte, in Narde fluit; " ex quo est illa siccata, & humida tamen modice " Rosia: vixi cum Axio; qui etiam me ad Septem " aquas duxit. Eadem de re sic Varro *de Re Rust.* lib. III. cap. 22. " Comitiis ædiliciis cum Sole cal- " do ego, atque Axius Senator tribulis suffragium " tulissemus, & candidato, cui studebamus, vel- " lemus esse præsto, cum domum rediret, Axius " mihi, Dum dirimuntur, inquit, suffragia, vis " potius Villæ publicæ utamur umbra, quam pri- " vati candidati tabella, dum ita ædificemus no- " bis? Opinor, inquam, non solum, quod dici- " tur, Malum consilium consultori esse pessimum, " sed etiam, Bonum consilium, qui consulit & " qui consulit, bonum habendum: itaque imus, " venimus in Villam, ibi Ap. Claudium augurem " sedentem invenimus in subselliis, ut Consuli, si " quid usus poposcisset, esset præsto: sedebat ad " sinistram ejus Cornelius Merula, consulari fami- " lia ortus, & Fircellius Pavo Reatinus, ad dex- " teram Minucius Pica, & M. Cætronius Passer: (sic enim lego, non *Petronius*, ex antiquo lapide, qui est Romæ ad Aquam Virg. in Hortis olim Car. Vall. cujus in extrema epistola sequitur exem- " plum) ad quem cum accessissemus, Axius Ap- " pio, subridens, Recipis nos, inquit, in tuum " ornithona, ubi sedes inter aves? ille, Ego, in- " quit, te præsertim, cujus aves hospitales etiam " nunc ructor, quas mihi apposuisti, paucis ante " diebus in Villa Reatina, ad lacum Velini eunti, " de controversiis Interamnatium & Reatinorum " cognituro. Sed non hæc, inquit, Villa, quam- " quam ædificarint majores nostri, frugalior, & " melior est, quam tua illa perpolita in Reatino?

Et Tacitus in primo *Annalium* sic: *Nec Reatini si-* A *lebant, Velinum lacum, qua in Narem effunditur, obstrui recusantes: quippe in adjacentia erupturum*. Addam & Virgilii testimonium de lacu Velino: is enim sic *lib.* VII.

Qui Nomentum urbem, qui Rosea rura Velini.

Quo loco Servius, „ Velinus, *inquit*, lacus est circa Reate, juxta agrum, qui Rosulanus vocatur. " Varro tamen dicit, lacum hunc a quodam Con- " sule in Naran, vel Naren fluvium (nam utrum- " que dicitur) esse diffusum: post quod tanta est " B ea loca secuta fertilitas, ut etiam perticæ longi- " tudinem altitudo superarit herbarum: quin et- " iam quantum per diem demtum esset, tantum " per noctes crescebat: quod Virgilius ad suam " Proviciam transtulit, dicens:

Et quantum longis carpent armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.

Quem locum explicans idem Servius, " Ubertas, " *inquit*, fuit in Rosulano agro, postquam Veli- " nus siccatus est lacus, ut longam perticam ma- gnitudo superaret herbarum. Columella *lib.* VIII. C *cap.* 16. Velinus lacus lupos auratasque habet. In eodem lacu dixit Plinius *lib.* II. *cap.* 62. nullo non die apparere arcus. Et *lib.* XXXI. *cap.* 2. in Velino lacu potantes calculo sanari. De fertilitate, etsi jam recitata Servii verba non obscure indicant, subjungere tamen placuit quæ scripta sunt apud Plinium *lib.* XVII. *cap.* 4. " Cesar Vopiscus, cum caus- " sam apud Censores ageret, campos Roseæ dixit " Italiæ sumen esse, in quibus perticas, pridie re- " lictas, gramen operiret. Quæ verba sumsit Plinius a Varrone, qui lib. I. *de Re Rust.* " Cæsar, *ait* " Vospicus, Ædilicius, caussam cum ageret apud " Censores, campos Roseæ Italiæ dixit esse su- D " men, in quo relicta pertica postridie non appa- " reret, propter herbam. Festus, " Rosea, *inquit*, " in campo Reatino campus appellatur, quod in " eo arva rore humida semper feruntur. Eandem Sabini agri amœnitatem notat Horatius *Carm.* lib. I. Od. IX. his versibus:

Vides ut alta stet nive candidum
Soracte, nec jam sustineant onus
Silvæ laborantes, geluque
Flumina constiterint acuto.
Dissolve frigus, ligna super foco
Large reponens: atque benignius
E *Deprome quadrimum Sabina*
O Taliarche merum diota.

Item Od. XVII. ejusdem libri:

Velox amœnum sæpe Lucretilem
Mutat Lycæo Faunus, & igneam
Defendit æstatem capellis
Usque meis, pluviosque ventos.
Impune tutum per nemus arbutos
Quærunt latentes, & thyma devii
F *Olentis uxores mariti,*
Nec virides metuunt colubros:
Nec Martiales hœdilia lupos,
Utcumque dulci, Tyndari, fistula
Valles, & Usticæ cubantis
Lævia personuere saxa.
Dii me tuentur: Diis pietas mea,
Et Musa cordi est: hinc tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.
Hic in reducta valle, Caniculæ
Vitabis æstus, & fide Teia.

* Leg. Στέχετε. † Alii melius, *sibi*.

Dices laboranteis in uno
Penelopen, vitreamque Circen.
Hic innocentis pocula Lesbii
Duces sub umbra, nec Semeleius
Cum Marte confundet Thyoneus.
Prælia; nec metues protervum
Suspecta Cyrum: ne male dispari
Incontinentes injiciat manus,
Et scindat hærentem coronam
Crinibus, immeritamque vestem.

Et eodem libro, Od. xx. *ad Mæcenatem*:

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis. ——

Item *Carm.* lib. 2. Od. XVIII.

—— *nihil supra*
Deos lacesso, nec potentem amicum
Largiora flagito,
Satis beatus unicis Sabinis.

Item *Carm.* lib. 3. Od. XIII.

O fons Blandusiæ, splendidior vitro,
Dulci digne mero, non sine floribus
Cras donaberis hœdo,
Cui frons turgida cornibus
Primis, & Venerem, & prælia destinat
Frustra: nam gelidos inficiet tibi
Rubro sanguine rivos
Lascivi soboles gregis.
Te flagrantis atrox hora Caniculæ
Nescit tangere: tu frigus amabile
Fessis vomere tauris
Præbes, & pecori vago.
Fies nobilium tu quoque fontium,
Me dicente cavis impositam ilicem
Saxis, unde loquaces
Lymphæ desiliunt tuæ.

De cochleis Reatinis sic Varro *de Re Rust.* lib. III. cap. 14. *Genera cochlearum sunt plura, ut minutæ albulæ, quæ afferuntur e Reatino, & maximæ, quæ de Illyrico apportantur, & mediocres, quæ ex Africa afferuntur.*

Hæc vero de asinis Reatinis mirabilia. Apud Varronem *de Re Rust.* lib. II. cap. 6. " Murrius, " Ego, inquit, de asinis potissimum dicam, quod " sum Reatinus, ubi optimi & maximi fiunt, e " quo seminio ego hic procuravi pullos, & ipsis " Arcadibus vendidi aliquoties. Igitur, asinorum " gregem qui facere vult bonum, primum videndum, ut mares, feminasque bona ætate sumat, " utique, ut quam diutissime fructum ferre possint " firmos, omnibus partibus honestos, corpore amplo, seminio bono, ex iis locis, unde optimi " exeunt: quod faciunt Peloponnenses, cum po-

A " tissimum eos ex Arcadia emebant, in Italia ex " agro Reatino. Et eodem *libro cap.* 8. " Qui non " habent eum asinum, quem supposuerunt equæ, " & asinum admissarium habere volunt, de asinis " quemque amplissimum & formosissimum, quem " habere possunt, eligunt, quique seminio natus " sit bono, Arcadico, ut Antiqui dicebant; ut " nos experti sumus, Reatino; ubi tricenis ac " quadragenis millibus H-S admissarii aliquot ve- " nierunt. Idem Sexagesi, apud Nonium: " An, " si equam emisses quadrupedem, ut meo asino

B " Reatino admitteres, quantum poposcissem, de- " disses equimenti? Strabo lib. v. *Τῶν ἡμιόνων γένος τῆς Ρεατίνων διωνόμασαι θαυμαςῶς*, ***Reatini muli laudantur mirum in modum.***

Et, quoniam erant in Italia coloniæ, municipia, præfecturæ, liberæ civitates, neque erat omnium eadem administratio, sciendum est, Reate præfecturam fuisse: porro, quia præfecturarum duo genera, ut ait Festus; Reate præfectura fuit ex illo genere, in quas ibant Præfecti, a Prætore urbano Roma missi: hinc illud Ciceronis *in Catili-*

C *nam*, Oratione tertia: *Ex præfectura Reatina complures dilectos adolescentes, quorum opera utor assidue in Reip. præsidio, cum gladiis miseram.* Ejusdem præfecturæ mentio lib. 2. *de Nat. Deor. Hæc autem præfectura jus ferendi suffragii habebat.* Testis Vellejus *Hist.* lib. 1. *Suffragii ferendi jus Sabinis datum.* Item Valerius, *lib.* 1. *cap.* 8. *De Castoribus visis bello Latino, & Persico, P. Vatinium nominat, Reatinæ præfecturæ virum.*

Hæc de Reatinis tuis: quæ tibi, licet humilia videri possint, (majora enim postulat dignitas tua)

D non tamen parum grata fore confidimus: nam in tuis maximis virtutibus maxime tamen elucet humanitas. Romæ, ∞ DLXIV. Kal. Sext.

Romæ,

in Hortis olim Car. Vall. ad Aquam Virg.

Q. CAETRONIVS
Q. F. PVB
PASSER
E MIL. COH. IIII. PR. ANNIS XVIII
MISSVS. DVOBVS. GEMINIS
SIBI. ET
MASVRIAE. M. F. MARCELLAE
VIXI. QVOD. VOLVI. SEMPER. BENE
PAVPER. HONESTE. FRAVDAVI
NVLLVM. QVOD. IVVAT. OSSA. MEA
IN. F. P. XI. S. IN. AGR. P. XIII. S

DIS-

DISSERTATIUNCULA II.

DE AQUIS,

IN URBEM ROMAM OLIM INFLUENTIBUS.

AD

JOANNEM MORONUM

CARDINALEM.



I, quæ Antiquorum monumenta sparsim apud Scriptores scripta leguntur, JOANNES MORONE, Cardinalis amplissime, in unum collecta ob oculos posita essent; non est dubitandum, majorem, quam nunc habemus, Antiquitati nos honorem habituros. Vel Aquæductuum cura quam Romanis cara, quam in honore fuit? Feci igitur libens, ut Aquas, in Urbem Romam olim influentes, describerem: in quo cum mihi ipsi placeam, qui de Studiosis bene merendi avitam consuetudinem imiter, est sane, cur alio nomine mihi magis placeam: quod Tibi, tanto viro, cujus tanta in nos merita exsistunt, ut omnem spem gratiæ referendæ abjicere sim coactus, aliqua tamen ex parte gratum faciam. Tu me hilari illo fronte, quo semel es complexus, hilariter accipe: meque in tuorum. Tibique addictorum, numero primum locum obtinere ne graveris: enitar quidem certe, ut me non indignum tanto honore judices.

AB URBE condita per annos CDXLI. contenti fuerunt Romani usu aquarum, quas aut ex Tiberi, aut ex puteis, aut ex fontibus hauriebant: postea in Urbem influxere Aquæ, Appia, Anio Vetus, Marcia, Tepula, Julia, Virgo, Alsietina, quæ eadem vocatur Augusta, Claudia, Anio Novus. APPIA, a Censore Appio Claudio Cæco, anno Urbis CDXLII. in Urbem inducta, in agro Lucullano concipiebatur, Via Prænestina, inter milliarium sextum & octavum, diverticulo sinistrorsus passuum DCCXXC. Ductus ejus habuit longitudinem a capite usque ad Salinas, qui locus est ad Portam Trigeminam, passuum undecim millium CXC. subterraneo rivo passuum undecim millium CXXX. substructione & supra terram opere arcuato proxime ad Portam Capenam, passuum LX.

ANIO VETUS concipiebatur supra Tibur vigesimo milliario. Ductus ejus habuit longitudinem passuum XLII. millium; rivo subterraneo passuum XLIII. milium; CCXCVII. substructione supra terram passuum DCCII. Distribui cœptus est Vetus Anio Vico Publicii ad Portam Trigeminam, qui locus Salinæ appellabantur, post annos XL. quam Appia perducta est, anno ab Urbe condita CDXXCIX. Man. Curius Dentatus Censor, anno Urbis CDXXCI. Anienis, qui postea Vetus dictus est, aquam in Urbem perducendam ex manubiis de Pyrrho captis curavit. Post annum nonum ex S. C. Duumviri creati aquæ perducendæ, Curius idem, & Fulvius Flaccus: perduxit Flaccus, Curio mortuo, intra quinctum diem quam erat Duumvir creatus.

A Hæc aqua, & Anienis quoque Novi, minus permanebat limpida: nam sumebatur ex flumine, ac sæpe etiam sereno turbabatur: quoniam Anio, quamvis purissimo defluens lacu, mobilibus tamen cedentibus ripis, auferebat aliquid, quo turbaretur, priusquam deveniret in rivos: sed Anio Vetus, cum plerumque libra esset inferior, incommodum intra se tenebat. Novus autem Anio vitiabat ceteras aquas: nam, cum editissimus veniret, & in primis abundans, aliquando defectioni aliarum succurrebat; inquinabat igitur alias aquas, maximeque Claudiam: sed Nerva Imperator aquas omnes discernendas curavit: effecitque, ut Anio

B Vetus, quia minus salubris, in hortorum rigationem, & in ipsius Urbis sordidiora exiret ministeria. Anienis quoque Novi vitia exclusit, omisso enim flumine, repeti ex lacu, qui est super Villam Neronianam Sublacensem, ubi limpidissima est, jussit: nam, cum oriretur Anio supra Trebam angustam, seu quia per saxosos montes decurreret, paucis circa ipsum oppidis objacentibus cultis, seu quia lacus altitudine, in quo excipiebatur, velut depuraretur, imminentium quoque nemorum opacitate inumbratus, frigidissimus simul ac splendidissimus perveniebat. Anno ab

C Urbe condita DCIX. cum Appiæ, Anienisque ductus, vetustate quassati, privatorum etiam fraudibus interciperentur, datum est a Senatu M. Titio Prætori negotium eorum ductuum reficiendorum & vindicandorum: & quoniam incrementum Urbis exigere videbatur ampliorem aquæ modum, eidem mandatum, ut curaret quatenus alias Aquas posset in Urbem perduceret, & ampliores ductus faceret, Reipublicæ caussa.

A tertio milliario opera fabrorum duxit, cui ab Auctore MARCIÆ nomen fuit: perducta est an-

D no Urbis DCXIII. in Capitolium, atque etiam in Colles Cœlium & Aventinum. Sed, posteaquam Nero Imperator Claudiam opere arcuato assumsit, exceptam usque ad templum divi Claudii perduxit, ut inde distribueretur; Marcia & Julia, quæ ipsa quoque in eos colles perducta fuerat, non ampliatæ, sed amissæ sunt. Nerva Imperator, quia, quoties Claudia casu aliquo deficeret, fiebat, ut celeberrimi colles sitirent, plures Aquas, in primisque Marciam iis restituit, eamque ampliore opere a Cœlio in Aventinum usque perdu-

E xit. Hujus Aquæ splendor a capite integer, nihil, aut minimum pluvia inquinabatur, si putei exstructi objecti essent: sed, cum Novus Anio editissimus veniret, & in primis abundans aliarum aquarum defectioni aliquando succurreret, imperitia Aquariorum, deducentium in alienos eum specus, frequentius quam explemento opus erat, etiam sufficientes aquas inquinabat, maxime Claudiam; quæ, per multa millia passuum pro-

prio perducta rivo, Romæ demum cum Aniene permixta, perdebat proprietatem, adeoque obvenientibus non succurrebat, ut pleræque aquæ accerserentur per imprudentiam, non uti dignum erat aquis parientium Marciam, ita ut ipsa splendore & frigore gratissima, balneis, ac fullonicis, & relatu quoque fœdis serviret ministeriis. Omnes ergo discerni placuit, tum singulas ita ordinari, ut in primis Marcia potui tota serviret, & deinceps reliquæ, secundum suam quæque qualitatem, aptis usibus assignarentur. Concipiebatur Marcia Via Valeria, ad milliarium XXXIII. atque sub Nerone Principe primum strata ad milliarium XXXVIII. finita substructionibus, pæne statim stagnino colore præviridi. Ductus ejus habebat longitudinem a capite ad Urbem passuum LX. millium DCC. & semis, primum rivo subterraneo, deinde opere supra terram, tum opere arcuato, mox substructione, postremo rursus opere arcuato. De hac Aqua Plinius *lib.* 31. *cap.* 3. a Frontino in ejus auctore dissentiens, hæc tradit: „ Clarissima Aquarum omnium in toto orbe, frigoris salubritatisque palma præconio Urbis, „ Marcia est, inter reliqua deum munere Urbis tri„ buta. Vocabatur hæc quondam Aufeia, fons „ autem ipse Piconia. Oritur in ultimis montibus „ Pelignorum: transit Marsos & Fucinum lacum, „ Romam non dubie petens: mox, specu mersa, „ in Tiburtina se aperit, IX. mill. pass. fornicibus „ structis perducta. Primus eam in Urbem ducere „ auspicatus est Ancus Marcius, unus e Regibus, „ postea Q. Marcius Rex in prætura, rursusque „ restituit M. Agrippa. Idem & Virginem addu„ xit ab octavi lapidis diverticulo II. mill. pass. „ Prænestina Via: juxta est Herculaneus rivus; „ quem refugiens, Virginis nomen obtinuit. Ho„ rum omnium comparatione differentia supra di„ cta deprehenditur; cum, quantum Virgo tactu, „ tantum præstet Marcia haustu: quamquam utri„ usque jampridem Urbi periit voluptas; ambitio„ ne avaritiaque in villas ac suburbana detorquen„ tibus publicam salutem. Idem *l.* 36. *cap.* 15. *Q. Marcius Rex*, inquit, *jussus a Senatu Aquarum Appiæ, Anienis, Tepulæ ductus reficere, novam a nomine suo appellatam cuniculis per montes actis intra præturæ suæ tempus adduxit*. De hac Aqua mentionem invenimus in sequentibus Inscriptionibus antiquis, quas hic placuit subscribere:

Romæ in Porta Esquilina, nunc D. Laurentii

IMP. CAESAR. DIVI. IVLI. F. AVGVSTVS
PONTIFEX. MAXIMVS. COS. XII
TRIBVNIC. POTESTAT. XIX. IMP. XIIII
RIVOS. AQVARVM. OMNIVM. REFECIT

IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. PARTH. MAXIM
BRIT. MAXIMVS. PONTIFEX. MAXIMVS
AQVAM. MARCIAM. VARIIS. KASIBVS. IMPEDITAM. PVRGATO. FONTE. EXCISIS. ET. PERFORATIS
MONTIBVS. RESTITVTA. FORMA. ADQVISITO. ETIAM. FONTE. NOVO. ANTONINIANO
IN. SACRAM. VRBEM. SVAM. PERDVCENDAM. CVRAVIT

IMP. TITVS. CAESAR. DIVI. F. VESPASIANVS. AVG. PONTIF. MAX
TRIBVNICIAE. POTESTAT. IX. IMP. XV. CENS. COS. VII. DESIG. IIX
RIVOM. AQVAE. MARCIAE. VETVSTATE. DILAPSVM. REFECIT
ET. AQVAM. QVAE. IN. VSV. ESSE. DESIERAT. REDVXIT.

TEPULA, ex agro Lucullano, quem quidam Tusculanum credidere, in Cœlium Collem, Aventinum, & Capitolium a Censoribus Cæpione & Longino perducta est, anno Urbis DCXXVII. Hujus Aquæ fontes nulli fuere: venis quibusdam constabat, quæ interceptæ sunt in Julia: itaque caput ejus observabatur a piscina Juliæ. Concipiebatur Via Latina, ad milliarium XI. inde rivo suo in Urbem perducta, Juliæ post mixta: nam Agrippa anno Urbis DCCXIX. ad milliarium XII. Via Latina, alterius Aquæ proprias vires collegit, & Tepulæ rivum intercepit: acquisitæque ab inventore nomen JULIAE est datum; ita tamen divisa erogatione, ut maneret Tepulæ appellatio. Ductus Juliæ efficiebat longitudinem passuum XV. millium CDXXVI. opere supra terram, substructione, opere arcuato.

Idem Agrippa, annis XIII. post Juliam deductam, VIRGINEM, in agro quoque Lucullano collectam, Romam perduxit: dies, quo primum in Urbem responderit, V. Iduum Jun. invenitur. Virgo appellata, quod quærentibus aquam militibus puella virguncula quasdam venas monstravit; quas secuti, qui foderant, ingentem aquæ modum invenerunt: ædicula fonti apposita hanc virginem pictura ostendit. Aliter Plinius *lib.* XXXI. *cap.* 3. *Agrippa*, inquit, *Virginem adduxit ab octavi lapidis diverticulo II. millium passuum, Prænestina Via: juxta est Herculaneus rivus; quem refugiens, Virginis nomen obtinuit. Aquarum duarum, virginis & Marciæ, comparatione differentia deprehenditur; cum, quantum Virgo tactu, tantum præstet Marcia haustu*. Idem *lib.* XXXVI. *cap.* 15. „ Agrippa in Ædilitate sua, adjecta Vir„ gine Aqua, ceteris corrivatis atque emendatis, la„ cus DCC. fecit, præterea salientes CV. castella „ CXXX. complura etiam cultu magnifica: operibus „ iis signa CCC. ærea, aut marmorea imposuit, co„ lumnas ex marmore CD. eaque omnia annuo spa„ tio. Concipiebatur autem Virgo Via Collatia, ad milliarium octavum, palustribus locis, Signino circumjecto continendarum scaturiginum causa. Adjuvabatur ex compluribus aliis acquisitionibus, ideo mensura ejus ad caput inveniri non potuit. Veniebat per longitudinem passuum XIV. millium CV. rivo subterraneo passuum XI. millium DCCCLXV. supra terram passuum ∞ CCXL. substructione rivorum locis compluribus pass. DXL. opere arcuato pass. DCC. acquisitionum ductus rivi subterranei afficiunt passus ∞ CDV. Arcus Virginis initium habuere sub Hortis Lucullanis: finiebantur in Campo Martio, secundum frontem septorum. Aquam Virginem in hac Inscriptione, quæ est in Ædibus Colotianis, nominatam videmus:

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAESAR. AVGVSTVS. GERMANICVS
PONTIFEX. MAXIM. TRIB. POTEST. V. IMP. XV. P. P. COS. DESIG. IIII
ARCVS. DVCTVS. AQVAE. VIRGINIS. DISTVRBATOS. PER. C. CAESAREM.
A. FVNDAMENTIS. NOVOS. FECIT. AC. RESTITVIT

Et in duabus præterea; ad Trinitatis ædem, in hortis.

I.

VIRG.
TI. CAESAR. AVG
PONTIF. MAXIM
TRIB. POT. XXXVIII
COS. V. IMP. VIII

I

P I C C X L

Et 2.

VIRG.
TI. CLAVDIVS.
DRVSI. F. CAESAR
AVG. GERMANICVS
TRIBVNIC. POTEST. IIII
COS. III. IMP. VIII. P. P
I. P. CCXL

ALSIETINAM cur perduxerit Augustus, non satis intelligitur, nullius gratiæ, immo & parum salubrem, & nusquam in usus populi fluentem; nisi forte, cum opus naumachiæ aggrederetur, ne quid salubrioribus aquis detraheret, hanc proprio opere perduxit: & quod naumachiæ cœperat superesse, hortis subjacentibus, & privatorum usibus ad irrigandum concessit. Concipiebatur ex Lacu Alsietino, Via Claudia, milliario XIV. Ductus ejus efficiebat longitudinem passuum XXII. millium LXXII. opere arcuato passuum CCCLIIX.

Idem Augustus in supplementum Aquæ Marciæ, quoties siccitates agerent, auxilio aliam Aquam, quæ vocatur AUGUSTA ab inventore, ejusdem bonitatis, opere subterraneo usque ad Marciæ rivum perduxit.

A Post hos Caligula, cum parum & publicis usibus, & privatis voluptatibus septem ductus aquarum sufficere viderentur, anno Urbis DCCXC. duos ductus inchoavit: quod opus Claudius magnificentissime consummavit, dedicavitque anno Urbis DCCC. VI. Kal. Aug. alteri nomen, quæ ex fontibus Cæruleo & Curtio perducebatur, CLAUDIÆ datum: hæc bonitate proxima Marciæ: altera, quoniam duæ Anienis Aquæ in Urbem fluere cœperant, ut facilius appellationibus dignoscerentur, ANIO NOVUS vocari cœpit. Plin. *l.* XXXV.
B *cap.* 15. *Vicit*, inquit, *antecedentes aquarum ductus novissimum impendium operis inchoati a C. Cæsare, & peracti a Claudio: quippe a lapide quadragesimo ad eam excelsitatem, ut in omnes Urbis partes levarentur, influxere Curtius atque Cæruleus fontes; erogata in id opus H-S. ter millies*. Et Suetonius in *Claudio*: *Opera magna potius, quam necessaria, multa perfecit; sed vel præcipue Aquæductum, a Cajo inchoatum*. Idem paullo post: *Claudiæ Aquæ gelidos & uberes fontes, quorum alteri Cæruleo, alteri Curtio, & Albudino nomen est; simulque rivum Anienis Novi lapideo opere in Ur-*
C *bem perduxit, divisitque in plurimos & ornatissimos lacus*. Concipiebatur Claudia Via Sublacensi, ad milliarium XXXIIX, ex fontibus duobus amplissimis & speciosis, Cæruleo, qui a similitudine appellatus est, & Curtio; accipiebat & eum fontem, qui vocabatur Albudinus, tantæ bonitatis, ut Marciæ quoque adjutorio, quoties opus esset, ita sufficeret, ut adjectione sui nihil ex qualitate ejus mutaret. Claudiæ ductus longitudinem habebat passuum XLVI. millium, rivo subterraneo, opere supra terram, opere arcuato, substructione rivorum, opere arcuato. De Aqua Claudia testimonium præbent hæ tres Inscriptiones:

Romæ, in Porta Nævia, nunc Majore.

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAESAR. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIF. MAXIM
TRIBVNICIA. POTESTATE. XII. COS. V. IMPERATOR. XXVII. PATER. PATRIAE
AQVAS. CLAVDIAM. EX. FONTIBVS. QVI. VOCABANTVR. CAERVLEVS. ET. CVRTIVS. A MILLIARIO XXXXV
ITEM. ANIENEM. NOVAM. A. MILLIARIO. LXII. SVA. IMPENSA. IN. VRBEM. PERDVCENDAS. CVRAVIT

IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVGVST. PONTIF. MAX. TRIB. POT. II. IMP. VI. COS III. DESIG. IIII. P. P
AQVAS. CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. PERDVCTAS. A. DIVO CLAVDIO. ET. POSTEA. INTERMISSAS. DILAPSASQVE. PER ANNOS. NOVEM. SVA. IMPENSA. VRBI. RESTITVIT

IMP. T. CAESAR. DIVI. F. VESPASIANVS. AVGVSTVS. PONTIFE MAXIMVS. TRIBVNIC
POTESTATE X. IMPERATOR. XVII. PATER. PATRIAE. CENSOR. COS. VIII
AQVAS. CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. PERDVCTAS. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA
A. DIVO. VESPASIANO. PATRE. SVO. VRBI. RESTITVTAS. CVM. A. CAPITE. AQVARVM. A. SOLO. VETVSTATE. DILAPSAE. ESSENT. NOVA. FORMA. REDVCENDAS. SVA. IMPENSA. CVRAVIT

Castellarius Aquæ Claudiæ nominatur in sequenti Inscriptione:

D . M
CLEMENTI . CÆSARVM
N . SERVO . CASTEL.
LARIO . AQVÆ . CL
AVDIÆ . FECIT . CLAV
DIA . SABBATHIS . ET . SI
BI . ET . SVIS

In Arcu quoque ex Tiburtino, Aquæ Claudiæ ductui subjecto, sequentes litteræ leguntur:

P . CORNELIVS . P . F . DOLABELLA COS
C . IVNIVS . C . F . SILANVS . FLAMEN . MARTIAL
EX . S . C
FACIVNDVM . CVRAVERVNT . IDEMQVE . PROBAVERVNT

ANIO NOVUS Sublacensi Via, ad milliarium LXII. in suo rivo excipiebatur ex flumine: quod cum terras cultas circum se haberet soli pinguis, & inde ripas solutiores, etiam sine pluviarum injuria limosum & turbulentum fluebat: ideoque a faucibus ductus interposita est piscina limaria, ubi inter amnem & specum consisteret, & liquaretur aqua: sic quoque, quoties imbres supervenirent, turbida pervenit in Urbem. Ductus Anienis Novi efficiebat passuum LIIX. millium DCC. rivo subterraneo, opere supra terram, substructionibus, opere arcuato, substructione, opere arcuato: hi sunt arcus altissimi, sublevati in quibusdam locis CIX. pedum. Aquæ duæ in omnem partem Urbis attollebantur: ex reliquis aliæ majore, aliæ leviore pressura cogebantur. Altissimus erat Anio Novus; proxima Claudia; tertium locum tenebat Julia; quartum Tepula; dehinc Marcia, quæ capite etiam Claudiæ libram æquabat; sextum Anio Vetus, septimum Virgo; octavum Appia: quæ, cum ex urbano agro perducerentur, non in eam altitudinem perduci potuerunt: omnium humillima Alsietina fuit, quæ Transtiberinæ Regioni, & maxime subjacentibus locis serviebat: Apud Antiquos omnis acqua in publicos usus erogabatur: legeque cautum ita fuit, ne quis privatus aliam duceret, quam quæ ex lacu abundaret: quam posteri caducam vocarunt: & hæc ipsa non in alium usum, quam in balnearum, aut fullonicorum, dabatur: eratque vectigali statuta merces, quæ in publicum penderetur: aliquid & in domos Principum dabatur, concedentibus reliquis. Jus dandæ, vendendæve aquæ Censorum fuit, quoties in Republica erant; cum non erant, Ædilium Curulium.

Tutela singularum Aquarum locabatur: eorumque operum probandorum cura fuit penes Consules aliquando, & Ædiles, interdum etiam Censores, postea tota res ad Curatores transiit: primusque Curator ab Augusto nominatus Messala Corvinus. Nerva imperante gessit eam curam Sex. Julius Frontinus, Vir Consularis, qui scripsit in eo munere libros duos *de Aquis*, unde nos hæc sumsimus, adhibito studio, ut, quæ ille fusius, nos quam brevissime fieri potuit exponeremus. Eos libros, a nobis innumeris fere locis ex ingenio emendatos, propediem emittemus. Quantopere autem curæ fuerit, ne quis violare ductus, aquamve non concessam derivare auderet, cum ex multis apparere potest, tum ex hoc, quod Circus Maximus ne diebus quidem ludorum Circensium, nisi Ædilium, aut Censorum permissu, irrigabatur: quod durasse etiam, postquam res ad Curatores translata, sub Augusto, scripsit Atejus Capito. Agri vero, qui aqua publica contra legem essent irrigati, publicabantur, mancipia etiam, sicut ea, quæ adversus legem fecisse dicebantur, in iisdem legibus adjectum est ita. *Ne quis aquam oletato dolo malo, ubi publice salit: si quis oletarit*, H-S x. *millium multa esto*. Oletato, videtur esse olidam facito. Jus impetratæ aquæ neque heredem, neque emtorem, neque ullum novum dominum apud Veteres sequebatur. Balneis, quæ publice lavarent, privilegium antiquitus concedebatur, ut semel data aqua perpetuo maneret: postea omnis aquæ cum possessore instauratum est beneficium.

Familiæ duæ erant, quæ aquis operam præberent, una publica, Cæsaris, altera: publica antiquior, quam Augustus, ab Agrippa sibi relictam, publicavit, homines circiter CCXL. Cæsaris familiæ numerus, CDLX. quam Claudius, cum aquas in Urbem perduceret, constituit. Utraque familia in aliquot ministeriorum species diducebatur, villicos, castellarios, curatores, silicarios, tectores, aliosque opifices. Commoda publicæ familiæ ex ærario dabantur: quod impendium exonerabatur vectigalium reditu ad jus aquarum pertinentium: ea constabant ex hortis, ædificiisve, quæ fuere circa ductus, aut castella aut munera, aut lacus: quem reditum prope H-S. CCL. millium, salientem, ac vagum, deinde in Domitiani loculos versum, justitia Nervæ populo restituit, Frontini sedulitas ad certam regulam redegit; ut constaret, quæ ad hoc vectigal loca pertinerent. Cæsaris familia ex fisco accipiebat commoda: unde & plumbum, & omnes impensæ, ad ductus, & castella, & lacus pertinentes, erogabantur.

Tutela ductuum in primis necessaria: corrumpuntur enim aut vetustate, aut impotentia possessorum, aut vi tempestatum, aut culpa male facti operis: quod sæpius accidit in recentibus: fere aut vetustate, aut vi tempestatum partes ductuum laborant, quæ arcuationibus sustinentur, aut montium lateribus applicatæ sunt, & exarcuationibus; eæque per flumen transjiciuntur: minus injuriæ: subjacent subterranea, nec gelicidiis nec caloribus exposita. Vitia autem ejusmodi aut talia sunt, ut, non interpellato cursu, subveniatur eis, aut emendari nisi aversa non possunt, sicut ea, quæ in ipso alveo fieri necesse est. Hæc duplici ex caussa nascuntur, aut limo concrescente, qui interdum in crustam durescit, iterque aquæ coartat: quod aut tectorio corrumpitur; unde fiunt manationes: quibus necesse est latera rivorum & substructiones vitiari: Pilæ quoque ipsæ, topho exstructæ, sub tam magno onere labuntur. Refici, quæ circa alveos sunt rivorum, Æstate non debent, ne aquæ intermittatur usus, tempore, quo præcipue desideratur; sed Vere, vel Autumno, & maxima cum festinatione; ita ut, ante præparatis omnibus, quam paucissimis diebus rivi essent: neminem fugit, per singulos ductus hoc esse faciendum, ne si plures pariter avertantur, desit aqua civitati. Ea, quæ non interpellato aquæ cursu effici debent, maxime structura constant; quam suis temporibus & fidelem fieri oportet. Idoneum structuræ tempus est a Kal. Apr. in Kal. Nov. itaut optimum sit intermittere eam partem Æstatis. quæ nimiis caloribus incandescit: quia temperamento cæli opus est, ut ex humore commode structura combibat, & in unitate corroboretur. Non minus autem Sol acrior quam gelatio præcipit materiam: neque ullum opus diligentiorem poscit curam, quam quod aquæ obstaturum est. Fides itaque ejus per singula secundum legem, notam omnibus, sed a paucis observatam, exigenda est.

Illud nulli dubium esse crediderim, proximos ductus, id est, qui a sexto milliario, lapide quadrato, consistunt, maxime custodiendos: quoniam & amplissimi operis sunt, & plures aquas singuli sustinent: quos si necesse fuerit interrumpere, major pars aquarum Urbem Romam destituet. Remedia tamen sunt, ut his difficultatibus inchoatus alveus excitetur ad libram deficientis; alveus vero plumbatis canalibus per spatium interrupti ductus rursus contineatur. Plerumque autem vitia oriuntur ex impotentia possessorum: qui plurimis modis rivos violant. Primum enim spatia, quæ circa ductus aquarum ex S. C. vacare debent, aut ædificiis, aut arboribus occupant: (arbores magis nocent, quarum radicibus & concamerationes & latera solvuntur) deinde vicinales vias agrestesque per ipsas formas dirigunt: novissime aditus ad tutelam præcludunt: quæ omnia S. C. provisa sunt. Plinius *lib* XVI. *cap.* 42. arbores indicat, quibus ad aquarum ductus utebantur: *Pinus*, ait, *piceæ*, *alni ad aquarum ductus in tubos cavantur; obrutæ terra, plurimis durant annis*. Adjiciam illud ex eodem, ut veterum Romanorum magnificentia cognoscatur. „Si quis, *inquit lib.* XXXVI. *cap.* 15. „diligentius æstimaverit aquarum „abundantiam in publico, balineis, piscinis, do„mibus, euripis, hortis suburbanis, villis, spa„tioque advenientis exstructos arcus, montes per„fossos, convalles æquatas; fatebitur, nihil ma„gis mirandum fuisse in toto orbe terrarum. P. Victor Aquas XXIV. in Urbem influentes, his nominibus appellat, Appiam, Marciam, Virginem, Claudiam, Herculeam, sive Herculaneam, Tepulam, Damnatam, Trajanam, Amniam, sive Anniam, Aliam, vel Halsietinam, vel Halsientinam, quæ & Augusta dicta, Cæruleam, Juliam, Algentianam, Ciminiam, Sabatinam, Aureliam, Septimianam, Severianam, Antoninianam, Alexandrinam, Anienem Novum, Anienem Veterem, Albudinam, Crabram.

DISSERTATIUNCULA III.

DE
RATIONE INTERKALANDI
AD
ALEXANDRUM FARNESIUM
CARDINALEM.



De ratione interKalandi cum multi scripserint, FARNESI amplissime, quid tamen obstat, cur non aliquid nos quoque in medium afferamus? nam, quia satis hæc est obscura notitia, & quod in obscuritate non facile vitatur error, ideo nobis placuit operam in hoc genere diligenter ponere, ut ea, quæ dispersa, nec admodum, ut res indicat, aperta, apud Veteres leguntur, collecta a nobis & patefacta, si modo tantum industria proficere potuimus, impertirentur iis, quos rerum antiquarum scientia delectat. Quod eo libentius factum a nobis est, quo Tibi ostenderem, patris mei me judicium secutum, Te observare, ac in eorum loco ponere, in quorum clientela summum mihi præsidium esse constitutum intelligo.

Verum, ut initium nostræ narrationis paullo altius repetamus: triplici anno Romanos diversis temporibus usos esse, sciendum est: primo primi Regis Romuli, altero Numæ, tertio C. Cæsaris, qui perpetuam dictaturam obtinuit: sed Romulus, bellorum peritior quam astrorum, incerto usus est anno; qui dies CCCLX. in duodecim mensibus complexus, ut Licinius Macer, Fenestella, Plutarchus credidere, vel CCCIV. in decem mensibus, ut Junio Gracchano, Fulvio, Varroni, Suetonio, Censorino, Macrobio, Solino, placuit, quibus ego assentior, neque cum Lunæ rationibus congrueret, ut annus Græcorum, qui dies habuit CCCLIV. quem secutus est Numa; neque cum Solis cursu, ut Ægyptiorum annus, quos C. Cæsar postea imitatus, annum ex diebus CCCLXV & quadrante constituit. Ovidium quidem lib. 3. *Fastorum* posuisse, annum Romuli cum Lunæ decimo orbe terminatum, valde miror: nam, si ita fuisset, cur Numa curam anni ad Lunæ cursum dirigendi postea suscepisset? Macrobio igitur potius in hac re quam Ovidio credendum: cum præsertim erraverit idem Ovidius in eo, quia Numam a Pythagora doctum in eodem libro tradit: in quo Macrobius vidit acutius, qui dixit Numam ante Pythagoram fuisse: quod Livius quoque sensit, & in eo falsam aliorum opinionem coarguit.

Inscitia Romuli necessitatem attulit interKalandi: nam, cum ejus annus, ut dixi, neque cum Sole, neque cum Luna conveniret, nonnunquam usu veniebat, ut frigus anni æstivis mensibus, & contra calor hiemalibus incideret; quod vitium ita corrigebant: tantum dierum sine ullo mensis nomine patiebantur elabi, quantum ad id anni tempus adduceret, quo cæli habitus instanti mensi aptus inveniret*. Hoc Macrobius, qui Macri etiam Licinii ad comprobandam Romuli interKalationem testimonio utitur.

Post Romulum Numa, vel ingenio, vel doctrina præstantior, fluctuantem annum ita constituit, ut singulos Lunæ cursus singulis mensibus imitaretur: & quia Lunæ annuus circuitus perficitur diebus CCCLIV. ideo suum annum, ut Lunæ cursibus responderet, totidem dierum effecit; sed idem mox, studio imparis numeri, diem unum addidit: ut ex impari numero & annus constaret, & singuli etiam menses, excepto Februario, quo mense diis Manibus justa solvi voluit: itaque deminutionem inferis paremque numerum convenire judicavit: uno igitur die annum Græcorum annus Numæ superabat: ideo cum alternis annis modo dies viginti duos, modo viginti tres, qui sunt annis octo dies nonaginta, inter diem vigesimum tertium, & vigesimum quartum Februarii, Numa interKalaret, ut undecim illos dies & quadrantem, quibus annuo Solis cursu annuus Lunæ cursus inferior est, reprehenderet, ratio non con-

* Leg. *inveniretur*.

gruebat: nam ejus interKalatio Græcorum quidem instituto, qui & ipsi octavo quoque anno dies interKalabant nonaginta, respondebat: sed unus ille dies in anno additus efficiebat, ut octo annis octo dies abundarent, & Solis cursum præterirent: hoc vitium, non satis constat, utrum ab ipso Numa an ab aliis postea emendatum sit; Macrobius videtur auctor esse, ab aliis cognitum & emendatum. Ego Numæ potius hoc tribuerim, cum præsertim & annos XLIII. regnaverit, ut errorem suum spatio temporis facile posset intelligere; & in eo genere observationis, qui jam annum ad Lunæ rationem ordinasset, versari solitus esset. Emendatio fuit hæc, ut tertio quoque octennio interKalarentur dies tantum sexaginta sex, non, ut duobus superioribus octenniis, nonaginta: ita redibat annus, qui XXIV. annorum spatio diebus XXIV. excurrerat, ad Solis mensuram definitam, detractis de ordinaria octo annorum interKalatione, quæ erat, ut ostendimus, dierum nonaginta, XXIV. diebus.

De interKalari vero mense, quem alternis annis modo dierum viginti duorum, modo viginti trium a Numa interpositum jam diximus, significat Cicero in *Oratione pro Quinctio*, cum ait: *Pridie Kal. interkalares*: quo loco vigesimum tertium Februarii diem, qui proximus antecedit primum interKalaris mensis diem, significari non dubito; nam, qui dies sequebantur Idus Febr. ii signabantur nomine Kalendarum interKalarium, si modo annus erat interKalaris: (alternis enim annis, non singulis, fiebat interKalatio) ipsi vero dies interKalares sic appellabantur: primus, Kalendæ interKalares: alter, quarto Nonas interKalares, (nam quattuor tantum, non sex Nonæ in mensibus erant interKalaribus, ut major esset Kalendarum numerus, quam reliquorum dierum: quod in ordinariis quoque mensibus servatum est) tertius, tertio Nonas interKalares: & sic deinceps usque ad mensis interKalaris Idus, id est, ad diem interKalarem decimum tertium. Deinde vero singulis diebus nominabantur Kalendæ Martiæ: nam primus dies post Idus interKalares, dicebatur, si dies viginti duo interKalabantur, XV. Kal. Martias, subductis in hac ratione quinque postremis Februarii diebus, qui sequebantur post interKalares: eodemque modo reliqui dies interKalares, & quinque prædicti dies Februarii, a Kalendis Martiis nomen accipiebant, deminuto numero usque ad Kalendas Martias: sin autem dies viginti tres interKalabantur; tunc primus dies post Idus interKalares dicebatur, XVI. Kal. Martias: alter, XV. tertius, XIV. & sic deinceps.

Fiebat autem, ut dixi, alternis annis hæc interKalatio, non post ultimum Februarii diem, sed post vigesimum tertium, id est, post Terminalia, ut omnino Martius mensis post Februarium sequeretur, vetere religionis more, sicuti Macrobius existimat. Verum hæc postea ratio, ut Cicero docet lib. II. *de Leg.* & Macrobius lib. I. *Sat.* parum diligenter a Sacerdotibus observata, (horum enim erat interKalandi cura) vel quia prorsus omnem superstitione aliqua interKalationem omitterent, vel quia dies interdum aliquot, ut publicanis, aliisve gratificarentur, adderent, majorem perturbationis occasionem præbuit: arbitratu autem suo Pontifices, præter institutum Numæ, interKalare consuevisse, satis plane docent Epistolæ Ciceronis, secunda lib. VII. *ad Marium*, & *ad Atticum* tres, nona, decima tertia, & ultima lib. V. & epistola Cœlii nona lib. IIX. ut Macrobii, Censorini, aliorum testimonia prætermittam.

Hanc igitur inconstantiam C. Cæsar tertium Consul, pro jure & officio suo, quia Pontifex max. erat, sustulit, additis ad annum Numæ decem diebus & quadrante, qui quattuor annis diem unum facit: itaque necessaria fuit quadriennio quoque unius diei, ex quatuor quadrantibus confecti, interKalatio, quæ hodie quoque observatur, ut Solis cursus æquaretur: is dies post XXIV. Februarii diem, qui sexto Kalendas vocatur, ex antiquo interKalandi more interpositus bissexto Kalendas dictus est: quo anno dies XXIX. in eo mense numerantur. Sed, ut annus cum Solis cursu inciperet, qui usque eo progressus erat Sacerdotum vel incuria, vel fraude, ut æquinoctium, quod esse debebat, ad Græcam, Ægyptiamque rationem, quam Cæsar spectabat, die Martii XXV. vel XXVI. (nam die XXV. Martii notant æquinoctium Columella, Plinius, & marmorea duo Kalendaria) incideret in diem Maii XVII. (ut ex epistola 15. lib. X. *ad Atticum* intelligitur) interKalavit Cæsar dies LXV. nam in Dione, qui dies LXVII. & in Censorino, qui LXIIX. nominat, opinor esse mendum: recte enim ratio quadrat, si legatur LXV. nam ad dies CCCLV. qui erat annus Numæ, additis a Sacerdotum collegio primum diebus ordinariis interKalaribus XXIII. ut ait Censorinus, deinde a Cæsare extra ordinem diebus LXV. qui dispertiti sunt duobus mensibus interKalaribus inter Novembrem & Decembrem, fiunt in anno dies CDXLIII. quo numero dierum affirmat Macrobius fuisse ultimum illum confusionis annum, quem Cæsar ad Solis cursum redegit. Suetonius dies illos, qui biennio quoque XXII. aut XXIII. a Pontificibus interKalabantur, mensem interKalarium vocat: cujus verba, quia pertinent ad ea, quæ diximus, comprobanda, recitabimus: *Fastos*, inquit, *Cæsar correxit, jampridem vitio Pontificum per interkalandi licentiam adeo turbatos, ut neque messium feriæ Æstati, neque vindemiarum Autumno competerent: annumque ad cursum Solis accommodavit, ut* CCCLXV. *dierum esset, &, interkalario mense sublato, unus dies quarto quoque anno interkalaretur. Quo autem magis impostèrum ex Kalendis Jan. nobis temporum ratio congrueret, inter Novembrem & Decembrem mensem interjecit duos alios; fuitque is annus, quo hæc constituebantur, quindecim mensium cum interkalario, qui ex consuetudine in eum annum inciderat.* Sublatum a Cæsare mensem interKalarium, Suetonius dicit: quia, redacto ad cursum Solis anno, nihil deinde opus fuit interKalatione illa vel XXII. dierum priore biennio, vel XXIII. posteriore: quæ mensis interKalarius vocabatur, licet dierum numero mensem non æquaret. Eandem historiam Plutarchus litteris mandavit: Οὐ μόνον, inquit, ἐν τοῖς παλαιοῖς πάνυ χρόνοις τεταγμέναις ἐχρῶντο Ῥωμαῖοι ταῖς τῶν μηνῶν πρὸς τὸν ἐνιαυτὸν περιόδοις, ὥστε τὰς θυσίας καὶ τὰς ἑορτὰς ὑποφερομένας κατὰ μικρὸν, εἰς ἐναντίας ἐκπεπτωκέναι τοῖς χρόνοις ὥρας, ἀλλὰ καὶ περὶ τὴν τότε οὖσαν ἡλιακὴν οἱ μὲν ἄλλοι παντάπασι τούτων ἀσυλλογίστως εἶχον, οἱ δὲ ἱερεῖς μόνοι τὸν καιρὸν εἰδότες, ἐξαίφνης καὶ προῃσθημένου μηδενὸς, τὸν ἐμβόλιμον, προσέγραφον μῆνα, Μερκηδόνιον ὀνομάζοντες, ὃν Νομᾶς ὁ βασιλεὺς πρῶτος ἐμβαλεῖν λέγεται, μικρὰν καὶ διατείνουσαν οὐ πόρρω βοήθειαν ἐξευρὼν τῆς περὶ τὰς ἀποκαταστάσεις πλημμελείας. Καῖσαρ δὲ, τοῖς ἀρίστοις τῶν Φιλοσόφων καὶ Μαθηματικῶν τὸ πρόβλημα προθεὶς, ἐκ τῶν ὑποκειμένων ἤδη μεθόδων ἔδειξεν ἰδίαν τινὰ διηκριβωμένην μᾶλλον ἐπανόρθωσιν· ᾗ χρώμενοι μέχρι νῦν Ῥωμαῖοι, δοκοῦσιν ἧττον ἑτέρων σφάλλεσθαι περὶ τὴν ἀνωμαλίαν.

Quibus hæc Latine respondent: *Non modo in antiquissimis temporibus utebantur ambitu mensium Romani ad annum ita constituto, ut & sacrificia, & festi dies, paullatim suo loco moti, in contraria temporibus tempora delaberentur; verum etiam Solis cursum, qui tunc erat, alii quidem prorsus ignorabant; soli vero Sacerdotes, occasione cognita, ex improviso & præsentiente nemine, mensem interponebant, interkalarem appellantes, quem Numa Rex primus interposuisse dicitur, neque magnum, neque diu duraturum remedium nactus anni perturbati. Cæsar autem, optimis Philosophis & Mathematicis quæstione proposita, propriam quandam ac certiorem ex rationibus jam examinatis correctionem ostendit; qua Romani adhuc utentes, in culpam inæqualitatis minus quam alii videntur incidere.* Quo igitur anno Cæsar annum correxit, eo anno dies illi omnes Novembris mensis, qui Kalendarum Decembrium nomine signari solebant, appellari cœpti sunt, omissa Decembris mentione, Kalendarum interKalarium priorum nomine; hoc modo: quartus decimus Novembris dies dicebatur; XVII. Kal. interKalares priores: & sic deinceps, usque ad ultimum Novembris diem. qui vocabatur, II. Kal. interKalares priores: qui est dies in epistola *ad Ligarium*, lib. VI. *Fam.* a Cicerone nominatus. Quo loco vir doctus legit, v. *Kal.* non, ut in omnibus veteribus libris, quos quidem ego viderim, II. *Kal.* Sed ego satis habeo, quid mihi placeat, ostendere & probare; suum quisque judicium sequatur.

Ubi vero prioris interKalaris mensis dies primus erat appellandus, sic dicebant, Kalendæ interKalares priores; ubi secundus, sexto Nonas interKalares priores; ubi tertius, quincto Nonas interKalares priores; ubi quartus, quarto Nonas interKalares priores; ubi quinctus, tertio Nonas interKalares priores; ubi sextus, pridie Nonas interKalares priores; ubi septimus, Nonis interKalaribus prioribus. Eadem erat in Idibus ratio; post Idus autem qui primus sequebatur dies, id est, decimus sextus, is vocabatur XIX. Kal. interKalares posteriores: sic deinceps usque ad extremum ejusdem mensis diem, qui vocabatur II. Kal. interKalares posteriores. Primus vero dies secundi mensis interKalaris, in quo erant dies XXXI. Kalendæ interKalares posteriores; secundus, sexto Nonas interKalares posteriores; & deinceps reliqua. Itemque in Idibus: sextus decimus vero dies dicebatur, XVIII. Kal. Decembris: & sic deinceps. Nunc triplicem Romanorum annum, Romuli, Numæ, & Cæsaris, ostendamus.

Annus Romuli, dierum CCCIV.

Martius mensis dies habet	XXXI.
Aprilis	XXX.
Majus	XXXI.
Junius	XXX.
Quinctilis	XXXI.
Sextilis	XXX.
September	XXX.
October	XXXI.
November	XXX.
December	XXX.

Numæ annus, dierum CCCLV.

Januarius dies habet	XXIX.
Februarius	XXXII.
Martius	XXXI.
Aprilis	XXIX.
Majus	XVXI.
Junius	XXIX.
Quinctilis	XXXI.
Sextilis	XXIX.
September	XXIX.
October	XXXI.
November	XXIX.
December	XXIX.

Cæsaris annus, dierum CCCLXV.

Januarius	XXXI.
Februarius	XXIIX.
Martius	XXXI.
Aprilis	XXX.
Majus	XXXI.
Junius	XXX.
Quinctilis	XXXI.
Sextilis	XXXI.
September	XXX.
October	XXXI.
November	XXX.
December	XXXI.

Scrupulus ille remanet, quo modo Cæsar interKalationem fecerit dierum LXV. quod videri potest non omnino necessarium: quia, si retrahendum erat æquinoctium a die XVII. Maii, in quem diem incidit primo belli civilis anno, ad diem XXV. Martii; satis erat interponere dies LII. Respondetur id, quod non modo verisimile, sed etiam necessarium videtur: quemadmodum ante primum belli civilis annum mutatus erat æquinoctii dies, transductusque a die XXV. Martii ad diem XVII. Maii, Pontificum culpa, qui suo arbitratu, ut dixi, interKalationibus uterentur; sic a primo belli civilis anno, quo C. Marcellus & L. Lentulus consulatum gessere, ad quartum, quo Cæsar tertium Consul fuit, eadem culpa protrusum esse æquinoctium dies tredecim ultra diem XVII. Maii.

DISSERTATIUNCULA IV.

DE ACCUMBENDI,

ET COMEDENDI RATIONE.

AD

NICOLAUM GAETANUM

SERMONETANUM CARDINALEM.



UM de Accumbendi & Comedendi ratione varie a multis disputatum sit, non injucundam rem me facturum putavi, si & ipse quædam a me observata in lucem proferrem, Antiquitatis juvandæ gratia: in quo patrem avumque meum cum sequar, par est, eorum me quoque æs alienum solvere: quod autem majus, quam avum ex eo loco, cui Familia Tua jus dicit, avitoque imperio præest, originem ducere? Quodque majus est, patrem meum Tu semper in tuis numerasti, singularemque illi benevolentiam ostendisti. Quæ cum ad me filium pertineant, nolui committere, nostram observantiam, quam Tibi singularem debet Familia nostra, tacitam præteriri: sed eam posteris testatam relinquere volui. Et, cum nunc majora non possim, hoc saltem vel exiguo signo contentus, animum pro re accipias, rogo.

ACCUMBENDI in lecto, aut sedendi in sella, varius mos fuit apud Romanos. Priscis temporibus, cum frugalitas & modestia vigerent, sedebant, non accumbebant, viri pariter & mulieres. Post cum opibus, ut fit, succedente luxu, paullatimque ad mollitiem moribus inclinantibus, accumbere viri cœperunt, mulieres in sedendi consuetudine, pudoris gratia, diu permansere. Id ego ex illo Virgilii versu primum conjeci,

Perpetuis soliti patres considere mensis.

Quo loco Servius, *Majores*, inquit, *nostri sedentes epulabantur: quem morem habuerunt a Laconibus & Cretensibus, ut Varro docet in libris de Vita Populi Romani: in quibus dixit, quid a quaque traxerit Gente.* Isidorus etiam Hispalensis *Etym.* lib. XX. cap. XI. *Apud Veteres*, inquit, *non erat usus Accumbendi, unde & Considere dicebantur: postea, ut Varro ait de Vita Populi Romani, viri discumbere cœperunt, mulieres sedere: quia turpis visus est in muliere accubitus.* Accessit Valerii Maximi testimonium: *Feminæ*, ait *lib.* II. *cum viris cubantibus cœnitabant: quæ consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit: nam Jovis epulo ipse in lectulum, Juno & Minerva in sellas ad cœnam invitabantur. Quod genus severitatis ætas nostra diligentius in Capitolio quam in suis domibus servat: videlicet, quia magis ad rem pertinet, dearum, quam mulierum, disciplinam contineri.* Postrema Valerii verba mulieres etiam, contagione morum depravatas, una cum viris accumbere cœpisse tantum in Capitolino Jovis epulo, antiquitatis gratia, sedere solitas, aperte demonstrant. Huc pertinet illud Ciceronis, ep. I. *ad Attic.* lib. V. *Discubuimus omnes, præter illam.* Et Ovidius, in quadam Elegia:

Ibis, ut accumbas: clam mihi tange pedem.

Et Plinius, *lib.* IX. *cap.* 35. Lolliam Paullinam, Caii Principis matronam, accubuisse ostendit: Sessio igitur vernacula fuit, mansitque cum frugalitate & pudore aliquandiu, id est, ut ego arbitror, usque ad Asiam devictam, Græciamque cognitam: nam ex eo tempore Civitas, externi belli metu, victo jam Hannibale liberata, divitiisque aucta, peregrinos mores libenter adscivit, & ab antiqua continentia ad luxuriam nequitiemque deflexit: unde Horatius:

Græcia victa suum victorem cepit.

A Græcis enim primum manavit Accubitus: quem Populus Romanus, semel acceptum, in magnis copiis perpetuo retinuit. Sed, ut Accubitus index est dissolutæ lætitiæ, & jucunditatis cujusdam viro gravi parum dignæ: sic Sessio severior & a voluptate remotior. Propterea Cato ille Uticensis, quo nemo patriam dilexit magis; post exortum civile bellum, mœrore animi affectus, sedens, non cubans, semper cœnavit: quod a Plutarcho scriptum legimus. Fortasse eodem modo Græci, posteaquam & ipsis, fastidita vetere parcimonia, contemtaque verecundiæ norma, delicate & molliter vivere placuit, morem cubandi in cœna a Barbaris acceperunt: nam Syphacem Numidiæ Regem cubantem cœnasse, & cum eo Scipionem & Hasdrubalem in eo loco, testatur Livius *lib.* IIX. Nec dubito, quin Virgilius rationem habuerit barbaræ consuetudinis, cum de Didone scripsit:

Cum venit, aulæis jam se Regina superbis
Aurea composuit sponda.

Et mox, de Ænea:

Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto.

VETERIBUS in more fuit, quater ut in die cibum sumerent: prima erat matutina Jentatio, quam Prandiculum Prisci appellaverant; mox Prandium; tum Cœna; postremo Comessatio: nam Merendam, quæ a cibo meridiano nomen sumsit, cum Prandio eandem apud Veteres fuisse, monet Festus: quamquam eam post Prandium & post Meridiem collocat Nonius. Sed hæc facile, habita ratione temporum, controversia dirimitur: ut priscis temporibus Merenda pro prandio fuerit, prandii nomine, & usu nondum inducto; deinde vero, ut luxus, & nequitia serpit, cum a Me-

Merenda ad Cœnam, id est, a meridie ad vesperam, unde Vespernam (ut ait Plautus apud Festum) Cœnam dixere, jejunitas nimium longa videretur, Prandii usus in Merendæ locum & horam successerit, Merenda vero post eam horam, unde nomen sumserat, id est, post meridiem, producta sit, qui hodieque mos retinetur. Item non quater modo, sed quinquies quotidie cibum capi solitum esse constabit. Certe multo ante Festi ætatem qui tamen de suorum temporum consuetudine non loquitur, & Prandium & Merendam in usu fuisse, ex Plauto intelligitur: quamquam homines, eleganter & liberaliter educatos, non modo quinquies, sed nec quater, ac nec ter quidem, comedisse, numquam crediderit: quod & Suetonius videtur comprobare: notat enim hoc non ut generale & apud omnes usitatum, sed ut extraordinarium quiddam, & Vitellio cum paucis commune, quod epulas trifariam semper, interdum quadrifariam, in Jentacula, Prandia, Cœnas, Comessationesque dispertiverit. Sed Celsus ne prandium quidem ut ordinarium videtur agnoscere: ait enim *lib.* IV. Tamen facilius fert adolescens quam puer, & uno cibo quam prandio quoque assuetus. Et *lib.* I. *cap.* 3. Hieme si prandet aliquis, utilius est exiguum aliquid, & ipsum siccum, sine carne, sine potione sumere: æstate vero, & potione, & cibo corpus sæpius eget: ideo prandere quoque commodum est. Cœna igitur præcipua fuit, & in ea largius vescebantur; convivasque, quos paullo lautius vellent excipere, ad cœnam non ad prandium invitabant: hinc sæpe apud Ciceronem in *epistolis ad Papirium* mentio Cœnarum, numquam Prandii: quanquam, ut dixi, Prandia quoque in usu fuere: quibus etiam, ut apud Macrobium scriptum est, lex Didia sumtum definivit: sed prandendi morem puerorum magis quam adolescentum fuisse, & æstate potius quam hieme, Celsi verba, proxime recitata, demonstrant. Id quidem constat, cum hora nona cœnaretur, quod ex eo versu satis intelligitur,

Incipit exstructos frangere nona thoros,

locum Prandio vix fuisse: mane enim, paullo post somnum, qui putet? nec de tertia, aut quarta, aut quincta hora crediderim: non enim stomacho tantum spatii ad concoquendum relinqueretur, ut cœnæ vacare posset: cum a prandio ad cœnam hodie quidem horas novem, aut minimum octo videamus interponi. Itaque, paucos admodum pransos esse, (de ingenuis & nobilibus loquor) aut si quis pranderet, exiguo cibo contentum fuisse, ratio docet: prandere autem solitos existimo pueros, qui famem non ferunt, opifices, servos, viatores, quorum vires labore fractas atque imminutas reficii & augeri cibo necesse est. Hora cœnæ cum semper fuerit, ut exemplis perspicuum est, diei nona, longe distat a more nostro: nam, cum apud Veteres ex duodenis horis æque dies omnes noctesque constarent, æstivis diurnis longioribus, nocturnis brevioribus, hiemalibus vero contra: quis non videt, cœnas olim hieme diurnas fuisse, quæ nobis nocturnæ sunt; ceteris autem anni partibus omnino longius a vespera quam nostras abfuisse?

Eduliorum dissimilitudo apud eos fuit: in quo lucrum a nobis in jactura factum: nam garum illud quo nullæ umquam exquisitæ epulæ caruerunt, præterea muriam, halec, tyrotarichum, & hujusce generis multa, nec turpe est ignorare, nec infructuosum. Sumatur exemplum a garo, ut ex hoc uno de reliquis conjectura fiat: veniisse gari congium aureis quindenis, auctor est Plinius. Congium autem libras decem capit: ergo singulæ libræ aureo cum dimidio venierunt: quid hodie tanti est? quamquam nos quidem gulæ libenter indulgemus, nec jacere patimur eduliorum pretia: verumtamen, quod garo comparetur, nihil video: sicut nec in Mullo, quem Romæ TRIGLIA, Venetiis BARBONE appellant, hodie quisquam, ut opinor, ita insanierit, ut emendum putet, Asinii Celeris, viri consularis, exemplo, octo millibus nummum, qui sunt, nummo nostro, aurei CCXL. nec magnitudo pondus excusat: nam binas ponderis libras raro admodum, ut Plinius asserit, Mullus exsuperat.

Vinis quoque eos plurimum tribuisse præter alios, Plinius quoque testatur, *lib.* XIX. *cap.* 6.

DISSERTATIUNCULA V.

DE CONVIVIO TEMPESTIVO, SEU INTEMPESTIVO.

AD JO: FRANCISCUM COMENDONUM CARDINALEM.



QUI vel in emendandis, vel in explanandis Antiquorum Scriptis versantur, præclare operam suam ponere mihi videntur. Quam multa enim in iis reperiuntur, quorum vel intelligentia non ita facilis, vel depravata lectio Lectores remoratur? Vidi ego plurimos non inertes viros aliquando in quibusdam hæsitare, quæ si vel emendentur, vel explanentur, non solum eorum facilem cognitionem reddunt, sed & ut ad ulteriora progrediantur, homines invitant. Sed, quid ego hæc ad Te? Cujus ea est eruditio, ut admirationem conciliet: qui tantum judicio excellis, quantum dignitate præstas: cui majora quoque deberi, nemo bonus est, qui non & fateatur & cupiat. Ego certe virtutis amore incensus, observantiam Tibi summam debeo; quod a patre, dum viveret, mihi traditum, quantum in me erit, omnibus ingenii viribus enitar, ut præstem.

COENARUM antiquissima Romanis consuetudo fuit a propinquis, ut arbitror, deducta Sabinis, quorum & in victu & in omni vita severior, quam ceterarum gentium, disciplina fuit: parce comedebant, cibo simplici, nullo, preter famem, condimento: postea, rerum copia bellis parta, peregrinitate paullatim priscos mores immutante, parcimonia transiit in luxum: inde cœna lautior, & ab hora vigesima prima, quæ tum nona semper diei erat, in noctem producta convivia, ne parum opportuna, contraque morem Majorum esse viderentur, tempestiva dicta, vocabulo rem excusante; mansitque nomen in consuetudine corrupta; nam, quod ex Veterum monumentis liceat colligere, multa liberius inter epulas & dicebantur, & fiebant, quæ graves & boni viri non probarent: ideo videtur Cicero de tempestivis conviviis ita loqui, tanquam in iis turpitudinem aliquam agnoscat; cujus rei perspicue documentum afferunt illa verba *pro Muræna*: *Nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit, neque in solitudine, neque in convivio moderato atque honesto: tempestivi convivii, amœni loci, multarum deliciarum comes est extrema saltatio*. Et subjungit, *Nullum turpe convivium ostenditur*: plane significans, non interfuisse Murænam tempestivo convivio: ut in eo saltasse, quod in moderato honestoque convivio non liceret, dici posset. Nec sine probro dicitur illud *pro Archia*; *Quantum alii tribuunt tempestivis convivis, quantum denique aliæ*, * *quantum pilæ, tantum mihi egomet ad hæc studia recolenda sumpsero?* Non laudat Cato ille Senior tempestiva convivia, cum ait; † *Ego vero propter sermonis delectationem tempestivis conviviis delector*: sed usitata ostendit, iisque se delectari non propter epulas, sed propter cœtum amicorum, sermonisque delectationem: quasi alii non easdem ob caussas tempestivis conviviis interessent; epulari enim ei propositum est, ut ne hac quidem voluptate, quæ epulari accubatione percipitur, carere senectutem significet, cum eo tamen, ut eligat id, quod in ea voluptate honestum est, sermonis videlicet fructum, & jucunditatem; reliqua juvenibus concedat. Quid? quæ *ad Atticum* lib. IX. epist. I scribuntur, an reprehensione carent? *Audio*, inquit, *bonis viris hanc cunctationem nostram non probari, multaque in me & severe in conviviis tempestivis quidem disputari*. Et *ad eundem*, in eodem libro, epist. 13. *Viris bonis me non nimis excuso: quas enim eos cœnas & facere & obire scripsit ad me Sextius? quam lautas? quam tempestivas?* Reprehenduntur cœnæ, quia lautæ, quia tempestivæ: contra verbi significationem usitatam; sed ad vituperandum ita multa concurrunt exempla, ut assentiri cogar in eo, quod non placet. Quid enim dicam ad illud Taciti lib. XI. *Annal. Claudius, domum regressus, & tempestivis epulis delinitus, ubi vino incaluit, iri jubet, nunciarique miseræ, dicendam ad caussam postera die adesset*. Equidem de modicis epulis loqui Tacitum non arbitror; cum subjungat, *ubi vino incaluit*. Eoque minus dubitare licet, quia *lib.* XIIX. † severitatem & tempestiva convivia ut contraria constituit: *Discubuerat*, inquit, *Vitellius Ticini, adhibito ad epulas Virginio. Legati Tribunique ex moribus Imperatorum severitatem æmulantur, vel tempestivis conviviis gaudent, perinde miles intentus, aut licentior*. Hæc de tempestivo convivio, pro re scilicet contra verbum: nunc, an aliquid pro verbo dici possit, sic, ut cum re consentiat, consideremus.

Primum nemo dubitat, quin, cum interpretamur, sententiæ nostræ ad antiquorum exemplarium testimonia sint accomodandæ: quo posito, locus ille *pro Murena*, a nobis recitatus, nihil, quod a propria verbi natura discrepet, habebit: quattuor enim veteres libri, tres Maffejani, unus, quem patri meo singulari doctrina vir, omniumque quos in vita noverim humanissimus, Gulielmus Sirlettus Cardinalis dono dedit, habent, *Intempestivi* * *convivii*, non *Tempestivi*; ita fiet, ut cum verbo congruat: nam ibi de turpi convivio, cujus comes esset extrema saltatio, sermonem fieri satis constat. Accedit Suetonius, cujus hæc sunt in *Caligula* cap. 45. *Absentem Senatum, populumque gravissimo objurgavit edicto, quod, Cæsare præliante, & tantis discriminibus objecto, intempestiva convivia circum & theatra & amœnos secessus celebrarent*. Nec tempestiva, sed intempestiva convivia Curtius appellat *lib.* VI. *Intempestiva*, inquit, *convivia, & perpotandi, pervigilandique insana dulcedo, ludique & greges pellicum, omnia in externum lapsa sunt morem*. Idem paullo post: *Igitur cum intempestivis conviviis dies pariter noctesque consumeret, satietatem epularum ludis interpolabat*. Hæc a tempestivis conviviis intempestiva distinguunt, turpia scilicet ab honestis. Nec de luxuria atque immoderatis epulis, sed de temperato convivio, locutus est Apulejus, *Apologia prima*, cum dixit: *Nuptiæ-ne illæ fuerunt, an aliud celebratum officium, an tempestivum convivium?* Cur igitur, cum intempestivum convivium sæpe nominetur, tempestivum ad ejus rei significationem, quæ suum nomen habet, usurpari credam? Dicatur id, quod licet, tempestivum; quod contra, intempestivum: Latine & proprie loquemur: quod si secus est in pervulgatis libris; abesse mendum nunquam putabo. nisi si de Latina Lingua ita sentimus, ut eodem interdum verbo contraria comprehendat. Nam, quod ad locum *de Senectute* cap. 14. pertinet: in deteriorem partem accipi necesse non est, cum dicat Cato, non se tantum conviviis tempestivis interesse, verum etiam suos equales, & illos ipsos, quibuscum loquebatur, Scipionem & Lælium, viros eos, quibus gravitate, temperantia, & integritate æquari fortasse nonnulli, præferri certe nemo posset. Hæc pro nostro ingenio: Lector eruditus perpendat ac judicet.

* Leg. *alea*.
† De Senect. cap. 14.

† Sive lib. 2. Histor. cap. 68.
* Et sic habetur in hodiern s Edit.

DISSERTATIUNCULA VI.

DE AUSPICIIS.

AD FERDINANDUM MEDICEUM CARDINALEM.



UM multa in Antiquorum Scriptis obscura reperiantur, quæque illustratione egeant: nihil tamen difficilius quam totam auspiciorum rationem reperiri vix posse arbitror. Nihil enim docti viri de ea re scripsere; ut in re tam difficili, tamque ardua, quid homines opinari debeant, sæpe ignorent. Factum igitur a me est, ut quædam in hoc genere collecta ederem, fortasse non injucunda. Magnum hoc, fateor: sed tamen magna aggressis (etiamsi non, quod cupiunt, assequantur) aliqua saltem ex parte laus debetur. Hæc autem Tibi, FERDINANDE, potissimum dicare volui, quod, cum magni illius Cosmi filius sis, qui liberales Disciplinas vetere majorum exemplo magnis præmiis, dum vixit, ad antiquam dignitatem revocavit, paternæ quoque laudis imitator egregius ab omnibus judiceris.

CUM aliæ veterum auspiciorum partes, amissis injuria temporum auguralibus libris, aut prorsus incognitæ nobis, aut obscuræ admodum sunt; tum illa perdifficilis, & a nemine ad hanc diem, quod quidem ego legerim, satis explicata scientia est; utrum ad solos augures auspicia plane omnia, an ad augures quædam, ad magistratus alia, proprio quodam & separato jure, pertinerent. Augurum & magistratuum auspicia multis modis diversa. Primum, augures auspicabantur; ut ex quibusdam signis vel probarent aliquid, vel vetarent: magistratus, si comitiis auspicabantur, nunquam non vetabant; aliis rebus, pro signorum ratione, item ut augures, aut vetabant, aut probabant. Deinde augures nunciationem solam habebant, sine spectione: magistratus utramque. Tertio loco, augures necessario adhibebantur: magistratus, nisi cum vellent, non auspicabantur. Quarto, augures obnunciabant vel institutis comitiis, vel habitis jam, vel futuris: magistratus futuris tantum. Quincto, augures obnunciabant, cum auspicati essent: magistratus, & post auspicium, & ante. Sexto, tres augures interdum, ut in ferenda lege Curiata, quandoque unus, ut in comitiis magistratuum, auspicio utebatur: magistratus autem vel unus, qui de cælo servaret, impedire legum comitia poterat. Singula probemus.

Primum hoc fuit, augures observasse quædam signa, ex quibus aut probandam rem esse, aut vetandam interpretarentur: id nemo vocabit in dubium, quis enim ignorat, aves quasdam boni ominis, adversi alias fuisse? dextra auspicia contraria, sinistra prospera? hæc scientia non more tantum, quasi tradita per manus, ab ipso primum accepta Romulo, qui Urbem auspicato condidit, sed libris etiam continebatur: de quibus *ep.*9. & 11. *lib.*III. item lib. II *de Leg.*lib. I. *de Divin.*& apud

A Festum fit mentio. Potestatem eorum in utramque partem, sanciendi, vetandi, planissime lib.II. *de Leg.* Cicero expressit. Magistratus vero ceteris quidem in rebus, ut Cicero lib.II. *de Divin.* ostendit, signa observabant, ex quibus aut prohiberent, aut probarent: comitiis autem, vel si nulla instructi scientia essent, nulla signorum observatione, solo auspicio vetabant; sive aliquid contrarium vidissent, sive non vidissent. Itaque in *Oratione pro Domo*, *Negant*, inquit, *augures, fas esse agi cum populo, cum de cælo servatur*. Ipsa igitur actio, non

B ea, quæ agentes vidissent, impediendi vim habebat. Hoc si cui videtur incredibile, loca inspiciat, atque consideret, in quibus hoc auspicii genus nominatur: equidem illa Ciceronis verba *Phil.* 2. *Confecto negotio, bonus augur, Alio die, inquit. O impudentiam singularem! quid videras? quid senseras? quid audieras? nec enim te cælo servasse dixisti, neque hodie dicis*. Hæc, inquam, ego sic interpretor. Cum tu, quibus augures signis adducuntur, ut, Alio die, dicant, ex iis nullum videris, senseris, audieris: cur obnuncias? nam si, quod Consul potuisti,

C de cælo servasses: haberes, quo confugeres: obnunciare enim potuisses, si nihil vidisses, sensisses, audisses. Verum, de cælo te servasse, neque dixisti, neque hodie dicis. Quid igitur, dicet aliquis, obnunciabat magistratus? Hoc ipsum, se de cælo servasse: ut in *Oratione pro Sextio*. *Victa est Reipublicæ caussa, & victa non auspiciis, non intercessione, non suffragiis; sed vi, manu, ferro: nam, si obnunciasset Fabricio is Tribunus Pl. qui servasse de cælo diceret: * accepisset Respublica plagam, sed eam, quam acceptam gemere posset*. Er-

D go Tribunus Pl. non aliquo adverso signo, sed eo ipso obnunciabat, cum se de cælo servasse diceret. Nam, quod in eadem *Oratione*, non ita multo post, sequitur de Sextio Tribuno Pl. *Cum Reipublicæ caussam suscepisset; cumque auspiciis religionique parens, obnunciaret quod senserat*: id exaggerrandi gratia oratorie dictum puto: ut augeretur scelus eorum, qui Sextium Tribunum Pl. non modo simpliciter obnunciantem, id est, se de cælo servasse dicentem; quod cum fieret, agi cum populo nefas erat; sed obnunciantem id, quod senserat, prope-

E modum occiderant. Huc illud pertinet, quod objicit Vatinio Tullius: *Num quem post Urbem conditam scis Tribunum Pl. egisse cum plebe, cum constaret servatum esse de cælo?* Signa non appellat: ipsum per se, servare de cælo, tribunicias actiones impedire demonstrat. Hanc opinionem Dio *lib.* XXXIX. vel maxime confirmat: *Cum e cælo*, inquit, *atque ex aliis quibusdam publica divinatio fieret: ea, quæ e cælo, maximam vim habebat, sic, ut cetera quidem auspicia, quæ multa erant, per singulas actio-*

* Alii, *dixerat*.

nes, illud autem semel tantum quocumque die fieret. Hoc igitur hujus auspiciis maxime proprium erat, illud præterea, quod in aliis rebus omnibus vel permittebat quædam fieri, & fiebant, nullo amplius auspicio per singulas res adducto, vel prohibebat, & rejiciebat aliquid; populi vero suffragationes omnino vetabat, eratque semper ad ipsas prodigium, sive faustum omen esset, sive triste. Quoniam igitur multi, vel legum lationes, vel magistratuum creationes, quæ ad populum deferrentur, impedire cupientes, prænunciabant, ut eo die de cælo servaturi: propterea veritus Clodius, ne, si Ciceronem accusasset, dilationem & moram judicio nonnulli facerent, legem tulit, ne quis magistratus, per quos dies populum aliqua de re suffragia ferre oporteret, de cælo servaret. Quid apertius? nonne magistratum, qui de cælo servat, ut populi comitia prohibeat, a signis non pendere demonstrat? Ut omittam duorum locorum testimonia, quorum altero satis certo, ex *Oratione pro Domo*, altero non admodum dubio, ex *Phil.*2. jam sum usus.

Ac mihi quidem hujus tantæ potestatis, cunctis magistratibus attributæ, caussam quærenti, admirabilis plane veterum Romanorum sapientia videri solet: qui cum populi levitatem, inscitiamque nossent, inutiles quandoque Reip. leges jubentis; in auguribus autem, varia signa observantibus, præsidii minus quam in magistratibus positum viderent; auspicia de cælo, ut præsenti remedio subitis malis occurreretur, nullis obligata signis, libero impediendi jure, magistratibus dederunt. Exemplis non egemus; servavit sæpe Consul Bibulus de cælo, ut Cæsaris, collegæ sui, legibus obsisteret, servavit autem ut Consul, non ut augur: nam, si quis augurem fuisse dixerit, opponam Ciceronis testimonium, qui scripsit ad Caninium, ipsius Bibuli Quæstorem; Bibulum ad se litteras misisse de auguratu filii sui: ex quo patet, augurem patrem non fuisse: nam duobus ejusdem gentis mandari sacerdotium illud non licuit; quod apud Dionem lib.XXXIX. scriptum est. Exstat ejusdem impedimenti significatio in ep.16.lib.2. *ad Atti. De Rege Alexandrino placuisse sibi aliquando confici; Bibulus de cælo tum servasset, nec ne, sibi quærendum non fuisse*. Et *ad eundem* ep.3. lib. IV. *Proscripsit, se per omnes dies comitiales de cælo servaturum*. Qua proscriptione, comitia ædilitia fieri non posse, ostendebat: cum agi cum populo non posset eo die, quo de cælo servaretur. Propterea, ne hoc auspiciorum genere impedirentur ea comitia quæ creandis magistratibus haberentur, leges latæ sunt: de quibus Cicero *Phil.*2. *Quisquamne divinare potest, quid vitii in auspiciis futurum sit, nisi qui de cœlo servare constituit? quod neque licet comitiis per leges: & si quis servavit, non habitis comitiis, sed prius quam habeantur, debet nunciare*. Porro, quia Tribuni Pl. legibus interdum neglectis, comitia impedire cupientes, de cælo servabant, ut ep. 3. lib. IV. *ad Attic.* Sextius, & Milo, & *ad eundem* ep.16. ejusdem libri, Q. Scævola, ideo Consules, ut *lib.*XIII. Gellius docet, in edicto, quo significabant, quis comitiis centuriatis dies futurus esset, hoc addebant ex vetere forma perpetua, ne quis magistratus minor de cælo servasse vellet. Cum igitur, qui de cælo servabat, comitia impediret, locum illum Ciceronis ep. *ad Fam.* 30. lib. VII. *Ille autem, qui comitiis esset auspicatus, centuriata habuit*, non puto sic intelligendum, ut arbitremur Cæsarem servasse de cælo:(ipse enim sua comitia impediisset; & contra leges fecisset, quæ servari de cælo comitiis vetabant) sed auspicabatur Cæsar per augures: quod erat in more positum; vel auspicabatur ipsemet ut augur: nam eo sacerdotio

A prædit us erat; itaque Cicero epist. *ad Fam.* 68. lib.XIII. vocat eum collegam suum.

Alterum, ad ostendendam dissimilitudinem, illud erat: augures nunciationem sine spectione habuisse, magistratus utrumque: id Varro significat obscure, Cicero clarissime: Varro sic lib. V. *de Ling. Lat. In auspiciis distributum est, qui habeant spectionem, qui non habeant*. Non enim opinor hoc significari: augures alios habuisse spectionem, alios non habuisse; sed potius, auspicia sic inter augures & magistratus fuisse distributa, ut spectionem magistratus haberent, augures non haberent: dubitationem omnem tollit Cicero in *Phil.*2.
B nam, cum Cæsar Consul ostendisset, velle se, priusquam ad bellum Parthicum proficisceretur, Dolabellam Consulem surrogare: Antoniusque ejus collega, & idem augur, iratus Dolabellæ, eo se sacerdotio præditum esse dixisset, ut comitia auspiciis vel impedire, vel vitiare posset: *Incredibilem*, ait Cicero, *stupiditatem hominis cognoscite. Quid enim? istuc, quod te sacerdotii jure facere posse dixisti; si augur non esses, & Consul esses, minus facere potuisses? Vide ne etiam facilius; nos enim nunciationem solum, habemus, Consules, & reliqui magistratus etiam spectionem*. Quibus verbis
C communem augurum & magistratuum nunciationem, propriam fuisse magistratuum spectionem, aperte demonstrat: in quo majorem habeo fidem Ciceroni, præsertim auguri, quam Festo; qui, cum Cicero nunciationem auguribus det, spectionem adimat, ipse contra adimit nunciationem, spectionem tribuit; si modo locus ille mendo vacat. Apertius etiam Varro in *Rhetoricis*, a Nonio appellatus: *Eo die*, inquit, *cis Tiberim redeundum est: quod de cælo auspicari jus sit nemini, præter magistratum*. Non enim dubito, quin, auspicari de cælo, sive servare de cælo, & spectionem habere, idem sit. Nec de auguribus Cicero, sed
D de magistratibus illud prodidit lib.II. *de Divin. De cælo servare non ipsos censes solitos, qui auspicabantur? nunc imperant pullario: ille renunciat*. Hoc enim dicit. Olim qui auspicabantur, de cælo servabant: nunc auspicantur per pullarium; in Urbe scilicet: nam extra Urbem Proconsules, aut Proprætores auspicari solere, infra negat, & subjungit caussam: *Qui auspicia non habent*: id est, quibus auspicari non licet; non enim eam potestatem a populo acceperunt, quam accipiunt ii, quibus magistratum populus mandat; quo referuntur illa verba: *Dejotarus auspiciis semper utebatur: nos, nisi dum a populo auspicia accepta habemus, quam*
E *multum iis utimur?* At supra diximus, impediisse semper, qui de cælo servaret. Diximus, sed in comitiis populi; ex auctoritate Dionis: nam in aliis rebus observari solere signa, quibus aut prosperum auspicium fieret, aut adversum, concessimus: propterea, dum comitia magistratuum haberentur, non licuisse de cælo servare, ostendit Cicero in *Phil.* 2. Cum igitur dixit loco supra recitato, *Nunc imperant pullario: ille renunciat*, manere quidem servandi de cælo morem significat, sed per pullarium: & intelligendum, præterquam comitiis: in quibus cur uteretur pullario, vel
F pullos observante, vel alia signa, cum semper in comitiis, quæcumque signa essent, impediret? Rursus adversari videtur Varro, cum dixit: *Auspicari de cælo jus est nemini, præter magistratum*. Cicero autem *auspicari pullarium* ait. Pullarius auspicari proprie non dicitur, sed adhiberi in auspicium ab eo, qui auspicatur, id est, a magistratu. Ita magistratus auspicatur de cælo comitiis ipse, ceteris rebus per pullarium: cur enim aliena vel scientia, vel opera uteretur in iis rebus, quas omnino, quibuscunque signis, ipso tantum auspicio

sciret impediri? Quod si quis magistratum pullario semper usum esse contendat, saltem ut species quædam veteris auspicii retineretur: cum hoc, quando solam rationem sequimur, caremus exemplis, non valde pugnabimus: modo stet illud, quod satis probatum putamus, servare de cælo, comitiis impedimentum semper fuisse, aliis rebus non item: quod plane Dio narrat: idque non augurum, sed magistratuum, fuisse: quod ex Varrone cognovimus: *Auspicari de cælo jus est nemini, præter magistratum*. Cum quo Cicero consentit, solis magistratibus spectionem tribuens *oratione secunda in Antonium*. Quod si quis, de cælo servatum esse aliis quoque rebus, præterquam comitiis, aliquo scire cupiat argumento, legat illud lib. II. *de Divin. Auspicia, quibus utimur, sive tripudio, sive de cælo, simulacra sunt auspiciorum, auspicia nullo modo. Q. Fabi, te volo mihi in auspicio fuisse. Volo, respondet: audivi. Hic apud majores nostros adhibebatur peritus, nunc quilibet: peritum autem esse necesse est eum, qui, silentium quid sit, intelligat: id enim silentium dicimus in auspiciis, quod omni vitio caret. Hoc intelligere, perfecti auguris est. Illi autem, qui in auspicium adhibetur, cum ita imperavit is, qui auspicatur: dicito, si silentium esse videtur: nec suspicit, nec circumspicit: statim respondet, silentium esse, videri*. Quibus verbis Cicero genus illud auspiciorum describit, quod, servare de cælo, vocabatur; cum dicat: *Nec suspicit*. Mox de tripudio sequitur: *Dicito, si pascuntur aves*. Cum igitur pullarius interroganti magistratui respondeat, silentium, esse videri: videlicet ostendit, auspicium vitio carere; itaque rem, auspicio commissam, posse fieri: quod referri ad comitia nullo pacto potest; quæ, servante de cælo magistratu, ita semper impediebantur, quasi silentium nunquam esset, id est, quasi adversa signa semper essent: ergo non comitiis tantum de cælo servabatur.

Tertio loco posuimus, augures necessario adhibitos esse; quod utrumque satis constat: quis enim nescit, neque magistratuum comitia, neque legum haberi potuisse, nisi augures adessent, & probarent? quod perspicue docet Cicero lib. II. *de Leg.* & *ad Atticum* epist. ult. lib. IV. Augures tres in ferenda lege curiata adesse oportere demonstrat. Magistratus autem servare de cælo nulla res cogebat: sed, ubi comitiis impedimento esse cupiebant, tunc de cælo servabant. Objici potest: nonne Consulem, comitia consularia cum habere vellet, auspicari necesse erat? Negari non potest: sed tunc de cælo non servabat: quod, ostendimus jam, comitiis magistratuum non licuisse; ne scilicet impedirentur: verum auspicabatur per augures, aut ipsemet, si augur esset, altero auspicii genere, id est, tripudio: cui dabat operam pullarius augure spectante: duo enim auspicii genera lib. II. *de Divin.* Cicero nominat, servare de cælo, & tripudio uti: nam avium volatus, aut cantus, necessaria non sunt: non enim sunt in nostra potestate: sed, si incidunt, ex iis quoque auspicium capitur; si non incidunt, auspicium A tamen peragitur tripudio necessario. Ejusdem generis fulmina, vel tonitrua sunt; quæ cum audiebantur, irrita comitia erant.

Quarta inter augurum & magistratuum auspicia dissimilitudo fuit: augures non obnunciasse futuris tantum comitiis, verum etiam institutis, aut jam habitis; magistratus futuris tantum. De auguribus Cicero sic l. II. *de Leg.* „ Quid majus est, quam posse a summis imperiis & summis potestatibus comitiatus, & concilia, vel instituta dimittere, vel habita rescindere? quid gravius, quam rem susceptam dirimi, unus si augur, Alio die, dixerit? „ quid magnificentius, quam posse decernere, ut B „ magistratu se abdicent Consules? Hæc ad comitia vel instituta, vel jam habita, pertinent: quod sequitur, ad futura: *Quid religiosius, quam cum populo, cum plebe agendi jus aut dare, aut non dare?* Ejusdem generis exempla non desunt. Magistratus autem obnunciare solitos esse, priusquam comitia haberentur, plane docet Cicero *Phil.* 2. „ Quisquamne, *inquit*, divinare potest, quid vitii in auspiciis „ futurum sit, nisi qui de cælo servare constituit? „ quod neque licet comitiis per leges: &, si quis „ servavit, non habitis comitiis, sed prius quam „ habeantur, debet nunciare. Idem intelligitur ex C „ epist. 3. lib. IV. *ad Att.*

Quinctum erat, de diverso obnunciandi tempore: nam cum augures obnunciarent e signis, obnunciationem auspicio posteriorem esse, satis constat: magistratibus autem semper impedientibus, observatio signorum necessaria non erat: ita enim obnunciabant, quasi adversa signa semper essent: propterea liberum illis fuit, non modo post auspicium, sed ante etiam obnunciare: quasi divinarent, vitii aliquid in auspiciis futurum: hoc ne mirum videatur, Cicerone teste comprobetur: *Quisquam-ne*, ait in *Phil.* 2. *divinare potest, quid vitii in auspiciis futurum sit, nisi qui de cælo servare constituit?* Idem D *l.* XXXIX. ostendit Dio: Προεπήγγελλον, inquit, ὡς καὶ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ τὴν ἡμέραν ἐκείνην μαντευσόμενοι. Id est, *Prænunciabant, ut de cælo die illa servaturi*. Ubi legisse videtur Interpres, parum intellecta re, μαντευσάμενοι, vertit enim, *De cælo se servasse, obnunciare solebant*. Eodem illud pertinet ep. 3. l. IV. *ad Att. Proscripsit, se per omnes dies comitiales de cælo servaturum*. Proscriptio enim illa, obnunciatio quædam est. Obnunciatum etiam a magistratibus post auspicia, legimus in *Oratione pro Sextio* duobus locis: ut alia omittantur exempla.

Postremum fuit, augures, cum lex curiata ferE retur, adesse tres oportuisse: id ex epist. ult. lib. IV. *ad Att.* plane liquet; comitia vero magistratuum cum haberentur, satis unum fuisse: quod Cicero lib. II. *de Leg.* ostendit, his verbis: *Quid gravius, quam rem susceptam dirimi, unus si augur, Alio die, dixerit?* Magistratum unum de cælo servantem impedire comitia potuisse, ex iis, quæ supra diximus, patere satis arbitramur. Quocirca magistratuum, aut augurum auspicia, quod initio proposueram, differunt inter se plurimum.

DISSERTATIUNCULA VII.

DE TRABEA.

AD

JOANNEM DONATUM.



QUI Te norunt, JOANNES DONATE, (omnes autem ob eximiam integritatem norunt) ita prædicare solent: Te tamquam speculum aliquod pellucidum esse, in quod ceteri intuentes, virtutum singularum imaginem aperte perspiciant: patere aures justitiæ tuæ omnibus, qui Te alloqui velint: justum non minus amare quam nosse; in eoque nemini parcere, dum unicuique suum tribuatur: potissimumque eum esse, cujus aditus bonis minime intercludatur: posse autem, qui litterarum amore flagrant, omnia ab humanitate tua sperare, quæ eorum rationibus conducant. Quo fit, ut ego, a quo maxima quæque exspectari, cum patris & avi memoriam recolo, præclare novi, & minima præstari posse, imbecillitatis ingenii mei plane conscius, vix confidam, maximum in Teipso patrocinium positum mihi putem: &, tua ope fretus, ea consequi me posse sperem, quorum auxilio tantæ exspectationi non succumbendum mihi dubitem. Hæc igitur ad Te mittere placuit, exiguum meæ voluntatis signum, si rem spectes; si animum, maximum, & quale vix a quoquam desiderari possit.

TRABEARUM tria genera Suetonius in *libro de Vestimentis*, auctore Servio *in lib.* VII. *Virgilii* ℣. 612. fuisse ostendit, unum e sola purpura, diis consecratum; alterum e purpura, non sine albo, quo Reges utebantur; tertium augurale, e purpura & cocco: secundum genus ab Equitibus, cum trabeati Idibus Quinct. transveherentur, usurpatum puto: ut Regum potius, quam deorum, aut sacerdotum amictum imitarentur: hoc autem genere usos esse etiam eos, qui triumphabant, Ausonius Poeta docet: nam, ubi Gratiano Imperatori pro consulatu gratias agit, *In procinctu*, inquit, *& tum maxime dimicaturus, Palmatæ vestis meæ ornamenta disponi feliciter, & bono omine: namque iste habitus, ut in pace Consulis est, sic in victoria triumphantis. Parum est, si qualis ad me trabea mittatur, interrogas: te coram promi jubes.* Quibus ex verbis primum illud constat, triumphalem Romanis trabeam fuisse; quod alibi non legimus; triumphabant enim in toga picta: deinde, consularem; quod Reip. temporibus inusitatum fuit; prætexta enim tunc & Consules & reliqui magistratus utebantur: postremo, trabeam & palmatam vestem idem esse: quod cujusmodi sit, considerandum: aut enim de palmata tunica loquitur, aut de palmata toga: si de tunica, dissentit a Floro, qui trabeam & palmatam tunicam in Tarquinio Prisco separatim nominat: & Plinius *lib.* IX. *cap.* 39. distinguit a trabea tunicam lati clavi: latum clavum autem palmatam esse tunicam ostendam. Plinius enim, *Purpuræ*, ait, *usum Romæ semper fuisse video, sed Romulo in trabea: nam toga prætexta & latiore clavo Tullum Hostilium e Regibus primum usum, Etruscis devictis, satis constat.* Diver-

A sum a trabea latum clavum aperte demonstrat: at latus clavus si post Etruscam victoriam in Urbem venit, certe tunica palmata fuit: quam cum toga picta Romam ex Etruria allatam esse non modo Florus, verum etiam Dionysius asserit: & videtur Festus idem significare, cum ait: *Tunica palmata a latitudine clavorum dicebatur, quæ nunc a genere picturæ appellatur.* Non igitur de tunica, sed de toga palmata, quam nominat Martialis, locutus Ausonius videtur: quod si ita est; sequitur, ut toga palmata sit idem cum toga picta: nam eodem loco subjungit Ausonius: *Hæc est picta, ut dicitur, vestis non magis auro quam tuis verbis.* Sed Reip. temporibus toga picta

B numquam Consules usi sunt. Aurum quoque trabeæ dat, non solum in hoc loco, sed in extrema etiam *gratiarum Actione*: ait enim: *Trabeam non magis auro suo quam tuo munere splendidam.* At Suetonius, cum tria trabearum genera describeret, nullam auri mentionem fecit. Apparet igitur, Gratiano imperante, & trabeatos Consules fuisse, qui prætextati antea fuerant; & trabeam fuisse togam auro pictam, contra veterem consuetudinem: fuerat enim aurum quidem in toga picta, non tamen in trabea: & diversas ostendit

C Plinius *lib.* IIX. *cap.* 48. seorsum utramque nominans; *Trabeis*, ait, *usos accipio Reges; pictas vestes jam apud Homerum fuisse, unde triumphales natæ.* Quæ cum dicit, primum a trabeis pictas vestes discernit: deinde illud ostendit, pictas vestes, non trabeas, inter ornamenta triumphalia fuisse: quamquam Imperatorum ætate, ut prætexta, sic toga picta Consulum in pace fuerit: quod, præter Ausonium, in *Alexandro Severo* Lampridius docet. Militarem habitum, post Reges, crediderim trabeam fuisse, quo Consules in bello uterentur: id mihi venit in mentem, Livii locum lib. XXXII. consideranti, *Consul*, inquit, *cum*

D *Corcyræ hibernasset, Vere primo in continente trabeatus ad hostem ducere pergit.* Propterea equestres turmæ, bellicam speciem repræsentantes, Idibus Quinct. ante Censores transvehebantur. Valerius Max. *lib.* II. *cap.* I. *Trabeatos Equites Idibus Julii Q. Fabius transvehi instituit.* Et apud Tacitum *lib.* III. in funere Germanici: *Præcedebant incompta signa, versi fasces, atque, ubi coloniæ transgrederentur, atrata plebs, trabeati Equites.* Et Suetonius in *Domitiano*: *Eadem formidine oblatum a Senatu novum & excogitatum honorem, quamquam omnium talium appetentissimus, recusavit: quo decretum erat, ut, quoties*

E *gereret consulatum, Equites Romani, quibus sors obtigisset, trabeati, & cum hastis militaribus præcederent eum inter lictores, apparitoresque.* Eodem vestitu Salios quoque sacerdotes usos esse, Dionysius *lib.* III. auctor est: sed, quia trabeas illas *περιπορφύρους φοινικοπαρύφους* vocat, id est, purpura prætextas, puniceo colore alternis intertexto; satis constat, eum locutum esse de tertio illo trabearum genere, quod Suetonius e purpura factum & cocco sacerdotibus attribuit

DISSERTATIUNCULA VIII.

DE SUBSELLIIS.

AD PAULLUM TEUPULUM EQUITEM.



ETSI nulla mihi tecum, PAULLE TEUPULE, consuetudo intercedit, faciundum tamen putavi, ut Te in eorum numero collocarem, quorum auctoritas plurimum mihi adjumenti posset afferre. Tu enim, ob summam in consuetudine facilitatem, in agendis rebus gravitatem, ita Senatui Veneto carus es, ut merito Te omnes in oculis ferant. Tu non vita solum atque natura, sed sermone etiam comis es; ideoque multorum Tibi amicitiam adjunxisti, qui Te usquequaque in ore habent, ut propemodum singularem, excellentiam ingenii Tui esse dicant. Ne sit igitur Tibi mirum, si ego hæc in tuo nomine apparere volui: ut, meam summam observantiam Tibi indicans, a Te non indignus prorsus tuo patrocinio judicer.

SUBSELLIORUM duo genera fuere, unum, in quibus ii, qui caussas agebant, sive defenderent, sive accusarent; alterum, in quibus ipsi Judices considebant. De Varrone epist. 10. lib. XIII. *Fam.* ita Cicero scriptum reliquit; *Versatus in utrisque subselliis, optima & fide & fama.* Nisi si versatum Varronem dicit in publicis privatisque caussis, cum in utrisque fidem & ingenium ostenderet. Accusatorum subsellia nota sunt ex *Oratione pro Roscio Amerino:* patronorum fuisse quis dubitet, cum accusatorum fuerint? cum præsertim reorum subsellia nominentur in *epistola* M. Cœlii, & proximos reis patronos sedisse verisimile sit.

Quod ad subsellia Judicum attinet; scire illud oportet, præfuisse judicio vel eos, qui curulem magistratum gererent, ut Prætorem, Ædilem Curulem; vel qui non curulem, ut Tribunum Pl. Ædilem Pl. Quæstorem, Triumvirum. Curulis magistratus in curuli sella sedebat, reliqui Judices, cum eo caussam cognoscentes, in subselliis: quamquam Ædiles Curules, soli-ne, an cum consilio judicarent, haud plane liquet: in eo etiam differebant a Prætoribus, quod tribunal Ædiles Cur. non habebant, Prætores habebant. Qui vero, magistratum non curulem gerentes, judicabant, ii vel sedentes in subselliis, non in sella curuli, vel stantes audiebant: sedentes, ut Tribuni Pl. Quæstores, Triumviri: hos enim nominat Prædianus: quibus ego Ædiles Pl. & Centumviros addo: stantes, ut ii, quos Cicero significat in *Bruto*, cum ait: *Si, anguste & exiliter dicere, Atticorum est:*

A *sint sane Attici, sed in Comitium veniant, ad stantem Judicem dicant.* Ita subsellia & Judicum erant cum curuli magistratu judicantium, & ipsorum magistratuum, qui Curules non essent. De hoc genere Judicum, qui de majoribus caussis cognoscerent, dixit Cicero in *Bruto: Subsellia grandiorem & pleniorem vocem desiderant.* Et *ibidem: Volo hoc Oratori contingat, ut, cum auditum sit, eum esse dicturum, locus in subselliis occupetur, compleatur tribunal.* Et *pro Cluentio; Accusabat Tribunus Pl. idem in concionibus, idem ad subsellia.* In *eadem infra: Rem a subselliis in Rostra detulit.* *Pro Posthumo: Dixerunt hic modo nobiscum ad hæc subsellia.*

B *In Vatinium: Quæro ex te, num quis reus in tribunal sui quæsitoris adscenderit, eumque vi disturbarit, subsellia dissiparit, urnas deleverit?* Quibus locis confutari videtur opinio Pædiani, qui majoribus caussis adimit subsellia; &, ubi tribunalia sunt, ibi subsellia negat esse: *Alienum*, inquit, *alii non nomen proprium putant esse, sed alienum, & alterius judicii, & non ex auditorio Prætoris, majorumque caussarum, sed a subselliis, hoc est, non a tribunalibus: sunt enim subsellia Tribunorum, Triumvirorum, Quæstorum, & hujuscemodi minora judicia exercentium, qui non in sellis curulibus, nec tribuna-*

C *libus, sed in subselliis considebant.* Quod ad Tribunos, Triumviros, Quæstores attinet, recte sentit: ii enim non in sellis curulibus, sed in subselliis, considebant; quod vero subsellia separat a majoribus caussis, & a sellis curulibus & tribunalibus, falsum existimo; nam, etsi magistratus ipsi non in subselliis, verum in sellis curulibus, considebant: Judices tamen, qui erant illis in consilio, sedebant in subselliis: quod Ciceronis testimonio jam probavimus. Illud vero, quod ait idem Pædianus, *Qui non in sellis curulibus, nec tribunalibus considebant*, non ita accipio, quasi qui in tribunalibus, ii non sederent in sellis curulibus: nam Prætor &

D tribunal habebat, & sedebat in sella curuli: quod exemplis probare facile possum: sed ostendere voluit, non omnes, qui sederent in sella curuli, tribunal habere, ut Ædiles Cur. cum tamen qui tribunali, iidem curuli sella uterentur, ut Prætores: locus autem editior, in quo Prætor sedens in curuli sella ejus dicebat, tribunal vocabatur: in quo tamen, præter ipsum Prætorem, sedisse videntur Judices nonnulli: quod illa verba demonstrant lib. I. *de Orat. Nobis in tribunali Q. Pompeii Prætoris urbani sedentibus.* Et Vitruvius *lib.* V. tribunal ita describit, ut locus in eo compluribus fuisse videatur.

DISSERTATIUNCULA IX.

DE SIGNO, ET STATUA.

AD JOANNEM MICHAELIUM EQUITEM.



SÆPE mecum cogitavi, JOANNES MICHAELI, quonam modo meam Tibi ostendere benevolentiam possem: nec tamen in hac mea cogitatione quidquam umquam dignum occurrit amplitudine Tua. Peropportune accidit nunc, ut, hæc edens, possem huic meæ voluntati satisfacere. Hoc certe affirmare non verear, si tantum Tibi satisfecero, quantum intimis animi mei sensibus oblatam hanc mihi occasionem lætor, rectissime mecum acturum. Nec dubito, Te meum hoc munusculum hilari fronte non accepturum, cum summa Te humanitate præditum omnes dicant.

QUÆRITUR, sit-ne idem signum cum statua, an aliquid intersit: ego signis & statuis communem opinor esse materiam: eandem utrique nomini rem subesse non opinor: de materia primum, de significatione diversa mox agemus: signorum materia multiplex, aurum, argentum, æs, marmor, ebur: quorum tria prima funduntur, marmor scalpitur, ebur tornatur: &, quamquam aurea signa & argentea non nominentur; nihil tamen obstat, quin, ut ex ære fiunt, itidem ex argento & auro fieri possint; cum præsertim de aureis argenteisque statuis mentio fiat apud Plinium & alios: ærea vero marmoreaque signa appellat Varro lib. III. *de Re Rust.* & Epitome Liviana *lib.* LII. Plinius vero sæpissime: idem nominat eburnea *lib.* XXXIV. *cap.* 8. & *lib.* XXXVI. *cap.* 15. & Cicero lib. IV. *in Verrem*, *Nego*, ait, *ullam gemmam, aut margaritam fuisse, aut quidquam ex auro, aut ebore factum, signum ullum, æneum, marmoreum, eburneum; nego ullam picturam neque in tabulis, neque textilem fuisse, quin quæsierit, inspexerit, quod placitum sit abstulerit*. Eadem, quæ signorum, statuarum materia: nota est aurea Gorgiæ, notæ argenteæ Augusti, ænea Alexandri Magni, & Sp. Cassii, marmoreæ multorum, eburnea Apollinis, ex Plinio & aliis. Ergo signa & statuæ materia non differunt: videamus, an differant forma.

Fuit aliquando, cum dimidiata signa esse, statuas integras existimarem; nunc opinioni meæ obstare multa animadverto; primum signa duo, quæ Cicero ibidem appellat, unum Cupidinis e marmore, alterum Herculis ex ære; nam neque Cupido, neque Hercules dimidiati finguntur. Nec vero illa signa non integra fuisse existimandum est, de quibus idem Cicero statim hæc subjungit: *Erant ænea præterea duo signa, non maxima, eximia venustate, virginali habitu atque vestitu, quæ manibus sublatis sacra quædam, more Atheniensium virginum, reposita in capitibus, sustinebant. Canephoræ ipsæ vocabantur*. Idem infra, *eodem libro*: *Erat admodum amplum & excelsum signum cum stola*. Nominat etiam Jovis Imperatoris signum: quod integra totius corporis forma fuisse, nemo, ut opinor, dubitet: omitto alia ejusdem exempla, quibus integra signa demonstrantur. Quare nec forma differunt a statuis signa. Possit etiam suspicari aliquis, non materia, nec forma distingui statuas a signis, verum eorum conditione, quorum imagines referantur; & statuas esse hominum, deorum signa. Negatur: nam Cicero ipse Canephoras illas, quas inter signa nominavit, postea deas non fuisse demonstrat: ait enim: *Tibi habe Canephoras: deorum simulacra restitue*. Accedit Plinii testimonium *lib.* XXXIV. *cap.* 7. quo loco ait, in M. Scauri ædilitate tria millia signorum in scena fuisse: quæ si quis putet deorum fuisse omnia, allucinetur. Idem, cum inquit fuisse Rhodi, Athenis, Olympiæ, Delphis tria millia signorum, de omni signorum genere loquitur, non de iis, quæ deorum tantum essent. Præterea, canis ex ære, vulnus suum lambens, in cella Junonis dicatus, & rana ac lacerta in columnarum spiris insculptæ, quæ omnia nominat idem Plinius, signa, an statuæ dicentur? signa certe: sphingem quoque ex ære Corinthio, quam Verres reus Hortensio donavit, & Amazonis simulacrum, quo mire delectatus est Verres, & buculam Myronis videmus inter signa memorari. Non igitur deorum tantum, sed hominum etiam, atque adeo brutorum, signa sunt: quod si ita est; quæri oportet certiorem notam, qua signa a statuis & secernere possimus, & internoscere: veritatem autem, rerumque vim ac naturam, nihil aperit magis quam definitio; itaque signum & statuam placet definire.

Signum est e solida materia similitudo vel dei, vel hominis, vel bruti. Statua est item e solida materia similitudo dei tantum & hominis. Latius igitur patet signi nomen quam statuæ. Differunt etiam, ut puto, ratione loci: nam, quæ in foro statuæ sunt, aut in alio publico & profano loco, statuæ, non signa, dicuntur: eadem in domibus, ac templis signa vocantur potius quam statuæ: itaque simulacrum Herculis Tunicati, quod prope Rostra fuit, statuam Plinius appellavit *lib.* XXXIV. *cap.* 8. at simulacra Cupidinis & Herculis, ablata a Verre ex Heii Mamertini sacrario, signa, non statuas, Cicero nominat lib. IV. *in Verrem*: & omnino quæ sustulit Verres ex ædibus deorum; signa semper vocat Cicero, numquam statuas. Quæ igitur statuæ sunt, eædem, si e publico loco in privatum transferantur, signa erunt: rursusque si e privato signa in publicum, modo & integra sint, & hominum, aut deorum, statuæ appellari poterunt: locus igitur nomen mutat, & altera caussa, quod signum de brutis etiam dicitur, statua non dicitur.

Ter-

Tertium discrimen illud est, quod signa hærent interdum in eadem, e qua educta, vel in qua intus incisa sunt, materia, ut rana & lacerta supra nominatæ, quæ insculptæ sunt in columnarum spiris; & illa, quæ in gemmis, vel in alia pro annulorum usu materia inciduntur. Statuæ vero & expressæ sunt, non in cavo latentes, & ab ea, unde factæ sunt, materia disjunctæ. Nec eo moveor, quod ait Plinius *lib.* XXXIV. *cap.* 5. in domibus etiam privatis statuas fuisse, atque in atriis: nam idem ait id esse factum ad exemplum Fori, in quo statuæ poni solebant, ad prorogandam hominum memoriam, cum in earum basibus honores inscriberentur. Quare statuæ proprie, quæ in Foro; signa, quæ vel in ædibus privatis, ut epist. III. lib. VII. *Fam.* & ep. 3. 6. 7. 8. lib. I. *ad Att.* declarant: vel etiam in templis, ut ex lib. IV. *in Verrem* intelligitur. Nam illud Plinii *lib.* XXXIII. *cap.* 3. *Harpocratem, statuasque Ægyptiorum numinum, in digitis viri quoque portare incipiunt*: non ut proprie dictum accipio, sed quod reprehendere luxum sui temporis Plinius voluerit, damnata eorum insolentia, qui figuras Ægyptiorum numinum, & solidas, & immoderatæ magnitudinis, in annulis gestarent: quam sententiam statuarum vocabulo, ut significationem augeret similitudo, apte ac decenter expressit. Hæc si cui non probantur, aliam ineat rationem dubitationis amovendæ: forte enim hoc dici potest, ita statuam a signo differre, ut speciem a genere; & statuas omnes signa esse, non contra.

DISSERTATIUNCULA X.

DE PARMA, CLYPEO, SCUTO, PELTA, ANCILE.

AD ALOYSIUM CONTARENUM EQUITEM.



SI tantum in me esset ingenii quantum ad prædicandas eximias animi Tui dotes requiri omnes sciunt, ALOYSI CONTARENE, non vererer in iis prædicandis aliquantisper immorari. Verum, cum ego me optime norim, quid faciam? eas tacita oratione contemplabor, ingenium vehementer admirans; summaque ope enitar, ut aliquando is sim, qui huic meæ voluntati morem gerere possim. Interim nolui hoc qualecumque sit judicium de Te meum non apparere. Hæc ad Te mitto, studiorum meorum fructum. Quæ si Tibi non displicuisse intelligam, animos mihi ad majora aggredienda addes.

DE genere primum, tum de generis partibus, dicemus. Genus est scutum, idemque generis pars: nam & parma, clypeus, pelta, ancile, scuta vocantur. & proprie scutum illud est, quo Romanæ legiones, Latinique socii, atque Itali utebantur: cujus a Polybio descripta forma, suo loco infra ostendetur. Parma igitur, clypeus, scutum, pelta, ancile, genere sunt idem: corporis enim protegendi, arcendæque injuriæ causa sunt inventa: forma vero, materia, usu differunt: quod antequam ostendamus, dicendum est de nominibus ipsis: quorum parma Latinum est, ex eo vocata, ut lib. IV. *de Lingua Lat.* ait Varro, quod a medio in omnes partes par, clypeus a κλέπτω, quod est *tego*, quasi καλύπτω: id putavit Servius in eo Virgilii versu, lib. VII. *Æn.*

Nec clypei, currusve sonant.

Quamquam Plinius a γλύφω, id est, *scalpo*, ductum existimat: ait enim *lib.* XXXV. *cap.* 3. „Scutis, qualibus ad Trojam pugnatum est continebantur „ imagines: unde & nomen habuere clypeorum, „ non, ut perversa Grammaticorum subtilitas vo„ luit, a cluendo. Scutum a σκύτος, quia pellibus tegeretur, Veteres nonnulli derivatum tradidere, vel etiam, quod ex pellibus totum constaret: qualia fuisse Priscorum scuta, quæ postea ob firmitatem lignea fuerint, Polybius ostendit. Varro autem a sectura deducit: quod minute confectum sit tabellis. Pelta barbarum esse nomen arbitror, itemque cetra: vel, si Græcum utrunque, inter ea vocabula referantur, quæ primigenia Varro appellat, quod aliunde non gignantur, sed suas radices habeant. Ancile Latinum est, ab ancisu, quod est ab am & cædo, quasi circum cædo; ut ambio, circumeo; amburo, circumuro: scutum enim fuit ab utraque parte incisum: quod Varro breviter, ideoque subobscure, dixit. Festus autem satis plane: *Ancile, scutum breve, sic appellatum, quia ex utroque latere erat recisum, ut summum, infimumque ejus latus medio pateret.* Juba & Plutarchus a Græco deducunt: sed Varronem & Festum sequor libentius: est enim certior, præsertim in Latinis vocabulis, Latinorum fides, quam Græcorum.

Parmæ forma.

Parma rotunda fuit: ejus formam Polybii verbis exponemus: Τοῖς νεωτάτοις, inquit in libro περὶ τῆς ὁπλιτῶν κατασκάσεος, παρήγγειλαν μάχαιραν φορεῖν, καὶ γρόσφους, καὶ πάρμην. ἡ δὲ πάρμη καὶ δύναμιν ἔχει τῇ κατασκευῇ, καὶ μέγεθος ἀρκοῦν πρὸς ἀσφάλειαν. περιφερὴς γὰρ οὖσα τῷ σχήματι, τρίπεδον ἔχει τὴν διάμετρον. Quibus hæc Latine respondent: *Tironibus mandaverunt gladium ferre, & hastas, & parmam: parma vero cum vim habet, ob structuram, tum idoneam securitati magnitudinem: cum enim rotunda figura sit, diametrum habet tripedalem.* Livius *lib.* XXXVIII. de parmæ magnitudine idem, quod Polybius tradit: *Gladiis*, inquit, *a velitibus trucidabantur, hic miles tripedalem parmam habet, & in dextera hastas, quibus eminus utitur: gladio Hispaniensi est cinctus.* Varro apud Nonium: *Quem sequuntur cum rotundis velites leves par-*

A *mis*. Nonius parmam breve scutum fuisse ait: quod ita verum est, si cum scuto, quod Polybius describit, conferatur: alioqui non breve scutum; cum diametrum habeat trium pedum: aut Nonii ætate parmarum magnitudo non eadem, quæ Polybio & Livio scribente fuit.

Clypei forma.

Clypeus a parma differt non forma, sed materia: nam in Festi *Fragmentis* est: *Clypeum Antiqui ob rotunditatem etiam corium bovis appellarunt, in quo fœdus Gabinorum cum Romanis fuerat descriptum:* Accedit ea ratio, quod Attius Poeta comparavit
B cælo clypeum: ait enim in *Agamemnone*, *In altissimo cæli clypeo*. Quibus verbis Varro subjungit, *Cavum enim clypeum*. Ex comparatione igitur cæli & rotundum & cavum clypeum fuisse colligitur. Ovidius quoque unicum Polyphemi oculum clypeo comparavit;

Unum est in media lumen mihi fronte, sed instar
Ingentis clypei.

Si clypeo comparatur oculus, certe rotundum clypeum esse constat: quod Virgilius aliquanto clarius
C demonstravit: nam lib. III. *Æn.* de eodem Polyphemo dixit:

—— *telo lumen terebramus acuto*
Ingens, quod torva solum sub fronte latebat,
Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis instar.

Oculi ingentis, & clypei Argolici, & Solis eandem formam facit, id est, rotundam; forma enim & oculi Polyphemi, & clypei Argolici, addita Solis mentione declaratur. Cognoscitur & clypei forma ex ipso nomine, ἀσπὶς enim Græce dicitur; ut infra, collatis inter se Livio & Dionysio Hali-
D carnasseo, probabimus: ἀσπὶς autem rotunditatem significat; unde serpens ille, orbiculari sese forma involvens, dictus est. Jam Homerus plane formam expressit ἐν τῷ *Iliad.* Ψ. cum dixit, ἀσπίδα πάντοσε ἴσην, id est, *clypeum ab omni parte æqualem*. Et in argenteo vetere nummo imaginis Augusti, quem antea vir omni virtute perpolitus Hannibal Carus, nunc habet fratris ejus filius, rotunda forma clypeus cernitur. Posterioribus temporibus ad ovatam speciem clypeos redactos esse, Columnæ duæ Trajani & Antonini declarant. Ælianus etiam Macedonicos gravis armaturæ pedites,
E id est, phalangitas, ἀσπίσι περιφερέσι, id est, *rotundis clypeis*, usos esse demonstrat, nec majoribus quam octo palmorum, id est, bipedali diametro: quod si Romani quoque clypei bipedales tantum fuere, quod verisimile videtur, siquidem accepti sunt a Græcis, ideoque a Dionysio & Plutarcho Argolici vocantur, minores quam parma uno pede fuerunt; quam tripedalem habuisse diametrum ostendimus.

Scuti forma.

F Scutum opinor esse, quod Polybius, Dionysius, Plutarchus, Josephus θυρεὸν appellant, oblonga forma quadrata, ad januæ similitudinem; unde nomen acceperit: curva tamen superficie, ut ostendit Polybius: itaque non una perpetua tabula, sed dissectis pluribus fieri oportuit: ex quo Varronis orta etymologia est: audiamus Polybii verba: Ἐςὶν, ait, ἡ Ῥωμαϊκὴ πανοπλία, πρῶτον μὲν θυρεός· οὗ τὸ μὲν πλάτος ἐςὶ τῆς κυρτῆς ἐπιφανείας, πένθ' ἡμιποδίων, τὸ δὲ μῆκος ποδῶν τεττάρων· ὁ δὲ μείζων ἔτι καὶ παλαιςιαῖος. ἐν διπλοῦ σανιδώματος, ταυροκόλλῃ πεπηγὼς, ὀθονίῳ. μετὰ δὲ ταῦτα μοσχίῳ δέρματι περιείληπται τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν· ἔχει δὲ περὶ τὴν ἴτυν ἐκ τῶν ἄνωθεν καὶ κάτωθεν μερῶν σιδηροῦν σιάλωμα, δι' οὗ τάς τε καταφορὰς τῶν μαχαιρῶν ἀσφαλίζεται, καὶ τὰς πρὸς τὴν γῆν ἐξαιρήσεις. προσήρμοσαι δ' αὐτῷ καὶ σιδηρᾶ κόγχος, ἣ τὰς ὁλοσχερεῖς ἀποςέγει πληγὰς λίθων, καὶ σαρισσῶν, καὶ καθόλου βιαίων βελῶν. Quæ sic Latine convertuntur: *Romana armatura est, primum quidem scutum: cujus latitudo est, in superficie curva, pedes duo cum dimidio, longitudo, pedes quattuor: quod si majus, palmo amplius. Constat ex duplici tabulato, taurino glutino conjunctum, velo interjecto: deinde superficies exterior pelle vitula circundatur. Supra & infra extremis partibus ferrea lamina munitur, ut & gladiorum vehementes impetus sustineat, & ne, cum humum tangit, atteratur. Apte etiam in eo ferrea constituta concha est, quæ lapidum, sarissarum, cujuscumque demum violenti teli crebros ictus propulsat.* Miror Janum Lascarem, præstantis ingenii virum, clypeum pro scuto accepisse, ubi locum Polybii convertit: hæc est enim scuti, non clypei descriptio: quod mihi videor affirmare posse multis de caussis: primum, quod θυρεὸς ex Polybii descriptione, & ex ipso nomine, quadratus est; clypeus vero, ut ostendi, rotundus: deinde, quod mentio duplicis tabulati, & pelliceum integumentum, clypeo non convenit, qui totus erat æreus, ut infra probabimus, nec ullis tegebatur pellibus, sed ære nudo splendebat; unde Virgilius, *Ardentes clypeos*: tum, quod non solum ætate illa, qua Polybius litteris hæc mandavit, id est, circa Punici belli tertii tempora, sed multo etiam ante, scutis Romani utebantur, ut hæc Livii verba *lib.* VIII. de Latinis armatura Romana instructis, declarant: *Clypeis antea Romanis usi sunt: deinceps, postquam stipendiarii facti sunt, scuta pro clypeis fecere.* Idem *lib.* IX. *Arma clypeus, sarissæque illis, Romano scutum, majus corpori tegumentum* Et *lib.* XLII. bello Macedonico ademta Romanis esse scuta dicit supra ∞ c. Postremo, quod a Polybio & Dionysio Halic. ubi agit de Romanorum armatura, ἀσπὶς vocatur, id a Livio scutum dicitur *lib.* I. qui vero clypeus a Livio, ἀσπὶς a Dionysio, non θυρεός. Afferamus utriusque testimonium; *Arma*, inquit Livius de prima classe, *his imperata, galea, clypeus, ocreæ, lorica, omnia ex ære*. Et paullo post de secunda classe: *Arma imperata, scutum pro clypeo*. Dionysius autem de prima classe; Ὅπλα φέρειν ἐπέταξεν, ἀσπίδας Ἀργολικὰς, καὶ δόρατα, καὶ κράνη χάλκεα. Latine sic: *Arma ferre jussit, clypeos Argolicos, hastas, & galeas æreas*. Et de secunda: Ἀντὶ τῶν ἀσπίδων ἀνέδωκε θυρεοὺς. Latine, *Pro clypeis tradidit scuta*. Et Strabo, quam urbem in Africa Plinius & alii Clupeam, Lucanus & alii Clypeam vocant, eandem ait Aspidem nominari, quia scilicet curvatas in clypei speciem turres haberet.

Clypei, Scuti, Parmæ materia.

De materia, quam secundo loco proposueram, constat Livii Dionysiique verbis proxime recitatis, ex ære clypeum fuisse. Idem Livius *lib.* XLV. *Edito*, ait, *ludicro omnis generis, clypeisque æreis in naves impositis*. Ideo Virgilius *Æn.* lib. II. *Ardentes clypeos* dixit. Et Festus Ennianum illud, *Prolato ære adstitit*, interpretatur, clypeo ante se protento. Scutum vero non æreum, sed ligneum fuisse, Polybii testimonio jam demonstratum est: in quo Romanorum industriam in militari studio licet admirari. non enim e quovis ligno, sed ex arborum præcipue aquaticarum, scuta faciebant.

maxime autem ficus & ſalix, quia leviſſimæ, probabantur: cur aquaticæ arbores ceteris præferrentur, cauſſam verbis lepidiſſimis, ut eſt elegantis admodum Scriptor ingenii, Plinius explicavit *lib.* XVI. *cap.*40. *Frigidiſſima*, inquit, *quæcumque aquatica, lentiſſima autem, & ideo ſcutis faciendis aptiſſima: quorum plaga contrahit ſe protinus, clauditque ſuum vulnus, & ob id contumacius tranſmittit ferrum: in quo ſunt genere ficus, ſalix, tilia, betulla, ſambuchus, populus utraque. Leviſſimæ ex his ficus & ſalix, ideoque utiliſſimæ.* Parmam vero loream fuiſſe, auctor eſt Suidas.

Clypei & Scuti uſus.

Reliquum eſt, ut de uſu dicatur. Romulus ante bellum Sabinum clypeis Argolicis utebatur: Sabinis in civitatem receptis, eorum ſcutis uti maluit, qua de re ſic Plutarchus: Θυρεοῖς δὲ τοῖς ἐκείνων ὁ Ρώμυλος ἐχρήσατο, καὶ μετέβαλε τὸν ὁπλισμὸν ἑαυτοῦ τε καὶ τῶν Ρωμαίων, Αργολικὰς πρότερον ἀσπίδας φορούντων. Id eſt: *Scutis eorum Romulus uſus eſt, ſuamque & Romanorum, qui Argolicos antea clypeos ferebant, armaturam mutavit.* Serv. Tullio regnante, & clypeos, & ſcuta Romani geſſere, ſed clypeos milites primæ claſſis, id eſt, præſtantiores, ſcuta vero ſecundæ: quod utrumque Livii & Dionyſii teſtimonio perſpicuum fecimus. Poſtea videntur ſcutis uſi eſſe: ait enim Livius *l.* VIII. *Clypeis antea Romanis uſi ſunt: deinceps, poſtquam ſtipendiarii facti ſunt, ſcuta pro clypeis fecere.* Illud miror, ſecundo Punico bello triariis clypeos, non ſcuta, a Livio tribui: ait enim *lib.* II. *Spoliare cupientem triarii objectis clypeis arcuere.* Quod ſi factum dicatur, quia triarii, cum haſtas haberent, commode ſcutis, quæ clypeis majora erant, uti non poſſent: rurſus quæram; cur igitur tertio Punico bello ſcutis uſi ſunt, nulla triariorum exceptione legionarii omnes: quantum e Scriptore illius ætatis Polybio licet intelligere; ut omittam, quod idem Livius *lib.* XXXI. ſcuta Romana, tamquam omnium communia peditum, appellat: & ſcuti pedeſtris, numquam clypei, mentio crebra reperitur apud Cæſarem, Tullium, & alios. Servius Grammaticus clypeis cum ait fuiſſe majora * ſcuta, & addit: *Clypei peditum ſunt, ſcuta equitum*: in utroque ſatis oſtendit, armaturæ mutatam eſſe rationem: clypei enim & ſcutis & parmis minores fuere; quod ſupra oſtendimus. Scuta vero ut concedamus equitibus, quod in Epiſtola † Galbæ ad Ciceronem hæc verba declarant: *Equum immiſi ad eam legionem tironum, quæ veniebat ex caſtris, ſcuto rejecto*: idque Joſephus *de Judaico Bello* l. III. confirmat: adimenda tamen peditibus non ſunt; niſi ſi Polybii, Livii, Dionyſii auctoritatem adſpernamur: ut Ciceronem omittam, qui *Phil.* II. *Cum gladiis*, inquit, *agmine quadrato ſequuntur ſcutati milites.* Nihil-ne igitur, dicet aliquis, equeſtria ſcuta differunt a pedeſtribus? Crediderim, breviora fuiſſe equeſtria; ut levitate aptiora eſſent ad movendum: quia major in equite curſus quam in pedite requiritur. Et illud Galbæ, quod recitavi: *Equum immiſi, ſcuto rejecto* ſcuti parvitatem demonſtrat. Scuto vero pedeſtri, cujus longitudo pedum quattuor fuit, latitudo duorum cum dimidio, qui poſſet eques uti? nam, ſi ante pectus ferret, hoſtem, ſcuto interpoſito, videre non poſſet; ſin ab latere, pectus remaneret intectum.

Parmæ uſus.

Parmam fuiſſe levis armaturæ, id eſt, velitum, ex iis, quæ ſupra diximus, intelligitur: accedit Livii teſtimonium *lib.* XXVI. *Ex omnibus legionibus electi ſunt juvenes maxime vigore ac levitate corporum veloces: ejus * parmæ breviores quam equeſtres, & ſeptena jacula quaternos longa pedes data, præfixa ferro, quale haſtis velitaribus ineſt.* Idem *l.* XXXI. *Veliti Romano, parmam, gladiumque habenti.* Et *lib.* XLIV. *Pugnatum utrimque eſt levi armatura .... miſſilibus procul regia auxilia melius pugnabant, cominus ſtabilior & tutior aut parma, aut ſcuto Liguſtino, Romanus erat.* Virgilius *lib.* IX.

Enſe levis nudo, parmaque inglorius alba.

Ubi Servius, *Quaſi tiro.* Velites enim, licet, quo primum tempore ſunt inſtituti, ex legionibus electi ſunt, poſtea tamen tirones fuere, extra legionem. Equeſtres quoque parmæ nominantur a Livio *lib.* II. *Deſiliunt*, ait, *ex equis, provolant in prœlium, & pro anteſignanis parmas objiciunt.* Et *lib.* IV. *Eo ſe inferunt, objectis parmis, ubi ſuorum plurimum laborem vident.* Et *lib.* VIII. *Equus, ad vulneris ſenſum, prioribus erectis pedibus, magna vi cum caput quateret, excuſſit equitem: quem cuſpide, parmaque innixum, attollentem ſe a gravi caſu, Manlius ab jugulo, ita ut per coſtas ferrum emineret, terræ affixit.* Et *ibidem*: *Vexilla ſe ſuorum parmaſque cernere equitum.* Apud Nonium Salluſtius *Hiſt.* lib. IV. *Soliti nectere ex viminibus vaſa agreſtia, ibi tum, quod inopia ſcutorum fuerat, ad ea arte ſe quiſque in formam parmæ equeſtris armabat.* Equeſtres tamen a velitaribus magnitudine differebant: dixit enim Livius de velitibus *lib.* XXVI. *Eis parmæ breviores quam equeſtres. Parmulis pugnare*, ait Feſtus, *milites ſoliti ſunt, quarum uſum ſuſtulit C. Marius, datis in vicem earum Bruttianis.* Idem alio loco: *Bruttianæ parmæ dicebantur ſcuta, quibus Bruttiani ſunt uſi.* Quibus verbis non hoc dicit, ſublatum eſſe parmarum uſum, ſed, pro Romanis Bruttianas eſſe inductas, non mutata forma (rotundas enim ætate ſua Varro, Mario junior, oſtendit) ſed magnitudine vel aucta, vel imminuta: aucta tamen veriſimilius eſt, quia Romanas Feſtus parmulas, Bruttianas vero parmas appellat. Non alienum videtur, id adſcribere, quod apud Suidam legimus; Carthaginienſes parma uſos eſſe, Πάρμαι, inquit δερμάτινοι θυροὶ παρὰ Καρχηδονίοις. Quod eſt, *Parmæ, lorea ſcuta apud Carthaginienſes.*

De Peltæ, ſive Cetræ forma, uſu, materia.

Pelta & cetra admodum ſimilia ſunt: quod ut affirmem, his adducor argumentis. Livius *lib.* XXVIII. *Menippum quendam ex regiis ducibus cum mille peltatis (pelta cetræ haud diſſimilis eſt) Chalcidem mittit.* Et *lib.* XXXI. *Nocte cetratos, quos peltaſtas vocant, loco opportuno inter bina caſtra in inſidiis abdiderat.* Jam, quos Livius *lib.* XLII. & XLIV. ex Perſei, Macedonum Regis, exercitu cetratos vocat, eoſdem Plutarchus in *Æmilii Vita* peltatos. Interpres tamen Leonardus Aretinus, & poſtea Gulielmus Xylander, cum differre cetram a pelta opinarentur, Κρητικαὶ πέλται, καὶ Θράκια γέρρα, verterunt, *Cretenſes peltæ, & Braciæ † cetræ*: cum neque γέρρα neceſſe ſit eſſe cetras: eſt enim vel ſcutum Perſicum, vel ſcuti generale nomen: & cetræ a peltis, ut oſtendi, non differant: Plutarchus autem ita loquatur, ut diverſa Cretenſium, Thracumque ſcuta oſtendat:

* Vel alio Exemplari uſus eſt Auctor, vel oſcitanter legit locum Servii, qui plane contrarium dicit, ſubjungit enim verbis hic citatis, *ut hæc*, ſcil. ſcuta, *breviora*, *illi vero*, ſcil. clypei, *longiores*, ad lib. 9. Æneid. ℣. 370.

† Ea eſt 30. lib. 10. Fam.

* Reſcr. *eis*.

† Rep. *Thraciæ*.

Tertius Interpres Hermannus Cruserius, dum superiorum Interpretum imitari vestigia turpe ducit, dupliciter peccat, primum pro Creticis peltis *parmas*, deinde pro gerris Thraciis *tragulas* convertens: parmam autem diversam esse a pelta, superiora demostrant: tragulam vero missile telum esse, non scutum, exemplis intelligitur. Lunam semiplenam pelta referebat; unde Virgilius lib. I. *Æn.*

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.

Et Suidas: Πέλτον, ἀσπὶς εἶτιν * μὴ ἔχεσα, *Clypeus rotunditatem non habens*. Utebantur eo scuti genere Amazones; (ut antiquissima repetam) quod ex Virgilio, Plinio, Nonio perspicuum fit; Macedones, ut Livii, Plutarchi, Æliani testimonio patet; Afri, ut ait Servius de cetra; quam non differre a pelta diximus; Hispani, ut Cæsar, Livius, alii; Cretenses, quod in *Æmilio* docet Plutarchus. De materia, quem sequar, unum auctorem habeo Servium: is loreum ait scutum fuisse. Ælianus etsi materiam non nominat, leve tamen scutum, exiguumque vocat.

* Leg. ἴτυω.

De Ancilis forma, materia, usu.

Ancilis formam Festus ostendit his verbis: Ancile appellatum, quia ex utroque latere erat recisum, ut summum, infimumque ejus latus medio pateret. Neque ab hac descriptione dissentire Plutarchus videtur: apud quem hæc scripta sunt in *Numa*: Αγκύλια καλῦσι διὰ τὸ σχῆμα. κύκλος γὰρ ὐκ ἔςιν, οὐδὲ ἀποδίδωσιν, ὡς πέλτη, τὴν περιφέρειαν, ἀλλ' ἐκτομὴν ἔχει γραμμῆς ἑλικοειδῦς· ἧς αἱ κεραῖαι καμπὰς ἔχουσαι, καὶ συνεπιςρέφουσαι τῇ πυκνότητι πρὸς ἀλλήλας, ἀγκύλον τὸ σχῆμα ποιοῦσιν. Latine: *Ancilia vocant propter figuram. circulus enim non est, neque exprimit, ut pelta orbiculatam formam, sed excisa est, ita ut revoluta linea fiat: cujus extremæ partes inflexæ, & pariter densitate altera ad alteram conversæ, curvam figuram efficiunt*. Quæ si cui videntur obscuriora, nummum æreum Antonini Pii, quem habet insigni doctrina & humanitate vir Fulvius Ursinus, inspiciat; in quo ipsam Ancilis imaginem, a Festo & Plutarcho designatam, facile recognoscet. Æreum fuit, eoque Salii sacerdotes utebantur; quod utrumque Plutarchus ostendit: & Varro armilustrum ait esse dictum ab luendo, aut lustro, id est, quod circumibant ludentes ancilibus armati.

DISSERTATIUNCULA XI.

DE PRIMIPILO.

AD

HANNIBALEM CRUCEJUM.



CUM multa apud Veteres scripta obscuritatis habent plurimum, HANNIBAL CRUCEJE, tum vero, quæ ad militiam pertinent, difficulter a nobis intelligi, quis ignorat? Primipilus quid sit, quidque in militia significet, video a multis dubitari. Volui igitur, quæ hac de re in Veteribus observavi, edere, eaque in Tuo nomine apparere, ut hac re, patrem imitans, meam quoque summam observantiam Tibi ostenderem, ortam ab eximiis tuis erga nos officiis, quorum memoriam nulla umquam dies apud nos oblitterabit, nulla vetustas imminuet.

PRIMIPILUS, & Primus pilus, non idem sunt. nam Primipilus, sive Primopilus, (utrumque enim, ut infra ostendam, Veteres dicebant: unde Primipilaris, apud Quinctilianum, *lib.* VI. Plinium *Epist.* lib.x. & apud Suetonium in *Tiberio*, & Spartianum in *Pescennio Nigro*; Primopilaris autem in antiquis lapidibus reperitur) Centurio primus fuit, inter decem Centuriones Triariorum. Primus pilus autem non Centurio, sed centurionatus, fuit, quem ordinem Centurio Primipilus ducebat. Utriusque subjungam exempla, & Centurionis primum, deinde ordinis. Exemplorum autem quia duo genera sunt, quæ ex Libris, quæque ex antiquis lapidibus sumuntur; primum a libris ordiar. Cæsar, de Primipilo Centurione, lib. II. *Belli Gall. Primipilo P. Sextio, multis vulneribus confecto*. Livius, *lib.* VII. *P. Salonius alternis prope annis & Tribunus militum, & primus Centurio erat, quem nunc Primipilum appellant*. Idem, *lib.* IIX. *Duo Primipili ex utraque acie inter Triarios erant*. Valerius, *lib.* I. *cap.* 6. de Prodigiis: *Aquilarum altera vix convelli a Primipilo potuit*. Addam etiam Dionysii Halic. verba, quæ sunt lib. IX. Ενὸς τῶν ταγμάτων τῇ λαμπροτάτῃ ἀρχῇ κεκοσμημένος, ᾗ τὰς ἑξήκοντα ἑκατονταρχίας ἕπεσθαί τε, καὶ τὸ κελευόμενον ὑπηρετεῖν, κελεύει νόμος. Τούτους Ρωμαῖοι τοὺς ἡγεμόνας τῇ πατρίῳ γλώττῃ Πριμοπίλους καλοῦσιν. *In una legionum illustri ornatus imperio; cujus ductum & jussa sexaginta Centuriones cum suis* manipulis *sequi lex jubet: quos Duces Romani vernacula Lingua Primopilos nominant*. Quibus verbis intelligitur, Centurioni Primipilo solitas obedire sexaginta centurias, id est, totam legionem. Et Vegetius, eum Aquilæ præfuisse, quod erat signum legionis, *lib.* II. demonstrat. Cujus potestatis ea ratio fuit; quia, cum essent in legione tria militum genera, denis singula Centurionibus instituta, hastati principes, triarii, & ceteris omnibus triarii, ætate, usu, fortitudine, præstarent; eo fiebat, ut primus

Centurio triariorum non modo reliquis novem triariorum Centurionibus, verum etiam reliquis hastatorum & principum Centurionibus imperare posset. Propterea dixit Dionysius, eum sequi solitas sexaginta centurias. Verum id perquam raro factum opinor; quippe cum in prœliis separatim singuli ordines, hastati, principes, triarii, pugnarent: quod si & hastati & principes loco moti, fusique ab hostibus, fuissent; tunc triarii, fugientibus exceptis, renovata pugna hostes invadebant, eosque hastati & principes, modo victi, sequebantur: ita, permistis ordinibus, unum esse oportebat, cujus voluntati & imperio milites omnes parerent; is autem primus Centurio, id est, Primipilus, fuit: qui, cum Aquilæ præesset, ut ait Vegetius, & inter Centuriones triariorum primum locum obtineret, jure omnibus reliquorum quoque ordinum Centurionibus imperabat. Quod & Plinius *lib.* XXII. *cap.* 6. declarat; inquit enim: *Primum pilum capessens sub Catulo, exclusam ab hoc legionem suam hortatus, Tribunum suum, dubitantem per castra hostium erumpere, interfecit, legionemque eduxit.* Quibus verbis constat, eum, qui primum pilum duceret, primum locum in legione, post Tribunum militum, obtinere solitum. Livius quoque honoratiores ceteris Centurionibus indicat fuisse Primipilos, cum ait, *lib.*XLII. *Cum Tribuni militum Centuriones, sed primum quemque, citarent; tres & viginti Centuriones, qui primos pilos duxerant, citati Tribunos Pl. appellarunt.* Quemadmodum autem Primipili primum locum inter omnes suæ legionis Centuriones obtinebant; sic primæ legionis Primipili honore præstabant omnibus ceterarum legionum Primipilis. Propterea Sp. Ligustino, qui antea quater primum pilum duxerat, primus pilus, in legione prima, virtutis caussa, est assignatus. Quod apud Livium scriptum est, *eodem libro*.

Hæc ex Libris: nunc lapidum testimonia subscribamus.

Fulginei. 1

P. AELIO. F. PAPIR
MARCELLO. CENT
PRVM. SVB. PRINCIPI. PE
PEREGRINORVM. ADSTATO
ET. PRINCIPI. ET. PRIMIPILO
LEG. VII. GEM. PIAE. FEL. ADLEC
TO. AD. MVNERA. PRAEFF
LEGG. VII. CLAV. ET. PRIMAE
ADIVTRICIS. V. F. FLAMINI
LVCVLARI. LAVREN. LAVINA
PATRONO. ET. DECVRIONI
COLONIÆ. APVLESIVM. PATRONO
CIVITAT. FORO. FLA. FVLGINIA
ITEMQVE.. IGVVINORVM. SPLEN
DIDISSIMVS. ORDO. FOROFLAM
CVIVS. DEDICAT. DECVRIONIBVS
ET. LIBERIS. EORVM. PANEM
ET. VINVM. ff. XX. N. ITEM
MVNICIPIBVS. ff. IIII. N. DEDIT

Soræ, ad D. Restitutæ. 2

L. FIRMIO. L. F
PRIM. PIL. TR. MIL
IIII. VIR. I. D
COLONIA. DEDVCTA
PRIM. PONTIFICI
LEGIO. IIII. SORANA
HONORIS. ET. VIRTVTIS
CAVSSA

Capuæ, ad D. Vincentii. 3

PAVLO. AEMILIO
PRIMIPILO. BIS
PRAEFECTO. EQVIT
TRIBVNO. COHORTIS
IIII. PRAETOR
.... SENECIO

Romæ, in domo Cæsia. 4

M. POMPEIO. M. F. ANI. ASPRO
7. LEG. XV. APOLLINAR. 7. COH. III. PR
PRIMOP. LEG. III. CYREM. PRAEF. CASTR
LEG. XX. VICTR
ATIMETVS. LIB. PVLLARIVS
FECIT. ET. SIBI. ET
M. POMPEIO. M. F. ET. CINCIAE
COL. ASPRO SATVRNINAE
FILIO. SVO. ET VXORI. SVAE
M. POMPEIO. M. F. COL. ASPRO. FILIO. MINORI

Venafri, post tribunal altaris majoris Episcopatus. 5

SEX. AVLIENO. SEX. F. ANI
PRIMOPIL. II. TR. MIL
PRAEF. LEVIS. ARMAT.
PRAEF. CASTR. IMP. CAESAR. AVG
ET. TI. CAESARIS. AVGVSTI
PRAEF. CLASSIS. PRAEF. FABR
II. VIR. VENAFRI. ET. FORO. IVLI
FLAMINI. AVGVSTALI
NEDYMVS. ET. GAMVS. LIB

Senogaliæ, in Piceno. 6

P. P......... A. PRIMOPILO. SPECTATAE. VIRTVTIS
EQVESTRIS . ORDINIS . V
PATRIBVS . ET . PLEBI . GRATO
OB . GRATAM. . ADOLESCENTIS. . INDOLEM
BENE . MERITAM. . SAXVM. . DEDIT

A

Parmæ. 7

. . . .
PRAEF . LEG . XX . VALEN
VICTR . PRIMOP . LEG
X . GEMIN . PIAE . FIDEL
CENT . LEGION . IIII . SCY
THIC . XI . CLAVD XIIII . GEM
VII . GEMIN
PATR . COL . IVL . AVG . PARM
PATR . MVNICIPIORVM
FORODRVENT . ET . FORO
NOVANORVM . PATRON . COL
LEGIOR . FABR . ET CENT . ET
DENDROPHOR . PARMENS
COLLEG . CENT . MERENTI

B

Brixiæ, apud Forum piscarium vetus, nuper effoss. 8

C. MEFFIO. C. F
CLA . SAXONI
PRIMO . PILO . PRAEF
COHORT . PRAEF . FABR
PONTIFIC . QVINQVEN
COHORS. CARIETVM . ET
VENIAESVM

C

Emendandus locus Plinii, *lib.* III. *cap.* 3. in quo, *Vennensium*, corrupte legitur.

Bononiæ, in ædibus Aquilinorum. 9

....ENTICOL . Q. F. C. B
....PRIM . PIL . PRAEF . EQ
.....VIR . I . D
....PIL . TRIB . MIL . PRAEF
..AEF . FABRVM
..QVINQ . POTEST
..ICVS . DE . P . S . D

D

Taurini, in ædibus Aiacum. 10

C . GAVIO . L . F
STEL . SILVANO
PRIMIPILARI . LEG. VIII . AVG.
TRIBVNO . COH. . II . VIGILVM
TRIBVNO . COH . XIII . VRBAN.
TRIBVNO . COH . XII . PRAETOR.
DONIS . DONATO . A . DIVO . CLAVD.
BELLO . BRITANNICO
TORQVIBVS . ARMIS . PHALERIS
CORONA . AVREA
PATRONO . COLON.
D . D

Matellicæ. 11

C. ARRIO . C.F.COR . . . . . .
CLEMENTI . MILITI . COH . IX
PR . EQVITI . COH . EIVSDEM . DONIS
DONATO . AB IMP . TRAIANO
TORQVIBVS . ARMILLIS . PHALERIS
OB . BELLVM . DACICVM . SINGVLARI
PRAEFECTORVM . PR . TESSERARIO . O
PTIONI . FISCI . CVRATORI . CORNICVL
TRIBVNI EVOCATO. AVG. 7. COH. I. VIGIL. . 7
STATORVM. 7. COH. XIIII. VRB. 7. COH. VII. PR.
TRECENARIO . DONIS . DONATO . AB . IMP.
HADR--O . HASTA . PVRA . CORONA . AVREA
7. LEG. III. AVG . PRIMIPILARI . II. VR . QVIN
QVENNALI . PATRONO . MVNICIPI
CVRATORI . REIPVBLICAE
DECVR . ET . AVG . V . :: MVNICIPES . MAT . . .

Tarraconæ. 12

TEMPLVM . HOC . SACRVM . HER....
.....AVGVSTI . NOMEN . FELIX
REMANEAT . STIRPIS . SVAE . LAETETVR....
PARENS . NAM . QVOM . TE . CAESAR . TE . M....
EXPOSCE . DEVM . CAELOQVE . REPERIES....
MVNDVM . REGES . SINT . HEI . TV .. EI .. SORTE....
HVIC.IMPERENT. NEGANTQ. NOS. FELICIBVS.VOTEIS. SVEIS
L . AVRELIVS . L . F . PAL . RVFVS . PRIMOPILARIS
. . . . . XVI . MILITARIS . SEC . . . . .
. . . . . IMP . CAESARIS . . . .

In Hispania. 13.

L. AVRELIVS. L. F
PAL
RVFVS
PRIMOPILARIS
LEG. XVI
H. S. F

De ordinis ductore, qui Primipilus, vel Primopilus, vocabatur, diximus. Nunc de ipso ordine, qui Primus pilus, non Primipilus, aut Primopilus, appellabatur, ea, quæ scripta sunt a Veteribus, afferamus. Cæsar lib. III. *Belli Gall. P. Sextius Baculus primi pili Centurio*. Idem planius etiam *lib.* V. *Balventius anno superiore primum pilum duxerat*. Et *lib.* VI. *Sextius primum pilum apud Cæsarem duxerat*. Et lib. I. *Belli Civ. L. Pupius, primi pili Centurio*. Et *lib.* III. *Scævam, Centurionem, ab octavis ordinibus ad primum pilum traduxit*: tametsi mendose in vulgatis libris eo loco legatur, *Primipilum*; nam in antiquo Borromæi Cardinalis libro est, *Primum pilum*. Et *ibidem*, infra: *Crastinus primum pilum superiore anno in legione decima duxerat*. De hoc ordine significasse eundem puto lib. V. *Belli Gall.* cum dixit: *Erant in ea legione Centuriones, qui jam primis ordinibus appropinquarent, T. Pulfio, & L. Varenus*. Et Tacitum *lib.* XIX. *Occisi sex primorum ordinum Centuriones*. Et Livium *lib.* VII. *Septimum primum pilum jam Tullius ducebat*. Et *lib.* IIX. ubi de acie tertia loquitur: *Sub signis quindecim ordines locabantur, ex quibus ordo unusquisque tres partes habebat, eam unamquamque Primum pilum vocabant: tribus ex vexillis constabat*. Cum dicimus etiam Centurio primi pili, idem valet, ac si dicamus, Centurio primum pilum ducens: quod ostendit Sallustius in *Jugurtha*. Et Vellejus *lib.* II. *Primi pili Centurionem, nomine Vibillium, fuste percussit*. Liv. *lib.* II. *Populus dedicationem ædis dat M. Plætorio, primi pili Centurioni*. Suetonius in *Caligula*: *Nonnullis Centurionibus, ante paucissimos, quam consummaturi essent, dies, primos pilos ademit, caussatus senium cujusque & imbecillitatem*. Et Valerius *lib.* IX. *Dedicatio ædis Mercurii M. Plætorio, primi pili Centurioni, data est*. Et Tacitus *lib.* XIII. *Curam præsidiorum Pactio Orphito, primi pili honore perfuncto, mandat*. Et *lib.* XIX. *Aquilam Ælius Verus, primi pili Centurio, servaverat*. Et Plinius *lib.* XXII. *cap.* 6. *Primum pilum capessens, legionem eduxit*. Hæc ex Historia. Sed a Cicerone quoque tria suppetunt hujusce generis exempla. Epist. 20. lib. V. *ad Atticum*: *Cohortem primam totam perdidit, Centurionemque primi pili, Asinium Dentonem*. Et in *Oratione pro Balbo*: *L. Marcius, primi pili Centurio, cum Gaditanis fœdus icisse dicitur*. Et in *Antonium, Oratione* XII. *Cum Aquilæ primi pili nummos aureos daret*. Quo loco subaudiri, Centurioni, non dubito: alioqui legendum putarem, *Aquilæ Primipilo*.

Constat igitur ex Cæsare, Sallustio, Cicerone, Livio, Velleio, Suetonio, Valerio, Tacito, Plinio, ordinem in militia fuisse Primum pilum: de quo lapidum testimonia non habemus: ordinis autem ductorem fuisse Primipilum, & lapidibus, & libris, probatum jam est. Quæri potest: cum Primipilus appellaretur is, quem fuisse primum in Triariis Centurionem, Livio maxime teste probavimus, qui eum Tribuno mil. honore proximum locat, quibus nominibus reliqui novem Triariorum Centuriones appellarentur. Opinor, numero distinctos fuisse, ut post Primipilum diceretur, Centurio secundi Triarii, post hunc autem, Centurio tertii Triarii; eademque ratione, usque ad decimum. Et, cum dixit Cæsar, *Ab octavis ordinibus ad primum pilum Scævam traduxit*, indicat, opinor, Scævam, a Centurione octavi Triarii, primum Centurionem, id est, Primipilum, ob virtutem, esse factum. Sic Primus hastatus, pro primo ordine hastatorum, a Cæsare nominatur, *lib.* II. *Belli Civ. Cecidit*, inquit, *Q. Fulginius, ex primo hastato legionis* XII. *qui, ob eximiam virtutem, ex inferioribus ordinibus in eum locum pervenerat*; id est, a decimo hastato, per omnes reliquos ordines, usque ad primum. Et Cicero lib. I. *de Divin. Signifer primi hastati signum loco movere non potuit*.

Eadem ratione Primus princeps vocabatur Primus ordo inter principes; sic secundus, tertius, usque ad decimum. Unde illud, in Ciceronis *ad M. Brutum epistola*: *Nasennius Cretensi bello, Metello imperatore, octavum principem duxit*. Transibant autem Centuriones, virtutis gratia, ab inferiore ordine ad altiorem; ut a decimo hastato ad nonum; a nono ad octavum, & sic, usque ad primum: a primo vero hastato non ad decimum principem, sed ad primum; nec deinde a primo principe ad decimum triarium, sed ad primum, qui priscis temporibus vocabatur primus Centurio; posterioribus, Primipilus, ut Livii verbis ostendimus. Hanc mihi conjecturam de Centurione primi hastati ad ordinem Primum principem traducto, Livius affert: apud quem *l.* XLII. ita loquitur Sp. Ligustinus: *Hic me imperator dignum judicavit, cui Primum hastatum prioris centuriæ assignaret: tertio iterum voluntarius miles factus sum in eum exercitum, qui adversus Ætolos & Antiochum Regem est missus: a M. Acilio mihi Primus princeps prioris centuriæ est assignatus*. De Centurione autem primi principis, ad ordinem primi pili traducto, sic Vegetius *lib.* II. *Vetus consuetudo tenuit, ut ex primo principe legionis promoveretur Centurio primi pili*. Hactenus recte Vegetius. Quod autem subjungit, in eo mutatam militiæ rationem declarat: ait enim: *Qui non solum Aquilæ præerat, verum etiam quattuor centurias, id est, quadringentos milites, in prima acie gubernabat*. Primum, non quattuor centurias, verum unam tantum, gubernabat Primipilus: & erant in Triariis, quot Manipuli, totidem Primipili; qui antea, ut *lib.* VII. scripsit Livius, primi Centuriones appellati fuerant. In hoc igitur valde a Polybio, cui plurimum in historia tribuo, Vegetius dissentit. Quod si centuria Manipulus est, ut equidem facile credo; quia Centuriones, qui Manipulis præerant, nominabantur; non intelligo, qui potuerint in quattuor centuriis milites esse quadringenti. Concedam, priscis illis temporibus, cum Roma Regibus pareret, atque etiam aliquanto post, centenos fuisse milites in centuria, sed, quo tempore adversus Latinos Romani, T. Manlio Torquato & P. Decio Mure Cos. dimicarunt, in singulis hastatorum principumque manipulis erant milites sexageni; præterea Centuriones duo, vexillarius unus: Triariorum autem 180. & Centuriones item duo, vexillarius unus: totidemque & Rorarii, & Accensi, in eodem, cum Triariis, manipulo: nam in tertia acie quindecim manipulos Livius constituit; quos etiam Ordines vocat; singulosque dividit in partes tres, Triarios, Rorarios, Accensos. Age, Livianos manipulos omittamus: de iis cogitemus, quos Polybius denos quidem in singulis militum generibus, id est, in Hastatis, Principibus, Triariis, diverso tamen militum numero, constituit: singulis enim Hastatorum & Principum manipulis milites attribuit CXX. Triariorum autem manipulis dimidium, id est, LX. Ita neque Vegetio cum Livio,

aut Polybio, neque rursus inter Livium & Polybium convenit. Quid, quod primum pilum in acie prima statuit Vegetius, contra quem Livius, & Polybius, qui locum ei postrema in acie inter triarios assignat: nimirum diversis temporibus magna rei militaris facta commutatio est. Nec enim perpetuo mansit ea militiæ ratio, quam a Polybio, qui cum Africano Minore vixit, explicatam videmus. Ille pilum solis velitibus tribuit, hastatis autem & principibus veruta bina; triariis, neque pilum, neque veruta, sed hastam, præter

A gladium: Cæsar autem lib. III. *Belli Civ.* (ut uno contenti simus exemplo, cum suppetant multa) jacta esse pila, significat, ab iis, qui cum Crastino evocato contra Pompejanos procurrerunt: quos non fuisse velites, qui minimæ fortitudinis erant, ostendit non obscure: ait enim: *Electi milites eum circiter* CXX. *voluntarii ejusdem centuriæ sunt profecuti*. Ut omittam, quod legionem C. Marius auxit, ad militum sex millia: ut is esset ordinarius numerus, qui antea fuerat quattuor millia ducenti: quod Polybius memoriæ prodidit.

DISSERTATIUNCULA XII.

DE DRACHMIS

AD

JO. VINCENTIUM PINELLUM.



VELLEM, quo erga Te sim animo, ita dignoscere posses, ut ea, quæ oculis cernuntur: perspiceres certe eximiam voluntatem erga Te meam; nec vulgariter me sentire de Tuis virtutibus videres: Te, tuaque studia extollere, & in Te amando nemini cedere: &, quamquam virium imbecillitate non is sim, qui tua merita pro dignitate enumerare possim; amore tamen videor posse aliquid, atque adeo multum apud Te gratiæ mihi conciliare.

DRACHMARUM Atticarum duo genera fuere: unum ante Solonem, alterum a Solone inductum, utrumque XCVI. drachmarum in libra, sed pondere diversum: quia Solonis drachmæ leviores antiquis quarta parte ipsarum antiquarum fuerunt: ut XCVI. Solonis drachmæ non plus ponderis haberent, quam LXXII. superiores. Quod ex Plut. etiam intelligitur: quamquam loquitur perplexe: ait enim centum drachmarum a Solone Minam esse factam, cum antea LXIII. fuisset; quod si ita sentit, ut verba videntur ostendere, forsitan erravit: nunquam enim variatus est in Mina drachmarum numerus, sed mutatum in drachmis pondus, cum centenæ semper in Mina fuerint. Hoc igitur aut significavit Plutarchus, aut significare debuit, centum drachmas, a Solone percussas, non plus habuisse ponderis quam septuaginta quinque superiores: quod idem erat, si dixisset, e drachmarum septuaginta quinque veterum pondere novas centum a Solone factas: sed, cum ante Solonem Minam dixit fuisse drachmarum septuaginta trium, aberrasse mihi videtur a vero: convenit enim inter omnes, numquam apud Athenienses, ac ne apud alias quidem Gentes, drachmas in Mina fuisse pauciores centum. Etiam illud operæ pretium est animadverti; cum dicimus, in Mina drachmas centum fuisse, drachmas quidem centum numero significari, sed pondere tantum nonaginta sex; cum in eo pondere centum ferirentur, quattuor centesimas lucrante officina: ita septuaginta duæ pondere numero erunt septuaginta

A quinque; & quadraginta octo, quinquaginta: & triginta quattuor, viginti quinque; cum drachmam unam in viginti quinque officina lucretur; quæ sunt duæ in quinquaginta; & tres in septuaginta quinque, & quattuor in centum: quas modo centesimas quattuor appellavi.

De hoc posteriore drachmarum genere, a Solone inducto, loquitur Livius *lib.* XXXIV. cum ait *in tetradrachmo denarios fere tres inesse*. Ex quo fit, ut, cum in Mina sint tetradrachma viginti quinque numero, pondere autem viginti quattuor, id est, drachmæ centum numero, pondere autem
B nonaginta sex, in eadem Mina sint denarii ter viginti quinque numero, pondere autem viginti quattuor, id est, septuaginta quinque numero, pondere septuaginta duo. Nec vero, quia Livius addidit, *fere*, propterea quisquam dubitet: nam, cum monetæ pondus paullulum nonnunquam & apud Græcos & apud Romanos imminui non ignoraret, ideo veritus, ne quando drachma & denarius, officinarum fraude, non æquarentur, de incerta re sibi plane affirmandum non putavit. Cum igitur & denarius & antiqua drachma æque superarent Soloninam drachmam quarta utriusque parte, tertia vero Soloninæ; patet, ejusdem esse
C ponderis denarium & antiquam drachmam, & ex eo sequi, ut septem antiquæ drachmæ in uncia Romana feriantur, æque ac denarii; in uncia vero Attica denarii octo æque ac drachmæ. Sed quoniam Solon, cum drachmæ pondus minuit, id maxime secutus est, ut debitores onere levaret æris alieni; propterea drachmæ pondus in moneta duntaxat imminutum, in medicinis videtur idem remansisse, ut a denarii pondere nihil differret: ideo scripsit Plinius *lib.* XXI. *cap.* ultimo: *Drachma Attica denarii argentei habet pondus*: fere enim Attica observatione Medici utuntur. Quamquam, non modo Plinii ætate, sed multis
D ante annis, video drachmæ pondus in moneta fuisse idem quod ante Solonem fuerat, id est, idem cum denarii pondere: quod intelligere facile est; cum & Varro apud Plinium, & Festus, & Pollux, Talentum æstiment sex millibus denarium: qua æstimatione denarium drachmæ respondere perspicuum est. Ut igitur Drachma, sic Mina, & Ti-

Talentum, mutatum est. Minam vero, vel antiquam, vel a Solone inductam, ne quis putet libræ Romanæ æqualem pondere fuisse: nam antiqua gravior fuit quam libra, Solonina vero latior. Probemus utrumque.

In Solonis Mina denarios tantum fuisse LXII. cum de tetradrachmo ageremus, ostendimus: at in libra Romana denarios XXCIV. Plinius & Celsus ponunt: sunt igitur in libra Romana duodecim denarii plures quam in Mina Solonina; quod idem est, ac si dicas: Libra superat pondere Minam Soloninam septima sui parte; sexta Soloninæ. In drachma vero antiqua si tantundem est ponderis, quantum in denario, quod jam probatum est, sequitur, ut quemadmodum drachmæ sunt in Mina XCVI. item denarii totidem sint, id est, duodecim plures quam in libra: ita fit, ut libra pondere superetur a Mina antiqua, septima sui parte, octava vero Minæ. Verisimile autem est, libram Romanam respondere pondere Minæ Euboicæ: quia Africanus Major, cum Antiocho imponeret leges tributi, præscripsit Talenta Euboica; quasi nihil Euboica Mina differret a libra Romana.

A Concludimus igitur sic: Octo drachmæ antiquæ Atticæ æquales pondere sunt octo denariis; octo Soloninæ, sex denariis; octo Euboicæ, septem denariis.

Nunc, ut nihil omittatur, quod ad Drachmarum cognitionem pertineat, omnes omnium gentium Drachmas, adscripto cujusque valore, nominabimus.

B

I. Drachma Attica, ante Solonem, cujus usum a Solone sublatum, postea tamen restitutum diximus, ejusdem fuit cum denario ponderis; & pendit Venetos trientes, qui sunt Marculorum tertiæ partes,	48
II. Drachma Solonis,	36
III. Euboica, Romanæ unciæ octava pars,	42
IV. Babylonica,	49
V. Corinthiaca,	50
VI. Ægyptia,	56
VII. Æginetica, & Hebraica civilis,	60
VIII. Hebraica sacra,	120
IX. Syriaca.	144

DISSERTATIUNCULA XIII.

DE SESTERTIIS.

AD JO. CRATONEM A CRAFFTHEIM.



Nihil magis ex animi mei sententia potest accidere, Jo. CRATO, quam cum Tuis meritis aliqua saltem ex parte respondendi aliquam rationem ineo: vereor enim aliquando, ne me, quod in referenda gratia minime respondeam, in habendo quoque imparem judices: quod præcipue vitandum mihi statui: &, ut id affirmanti credas, summopere peto. Quæ sint Tua erga nos merita, sentio: quid debeam, agnosco: debitum fateor, de solutione cogito: & forsan animo respondebunt vires. Sed, quid ago? Tu animo contentus, amplius a me non requiris: &, quæ Tua est humanitas, majoribus me officiis in dies onerare non desinis.

ANIMADVERTI, permultas in Antiquorum libris reperiri Sestertiorum summas, quæ non facile ad ejus pecuniæ, qua nunc utimur, rationem transducantur. Nec enim omnes in hoc scientiæ genere versantur; &, qui versantur, non omnes tamen recte subducunt; &, qui recte, iis tamen sæpe non placet; alienaque, si licet, industria frui malunt: quare dedi operam, ut explanarem omnia, quæcumque cogitandi & subducendi molestiam afferre poterant, ab exigua summa principio sumto, ad immensam narrationem perducta.

Quattrino, quadrans, qui erat quarta pars assis, nummus æreus, teruncius argenteus.
Marchetto, quadrantes tres.
Bajocco, quadrantes quattuor.
Grossetto, quadrantes duodecim, id est, asses tres, quibus æstimabatur argenteus nummus Sestertius: qui post secundum Punicum bellum tribus assibus, id est, duodecim quadrantibus, permutatus est: cum antea decem tantum quadrantibus, id est, duobus assibus & semisse tertio. Placuit autem Veteribus in ratione pecuniaria sestertios potius quam alios nummos nominare; ut nulla esset tanta pecunia, quam non, multiplicatis sestertiis, exponerent. Et, quoniam, ut illi sestertios, sic nos scutatos in qualibet summa nominamus: subscribemus, quot sestertii scutatum unum conficiant. Quo posito, satis constabit, quo modo sestertiorum summæ, in Antiquorum libris inventæ, per scutatos, quibus utimur, possint explicari. Sed, vitandæ satietatis caussa, per quosdam quasi gradus denarii numeri, omissis levioribus summis, propemodum innumerabilibus, eo usque procedemus, ut, quantum auri in universo terrarum orbe vix reperitur, per hanc, ut ita dicam, sestertiariam rationem comprehendamus. Ac primum de scutato uno, qui conficitur sestertiis tricenis ternis & asse. In quo illud animadvertendum, de eo scutato sermonem esse, qui permutabatur denis Juliis Romanis, quorum erat idem argenti pondus, quod in hodiernis undecim; & permutabantur singuli quadragenis quadrantibus, id est, sestertiis tricenis ternis & asse: qui erant omnino in decem Juliis sestertii triceni terni cum asse. Quam summam per scutatum unum interpretabimur.

H-S XXXIII. cum asse	*Scudo uno*.
H-S ∞	*trenta*.
H-S decem millia	*trecento*.
H-S centum millia	*tre mila*.
Decies centena millia H-S,	

vel, Decies, (utroque enim modo dicitur)	*trenta mila.*	A
Vicies (& hic, & in ſequentibus omnibus, ad extremum uſque, ſubaudiatur, centena millia)	*ſeſſanta mila.*	
Tricies	*novanta mila.*	
Quadragies	*cento vinti mila.*	
Quinquagies	*cento cinquanta mila.*	
Sexagies	*cento ottanta mila.*	
Septuagies	*dugento dieci mila.*	
Octogies	*dugento quaranta mila.*	
Nonagies	*dugento ſettanta mila.*	
Centies	*trecento mila.*	B
Ducenties	*ſeicento mila.*	
Trecenties	*novecento mila.*	
Quadringenties	*un millione, e dugento mila.*	
Quingenties	*un millione, e cinquecento mila.*	
Sexcenties	*un millione, e ottocento mila.*	
Septingenties	*due milliona, e cento mila.*	
Octingenties	*due milliona, e quattrocento mila.*	
Nongenties	*due milliona, e ſettecento mila.*	
Millies	*tre milliona.*	
Millies decies	*tre milliona, e trenta mila.*	
Millies vicies	*tre milliona, e ſeſſanta mila.*	
Millies tricies	*tre milliona, e novanta mila.*	C
Millies quadragies	*tre milliona, e cento venti mila.*	
Millies quinquagies	*tre milliona, e cento cinquanta mila.*	
Millies ſexagies	*tre milliona, e cento ottanta mila.*	
Millies ſeptuagies	*tre milliona, e dugento dieci mila.*	
Millies octogies	*tre milliona, e dugento quaranta mila.*	
Millies nonagies	*tre milliona, e dugento ſettanta mila.*	
Millies centies	*tre milliona, e trecento mila.*	
Millies ducenties	*tre milliona, e ſeicento mila.*	D
Millies trecenties	*tre milliona, e novecento mil.*	
Millies quadringenties	*quattro milliona, e dugento mila.*	
Millies quingenties	*quattro milliona, e cinquecento mila.*	
Millies ſexcenties	*quattro milliona, e ottocento mila.*	
Millies ſeptingenties	*cinque milliona, e cento mila.*	
Millies octingenties	*cinque milliona, e quattro cento mila.*	
Millies nongenties	*cinque milliona, e ſette cento mila.*	
Bis millies	*ſei milliona.*	
Bis millies centies	*ſei milliona, e trecento mila.*	
Bis millies ducenties	*ſei milliona, e ſeicento mila.*	
Bis millies trecenties	*ſei milliona, e novecento mila.*	
Bis millies quadringenties	*ſette milliona, e dugento mila.*	
Bis millies quingenties	*ſette milliona, e cinquecento mila.*	
Bis millies ſexcenties	*ſette milliona, & ottoc. mila.*	
Bis millies ſeptingenties	*otto milliona, e cento mila.*	
Bis millies octingenties	*otto milliona, & quattrocento mila.*	
Bis millies nongenties	*otto milliona, e ſettecento mil.*	
Ter millies	*nove milliona.*	
Quater millies	*dodici milliona.*	
Quinquies millies	*quindici milliona.*	
Sexies millies	*diciotto milliona.*	
Septies millies	*vent' un milliona.*	
Octies millies	*ventiquattro milliona.*	
Novies millies	*ventiſette milliona.*	
Decies millies	*trenta milliona.*	
Vicies millies	*ſeſſanta milliona.*	
Tricies millies	*novanta milliona.*	
Quadragies millies	*cento venti milliona.*	
Quinquagies millies	*cento cinquanta milliona.*	
Sexagies millies	*cento ottanta milliona.*	
Septuagies millies	*dugento dieci milliona.*	
Octogies millies	*dugento quaranta milliona.*	
Nonagies millies	*dugento ſettanta milliona.*	
Centies millies	*trecento milliona.*	
Ducenties millies	*ſeicento milliona.*	
Trecenties millies	*novecento milliona.*	
Quadringenties millies	*mille, e dugento milliona.*	
Quingenties millies	*mille, e cinquecento milliona.*	
Sexcenties millies	*mille, e ottocento milliona.*	
Septingenties millies	*due mila, e cento milliona.*	
Octingenties millies	*due mila, e quattroc. milliona.*	
Nongenties millies	*due mila, e ſettecento milliona.*	
Millies millies	*tre mila milliona.*	
Decies millies millies	*trenta mila milliona.*	
Centies millies millies	*trecento mila milliona.*	

FINIS.

PAULI JOVII,

NOVOCOMENSIS MEDICUS,

ET EPISCOPUS NUCERINUS,

DE

ROMANIS PISCIBUS

LIBELLUS.

AD

LUDOVICUM BORBONIUM

CARDINALEM AMPLISSIMUM.

P A U L U S   J O V I U S,

NOVOCOMENSIS MEDICUS, ET EPISCOPUS NUCERINUS,

A D

LUDOVICUM FARNESIUM CARDINALEM AMPLISSIMUM.



Uades, Reverendissime ac Illustrissime Domine, qui etiam jure optimo compellere potes, ut ea litteris tradam, quæ de Romanis Piscibus erudite atque subtiliter fuere disputata, quum TE & Joannem Lotharingum præclarissimi ingenii Cardinalem Clemens Pontifex familiari convivio, veluti animum remissurus, hilariter excepisset. Res est cognitu tractataque difficilis, cum propter infinitam fere naturæ piscium varietatem, quæ me & plerosque alios admodum curiosos hactenus irrito labore fatigavit, tum propter incredibilem Scriptorum discrepantiam, qui ex multiplici Linguarum varietate perpetuas hujusmodi studiis tenebras offuderunt. Quibus de causis necesse est, ut animus rei difficultate permotus totum hoc munus, quod majoribus doctrinæ exactiorisque judicii nervis esset extendendum, haud mediocriter reformidet. Sed ea est dignitas, amplitudoque tua, & morum suavitas cum singulari optimarum litterarum cupiditate conjuncta, ut honoris mei vel gloriolæ, si qua ingenuis studiis parta est, jacturam plane facere, quam honestissimo desiderio tuo penitus deesse malim. Verum tu postea judicaveris, an ego qui rem tam difficilis argumenti & majorem omnino ingenii facultatem postulantis suscepi, impudentiæ culpa vacaverim, quum ejus nominis veniam jam deprecer, ut officiosus & perhumanus appaream. Proinde hunc Libellum ab acrioribus Censoribus minus severe judicari velim, quando eum festiva quadam hilaritate veluti ludibundus, dum multi per hæc Saturnalia, aleæ, cæterisque voluptatibus vacarent, antiquis meis earum rerum observationibus memoria repetitis, excogitaverim, & aliqua ex parte perfecerim. Eritque hic male feriati hominis ingenuus labor, fortasse præludium justi absolutique Operis, si qui litteris ac industria pollent, proposita oculis, & a me quasi per transennam commonstrata, accuratius contemplari, ac uberioribus interpretationibus illustrare voluerint. Ego certe hoc munere, & Tibi in primis, & illis gratum fecisse videbor, animusque etiam meus tanquam amœniore diverticulo recreatus ad institutas absolvendæ Historiæ lucubrationes & firmior & alacrior revertetur. Exibit enim in publicum propediem hujusmodi laboriosissimi Operis prima Decas non sine aliqua spe immortalitatis, & tum quidem multo auctior & ornatior, si eam Tibi & Francisco Regi tuo, quem liberalibus studiis delectari audivimus, aliquando placuisse cognovero. Vale.

Ex Vaticano IV. *Calendas Aprilis* MDXXIV.

I N D E X   C A P I T U M.

PAULI JOVII, NOVOCOMENSIS MEDICI, ET EPISCOPI NUCERINI, DE ROMANIS PISCIBUS LIBELLUS.

CAPUT I.

De Piscibus in genere.



Ingulorum Piscium nomina naturamque indagare, sicuti infiniti prope laboris est, & doctrinæ haud mediocris, ita præsentis non erit instituti, quum Græci Auctores, qui naturæ rerum abdita diligentissime perscrutati sunt, suaque nomina singulis rebus indiderunt, de toto aquatilium genere variis voluminibus abunde conscripserint. Neque ipsum Plinium civem meum penitus imitabor, qui ut Græcorum inventa Romanis litteris exprimeret, tota natura ubique mirifice repræsentata, non modo conclusi maris ac fluminum pisces, verum etiam ipsas belluas toto Oceano fugientes persecutus est. Itaque nostrorum littorum finibus non abscedam, atque ii tantum Pisces, e quibus Romæ generosa parantur opsonia, e Tyrrheno mari, fluviis, ac lacubus Italiæ citabuntur. Neque mirum Curiosis esse debuerit, si quæ Veteres prodidere, nostræ tempestatis piscationi, omni ex parte, minime consenserint. Nam, etsi easdem semper animantium species perpetuo naturæ ordine terra marique fuisse nequaquam sit dubitandum, multa tamen variis de causis variata atque immutata videntur. Insani siquidem Principes, quibus opes ludibrio erant, sicut hominum, ita & piscium colonias aliquando deduxere, ut luxuria in promtu haberet, quæ paulo ante frustra concupisset, & novos inde incolas ipsa littora mirarentur. Scarum enim illum prænobilem in Græcia piscem, quem Ennius Poeta, ob excellentiam, *Jovis cerebrum* vocitabat, Optatus Tiberii Cæsaris Libertus, ut ante eum Lucullus cerasum, Campanis littoribus importavit, cujus sobolem vel penitus interiisse, vel, ut credi par est, longo patrii maris desiderio abductum, in Græciam remeasse putamus. Acipenser quoque ille Regum mensis usurpatus, & conversa in caput squammarum serie insignis, eadem ratione, quod fortasse fuerit inquilinus, hac ætate proculdubio evanuit. Peregrinantur enim sua sponte pisces, sæpiusque natalibus locis demigrant, tædioque littorum, vel ab innata lascivia, ad quærendas novas sedes per immensa pelagi spacia deferuntur. Novos etiam pisces retibus exceptos piscatores admirati sunt, quos de extremis maris recessibus, imisque profundi gurgitibus, provenire, vel per Gaditanas fauces in mare nostrum a vastis-

A simo Oceano irrumpere credendum est, sicuti etiam certis annorum curriculis inusitati generis aves e diversa terrarum regione in Italiam advolasse traduntur.

Multa quoque piscatoriæ artis instrumenta defecere, quum ejus præcepta aut per manus tradi, aut litterarum memoriæ, intercidentibus Veterum libris, demandari nequiverint, & contra, novæ fraudes, aliæque insidiæ a recentioribus sint excogitatæ, quæ res non mediocrem ad dignoscendos pisces difficultatem attulisse videtur: ita ut existimare liceat quosdam pisces, uno argumento quod nusquam appareant, vitare retia atque astu nostrorum artes ludificari; aliquos vero frequentius, quam antiquis evenerit, capi, de quorum nomine
B nunc maxime dubitemus. Constat nonnullos pisces, alias in nullo censu, quod mire Principum gulæ placuissent, summam per aliquod tempus publica quadam assentatione claritatem obtinuisse, qui postmodum exstincta cum his Regibus raritatis opinione, quum omnes saporem ipsum æquali ac libero totius populi judicio metirentur, vilissimo demum pretio venierunt: uti modo Merlucciæ plebejo admodum pisci Hadrianus Pontifex sicuti in administranda Republica hebetis ingenii, vel depravati judicii, ita in esculentis insulsissimi gustus, supra mediocre pretium, ridente toto foro piscario, jam fecerat. Nec mirum esse debet, quum diversum alii atque alii palatum habeant, numerosioraque
C opsonia mari petantur quam terra, siquidem non modo volucres cæterasque sylvarum animantes fœcundissima maria gignunt, sed ex ipsis piscibus etiam instrumenta, stupenda varietate, quæ homines imitentur, in fabriles usus abunde præbeant, nihilque animo concipi vel oculis videri possit, intra hoc cœlum, quo nos integimur, quod ipse Neptunus pater in opulentissimis profundi regnis non habeat & benigne largiatur.

Sed & major piscium copia, majorque varietas, quam nunc conspicere contingat, antiquitus Romæ visebatur, quum in summo luxus fastigio peregrini pisces a remotissimis Jonii Siculique littoribus peterentur: ob idque expeditissimi myoparones essent
D instituti, quorum remigio quicquid Brundusii, Messanæ, Tarentique excelleret, Romanis culinis protinus inferretur, eosque tum maxime sapidos pisces æstimarent, quos & maximo piscantium labore & summis sumtibus quæsivissent. Sed hoc certe parum fuerit, Jonii incolas perforatis inclusos caveis captivos trahere, adnitentibusque remis ac velis longinqua verrere maria, ut magnæ Græciæ opsonia non recentia modo, verum adhuc spirantia, Romani lurcones absumerent; quum in quibusdam Cæsaribus ea quoque prurientis gulæ petulantia fuerit, ut in maritimis regionibus pisces fastidirent, quos postea, in montanis locisque mediterraneis quum

essent, veluti sordescente venatione, per disposi- tos equos & quidem multa timentium servorum diligentia adduci curarent. Adinventæ quoque fuere Piscinæ, quas ad mare insano quidem sumtu exstruebant, ut sævientium aliquando ventorum rabies & hac quoque hominum industria vinceretur, nec castigari luxuria posset, etiamsi Æolus atque Neptunus, cæteraque Ponti numina, infensa ac infesta epulantibus esse voluissent.

Itaque nullo anni tempore, nullisque in locis, etiam a mari procul remotis, egregii Romanis mensis pisces defuere. Siquidem studium ejus rei, curamque illam, inveterati gentis mores excoluerant, quando nulla vel frigidulo, ut poetice dicam, digna Equite cœna censeretur, quæ marinis dapibus caruisset. Nos vero contra nisi lege coacti piscibus vescimur, quum certis diebus volucrem aut quadrupedem esitasse piaculum sit. Ita ut, si animi religione solverentur, nunquam profecto pisces ipsos, sed capum, perdicem ganeones, pro mullis, auratis, ac lupis, sectaturos appareat: atque hos tantum fortasse, quum gula quotidianis expleta ferculis nova sibi ad invitandam famem diverticula quæsiverit. Tantumque abest, ut pisces cupidius affectemus, ut quadragenis illis verni jejunii diebus, neque deorum metu, neque infamia permoti, aliquando ad vorandas carnes detestanda cupiditate rapiamur. Quibus de causis effectum est, ut neglecta piscatione, vetera piscium nomina penitus exoleverint. A nostris enim Vere tantum ipso, enixe certatimque piscantibus omnis generis pisces minime capiuntur. Etenim pisces pro varietate temporum modo vagantur, modo latibula quærunt, in quibus se condant, neque illorum captura est, nisi certis fere temporibus. Clupeæ ad prima statim Veris signa, quum Ciconiæ adventant, subire Tyberim solent, inclinante Vere nusquam apparent. In Lario etiam lacu Pigus piscis ille clavis caligaribus insignis, ut Plinius refert, non alias unquam a me, hoc etiam curiose quærente, conspici potuit, quam Vergiliarum ortu, quibus maxime diebus Turdi gregatim ab Alpibus in vineta devolare consueverunt. Sed id præsertim in causa est, cur sæpius fallamur, & difficillime vera ea vocabula deprehendamus, quod aliis atque aliis nominibus diversi littorum tractus (ut Plinianis utar verbis) eosdem pisces appellent. Nec mirum, quum rem Romanam ita volentibus fatis barbaræ Nationes afflixerint, ipsaque Europa, externarum Gentium repleta coloniis, jampridem veras litteras & antiquam dignitatem amiserit.

CAP. II.

De Capidolio.

MAximus inter pisces, qui hæc littora attingant, Capidolius ab Romanis appellatur: unum ex his, paucis ante annis, vasta corporis magnitudine, oculis ac dentibus truculentum, irata maria ingentibus propulsum fluctibus humilia in vada detruserunt non longe a Graviscis in ora Tuscorum. Inhæsit multa reciprocantis pelagi jactatione fatigatus arenæ, quam pondere suo impetuque sulcaverat. Neque inde sua oppressus mole circumagere sese præ inertia aut evadere potuit, quum maria modo tantis inflata fluctibus, subsecuta tranquillitate, frustra eluctantem frequentibus prægrandis caudæ flexibus, fugamque in altum multo gemitu molientem, quieto vadosoque in littore destituissent. Ergo perpetuis veluti circumvallatus aggeribus, crebro multoque reflatu indignabundus & exspirans, circumfusis populis prædæ atque spectaculo fuit, membratimque secu- A ribus cæsus & subditus prælis in lucernarum usus liquorem præbuit: tanta erat belluæ vastitas, tanque ejus dorsi altitudo, ut facile utrinque pariter equitantibus mutuum adspectum eriperet. Fuere miraculo ingentia ossa in templorum vestibulis suspensa, & in his præsertim oculorum receptacula, quæ orbem prægrandis dolii æquabant. Sed ea res mox in prodigium versa est, sicuti tristi admodum eventu statim apparuit: quum enim æstivi soles fœda putrescentis belluæ viscera fervoribus excitata sanie corrupissent, (quanquam aggesta materia teterrimi odoris fastistio cremaretur) brevi tamen adeo fœtido noxioque vapore regionem suapte natu- B ra pestilentem infecit, ut ea inauditi spectaculi voluptas multis incolarum funeribus eo Autumno constiterit.

Non multis quoque ante annis alia ejusdem generis bellua non longe ab Arni fluminis ostio, sæviente Austri flatibus tempestate, vadis illisa est, quam morbo ac senio multaque agitatione confectam similis accolarum concursus dissecuit, extractisque ad spectaculum costis, spinæque sphondylis, continuo concremavit, ne gravi eo halitu aer adfectus insalubrior redderetur.

Capidolium a Plinio Orcam vocatum esse credi- C derim, quam spectante Populo Romano Claudius Cæsar Ostiensi in portu longo plagarum ordine conclusam, veluti maximo in circo, vel ipsa Naumachia, Prætoriana classe invectus, circumfusoque milite, expugnavit atque confecit: nec minore quidem spectaculi gloria quam antea serpentem ad Bagradam Attilius Regulus admotis castris & directis catapultis atque balistis oppresserit. Orcæ cum Balenis continenter bella gerunt & toto Oceano cruentissimis inter se præliis dimicant; utræque Gaditanum Fretum aliquando ingrediuntur.

Est & in Oceano cetarii generis Rota, quam vidit Lusitana classis, dum extremum Æthiopiæ D promontorium superaret; geminas dorso rotas gestare videbatur, ad earum similitudinem quæ frumentarias molas impellente vento editioribus in locis circumducunt. Extimuere tantæ belluæ congressum periti nautæ, qui modo ignoti maris immensos fluctus certaque pericula, contemserant, satiusque visum conversis velis fugam capere, quam exspectare belluam terribili fragore vasta spumosaque maria proscindentem, & superbo fremitu veluti conspectis hostibus prælium cientem. Neque eam terruere excussa navibus tomenta, quorum boatibus ea maria resonabant, fugientesque proculdubio immanis bellua vastis mæandris adnatan- E do fuisset consecuta, ventis ac velis celeritate cedentibus, nisi mirabunda substitisset: quippe quæ perpetuam intendentibus fugam satis gloriosa insectatione victoriam expressisse videretur.

Conspicitur & Physiter piscis extra Columnas Herculeas, Flator ab Latinis appellatus, qui frequenti reflatu præaltas undas evomere solet: ita ut procul navigiorum vela ob spumantis aquæ candorem appareant. Eæ belluæ superiore biennio quibusdam Cæsarianis e Britannia in Hispaniam trajicientibus magnum terrorem incussere, quum Gallorum navigia ea velorum specie e longinquo re- præsentassent, qui tum ardente bello ea maria infe- F stis classibus obsidebant. Sed jam Oceano suas belluas relinquamus, quum fercula mensarum potius quam naturæ maris tam multa miracula simus narraturi.

CAP. III.

De Bove bellua & Canicula.

SEd antequam ad eos pisces, qui conviviis inferuntur, proposito ordine veniamus, Bos ille ingentis latique corporis, natantium hominum devorator, minime erit prætereundus. Is admirabili calliditate in mari nostro grassatur, portusque & exculta ædificiis littora sæpius frequentat, inde occultus & quasi torpens simulata segnitia natantes adoritur. Bendinellus Saulus Cardinalis sæpius referre solebat, se admodum adolescentem cum aliis ejus ætatis sodalibus natandi studio, non longe a portu in mare altius provectum, in hujusmodi belluam incidisse, quæ sedato ac maxime tranquillo in mari quieta & immobilis distincte atque perspicue visebatur, cujus adspectu adeo expaverit, ut timore præpediente ab solita natandi peritia pene destitutus, ægre se receperit. Æthiopem vero, qui peregregius erat urinator, quique ipsis adolescentibus corpora eorum ac animos maris periculis paulatim insuefaciendo natandi artem tradebat, subsidenti in insidiis belluæ obvium celeri natatu prodiisse, sive ut paventium mentes, ejus monstri incursu consternatas, despecto periculo confirmaret, vel ut ipse ad referendum miraculum belluæ effigiem propius intueretur. Sed belluam prædæ intentam illum temere adnatantem immani exceptum hiatu confestim devorasse, neque alia infeliciter pereuntis Æthiopis edita signa, præter spumam cruentam, agitato in mari ebullientem, ita ut prius multiplici & peracuta dentium serie confixus, quam devoratus esse crederetur. Oppianus homicidam Bovem elegantissime descripsit, cujus sententia a Lippo pulcherrimis versibus Latine translata est, quum cæteri Auctores de hoc nullam fere mentionem fecissent.

Est & infesta natantibus ipsa Canicula, quæ mortiferis potius dentibus mordicus homines dilacerat, quam devoret, quum capite tantum sæva castigatum habeat ventrem & in prælongam ac tenuem exeat caudam, cujus astus, naturamque multo simul metu, multaque audacia memorabilem, si referre conarer, insulsissime facerem, quum Plinius incomparabili elegantia brevitateque, uti miri ejus ingenii mos fuit, suo loco eam expresserit.

CAP. IV.

De Sturione.

EX omnibus piscibus, qui lautioribus apponuntur mensis, nullus est toto mari, vel amnibus, ipso Sturione procerior atque sapidior. Siquidem ubique terrarum & maximum pretium & summam dignitatem hac ætate semper obtinuit. Maria hunc gignunt, sed eum flumina maxime nobilitant; pinguescit enim dulcium aquarum haustu, subagrestemque illum saporem exuit, qui præalto in mari concipitur. Magnos amnes perquam libenter subit, propterea in Nilo, Tanai, & Danubio, Padoque fluminibus maxime reperitur.

Caput ejus rostratum est, & ad effigiem quadratæ pyramidis protensum. Os illi est sine maxillis, sine dentibus, diversum penitus ab reliquorum piscium forma, idque sub mento in ipsa prope juguli parte ad similitudinem fistulæ arundineæ rotundam, semperque patens, & cartilagineum, & summe candidum, cujus hiatum in procerioribus hasta brachii crassitudine haud facile impleret. Cæterum totum caput dura potius & callosa cartilagine quam certis ossibus constat, quod ex lento

A quodam & præpingui mucore concretum esse videtur. Naribus autem omnino, quæ illi pertenues sunt, supra rostrum refrigeratur, cum branchiis omnino latis careat, & si quam hauriendo recipit aquam, illam eodem prono ore statim regerit. Toto autem dorso crassiores quædam squamæ ossea duritie certo numero ordineque distinctæ, intercurrente spinæ acie ad elegantiam eminent, uti in magnificentioribus valvis hodie videmus, quas ferrei atque inaurati clavi certa serie confixi decentissime figurant. Cæteræ corporis partes cuticulari & scabro admodum operimento potius quam perpetuis squamis integuntur, idque ad subviridis

B atrique coloris speciem.

Quo nomine autem ab antiquis Sturio fuerit appellatus, haud facile divinaverim, quando gravissimi nostræ tempestatis Scriptores variis sententiis inter se dissentiant, quæ quidem magno etiam intervallo a veritate discrepant. Et has quidem sententias vanis innixas conjecturis aliquanto facilius erit confutare, quam verum certumque nomen celebratissimi piscis in medium afferre. Satis tamen fuerit, Curiosos de alienis erroribus admonuisse, ut aliud ipsi accommodatius ac melius investigent, si nos fortasse minus proprium nomen invenisse vi-

C debimur.

Raphael Volaterranus, qui laboriosissimum cunctis de rebus volumen condidit, arbitratus est eum hodie Sturionem esse, qui apud Græcos Labrax, apud Latinos vero Lupus fuerit; cujus opinionem plerique Romanæ Academiæ Proceres, & ante alios Thomas Phædrus & Portius Camillus, omnibus conviviis probaverunt, his maxime adducti argumentis, quod Lupus Tyberinus longe omnium piscium apud Romanos esset laudatissimus, & is maxime qui cloacas Urbis intraret, atque inter duos pontes caperetur, qua una modo conditione Sturiones omnium judicio summam saporis commen-

D dationem accipiant, sicuti eos Horatius & Juvenalis, itemque M. Varro, & Plinius, & Macrobius celebrarint: referre etiam ad prisci nominis conjecturam, Sturiones hodie a nostris piscatoribus Lupos appellari, solereque eos capto eo pisce, quum retia trahunt, clariore voce præ lætitia, Lupi nomen ingeminare. Quæ conjecturæ multis rationibus mihi admodum frivolæ videntur, quum id genus argumenti apud Dialecticos fallacissimum sit, Lupi Tyberini sunt delicatissimi, sed Sturiones Tyberini sunt delicatissimi, igitur Sturiones sunt Lupi. In hoc enim non comparatur totum Luporum genus cum aliis piscibus, sed eorum, qui in

E Tyberi capiuntur, ab his, qui in alto degant mari, differentia exprimitur. Ridiculum enim esset etiam apud mediocriter intelligentes, parasitos Lacciam, Spigolam, atque Lampetram in Tyberi pariter captos, qui mox Latine nominabuntur, uno prælato Sturione in secundis dignitatis gradibus collocare, quum Sturio non semper sit gratissimus, utpote qui in mediis tantum solstitii fervoribus laudetur.

Poggius doctioris Poggii filius in senectute non modo eruditus, sed usque ad iracundiam in conditura ferculorum morosus & vehemens parasitus, quum Sturionem apud Antiquos Lupum fuisse & ipse crederet, in Pontificiis, quas maxime secta-

F batur, cœnis dicere solebat, Veteres insulsum habuisse palatum, quod tantopere Lupum celebrassent; eum enim carnes habere cum præduras, tum multa glutinosioris succi exuberantia insuaveis, quæ prius appetentes satient & expleant quam delectent. Propterea non domini, sed familiæ potius mensis apponendum esse censebat, uno tantum excepto capite, cujus elixi & leucophago conditi, latebras & recessus omnes ipse furcula simul ac digitis avidissime scrutabatur.

Sed

Sed ne in refellendis eorum argumentis nimium immoremur, dicamus Lupum alium esse piscem a Sturione, Spigolam vulgari nomine nuncupatum, quo probato, Sturionem illis sine nomine relinquemus. Spigola hodie apud Romanos est, qui Venetiis Varollus, Lupacius in Liguria, in Etruria Araneus, & Lupus in Hispania vocitatur. Romanus inter Tiberinos captus pontes omnium consensu palmam obtinet: constat enim piscatorum testimonio, qui pluris illum, quam in alto captum mari, lautorum opsonatoribus vendunt. Is admodum vorax subire cloacas solet & mediæ cryptas intrare Suburræ, ut ait Juvenalis*, circa sterquilinia & ejectitias sordes moratur, obvia quæque devorat, nec piscibus ullis, vel corruptissimis escis parcit. Paucis ante mensibus quum in foro piscario ingens Spigola exenteraretur, oblongus serpens in ventre repertus est. Quibus de causis in Tiberi mirum in modum pinguescit & adolescit: nec abnuerim etiam Sturiones subire amnem & pinguioribus aquis gaudere, eosque tanto sapidiores esse, quanto magis a maris littoribus recesserint. Sed hac ratione Lupus & Sturio idem esse minime probatur, quum utraque differentia ambobus æque conveniat: subire enim amnem Tiberinum, & ea pastione gaudere atque pinguescere, proprium potius Spigolæ quam Sturionis esse videtur: quoniam non comparamus Sturionem in alto captum cum eo quem in Urbe expiscamur, quum nunquam fere Sturio vel certe rarissime in prædalto mari capiatur, ut piscatorum testimoniis clare deprehendimus; at contra Spigola & ex alto mari & ex amne Tiberi quotidie hamis vel retibus extrahatur. Ita ut Horatium id innuisse clare admodum existimemus, quum dicit †:

Unde datum sentis, Lupus hic Tyberinus an alto
Caput hiet, pontesne inter jactatus, an amnis
Ostia sub Tusci? laudas insane trilibrem
Mullum, in singula quem minuas pulmenta necesse est.
Ducit te species video; quid pertinet ergo
Proceros odisse Lupos? quia scilicet illis
Majorem natura modum dedit, his breve pondus.
Jejunus stomachus raro vulgaria temnit.

Patet igitur Lupos capi & in alto, & inter pontes, quod evidentissime in Spigolis hodie contingit. Facit etiam ad conjecturam non contemnendam illud, *captus hiet;* quis enim unquam Sturionem vidit hiantem, quum os sub rostro habeat, & immobile & angustum, quodque nullo vel vertebræ, vel ductilis mandibulæ beneficio dilatari potest? in Spigola autem sit repandum & latum, uti semper in ipsis videmus, soleantque ad elegantiam opsonatores malo Aurancio lassatas illas hiantis oris maxillas adimplere.

Neque illud obstiterit, quod dicere solebat Amiterninus pertinax Grammaticus, qui perpetuas cum syllabis lites exercuit, Horatium scilicet dixisse *proceros odisse Lupos*, ut significaret parvos majoribus esse præstantiores, quod ad amussim Sturionibus ipsis congruere videatur, quando Lurcones & diligentissimi quique Ganeonum parvos Sturiones, quos Porcelletas appellant, repudiatis majoribus, consectentur. Plurimum enim a Poetæ sensibus bonus ille Grammaticus aberrabat: nam Horatius proceros Lupos cum seipsis minoribus non comparavit, sed cum Mullis trilibribus, sicuti paulo post apertissime declarat, dicens majorem a natura modum Lupis esse datum, qui Mullis parum crescentibus sit denegatus. Verum is tum egregie & magno quidem cum joco, quum superbe contenderet, a nobis coarguebatur: interrogantibus enim quemnam antiquitus piscem fuisse Spigolam putaret, quem adeo libenter ipse edere soleret, si Lupus Sturio esse diceretur, respondebat illam esse Squillam, ridendo quidem errore, ut in proprio capite *de Squilla*, quum de Juvenalis versibus agetur, diffuse narrabimus.

* Sat. v. ℣. 105. † Serm. lib. 2. sat. 2.

Sed id me plurimum movet, quod Spigola hodie in Hispania Lupus appelletur, quæ una terrarum Latinam Linguam magna ex parte incorruptam conservavit, ipsique Ligures proximum Latino ejus piscis nomen pronuncient. Cæterum ad tollendam hujus quæstionis ambiguitatem, Aristotelis sententiam adducemus, ait enim Lupum esse squamigerum & quaternis pinnis innatare: quæ differentiæ ipsum Sturionem excludere videntur, quum non squamis, sed cute potius aspera contegatur, nec quaternis pinnis ad natandi usum instruatur. Præterea Galenus in tertio *de Alimentis*, Lupum, ait, subtiliorem generare sanguinem, & propterea cum perdicis carnibus quadam similitudine convenire, quod nemo sanus Medicus Sturioni attribuere audebit, quum crassum potius humorem adgeneret, & valde lentum, quod viscosum dicunt, ipsisque aptius adultæ vitulæ carnibus, quam perdicum levissimis pulpis æquiparetur. Cornelius quoque Celsus, ad corroborandam Galeni auctoritatem, Lupum & Mullum inter pisces levioris esse alimenti apertissime dicit, quod & nostra quoque experientia quotidie comprobatur. Porro ipse divus Ambrosius in *Hexahemero* teneritudinem in Lupo mirifice laudat, sicuti Plinius in eodem mollitiem extollit, quum nec Sturionis præteneræ sint carnes, & Luporum longe tenerrimæ consensu omnium habeantur. Putavere etiam Plinium, quum Lupos a candore lanarum lanatos dictos asserat, de Sturione intelligere voluisse, quod Sturionum carnes plurimum albicare videantur quasi Lupi, vel argentearum squamarum candore, vel summo illo lactearum carnium albore, cæteros omneis pisces non superent. Illud quoque Martialis*,

Laneus Euganei Lupus excipit ora Timavi,

eorum opinionem aperte redarguit, quoniam Timavus flumen in finibus Aquilejensium, cujus ostia celebrata a Virgilio, hodie magna ex parte extenuata oblimataque sunt, Sturiones non habet, qui tamen Varollis & Troctis abundat. Quod si dicatur Martialem pro Timavo Medoacum, qui hodie Patavinorum Brenta est, accipere voluisse, eadem ratione respondemus, quum Brenta manifeste, aut nullos, aut certe paucissimos, & quidem minutulos Sturiones ferat; ita ut Martialis celebraturus Sturionem, insulse admodum ad Timavum recurrisse videatur, quum in propinquo Padum haberet, & sua magnitudine insignem & multa Sturionum copia longe clarissimum.

Ad certiorem quoque opinionis nostræ fidem pertinere videtur id, quod a piscatoribus non sine miraculo de Spigolis hodie recitatur, quos, ut hamo hæserint, statim discurrere magno nixu, dilatareque vulnera referunt, ut hamorum insidiæ excarnificato sponte gutture excidant, atque eo modo in libertatem se vendicare; id quod distincte Plinius ipse Aristotelem secutus commemorat. Ex adverso autem constat, Sturiones solis retibus capi, nunquam vero hamis, præsertim si cubito majores fuerint, eosque piscatores referunt, magno impetu plagarum sæpe maculas dilatare & abrumpere consuevisse, propterea que accidere, ut

* Lib. 13. epigr. 89.

hamis non capiantur, quoniam Sturiones lambendo sugendoque potius, quam vorando, inepto ad escam corripiendam ore ipso, sine controversia alantur.

Cæterum id me plurimum admonet, ut Lupum Sturionem esse non posse certissime credam, quoniam & Lupi omnium ferme Scriptorum testimonio, & Spigolæ hodie, hamorum lineas dentibus serratis abrodere soleant, quod Sturiones ipsos, quum dentibus manifeste careant, efficere posse nemo sanus affirmaverit. Exstat quoque apud Columellam dictum illud Philippi admodum luxuriosum, qui apud hospitem Cassino in oppido Lupum sibi in cœna appositum gustabundus exspuit, addens, *peream*, inquit, *nisi piscem putavi*, quasi vellet innuere solos Tyberinos Lupos piscis nomine dignos esse, cæteros autem Lupos inter quisquilias potius quam inter pisces esse reponendos: ex quo ego plane conjicio illum Lupum Sturionem esse minime potuisse, quando ejus tractus amnes, qui sunt in Cassinate agro, & in Arpinatium finibus, Sturiones non ferant. Quisnam autem fuerit ille Lupus M. Philippi palato ingratus, docebimus, quum de Troctis agetur.

Secunda opinio de nomine Sturionis Franciscum Philelphum principem habuit, in qua etiam nunc quosdam e nostris Transpadanis, exoletæ admodum eruditionis, esse video. Is ut erat inter imperitos audax, utpote qui rudi illa tempestate Græcarum litterarum notitia clarus atque insignis evaserat, Sturionem Latine esse Attilum, pluribus per totam Italiam epistolis super ea re conscriptis divulgavit, indoctos appellans non sine verborum contumelia, qui secus ac ipse crederet, de vi ejus vocabuli sentire voluissent: sed tantum abest, ut verum nomen invenerit, ut ipse, dum alios inscitiæ bonarum litterarum arguere contendit, in alium aliquanto graviorem errorem pueriliter sit lapsus. Scribit enim Sturionem nullo modo Lupum esse, quoniam Lupus sine controversia is hodie sit piscis, qui ab omnibus Lucius appellatur, quoniam λύκος Græce Lupus sit, qui postmodum immutata littera in Lucium, depravantibus Latinis, abierit: exprimitque Philelphus effigiem illius Lucii oblongi piscis, extenti capitis & oris maxime denticulati, qui furvas per transversum fascias habet, dorsum item atrum & ventrem admodum candidum, quique amnibus ac lacubus totius Italiæ maxime sit familiaris; quasi præproperus senex non animadverterit Lupum quadrupedem Lycum, piscem vero Labraca, a suis Græcis appellari. Sed per deos immortales! quænam insania fuerit, Lupos tantopere ab omnibus Auctoribus commendatos, dicere eosdem esse qui vulgo Lucii vocitentur, quum Lucii plebeja potius inter opsonia censeantur, quam Romæ Nobilium usurpentur mensis: ita ut nunquam, nisi in summa marinorum penuria, sicut aliquando accidit piscatione tempestatibus sublata, in mensam veniant, & id tum etiam ad honestandam potius patinam, ut dicunt, quam ad convivas eo edulio conciliandos.

Dicebat Poggius Lucio, etiam ex Cimino lacu, & ei quidem præpingui, nullam unquam inesse gratiam, nisi quum solus in maxima convivarum inedia prandiis apponeretur: miror quoque tantæ lectionis hominem apud Ausonium ea carmina minime lectitasse, quibus Lucius ignobilis piscis alius a Lupo, apud Belgas & Britannos frequens nominatur, ut proprio capite *de Lucio* mox dicemus. Neque mirum esse debet, si Lucius apud Antiquos parum celebratus esse videatur, quum paucos, præter unum Ausonium, Auctores curiosus etiam Lector sit inventurus, qui de lacuum & fluviorum piscibus fecerint mentionem, quando Lupum inter marinos pisces, qui tamen flumina subeant, ab omnibus adnumerari, Lucium vero nunquam intrare maria, uno totius Europæ consensu manifestissime constet.

Cæterum Philelphus Sturionem antiquitus fuisse Attilum asserebat, unius Plinii auctoritati innixus, qui in nono *Naturalis Historiæ* cap. 15. quum de Thynnorum magnitudine loqueretur, dicit: *Sunt & in quibusdam amnibus haud minores, Silurus in Nilo, Esos in Rheno, Attilus in Pado inertia pinguescens, ad mille aliquando libras catenato captus hamo, nec nisi boum jugis extractus.* Quibus adductus verbis Attilum non posse esse alium a Sturione putavit, quum Sturiones illos prægrandes, qui in Pado caperentur, piscium ejus amnis longe maximos arbitraretur, quod manifeste falsissimum est: nam Attilus is est, qui a Ferrariensibus Adelus servato antiquiore vocabulo nuncupatur, piscis inquam ipso Sturione amplior, & effigie, sapore, pretio, & tota fere natura ab eo dissimilis, atque adeo diversus, ut in proverbium Ferrariæ venerit, quum duas inter se res maxime distantes significare volunt, eas sic differre, ut Sturionem ab Attilo, dicant: uti nuper nobis etiam confirmavit Ferrariensium legatio, ab Alfonso Atestino ad Clementem Pontificem missa, cujus erant principes Caselius celeber Jureconsultus, & Antonius Costabilius grandævus senex usu rerum & vitæ splendore insignis.

Tertia opinio Sturionem apud Plinium Torsionem fuisse affirmat, cujus præcipuum auctorem Theodorum Gazam exstitisse complures arbitrantur: eam paucis ante annis acerrime defendebat Longolius Gallus, singularis doctrinæ juvenis, & qui proculdubio summum Latinæ eloquentiæ fastigium fuisset adeptus, nisi mors immatura eum in medio optimorum studiorum cursu sustulisset. Adducebatur ea maxime ratione, quod Plinium videbat Sturionis formam atque naturam in capite de Torsionibus expressisse, quum dicit*: *Delphinorum similitudinem habent, qui vocantur Torsiones; distant & tristitia quidem adspectus; abest enim illa lascivia, maxime tamen rostris canicularum maleficentia assimilati*. Horum enim verborum testimonio, Sturiones iidem qui Torsiones esse videbantur, atque ea præsertim conjectura, quod quum minorem quam in Delphinis videamus, cum adspectu ipso, tum natatu lasciviam præ se ferant, etiam fistulam habeant, uti in Delphinis conspicitur, quamquam diverso modo a natura sit indita: nam Delphini per suam exspirant & refrigerantur fistulam, ea autem pro ore Sturiones utuntur, quum, uti supra diximus, & per nares & parvas branchias aerem pro vitalibus refrigerandis attrahant: novitiumque hoc Sturionis nomen antiquo Torsionis vocabulo plurimum alludere, ipse Longolius arbitraretur. Quibus adductus argumentis Theodorus Gaza, ut erat in transferendis Græcorum sensibus, Plinianorum verborum observator atque imitator diligentissimus, apud Aristotelem in octavo *de Historia Animalium* Phocænam, *Tursionem* verterit, veluti ab ipso Plinio vocabulum mutuatus. Cæterum si bona cum venia bonis mortuis licet refragari, nos docebimus Theodorum Torsionem pro Sturione nequaquam accepisse, vel si acceperit, plurimum erravisse; Plinium quoque per Torsionem ipsum, quem nunc quærimus, Sturionem significare minime voluisse. Siquidem Gaza quum Aristotelem Latine interpretaretur dicentem in octavo de *Historiis Animalium*, *in ponto fere nulla est, præter Delphinum & Phocænam*, pro Phocæna

* Lib. 9. cap. 9. ubi leg. *tursionibus*.

Turſionem dixit, quem Phocænam ſciebat ab Ariſtotele inter viviparos piſces eſſe connumeratum, quum Ariſtoteles alios piſcium eſſe oviparos, alios autem viviparos, id eſt, qui catulos parerent, dixiſſet. Nemo autem adeo imperitus eſt, ut neſciat Sturiones eſſe oviparos, ut ex quotidiano eſu deprehenditur, & ex ſalſamentis Caviariis, quæ ex ovis Sturionum ſine controverſia conficiuntur. Neque enim credendum eſt, tantæ eruditionis ac diligentiæ hominem, uti fuit Theodorus, adeo pueriliter fuiſſe hallucinatum, præſertim quum hunc ipſum locum aliter a Plinio fuiſſe converſum animadverteret, qui pro Phocæna non Torſionem, ſed vitulum marinum ſubſtituerit, ut diligenter Hermolaus in *Caſtigationibus* annotavit. Præterea apud Ariſtotelem Phocæna Sturio eſſe non poteſt, quum in ſexto *de Natura Animalium*, ubi ejus effigiem exprimit, clariſſime dicat, Phocænas omnino carere branchiis, ſed branchiarum loco fiſtulam habere, quod Sturionibus minime accidit, quoniam præter fiſtulam oris, uti diximus, branchias manifeſte habent, quamquam parvas, & anguſtas, ſi illas tantæ molis piſci comparemus, ita ut Sturio nullo modo Phocæna eſſe poſſit. Subjungit quoque Ariſtoteles Phocænam naſci in Ponto, quod de Sturione minime dixiſſet, quando Sturiones omnibus fere in maribus facile reperiantur, magnamque eorum copiam inſignes fluvii alant, ſive in mare noſtrum, ſive in ipſum Oceanum evolvantur. Quod vero Plinius Torſionem, Sturionem eſſe putaverit, minime crediderim vel hoc uno argumento, quod Sturionis, & magnitudine, & frequentia, & ipſo denique pretio admodum celebrati piſcis, ab ipſo Plinio nullam, præterquam hoc uno in loco, mentionem factam eſſe videamus, quum vel minimos & in eduliis etiam prædamnatos piſces, non modo in nono peculiari aquatilium libro, ſed in aliis obiter locis ſæpius nominet atque depingat. Unde putandum eſt Plinii Torſiones, ſicuti Ariſtoteles aſſerebat, in Ponto Euxino potiſſimum verſari, nec temere per alia maria, extra Helleſponti, Thraciive Boſphori anguſtias evagari. Porro Plinius, ſi verba Ariſtotelis conſideremus, pro Phocæna Torſionem intellexiſſe videtur, qui Torſio eodem teſte maleficus eſt, quoniam canicularum roſtris aſſimiletur, & ipſa quoque Phocæna ab Ariſtotele veluti maxime malefica feræ nomine nuncupatur. Sed Sturio quomodo maleficus eſſe poſſit, non video, quum dentibus omnino careat, ſic fortaſſe a natura formatus, quoniam piſcibus non alatur. Ridiculum enim eſſet dicere Sturionem in piſces graſſari per ipſam tantum laſciviam. Nam magni piſces alios perſecuntur, ut interemtis veluti proprio pabulo veſcantur. Sed ut hanc inveteratam de Torſione opinionem penitus convellamus, paulo poſt alium a Torſione, & quidem ſæpius ab ipſo Plinio celebratum piſcem, Sturionem eſſe monſtrabimus.

Quarta opinio Hermolai Barbari fuit, viri nobiliſſimorum ſtudiorum gloria inſignis, qui rogatus ſententiam in tanta Eruditorum diſſenſione, per epiſtolam Paulo Corteſio reſpondit, Sturionem antiquitus Hyccam fuiſſe, ex teſtimonio Athenæi hac conjectura adductus, quod Hycca porcum ſignificet, Sturionem autem Porcelletem, quum præſertim ſit parvus, appellari a noſtris magna ejus nominis conformitate. Nihil enim melius hactenus invenerat Hermolaus, utpote qui ingenioſus & prudens ineptas jam de Lupo, Attilo ac Torſione opiniones repudiarat. Potuit eum movere Ambroſius, qui in Dominica Paſſione dicit, *Gutto ſive Gulo Porcellum amat, ut comedat*, quaſi per Porcellum Ambroſius Hyccam expreſſerit, & in *Hexahemero* ait, Judæos marinis porcis veſci, quibus terreſtribus non veſcantur. Sed hæc conjectura frigida admodum videtur, quum alius ſit in mari Porcus piſcis diverſus a Sturione, hodieque plures obeſi piſces & qui præpingue abdomen habent, Porci a piſcatoribus appellentur, ſicuti Thynnum a Strabone & a Polybio porcum appellatum eſſe videmus. Cæterum ipſe Hermolaus in *Corollario*, quod Dioſcoridis interpretationibus appendit, Julidas ait vocatos eſſe porcos, qui tamen longe diverſiſſimi ſint a Sturionibus; Syagrim quoque piſcem appellari potuiſſe a nomine Suis. Athenæus quoque, qui Hyccam auctoritate Callimachi ſacrum veluti ob ſaporis excellentiam appellari dicit, mentionem de alio piſce intulit, quem ὗν, *hyn*, id eſt, ſuem vel aprum nuncuparint. Alii etiam Græcorum Porcum marinum Pſammatida vel Pſammitin cognominatum putant, ut clare appareat Hermolaum, Hyccam Sturionem eſſe, pro conſtanti in ea epiſtola affirmare minime debuiſſe; præſertim quum in *Caſtigationibus Plinianis* & in ipſo *Corollario* de nomine Sturionis plurimum ambigere videatur. Quem modo Tomum Thurianum poſſe eſſe dicat a Thuriis oppido Italiæ in Brutiorum ora, ut ipſe opinatur, dictum, alludente vocabuli ſimilitudine; præſertim quum Athenæus aſſerat, Tomum Thurianum in Italia delicatiſſimum eſſe opſonium, modo eum putet eſſe Galeotem vel Xiphiam Strabonis auctoritate, modo eum dictum fuiſſe affirmet Scyllam, & Lamiam, & Carchariam, ad extremum vero tot nominum diverſitate perplexus fateatur, vel Sturionem antiquitus his appellationibus vocitatum eſſe, vel ſic dictum a Thuriano Tomo delicatiſſimo opſonio, quod tantopere a Græcis celebretur. Sed illud me præſertim movet, quod nemo Auctorum quos legerim, præter unum Athenæum, de Hycca pariter & Tomo Thuriano fecerit mentionem, quando Sturio celebratiſſimus piſcis, ut ſæpius dixi, certo claroque nomine fuerit appellandus. Verum hæc noſtra inventa, quæ ludendo excogitavimus, in bonam partem a Lectoribus accipi velim, atque eo animi candore quo ſcripſimus a doctioribus perpendi: non enim is ſum, qui obtrectatione alienæ laudis eruditior videri velim, quum ulla in parte cum his, quos ſupra redargui, vel ingenio vel eruditione minime ſim conferendus. Igitur in tanta Eruditorum altercatione licebit & mihi propriam attuliſſe opinionem, ita tamen ut cum præfatione prius atteſter, me tandiu in ea ſententia permanſurum, donec aliud, quod magis arriſerit, diligentiores invenerint.

Dicamus igitur Sturionem ab Antiquis Silurum fuiſſe appellatum, quem pro Glani Theodorus apud Ariſtotelem interpretatur; ſe de hoc quum plures apud me certiores ſint conjecturæ, hoc uno tamen maxime argumento adducor, ut Sturionem opiner eſſe Silurum, quoniam mirum hercle videatur, quod hac ætate, quiſnam piſcium antiquitus Silurus fuerit, penitus ignoremus, qui adeo in mari ac fluviis, teſtimonio Ariſtotelis, Plinii, Athenæi, & Auſonii, ſit celebratus, ex adverſo autem de Sturionis antiquo nomine plurimum dubitemus, qui ſit omnium fere totius orbis fluviorum incola longe notiſſimus. Neque enim credendum eſt Veteres adeo inſulſi fuiſſe guſtus, ut arbitremur eos Sturionem minime cognoviſſe, aut Silurum ipſum veluti aliquo naturæ defectu, tota ejus generis exſtincta ſobole, penitus evanuiſſe. Silurus, auctore Plinio atque Auſonio, fluviatilis pariter ac marinus eſt, & quidem prægrandis, ſed præcipua magnitudine in Nilo &

A Gange veluti amnium maximis: cæterum carne prædulci, nullis ossibus vel spinis interstitis, rostro item caudaque Delphino simillimus, ita ut compellare eos libeat, qui propterea Torsionem Sturionem esse volebant, quod effigie ac rostro Delphinis assimilaretur. Id vero me etiam plurimum movet, quod in Nilo, Borysthene atque Danubio, uti Plinius de Siluris ait, etiam nunc frequentissimos Sturiones esse cognoscamus: nam in omnibus Nili ostiis & superius prope Memphim Ægyptii Sturionem expiscantur. In Borysthene vero, qui hodie Nieper est amnis, Phasique & in ipso Tanai apud Tanam emporium tanta eorum est copia, B ut cetariæ ibi institutæ sint officinæ, in quibus ea salsamenta ex Sturionum ovis salitis, quæ *Caviaria* dicimus, itemque ipsa schinalia ex summo Sturionis spinali dorso, sale fumoque inveterata conficiantur. In Danubio autem adeo frequentes sunt & magni, ut ex eo minores etiam amnes subeant, qui in ipsum influunt, sicuti Dravam, Savum & Tybiscum, & ut mirum non sit eos etiam Menim amnem subire, sicuti Plinius ait, prope Lisboum, in quo Siluri, ut in Danubio, innatantes equos deprimant. Menim autem cum Hermolao eum amnem esse putaverim, qui alio nomine dicitur Oenus: is Suevorum gentem e Vindeli- C cia ab Austris, qui Norici sunt, dividit, Danubioque miscetur, ita ut ab Istro Istrionem piscem hunc esse dictum putem, quo in amne sit insignis, ut hodie videmus & Athenæo placet, qui Silurum Istrianum sive Danubianum honoris atque excellentiæ causa ubique nominavit. Sed audiamus Ausonium de Siluro in *Mosella* canentem, qui ignobiles etiam Tincas minime præteriit;

Nunc pecus æquoreum celabrabere, magne Silure,
Quem velut Actæo perductum tergora olivo
Amnicolam delphina reor sic per freta magnum
D *Laberis, & longi vix corporis agmina solvis,*
Aut brevibus defensa vadis, aut fluminis ulvis,
Aut quum tranquillos moliris in amne meatus;
Te virides ripæ, te cærula turba natantum,
Te liquidæ mirantur aquæ: diffunditur alveo
Æstus, & extremi procurrunt margine fluctus.
Talis Atlantiaco quondam balæna profundo.

Quid enim certius notari exprimive potuit his versibus quam pro Sturione Silurus? qui & magnus & fluvialis pariter ac marinus, & Delphino simi- E lis ac ipso tergore verum olei colorem referre videatur: conveniunt profecto hæc omnia Sturioni & quidem ad amussim, ita ut necesse sit, eos qui id negaverint, & afferre aliquem magnum piscem ex his fluminibus pro Siluro, qui sit a Sturione diversus, & alium ostendere apud Ausonium per quem Poeta Sturionem voluerit demonstrare. Non enim credibile est, eum qui minimos quosque fluviatiles propria nomenclatura persecutus est, ipsum Sturionem proculdubio vel sua magnitudine, vel dignitate amnicolarum regem adeo somniculose præteriisse. Illud quoque opinioni nostræ aliqua ex parte suffragatur, quod in Canariæ Insulæ F amnibus (ea ad Atlanticum vergit Oceanum) multi ac optimi Sturiones piscatione capiantur, uti Hispani Lusitanique referunt: qui dum novas incogniti Orbis terras inusitata ac admirabili navigatione per immensum Oceanum quærunt, Fortunatis Insulis aquationis gratia quotidie applicant. Cujus Canariæ amnes ipse Plinius Siluris abundare commemorat, neque mirum est, quum is piscis omnium magnorum amnium sit familiaris, uti in Thamesi Britanniæ, aliisque amnibus, qui in Oceanum erumpunt, manifeste conspicimus. Hispania autem omnis Sturionem, *Sulium* appellat, ita ut parum ea vox a *Siluro*, qui item & Sulius dicitur, abesse videatur; quando, ut ante dictum est, una terrarum Hispania veterem Romanæ Linguæ sonum atque ipsa vocabula non sine rubore discentis Italiæ retinuerit. Quomodo autem Siluri in Sturiones abierint, nuper docuit, & quidem, ut arbitror, felicissime invenit Michael Sylvius, apud Clementem Pontificem Lusitaniæ Regis Legatus, qui uti est optimarum litterarum atque omnis antiquitatis scientissimus, testatur Sulios longe optimos, omnium confessione, in Asturia reperiri, unde Asturiones dicti sint, veluti ab regione nobilissimos producente novum cognomentum, vetere repudiato nomine, retulisse videantur. Divus quoque Ambrosius opinioni huic nostræ adstipulatur, quum dicit, *Silurus de aliorum piscium vermibus vivit*: Sturiones namque, uti diximus, grandiusculos pisces devorare nequeunt, quum ore sub rostro a natura constituto non facile nisi minutissimos corripiant, & propterea solis suctionibus nutriantur, ut etiam Albertus Magnus asserit, apparetque hodie in his evisceratis, in quorum ventriculo, qui perangustus est, nunquam devorati pisces reperiantur. Subdit tamen Ambrosius, *inutilis sæpe præda piscantium*, ut videatur in eduliis Silurum minime commendare, sed ego, *in*, syllabam temere a Librariis additam putaverim, siquidem Silurus apud Athenæum dicitur sapidissimus, quum enim Latum piscem Siculo in mari frequentem vellet laudare, a carnis candore suavitateque eum Danubiano Siluro comparavit; neque illud Plinii parum convenire Sturioni autumnaverim, quum dicit Silurus carne prædulci, nullis ossibus spinisve interstitis, quum Sturionem habere ossa manifeste appareat. Existimo enim Plinium intelligere voluisse Silurum una tantum perpetua, qua trajicitur, spina esse contentum, nullasque subinde spinas (uti in aliis accidit) a sphondylis oriri, quibus tota caro, corporisque ambitus veluti costis sepiatur, delicatæque illæ pulpæ multo cum fastidio tum periculo comedentium contineantur.

Cæterum, uti ego arbitror, Sturiones non eo in pretio fuere antiquioribus, uti nostris temporibus videmus, sive quod ejus caro per se dura & multo mucore pinguedinis repleta celeriter sui desiderium primis mensæ congressibus auferat, sive quod pergravis ac molesta tenuioribus stomachis esse deprehendatur: videtur & nonnullis Juvenalem, vilem omnino piscem Silurum annotasse, quum dixit *,

Vendere municipes fracta de merce Siluros:

sed venditorem potius vilem quam mercem ipsam, hoc est, Crispinum ab Ægypto, Juvenalem innuisse crediderim, qui Siluros fractos, id est, membratim cæsos, uti hodie videmus, aliquando in humiliore fortuna venditarit. Quo in loco Juvenalis, Georgius Merula oculatissimus Grammaticus Siluros non esse multum absimiles a Sturionibus arbitratur, utpote qui jam animadverterat illos, qui Lupum, Attilumve, Torsionemque & Hyccam Sturionem dicerent, a veritate plurimum erravisse.

Quantum autem pertinet ad piscis naturam, dicimus eum tarde concoqui, & propterea ex ejus excretionibus multam generari pituitam. Vitium ejus carnis aliqua ex parte tolleretur, si in tabellas pollicis digiti crassitudine secaretur, torreretурque in craticula, & quidem ex præcepto Galeni, oleo, sale, acetoque leni, atque iterata adspergine indiris; sed qui palato potius quam stomacho studere videntur, elixum eum cum leuco-

* Sat. 4. ℣. 33.

phago passim comedunt. Is quum toto fere capiatur anni circuitu, Æstate tamen adulta longe probatissimus æstimatur. Siluri felle cum Attico melle permisto suffusos boum oculos Veteres inungebant, ut Aetius affirmat, qui medicæ artis præcepta Græco sermone conscripsit. Sed id potius ex ejus humoris acredine, quam ab occultiore Siluri piscis proprietate provenire putaverim, quum etiam ex felle quadrupedum ac volucrum, & inter alias Perdicum, ægris hominum oculis nota collyria injicere soleamus.

CAP. V.

De Umbrina.

SEcundum Siluros Sciena e grandibus primam saporis obtinet claritatem. Eam M. Varro & Columella Umbram appellant, quam & Ennius quoque celebravit, ut ex Apulejo deprehenditur, dum ait,

Melanurum, Turdum, Merulamque Umbramque marinam.

Hæc tota latioribus squamis integitur, denticulata est, & Aristotelis Pliniique auctoritate in capite lapidem habere consuevit; agilis est & plurimum vorax; propterea Ausonius ait, celer Umbra natatu. Capitur cum Siluris frequenter circa ostia fluviorum & in alto etiam, quod Siluris non contingit: ipsa quoque canicularibus diebus pinguescit, parique fere pretio cum Siluris Æstatis tempore venundatur: eam hodie Romani Umbrinam vocant. Capita Umbrarum sicuti & Silurorum Triumviris rei Romanæ Conservatoribus dono dantur, qui piscatores inveterata quadam consuetudine eorum capitum tributi nomine vectigales fecerunt; capiti enim summa inest gratia, auctoritate etiam Archestrati, qui in parandis opsoniis, quod eorum ingeniosissimus esset artifex, Dædalus a Græcis appellabatur. Is Umbrini capitis nobilem quandam condituram, ut apud Athenæum videre est, multis carminibus expressit: propterea hodie etiam quum pretio parari non possint, gulosi ea capita quam avidissime consectantur. Extat adhuc in ore quorundam facetorum ridenda fabula de T. Tamisio, qui Romanis aulicisque salibus erat insignis, sed gulæ adeo prostitutæ, ut infamis haberetur. Is quum per servum, qui in foro piscario in eam curam intentus excubare solebat, ingentis Umbrinæ caput Triumviris delatum esse cognovisset, in Capitolium protinus adscendit, ut simulato apud Magistratum negotio, sermoneque de industria protracto, prandium captaret. Verum illud Triumviri jam Riario Cardinali donandum decreverant, ita Tamisius quum limine Curiæ efferri ingenti coronataque patina caput illud conspexisset, primo deceptus consilio, illud subsecutus est præmisso servo, qui vestigiis deferentium ministrorum insisteret. Nec multo post quum Riarianis ædibus inferretur, *bene habet, salva res est*, inquit Tamisius, *opipare excipiemur*: erat enim in primis mensæ Riarianæ, quæ longe omnium semper lautissima fuit, familiaris. At Riarius, ut erat natura munificus, *maximum*, inquit, *hoc Triumvirale caput maximo debetur Cardinali*, statimque Federico Sanseverino proceritatis admirandæ Cardinali transmittitur. Colligit extemplo togam Tamisius, Riarium intempestivæ munificentiæ incusans, in mulamque resilit, & munus ad Sanseverinianam domum consequitur. Idem pari liberalitate facit Federicus, caputque ipsum splendidis exornatum verbis aurataque illatum patina Chisio Publicano ditissimo deferri jubet, quod ei multo ære alieno gravibusque usuris obstrictus erat. Volitat tertia jam spe avidam frustratus gulam æstuans Tamisius, festinabundusque incalescente jam die in Transtyberinos Hortos, quos ipse Chisius magnificentissimos extruebat, contendit; ibique fessus admodum & multo sudore madidus, quod gravis erat abdominis, quarto a fortuna decipitur; quippe qui Chisium caput illud recentibus floribus redimitum adamato Scorto, cui ab forma eruditisque illecebris *Imperiæ* cognomen fuit, ut extemplo deferretur curantem reperit. Flectit itaque indignabundus habenas retro, nec tamen fubiratus gulæ, quæ herculeos labores attulerat & ad Imperiam jam multo sole Sixtini Pontis semitam exurente adequitat. Ad extremum anhelantis gulæ ea vis atque libido fuit, ut qui per totam Urbem fuerat raptatus, idem & togatus senex cum Scorto, admirante novi hominis adventum, nullo pudore discubuerit; sic ut mirari desinamus Apicium, qui, ut ait Athenæus, cum Linterni Astacos cancros piscaretur, audissetque longe maximos & nobilissimos in littore Africo reperiri, eo propere, stimulante gula, insigni navigio delatus est; statimque priusquam in terram descenderet, occurrentibus ibi piscatoribus cum Astacis, quod famæ exspectationique minime respondissent, protinus conversis velis, nec salutata quidem Africa, in Italiam ad grandiores Astacos sit reversus. Cæterum eadem prope Umbrinæ ac Siluro carnium conditio: utræque enim, ut diximus, non mediocre imbecillioribus stomachis negotium facere consueverunt.

CAP. VI.

De Thynno.

THynni multitudine sua omnibus littoribus sunt noti, gregatim vagantur, ob id in Euripis maxima eorum est captura. Irrumpunt Majo mense in mare nostrum ab Atlantico Oceano, cogentibus Xyphiis, hoc est, Spathis piscibus, qui telo a rostris prominente instructi eos toto mari persequuntur. Simplicissimi sunt piscium, propterea vel inanibus terriculamentis acti facile vadis atque littoribus intruduntur; eo modo Gaditanus populus infinitam eorum multitudinem magno quæstu solennique spectaculo retibus extrahit. Saturantur inde captorum recentibus pulpis circumfusæ gentes, reliqua illorum multitudo cetariis infertur, saliturque: asservati vero membratim cadis celebri mercimonio per omnem fere Europam diffunduntur: verum solo abdomine valent, quæ pars a Romanis *Tarentellum* dicitur, quod etiam Tarentino in sinu, ubi opima piscium omnium captura est, Thynni sale asservenetur: reliquæ corporis partes, utpote quæ pingui succo admodum careant, in ignobilis populi usum veniunt, quæ *Melandrya* a Plinio nuncupantur. Primus ab ipso statim ovo Thynnorum fœtus Cordyla dicitur, qui mox in Limarias evadit, ex Limariis autem adolescentibus Pelamides fiunt, sic a luto dictæ, quas nunc etiam *Palamias* vocamus: quum vero Pelamides pedalem excessere magnitudinem, in Thynnos abeunt. Porro ex Thynnis (ut Athenæo placet auctoritate Sostrati) quum in summum excreverint, Orcyni infesti cæteris piscibus efficiuntur. Adeo enim Thynni augentur, ut Plinii testimonio caudæ eorum latitudinis duorum cubitorum reperiantur, qui postea quindecim talentis pependerint. Sed huic opinioni adversari videtur Aristoteles, quum asseveret Thynnos biennio vitam finire, idque esse compertum verisimili admodum ratione, quoniam certo anno cum piscatoribus Limariæ defecissent, Thynni etiam sequenti anno

defecerunt, veluti omnibus ferme captis Limariis nullæ reliquæ superfuerint, quæ in Thynnos adolescere potuerint, ita ut credam Thynnos biennii ætate excedentes aliis nominibus appellari, ut Orcynus & Pompilus navigiorum comes, quem de genere Thynnorum esse Plinius arbitratur. Circa ortum Caniculæ œstrum patiuntur, parva animante sub pinnis aculeum insigente, quo dolore incitati navigia plerumque transvolant. Idem accidit Xiphiis, quos modo nominavi. Capiuntur ii circa Zephyrium, quod extremum est Italiæ promontorium, *Spartiventum* a nautis hodie nuncupatum. Retulit Joannes Marius Cataneus Novariensis, multarum litterarum notitia insignis, qui Locrensi in littore Xiphiorum piscationi interfuit, eos tanta esse ingenii docilitate, ut Græcanicum sermonem, quo ille magnæ Græciæ tractus utitur, ab Italico distinguere videantur, idque admirandis argumentis deprehendi, quum Græcas voces minime reformident, ad Italicarum vero sonum repente diffugiant, quod complures Brutii testati sunt. Ii in Oceano Indico in tantam augentur magnitudinem, ut validissimis rostris Lusitanarum navium latera ad sesquipalmum aliquando perforarint. Xiphii bonitate & pretio Siluris ferme sunt æquales, verum hæc littora raro adeunt, veluti qui perpetuis maris æstibus, ut in Freto accidit Siculo, gaudere videantur: propterea Xiphii forma, ut in aliis fiet piscibus, pictura non exprimetur, quod eum videre hactenus mihi non contigerit. Sed Thynni pariter ac Xiphii, quum œstrum patiuntur, veluti noxii damnantur mensis.

Cæterum Thynni eximie pinguescunt, adeo ut porci jure ipso nuncupentur, cum etiam, ut Polybius tradit, in profundis littoribus, uti porci solent, glandibus vescantur. Thynni recenti pulpa juxta ventrem, ipsoque pingui sumine, sicuti palato grati, ita stomachis languidioribus, quibus nauseam pariunt, valde inimici: circa vero dorsum & caudam contraria ratione quemadmodum ab nimia ariditate parum delectant, ita superfluo nudati humore minus officiunt. Falconius Etruscus plebejus ganeo, sed eruditioris gulæ, quum in Hispania cetariis præesset, novum ac sapidissimum opsonii genus e Thynnorum ventre commentus est, circumciso abdomine umbilicos enucleando, & sale, a cetoque, & feniculo inclusos cadulis condiendo, ita ut mox id cibarii genus plerique appeterent, ac propter jucunditatem mirarentur, quem modo ut inutilem ex officinis everrere consuevissent. Sed in universum saliti Thynni sicuti vim allevandi intermortui gustus mirificam habent, ita multa bile aggenerata, sanguinem incendere, jecinoraque adurere consueverunt. Recentes pulpæ rectissime coquuntur in vino Corsicano & oleo, pipere etiam cum cepis minutatim cæsis superaddito, quod genus condimenti *Azeminum* Ligures vocant. Pelamides autem multum nutriunt & urinam cient, sed tarde concoquuntur, auctore Athenæo, qui tamen eas salitas stomachis conferre testatur. At Thynnorum jecinoribus mira proprietas inesse traditur ad prohibendam puerorum lanuginem, improbo quidem Mangonum invento, qui quum mares castrare dirum atque crudele nimis ducerent, ipsa tamen virilitatis initia retardare, veluti proposita pleniore libidine contendebant.

CAP. VII.

De Lechia.

Est & alius generosus piscis, magnitudine atque colore medius inter Thynnum & Umbram, quem Romani pariter & Ligures Lechiam appellant. Eam aliqui Centrinam antiquitus fuisse arbitrantur, quoniam pugnacissima sit & atris solidioribusque aculeis, quanquam non omnino longis, circa dorsum armata, ut Oppianus de Centrina expresserit. At Lechia corio integitur minime squameo, sicuti in Thynnis videmus, sed levi & splendido, quod argenteum est, & cœruleo colore perfusum; caudæ vero pinna crescentis Lunæ figuram efficit, concava illa rotunditate ad circini ductum effigiata. Ejus etiam generis, quæ latiorem habet ventrem, vulgo piscatores Lopidani & alium Lopida aliquanto minorem Stellam appellant. Ego Lechiam antiquitus fuisse Amiam putaverim, quam Plinius cum Thynnis exire Pontum asserit: nam tota specie maxime Thynnis cognata esse videtur, & Oppianus audaces Amias appellat, quas comparat Thynnis, & inire prælia cum Delphinis dicit. Aristoteles quoque Amias carnivoras esse, & serratos habere dentes, branchiasque contectas testatur: quæ branchiæ adeo patulæ mihi minime videntur in Lechia uti in aliis, veluti Umbris, & Lupis, & Coracinis conspicimus. Sed ut de hoc nihil certi proferam, verba Oppiani me movent, qui dicit Amias hirudinum more Delphinorum exsugere sanguinem, quod Lechiis attribui jure non potest, quum & in tripedalem crescant magnitudinem, & peracutis dentibus solidisque aculeis sint instructæ, quibus armis non sugendo, sed pugnando per vulnera & cædem de Delphino victoriam consequantur. Verum hoc de minoribus fortasse Amiis dixisse Oppianum aliquis existimabit. Illud quoque Aristotelis de Amiis parum Lechiis convenire videtur, ait enim propterea Amias sic dictas, quod gregatim vagentur, Lechias autem solitarias sæpius capi manifestum est, quod raro accideret, si turmatim, uti Thynni & plerique alii pisces, per altum & littora deferrentur.

Cæterum ut Amiam hodie Lechiam esse credimus, etiam id argumento esse potest, quod Amiæ & prætenera & gustui suavissima carne a Græcis Auctoribus esse traduntur. Nam uti citat Athenæus, & Epicharmi, qui de Sirenibus scripsit, & Archippi antiquissimi Poetæ carmina extant, quibus Amiæ ab ipsa gratiore pinguedine magnopere commendantur. Ipse quoque Archestratus, qui universam terram cunctaque maria peragrasse visus est, ut gulæ delitias singula ubique edulia explorando gustandoque diligenter exquireret, Amiam veluti nobilissimum piscem in *nuptiis Hebes* celebravit, docuitque solenni præcepto eam felicissime coqui, si conspersa origano, & involuta junco, cucurbitæque foliis ad prohibendum succi delicatioris effluvium, mitioribus flammis torreretur. Modo autem constat Lechiam laudatissimo sumine & sapore præpinguium pulparum esse pretiosam, cujus capita Sturionum Umbrinarumque capitibus Romæ omnium judicio præferuntur. Probatissima autem in Ligusticis littoribus capitur. Ottobonus Fliscus, genere ac hospitalitate illustris, quum Genuæ essem, festivo matronarum convivio tricubitalem nobis apposuit Lechiam, quæ non modo Romanorum, sed & pelagiorum piscium omnium laudes magno intervallo superavit; ita ut aliqui subtilioris gulæ homines pulparum suavitate allecti semel a ex Lechiis

opsonia in contumeliam avium atque quadrupedum, in alterum diem reponi sibi plerumque præcipiant. Quo fit ut Lechiam proculdubio fuisse Amiam fateamur, quum nullum, qui insigni sapore præstet, piscem sine certo Latino nomine simus relicturi, & nullus ab ipsa Lechia piscis hodie nobis occurrat, quem Amiæ nomine appellare audeamus. Neque enim mihi persuaderi potest, ut eam in illorum sententiam, qui Lechiam eum esse piscem credunt, quem pro Sturione Hyccam putavit Hermolaus, eo levi argumento, quod Hycca præposito articulo, sicuti nunc Italiæ veterem elocutionem amittentis mos est, in Lechiam abiisse videatur. Porro Icesius in libro *de materia* Amias ab optimo succo teneritudineque commendavit, atque non multa cum difficultate in ventriculis secerni, sed non multum omnino præbere nutrimentum.

CAP. VIII.

De Corvo.

CORvum eundem esse & Coracinum Theodorus Gaza existimare videtur, veluti a Corvo Corvulus, sive Coracinus descendat: cui Hermolaus & Volaterranus refragantur, quoniam auctoritate Athenæi Coracinus a verbo Græco, quod genas oculosque frequenter movere significat, non autem a Corvo, qui Græce sit Corax, dictum existiment. Ego autem secus ac Volaterranus putat, Corvum genere ipso a Coracino minime differre arbitror, ea maxime ratione, quod de Corvo nullam fere a probatis Scriptoribus mentionem fieri constet, auctoritate vero omnium Antiquorum Coracinus sit & latus piscis, & subniger, & squamosus; quæ differentiæ ei, quem nos hodie Corvum appellamus, manifeste consentiunt: nam Corvus gibberosus est, & proportione cæterorum squamosorum admodum latus videtur, uti accidit Coracinis, quos Parmenio Rhodius, qui scripsit de re coquinaria, ut allegat Athenæus, Platistaticos a latitudine corporis appellavit. Nigricantes quoque in Corvis pinnas conspicimus, quas Aristophanes in libro de palustribus, Coracinis attribuit. Sunt enim pelagii & fluviales Coracini. Verum hæc nostra flumina nullos aut certe rarissimos ferunt, in Nilo tamen, Plinio Martialeque auctoribus, & in amne Bæti ulterioris Hispaniæ reperiuntur, Gadibus vero & circa Fretum Herculeum laudatissimi simul ac maximi, pares Niloticis, capiuntur, quos Zeos, & item Fabros a calore atræ fuliginis appellabant. Coracinus ex his est piscibus, qui commode atque feliciter saliuntur, sicuti Galenus in libro *de Alimentis* refert: eum salitum Eutidemus apud Athenæum, qui de salsamentis scripsit, Saperdam vocari affirmat. Ita ut Persius idem intellexisse videatur, cum dicit*

—— *Saperdamque advehe Ponto.*

Nos vero cum æstate frequentius, quam hyeme, ut Plinius etiam auctor est, eum capiamus, ferventi oleo ad mediam cocturam mergere, & extractum protinus sale acetoque in sportulis myrti foliis certo ordine substratis reponere solemus, qua industria adversus omnem caloris contumeliam per hebdomadas asservatur. Coracinus & præsertim Niloticus prædulces habet carnes, quem vero proximis littoribus expiscamur tripedalem ad summum non excedit magnitudinem, sed carne & aridiuscula, & ob id ab his, qui gulæ delitiosius student, parum laudata. Athenæus elixo tostum meliorem esse testatur; nos vero contraria consuetudine quum recentes & grandes nanciscimur, æneis excoquimus cacabis simplici in aqua, extractumque virentibus petroselini foliis coronamus, sicuti etiam fit in Umbrinis, quas & sapore & squamarum latitudine plurimum referunt. Neque id inepta ratione, nam duriores eorum pulpæ omnem penitus saporis gratiam amitterent, nisi aliquo juris lenocinio ab innata illa duricie mollirentur. Cæterum quamquam concoctu sunt difficiles, paralyticis tamen mire conferunt, ut auctor est ille Plinius qui *de Medicina* librum conscripsit. In Coracini capite lapillus invenitur; quem puerorum collo pro amuletis suspensum regio morbo adversari, ignobiles quidam Auctores tradiderunt.

* Sat. 5. ꝟ. 134.

CAP. IX.

De Spigola sive Lupo.

LUpum antiquitus fuisse, quem Romani Spigolam, Varollum Veneti, Etrusci Araneum, Hispani Lupum, Ligures vero Lupacium appellant, in capite *de Siluro* diffuse monstravimus: solertissimus piscium habetur, & idem delicatissimus, præsertim e Tiberi, & inter duos pontes, quod aquæ subjecti fluminis ab multis cloacarum effusionibus pinguiorem escam subeuntibus præbeant. Lupus hamo captus vulnera contemto dolore fortissime laxat, & excusso hamo, protinus refugit; inclusus vero retibus imis in vadis sulcum crebro motu caudæ, rejectis arenis facit, atque ita subterlabitur, ut Oppianus auctor est, & hodie piscatores majoribus etiam miraculis additis, uno consensu fatentur. Propterea ab ipsa vehementia a Græcis Labrax appellatur. Parit bis in anno Lupus, ut Aristoteli placet: summa inest saporis gratia hyeme captis, & Januario præsertim mense: tunc enim & teneritudine, uti divus ait Ambrosius, & mollitie candoreque, ut Plinius asseverat, maxime commendantur. Luporum aliqui sunt lanati vel lanei a candore, ut Plinio Martialique videtur, aliqui varii, ut Columellæ placet, qui in piscinis ait includi posse Lupos sine macula, quos secernit ab his qui Varii sunt, ita ut proculdubio credam Varios majores apud Ambrosium esse de genere Luporum, quos & Troctas appellat. Troctam enim esse Lupini generis apparet, ut adspectu mutuaque naturæ collatione perspicitur, ut latius in capite proprio *de Trocta* differemus. Cæterum Luporum carnes in ratione valetudinis a Galeno mirifice laudantur, quod subtiliorem generent sanguinem & perdicis carnibus æquiparentur. Athenæus autem Luporum ait boni esse succi & non multi nutrimenti, quos rum tamen superfluitates non facile secernantur, sed Cornelius Celsus Lupos sicuti & Mullos leviores esse alimenti testatus est.

CAP. X.

De Cephalo.

MUgiles Græco nomine Cephalos Romani vocant, qui in plura genera patiuntur. Aliqui enim a capitis amplitudine Capitones, aliqui a prominulis inferioribus labris Labeones, qui hæc cognomenta Romanis familiis indiderunt, alii item Cestres, alii Bacchi, alii demum Myxini, & Chelones, & Leuchisti, & Mucones appellantur. Capitones mense Decembri gravescere, ait Aristoteles, qui id genus piscium & in mari, & in stagnis, & in fluminibus gigni, ut videmus, asse-

verat: in universum Mugiles sunt velocitate admirabili, ut sagittæ arcu emissæ, quum lasciviunt, vel retia saltu transvolant, esse videantur: e mari aliquando amnes, & ex fluviis ipsa maria ingrediuntur: animal est minime maleficum, utpote quod alga tantum ac herbis atque his, quæ in profundo vado ac ripis sunt, quisquiliis nutriatur; propterea cæteri pisces, qui minime in alios grassari solent, Mugilem ut sanctum ac optimum in honore habent & venerantur. Probat eos Galenus, qui marinis fluctibus exercentur, eos vero, qui in stagnis & fluminibus urbium sordes & sterquilinia alluentibus maxime detestabiles asseverat, quod ex eo alimento admodum feculento vitium contrahant. Dorionis quoque auctoritate marini fluvialibus præponuntur: sed ii præsertim sunt pessimi, qui sua sponte in stagnis atque paludibus ex limo nasci dicuntur, ut sunt qui in Etruria ex Prillino lacu apud Orbatellum ad mediterranea deferuntur: ita ut & illos etiam vituperare liceat, quos Padusæ atque ipsi lutulenti Fossæ Clodiæ canales, viscere prætenero Ferrariensibus & Venetis gratos copiosissime præbent. Icesius Græcus Auctor Athenæo perquam familiaris, idem & Coquus & Medicus, Cephalos & gustui gratos & laudabilis succi esse asserit. Galenus vero eos tardissime & multo quidem ventriculi cum labore digeri atque secerni prædicat, præcipitque in eorum conditura debere addi herbam origanum, cujus virtute facilior excursus ad ventrem inferiorem fieri videatur; eos tamen salitos minus noxios esse testatus est. Nos vero Cephalos omnes plenius eos in cœna comedentibus dolorem capitis, quem morbum Medici recentiores Cephaleam dicunt, post paucas horas inducere sæpe deprehendimus, maxime si ad lautiores cœnas stomachi tenuiores accesserint.

CAP. XI.

De Aurata.

Veteres non modo Auratam piscem in honore habuerunt, sed & Sergii Romani Patritii luxuriosa ejus piscis æstimatione perpetuum familiæ cognomentum fecere: siquidem a mari Auratarum aliorumque pelagiorum piscium semina atque vivaria in mediterraneos lacus deferebant, ut in obsequium popinarum tralata maria viderentur, quæ pretiosa edulia dulcioribus denegata undis, improbo opulentiorum studio, quotidianis cœnis copiose suggererent: sic Auratas, Lupos & Murænas suburbani Lacus, Sabatinus & Ciminus, & multo remotiores Vulsinensis & Velinus aliquando procrearunt, quæ seminaria degenerante sobole, quum externi pisces parum feliciter alienis in sedibus provenirent, paulatim interiere. Ex Auratis, quæ toto passim mari mira fœcunditate progignuntur, Tarentinam antiquiores prætulerunt, sed eam maxime, quæ illata Lucrinis stagnis Concharum esu pinguesceret, ut ait Martialis illo in carmine*:

Non omnis laudem, pretiumque Aurata meretur,
Sed cui solus erit concha Lucrina cibus.

Nonnulli optimorum studiorum laude insignes existimant inter Auratas Scarum illum Antiquis pretiosissimum piscem a piscatoribus vendi, qui dentes humanis similes & ad ruminandas maris herbas plurimum idoneos habeat, maximeque squamarum specie Auratis assimiletur. Cæterum ego crediderim eum non facile a nobis deprehendi, errore

* Lib. 13. epigr. 90.

A vendentium, qui similitudine decepti, neque animadversa saporis nobilitate, in foro piscario eum Auratis & Sargis commiscere consueverint: consensu tamen piscatorum Sapphirus piscis, sic a cyaneo ejus gemmæ colore dictus, inter Auratas longe sapidissimus existimatur, qui fortasse Scarus Antiquis fuerit. Porro Auratæ æstate raro, hyeme autem frequentissime capiuntur, quæ tum laudatiores existunt: ipsæ inter cæteros pisces peculiari quadam dote singularem & saporis simul & salubritatis gratiam obtinent, auctore Cornelio Celso, qui eas in ratione ægrorum alendorum levioris nutrimenti
B existimavit. Recte coquentur, si ex præcepto Galeni eas in craticula subditis mitioribus prunis, oleo & sale, acetoque consperseris.

CAP. XII.

De Dentice.

Synodontes pisces, Latini Dentices vocant, proximos Auratis & Pagris: habent enim prominulos dentes, & sunt lati, subrubraque varietate conspicui: appellatur & hic Synodus a Græcis alio nomine Charax, id est, vallatus, uti est
C perpetua exstantium dentium serie septus. Athenæus eum in fretis longe optimum esse ait; qui & salubrior est Galeno auctore, quum in universum meliores evadant, quos plurima jactatione inquieta æstuosaque maria fatigarint: eum Actius Syncerus Neapolitanus, hujus ætatis Poeta nobilissimus, in lusibus piscatoriis celebravit, quum dicit:

Dat Rhombos Sinuessa, Dicarchi littora Pagros,
Herculeæ Mullum rupes, Synodontas Amalphis.

Synodum Latini veteres pariter ac neoterici vulgo Denticem appellant, probantque eum ex Illyrico
D Dalmatiæque littoribus, & præsertim ex Salona atque Tragurio; quæ gentes concisum in frustra * & semicoctum multo croceo & perspicuo gelu condiunt, cadisque includunt, ita ut toto ferme anno per omnem Italiam & Romæ idem advectitius & recentissimus habeatur. Id genus autem opsonii Medici magnopere detestantur, & ante alios Petrus Aponensis, qui rudi illa tempestate divini conciliatoris cognomentum in ea optimarum litterarum strage promeruit. Is enim pisces semel coctos, asservatosque. & præsertim vasorum conclusos operculis, mortiferam qualitatem adquirere, mandentesque certo plerumque vene-
E no inficere, ratione atque experimento deprehendisse affirmavit.

CAP. XIII.

De Fragolino.

Auratas sequuntur Pagri, sive Phagri, Fragolini vulgo dicti, ex his qui assantur piscibus longe probatissimi: sunt enim & gustui gratiores, & stomacho nequaquam molesti, utpote qui rationabiliter febricitantibus ipsis conceduntur: nam præter id quod de omnibus saxatilibus Avicenna intellexit, Pagri nullam viscosi lentique humoris exuberantiam habent, qui etiam ipso jure conceduntur; quoniam quum universum piscium genus frigidæ atque humidæ sit naturæ, humida frigidaque cibaria febricitantibus Hippocratis auctoritate debentur; ut aliquando mirer quosdam scrupulosiores Medicos, quum febris adsit, totum prope piscium genus præ-

* Leg. *frusta*.

damna-

A damnare. Phagros Romani & magna pars Tyrrheni littoris accolarum Fragolinos, Veneti Albores ipsi vero Ligures antiquo servato nomine Pagros appellant, quos, quum sesquipalmi magnitudinem excesserint, in Dentices sive Synodontas evadere communis piscatorum consensus existimavit. Ii pisces a colore ipso (apparent enim rubro vino madefacti) Erythrinis & Jecinoribus piscibus assimilantur, auctore Speusippo, ut ait Athenæus: cujus testimonio manifeste reprehenduntur, qui Fragolinos Oppiano atque Aristoteli Erythrinos esse putant, quos Theodorus Gaza Latine Rubeculas interpretatus est, quum ibi Athenæus Phagros E B rythrinis comparet, qui sint genere diversi, sed in ipso colore conveniant. Verum id me plurimum movet, ut ab illorum opinione recedam, quod Aristoteles & Plinius Erythrinos, vel Rubeculas gravidas & plenas ovis, toto anni tempore capi afferant, quum in eo genere mares non sint: quod Fragolinis minime accidit, qui passim pluribus anni mensibus sine ullo ovorum vestigio comeduntur. Illud quoque accesserit ad confirmandam opinionem, nam dum grata palato Fragolinorum capita exsugimus, plerumque tenuior lapillus dentibus importunus occurrit, sicuti Aristoteles & Plinius eorum capitibus inesse testantur. Videmus etiam C eorum corda triquetræ figuræ similia, ut Antiqui prodidere. Pagri ex sententia Icesii Vere ipso, Archestrati autem exortu Caniculæ sunt præstantiores; nos autem Hyeme eos longe sapidissimos experimur, sed ad summam saporis gratiam accersendam, ganeonum judicio, tres omnino conditiones requirere dicuntur, scilicet ut sint & recentes, & frixi, & frigidi, ita tamen ut Aurancii mali succo ac modico pipere torpescentes eorum pulpæ aliqua ex parte molliantur & excitentur.

CAP. XIV.

De Salpa.

D

SAlpa piscium pulcherrimus nomen retinet, atque omnibus notus est, siquidem eum a cervice in caudam per argentea latera, aureæ, rubentesque lineæ certis distinctæ intervallis decentissime depingunt: unde Græci antiquiores Mnaseæ Colophonio *, quod poema varium edidisset, Salpæ cognomentum indiderint: frequens est & procerus in Balearico mari, & præsertim ad Ebusum Insulam a copiosissimis salinis celebratam: ap E pellatur ab aliquibus, ut Plinius auctor est, obscœnus piscis, quod percoqui non possit, nisi ferula verberetur. Solitarius est, paritque bis in anno Luporum more. Natura astutus esse perhibetur, & longe omnium liquidissime audit: Æstate melior est, & e toto mari circa Mitylenen probatissimus. Cæterum ille Archestratus, qui in coquinaria a Græcis alter Theognis vel Hesiodus existimatus est, Salpam semper malum nobili carmine pronuntiavit, ita ut mirum minime videatur, si hodie quoque is piscis, qui tam operose atque eleganter a natura depingitur, ab optimatium mensis ut in F sulsus & mendax sit repudiatus.

* Vel *Locro*, vid. Athen. lib. 7. cap. 20.

CAP. XV.

De Sargo.

IN hæc maria Sargus non semper (quanquam sit notus) enavigat, qui Brundusii, Ennii Poetæ testimonio, longe optimus habetur, præsertim si prægrandis fuerit: ii namque, quos Romæ habemus, Auratam magnitudine vix excedunt, quam etiam latitudine atque argenteis squamis referunt. Sargus Autumno & Vere parit, ut ait Aristoteles; is alios minime comitatur veluti superbus; nullam inesse gratiam littoralibus, ait Plinius: quod mirum videtur, quum is maxime circa littora capiatur, ut in libro *de historiis Animalium* Ælianus latissime differuit: ubi Sargos ait caprarum esse amatores, eosque propterea facile capi ad earum umbram, quam in extremis littorum marginibus & scopulis collocatæ adversus solares radios in æquora projiciant & extendant, atque ea specie amore præfervidi facile alliciantur. Optimus est Sargus occidente Orionis sydere, tum enim vites foliorum honore spoliantur. Archestratus in popinalibus deliciis mihi sæpius allegandus, Sargum siccæ carnis esse, ac ob id assatum eum & calidum, caseo acetoque conditum probat, sicuti uno edicto omnes licciores pulpæ pisces condiendos præcipit, secus ac in præpinguibus & teneris sit necesse, qui solo sale atque oleo inditis, in craticula sapidissime percoquuntur *.

CAP. XVI.

De Capone.

CApo littoribus nostris familiaris, Venetis autem ignotus, caput habet valde magnum, & illud quidem enorme, quadratum, & nullis vestitum pulpis. Oculi in eo sunt admodum rigentes, extenta supercilia, os languidum, minus ti dentes, sub mento autem oblongæ ac rubente pinnæ ad impexæ barbæ similitudinem: cætero autem corporis trunco rotundus est & teres, decrescitque in caudam æqualiter extenuatus quousque in postremam desinat caudæ pinnam. Porro ventrem habet valde candidum, sed puniceo colore Mullorum similitudine variegatum; dorsum autem flavescere potius quam rubescere videtur. Solidis quoque & albicantibus constat pulpis, sed qui tamen aliquanto salubrior sit quam sapidior eruditioribus præsertim gnatonibus, qui illum veluti aridiusculum adspernantur. Reperiuntur & alii Capones, qui bifurcata habent rostra & dorsum osseis squamis armatum, quos in genere Caponum piscatores ipsi mares esse testantur. Ego autem aliud genus esse crediderim. Cæterum hæc est vera & expressa Caponis effigies, quæ, dum piscium antiquiora vocabula quæritarem, mihi haud temere de singulis dubitanti non mediocre negotium fecit, quum modo illum a magnitudine capitis de genere Capitonum, alludente recenti nomine, esse putarem; modo Orphum ab oculorum adspectu & rubro colore arbitrarer; modo Erythrinus, sive Rubecula ob eundem puniceum colorem esse videretur: nulla enim ex recenti gentium appellatione antiqui nominis conjectura adferebatur, ut pro certo possem aliquid

* Idem Athen. loco proxime citato.

Eruditorum auribus dignum affirmare, quum Romani eum Caponem, Organum Ligures, Galli vero Roscettum, quod eorum Lingua rubetum sonat, appellent.

Sed Capitones de genere Mugilum, vanamque subinde ejus nominis conjecturam esse deprehendimus, sicuti existimare videtur Volaterranus, qui imprudenter Caponem putavit esse Labeonem. Orphum vero majorem esse piscem, & unica etiam trajectum spina, quod in cæteris rarissime accidit, & denique tardissime eum mori, si etiam cultro medius dividatur, auctoritate Æliani, Athenæi, & Oppiani clare constat. Erythrinum quoque esse non posse eadem ratione apparet, qua opinionem de Pagro refellimus; quoniam is toto anno gravidus, ovisque plenissimus capiatur, Capones autem magna ex parte ventre vacuo reperiantur. Sed nos eum proculdubio de Mullorum genere esse putamus, parati mutare sententiam, si acutiores meliorem attulerint. Siquidem Mullum expressissime refert & capitis effigie & ipso colore puniceo, qui nullis aliis in piscibus, excepto Capone, & Mullo, ea claritate conspicitur. Aliqui enim barbam habent, qui barbati & barbatuli a multis & præsertim a Cicerone dicuntur. Quod autem duo sint Mullorum genera apud Athenæum plane perspicitur; anteponit enim barbatum Mullum imberbi Mullo, sicuti Sophron Poeta judicabat. Plinius quoque id Mulli genus, quod est diversum ab his qui gemina barba capillari insigniuntur, Alutarium appellavit, quod barbatorum comparatione vilissimum erat. Volaterranus in hoc decipi visus est, quoniam Mullos barbatos eos esse, quos vulgus Barbos vocat, arbitratur, Barbos scilicet vivaces illos & ab ovorum malacia valde noxios, quum Barbatus sit marinus, hic vero Barbus sit fluvialis; ab Ausonio enim Barbus vivax celebratur, qui etiam, eo argumento quod tarde moriatur, de genere Mullorum barbatorum esse non potest, quoniam Mulli, teste Plinio, sicuti & nos sæpius vidimus, cum primum extracti retibus fuerint, protinus exspirent; contra vero Barbi venales in lacubus ligneis, ut in Ticinensi foro videre est, diutissime vivant. An autem Alutarius is sit qui Capo nuncupatur, in medio relinquemus. Nec etiam absurdum foret, si pro Capone Citharus acciperetur: natura enim qualitateque pulparum, ut Galenus innuit, Citharum a Capone non multum differre deprehendimus.

CAP. XVII.

De Laccia.

LACCIA Piscis Romanæ Academiæ doctissimos quosque diu torsit, quum in Urbe longe sapidissimus haberetur, nec facile reperirent quonam Latino vocabulo foret appellandus, adeo ut ipse Pomponius Lætus Grammaticorum ejus ætatis princeps, & Platina idem ab ingenii monumentis & diligens Historicus & Cocus industrius, temere Lupum esse crediderint, duplici quidem errore, quando & quid Laccia antiquitus fuerit, & qui sit hodie Lupus Tyberinus, penitus ignorasse videantur. Is piscis subtilissimis contectus est squamis & argenteo fulgore conspicuus, pulparum vero mollitie saporeque admodum delicatus, verum adeo frequentibus ac molestis spinulis prætenerræ ejus carnes impediuntur, ut in conviviis illarum tædio atque periculo summæ suavitatis gratiam amittant. Subeunt Lacciæ Tyberim amnem ad prima Veris signa, sed tum strigosæ & ab quadam marinæ salsuginis ariditate parum amabiles, quæ mox paucorum dierum m[illegible] Tyberinis in undis mirifice pinguescunt: ra[illegible]ubitalem superant magnitudinem, & incipien[illegible]tatim Æstate in maria revertuntur, sic ut reli[illegible] tempore rarissime appareant. Præter ipsum Ty[illegible]m, Arnus & Umbro in Etruria, in Campani[illegible]ro Lyris & Vulturnus laudatissimas præbent: i[illegible]ado quoque reperiuntur haud ignobiles, in Ga[illegible] vero Hispaniæque amnibus longe maximæ, [illegible]quas sapientiores parasiti Tyberinis minime ess[illegible]omparandas existiment. Hispani Savalos, Al[illegible]Galli & Campani, Etrusci autem & Veneti ve[illegible] servato nomine Clupeas appellant: apud Arist[illegible]em vero, Strabonem, Ælianum, Oppianum [illegible] Athenæum Thrissas legere est, quam vocem [illegible]sam interpretantur Theodorus Gaza & Gregor[illegible]s Tiphernas, ita ut idem esse & Thrissam, & A[illegible]sam, & Clupeam, quam modo Romani Lacciam appellent, manifeste appareat, quoniam Ausonii Poetæ Alosa, quum dicit,

Stridentesque focis opsonia plebis Alosas,

Romanæ Lacciæ, uti Galli referunt, omnino simillima sit, & Clupeæ Venetæ atque Etruscæ idem esse cum Lacciis censeantur. Verbanus Lacus, qui hodie Major cognomine nuncupatur, item & ipse Larius Acones pisces ferunt, effigie ac sapore Lacciis persimiles, verum magnitudine inferiores, utpote qui ad summum, pedalem mensuram non excedant: Vere quoque sunt graciles natura a Lacciis plurimum diversa, Autumno autem quam optimi: neque illud obstiterit quod a plerisque dicitur, Clupeam eandem & Lacciam esse non posse, quando Clupea tantæ (ut videmus si Laccia sit) nobilitatis piscis, ab antiquis Auctoribus Latinis parum celebratus esse videatur: nam unus mihi pro omnibus Ennius Poeta amplissime satisfacit, quum dicit,

Omnibus ut Clupea præstat, Mustela marina.
Mures sunt Æni, aspera ostrea plurima Abydi,
** Mus Mitylenæ est,*

Celebrat etiam alios pisces, sicuti videre est in his carminibus, quos † Apulejus in *Apologetico* citavit. Id vero accidisse crediderim, quoniam Clupeæ toto ferme anno delitescant, tantumque perangusto illo adolescentis Veris tempore, quo solum insigni sapore præstent, veluti in ostentationem sui, amnes subeundo capiantur, ita ut acute & perurbane dixerit Hieronymus Vida, idem summus & religiosissimus Poeta, quum in convivio de Polyporum Luporumque prudentia dissereretur, neminem Clupea pisce prudentiorem sibi videri, quoniam non alias, nisi quum obesus esset, appareret, & quidem opportunissimo tempore, quando Vere ipso, per sacras leges sublatis carnium opsoniis, ipsi pisces in summo honore a Christianis habeantur. Cæterum Lacciæ uberrime nutriunt, sed glutinosioris alimenti excrementa in stomachis non facile atteruntur: propterea ab ipsis exhalationibus intempestivam somnolentiam inducere & sitim augere existimantur, præsertim si appetentibus ad explenda vel mediocris etiam gulæ desideria minime defuerint: quod paucis, vel certe ipsis tantum e summo ordine Nobilibus, ob ejus piscis grave pretium raritatemque contingit.

* Hic versus in Cod. Roman. portentose erat deformatus, inquit eruditiss. Casaub. in Not. ad Apul. Apolog. cujus hoc initium sic restituit. *Mitylenæ est pecten.*

† Habuit in animo *versus*, ut sæpe fit; leg. *quæ*.

CAP. XVIII.

De Trigla.

Latini veteres Triglam a Græcis appellatam, Mullum vocavere, a colore Muleorum calciamentorum, quæ languidum ruborem illum, uti in Persici & Cyclamini herbæ inversis foliis conspicimus, repræsentat, ut, referente Plinio, Fenestella existimavit. Triglæ vero nomen ob id a Græcis fuisse inditum, quod Dianæ Hecati diceretur, quæ sit triformis, unde Virgilius dixerit,

A

—— tria virginis ora Dianæ.

B

Ea verò de causa Dianæ sacrificari testatur Athenæus, quoniam Triglæ Lepores marinos hominibus mortiferos, uti venatici canes, venatricis deæ auspiciis persequantur. Eam Romani hodie, quum jam vetus Latinum Mulli nomen exoleverit, Græco vocabulo Triglam appellant: fuit is Antiquorum prodigo luxu adeo insignis & pretiosus, ut sæpius argenti puri pondere a privatis etiam Quiritibus emeretur, quum pedis longitudinem superaret. Galenus, ut erat acerrimus Romanæ luxuriæ castigator, unius ejus piscis æstimatione plerumque miratus est eorum gulam, qui tantulum piscem tanti emerent; cui eruditi Ganeones subtilissime respondebant, proceriores propterea quæri, quod in majoribus & majora capita & ampliora jecinora ad condenda varia pulmenta invenirentur, ut ex Horatiano carmine, quum dicit,

C

Mullum in singula quem minuas pulmenta necesse est,

& ex Plinii verbis, qui halecem ex jecinoribus Mullorum confici affirmat, manifeste deprehenditur. Trigla ter in anno parit, nec amplius, quoniam ter fœtis vermiculus innascatur, qui genitalia femina protinus abrodat. Triglæ admodum sunt voraces, ita ut humanis etiam cadaveribus vescantur, sicuti in hanc sententiam expressit Oppianus, quum dicit,

D

Trigla vorat fœdas sordes, & mergit in alvum
Omnes illuvies Ponti.

Probantur Mulli qui barbati sunt duplici crine a mento defluente: altera species ignobilis, Alutarium vocatur: in Thasi Insulæ littoribus optimi & maximi evadunt; apud nos hyeme & suburbano in mari capti maxime laudantur. Ligusticis enim & Venetis, itemque Neapolitanis non ea saporis gratia, quamquam sæpe multo grandiores in convivia veniant. Galenus ait Triglæ carnem neque pinguem, neque lentam, aut viscosam esse, sed duram atque friabilem, propterea gratam gustui, & digestione facilem, & in genere alimenti naturæ hominum congruentem & maxime accommodatam; sed eam Plinius nervis inutilem existimavit: recte atque salubriter in craticula coquitur, quæ longe sapidior erit, si petroselini subfrixa folia atque instillatus cum oleo Aurancinus succus accesserint. Apicius nepotum ille maximus gurges in Garo, quod ex salitorum Scombrorum muria liquamen erat, vivos Mullos, ut sapidiores evaderent, enecavit. Triglam, si in vino suffocetur, idque a viro protinus ebibatur, impediendæ Veneris potestatem habere Athenæus, auctoritate Therpsiclis, affirmavit, qui & mulieres quoque, si illud itidem potaverint, minime posse concipere testatus est.

E

F

CAP. XIX.

De Sauro, Trachuro, & Scombro.

Saurus antiquum nomen adhuc retinet, nec pedis magnitudinem excedit; minores fricturæ nomine veniunt. Sunt enim multa piscium genera, quæ ob parvitatem in sartagine frixoria ferventi oleo coquuntur, sicut Triglæ, Bocæ, Scombri, Trachuri, Pagri, & Auratæ, & propterea uno nomine frictura vulgariter appellantur. Sauros Galenus a carnium mediocritate laudavit, quod mediæ sint inter duras & molliores: Athenæus quoque eos sapidissimos esse ait, si exemtis branchiis, caseo, sale, atque origano condiantur. Trachina & ipsa etiam in fricturæ numerum refertur, quam Trachurum, ut Oppiano videtur, esse putamus, vel, ut Athenæo placet, Trachidam eo argumento, quod infestam & prope lethalem spinam in cervicibus habeat, & binas item alias & quidem acutissimas ab auribus prominentes. Hic piscis oblongus est ac tenuis & falcatus in ventrem, cujus latera lineæ frequentes & obliquæ vergentes ad cæruleum colorem pulcherrime describunt. Scombrum vero nostri Lacertum appellant, qui a Venetis antiquo nomine nuncupatur. Cornelius quoque Celsus eum pro Lacerto accipere videtur, ex quo salsamentum fieri ait; Interpres etiam Galeni antiquior & ineptior Saurum, Lacertum perperam appellavit. Scombri & oblongi & exiles sunt, & sulphureo colore conspicui, præsertim quum in aquis vagantur: Vere pinguescunt, quo tempore Venetiis inter delicatiora opsonia reputantur. Romæ autem ab innata quadam siccitate sunt ignobiles. Icesius minores Scombros majoribus anteponit, quos bono succo nutrire ventres autumat, sed qui tamen difficilis secretionis habeantur.

CAP. XX.

De Asello & Merula.

Asellum proprio nomine Ligures, Romani vero Scarmum & Merluzum appellant: capite est admodum lato pressoque, ut in Gobiis videmus, ore autem maxime denticulato ac patulo: cætero corpore est oblongior: squamæ sunt admodum minutæ & vergentes ad cinereum colorem, sicuti in asellis quadrupedibus conspicimus: M. enim Varro Merulam, Turdum, Umbramque, & Asellum a colore, quem referant, ait appellari. Aselli, dum æstivi soles fervescunt, ardoris impatientia latitant, sicuti Glaucus & Aurata, nec quoties pariant, inveniri potuit, ut ait Aristoteles. Eorum genera sunt duo, majores Banchi, qui in bipedalem magnitudinem augentur, & minores, quos Callarias vocant. Plinius eos in capite lapillum gerere & delicatos esse commemorat; Galenus vero cum saxatilibus æqualem habere carnem attestatur. Sunt & Turdi subviridi colore & frequentibus guttis, ut in volucribus videmus, variegati atque insignes, itemque Merulæ, Κόκκυγες Coccyges a Græcis appellatæ, quæ ab medio quodam colore inter atrum atque subfulvum Merulis avibus assimilantur; sed in aquatilium genere non eam habent saporis nobilitatem, quam Turdis ac Merulis avibus Veteres attribuere. Siquidem & Turdi admodum insulsi sunt, & Merulæ, ut

Athenæus ait, difficillime concoquuntur, in quarum conditura Archestratus ille Poeta parasitus cum caseo maloque granato & sale atque oleo silphium admiscuit, quod, ut Hermolao placet, laserpitii genus est; sed quomodo is succus concretus & odoratus in conditura piscium convenire possit, alii viderint. Sunt & Phycides Tincarum viridium colorem atque effigiem referentes, (Fici vulgo nuncupantur) qui Procerum patinas raro implent, quum insipidissimi sint.

CAP. XXI.

De Boca.

Dorsum picturatum habet Boca, piscis notus omnibus ferme littoribus, atque uno tantum nomine nuncupatus; dictus est a voce, propterea quod sacer sit Mercurio eloquentiæ deo, sicuti Citharus Apollini, Dianæ Trigla, Libero patri Citulus, Veneri Apua, & ipsi Neptuno Pompilus navigiorum comes. Aristophanes autem Byzantius, ut Athenæo placet, Bocam potius Boopam appellari debuisse asserit, quoniam is piscis prægrandes habeat oculos, sicuti & Silurum, potius Sciurum a crebro motu caudæ nuncuparit. Cæterum Bocæ fœcundissimæ sunt, & gregatim capiuntur, solentque eas piscatores in oleo acetoque semicoctas cum myrto plurima in canistris asservare, quæ postmodum in remotissimas a mari Italiæ regiones mercimonii causa deferuntur.

CAP. XXII.

De Gobio.

Gobio, vel Gobius, Venetiis frequens, & pingui teneritudine delicatus, rarissime Romæ conspicitur, pro squamis variam cutem habet & valde lubricam: candicantes nigris, Plinio auctore, præferuntur; virides autem sunt pessimi; semipedalem longitudinem non excedunt; circa littora parere solent, ut Aristoteli placet, & vadoso potius in mari ac æstuariis quam in alto, vel ubi fluctus scopulis alliduntur, quanquam & ejus generis majores sint ex saxatili genere, quos & Caulinos & Cothonas, ut Hermolao videtur, Siculi vocavere. Icesius Gobios multi esse succi & facilis digestionis asserit, sed qui & exiguum simul & malum præbeant nutrimentum. Galenus autem dicit Gobiones circa arenosa littora & saxosa promontoria esse, & gustui gratos & in prima & secunda digestione facile secerni; contra vero qui ostiis fluviorum & stagnis caperentur, valde detestabiles. Sunt etiam fluviales Gobii, ex Verbano præsertim & Lario lacubus, qui insignes habentur, ipsis jecinoribus palato gratissimis, eos & Strineios & Botetrissias Insubres appellant. In Etruria quoque, in Marina præsertim amniculo, qui ex Apennini jugis apud Pratum oppidum in Arnum evolvitur, Joctii sunt pisciculi delicatiores, Gobionibus admodum similes, qui quum effigiem illam mire exprimant, etiam in tantula carne eundem saporem habent.

CAP. XXIII.

De Scorpæna.

Scorpionem & Scorpænam Aristoteles diversos facere videtur; idem & putavit Athenæus, qui citat Aristotelem: unde Hermolaus quoque ipse in *Correllario* nihil pro certo affirmarit. Cæterum Scorpænam ferme omnes vernaculo nomine nuncupamus piscem subrufum, variumque, & multis armatum aculeis, cute autem minime squamea, sed Gobionis similitudine lubrica, qui, ut ait Ambrosius, venenato aculeo sit truculentus: eorum unum genus pelagium est, alterum palustre; illi rufescunt, ii vero nigricant, qui & minus probantur. Pariunt bis in anno; in universum Icesii auctoritate ventrem leniunt, facile secernuntur, & quum multo abundent succo, multum etiam alimenti præbent. Epicharmus in *Nuptiis Hebes* Scorpænam ait esse solitarium & marina vesci alga: minores, qui semipedalem longitudinem non excedunt, majoribus anteponuntur judicio Archestrati, qui fuit opsoniorum structor longe subtilissimus.

CAP. XXIV.

De Perca & Melanuro.

Percas pelagias Romæ raro videmus: assimilantur hæ Mænis ipsis, quæ hodie Menulæ dicuntur: nam subfurvas habent zonas, quibus ipsæ toto corpore squamosæ & argenteæ distinguuntur; in dorso impares eminent aculei tenui inter se membrana conjuncti. Propterea Athenæus Percam ait spinis esse coronatam, & insigni varietate conspicuam. Pulchræ quidem sunt, grataeque gustui, & languentibus salubres. Plinius inter saxatiles eas connumerat, & ex iis qui hyeme capiantur. Dux & magister Percarum est Melanurus, qui alio nomine Oculata dicitur a magnitudine oculi, ut Theodorus interpretatur; varius est & frequentibus guttis conspersus, non absimilis Auratæ, verum natura, ut Æliano placet, piscium & timidissimus idem & cautissimus; nam ex ipsa maris tranquillitate piscatorum adventum præcognoscit, mergitque se profundissimo mari; si vero in summas aquas fuerit enatandum, agit circa scopulos, & mira sagacitate in spumis latitat, quas infracti scopulis fluctus continue excitant. Cornelius Celsus Oculatam in genere alimenti maxime probavit: Numenius vero Melanuros vim obstruendarum venarum habere, & multo Sargis sapore & succo inferiores esse testatur; ita ut Melanurus alius ab Oculata esse videatur, sicuti sensisse Plinium putamus, qui Oculatam Soleis atque Passeribus admiscuit, & in eodem versu utriusque mentionem separatim facit, quod & diligentissimus Hermolaus animadvertit, quum in hoc pisce aut Plinium, aut Theodorum erravisse arbitraretur. Id vero Gazam movere potuit, quoniam Aristoteles, quum de Scaro mentionem faceret, semper Melanurum illi conjunxit, idemque fecisse Celsus videretur: nam Scarum semper cum Oculata nominavit, quasi quum Melanurum dictionem Græcam reformidaret, Oculatam pro Melanuro substituerit; qui piscis a Latinis, uti hodie Venetiis & alibi, Ochialis propter oculorum magnitudinem nuncupatur; non autem is a nigritie caudæ, sicuti Græ-

ci appellabant, Nigricauda vel Atricilla vocetur. Sed Melanurus, qui Neapoli frequens eſt, Romæ raro conſpicitur, ſic ut nemini mirum eſſe debeat, ſi ejus veram effigiem inſtituto picturæ opere minime referemus.

Cæterum Percæ, ut ait Ariſtoteles, in fluviis & lacubus etiam verſantur. Iique hodie in Gallia ſummam obtinent dignitatem alendis febricitantibus, appellantque eos Galli antiquo nomine Percas, quos celebravit Auſonius Gallus, quum dixit in *Moſella*:

Nec te delitias menſarum Perca ſilebo,
Omnigenas inter piſces dignande, marinis
Solus puniceis facilis contendere Mullis.

In Italia autem laudatiſſimi ſunt e Lario lacu, quos Novocomenſes ipſi Percecos appellant: eos fama eſt fuiſſe advectitios & inquilinos, tralatis ſcilicet ſeminibus e lacu Eupyli, qui Lambrum emittit amnem, ut meminit Benedictus Jovius frater in Larianis Luſibus ad Minitium Calvum,

Eupylis exigua ſum Percecus ortus in unda;
Meque peregrinum Larius inde tulit.

Sed Eupylis multo minores quam Larius Percecos producit, quoniam magna ex parte vel influentium aquarum defectu, vel occultiore aliquo hiatu terræ hauſtus, multis ante annis exaruit, abiitque in tres minores lacus, aquis in depreſſiora loca ſubſidentibus, qui a Licino Foro vetere oppido, quod & ipſum interiit, plebis Licini Lacus hodie nuncupantur. In Lario Percæ ad pedalem creſcunt magnitudinem, croceas pinnas habent, & matureſcentibus præſertim uvis ab ipſo pingui & præteneris interaneis magnopere commendantur. Medici fere omnes Galliæ Ciſalpinæ Percas ægris robuſtioribus apponere non dubitant, præſertim ſi crudarum uvarum ſucco, quem agreſtam vocant, diligentiſſime condiantur. Diocles quoque Medicus in libro *de Salubribus*, ut Athenæo placet, Percam e ſaxatilibus, qui molliores habeant carnes, ut ſunt Turdi, Merulæ, Gobii & Phycides, plurimum laudavit.

CAP. XXV.

De Rhombo & Paſſere.

HActenus de ſquamoſis piſcibus, nunc de planis agemus, qui ſpinas habent, & de his quæ ab Ariſtotele Σελάχαι, *Selachæ*, quod ſpinis careant, & a Plinio *cartilaginata*, appellantur. In his principatum obtinet Rhombus, ſic dictus fortaſſe ab inſtrumento Theſſalico magico, quod Rhombum, id eſt, rotundum ſit; eſt enim is piſcis longe latiſſimus & ovali figura rotundior, quæ forma in inſtruendis aciebus Rhombi nomine a Scriptoribus rei militaris appellatur, unde Martialis *lib. 13. epigr.* 81.

Quamvis lata gerat patella Rhombum,
Rhombus latior eſt tamen patella.

Græci Auctores Rhombum Ψῆττης Pſittæ nomine vocarunt, ita ut Pſitta genus ad Rhombum, Paſſerem & Soleam eſſe videatur. Ariſtoteles namque Rhombi nuſquam meminit; ſed Paſſeres, ſic hodie nuncupati a Romanis, magnitudine, ſaporeque, & figura etiam oblongiore a Rhombis differunt; in eo quoque diſſimiles, quoniam dexter ſitus ſit reſupinus Rhombis, lævus autem Paſſeribus & Soleis.

Cæterum Rhombus inter planos obtinet principatum, quem nobilis quidam aulæ Procerum circa popinales delitias ingenioſiſſimus aquatilem Phaſianum appellare ſolebat, non abſurda quidem comparatione, ſicuti & Soleas Externis, Lampetras Coturnicibus, Lupos altilibus Capis, Sturiones vero Pavonibus adæquavit, ut ex coquinariis Commentariis, quæ ejus Coci nomine circumferuntur, licet intueri. Capitur Rhombus toto anno, & circa pinguiorem arenam & arenulas extremaſque littorum margines natat tranſverſus, convolvitque ſe certis flexibus Strabonum more, ut ſitus oculorum vitium emendet, ſuaque potius latitudine quam pinnarum adminiculo fretus curſum dirigit; omnium profecto & temporum & locorum piſcis, idemque & delicatus & ſalubris, hyeme tamen quam æſtate, & in Italia Ravennæ quam alibi multo laudatior. Rhomborum pulpæ ſunt candidæ, & preſſo quodam humore ſucculentæ, quæ affatim & ſalubriter alunt, modo in prima concoctione, quæ celebratur in ſtomacho, ſuperfluæ earum partes perfectiſſime ſecernantur. Galenus in alendis convaleſcentibus Rhombos in jure ſimplici cum modico ſale, porris & aneto intritis percoquebat. Sanis autem & his qui ſenſum appetentis ſtomachi dejectum habuiſſent, toſtos in crate, acetoque conſperſos, vel frixos cum Garo ac vino apponere conſuevit.

CAP. XXVI.

De Solea.

SEquitur Solea, Lingulaca a M. Varrone nuncupata, ab Athenæo autem Βούγλωσσος, *Bugloſſus*, quod bovinæ linguæ effigiem imitetur, hodie in lautioribus conviviis in ſumma etiam cæterorum piſcium copia, magnam obtinet claritatem. Probatur hyeme & frixa Aurancii mali ſucco pipereque conſperſa. Maxima in Belgicis Oceani littoribus reperitur, noſtrates pedalem longitudinem raro ſuperant. Soleæ maleficos piſces defugiunt, eaque ſolum frequentant loca, in quæ belluæ minime accedunt, ita ut argumento ſint maleficos non eſſe, ubi ipſæ veluti ſolutæ metu vagantur. Solea leviſſimum adgenerat nutrimentum in ſtomacho, facile concoquitur, & in ſecundis venarum & jecinoris digeſtionibus nulla ferme noxiarum ſuperfluitatum excrementa relinquit.

CAP. XXVII.

De Citula, ſive ſancti Petri piſce.

PIſcem e genere planorum, ſimilitudine Iſtricis ipſa dorſi acie aculeatum, capite extento, ore latiſſimo, cujus maxillæ ex perſpicua membrana conſtare videntur, Romani Citulam & ſancti Petri piſcem, uti & Veneti, Ligures autem Zaphirum appellant. Sunt in ejus utroque latere gemini orbes, qui bina imprimentium digitorum veſtigia eſſe videntur. Sapore, pretio, & effigie, ſi caput abſcideris, ipſi Rhombo perſimilis. Quo autem nomine Latini veteres Græcique illum appellarint, pro conſtanti affirmare non auſim. Quibuſdam videtur eſſe Chalcis de genere Rhomborum apud Columellam. Putavi ego illum eſſe Ἀκανθίαν,

Acanthiam, qui fit de genere Galeorum apud Athenæum, sic dictus, quod spinosus sit: & certe si Galei prolem ore suscipiunt, ut eam ab invadentium piscium injuria tueantur, hic piscis ante omnes os habet aptissimum, ut ea pietatis in filios officia commodissime præstentur. Acanthiæ certe Oppiano e genere Galeorum sunt & aculeati; sed is fortasse est, qui a nobis Columbus piscis appellatur, infimæ plebis opsonium, qui oblongus est, & cartilaginatus, spinamque habet in dorso. Aliquando quoque dubitavi, an esset Citharus, quem sæpius Galenus cum Rhombo nominavit, asserens Rhombos sapidiores & meliores esse Citharis, ut manifeste in mensa utriusque collatione deprehendimus: invenio tamen apud Athenæum piscem Citulum dicari Libero patri, sicuti Citharum Apollini, Triglam Hecati, Apuam Veneri: qui, si nominis conjecturam sequemur, profecto Citula Romanus antiquorum Græcorum Citulus esse poterit.

CAP. XXVIII.

De Torpedine.

TOrpedo effigie potestateque admirabilis, sic dicitur, quoniam capta in retibus, priusquam attingatur, piscatorum manus stupefaciat: propterea Veneti eam *Sgramfum*, quod est torpescentis membri affectus, appellant. Romani autem modo *Battipotam*, modo *Foterissam*, frequentius vero *Oculatellam* dicunt, quod in ejus dorso quinque ocellos subnigros ipsa natura depinxerit. Subrufa est prona parte, supina autem candida. Averroes cæterique Philosophi Torpedinem ea qualitate manus adficere, qua ferrum a magnete lapide pertrahatur, existimarunt. At Galenus Torpedinem inter pisces, quibus vescimur, in tertio *de Alimentis* nominavit, quanquam ea hodie a plebe egentissimisque hominibus tantum comedatur.

CAP. XXIX.

De Raja, & aliis.

SUnt etiam e planis Rajæ, & Squatinæ, & item compositi ex utrisque Rhinobates, sive Squatrajæ, quæ fœdæ sunt adspectu, atque esu admodum injucundæ, quum inter sordidæ plebis atque pastorum opsonia censeantur. Rajarum fel auribus sanandis aptissimum est. Squatinarum autem scabrum tegumentum ad poliendum ebur propter asperitatem ab artificibus expetitur: ex eo cultellorum & falcatorum ensium vaginas Turcæ, Barbarique maritimi, admodum pulchras conficere solent, quas *Sagrinas* appellant. Est etiam hujus generis Pastinaca, idem & Turtur, & Trigon, quæ a mortifero aculeo lethalis ab Oppiano dicitur, quo Ulysses ictus a filio perierit, hodie Bruccus dicta. Hæc simul & Raja & supra citati pisces e mustellino sunt genere, prolem tamen ore (ut alii solent ejus speciei) sucipere nequeunt propter caudarum asperitatem.

CAP. XXX.

De Congro.

POst planos pisces oblongi & lubrici citabuntur, & ante alios Conger subalbus, & teres, qui ingentis Anguillæ speciem præ se fert. Hunc Icesius ait omnibus gregalibus piscibus duriorem, & ob raritatem carnium tenuissime nutrire, neque laudabilem præbere succum, eum tamen stomacho minime esse molestum aut incommodum. Idque Galenus affirmat, qui dicit Congros parum afferre nutrimenti, cæterum facillime eorum carnes digeri atque secerni, ita ut mirer Albertum Magnum, quum dicit Congros nativa quadam proprietate lepram morbum generare. Congros in immensam crescere magnitudinem apud Sicyonem Peloponnesiam Eudoxus tradit, ita ut currum longitudine superent. Porro Archestratus in libro *de legibus ventris*, Congros in Italia longe optimos judicavit, quod mihi nequaquam verisimile videtur; quando neque hodie aulæ Principes, neque ipsi cupedivoræ Congrum magnifaciant, solique Hispani Romanæ Urbis inquilini eum, exoticis quibusdam pultariis incoctum, in summo honore habere videantur.

CAP. XXXI.

De Muræna.

MUrænæ toto mari sunt frequentes, sed in Siculo longe maximæ atque optimæ: eas Columella flutas appellavit, quod summis in aquis fluitent, unde accidat, ut in nimiis Solis ardoribus exusta cute sese mergere nequeant, amissaque flexuosi motus agilitate capiantur. Sunt maculosæ & in collo aliquot stellas ad formam Septentrionis habere dicuntur, quæ statim morientibus evanescant. Mira in his sagacitas, nam ut se captas sensere, hamum avidissime devorant, dentibusque lineam protinus abrodunt, & effugiunt. Veteres Romanos a vivacitate potius quam a saporis præcellentia Murænas æstimasse crediderim, quoniam magna eorum copia in quotidianos usus, vivariis inclusa diutissime poterat asservari, cæteris piscibus, aut tædio carceris, aut vitio piscinarum facile pereuntibus. Constat enim C. Hirtium ex vivariis epulo triumphali, Dictatori Cæsari sex millia Murænarum mutua appendisse. Mansuescunt, & de manu hominis escam accipiunt. Crassus ille cognomento dives Murænam altilem adamavit, adeo ut fato functam aliquando luxerit, & tumulo indiderit. Exstat quoque illud salsissimum Crassi dictum, quum L. Domitio admodum ridenti atque admiranti, quod mortuam defleret Murænam, respondit, *mirum quidem esse quod exstinctum piscem lacbrymis prosequeretur, sed multo quidem admirabilius, quod ipse tres a se elatas uxores non lugeret*: extulerat enim tres uxores Domitius, quas quidem veneno, ut dotibus potiretur, sustulisse dicebatur. Aliquæ etiam fœminæ in delitiis Murænas habuerunt, ut Antonia Drusi, quæ uni spectatæ mansuetudinis gemmatas inaures addidit. Vescuntur humanis carnibus Murænæ, idque Vedii Pollionis crudelitate verum esse apparuit, qui damnatos servos in vivarium demergebat, ut illi non extemplo, sed paulatim in minutissimas discerpti partes Murænarum morsibus absumerentur. Ferunt Murænas in cauda vitalem spiritum

habere, propterea illas aliquanto celerius interimi, si in extrema caudæ parte potius quam in capite fustibus verberentur. Sanga Romanus Poeta lepidus, cujus beneficio * Athenæum Latinum legimus, quum Pyrgorum in littore piscaremur, docuit Murænas ab Antiquis exossari Plauti auctoritate, ut eorum carnes nullis impeditæ spinis gratiores redderentur, ingentemque ille Murænam binis bacillis utraque manu comprehensis mediam adstringendo detergendoque, recte & festive admodum exossavit. Serpentes cum Murænis coire, quas sibilo e profundis in littus evocent, divus Ambrosius & complures Antiquorum tradunt; cui opinioni Athenæus refragatur auctoritate Andreæ, qui *de bis quæ falso creduntur* librum edidit. Murænæ toto anno pariunt; estque de genere earum Murus robustior, & grandior, & unicolor, larici ligno colore persimilis, ut Aristoteli videtur, quem Myrinum Plinius appellat. Invenitur & Muræna fluvialis multo minor, quæ unam tantum habet spinam, & Gallaria †, auctoritate Dorionis, ab Athenæo nuncupatur, ita ut arbitrer hanc minorem Murænam intelligere voluisse Athenæum pro ea, quæ a nobis Lampetra vocitetur, sed de hoc mox diffuse differemus. Murænarum carnes non minus nutriunt quam Anguillarum atque Congrorum, ut Icesius asserit. Verum ab duritie quadam innata & ex tenaci humore laboriosissime digeruntur, sed a lactibus eximiis summam commendationem accipiunt, quibus Heliogabalum Cæsarem insana prodigalitate, quum in mediterraneis esset, aulam omnem ac rusticos pavisse Lampridius in *Historiis* affirmavit.

CAP. XXXII.

De Acu.

EST & Acus de longorum genere, quæ a Græcis Rhaphis & Bellona dicitur; rostrum habet Gruis vel Ciconiæ similitudine, colorem vero argenteum, spinam autem, ut Albertus Magnus annotavit, viridis coloris. Hic piscis sero parit, & per Æstatem tantum, utero dehiscente tempore partus, secus ac cæteris accidat piscibus, qui ipso vulvæ foramine pariunt, ut Aristoteles existimavit. Humidum bonumque succum ejus carnes præbent, sed tardiuscule cæterorum comparatione concoquuntur.

CAP. XXXIII.

De Anguilla.

ANguillas, quod anguibus assimilentur, M. Varro dictas existimavit: nascuntur ex limo algarumque putredine imis in lacubus & fluviis, nullo coitu, nullaque fœtura, ut ait Aristoteles: vivacissimæ sunt, quoniam branchias habent perangustas, unde etiam fit, ut turbidas aquas difficillime tolerent. Reperiuntur & in mari nguillæ secundis amnibus devectæ secus ac aliis contingat piscibus, qui e mari subire amnes, allecti aquarum dulcedine, consueverunt: & eæ quidem multo sapidiores videntur, quam ipsæ prognatæ nutritæque in amnibus, veluti quæ viscosum lentumque illum habitum penitus exuant salsarum aquarum egregio temperamento. Neque tamen credendum est, in alto ac profundo mari dulciorem deesse humorem, quo maxime pisces foveantur: nam, ut ait Aristoteles, in profundis vadis aquarum dulcium venæ perennes existunt, & in ipsa marinarum aquarum mole portio certa dulcioris humoris reperitur, quum maris aqua, neque simplex sit, neque, ut aliqui voluerunt, purum elementum; argumento sunt vasa cerea e navigiis in altum demissa, quæ paucarum horarum spatio dulci aqua per meatus subtilissimos recepta, manifestissime replentur, ut Democritus ante Aristotelem, & utroque posterior Theophrastus experimento deprehenderunt.

Cæterum Anguillæ in mari rarissime, frequenter vero in omnibus ferme fluviis ac lacubus Italiæ capiuntur. Sed ingentes & sapidissimas alit Vulsinensis lacus, quarum incredibilem multitudinem capi vidimus in excipulis ad egressum Martæ amnis fabricatis, cum Alexander Farnesius Cardinalis Leonem Pontificem in eam amœnissimam regionem ab Urbe venandi studio secedentem regali magnificentia suscepisset. Anguillas omni ex loco, omnique tempore, & præsertim circa Solstitium, Medici detestantur. Stomachis enim & renibus sunt inimicæ, sed præcipuum sentiunt nocumentum ex earum opsoniis, qui arenulas mingere consueverunt, quoniam illæ anguillari glutino in calculos cogi & adstringi videantur: podagra quoque laborantibus manifeste officiunt, nec ullis morbis medentur, sicut inique fecisse natura videatur, quæ tam suavem refutandis exspuendisque piscibus saporem indiderit. Cæterum Anguillas minime noxias, sed quæ propter exilitatem commode verubus torreri non possint, gignit Serius Cremonensis agri fluviolus, qui in Adduam excurrens Vidæ Poetæ paternas possessiones interluit.

CAP. XXXIV.

De Lampetra.

SUbeunt Arnum & Tyberim Lampetræ, atque in his præsertim amnibus ad generosum habitum adulescunt. Anguillis, vel parvis potius Murænis, assimilantur: sunt enim lubricæ & nigricantes, tendente tamen earum parte prona ad cœruleum colorem, utroque autem gutturis latere foraminulentæ, siquidem septenis paribus fistulis mirabili ordine a natura fabricatis acceptam aquam emittunt, quum branchiis omnino careant, nec cubitalem excedere magnitudinem soleant. Omnibus autem Galliæ Cisalpinæ rivulis, ipsisque præsertim Ticini atque Adduæ emissariis, multæ reperiuntur pretiosæ admodum, quamquam minimi digiti crassitudinem rarissime superent. Sed Romanis præcipua nobilitas a magnitudine atque sapore, adeo ut denis sæpe aureis singulæ veniant, ipso præsertim Vere, quo maxime probantur: neque enim dum jejunamus & frugi esse debemus, luxuria castigatur. Retulit Platina in culinariis suis duorum Cardinalium luxu superbiaque certantium opsonatores centum aliquando argenteorum nummum uni Lampetræ pretium fecisse, quum in foro piscario ambitiosius contendendo eum piscem pertinaci atque insana profusione veluti ad hastam licitarentur. Lampetram Neoterici quasi a lambendis petris dictam putant, quam Græcis Γάλεον, *Galeum*, Latinis vero Mustelam fuisse arbitramur. Eam Ennius Poeta pretiosissimis æqualem facit, & Plinius bonitate Scaro proximam esse testatur, & Ambrosius gustu suavem vocat. Porro Galeorum plura sunt genera, ut apud Aristotelem, Athenæum, Oppianumque, ac ipsum præsertim Gale-

* De hoc dubitat eruditiss. Casaubonus Præfat. Commentar. in Athenæum.

† Errat Auctor, Athenæus enim non dicit, Murænam nuncupari Gallariam, sed Asellum; videsis locum lib. 7. *Dipnosophist.* cap. 18.

num licet intueri: dicitur enim piscis Mustela e Galeis, sive ex Mustelino genere, ut Theodorus Gaza passim interpretatur, prolem ore suscipere & rursus emittere, ut illam a piscium maleficorum injuria tueatur. Cæterum Galenus in tertio libro *de Alimentis* Philotimum reprehendit, qui Galeum in ordine duras habentium carnes collocabat, quum Galaxius sit is piscis e genere Galeorum, quem Latini Mustelam appellant, piscis, inquit, & mollis & apud Romanos gloriosus. Neque enim ille vetus pariter ac ineptus Galeni Interpres unquam pro Galeo Mustelam interpretatus est. Quod profecto Theodorus fecisset, qui semper nominibus Græcis pro virili Latina vocabula reddere consuevit. Icesius pariter, in libro *de materia*, e genere Galeorum meliores & molliores Asterias appellavit, ita ut fortasse putandum sit eum pro Asteria Lampetram innuere voluisse, quod Lampetra quasi a maculis, quamquam obscurioribus, stellata sit, & mollis, & delicata. Invenio quoque nonnullos Auctores, qui parvam Murænam pro Lampetra intelligant, ut ait Athenæus auctoritate Dorionis: apud quem fluvialis Muræna, quæ marina sit multo minor, Gallaria * nuncupatur, quoniam unam tantum habeat spinam. Potest quoque accidere, ut idem sit Gallaria Athenæi, & gloriosus Galaxius Galeni unius litteræ commutatione, neque mirum esse debet, quum utriusque Auctoris Græci codices corruptissimi habeantur. Albertus quoque Magnus Lampetram, Murænam parvam appellavit, qui quamquam sit ineptus & barbarus, minime tamen hoc somniasse putandus est, quum ex Veterum potius commentariis laboriosissime excerptis, quam a multo nobilioris ingenii acumine, tot tantaque volumina condiderit. Id vero me plurimum movet, ut Galeum pretiosum apud Græcos, nostratem hanc Lampetram non esse existimem; quoniam is Galeus, qui Rhodi longe omnium delicatissimus est, ab Archestrato in eo libro, quo vitam quærit Sardanapali, dicitur esse Acipenser, qui Plinio auctore rarus inventu est, & squamis ad os versis conspicuus. Verum ipsi Græci infinita quadam nominum congerie Acipenserem appellant, ut qui modo Ellopem, modo Callionymum, modo Anthiam, modo Callichthyn, quem etiam ministri cum tibiis coronati conviviis inferrent, eum vocare consueverint. Sed ut arbitrer Lampetram antiquitus fuisse Mustelam, Plinius apertissime suadet, quum dicit in lacu Rhætiæ Brigantino Mustelam esse marinæ æmulam: namque is hodie Lacus Hydrius est in Tridentinorum finibus, qui proculdubio antiquitus fuit Brigantinus. Is emittit amnem Clisium, in quo Lampetræ reperiuntur. Sebinus quoque Brixianorum Lacus Brigantino proximus, qui hodie Hisejus dicitur, & Ollium amnem emittit, ut plures ejus accolæ mihi affirmarunt, aliquando Lampetras Etruscis ac Romanis specie saporeque simillimas præbuit. Neque propterea dixit Plinius marinæ æmulam, quia captam mari intelligere velit, marinæ enim sunt, quæ in Arno ac Tyberi capiuntur. Distant siquidem longo intervallo pulparum bonitate ab his, quas in alto mari expiscari aliquando solemus, quum subaridæ agrestesque sint, ita ut exprimere Plinius voluerit Mustelas, quæ nunquam mare attigerint, sapore commendandas dulcibus in aquis reperiri: neque enim Plinium Lampetras parvas (quas *Lampetroccias* vocamus) marinis comparare voluisse credendum est; nam si de parvis intellexisset, ad Brigantinum ignobilem lacum & ipsis abstrusum in Alpibus minime fuisset recurrendum, quum, uti supra dixi-

* Idem supra pag. 877. ubi vide Notam.

A mus, tota Gallia Cisalpina in omnibus fluviolis ac rivis copiosissime reperiantur. Unde vero Lampetram Antiqui Mustelam appellarint, incertum est. Verum ego piscem illum a longitudine, candoreque ventris, & a tergoris superioris sublutęo colore (uti in quadrupedibus Mustelis videmus) dictum esse putaverim. Fuere aliqui eruditiores nostræ tempestatis, qui Lampetram apud Plinium Lumbricum fuisse crederent, quum *lib.* 9. *cap.* 20. dicat, *Duæ omnino sunt pinnæ longis piscibus, ut Lumbricis, & Anguillis, & Congris*, quum & Lampetræ sint longæ & Lumbricis terrestribus certo confinio assimilentur. Verum locum ibi de-
B pravatum esse ostendit Alcyonius vir doctus, quum Plinius eadem verba ab Aristotele mutuatus esse manifeste deprehendatur. Verba autem Aristotelis hæc sunt ex libro primo *de natura animalium*. Τῶν δὲ νδεϛικῶν ὅσα ἄποδα, τὰ μὲν πτερύγια ἔχει ὥσπερ ἰχθὺς καὶ τούτων, οἱ μὲν τέτταρα πτερύγια, δύο μὲν ἄνω ἐν τοῖς πρανέσι, δύο δὲ κάτω ἐν τοῖς ὑπτίοις, οἷον χρύσοφρυς καὶ λάβραξ. Τὰ δὲ δύο μόνον, ὅσα προμήκη καὶ λεῖα, οἷον ἔγχελυς καὶ κόγγρος. Τὰ δὲ ὅλως οὐκ ἔχει. οἷον μύραινα, ἀλλὰ χρῆται τῇ θαλάττῃ, καὶ ὥσπερ οἱ ὄφεις τῇ γῇ, καὶ ἐν τῷ ὑγρῷ ὁμοίως ναίουσι. *Quæ autem in genere natantium pedibus ca-*
C *rent, hæc aut pinnis natant, ut pisces, quorum alii quaternas, binas scilicet parte prona, & binas supina habent, ut Aurata & Lupus. Alii binas tantum, quæ longæ, leve͡sque sunt, ut Anguillæ & Congri: aut nullas omnino habent, ut Muræna, sed ita mari utuntur, ut terra serpentes, modoque simili repunt in humore*. Theodorus autem vertit *levibus* loco *lubricis*, quandoquidem in mendosam Plinii lectionem incidit, nec satis animadvertit, quo pacto castigare eam oporteret, ut Librariorum vitio *lubricis* dictionem in *Lumbricis*, addita M. littera, abiisse omnino credendum sit. Porro Hermolaus in *Castigationibus Plinianis* nihil de Lumbricis
D disseruit; in *Corollario* autem apud Dioscoridem, quum Mustelam nominaret, quisnam is piscis apud Neotericos esset, cautissime subticuit: utpote qui de eo pisce nihil certi adhuc se comperisse meminerat. Quod si hæc nonnullis, qui in explorata veritate morosi sunt, minime satisfecerint, operæ pretium erit eos Lumbrici nomen pro pisce apud aliquem idoneum Auctorem reperire, quod certe nunquam (nisi fallimur) vel acuratissima lectione poterit inveniri. At si Lumbricus erit piscis, qui Lampetra dicitur, testimonio alicujus fortasse Auctoris ab inferis revocati, quis demum contra piscis erit ipsa Mustela ab Antiquis tantopere celebrata?
E quum nullus fere sit piscis palato gratissimus, cui suum nomen, idemque antiquum, non reddiderimus.

Lampetræ igitur suavissimæ sunt, Martio tamen Aprilique mensibus tantum: nam incipiente Æstate durescit nervus interior, qui illis pro spina est. Cæterum delicatiore quodam condimento multo majorem, quam ab ipsis pulpis, nobilitatem accipiunt: necare enim eam in Cretico vino solent, eique myristica nuce os claudere, & foramina illa totidem caryophyllis adimplere, in teganoque convolutam in spiras additis avellanis tritis, medulla panis, oleo, vino Cretico, aromatibusque
F ad temperatiores prunas, certis momentis sedulo excoquere: quo condimento Leo X. in minore fortuna, joci causa, ut convivium exhilararet, Marianum Cucullatum falsum & ridiculum hominem memorabili impostura decepit: namque funem instar Lampetræ incoctum, multoque illo jurulento immersum grandi in patina apposuit, ut notam omnibus ejus edacitatem gulamque elu-

eluderet, qui jam magna pultarii parte absumta pseudolampetram aggressus, diu multum quecum ea maxillis ac dentibus inhærente colluctatus, Schinnum cunctis tollentibus facetissime respondit: *Utinam sic mihi sæpius illudatis! nam in hoc condimento non modo funes, sed & ipsas catenas, quibus insani vobis similes vinciuntur, & cum voluptate quidem absumerem.* Cæterum Lampetrarum pulpis nullam vim noxiam inesse putandum est, quando & duritie & lento pingui prorsus exspoliatæ sint, quibus maxime conditionibus pisces stomachis incommodi esse consueverunt. Dicere autem eas ab occultiore potestate nervis adversari, impudentis, vel scrupulosioris ingenii esse putamus.

CAP. XXXV.

De Trocta.

QUid Trocta Romanis antiquitus fuerit, haud facile adfirmaverim, quando unus tantum e Latinis Ambrosius, solusque ex omnibus Græcis Auctoribus Ælianus Troctam nominarint; & id quidem admirandum est quum omnium, qui dulcibus in aquis generentur, hic piscis longe nobilissimus æquali cunctarum gentium judicio censeatur; quamobrem in hoc præsertim pisce condonandam mihi ab Eruditis veniam existimo, si ingenue me nondum ejus vocabulum a Veteribus * usurpatum reperisse minime inficiabor. Sed Troctam de Luporum genere fuisse apud Antiquos crediderim, uti Moderatus Columella curiosos atque oculatos Lectores admonere videtur, quum Lupos sine macula piscinis includi posse asseveret, aliosque esse Lupos dicat, qui Varii appellentur, ita ut Luporum alii sint sine macula, id est, marini, qui & amnes subeant, alii Varii, hoc est, fluviatiles, qui dulcibus in aquis generentur, unde & Troctam ab aliquibus ingloriis Auctoribus Varium majorem appellari videmus: certe Trocta admodum varia est nigricantibus maculis totum dorsum speciose pingentibus. Spigolæ vero unicolores potius atque argenteæ esse videntur, quamquam & ipsæ veluti ad retinendam Lupini generis appellationem subatris punctis, sed minoribus & languidioribus, quam in Troctis videamus, notatæ sint. Neque enim arbitrandum est Columellam per Lupos traductos in Ciminum & Sabatinum lacus, vel Troctas vel Lucios intelligere voluisse: supervacaneum enim fuisset Troctas indidisse, quarum maximam copiam suburbani amnes omni tempore suggererent, ut ex Reatinis, Sublaqueanisque, & ex ipso Tyburtino Aniene quotidie videmus. Præterea neque Romanæ luxuriæ neque admirabilioris magnificentiæ fuisset, alios quam pelagios pisces illis in lacubus disseminasse: de marinis enim Columella loquebatur, & quidem nobilissimis: ut de Auratis & Murænis simul cum Lupis ipsis clare testatus est, quos tamen omnes deficiente paulatim eorum sobole, quum diu naturæ repugnare nequiverint, penitus interiisse manifeste videmus: improbumque illud

* Jos. Scaliger, Eruditorum princeps, lib. 1. cap. 3. Auson. Lection. putat Troctam, vel Truttam, esse Forionem, cujus meminit Auson. in Mosella V. 130. & qui a Mosellæ accolis & Germanis vocantur *Fohre*.

A factum & dictum luxuriosum Philippi apud Cassinatem hospitem certissimam facit conjecturam, Lupum illum, quem ut insulsissimi saporis exspuerat, & probro subinde fuerat persecutus, fuisse Troctam, quum in illis amnibus Cassinatium, Soranorum & Arpinatium Troctæ plurimum capiantur, quas Spigolis Tyberinis pinguioribus minime comparandas Philippus esse judicabat. Plinius quoque aliquos Lupos a candore lanatos appellari dicit, & illud quidem proprie & erudite; nam Lupos, id est, Troctas, in universum secundum carnes rubescere, B Spigolas autem pelagias pariter ac Tyberinas insigni candore albicari clarissime constat.

Cæterum Troctam non facile in Tyberi reperies, sicuti nec ipsam Spigolam aliis in amnibus Urbi propinquis. Cur autem solus Ælianus Troctam ampliore elogio celebrarit, propterea id accidisse putaverim, quod ille fuerit Prænestinus, & ibi Troctæ plurimæ subjectis in amnibus capiantur: qua etiam ratione Divum Ambrosium Antistitem Mediolanensem, veluti Larianis Troctis assuetum, vulgato etiam tum ejus piscis nomini inservire voluisse credendum est. C Sed Ælianus Troctam e genere marinorum facit, quæ cum Delphinis pugnare soleat, sic ut id nomen nostrati Troctæ parum convenire videatur; eam didit continuos habere dentes & eos quidem incisorios, captamque hamo non retrocedere, sed continue sequi, ut eo deglutito, inferiusque demisso lineam abrodat, propterea a piscatoribus hamos ansæ longioris fuisse excogitatos, saltatrixque ab eo Trocta appellatur, quod & nos hodie videmus; nam eas adversos amnes, vel e præruptissimis etiam cautibus decidentes, incredibili impetu subire compertum est: ab Nare enim fluvio in Velinum la- D cum, qui hodie Pedelucus est, stupenda velocitate volucrum modo adscendere creduntur: qui lacus ab altissimo montis vertice, certis primo coarctatus angustiis, & mox tota aquarum mole præcipitatus, nec subjectis quidem cautibus madefactis, veluti e cœlo in ipsum profluentem Narem effunditur. Nos quoque Troctas majores audivimus in Larii ripis lascivo excursu extremas arenæ margines aliquando ad justi passus longitudinem prosulcasse. Troctæ longe omnium maximæ centum aliquando librarum pondo Lario in lacu progignuntur, & quidem omni alio, vel marino etiam pisce sapidiores, præser- E tim si Majo mense & in Bresciæ torrentis ostio capiantur: mortuæ paucissimis horis summam illam saporis gratiam amittunt, quoniam ob pinguem illam teneritudinem quam ocyssime computrescunt. Coquuntur concisæ in tabellas in lebetibus lapideis torno fabricatis, simplici in aqua, multo sale indito, aliaque subinde accersita condimenta penitus adspernantur. Musco enim quodam pruinæ simili paulo post sponte emisso, rubentes pulpæ protinus efflorescunt, ita ut quum refrixerint, multo gratiores esse videantur. Morus tamen nobilis parasitus, qui F plurima eruditioraque in opsoniis pulmenta commentus est, Troctam cubitalem in præpinguis capi jure coquendam esse censebat, sicuti & Phasianum adultum, quem mediocriter in eodem capi jure elixare ac demum ad avertendam ariditatem, quæ torrendo conciperetur, omenti hœdini reticulo multis caryophyllorum clavis confixo involutum ad mitiorem prunarum vaporem in veru percoquere consuevit.

Soleo ego plerumque mirari quosdam, qui, ut sapientiores videantur, Benacinum Carpio-

nem, Padanum Silurum, & e mari plures pisces, Larianis Troctis vel anteponere, vel exæquare soleant, & item Soranæ Troctæ in eo genere principatum attribuant, quum maxime fallantur: neque enim opsoniorum adeo imperitus esse possum, ut temere de hac re judicare sim existimandus, quum ex supero inferoque mari cunctisque prope totius Italiæ lacubus ac fluminibus nobilissimos pisces lautis sæpe conviviis gustaverim, & certa comparatione contulerim: sed fortasse evenit, ut homines ea maxime probent esculenta, quibus a pueritia insueverint, uti Nobili accidit Florentino, qui, quum in cœna Leonis Pontificis pelagii pisces vario discumbentium judicio certatim atque impense laudarentur, *Extollatis ut lubet*, inquit, *convivæ, marinos pisces, ego certe Thrasymeniam Tincam, conditam leucophago, his vestris Triglis, Spigolis, & Rhombis prætulero:* quod dictum ut insulsum omnibus præ risu lachrymas excussit, & in proverbium paulo post receptum, auctori, qui antea ignotus erat, maximam attulit claritatem. Assueverat enim ille Tincæ pisci, qui a Florentinis mediterraneis hominibus, sacri præsertim jejunii tempore, in summo honore habetur. Troctæ pinguiores, ut sunt Larianæ, multo succo replere corpora, genitalemque humorem copiose suggerere dicuntur, uti Avicenna de omnibus prope piscibus, si recentes & calidi comedantur, uno edicto pronunciavit: ægris tamen evidentissime nocent, utpote quæ tarde laborioseque in stomachis atterantur & secernantur. At fluviales, quæ adverso torrentium impetu fatigantur, atque occurrentibus inæqualium vadorum petris illisæ castigatiora sumina & aridiusculas carnes ostendunt, Medici blandiores ægris apponere commendareque non dubitant. Quas etiam in paralyticorum cibariis magnopere laudavit ille Plinius *, qui elegantem librum *de morbis atque remediis* conscripsit. Fuit is proculdubio Plinio *Naturalis Historiæ* Scriptore & Plinio Cæcilio posterior, vocatusque est Plinius Valerianus Medicus, cujus marmoreum sepulchrum Comi, ubi Pliniorum familia floruit, in templo divi Probini, aquæ sacræ labello suppositum & pulcherrimis incisum characteribus conspicitur.

CAP. XXXVI.

De Tinca.

TINCÆ nomen novitium & recens esse videtur, quando ejus piscis prisci Auctores, uno excepto Ausonio, nusquam meminerint. Est tamen celebratus apud Ciceronem quidam facetus Orator Placentinus cognomine Tinca, qui fortasse ab eo pisce sit cognominatus, quemadmodum Florentiæ Laurentius Medices senior, uti erat perurbanus, cuidam celebris familiæ civi se domi Tincam ingentem exquisita arte coctam falso jactanti, Tincæ cognomen, quod illi postea fuit æternum, indiderit. Ego vero palustres hos pisces nullo in pretio apud Antiquos fuisse putaverim, & propterea nullis litterarum monumentis fuisse celebratos, neque plurimum movet Ausonius, qui Tincas & Lucios ignobilissimis piscibus adnumeravit, neque eum vetera vocabula subditis novitiis nominibus supprimere voluisse credendum est, quum cæteri omnes pisces ab eo veteri nomine celebrentur. Sed Tinca, quamquam plebejus sit piscis, sicuti tota ferme Italia conspicimus, & Ausonii quoque testimonio notum est, quum dicit *,

virides vulgi solatia Tincas,

aliquando tamen in lautorum mensas venit, & ex his Romæ præsertim Marsicana e Fucino lacu, qui nunc Celanus dicitur. Fucinianæ labrum inferius attritum habent, quod ejus generis indicium est, quippe quæ plurimum saxoso ejus in lacus vado volutentur. Fert & laudatissimas parvus ille lacus quartodecimo ab Urbe lapide apud Bacanam Sylvam, quam Antonino Pio notam *Itinerario* esse videmus, quibus non modo plebeii, sed splendidi etiam optimates sæpius vescantur. Nobilis ille inter aulæ proceres longe omnium ætatis nostræ popinalis lautitiæ studiosissimus, qui ducenta millia aureorum nummum in ventrem se condidisse aliquando gloriatus est, Tincas Bacanianas Autumno captas, allio laridoque contritis, additisque odoratis oleribus & multo aromate, in teganis ad vaporem tepidioris furni felicissime percoquebat. Fert & Tincas quamquam minores, sapore tamen minime contemnendo, sanctæ Praxedis lacus, in Latii Sabinorumque finibus, qui Regillus antiquitus fuit, illa nobili devictis Samnitibus pugna celebratus, sed eæ cum Rais & Squatinis, cæterisque vilissimis piscibus, apud Pantheon, ignobili foro, infimis hominibus venundantur. Platina in *Culinariis suis* fœde lapsus est, quum Tincas antiquitus Mænas fuisse existimavit, quæ sine controversia ii sunt pisces, qui Menulæ vel Ciruli a Venetis appellantur, pisces inquam noti & Ciceronis auctoritate vilissimi.

Cæterum Medici Tincis omnibus vim quandam inesse ad progignendam febrem existimant, quoniam maxime in cœnosis degant, & putrescentis limi sordibus vescantur. Verum eas scissas per dorsi longitudinem, pedumque & manuum plantis applicatas, ardentis febris fervoribus plurimum adversari quidam putarunt ex Secta Judæorum, qui quamquam sordide admodum & ridentibus aliis talia experirentur, aliquando tamen ipsis æstuantibus exoptata blandimenta feliciter attulisse comperti sunt.

CAP. XXXVII.

De Lucio.

LUCIUS nusquam mari, ubique autem stagnis ac lacubus cum Tincis frequentissime reperitur, qua una ratione, qui eum antiquitus Lupum fuisse existimant, manifeste convincuntur. Ausonius quoque Lucium nominat † cum Tinca, quem tamen ab olido nidore ingratum mensis esse testatur: propterea non facile dijudicaverim, an is sit qui Lucius ab Italis, a Gallis vero *Brochet*, Broscettus, dicitur, quoniam is inter gratos secundæ classis ipsorum fluvialium in Gallia Belgica atque Britannia censeatur. Venditant eum omni tempore vivum innatantemque ligneis vivariis Britanni, ventremque illis ultro cultris aperiunt ad ostentandam eo-

* Cujus etiam meminit sup. p. 862.

* In Mosella ℣. 125. † Ibid. ℣. 122.

rum pinguedinem, quæ piagis exprimitur, ut emtores adſpectu ſuminis alliciantur: neque refutati propterea commoriuntur: coeunt enim protinus patentia vulnera Tincarum contactu, quod earum tenaci illuvie, veluti glutinoſo medicamine, ſolidentur. Thraſymenus lacus ejus generis longe maximos atque optimos nutrit: bicubitalem enim aliquando exceſſere magnitudinem: poſt Traſymenios e Cimino, qui hodie Ruſilloni lacus dicitur, (fuit is vicus antiquitus Rus Syllanum) laudatiores Romæ habentur: nam quos præbet Bracciani lacus, qui olim Sabatinus fuit, & ſapore & magnitudine ſunt inferiores. Effigiem Lucii, quum de Lupo ageretur, ad amuſſim expreſſimus, ita ut poſteri, quem ego piſcem Lucium nominarim, minime ſint dubitaturi. Hic piſcis admodum ſalubris omnium Medicorum judicio putatur.

Cæterum ab inſulſa quadam pulparum ſiccitate nullam unquam in optimatum menſis laudem vel commendationem adeptus eſt. Ita ut ii noſtrates Lucii cum Gallicis dignitate minime ſint comparandi, & te tuoſque convivas, lautiſſime Ludovice, aliquando deceperint, quum opſonatores Galli incomperto adhuc agreſti illorum ſapore dum emerent, ſola proceritatis ſpecie ducerentur: non enim maximi ſemper optimi; nam in omni genere piſcium media ætas, quæ nondum ſummam magnitudinem implevit, Cornelii Celſi auctoritate commendatur: Cæterum Luciorum mandibulæ toſtæ, in pulveremque redactæ, ſi aurei pondere cum vino ſumantur, in veſica & renibus calculos frangere conſueverunt.

Cap. XXXVIII.

De Rayna ſive Burbaro.

Alunt ſinguli Italiæ lacus ſuos piſces, qui cæteris ejus generis anteferantur. Nam ſicut in arboribus cæteriſque animalibus videmus, ſic & in ipſis aquatilibus contingit, ut aliæ atque aliæ aquæ diverſis piſcibus occultiore quadam proprietate, vel a terreno, vel a paſtione; vel ab ipſo demum cœlo prorſus accerſita, non ſolum ad majorem corporis amplitudinem, ſed etiam ad ipſam ſaporis felicitatem plurimum conferre videantur. Probare etenim ficus e Liguria ſolemus, Etruſca perſica, Veſuvianas uvas, a Clodia Foſſa Padique oſtiis Melopepones, Appulas amygdalas, Campana malagranata, Picentes olivas, e Romano agro poma apia, e Sabino pira muſtea, Tarentinas juglandes, caſtaneas e Clavenna Rhæticis proxima Alpibus, Nurſina rapa, & ex Umbria expetita Romæ terræ tubera: ex animantibus item boves Inſubres, juvencas Romanas, Tuſcos apros, vitulas Surentinas, hœdos Umbros, arietes Piſtorienſes, gallinas Patavinas, & columbras Interamnenſes, a magnitudine ſaporeque plurimum commendamus.

Larius igitur lacus, ob longitudinem a Virgilio * *Maximus* nuncupatus, piſces longe omnium maximos gignit, Troctas centum aliquando librarum pondere & Burbaros ducentarum. Sed Burbari illi ingentes videri potius liquidis ac perſpicuis in undis quam capi retibus poſſunt, quum ea impotenti impetu plerumque dilacerent: ſubeunt ſolſtitii diebus umbroſos ſpecus in rupibus Licinianis, quæ ſunt in adverſa Larii ripa contra Inſulam, Euripumque illum geminum a Cæcilio Plinio celebratum: eos induſtrius quidam Sacerdos ſagittis arcubaliſta emiſſis, quum in profundo quieſcentes fuſcinis atque tridentibus attingi non poſſent, vulnerare conabatur, neque tamen ſagittæ longo alligatæ funiculo, niſi averſis officiebant, quum illa ſquamarum ſerie thoracati earum ictus facile repellerent. Sunt & in Mantuano lacu, qui reſtagnante Mincio amne late diffunditur, Burbari piſces ſapore longe optimi, nam Lariani ſola magnitudine ſunt inſignes: raro ii bipedalem excedere magnitudinem ſolent, lati ſunt, & ingentium ſubauratarum ſquamarum ſpecie, rotundoque item labro auri colorem referente, pinniſque pariter ſubcroceis, longe pulcherrimi: eos Veneti Raynas, ipſi vero Ticinenſes, Placentinique, & cæteri Padi accolæ Carpenas appellant. Humidiores carnes, ſed tamen innoxias habent, quod non tenaci, ſed aqueo potius humore abundent. Lingua autem maxime valere dicuntur, nam & ſapore præſtat, & vim habet augendæ Veneris, ſicuti in Tincarum & Anatum linguis experimur.

Cap. XXXIX.

De Polypo, Sepia, & Loligine.

Præter ſquamoſos piſces, & lubricos, & planos, eſt etiam mollium genus, ſic dictum, quoniam ad tactum molle ſentiatur, ut ſunt Polypi, Loligines, & Sepiæ. Conſtat Polypus corpore admodum parvo, & in medio ad emittendam aquam fiſtulato, quod pluribus brachiis & crinibus inſtruitur, quibus uti eſt omnium ferme piſcium ſolertiſſimus, obvia quæque comprehendit, ligat, involvit, atque flagellat, & ipſis denique oſtreis ſiliceo tegumento egregie munitis inſidias molitur. Sunt enim ei cirri multiplices, plurima in extremis prætenturis acetabula, itemque frequentes pediculi, manuſque plicatiles, quibus admiranda facinora, dum venatur, edere conſuevit: hiantibus ſiquidem conchis lapillum imponit, ut illis ſeſe occludendi facultatem eripiat. Leonem, qui validam Murænam chelarum forcipibus necat, cirris involvit, complexumque ſugendo paulatim interimit. Repit quoque frequenter in terram, oleas adſcendit, & in ædificia aliquando transgreditur. Refert Plinius Polypum inſignis audaciæ ac magnitudinis in cetariis Hiſpaniæ irrepſiſſe noctu ad lacus ligneos ſalſamentaque exedere & populari conſueviſſe; ad extremum præfectis furem obſervantibus, latratu canum deprehenſum, expugnatumque totius familiæ concurſu, atque ægre telis ac tridentibus fuiſſe confectum, cujus cadaver ad inſignis pugnæ memoriam Trebius Niger Proconſuli L. Lucullo tranſmiſerit. Polypus ultra bimatum non vivit, quem exſpirare in Venere aliqui prodiderunt. Caput eorum cartilagine conſtat, quæ celeriter dureſcit, immaturamque illis ſenectam adferre ſolet. Carnes Polyporum Galeni atque Athenæi auctoritate duræ ſunt & difficillimæ digeſtionis: ſi vero concoquantur, non omnino malum, aut exiguum præbent alimentum. Salſugine autem ſua Veneris pruritum excitant, & mirifice languidis atque defeſſis auxiliantur. Afferuntur Venetias ex Illyrici Dalmatiæque ora ſale inveterati, quorum acetabula, & extremitates cirrorum a ſenibus ad parandam ſobolem ex petuntur.

* Georg. lib. 2. ℣. 159. quo loco alii Viri docti, inter quos Verrerius, Bern. Saccus, & Caſtillionæus, putant, *Maxime* non eſſe epitheton Larii lacus, ſed proprium lacus nomen.

Alexis Poeta in *Pamphila*, ut citat Athenæus, quum incitamenta Veneris percenseret, Bulbum & Polypum ante alia celebravit. Plinius quoque ille, qui *de Medicina* librum conscripsit, ut alibi diximus, * Polypos cardiacis conferre arbitratus est. Sepia autem & Loligo in hoc differunt, quod Sepia latior, Loligo longior est; hæc rubrum, illa nigrum in timore liquorem emittit. Inest Loligini, quæ hodie Calamarium dicitur, gladiolus perspicuus & crystallo persimilis; Sepia autem corpulentiam quandam habet inter spinam & os mediam naturæ fungosæ atque friabilis. Utrique sicut & in Polypo sunt barbæ, crines, & acetabula, sed aliquanto breviora, quibus escam corripiunt: corporum vero alvei aliquanto capaciores quam in Polypis, quod natura prolixioribus postea capillamentis in Polypo compensavit. Sepia, ut ait Athenæus in libro *de medicina piscium*, elixa ventri confert; succus ejus subtilem reddit sanguinem & movet crisim per hæmorrhoidas: ova autem ejus auctore Plinio urinam cient, renumque pituitas detrahunt. In universum vero mollium genus difficillime in stomachis concoquitur, si autem coquatur, plenius nutrimentum præbet. Qua ratione, ut ait Athenæus, Venerem excitare dicuntur; nam in concoctionibus primis, quum maxime laboratur, ventum plurimum generari necesse est, quo maxime virilia inflentur, & Venus ipsa vel in senibus quamquam languidula reviviscat. Nobis vero manifeste compertum est, quæcunque opsonia ex mollibus piscibus conficiantur, in stomachis studiosorum aut ociosorum ægerrime coqui, multaque subinde incommoda corporibus adferri, quoniam primæ digestionis vitia in hepatis ac venarum secretionibus recte corrigi non possunt, neque sanguis ad idoneam puritatem elaborari; qua maxime de causa Clementi Pontifici Maximo, ex hujuscemodi mollibus opsonia appetenti, in mensa palam totum eorum genus sæpissime sim detestatus.

CAP. XL.

De Locusta.

Mollibus piscibus Crustacei succedunt, inter quos Locusta primam obtinet dignitatem; eam Aristoteli Carabum esse Theodorus existimavit. Oppianus autem pro Carabo Leonem intelligit, qui Theodoro sit Cammarus: nam ubi prælium Carabi cum Murænа multis versibus elegantissime describit, Carabus denticulato forcipe instructus exprimitur, quo Murænæ collum corripiat. Cæterum sine controversia Locusta est Carabus, quanquam, ut ait Hermolaus, hæc nomina confundantur. Pedibus siquidem ejus forcipes desunt, ut ait Aristoteles. Præterea Locustam corpore rubenti, aculeato, & aspero esse constat, ut ex Suetonio etiam apparet, qui Tiberium ait apud Capreas piscatori faciem Locusta † perfricari jussisse, quod ille a tergo insulæ per devia atque aspera, ut Locustam dudum captam offerret, ad se improvisus erepsisset. Contra vero Cammarus, qui Leo apud Plinium est, uti etiam nunc vulgari appellatione nuncupamus, & forcipes habet pro manibus, & corpore levi atque cœruleo multisque fubnigris maculis splendet, ut Aristoteles pulcherrime depinxit, & nos quotidie videmus, quem etiam Astacum appellavit Oppianus: nos vero Cammaros appellamus eos, qui dulcibus in aquis reperiuntur, ad parvorum Leonum effigiem, qui dum coquuntur, protinus rubescunt: eorum maxima habetur copia in Gallia Cisalpina, quæ est frequentibus amniculis irrigua. Sunt & Majæ grandiores, rotundiore ventre, gressu in terra segnes, in aquis autem velocissimæ, Veneti *Grancevolas* vocant, quarum rotundioribus testis specula includere ad elegantiam solent. Sunt & Paguri, *Granciporri* hodie nuncupati. Item Squillæ sine chelis, quas Oppianus cæterique omnes Græci Carides appellant: eas mirum in modum commendavit Apicius in coquinario opere; Romani hodie *Cammerugias* & *Pernocias*, vocant. Sunt qui arbitrentur Squillas esse id Cancrorum genus, quod Gibbum Aristoteles appellavit, videntur enim Squillæ admodum gibbæ. Quid autem sit Squilla Juvenali illo in carmine, *

> *Adspice, quam longo distendat pectore lancem*
> *Quæ fertur domino Squilla.*

Ego putaverim illum Crustaceorum nomina confudisse, voluisseque intelligere pro Squilla Locustam, aut Leonem, qui dominis apponi consueverint; per Cammaros autem illos scilicet parvos designasse, qui Locustarum ingentium collocatione, veluti minutuli, ignobilioribus convivis apponerentur. In universum Crustacea ab ovis commendatiora sunt, pinguescereque solent pleniluniis: auctore autem Galeno totum Crustatorum genus ob carnium duritiem difficillime concoquitur, salsumque humorem adgenerat; sed aliquanto mitiorem ipsis Testaceis, de quibus mox agemus. Cancri autem & Cancelli, qui caudam non habent, latoque corpore & valde rotundo constant, quique colore rufescunt, & appensi lineis apud sacellum Hadriani Pontis venundantur, hecticis & lenta febre laborantibus mire conveniunt, quoniam humidum, leveque, & valde refrigerans alimentum præbent, præsertim si (uti præcipit Galenus) in aqua prædecocti magna ex parte salsuginem innatam exuerint: hunc Cancrum, qui Græce est Καρκῖνος, *Carcinus*, si in patella uratur vivus, sub Canis syderis ortum, quum Sol in Leonem Zodiaci transit, a rabido cane commorsis mirifice auxiliari Æschrion Galeni præcepto affirmavit. Pelops autem Medicus Galeno etiam familiaris id a qualitate materiæ ipsius Cancri, non autem a peculiari ejus naturæ proprietate provenire testatur, cujus opinionem nemo fere secutus est. Sed Dioscorides intellexit de fluvialibus Cancris, quos cum vite alba concrematos admista gentiana rabie affectis prospere semper exhibuit.

* Supra pag. 862.

† Voluit dicere *Mullo*, nam *Locusta* os lacerari imperavit Tiberius: totum hunc locum perturbatum vid. apud Sueton. lib. 3. cap. 60.

* Sat. 5. ℣. 80.

Cap. XLI.

De Ostreis & aliis Testaceis.

E Testaceorum genere Romæ in pretio habentur Ostrea, Pectunculi, & Tellinæ. Ostrea mittit Corsica, sed raro, & sæpe olida, quoniam adversis tempestatibus impedita navigatione, vel prædonibus Mauris intercluso mari, non facile ad Urbem perveniunt. Ea vero, quæ a Pisauri littore paucis ante annis afferebantur, exstincta veluti eorum progenie penitus abierunt. Ostrea, quum Romana res magnitudinis atque luxuriæ fastigium teneret, a Brundusio in Lucrinum lacum transportabantur, quæ veluti ea peregrinatione gaudentia, adoptataque dulcibus aquis mirifice pinguescebant. Fuereque Ostrea adeo in honore ipsis gulæ proceribus, ut in remotissimas a mari regiones ligneis lacubus apportarentur. Refert Athenæus Apicium nobilem parasitum, qui superioris nomine appellari promeruit, vasis summa industria fabricatis ad Trajanum in mediterraneis Mesopotamiæ contra Parthos bellum gerentem recentissima Ostrea detulisse. Ea maxime probantur, quæ magnarum navium carinis adhærent, & ab urinatoribus de manu colliguntur. In universum Ostrea, ut ait Galenus, salsum humorem aggenerant, & præsertim si cruda comedantur, propterea tentiginem in salacibus plurimum adaugent: alvum quoque ea movere Plinius Medicus asserit, qui & eorum testas ambustas dyssentericis prodesse, frixam vero eorum carnem a veneno comesti Leporis marini liberare testatur. Plinii autem *Naturalis Historiæ* Scriptoris auctoritate, stomachum reficiunt, fastidiis medentur, molliunt leniter alvum, tenasmonicos juvant, & Veneris pruritum salsugine sua vehementer incitant, coctaque in testis distillationibus prosunt. Affinem Ostreis Pectines sive Pectunculi, quos hodie Conchulas dicimus, naturam atque saporem habent. Sunt striatæ & fubrubra carne, & in Tarentino sinu laudatissimæ & grandiores, quæ auriti Pectines Latine appellantur, unde Horatius dixit *,

Pectinibus patulis jactat se molle Tarentum.

Sequuntur parvæ illæ Conchulæ a veteribus Latinis Mytili, a Romanis autem hodie Græco nomine Tellinæ nuncupatæ, quæ bellariorum locum obtinent, sunt enim gratæ gustui, verum arenulis scatent, & propterea calculosis officiunt. Cinerem earum casum pilorum in palpebris prohibere Oribasius affirmavit. Sunt & alia Concharum genera prope infinita, ut Purpuræ, Buccinæ, Aures, Digiti, Ungues, Patellæ, Cochleæ, quæ consulto præterimus, quoniam suburbano in mari rarissime capiantur. Est & Echinus non ingratus Principum mensis spinoso castaneæ tegumento assimilatus, cujus generis est Echinometra multo major, in alto tantum mari progenitus, quem Aristoteles urinæ distillationibus efficacissime mederi testatus est. Venit & inter mensarum delitias Vertibula sive Urtica, callus quidam ad magnitudinem juglandis, cujus durities, ut ait Aristoteles, media est inter testam & corium, colore subpallido & rubenti; ea frequenter in Pyrgorum littore ad Centumcellas reperitur, quam sicuti palato jucundissimam, ita & stomachis minime insalubrem esse conjicimus.

* Lib. 2. Sat. 4. ℣. 34.

Cap. XLII.

De Salsamentis.

SUPEREST ut de Salsamentis pauca attingamus, quæ adeo in honore apud Græcos fuerunt, ut Athenienses Chereptrili *, qui salsamenta venditabat, filios in gratiam patris civitate donarint. Romani quoque huic rei plurimum studuerunt, ut ex Plinio licet conjectari. Garum ante alia in pretio fuit, liquamen ex salitorum Scombrorum muria confectum, quod in varios culinæ usus veniebat: conficiebatur optimum in Africa, quod sociorum quoque appellatum est. Sed id hodie penitus exolevit. Maxima nunc gratia est Cephalorum ovis, quæ geminis folliculis circumcisa parte suminis, recentibus Cephalis eximuntur, quæ Græco nomine passim Ὠὰ Τάριχα, *Oa Taricha*, id est, *Ova salita*, nuncupantur. Secundum Oa Taricha eminet Caviarium, quod ex Sturionum ovis in Ponto conficitur, ita ut salita in massam ingentem cogantur & cadis includantur; cruda ea comedimus, vel in panis crustulis ad prunas ustulatis: modico enim igne salsamenta in universum indigent, auctoritate Athenæi, qui, quum de celeriter factis loquimur, in proverbium cessisse ait, *citius quam salsamenta coquantur:* sicuti de Asparagis Latini usurparunt. Caviaria Julio secundo Pontifici Maximo mirifice placuerunt, quod dejectum ei ciborum gustum sæpius allevassent, & siti vinisque pariter, ut in senibus accidit, mire lenocinari viderentur. Sunt etiam in summa commendatione ex ipsis Sturionum pulpis spinalia, sic vulgo nuncupata, quæ laricinis lignis assimilantur. Laudant & Moronem; ignoti nobis piscis prædura frusta, valdeque rubentia, quæ Mæotidis paludis accolæ mercimonii causa transmittunt, ea prius exedi commode non possunt, nisi aquæ calidæ perfusione molliantur. Sardæ, quæ Plinio Theodoroque sunt Trichiæ, itemque quæ vocantur vulgo Haleces, aliquanto Sardis minores, in magno usu alendis familiis existunt. Sunt ii digitales pisciculi, qui longe optimi in Liguria saliuntur: eas aliqui Apuas esse voluerunt, quæ auctoritate omnium fere Antiquorum ex limo fiunt, & in magna copia apud Piræeum Athenarum portum capiuntur. Ex Cimbricis quoque littoribus Aringhæ, pedales pisces, in cratibus, sale ac fumo inveterati, nobis afferuntur, quibus Hermolaus quum eas citaret proprium nomen non indidit, utpote qui Halecis vocabulum ab illis Gentibus usurpatum non probabat. Adducuntur quoque ex finibus Gothiæ atque Norvegiæ cubitales Merlucciæ, adeo duræ & extentæ, ut fustibus assimilentur, quas in delitiis Germanorum, qui Urbem incolunt, esse videmus. Sed Thynnis præcipue fora omnia & tabernæ salsamentariorum replentur, de quibus late in proprio Capite disseruimus. Salmones etiam Gallia Belgica quotannis mittit, sed in plebis usum, quum saliti pristinam nobilitatem amittant.

* Leg. *Cherephili*, ex Athenæo lib. 3. cap. 33. init.

Ceterum ex falitis palmam, omnium confeſſione, ætate noſtra obtinent Carpiones ex Benaco lacu, qui ſubfrixi modice ſaliuntur: referunt ii Troctarum ſaporem, atque ipſam corporis ſpeciem: nam & pulpæ eorum rufeſcunt, & argentea tergora variis punctis depinguntur. Sed quæ in Troctis nigra ſunt, in Carpionibus rubra conſpicimus, ita ut is piſcis, qui Auſonio Salar vocatus eſt, proculdubio eſſe videatur, quum in *Moſella* dicit,

Purpureiſque Salar ſtellatus tergora guttis.

A Nullibi quam Benaco ex omni Italia Carpiones gignuntur. Propterea factum eſſe crediderim, ut Antiqui, qui de piſcibus ſcripſerunt, veluti de ignoto piſce potius quam de ignobili nullam fecerint mentionem. Porro omnis generis Salſamenta ſanguinem inflammant, bilem augent, & ſtranguriis obſunt: his vero, qui multa inſulſa pituita repletum habent ſtomachum, ſiccando detrahendoque auxiliantur, immoderate vero his utentes, vel etiam ſenes ipſos vehementer ad Venerem incitare plerique Auctores tradiderunt.

F I N I S.



J. BAPTISTÆ DONII,

PATRICII FLORENTINI,

DE RESTITUENDA SALUBRITATE AGRI ROMANI,

OPUS POSTHUMUM,

URBANO OCTAVO

PONT. MAX.

JAMPRIDEM AB AUCTORE INSCRIPTUM,

NUNC VERO AB EJUS FILIIS DICATUM

EMINENTISSIMIS ET REVERENDISSIMIS

S. R. E. CARDINALIBUS,

ET ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMOQUE

PRÆNESTES PRINCIPI, ERETI DUCI &c.

BARBERINIS.

D. Auguſtinus Coltellinus I. V. D. videat, & referat an in hoc Opere ſit aliquid quod fidei Catholicæ, vel bonis moribus adverſetur. 22. Febr. 1665.

Vinc. de Bardis V. G. F.

Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Domine.

V. Cl. p. m. I. Baptiſtæ Donii Opus nihil niſi utile & pium continet, Urbi & Orbi proficuum: utinam bonæ mentis meditationibus benedicat Deus! ut reſtituta Salubritate Agri Romani, operariis in vinea Domini ſecurior fiat commoratio; Peregrinis vero undequaque confluentibus ad ſanctam Civitatem tutior pateat quandocunque acceſſus. Ita precor, pro editione mea manu ſubſcribens

Auguſtinus Coltellinus.

Imprimatur ſervatis ſervandis. Vinc. de Bardis Vic. Gen. Fl.

Adm. Rev. P. Joannes Maria de Cutiliano Ord. Min. Obſ. Conſultor hujus S. Officii Flor. videat, & referat, &c. hac die 23. Auguſti 1666.

Fr. Io. Paulus Giulianettus a Flor. S. Offic. Flor. Canc. de mand. Reverendiſſ.

Nihil cenſura dignum contra fidem ac bonos mores in hoc erudito Opere a me perlecto vidi; in cujus teſtimonium propr. manu ſubſcripſi, die 26. Auguſti 1666.

F. Joannes Maria a Cutiliano Min. Obſ.

Stante prædicta atteſtatione impr. Flor. hac die 28. Auguſti 1666

Fr. Io. Paulus Giulianettus a Flor. S. Off. Flor. Canc. de mand. Reverendiſſ.

Joannes Federighius.

EMINENTISSIMIS ET REVERENDISSIMIS
PRINCIPIBUS AC DOMINIS,

D. FRANCISCO EPISCOPO OSTIENSI,
SACRI COLLEGII DECANO,
AC S.R.E. VICECANCELLARIO,

D. ANTONIO EPISCOPO PRÆNESTINO,
AC S. R. E. CAMERARIO,

D. CAROLO TITULO S. ANGELI
IN FORO PISCIUM DIACONO,
S. R. E. CARDINALIBUS,

ET ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMOQUE
D. MAPHÆO PRÆNESTES PRINCIPI, ERETI DUCI, &c.

BARBERINIS.



Mmortalem Urbani Pont: Optimi Max. Patruique Veſtri gloriam recolentes, CARDINALES EMINENTISSIMI, ac PRINCEPS EXCELLENTISSIME, maximo Dei beneficio contigiſſe credimus, ut quis ad ea tempora naſceretur, quibus ille ſummus terrarum Arbiter Chriſtianæ Reipublicæ clavum moderabatur. Manifeſtum ſane felicitatis argumentum ſub eo Principe vitam ducere meruiſſe, cujus præclara facinora perennem laudis materiam poſteris præbuerunt. Quis enim Romanorum Pontificum egregiis rerum geſtarum monumentis adeo clarus exſtitit, ut ampliſſima ejus opera animique magnitudinem ſuperare potuerit? Tot magnificentiſſima ædificia ad augendum Dei cultum Urbemque exornandam immenſis ſumtibus exſtructa; tot mirificæ munitiones, validaque propugnacula ad reprimendos perditorum hominum impetus excitata; tot ad propulſandam peſtilentiæ late graſſantis perniciem cautiones adhibitæ, ſuſceptique labores; aliaque innumera, quibus æternitatem nominis promeruit, ſatis ſuperque teſtantur eorum temporum proſperitati adſcribendum eſſe in Urbano Pontifice cunctas eas dotes admirari potuiſſe, quas a ſupremo rerum conditore Deo ſingillatim diſpertiri ſolitas, in unum collatas fuiſſe credendum, eſt ut non deeſſet virtutum omnium abſolutiſſimum exemplar, quod ſibi prudentiſſimi Principes ad imitandum proponerent. Nec ſilentio prætereundus eximius ille Litterarum amor, quo vehementer incenſus conquiſitos undique ſingulari doctrina ac eruditione præditos viros magnis propoſitis præmiis ad exercendos cum laude ingenii nervos excitabat, nec patiebatur unquam copioſis deſtitutos auxiliis animum deſpondere: verum incredibili quadam munificentia eos fovens, ampliſſimiſque honoribus cumulans, ad capeſſenda bonarum artium ſtudia cæteros invitabat; qui adeo frequentes ea tempeſtate Romam confluebant, ut omnium doctrinarum inventrices Athenas æmulari Urbs auguſtiſſima videretur; vereque uſurpari tunc poſſet quod de priſcis temporibus teſtatum reliquit Satyricus, *vigebant artes ingenuæ, ſummumque certamen inter homines erat, ne quid profuturum ſæculis diu lateret.* Nec mirandum plurimos ea ætate Litterarum omnium cognitione præſtantes exſtitiſſe, cum magni excelſique animi Pontifex, præter inſignem benevolentiam qua ſtudioſos complectebatur, ſedulam & ipſe, inſtar celeberrimi illius æque Philoſophi ac Imperatoris Marci Antonini, nullum rerum graviſſimarum ſummorumque negotiorum detrimento, liberalibus diſciplinis navaret operam, & in id maxime incumberet, ut totius Antiquitatis notitiam compararet; ac penitiora ſtudia pertractans omnigenam eruditionem abunde paſceret; cujus adipiſcendæ deſi-

derium, quo a primis usque annis flagraverat, ad supremæ dignitatis apicem evectus nunquam deposuit, editisque semper victuris ingenii sui monumentis universo terrarum orbi manifestum fecit. Hæc omnia nobiscum animo versantes merito fortunatum parentem nostrum p. m. dicere possumus, cui non tam omnium virtutum ornamentis excultum, atque unicum Musarum Patronum venerari Pontificem contigit, quam erga se benignissimum experiri: novis enim quotidie beneficiis cumulatus, veterumque familiarum loco habitus, ejus potissimum commendatione perhonorificum a Purpuratorum Patrum Collegio Secretarii munus consecutus est; in quo cum magna nominis sui gloria, nec minori fortunarum incremento, libentissime consenuisset, nisi labantem immaturo fratrum obitu domum fulcire, genusque suum reparare satius duxisset; ut suffectis in locum suum liberis, honorum patri delatorum jucundissima recordatione Vobis in perpetuum devictis, ac impense deditis cultui & venerationi inclytæ Domus Vestræ, tot tantisque beneficiis, quibus ipse pleniori obsequio ac diuturniori famulatu aliqua ex parte remunerandis impar fuisset, gratam saltem vicem rependeret.

Quapropter fidem nostram ab eo obstrictam liberare, memorisque animi significationem declarare cupientes, operæ pretium nos facturos putavimus, si Vestris potissimum auspiciis Opus hoc in lucem ederemus; quod Vobis, ut speramus, non omnino ingratum, Auctori nonnihil gloriosum, nobis vero ad Vestrorum in nos magnitudinem meritorum publice contestandam idoneum præcipue fore confidimus. Libellum, quem gloriosissimo nomini Vestro consecratum volumus, hilari serenaque fronte suscepturos Vos in maxima spe sumus, non tantum quod humanitatis est Vestræ offerentis animum potius quam rei oblatæ pretium expendere; verum etiam quod sibi ab Auctore nuncupari non recusaverit nunquam satis laudatus Pontifex; cujus heroicarum virtutum, ac potissimum præclaræ liberalitatis hæredes optimis artibus promovendis graviter incumbitis, ac sapientiæ studio flagrantes viros mirifico amore prosequi omnique beneficiorum genere cumulare nunquam cessatis; ut non postrema Barberinorum Principum gloria videatur, & nobiliorum disciplinarum possessione cæteris antecellere, & earum cultoribus eximios se præbere fautores. Sed non id agimus, ut in egregiis animorum Vestrorum dotibus meritisque in totum fere Christianum orbem extollendis immoremur, quibus alioqui pro dignitate prædicandis metuendum est, ut pares esse possint disertissimi quique Oratores; quorum eloquentiæ nunquam deficientem laudum copiam suppeditabunt Catholicæ Religionis late propagandæ cura, ingenii præstantia, doctrinæ magnitudo, in maximis negotiis obeundis dexteritas ac prudentia, aliæque complures virtutes, quarum omnium luculentissima exempla a Vobis in isto sublimi Dignitatis fastigio edita quem non adverterunt?

Plurimum quoque gratiæ & commendationis accessurum Operi existimamus ex rerum, quæ in eo tractantur, pondere atque utilitate; maxima enim sperari debet, si recte omnia administrentur, quæ facienda censet Auctor pro restituenda Agri Romani salubritate, quem in pristinum statum reduci posse firmis validisque, ut putamus, rationibus ostendit; ut minime desperandum sit quin latissimi feracissimique campi rursus coli habitarique possint; magno utique publicæ rei bono, nec minori fortasse genitoris nostri existimatione, qui (ut revera erat Romanæ majestatis studiosissimus) summis hoc in votis habebat, ut ad cæteras Urbis æternæ dotes agri salubritas responderet. Sed religio nobis est in societatem laudum Vestrarum parentem nostrum admittere; quidquid enim in bonarum artium studiis profecit; id totum acceptum referri debet Vestræ erga ipsum liberalitati, ac præcipue Tuæ, FRANCISCE CARDINALIS BARBERINE, Princeps optime eruditissimeque, cujus immortalia in eum promerita grata semper mente recolemus: & quando illorum is est numerus, ut satis cumulate gratias agere Tibi non valeamus; illud certe præstabimus, ut tantas habere, quantas maximas animi nostri capere possunt, non desinamus. Et sane nullum propensæ voluntatis ac eximiæ munificentiæ testimonium excogitari potest, quod patri nostro Tui semper observantissimo non exhibueris: illum namque in ædibus tuis benigne exceptum, aulicorumque numero adscriptum, itinerum comitem adjungere, consiliorum

Tuorum participem facere, ejusque opera in Latinis conscribendis Epistolis uti voluisti; & quod in maximi beneficii loco ponendum, æquissimum Te semper (quæ Tua est humanitas) æstimatorem ac judicem studiorum, quibus operam dabat, præbens, ad labores alacriter subeundos, extremamque manum imponendam iis lucubrationibus, quæ studiosis magno usui esse poterant, incitasti: sperabat enim fore aliquando ut Eruditi comprobarent, quod tersum tuum ingenium acerrimumque judicium non læsisset.

Extremum illud esset, ut summis Vos, CARDINALES AMPLISSIMI, ac PRINCEPS EXCELLENTISSIMÆ, precibus obsecraremus, ut hunc qualemcunque Commentarium, multis nominibus & rationibus Vobis debitum, adversus malevolorum obtrectationes invidorumque morsus tueremini: sed minime dubitamus, quin ejus Operum defensionem suscepturi sitis, quem, dum viveret, amore singulari complecti multisque modis ornare non destitistis. Quod si nos benigno favore a Vobis respici, conatusque nostros probari intellexerimus, nostrarum partium esse putabimus majora quædam ejusdem Auctoris, & fortasse Reipublicæ litterariæ non leviter profutura Syntagmata, (ac in his antiquarum Inscriptionum Collectanea, Opus magni moliminis ac multiplicis utilitatis) quorum ad perfectionem nihil fere desideratur, in lucem usumque publicum sub Vestri nominis auspiciis proferre; aliaque tantum affecta (si humaniorum litterarum auxilio, quibus excolendis pro exiguis ingenii nostri viribus incumbimus, paternis vestigiis insistere dabitur) ad umbilicum perducere ac de eorundem editione quamprimum cogitare.

Nos interea Deum supplices venerari non cessabimus, ut Vestri patrocinii semper exoptati compotes fieri nos contingat; nec minus ut Vos communi commodo nunquam non prospicientes quam diutissime servet incolumes. Bene & feliciter valete; ac nos amplissimæ Dignitatis Vestræ studiosissimos in fidem clientelamque Vestram recipite. Florentiæ VI. Id Maii MDCLXVII.

EMINENTIS VESTRIS, ET EXCELLENTIÆ TUÆ

Devotiss. & Obsequentiss. Servi

Franciscus, Alexander, & Angelus Donii.

AD LECTOREM.



Etsi multa gravissimorum Scriptorum loca, quæ non aliena ab Auctoris instituto videbantur, sive ab ipsomet in Adversariis notata, sive a nobis inter legendum animadversa, eo animo collegeramus, ut non mediocri auctario locupletatum Opus hoc Eruditorum judicio committeremus; quia tamen res erat plurimi otii, nec alioquin ea Librorum copia suppetebat, quæ necessaria est hanc Spartam pro virili exornare cupientibus, editionem Operis diutius remorari ac studiosorum commodis deesse noluimus. Accedit quod nullum tam iniquum alienorum laborum æstimatorem fore putamus, qui parentem nostrum propterea reprehensione dignum putet, quod in argumento adeo operoso ac in tanta rerum varietate cuncta persequi non potuerit: in magna enim sylva (ut ait rerum rusticarum Scriptor elegantissimus Columella) boni venatoris est indaganter feras quamplurimas capere, nec cuiquam culpæ fuit, non omnes cepisse. Quanquam igitur hoc Opus plurimis rebus ornari, nec pœnitendis additamentis illustrari potuerit, dignum nihilominus censeri debet, quod publici juris fiat, Eruditorumque calculis approbetur. Nam ut de insigni utilitate, quam non Urbem modo cæterarum Reginam, patriamque omnium communem, sed universum fere terrarum orbem ager Romanus ex Auctoris sententia repurgatus afficeret, nihil in præsentia dicamus; multa sane occurrunt ex Philologiæ penu deprompta, quæ rei Antiquariæ curiosis indagatoribus magni momenti videri possint: partim enim Romanorum magnificentiam in ingentium operum consummatione vindicat ab eorum calumniis, qui de Romani Imperii majestate ac splendore nimis anguste sentiunt: partim Veterum mores atque instituta solerter exquirit: partim veros locorum situs ac facies tum ex Auctorum testimoniis, tum ex propriis observationibus deprehendit. Sed ne quis putet Auctorem φιλολογικῶς tantum, non τεχνικῶς de restituenda salubritate agri Romani agere; sciendum est de aeris, (quo nomine ventos etiam comprehendimus) aquarum, terræque natura, ac proprietatibus Physice disserere, veras insalubritatis causas ostendere, potissimaque remedia indicare, quibus illa, si non in totum tolli, at magna saltem ex parte mitigari queat: quam utilitatem respicientes Romani Pontifices utinam præclarum hoc Opus sedulo aggredi, orbique Christiano tam insigne commodum afferre aliquando constituant!

Verum dissimulandum non est, locos quosdam mutilos, nonnullasque lacunas in hoc Opere ab eo relictas, quibus explendis plurimum laboris devorandum nobis fuit: quam feliciter id præstiterimus, tuum esto judicium, erudite Lector; nos locos indicare volumus. Ac primum pag. 929. E. deerat numerus milliarium, quibus Lorium Antonini Imp. Villa ab Urbe distabat; pag. 930. A. deerat itidem quoto esset ab Urbe lapide Ficulea; nos ad septimum circiter positam notavimus, quia Cluverio teste eo loci sita erat, ubi nunc fanum conspicitur, vulgari appellatione dictum S. Vaille, inter quod & Romam totidem milliaria numerari putamus. Pag. 948. A. B. poni debuerat annus, quo Tibur æquatum solo fuit; quia tamen ægre reperiri poterat apud Scriptores earum rerum quæ caliginoso illo sæculo contigerunt, indicare saltem voluimus a quibus diruta, & a quo restituta fuerit ea urbs, ut annorum numerus facilius indagari posset: sic & pagina eadem C. omissi erant tum annus quo Præneste mœnibus nudatum, tum quo funditus eversum fuit; lacunas supplevimus apposito eo annorum numero, quem in Historia Pontificum affert Ciacconius. Pag. 954. C. agit Auctor de quibusdam Populis longius a Sole positis hyememque asperrimam habentibus: eos decimi Climatis incolas constituimus; sicut octavi qui in Climate minus Boreali habitant.

Illud etiam monere non abs re fuerit, ad confirmandam Auctoris sententiam Scriptorum quorundam nobiliorum testimonia a nobis quandoque adhibita fuisse: & ut cætera missa faciamus, pag. 991. D. E. insignem ac pulcherrimum Herodiani locum attulimus; ex quo facile quivis intelliget, cur lauros potissimum in aggeribus Castelli conserendas Auctor putaverit.

Quod vero ad errata attinet, etsi adhibita quantum fieri potuit diligentia in id maxime laboravimus, ut in manus Eruditorum quam emendatissimum veniret Opus; quia tamen inepti Amanuensis exemplo supra quam credi possit corruptissimo ac innumeris fere mendis referto usi sumus, σφάλματα quædam irrepserunt, quæ licet Auctoris menti non adversentur, pravam tamen scribendi rationem præ se ferunt, & genuinas ac probatis Latinæ Linguæ Auctoribus usurpatas dictiones cum barbaris & vernaculis confundunt: ut exempli gratia pag. 916. D. verbum hoc Castronem pro genere quodam morbi, aliaque hujuscemodi; inter propria vero nomina pag. 920. F. Zagarolum, pag. 947. F. Cornetum &c. oblongo charactere, quod pronum alii, alii Italicum vocant, describenda erant, uti nunc fit, & ut sæpius alibi a nobis factitatum observabis, candide Lector. Leviora quædam menda, quæ plerunque a Typographis admittuntur, cum facile a quolibet deprehendi queant, brevitatis causa præterimus: nonnulla tamen ab iisdem admissa, quæ videbantur graviora, quæque Auctori maculam inurere poterant, in calce hujus paginæ annotavimus*.

Hæc sunt de quibus te monere satis causæ habuimus, benigne Lector: cujus humanitatis erit, conatum hunc nostrum atque ingens bonas artes juvandi desiderium, æqui bonique consulere, animumque addere ad ea perficienda evulgandaque, quæ parens noster publico Eruditorum usui exponere cogitaverat, quorumque spem fecit in Operum suorum Synopsi propediem in lucem proditura. Vale.

* Hæc & alia, quæ hic notantur, in hac Editione accurate emendavimus.

SANCTISSIMO D. N.
URBANO OCTAVO
PONT. MAX.
J. BAPTISTA DONIUS
FELICITATEM.



DINOCRATEM Architectum ferunt, BEATISSIME PATER, Alexandro Macedoni magnificorum operum cupiditate incenso persuadere conatum, ut Athon montem editissimum immensi cujusdam Gigantis specie deformaret, altera manu non modicam gestantis urbem, altera craterem ingentem, in modum lacus, quo universæ illius montis aquæ fontesque confluerent. Verum portentosam artificis audaciam adspernatum Regem unico responso elusisse, cum diceret nulli usui futurum oppidum, quod fructiferis circum agris, unde civibus alimenta suppeterent, cariturum esset. Et merito quidem, BEATISSIME PATER: nam ut otiosa atque inania opera, quantumvis profusissimis sumtibus atque ingenti molimine consummata, apud ignaram plebeculam reperiant fortasse admirationem ac plausus; apud sapientes tamen cordatosque viros nequaquam pari laude censentur: ut quæ, quod præcipuum esse debebat, utilitate sua careant ac fructu; nec quidquam amplius quam insanam vanamque potentiam ostendant. Nequaquam igitur tantum gloriæ possident Ægyptiorum Regum Pyramides, quamvis adversus injuriam vetustatis tot jam sæculis invictæ, quantum Romanorum veterum flumina æmulantes Aquæductus, qua complanatis, qua intercisis montibus per longa spatia fluentes: quantum militares Viæ ingentibus stratæ silicibus, ac per magnam terrarum partem ad commercia gentium diffusæ: quantum Pontes, Emporia, Portus, Fora, Basilicæ, Curiæ, Porticus: quæque alia gens ad mansuefaciendos homines nata magnificentissime perfecit: nam ea quidem, quorum præcellit luxus utilitatem, commemorare me suppudet, apud SANCTITATEM TUAM præsertim, quæ morum arbitra ac magistra non supremæ tantum dignitatis virga, sed internæ quoque virtutis norma dignoscitur.

Ne idem eventurum sit mihi, BEATISSIME PATER, magnam difficilemque tractationem aggresso, sane non leviter reformido, tenuitatis meæ præsertim conscius, nec ignarus a summatibus etiam viris, nedum ab infimis sacri istius solii celsissimum culmen summa cautione ac reverentia nunquam non adiri: sed quæ Tua summa benignitas est, quam tanta Majestas non imminuit, si minus ἐγχείρημα istud placebit, aut titulo Operis, quod Tuis sanctissimis pedibus subjicio ἐργασία non respondebit; non despero, quin magni illius Regis instar sola errati atque ἀποτυχήματος admonitione, vel inscitiam, vel temeritatem meam castigasse contentus, voluntatem publicæ rei commodandi, quantum exiguæ meæ vires sinunt, certe non damnes: atque ut ille Dinocratem in exstruenda sui nominis civitate felicius postea exercuit; sic Tu porro in aliis operum ministeriis experimentum mei sumere non recuses. Atque utinam tantum mihi suppeteret ingenii atque eloquentiæ, ut res a Te gestas amplissimas, Tuasque potissimum virtutes stylo consequi possem! eniterer profecto, ut excitata in multiplicem seriem laudum quasi celsissima Pharo auspicatissimi Tui nominis, undecunque absolutissimi Pontificis ac Principis exemplum posteris præluceret. Sed quoniam multo majorem hæc artificem postulant, non committam certe, ut πανταχοῦ καὶ παράπαν, quantulacunque mea facultas est, pigro ignavoque otio torpescat. Video enim injunctam abs Te mihi laborandi necessitatem, immo currenti, quod dicitur, calcar additum, cum commendatione Tua, atque EMINENTISSIMI CARDINALIS BARBERINI, Senatus amplissimus honestissimum mihi Secretarii munus imposuit. Quo beneficio non minus ad exercendos omnes ingenii atque industriæ meæ nervos animatum me sensi, quam ad meam in Te pietatem ac devotissimam mentem quocunque genere obsequii possem contestandam. Itaque non modo notitiam Episcopatuum ab diligentissimo doctissimoque Lauro, qui me præcessit, inchoatam, SANCTITATIS TUÆ jussu perficere; sed multo latioribus finibus ac longe operosius aggressus sum, (quod Opus nunc quidem satis belle procedit) sed alia quoque magni moliminis &, ut spero, fructus Συντάγματα a me olim incœpta subsecivis horis expolienda suscepi. Sed quoniam hæc partim ab instituto meo aliena cuipiam videri poterant, partim adminicula quædam requirebant, quæ non erant ad manum, in commodiorem locum seposita sunt.

Interim hanc levioris negotii opellam (Augustini Steuchi Bibliothecæ Vaticanæ Custodis, qui de navigatione Tiberis scripsit, exemplo incitatus) superioris anni vacationibus inchoatam, nuperis vero, quantum a festinante ac multifariam occupato potuit, absolutam SANCTITATI TUÆ reverenter offero: argumentum nactus, opinor, in quo non tam ostentatio eruditionis, a qua semper abhorrui, quam communis utilitas, & propria (si dicere fas est) nominis Tui gloria quæreretur. Nam cum novis atque insignibus operibus non Urbem modo, sed totam Ecclesiæ ditionem muniri atque exornari a Te cernerem, minime culpandus videbar si qua veræ gloriæ stimulis inflammato, qua paternæ charitatis face, in publica commoda nunquam non excubantis, accenso, tanquam igni pabulum, recentem laudis materiam subjicerem. Quid enim, Hadriani Moles firmis atque ingentibus operibus inclusa: in Vaticano armamentarium institutum copioseque instructum: Pontificia domus reconcinnata atque exculta: in Quirinali egregie ampliata: Vetusta templa a fundamentis restituta: Vaticanæ Basilicæ adytum, Petri ac Pauli pignoribus sacrosanctum, magnificentissimo opere contectum: Bononiensium ac

Ferrarienſium fines validiſſima hinc arce, illinc opportunis aggeribus præmuniti: Centum Cellarum portus repurgatus: aliaque fortaſſe non minora hactenus a Te perfecta, uberem ſcilicet campum exercendæ facundiæ diſertis aperient: mihi ſatis eſt (cui διανοητικὴ magis quam ἑρμηνευτικὴ facultas ſuppetit) ſi novas molitiones excogitandi proponendique ἀφορμὴν & copiam præbeant.

Igitur cum animadverterem Romanæ regionis inſalubritatem ab omnibus agnoſci; a multis defleri; a quibuſdam ejus cauſas inquiri; a paucis recte dijudicari; a nemine remedia afferri; operæ pretium duxi, ut quæ circa hanc πραγματείαν vel a vocalibus magiſtris audiendo, vel a mutis legendo, vel a memetipſo cogitando collegeram, in commentarium redigerem. Tametſi enim vix quidquam hic erit fortaſſe, quod non aliquem adverterit, nemini tamen omnia ſimul, niſi ad eandem ſe accinxerit μεταχείρησιν, in mentem venire potuerunt; & ſi venerint, conducibile nihilominus fuit alibi diſperſa componere, ac ſub unum adſpectum dare: ſaltem ut peritioribus (quorum judicio quidquid ſcripſi, aut ſcripturus ſum, non gravate ſubmitto) facultas de tota re æſtimandi adeſſet. Nihil enim mihi propoſitum eſt aliud quam publicæ litare utilitati: quod ſi aliqua ex parte conſequor, ſatis grandem operæ meæ fructum videor laturus. Non enim hic, BEATISSIME PATER, de Atho effingendo, aut navigabili efficiendo; non de perfodiendo Iſthmo; non de Ægyptio mari cum Arabico Sinu jungendo, non de Oſtia tenus Urbis mœnibus producendis; non de foſſa ab Averno ad Tiberim excavanda; quæque alia olim ut temere cogitata, ſic infeliciter tentata ſunt; ſed de ſalutari ac perutili, ita me Deus amet, opere, nec perinde difficili diſputamus. Sic enim exiſtimo, BEATISSIME PATER, tutiſſimam iniri poſſe viam, qua parum commoda hæc Latini, Etruſci, ac Sabini agri pars ſine immenſis ſumtibus, citra inexhauſtos labores, non univerſim, atque uno tempore, ſed regionatim & κατὰ βραχὺ ad eum ſtatum ac διάθεσιν reducatur, ut non minus quam Romæ ſalubriter ibi homines degant. Quod aliquanto fuſius atque enucleatius expoſui, ut rudioribus etiam ac δυσπιστοτέροις (quorum & habenda ratio fuit) ſatisfacerem. Quædam etiam levandi faſtidii gratia ex Philologiæ penu παρεκβατικῶς adſperſi. Quibus ſi ab iſto ſummo rerum humanarum faſtigio divinæ Suæ mentis aciem, quæ totum undique colluſtrat orbem, vel pauxillulum adjicere dignabitur SANCTITAS TUA, quæ propria carent, mutuatitia ſaltem luce fulgebunt.

Auctor ad Librum.

I Liber, & ſummo Terrarum Judice fretus,
  Cui te dicaſti, quem cupiſti vindicem,
Obtrectatorum, quos Aula ſaginat, & odit,
  Contemnere aude tela felle lurida.
Tela quidem hoc tutus fortaſſe umbone repelles,
  Quæ virulenta natio evomit palam:
Si probus es, rabidis ſed fies dentibus eſca,
  Queis illa clam, dum lambit ore, lamberat.

Encomium Operis.

COnſulis Urbi, Orbi foliis æquandæ Sybillæ,
  Æternaque liber vivere digne cedro:
Romæ ager impleri qua poſſit Donius arte,
  Nullæ non artes cui patuere, monet:
Urbanum monet; hinc librum emetire; Magiſtrum
  Romanæ cathedræ, conſiliique docet.
Eſt ingens libri ſapientia, cujus ab uſu
  Vel ſummi poſſunt diſcere Pontifices.

Vincentius Glarea Soc. Jeſu Sacerdos.

J. BAPTISTA DONIUS, PATRICIUS FLORENTINUS, DE RESTITUENDA SALUBRITATE AGRI ROMANI.

Querela hominum de aeris Romani insalubritate.



MAgna solet esse ac frequens hominum querela hac tempestate Romæ versantium, non advenarum modo, sed etiam civium atque incolarum; quod cum hæc Urbs, alioqui florentissima, nihil ferme desideret eorum quæ vitæ quotidianus usus exposcit, non ad necessitatem tantum, verum etiam ad voluptatem & copiam, scilicet situs opportunitatem; ædificiorum frequentiam ac commoditatem; tum omnis generis copiarum magnam abundantiam; aliaque hujusce modi: cumque circumjacentis agri natura sit admodum fertilis ac præpinguis; ejus tamen salubritas ad cæteras dotes minime respondeat, immo Romanæ Urbis conditio hac ex parte sit plane deploranda.

Rusticandi consuetudo aliis in locis.

Nam cum aliis in locis frequens sit rusticandi consuetudo, quæ & sanitatem corpori atque animo diuturnis curis ac negotiis fesso tranquillitatem restituit: hic, ubi propter multiplices atque assiduas curas, quibus magna pars hominum, præsertim spectatiorum, fere distringitur, agrorum secessus ac ruris otium nimiopere expetuntur; ab æstivo Solstitio ad Æquinoctium usque Septembris, & nonnunquam longius, non modo sine maximo vitæ periculo pedem porta proferre, pernoctandi in propinquis locis gratia, neutiquam licet, sed nec in vineis, quæ intra mœnia sunt, tuto conquiescere.

Anni tempus ad rusticandum Romæ periculosius.

Suppetunt quidem, si longius processeris, amœnissimi ac saluberrimi colles, quibus omni tempore feriari atque oblectare te possis; sed nec omnibus Albanæ, Tusculanæque Villæ, ac Tiburtini ruris deliciæ sunt expositæ; nec ex facili & quandocunque volueris in longinqua patet excursus.

Secessus quidam salubres, sed longius positi in montibus.

Quare non sine causa Transalpinos atque exteros homines nonnunquam admirari videmus, Amplissimorum Præsulum, Romanorumque Procerum, tanto studio ac sumtu villas ac suburbana ædificata fuisse, atque omni genere ornamentorum locupletata; ex quibus, si forte illo æstate accesseris, tum maxime sit excedendum, cum vespertinæ auræ frigus ad manendum invitarit.

Peregrini mirantur suburbana tantis sumtibus extrui atque ornari a Proceribus Romanis.

Ex qua Cœli inclementia illud quoque perincommode accidit, ut uberrimi feracissimique campi raris cultoribus nec satis diligenter colantur; atque hæc Urbs nobilissima minime sane pro magnitudine sacri profanique imperii, quibus peculiari Dei beneficio decoratur, populo atque habitatoribus exuberet.

Ob aeris intemperiem ager Romanus aliοqui ferax parum colitur, nec Urbs satis frequentatur.

Enimvero, si rem acri cura æstimare velimus; atque hinc commoda, dotes, atque ornamenta. sanctitatem locorum; ædificiorum laxitatem; templorum magnificentiam ac vetustatem; rerum gestarum memoriam; perennium aquarum copiam; frugum omnium ac fructuum affluentiam; hortorum amœnitatem; statuas, signa, tabulas pictas, columnas, obeliscos, thermas, amphitheatra; ac demum rerum omnis generis visendarum varietatem & copiam reputemus: illinc vero nobilium virorum ac Principum Aulas; crebrarum legationum magnificentiam; Tribunalium diversitatem atque ordinem; doctorum ac prudentium virorum frequentiam; gentium prope omnium quotidianum affluxum; quodque magis refert, jus ex æquo omnibus tributum; securitatem a perditorum hominum vi ac cædibus; apertum omnibus per laborem atque industriam ad summos honores iter; patriam deniq; Christianarum gentium communem, ac Romani Pontificis Sedem augustissimam hanc esse cogitemus; haud sane ulli Italicæ civitati populi frequentia cessuram fuisse dicemus; nisi Cœli ac locorum salubritate plerisque concederet.

Romanæ urbis commoda, dotes, atque ornamenta.

Cogitationem meam hoc loco præterire non possum, in quam, uti solet, aliam ex alia re cum animo meo reputans, nonnunquam devéni.

Cogitatio Auctoris de orbis terrarum senectute.

Nam cum vetus illud Latium adeo desertum, squalidum, atque incultum adspicerem, ut si paucorum oppidorum incolas demas, omnis propemodum veterum Latinorum soboles radicitus interiisse videatur, campique prorsus inculti sint mansuri, nisi ut aves quædam aliunde in Italiam commeare solent, ita agricolarum catervæ e Tuscorum ac Picentium finibus; tum etiam e Pelignorum ac Samnitium montibus lucri aviditate illecti quotannis adveniant, qui agri Romani vastitatem expleant, ac serendis metendisque frugibus operam suam locent: cum hæc, inquam, quotidie viderem, & contra reputarem Latium esse quod gentes prope omnes edomuerit, ac vi armorum mansuefactas ad accipiendas Evangelii leges præparaverit; Latium esse quod innumerabiles exercitus e sinu suo effuderit; Latium esse quod non Italiam modo, sed Gallias, Hispanias, Britannias, Germanias, Noricum, Pannonias, Daciam, Illyricum, Sardiniam, Siciliam, Africam, præcipuasque orbis terrarum Provincias Coloniis frequentarit: cum ex unica Latii Urbe tenui-

Latium hodie pene desertum.

Advenæ agrum Romanum colunt

Latinorum ingens olim multitudo, & Coloniæ emissæ.

Alba oppidum intra cccc. annos ex quo condita fuit xxx. Colonias emisit.

bus orta initiis intra cccc. ferme annorum ſpatium triginta non modica oppida propagata fuiſſe cognoſcerem, ſubiit animum rerum humanarum fragilitatem miſereri, earumque incredibilem viciſſitudinem admirari. Qua ex cogitatione illud quoque conſequutus videor, ut eo proclivior ſim in eorum ſententiam, qui firmis ſane rationibus orbem terrarum ad extremam prope ſenectutem deveniſſe confirmant. Ut enim cum frondes arboribus decidunt, appropinquare hyemem, hoc eſt, anni ſenium intelligimus, cum hominem calvum fieri intuemur, ſeneſcere illum minime dubitamus; ita cum hoc Latium, mundi videlicet ac terrarum caput, cultoribus pene vacuum atq; oppidis infrequens contemplamur, ultimæ ſenectutis tanquam mundi calvitiem quoddam ſignum agnoſcimus.

Similitudo mundi ſeneſcentis ab arboribus & hominibus ducta.

Sed ut eo redeam unde digreſſus ſum, illud in confeſſo apud omnes eſſe debet, cum Urbs Roma Pont. Maximi Regia ſit, quotidieq; ingens hominum numerus propter varia negotia, quæ hic neceſſario tractantur, huc confluant, nec tamen cæteras omnes Italiæ urbes incolarum numero aſſequatur, non alio referendum eſſe, quam in circumjectæ regionis naturam parum certe ſalubrem atque humanis corporibus accommodatam. Nam quantum quidem ad ipſam Urbem attinet, etſi mihi propoſitum non eſt de illius ſalubritate, vel inſalubritate προηγουμένως differere; non abs re tamen fuerit quædam hic obiter a me obſervata proferre: nam Marſilius Cagnatus, qui diu Romæ magna cum laude doctrinæ & experientiæ medicinam fecit, libellumq; conſcripſit DE SALUBRITATE AERIS ROMANI, ſatis accurate de tota re diſputavit. In cujus equidem ſententiam, ut verum fatear, valde propenſus ſum; una cum illo exiſtimans injuria hujus Urbis aerem tamquam omnino noxium ac peſtilentem damnari. Nam primum longo intervallo ſcimus peſtilentiam minime hic ut in aliis Italiæ oppidis fuiſſe graſſatam: deinde nec fortaſſe morbi hic frequentiores aut graviores quam aliis locis (quæ ſaluberrima vulgo habentur) ſolent exſiſtere; ac ſæpe, uti hac æſtate evenit, nuſquam major ſalubritas. Ægritudines vero, quas hujus Urbis tamquam peculiares Alex. Petronius agnoſcit, nempe laſſitudo virium repentina, gravedo capitis, ac plethora, facile credi poteſt non tam aeris vitio quam aliis de cauſis, quod Cagnato probatur, exoriri. Idemque dicendum eſt de morbis aliis, qui licet frequenter Romæ ſæviant, non idcirco tamen Romanæ Urbis ἐπιχώριοι, five ἐνδήμιοι, hoc eſt, vernaculi & peculiares dici debent: cujuſmodi ſunt febris quotidiana cum καταλήψει, quam Aſclepiades (qui ætate Pompeii Magni Romæ floruit) apud Galenum crebro Romæ exiſtere prodidit; ſemitertiana, Græcis ἡμιτριταῖος, quam Galenus itidem ſæpe Romæ graſſantem expertus eſt; Incubus, ſive ἐφιάλτης, qui non morbus, ſed ſymptoma potius eſt, ſanguinis exſputio; eique affinis tabes, ſive φθίσις. Ex his morbis, licet nonnulli humidioris aeris peculiares videantur, Incubum vero ab ejus craſſitie gigni probabile ſit; nullus tamen ejuſdem malignitatem ſive peſtilentem vim, indicare videtur.

Romani populi mediocritas ad agri intemperiem referenda.

De Romani aeris ſalubritate docte differuit Marſ. Cagnatus.

Aer Romanus falſo peſtilens habetur.

Libro IV. Cap. I De Victu Romanorum.

Ægritudines Romanæ Urbis peculiares aliorſum referendæ.

Febris quotidiana cum καταλήψει Romæ frequens.

Incubus, & tabes Romæ etiam frequentes aſſipulante Galeno.

Præterea nemo fere neſcit, plurimis in locis peculiares quaſdam certaſque ægritudines frequentius invaleſcere; quæ ſive aeris, ſive aquarum, ſive alimentorum vitio efficiantur, non propterea earum regionum aer noxius ac peſtilens cenſeri debet. Sic Achaja olim lippitudine frequenter exercebatur; Athenæ podagra; Ægyptus ac Syria elephantiaſi, quam vulgo lepram vocant; Myconos calvitio; Caunus lienis vitio. Sic hodie ſtrumas in Hiſpania; bronchocelem in Alpibus; Tridenti pleuritidem; Venetiis hæmorrhoidas; in Ægypto hernias; in Britannia ſudorem Anglicum; in Pannonia febrim Hungaricam; in Polonia plicam, quam vocant Polonicam; vulgares eſſe morbos audimus & legimus. Quin etiam regiones quædam, locaque omnium confeſſione ſaluberrima, Cœlique magna temperie gaudentia, minime carent frequentioribus quibuſdam & quaſi familiaribus morbis. Sic peticulæ (hoc eſt, noxia illa exanthemata, quæ putridas malignaſque febres comitari ſolent) juvenes juxta ac ſenes Florentiæ (quæ cum quavis Italiæ urbe ſalubritate certat) frequenter exercent: Αποπληξεις vero provectiores ætate crebro aggrediuntur. Tertianæ quartanæque febres Carpetanos frequenter infeſtant, cum tamen tota ea regio, ac præſertim Madritum, (quæ Mantua Veterum creditur) omnium conſenſione Hiſpanorum ſaluberrimo aere atque excellentiſſimis aquis perfruatur, ut propterea Hiſpaniarum Reges poſthabita Toleti urbe, quæ veterum Regum antiquiſſima ſedes fuit, ſituque gaudet omni ex parte peropportuno, ibi ſolium collocarint. Sunt quædam etiam Regiones a certis quibuſdam morborum generibus immunes, nec aliis continuo bonitate aeris præcellunt; ſed propter inſitas quaſdam atque obſcuriores cauſas: qua ratione in Hungaria Comitialem morbum; in Scotia quartanam febrim ignotam eſſe credi poteſt.

Morbi aliquot certis regionibus frequentius graſſantes.

Loca etiam ſaluberrima certis quibuſdam morbis obnoxia.

Madritum ob aeris ſa[lubritatem] lubritatem poſthabita Toleto a Regibus Hiſpaniarum colitur

Quædam regiones a quibuſdam morbis immunes.

Quod ſi quis objiciat, ſenes Romæ perpaucos videri; atque hinc Romani Cœli gravitatem velit adſtruere; primum ei cum eodem Marſilio reſpondebo, ſenes ubique paucos conſpici: deinde non tam id aeris cauſa, quam ob alias rationes, quas ipſe recenſet, paucos Romæ ad ſenectam ætatem pertingere. Obſervatum præterea fuit Neapoli (qua non alia magis Italiæ urbs ſalubritate Cœli atq; amœnitate regionis gloriatur) non admodum multos conſeneſcere: fruſtra igitur hujuſmodi argumento inſalubrem Romam nonnulli dictitant. Non agam tamen aſtute, aut diſſimulanter, ſed potius, quod mihi videtur, candide ac ſincere proferam. Romanum aerem noxium fortaſſe natura atq; inſalubrem exiſtimare poſſumus; ſed certe ubicunque tectis atq; ædificiis frequens eſt Urbs, ibi tuto ac ſalubriter non minus quam ubivis locorum toto ann. vita traducitur. Suadet hoc, quod ubi paulo a frequentia tectorum longius proceſſeris, experimento cognoſcitur Cœli quædam gravitas atq; intemperies. ſic in hoc perpetuo Quirinalis Collis dorſo Pontificia domus optimo ac ſaluberrimo aere gaudet: contra horti ac vineæ, quæ circa Thermas Diocletiani atque Emiſſarium Aquæ felicis ſunt, in quibus minus tuta eſt

Objectio quorumdam a ſe[...] num pauci[...] tate: & ſ[o]lutio.

Pauci Romæ ſenes ob cauſas Marſilio allatas. Neapoli quoque pauci ſeneſcunt.

Romanus aer natur[a] gravior, [in] toto tectorum cauſa fa[...] commodu[s]

Experim[ento] hoc pa[...] batur.

est habitatio, ac pernoctatio; tantoque periculosior, quanto propius mœnibus Urbis Portæque Nomentanæ, hoc est, Piæ, successeris: immo (quod mirum Exteris videatur) brevissimi intervalli discrimine, hic salubris aer existimatur, illic contra noxius & damnabilis: ut in hoc eodem Quirinali declive illud latus, quod in Meridiem & Exquilias vergit, ubi D. Vitalis ædem videmus, male audit, (etsi fortasse injuria) contra alterum in Septentrionem ac Portam Salariam obversum tutum ac salubre perhibetur.

Regula locorum salubrium dignoscendorum.

Denique ut universim rem definiam, quæcunque loca crebris ædificiis ambiuntur, atq; editiora sunt, & in Septentrionem atque Orientem spectant, & longius a Tiberi absunt, salubriora: vice versa quæ sejuncta sunt & remota a frequentioribus tectis, situque sunt humili, ac maxime in convallibus, tum propiora Tiberi, in Meridiem atque Occasum Solis spectantia, minus salubria a peritioribus habentur. Quæ vero media quadam conditione sunt, ita ut partim bonas, partim malas qualitates participent, prout plures, paucioresve utrinde sumserint, ita magis, vel minus salubria existimantur. Qua ratione efficitur, ut Capitolium, eaque pars, quam dixi Quirinalis Collinis; Exquilini vero ea, quæ Viminalem propius adspicit, ubi D. Petri ad Vincula templum conspicitur; eademque ratione summum Janiculum, ac Collis Hortulorum; præterea Collis ille, qui vulgo Citorius dicitur; (ex quo imperiti quidam Antiquarii nescio quem *Citatorium* somniarunt, qui potius, ut doctiores judicant, ex Villæ Publicæ ruderibus simul aggestis in collem excrevit) itemque Sabelliorum domus supra Marcelliani Theatri congeriem posita; quod editiora sint, & quoquoversus frequentibus tectis ac focis circumdata, saluberrima totius Urbis loca jure censentur. Planities vero Campi Martii ac recentioris Romæ non multo minus; nisi quod eæ domus ac vici, qui Tiberi imminent, aliquanto etiam magis ab editioribus locis, quæ primo loco recensui, salubritate superantur. Proximo gradu sunt ii montes, qui a meditullio Urbis longius absunt, ut Exquilini & Viminalis major pars, Palatinus, Cælius, Aventinus, quorum habitatio certis temporibus periculo, vel certe suspicione non vacat: quanquam Exquilinus, utpote magis ad Septentrionem atque Ortum Solis expositus, haud paulo fortasse salubrior est. Aventinus vero, (quod de Janiculo quoque par est credi) licet infrequentior sit ac Tiberi vicinior, & in Meridiem atque Occasum magis vergens, propter ejus non modicam altitudinem, meliori conditione censetur; Pontifices enim Maximos quatuor ab hinc sæculis solitos ibi versari accepimus; hodieque videmus eos, qui in Cœnobiis S. Sabinæ ac S. Alexii victitant, percommoda valetudine frui. Reliqua sunt loca plana veteris Urbis, quæ deficientibus ædificiis, pigroque atque immoto aere sordescentia, & propter veteres parietinas cryptasque aliquanto etiam magis noxio, plane incommoda atque insalubria vulgo feruntur; quæ nominatim recensere nil attinet: hoc tantum adjiciam, ob rationes supra positas quotidianamq; experientiam cæteris deteriora esse, quæ vel Tiberi adhærent, vel convallium instar montibus obsepiuntur: ex quo liquet regionem Circi Maximi inter Palatinum atq; Aventinum sitam, omnemque illum campum, qui inter Aventinum, ac Tiberim, Portamque Ostiensem jacet, plane noxium esse ac damnabilem.

Loca Urbis saluberrima.

Loca mediocriter salubria.

Loca insaluberrima.

Regula qd dignoscendum uter duorum locorum salubrior sit.

Quod si quis regulam aliquam desideret, qua dijudicare possit, duorum locorum, quorum alteri ex iis, quas attuli, bonis conditionibus una, alteri alia patrocinetur, uter sit salubrior; videndum est scilicet, quænam earum conditionum potior sit. Exemplo res fiet manifestior. Æliæ Arcis Australi parti favet propinquitas Urbis, ejusque frequentissimæ regionis ex adverso positæ: contra Boreali ejusdem Arcis parti, quæ Neronianis Pratis imminet, objectus ipsius Aquilonis commodat, ubique fere, sed Romæ præcipue salubris. Utribi igitur tutior ac salubrior habitatio in ea Arce degentibus erit? & ratio ipsa docet, & experientia ostendit, commodiorem eam habitationem esse, quæ ad Urbem & Pontem ipsum Hadriani spectat, licet in Austrum vergat ac flumen indidem adspiciat: quoniam nimirum Boreæ flatus non semper aerem ventilat ac purgat: contra purgatio, quæ ab hominum frequentia, ac tectis, focisque efficitur, perpetuo durat. Sunt vero etiam peculiares magis quædam causæ, quæ ad corrigendos insalubrium locorum situs magnum momentum afferre possunt. Exempli causa: statio equitum custodiæ Pontificiæ, ac S. Inquisitionis carcer, quæ Leoninæ regionis mœnibus ad Meridiem adhærent, eam sedem obtinent, qua vix alia tota Urbe damnosior ac minus salubris reperietur. Primum enim insaluberrimis ventis Austro, Africo, atque Euronoto locus is objacet: deinde occidenti Soli, qui potissimum ingentem vaporum copiam excitare solet, quam maxime est expositus: denique concavus est ac depressus in modum convallis, quam Janiculi jugum, ac Vaticani collis brachium efficit: qua ratione necesse est aerem ibi facili negotio computrescere; cum minus belle perfletur; atque ex repercussu imminentium collium Solis radiis supra modum æstum augeri. Numquid igitur homines ibi perpetuo morbosi sunt ac brevis vitæ? nequaquam: immo S. Officii curatores ac ministri, cæterique proximas ædes incolentes, commoda sane valetudine utuntur. Inclusorum vero, qui in ejusdem Tribunalis carceribus detinentur (qui, ut accepi, bellissime valent ac diutissime vivunt) alia ratio est: id enim efficit cum victus admodum sobrius, tum vitæ genus sedatum atq; aeri minus expositum, ut propterea, qui inde emittuntur, brevi ferme intereant. Sed cum propinquus ager adeo sit pernicialis ac noxius, ut ob id *Vallis Inferni* vulgo audiat; quid proximam Leoninæ Urbis partem tolerabilem efficit, nisi fornacum ignis, calcem, lateres, aliaque fictilia sine intermissione percoquens? magnam quippe vim depurgando aeri nactus est ignis: quod alio indicio fiet manifestum.

Arcis Æliæ, seu S. Angeli Borealis, & Australis pars.

Australis salubrior.

Statio equitum custodiæ Pontificiæ, & S. Inquisitionis carcer.

Qui ibi habitant salubriter vivunt.

Vallis Inferni.

Ea pestilentia, quæ Venetias An. MDLVI. afflixit, Murani incolis (qui omnes fere artem vitriariam exercent in Insula duobus circiter milliaribus Venetiis remota) pepercisse dicitur, fornacum scilicet vitria-

Murani Incolæ Anno MDLVI. Venetiis a peste immunes.

Item in Urbe coriarii, & ejus rei causa ex opinione vulgi.

riarum causa assidue ibi succensarum: itemque Romæ vicus coriariorum ob acrem myrteorum foliorum suffitum, quæ ibi cumulatim putrescunt, immunis ab ea peste, quæ postremo Urbem afflixit, exstitisse narratur. Sed cum hodierna pestilentia, quæ miserabiliter Italiam depascitur, satis ostenderit contagionis vi non aereis vitio eam serpere; nec Cœli temperiem quidquam prodesse, ubi ea lues invasit: cumque ipsos Muranenses hujus cladis exsortes minime fuisse hoc tempore compertum sit; maneat hoc fixum ac ratum, bonitatem ac tenuitatem aeris adversus veram & genuinam pestilentiam parum quidem proficere; sed tamen adversus hujusmodi morbos, quos aeris gravitas progignit ac fovet, ut sunt febres malignæ putridæque, pulmonis vitia, cachexia, aqua inter cutem, & his similes, non nativam tantum ac primigeniam aeris puritatem ac salubritatem plurimum conducere, sed eam quoq; quæ extrinsecus atque ex accidenti efficitur, ignibus scilicet, flatibus, suffimentis, habitatione, non leviter prodesse. Qua ratione id quoq; sequitur, ut cum jampridem pestilentiam Roma non senserit, ut supra dixi, nec crebrius, aut damnosius epidemici morbi hic quam alibi sæviant, nequaquam insalubre ac noxium Romanum Cœlum esse existimandum. At enim historia vetus docet, antiquis temporibus & stante adhuc Republica creberrime pestilentiam Romæ grassatam fuisse; siquidem, ut idem Marulius sæpius a me laudatus studiose collegit ex Livio, ducentorum annorum spatio ad consulatum usque Cn. Cornelii & C. Duillii, qui annus fuit ab Urbe condita CCCCXC. vicies ac bis pestis Romam exercuit; & tamen ea tempestate, cum nondum urbani exoticis deliciis luxuque fracti atque enervati fuissent, immo etiam tum agros assidue exercerent, ac bellicis studiis apprime dediti, solibus, ventis, frigoribusque perpetiendis assuescerent, sani maximeque robusti fuisse debuerunt: præterea ipsamet Urbs, quamquam iis lautitiis ac magnorum ædificiorum miraculis, quæ postea successerunt, minus abundans, tamen & rebus ad victum necessariis sufficienter instructa, ædificiisque solidis ac bene compactis, scienterque atque εὔρυθμος fabricatis (quæ Veterum erat ædificandi ratio, etsi imperiti aliter censent) luculenter ornata fuit: deinde ager ipse iis temporibus optime cultus ac tectis frequens (propter quam potissimum rationem non insalubrem fuisse paulo post docebimus) urbanis hominibus operum rusticorum, vel militiæ causa foras prodeuntibus, nequaquam ut hodie perniciem afferre poterat. Adhæc Romana Civitas primis Reipublicæ temporibus nec infrequenter habitabatur, ut solitudo in ea exitiabilis esset, nec rursus tanta incolarum multitudine affluebat, ut nimia turba invicem sibi officeret ac sordibus squaleret, quibus maximæ quæque urbes scatere solent; ac propterea pestilentia (vera-ne, an καταχρηστικῶς ita vocata non disputo) sæpius divexari. Quin etiam si verum est, ut doctiores putant, quanto propius homines a prima sui origine aberant, tanto fuisse valentiores ac robustiores, consentaneum erat, minus etiam illa ætate genus humanum morbis ac pesti fuisse obnoxium. Consideremus igitur quænam fuerit causa, cur nihilominus ea tempestate tam crebro pestis hanc Urbem invaserit; huic namque disceptationi valde connexa est ea tractatio, quæ est de agro Romano, ejusque SALUBRITATE RESTITUENDA.

Hodierna Venetiarum peste Muranenses afflicti.

Veram pestilentiam aeris salubritas non arcet.

Adversus tamen epidemicos morbos salubritas aeris tum nativa, tum adventitia conducit.

Non crebrius Romæ quam alibi epidemici morb. sæviunt, ideoque Romanum Cœlum pestilens habendum non est.

Frequens pestis mentio apud Tit. Livium.

Etsi tunc homines robustiores forent.

Et Urbs melius ædificata.

Atque ager tectis frequentior.

Et Civitas mediocriter populosa.

Genus humanum eo valentius, quo primævæ origini propius.

Disceptatio de Urbe Roma connexa cum ea qua de agro agitur.

Primo loco statuendum est, id quod Latinæ Linguæ peritis facile insinuari potest, Pestis ac Pestilentiæ vocabulo apud Veteres non eam tantum, quæ proprie pestis hodie dicitur, sed quemcunque morbum paulo latius se diffundentem ac populariter grassantem, appellatum fuisse: qua ratione omnes ii morbi, qui a Græcis ἐπιδήμιοι dicuntur, in hunc censum veniunt, cum ea tamen differentia, quod pestis de hominibus, pestilentia de locis, proprie ac pure loquentibus, crebrius usurpatur. Mitto latiorem pestis notionem, qua quidquid ferme noxium erat atque importunum Veteres appellabant, ut cum Lucret. *lib.* III. ait:

Discidium ut nequeat fieri sine peste maloque:

quod non semel etiam apud Plautum occurrit, & vernaculæ quoque Linguæ usus agnoscit: missa hæc, inquam, facio, cum instituto nostro minus quadrent. Sed hanc pestem seu pestilentiam pro communibus ac popularibus morbis, qui ob pravam anni constitutionem eveniunt, frequenter olim contigisse nil mirum: quippe non hic Romæ solum, sed alibi etiam idem hodie passim evenire videmus. Sic An. MDCXXII. æstas atque autumnus magnum proventum malignarum febrium attulerunt, quæ paucis mensibus multa hominum millia, ad vicena, vel tricena ferme, atque ex his plurimos nobiles atque illustriores, oppresserunt. Anni vero MDCXXVI. recens est memoria, cujus ingressus, atque initium hyemis perniciem plurimis, non hic Romæ tantum, sed tota fere Italia conflavit: ob vehementes enim Boreæ flatus, qui subito Austrinos dies eosque perhumidos exceperunt, multas destillationum pravas ac noxias species excitavit, præsertim, quam ridiculo nomine *Castronem* vocant, qua caput ac signanter fauces obsidentur. Hic morbus multos ex debilioribus, eisque qui non satis obtecti incederent, afflixit, vel interemit: æstate vero An. MDCXXIX. ingens hominum numerus ob malignas febres, quæ patulis atque humilioribus Urbis locis, maximeq; in Leoniana Regione exarserunt, in rationem Libitinæ venit; quarum si vel modica pars hoc tempore, quo pestilentiæ metu nihil non suspectum est, exstitisset, clamarent omnes pestem sine dubio Romæ grassari, atque ab ejus accessu, tanquam ab Orci faucibus, refugerent. Antiquiora exempla non requiro, cum minus ad institutum meum faciant; atque hæc sufficere videantur, ut non minus frequenter, quam olim, si pestis vocabulum latius accipiatur, eam hodie existere fateamur. Age vero, cum olim circumjecta Romæ regio (ut inferius ostendemus) tam frequenter incoleretur, ut oppidorum, vicorum, villarumq; numero nulli Italiæ parti concederet; hodie vero pene deserta sit atque ædificiis vacua; quid mirum si tum

Explicatio hujus difficultatis a notione vocabuli Pestis.

Pestis apud Veteres pro epidemicis morbis ac popularibus appellata.

Hujusmodi morb. An. MDCXXII. MDCXXVI & MDCXXIX regnarunt.

Præsertim in Leoniana Regione Anno MDCXXIX

A magna olim frequentia hominum.

frequentius popularibus morbis Latium exerceretur, cum plures essent, qui participare hoc malum ac latius communicare possent: deinde cum tanta esset urbanis hominibus cum proximis Latii oppidis & cum agro propinquo communicatio, ut una prope Civitas censeri posset, potuit a Livio lues extra Romam exorta, etiamsi minus intra Urbem pervenisset, cum iis morbis, qui proprie Urbem affligebant, connumerari: immo ex ipsius verbis suspicari id plane licet; nam lib.v. L. Valerio Potito, M. Manlio Coss. scribit pestilentiam ortam in agro Romano ex siccitate & caloribus nimiis; quæ pestilentia talibus quippe orta initiis fortasse intra agrum substitit, nec Urbem (quæ propter insitam humiditatem æstate sicca & calida commodissime valet, ut nuper experti sumus) una corripuit: tametsi cum hujusmodi æstas advenerit, ob id etiam Romæ salubris esse consuevit, quod maturius messis colligitur: qua ratione duabus hisce proximis æstatibus paucissimi agricolæ in morbum inciderunt.

Æstas calida & sicca Romæ præcipue salutaris.

Id etiam accidit, quod propterea messis maturius fit.

Ob paucitatem hominum in Latio populares morbi minus deprehendi possunt.

Præterea cum hodie tanta sit in proxima regione hominum paucitas; etiamsi populares hi morbi nonnumquam ibi invalescant, haud facile deprehendi possunt, ut olim. Mitto quod iis temporibus, quantum ex silentio Auctorum liquet, minus in usu fuisse videtur ea cautio, quam pestilentiæ tempore magno cum fructu servari diligenter videmus; ut nemini fere ex suspectis locis, nedum ex infectis venienti aditus pateflat, nec ullius generis sarcinæ indidem advectæ suscipiantur, quamdiu id malum duraverit; aut certe nisi prius diligenter explorato viatorum itinere, atque habitu corporum, agnitisq; magistratuum chirographis, qui sanos eos ac sanis ex locis profectos liquido testentur; iisque testimoniis deficientibus, quadraginta dierum spatio, secluso aliquo suburbiorum in loco, procul a consortio hominum victitantes, sanitatis suæ præbuerint indicium. Quare cum nondum Veteres harum cautionum, usu ipso edocti, utilitatem advertissent, facile mihi persuadeo, etiamsi natura humana tunc longe validior fuerit, majora tamen incommoda a pestilentiæ viribus accepisse.

Antiqui pestilentiæ tempore magis incauti.

Ideo pestis majores strages edebat.

Disquisitio de Urbis hodierna dispositione.

Venio nunc ad eam partem, quæ ad hodiernæ Urbis dispositionem ac faciem pertinet; qua in re primum illud statuendum est, multo planiorem ac magis æquabilem, quam olim fuerit, nunc esse Romæ superficiem: nam & quotidiana docet experientia, ad dirigendas semitas & commodius iter vehiculis præstandum multa Urbis loca complanata fuisse ac quotidie complanari, ut hic in Quirinali, qui a Sixti V. Pont. Max. tempore aliquot pedibus depressus fuit; & contra ea Vallis, quæ inter Quirinalem & Viminalem diffunditur, quotidie exaggeratur atque extollitur. Sed ratio potissimum convincit, non modo colles aquarum delabentium vi in dies deprimi, sed subjectas valles collapsis ædificiis paulatim assurgere: quod adeo manifestum est, ut probatione non indigeat. Salubriorem vero, (saltem in universum) propter hanc causam, Urbis positionem in dies evadere facile Marsilio concesserim: revera enim priscis temporibus, qui in convallibus inter montes sitis habitabant, tenuiores scilicet ac pauperculi; cum ad altitudinem eorundem montium accederet ingens domorum in iis positarum elatio, non optimo loco degebant: adeoque nihil mirum si iis morbis forent obnoxii, quos aer crassior, humidior, caliginosior, raroque, aut nunquam a Sole illustratus, ac multis inquinamentis sordens ingenerare potest. Et sane non modica fuit veterum ædificiorum altitudo, ut Aristidis Rhetoris (vixit is Hadriano imperante) Oratio in Urbem Romam palam ostendit; in qua licet oratorie ac prope poetice rem in cœlum efferre videatur, satis tamen causæ habuit, cur id faceret, præsertim cum sæpius opus fuerit nimiam eam privatarum domuum altitudinem, ad crebras ruinas atque incendia evitanda, a Principibus cohiberi: quod Augustus primum providentissimus Princeps præstitit: mox Nero ipse, cum Urbem a se concrematam instauravit: ac demum Nerva Trajanus. Constat id etiam ex Vitruvii ac Plinii gravissimorum Auctorum locis, quorum verba hic subjicienda duxi; ac prioris quidem: *In ea majestate Urbis & civium infinita frequentia innumerabiles habitationes opus fuit explicare. Ergo cum recipere non posset area plana tantam multitudinem ad habitandum in Urbe, ad auxilium altitudinis ædificiorum res ipsa coegit devenire, &c.* Necessarium scilicet remedium, ubicunque urbium capacitas incolarum numero inferior est, quod nostra ætate Genuæ accidere videmus, ubi propter angustiam loci, non modo ædes in altum extollunt, sed vicos ac semitas non admodum dilatant: qui mos Romæ quoq; saltem in veteri Urbe ante Neronis incendiũ fuisse videtur; præsertim nondum insolita consuetudine tam crebrarum vectationum. Plinius vero, cum nonnulla de majestate ac magnitudine Romanæ Urbis protulisset, hæc subdidit: *Quo si quis altitudinem tectorum addat, dignam profecto æstimationem concipiat, fateaturq; nullius urbis magnitudinem in toto orbe potuisse ei comparari.* Atqui ut hæc vera fatisq; probata existimo, ita non libenter Marsilio concesserim, quod nimis facile (pace tanti viri dictum sit) sibi persuasit, viarum dispositione atq; ædium structura (quibus verbis ille utitur) hodiernam Urbem veteri præcellere: nam si paucas aliquot vias eximas (quibus sane haud facile aliæ similes uspiam reperientur) eosq; vicos, qui sub Colle Hortulorum jacent, nequaquam Urbis semitæ adeo sunt eleganter dispositæ ac directæ, ut antiquis conferri, nedum præponi, (quantũ ego existimo) ullo modo debeant: præsertim si non veterem illam, quæ, ut Cornelius testatur, *Arcta itinera hucq; & illuc flexos atq; enormes vicos habuit*; sed posteriorem Neronianis temporibus restauratam cogitemus, de qua idem refert: *Cæterum Urbis quæ domus supererant* (l. *perierant* cum Lipsio) *non ut post Gallica incendia, nulla distinctione, nec passim erectæ: sed dimensis vicorum ordinibus & latis viarum spatiis, cohibita ædificiorum altitudine, ne patefactis areis, additisque porticibus, quæ frontem insularum protegerent.* Suadent hoc primo tum Veterum opes ac mores, qui nullis sumtibus ac laboribus parcebant, ut Sedem Imperii & adspectu pulchram & magnificentia spectandam haberent: deinde auctoritas ipsa priscorum Script. qui

Superficies Urbis hodie planior & æquabilior.

Salubrior hodie Roma universim.

Veterum ædificiorum ingens altitudo.

Augustus, Nero, Trajanus privatarum ædium altitudinem cohibuerunt.

Vitruvii locus.

Plinii locus.

Marsilius falso credidit hodiernam Urbem viarum dispositione atque ædium structura antiquæ præstare.

Post Neronis incendium Roma directas latasque habuit semitas

contrarium manifeste docent; nam Tacitus diserte ibidem loquens de irreparabili jactura multarum rerum Neroniano incendio absumtarum, inquit: *Jam opes tot victoriis quæsitæ, & Græcarum artium decora, exin monumenta ingeniorum antiqua & incorrupta, quamvis in tanta resurgentis Urbis pulchritudine, multa seniores meminerant, quæ reparari nequibant*. Qui vero ex *Agraria* Ciceronis *adversus Rullum* locus a Marsilio affertur, ubi Tullius (*Romam*, inquit, *in montibus positam, & convallibus, cœnaculis sublatam atque suspensam, non optimis viis, angustissimis semitis, præ sua Capua planissimo in loco explicata ac præ illis semitis irridebunt atque contemnent*) minus ad rem facit; nam de posteriori Urbe, in qua Galenus vixit, quæque cum hodierna comparanda fuerat, minime hæc dici queunt; quæ Capuam illam veterem rectitudine ac latitudine viarum æquasse videtur: nec tamen etiamsi hac in parte Capuam illam priscam, aut Smyrnam, aut hodiernam Antuerpiam, viarum pulchritudine ac directione Roma vetus minime adæquavit, continuo dicendum erat hodiernam, *ædificandi ratione, viarum amplitudine, rectitudineque, & reliqua dispositione (quod antiquæ Urbi defuit) spectandam esse, &c.* Quod vero ad rationem ædificandi pertinet, hic quoque Marsilius paulo humilius quam par erat sensisse videtur de Antiquorum in domibus fabricandis peritia atque judicio: *Timuere*, inquit, *olim aeris vitium: itaque fenestras domorum parvas, angustas, & raras, & in summis cubiculis struebant, unde vix luminis aliquid cubicula illustrabat: quamobrem multis in locis in ipso meridie lucerna opus fuisse omnino existimo*. Nam cum reliquis in rebus adeo scientes atque insignes in ædificando Veteres exstiterint, an credibile erit tam parum hic eos vidisse? Præterea cum ædium privatarum nihil ferme ab illa ætate ad nostram memoriam pervenerit; non video sane quibus ab ædificiis ea ratio illuminandarum ædium & conclavium colligi potuerit. Fateor quidem non tam fenestrarum amplitudine, numero, ac dispositione, quam aliis ornamentis, ædium suarum prospectum Veteres exornasse; sed tam parcos atque inscios in perforandis parietibus eos fuisse, ut Marsilius credidit, vix equidem puto, nisi propter specularium penuriam (quæ, quod ex lapidis certo quodam genere fierent, ad solos fortasse divites pertinebant) parciores fuerint in luminibus fenestrarum captandis. Vetustissimo tamen ac rudiori sæculo (neque enim dissimulandum est) specularium usus non fuit: quæ nunc etiam in Hispania non valde frequentantur: minori utique damno propter aeris illius insignem temperiem ac benignitatem.

Objectio Marsilii ex Agraria Ciceronis.

Et ejus solutio.

Marsilius humiliter sensit de Antiquorum peritia & magnificentia in ædificando.

Probabile non est in captandis luminibus imperite egisse, qui totius architectonicæ disciplinæ scientissimi erant.

Ædium privatarum Veterum vix quidquam superest. Etsi Veteres non tam fenestrarum fortasse concinna dispositione ac frequentia, quam aliis operibus ædes ornabant.

Vetustiori sæculo specularium usus non fuit. Plin. In Hispania parum frequentantur ob aeris salubritatem.

Cæterum minime oblivisci debemus, etiamsi tanquam rem certam atque indubitabilem & Marsilius afferat, & vulgus existimet, vicorum latitudinem rectamque dispositionem sanitati conducibiliorem esse; fuisse tamen qui refecta a Nerone Urbe existimarent, *veterem illam formam salubritati magis conduxisse; quoniam angustiæ itinerum & altitudo tectorum non perinde Solis vaporum perrumperentur*. Ea quippe est rerum humanarum conditio, ut quæ

Quidam censebant vicorum angustiam salubriorem fuisse.

A uni prosunt, alteri obsint: quæ nonnunquam salutaria sunt, interdum etiam sint perniciosa. Sic fortasse quantum latitudo, ac rectitudo viarum, ac situs altior prodest ad eam aeris purgationem, quæ a ventis siccis ac Sole fit; tantundem conducit ad nimios æstati calores temperandos ac vehementiores Boreæ flatus per hyemem frangendos altitudo ædium, semitæq; potius flexæ quam directæ. Quare difficilius aliquanto est statuere, utra species sit ad valetudinem corporum potior, quam utra sit ad oculorum voluptatem elegantior. Dispar vero ratio meo judicio aquarũ est, quarum ingens copia (& miror silentio omissas a Marsilio) in varia castella, nymphæa, fontes salientes, lavacra, lacus, thermas, balnea, stagna, euripos, piscinas, tubos, fistulas dispertita, non tam æstivo tempore Urbem refrigerabat, quam hyberno eandem, utpote situ & positione paulo humiliorem ac perhumidam, nimio plus sane quam opus esset ad sanitatem corporum, madefaciebat. Sed nimirum pensabant hoc facile cum multa commoda & voluptates, quæ ex tanta aquarum ubertate proveniebant, tum vero pulchritudo ac magnificentia Urbis, majestate illius imperii digna, quæ non alia magis re se ostentabat, quam ductibus iis aquarum, quibus, ut Cassiodorus ait, *flumina quasi constructis montibus perducebantur*: quapropter de iis loquens Plinius, nihil magis mirandum fuisse in toto terrarum orbe exclamavit. Frontinus vero nec Pyramides ipsas, moles scilicet otiosas ac inertes, cum iis comparandas duxit. Quinetiam eo tolerabilior hæc ubertas aquæ tum Romæ fuit, quo minus lutosa & spurca exinde fiebat: cum latis silicibus constrata esset, nec crebris vehiculorum discursibus hodiernum in morem inquinaretur, ac pluribus fortasse cloacis exsiccaretur. Sed hæc de Urbis ipsius situ & dispositione dicta sufficiant: quando hæc potius Philologorum ritu, animi causa, delibavi, quam ut ad institutum sermonem valde sint necessaria.

Ex parte id verum.

Aquarum tamen frequentia parum olim salubris.

Roma situ humilis & caliginosa.

Ex aquæductuum frequentia multa commoda & voluptates percipiebantur.

Plinii & Frontini testimonia de aquæductuum priscorum mirandis operibus.

Roma olim minus lutosa ac madens.

De agro vero Romano, ut aliquando incipiam, tribus quasi gradibus progredietur ad finem disquisitio. Primo enim, omissa superflua quæstione (quæ potius nominis est, quam rei) an salubris, vel insalubris sit, quærendum erit qualis olim fuerit: secundo quibus ex causis hæc gravitas, atque intemperies proveniat: ultimo quibusnam operibus ac remediis ad pristinum statum paulatim reduci queat. Sed prius hujus, quem dico, agri termini ac fines statuendi videntur. Antiquissimis temporibus agri Romani limites non longe admodum protendebantur: nam cum Varro ex Augurum disciplina inter cæteras differentias notasset, aliam esse Romani, aliam Gabini agri qualitatem, colligere hinc possimus Romanum agrum a Gabino tunc temporis suis quibusdam finibus disterminatum fuisse; etsi oppidum Gabii, quod Via Prænestina circa *Zagarolum* fuit, dirutum tunc esset, vel in vici formam redactum: qua ratione existimare licet Fidenas, Collatiam, Laurentum, aliaque finitima oppida (quamvis ex his aliqua nomen tantum retinerent) suum habuisse agrum seu territorium a cæteris divisum, & a Romano se-

Ad agri tractationem transitio.

Priscus ejus status: Causæ hodiernæ insalubritatis: Remedia.

Designatio limitum hujus agri insalubris.

Romanus ager olim angustus.

Finitima oppida licet collapsa proprios agrorum terminos servabant.

Ager Romanus non sic accipitur.

junctum. Sed nequaquam sic a nobis ager Romanus intelligitur; nec eo modo, quo Diœcesim, quæ proprie est Romani Pontificis, comprehendit; quatenus ab Ostiensi, Albana, cæterisque distinguitur: sed totius fere veteris Latii, agrique Volsci planitiem, Etruriæque Pontificiæ (Patrimonium nunc vocant) maritimam partem, ac præterea Sabinorum proximam ac magis campestrem regionem: totum enim hoc spatium experientia ipsa, & paucitate ædificiorum testante, noxium atque insalubre est; ita ut ab æstivo solstitio ad autumnale æquinoctium, plus minus, ab urbanis hominibus frequentari non possit; a rusticis vero, (quorum nemo indigena est) quamvis robustioribus, Cœlique injuriis magis assuetis, non sine periculo, & magna ipsorum pernicie, tumultuarie excolatur.

Comprehensio regionum insalubrium.

Specialis finitio hujus Agri.

Est igitur, ut particulatim rem aggrediar, totus ille tractus maritimus, qui ab Urbe Tarracinam (quæ non longe abest a Regni Neapolitani limitibus) l. circiter milliarium spatio usque protenditur, Cœli gravioris ac morbosi: qui veteris Latii terminus fuit, ut vetustissimi Antium, sive Circeii; recentioris vero Liris, seu Garelianus. Ab altera vero parte non dissimilis conditionis maritima Tusciæ regio fere omnis, quæ hinc Tiberi, illinc Macra fluviis finitur; nisi quod, quæ Arni atque Auseris ostiis adjacet, paulo salubrior est; & aliquanto etiam magis Lunensis regio, ac Lucensium ditio. Alia quidem sunt Italiæ loca gravi noxioque Cœlo prædita; sed ea non tam late patent, ut paulo post ostendemus. Itaque propria quodammodo esse videtur hæc calamitas, & vastitudo duarum Italiæ nobilissimarum Provinciarum, Latii, atque Etruriæ. Sed hujus quidem eam partem, quæ extra Ecclesiæ fines jacet, nec ad institutum nostrum pertinet, omittemus. In latitudinem vero Ecclesiasticæ ditionis, insalubris Tusca regio magis minusque porrigitur, prout montes maritimum campestremque tractum magis minusque coarctant. Supra Urbem vero ager Sabinus nec ipse tutus, aut salubris est, nisi ubi paulatim supra circumjecta Tiberi loca assurgit, & ad montes propius accedit. Nec tamen æqualis, aut uniusmodi existimanda est horum locorum facies, & qualitas: alibi enim ferme pestilens ac lethalis, ut circa Ostiam ac Portum, alibi mediocriter noxia, sicuti est omnis fere littoralis regio, quæ longius paludibus recessit: alibi demum magis tuta, nec fortasse omnibus annis exitialis, sed gravioribus dumtaxat atque imbecillioribus hominibus. Ejusmodi est montibus propinquior & remotior a mari. Quod adeo verum est, ut tres quasi salubritatis gradus his regionibus statuere possimus: quemadmodum nobilissimum atque humanissimum virum Tiberium Mutium, S. R. E. Cardinalem atque Episcopum Viterbiensem, narrantem audivi, suæ Diœcesis insalubria loca trifariam dividi posse, partim eorum in quibus vix quisquam diutius perennat, nec qui nascuntur fœtus sunt vitales, ut Montalti; secundo ubi pueri, qui ibi nascuntur, adolescunt, atque adulti, etsi non saluberrime, vivunt tamen, ut Centum Cellis; tertio ubi advenæ quoq; perennant, sed sæpe æstate languent, ut Tuscaniæ. Nil igitur mirum, cum hæ regiones ad propagandam sobolem tam parum idoneæ sint, si agricolarum quotannis huc confluentium turba non paulatim huic Cœlo assuescat, ac stirpem ex se relinquat, quæ postmodum in dies excrescens, ac stabilem hic sedem figens, pro indigenis reputetur. Quippe homines conditionis hujus Cœli non ignari, nil amplius cogitant, quam, ubi locellos compleverint, in patriam ad uxores ac liberos quamprimum reverti, atque una cum iis suo labore atque industria partis nummis placide frui: aut quibus luculentior merces obvenit, agellum in suorum conspectu, procul ab aeris periculo, commercari. Eorum tres classes constituere præcipue possumus, Vinitorum, Aratorum, ac Pastorum.

Longitudo hodierni Latii.

Tusciæ maritima ora fere tota morbosa.

Alia etiam Italiæ loca insalubria.

Sed Latium & Etruria proprie id sentiunt.

Non una tamen horum locorum species, & qualitas.

Alia enim magis, alia minus gravia.

Agricolæ Romanenses ob aeris gravitatem hic larem non figunt.

Sed in patriam quamprimum reverti festinant.

Rusticorum genus ad tria fastigia reducitur, Vinitorum, Aratorum, Pastorum.

Vinitores vineas cum intra, tum extra Urbem sitas, atque etiam in Albano, & Tusculano agro, exercent, non creta fructuum portione sibi conservata, ut coloni partiarii solent, præsertim in Etruria, sed annua mercede sibi constituta, nimirum certa pecuniæ summa, cui solent etiam alia ad victum necessaria adjici. In casis hi habitant juxta vineas sitis, quas ipsimet custodiunt; præcipuaque opera suis manibus administrant; putationes videlicet, sationes insitiones, & similia: quibus vero sufficere ipsi non possunt, ut pastinationibus, cæterisque gravioribus operibus, operarios, qui quotidiana mercede victitant, assignant; quorum ingens numerus in compita quædam certaque Romæ loca, præsertim ad Theatrum Marcelli, confluere solet, atq; in diversoriis tabernisque cibum somnumque capere: quidquid vero in diurnam mercedem vinitores operariis persolverint, dominis expensum ferunt. Vinitores plerique Flaminiæ, ac Tusciæ ulterioris, agrique Parmensis incolæ sunt: operarii vero varii generis, maximaque ex parte Nursini ac Picentes; prætereaque Marsi ac Peligni, (Aprutiensium nomine magis nunc noti) qui optimi fossores perhibentur propter insignem corporis duritiem ac robur, & ad opus faciendum alacritatem: quare non modo ad rusticas operas expetuntur, sed etiam ad fabriles, si quando hic Romæ, aut in proximo arena effoditur, saxa exciduntur, fundamenta excavantur, parietinæ veteres comminuuntur. Fabri vero cæmentarii, (ut ὁδοῦ πάρεργον id quoque dicam) qui in veteri Inscriptione Florentina PARIETARII vocantur, sunt maxima ex parte Insubres, nonnulli etiam Florentini; sed hi potissimum nobiliores fabri, ut sunt redemtores, mensores, & monitores, (protomagistros nunc vocant) ac præterea lapicidæ. Ex olitoribus etiam, cæterisque hortorum curam gerentibus, puta institoribus, topiariis, viridariorum custodibus plurimi etiam Florentini sunt ac Tusci. Nec illud omittendum est, leviores quasdam operas, ut vindemias, spicilegia, & sarritiones, magna ex parte ab hisce pauperculis urbanis, senibus, mulieribus, & pueris, qui parva mercede conducuntur, expediri.

Ratio colendi vineas.

Operariorum turba.

Eorum statio.

Vinitorum natio.

Optimi fossores qui.

Cæmentariorum patria.

Plurimi operum redemtores, & Archi tecti Florentini.

Item olitores, & viridariorum custodes.

Urbana plebecula leviora quædam opera in agris facit.

Secundo loco recensendi veniunt qui non in propinquo vineis dant operam, sed longius ab Urbe campos triticarios colunt; quos videlicet arant, serunt, metunt: hos proprio vocabulo aratores appello; quam-

Ad aratorum genus transitus.

A vis frequentius ſic vocentur qui, ut olim nonnullis in locis, præcipueq; in Sicilia, (ut notum eſt ex Verrinis Orationibus (ſic hodie conductitiis operis, non ſuis manibus, alienos agros exercent: eos nunc Romæ dicunt *artem campi facere*: quomodocunque igitur hi vocentur, aratores, vel agricolæ, ex vario ac promiſcuo hominum genere conſtant; ſed ut plurimum ex agro Piceno, ac Nurſino, Umbriaq;

Aratorum Romanenſium nationes.

Porro ut melius intelligatur hujus agri Romani colendi ratio atq; hodiernus illius ſtatus, ſciendum eſt, eum hodie in pauca, eaq; ampliſſima lati- B fundia diviſum eſſe, quas *tenutas* & *caſalia* vocant; non ut olim in mediocres fundos, ſicut in Etruria, & Gallia Ciſalpina, magnaque Italiæ parte videmus:

Agri Romani hodiernus ſtatus.

quapropter neceſſe eſt ad inſignem paucitatem caſas quoque ipſas, ubi ruſtici degunt (quas etiam *caſalia* vocant) jam eſſe redactas; quæ ſane rariſſimæ in tota hac ingenti planitie conſpiciuntur.

Caſarum agreſtium paucitas.

Ædificio ut plurimum conſtant modice elaborato, nec magna poſitionum cura, aut delectu, ſed fere ubi caſus tulerit, aut aquæ manantis opportunitas ſuaſerit, excitato.

Earum ſtructura.

Quibuſdam etiam locis C non optimæ aquæ puteis, aut etiam foſſis manufactis (quibus aqua pluvia excipitur) contenti ſunt miſeri agreſtes. Plerunq; vero caſalibus adſita ſunt aquarum receptacula majoris formæ, quæ *fontanilia* vocant, bifariam diviſa; quo aqua partim e proximo fluens, partim longius tubo ducta delabitur. Eo pecora atq; jumenta aquatum ducunt, atq; indidem quoque homines hauriunt.

Pleriſque caſalibus adjacent aquarum ſcatebræ.

Cæterum agrorum hujuſmodi cultura longe diſtat ab ea, quæ amœnioribus atque etiam ſterilioribus locis exercetur; in qui- D bus ſumma diligentia ac varietate operum ac conſitionum, rura tractantur: hic enim omnis circa rem frumentariam ac fœniſicium agricolarum cura conſumitur;

Cultura agri Romani ſimplex ac rudis.

frumenta vero potiſſimum in novalibus agris (hodie *majeſi*) feruntur, hoc eſt, iis qui alternis annis conquieſcunt; quanquam nonnulli, ob vaſtitatem regionis cultorumque paucitatem, rarius etiam exercentur:

Novalia.

quædam etiam hujus agri portio reſtibilis fit; ea ſic vocatur, quæ quotannis, aut duobus ſaltem junctis, obſeritur, cujuſmodi campos E *colti* vocant. In his ubi meſſis facta, ac ſtipula Auguſto menſe incenſa eſt, per autumnum mox ſementem jaciunt, atque unica ratione, per medias terræ porcas ſulcum ducentes, ſemen operiunt; nec ad proximam uſque meſſem quidquam amplius faciunt, aut ſegetes reviſunt. Novalia vero Majo menſe (unde vulgaris appellatio iis obtigit) proſcinduntur, atq; in univerſum quater in directum & tranſverſum aratro ducto ad ſationem uſq; autumnalem arantur.

Agri reſtibiles.

Stercorandi vero ac ſarriendi agri, par- F tim ob colentium ignaviam, partim ob nativam terræ feracitatem, uſus ac vocabula ferme obſoleverũt; fimus enim, qui e ſtabulis Romæ magna copia educitur, in profluentem abjici ſolet.

Stercoratio, ac ſarritio raro in uſu.

Meſſem ubi collegerint in prægrandes acervos componunt, quam deinde in aream deportant, ibiq; in orbem jumenta agentes, triturando ſementem educunt. Solent vero in ſingulis caſalibus deni, vel duodeni homines, aut etiam plures, præſertim ubi pecora atque armenta ſunt, (de quibus jam dicemus) verſari, uſque dum ſcilicet meſſis abſoluta fuerit: tunc enim, ſi paucos excipias, qui tectum gregeſque cuſtodiunt, protinus ob aeris gravioris metum domum regredi feſtinant. Videas quoque ſic pleroſq; morboſos, pallidoque adſpectu, ac vix firmandis veſtigiis nedum ſarcinulis, aut ferramentis ferendis habiles, catervatim mœſtos ingredi, quippe quorum magna pars in urbanis noſocomiis vel vitam relinquant, vel longo tempore cum morte luctentur.

Quoteni homines in ſingulis caſalibus.

Magna præterea in his locis viſitur pecorum omnis generis atque armentorum copia; quæ partim a caſalium dominis aluntur, (ea totum annum fere in iiſdem locis paſcuntur) partim ex frigidioribus ac montanis regionibus Flaminiæ ſcilicet atque Umbriæ, tum ex Sabinorum, Marſorum, Pelignorum, Æquicolarum ſaltibus, adulto autumno in hæc campeſtria & tepidiora loca iniguntur. Eadem interdiu quidem paſcuntur in pratis agriſque compaſcuis, quos certa quadam mercede (poſterioris ætatis Scriptores *Terraticum* vocant) cum dominis pacta, paſtores ſibi utendos ac fruendos conducunt; noctu vero in reticulatis caulis quieſcere coguntur.

Magna pecorum copia in agro Romano.

Ipſi vero paſtores ſtramentitiis tuguriis, uti melius poſſunt, conquieſcunt, atque aeris injurias propulſant. Atque hæc per tranſitum de agri Romani qualitate, ejuſque hodiernis cultoribus, deque culturæ ratione ſummatim dicta ſufficiant.

Paſtores ubi cubent.

Conſequens jam eſt, ut qualis olim fuerit hujus regionis facies, ac ſtatus, ex Auctorum ſcriptis noſtriſque obſervationibus indagemus.

Antiquus hujus regionis ſtatus.

Antequam Romanorum potentia per Italiam ſeſe late fudiſſet, eamq; armorum vi ſibi ſubjugaſſet, florentiſſimus ipſius fuit ſtatus, & cum multitudine populorum magna ex parte diverſis inſtitutis, ac moribus, ac variis linguis utentium; tum frequentia incolarum, atque opibus, terræque ubertate ſpectabilis: eoque tempore non Græcæ tantum civitates, quæ præcipuos Italiæ portus atq; optima quæque loca inſederant; ſed alii quoque populi nequaquam invicem ſubjecti, ſed liberi ac ſuis legibus utentes, mirifice excellebant:

Italia prævalida olim ante Romanorum potentiam.

erat enim ea tempeſtate quaſi adoleſcentiæ & juventutis Italiæ medius quidam ſtatus; quemadmodum plena ipſius juventus mihi fuiſſe videtur ſub initiis Punicorum bellorum; qua tempeſtate incredibile dictu eſt quam valida & florens Italorum natio fuerit, & quam numeroſis copiis formidabilis:

Italiæ juvenilis ætas ſub initiis Punicorum bellorum.

quamobrem eo prælio, quo Romani totius fere Italiæ viribus ſubnixi, cum Gallorum exercitu (qui Congolitano & Aneoreſte ducibus Etruriam vaſtabant, ac copiis numeroſiſſimis, non ex Ciſalpinis tantum, ſed ex populis trans Alpes uſque accitis, maximum terrorem Italiæ incuſſerant) C. Attilii & L. Æmilii Coſſ. ductu fortiſſime conflixerunt, cæſa ſunt ex hoſtibus circiter XXX. millia, capta decem millia:

Prælium Romanorum adverſus Gallos.

de qua pugna præſtat cognoſcere quid Polybius graviſſimus & oculatiſſimus Scriptor teſtatum reliquerit: Ὁ μὲν οὖν πρὸς τοὺς Κελτοὺς πόλεμος τοιοῦτον ἔσχε τὸ τέλος, κατὰ μὲν τὴν ἀπόνοιαν καὶ τόλμαν τῶν ἀγωνιζομένων ἀνδρῶν, ἔτι δὲ κατὰ τὰς μάχας καὶ τὸ πλῆθος τῶν ἐν αὐταῖς ἀπολλυμένων καὶ παραταττομένων, οὐδενὸς καταδεέστερος τῶν ἱστορημένων. Id eſt, *Hic tandem belli Gallici finis*

Gallorum ingens clades.

fuit, quo nullum usque in hunc diem, vel obstinatione animorum, vel militum audacia, vel atrocitate præliorum, vel multitudine interfectorum, vel numero copiarum majus aut audivimus, aut legimus. Idem vero Polybius memoriæ prodidit comparasse Italiam eo tumultu septingenta peditum millia, & septuaginta equitum: quamvis Livius & Plinius hunc numerum extenuent. Sed hac in re Polybio, qui fere suppar iis temporibus fuit, procul dubio fides est magis adhibenda. Qua ex re & multis aliis argumentis, quæ longius ab instituto absunt, ac præsertim ex multitudine oppidorum, quæ Romanorum bellis excisa sunt, & ex Æliani testimonio, qui tradit olim Italiam habitatam fuisse urbibus mille centum nonaginta sex, liquido cognosci potest, Italiam tum frequentissime ac diligentissime cultam fuisse.

Ingens militum numerus, quem eo Gallico tumultu Italia comparavit.

Variarum Hist. libro IX cap. XVI. Italia quam populosa tum fuerit.

Sed quoniam evagari latius nec licet, nec lubet, nec ab instituto sermone (qui de finitima Latini, Sabini, atque Etrusci agri planitie esse debet) longius digredi; consentaneum videtur propinqua aliquot Romæ oppida, campestris tractus præcipue, recensere; quæ partim ante Romani imperii ἀκμὴν ac florem, partim postea penitus defecerunt: quod validissimum erit argumentum ad eam frequentiam, quam his locis fuisse contendimus, adstruendam. Verum id summatim conficiam, atque omissis amplioribus probationibus ac locorum designationibus, quod ab aliis accurate præstitum est, potissimum a Cluverio, qui incredibili diligentia omnia fere veterum Auctorum loca in sua *Italia* collegit, digessitque. Plinius igitur *lib.* III. *cap.* V. de veteri Latio loquens hæc oppida recenset, quæ ita sua ætate desierant, ut eorum vestigia jam abolita essent: *In prima Regione*, inquit, *præterea fuere, in Latio clara oppida, Satricum, Pometia, Scaptia, Pitulum, Politorium, Tellene, Tifata, Cænina, Ficana, Crustumerium, Ameriola, Medullia, Corniculum, Saturnia, ubi nunc Roma est: Antipolis, quod nunc Janiculum in parte Romæ: Antemnæ, Camerium, Collatia, Amiternum, Norba, Sulmo, & cum his carnem in monte Albano soliti accipere populi, Albenses, Albani, Æsolani, Acienses, Abolani, Bubetani, Bolani, Cusuetani, Coriolani, Fidenates, Foretii, Hortenses, Latinienses, Longulani, Manates, Macrales, Mutucumenses* (lege *Mucamitenses* ex Livio, qui *Mucamitem* nominat) *Munienses, Numinienses, Olliculani, Octulani, Pedani, Pollustini, Querquetulani, Sicani, Sisolenses, Tolerienses, Tutienses, Vimitellarii, Velienses, Venetulani, Vicelenses. Ita ex antiquo Latio quinquaginta tres populi interiere sine vestigiis.* Eodem capite, *A Circeiis*, inquit, *palus Pontina est, quem locum viginti trium urbium fuisse Mutianus ter Consul prodidit.* Ad quem locum videsis quæ notat Culverius pag. 900. ubi præter errores, qui ex Scriptorum vitio irrepsisse videntur, multiplicem Plinii negligentiam arguit, qui eosdem populos bis nominaverit, ut Norbam, & Norbanos; & quorundam exstare vestigia negaverit, quæ tamen ea ætate, & sequentibus supererant, Antemnam scilicet, Collatiam, Norbam, atque Sulmonem. (quamvis de hac postrema valde dubito, an id oppidum fuerit quod *Sermoneta* nunc dicitur, licet locorum situs suadere id videatur) Miror etiam cum Antipolim (sive ut Cluverius ex Dion. Halicar. legit *Æneiopolim*) nominaverit, quæ in monte Janiculo fuit, & Saturniam, quæ Capitolium antiquissimis temporibus occupavit, & Querquetulanos, qui Querquetulanum montem, id est, Viminalem, incoluisse videntur, cur non etiam Pallanteum veterum Arcadum oppidum, in Palatino monte situm, recensuerit: nisi Velienses intellexerit Pallantei incolas; quando Velia Palatii in Urbe Roma pars fuit, ut notum est. De cætero, ubi *Sicani* legitur, *Sacrani* reponendum videtur; qui & ipsi, ut ex Festo & Servio constat, pulsis Siculis circa hos colles substiterunt; nec alioquin ullius Sicæ oppidi mentio exstat. Memorantur etiam a Livio *libro* VII. Empulum & Sassula de Tiburtibus oppida, quæ an Plinii ætate exstiterint incertum.

Recensio complurium oppidorum olim Romæ propinquorum.

Cluverii diligentia in horum oppidorum positionibus indagandis.

Nomina veterum Latii oppidorum.

Plinii oscitantia in his locis recensendis.

Pallanteum a Plinio omissum.

Alia oppida a Livio memorata.

Aliud etiam ex enumeratis a Plinio oppidis ætate ipsius superfuisse videtur; quod in gratiam nobilissimæ Columnensis Domus, illustrandæque antiquitatis causa, & ut manifestum sit quantum utilitatis ex antiquarum Inscriptionum collectione atque observatione capere possimus, ex una earum (quarum post Gruterum ad sex millia fere collegi, non Ethnicarum modo, sed Christianarum etiam veterum) liquido deprehendisse videor. Paucis igitur ab hinc annis in vinea proxima Marino, non ignobili oppido Columnensium in Latio, effossa est basis ad L. Aurelium Cæsarem Imp. Antonini Pii filium pertinens, cum nonnullis fragmentis aliarum basium, quæ ipsius honori impositis statuis dicatæ fuisse videntur; quarum descriptio hæc est:


Auctoris collectio veterum Inscriptionum

INSCRIPTIONES BASIUM A MUNIENSIBUS POSITARUM.

Basis ex lapide Piperno, quem alii Privernatem vocant, effossa in vinea Septimii prope Marinum oppidum.



Fragmenta aliarum basium effossa in eadem vinea.



Apparet igitur tam ex integra basi quam ex aliarum fragmentis erectas fuisse a Decurionibus CASTRI MOENIENSIVM, cujus nulla, quod sciam, alibi mentio exstat, nisi quod pro certo puto hos ipsos esse, quos Plinius *Munienses* vocat: nam, ut ex veteribus Grammaticis notum est, Romani OE diphthongum in multis postea in V verterunt, exempli gratia, ex MOERO, MVRO, ex COERAVERVNT, CVRAVERVNT; ut in Inscriptionibus antiquis passim: sic a Poenis formarunt Punicos, &c. Oppidum igitur, sive Castrum, quod vulgo Munium, dicebatur paulo magis antiqua forma MOENIVM, & pro MVNIENSES, MOENIENSES in his basibus repositum fuit: ut majestatis priscæ retinendæ causa in publicis monumentis factitatum fuisse alias observavi. Nec est cur quisquam in dubium vocet hosce lapides non aliunde advectos fuisse, quod de unico tantum fortasse credi posset. Sed notabilis in primis est Castri appellatio pro majori Castello, & quasi oppido, quæ in ejus sæculi monimentis non facile alias occurret. Nemo igitur posthac ambiget quin vel Marinum ipsum fuerit olim Munium dictum, vel certe non longe ab eo situm. Quapropter erudita, ingeniosaque potius, quam vera habenda est conjectura Cluverii, existimantis hoc idem oppidum dictum olim fuisse Ferentinum, seu caput aquæ Ferentinæ: quem sequutus est doctissimus Holstenius, ejus itinerum comes, & magni illius Operis particeps ac socius qui fuit, in carmine Phaleucio, quo Excellentissimi Thaddæi Barberini & Annæ Columnæ nuptias celebravit. Et sane eorum conjecturam, qui similitudine nominis freti ex Marino Marianum fecerunt, semper dubiam & suspectam habui; utpote qui hanc analogiæ speciem nunquam probaverim; nec in hujusmodi locorum appellationibus, quas Romanæ familiæ dederunt, vocalem I sic elidi observarim. Sed de his alias fortasse opportunior erit dicendi locus. Non desunt etiam, qui propter hos lapides fuisse eo loci Antonini Imperatoris Villam existiment; quod, nisi alia proferant indicia, nescio quam probabiliter dicatur. Sciebant quidem Antonini quandam Villam nominari; sed ea diverso admodum loco fuit, Aurelia nimirum Via ad XII. lapidem, quæ Lorium dicebatur, ut ex Julio Capitolino constat.

Moenienses harum inscriptionum, & Munienses Plinii iidem.

In publicis monumentis, majestatis retinendæ gratia, sermo antiquus affectabatur.

Castri appellatio eo sæculo rarior hoc significatu. Marinum olim erat Munium.

Philippi Cluverii conjectura de primo Marini nomine.

Holstenius Cluverii comes, & operis Geographici particeps fuit.

A Mariano Marinum fieri analogiæ ratio non patitur.

Antonini villam hic fuisse quidam falso putant.

Cæterum hic idem L. Aurelius Villam habuit sumtuosissimam a se ædificatam, cujus meminit idem Capitolinus in *Vita ipsius*; sed eam quoque longe diverso situ, Via Clodia in Tuscis. Sed hæc minus ad præsens institutum faciunt: id vero magis, quod ex oppidis a Plinio connumeratis nonnulla in propinquis locis, quæ hodie insalubria, (ut de reliquis taceam, quorum situs ignoratur) aut fere in agri Romani planitie fuerunt; videlicet Ficana Festi Pompeii testimonio ad XI. lapidem Via Ostiensi sita, Fidenæ, Collatia, Antemnæ, Cænina, Crustumerium, Tellena, Politorium, Lavinium, Camerium, Corniculum, Corioli, Pometia, Longula, Pollustia. Livius etiam *l.* II. Cenum oppidum prope Antium memorat: Ovidius Castrum (Inui scilicet) inter Antium & Lavinium. Quid de aliis dicam, quæ Plinii ætate exstitere? Quædam etiam frequentia incolarum & ædificiorum elegantia plus vel minus floruerunt; nimirum Ostia, Laurentum, Ardea, Antium, Aricia, Lanuvium, Gabii, Bovillæ, Ficulea. Quarum postrema, (ut obiter id quoque notem) quanquam Latinorum oppidum, in finibus tamen agri Sabini fuit, Via scilicet Nomentana, cui prius Ficulensis vocabulum fuit, Livio teste,) P. Victor Figulensem vocat) ac fortasse circa VII. lapidem, ubi ad utrunque Viæ marginem arcuatas substructiones quondam observavi: nisi potius fuisse malumus inter utranque Viam, Nomentanam ac Salariam, haud magno intervallo inter se distantes; quando, ut ex Actis S. Caii Papæ, & ex aliis S. Laurentii Martyris constat, extra Portam Salariam erat civitas Figlina; quam cum Figlinis Exquiliarum apud Varronem lib. IV. *de Lingua Latina* cave confundas, & a Ficulea diversam putes. Sic enim posteriori ætate dicebatur, quamvis viro docto aliter visum. Quod satis indicat Ficuleam non a ficubus, sed a figulis denominatam esse; licet apud T. Livium ac Ciceronem *, qui suburbani Ficulensis meminit, per litteram C hoc vocabulum scribatur; retenta scilicet veteri consuetudine, quæ usum τῶ G ignorabat.

L. Aurelii sumtuosissima villa.

Oppida in campestri tractu (qui hodie insalubris) olim sita.

Alia oppida olim florentia.

Alia oppida quorum ignoratur situs.

Ne vero diligentiam in supervacuis affectare videar, mitto Sudertum, Verentum, adhæc Cortuosam, Contenebram, & Artenam Livio memorata oppida, aliaque quæ credibile est circa hunc tractum fuisse. Ex alia vero Tiberis parte in Tuscia, oppida fuerunt, parum salubribus hodie locis: in littore, Portus Trajani, Fregenæ, Alsium, Pyrgi, Centum Cellæ, Graviscæ, Cosa, Telamo, Populonium, Vetulonia: in mediterraneis vero, Cære, Tarquinii, Forum Aurelii, Forum Claudii, Ferentum, Vicus Matrini, Statonia, Volsci, Rusellæ; quæque partim semi-deserta hodie sunt, partim modica oppida, Blera, Nepet, Sutrium, Suana, Saturnia, aliaque. Ex his pauca deligemus, omissis brevitatis gratia cæteris; eaque satis liquido, ut opinor, probabimus florente Romanorum Imperio ampla, beneque ædificata, ac valde celebria fuisse. Nam ut de Portu Romano sileam, cujus ingentes ruinæ satis per se ostendunt ejus veterem cultum ac magnificentiam: (de quo non satis constat quando & a quibus dirutum fuerit; an a Leone IV. Pont. Max. metuente, ne a Sarracenis occuparetur; an vero ab ipsismet Sarracenis, qui magnam partem Italiæ, maritimam præsertim, vastaverunt; quod credibilius est) illud certe in præsentia minus silendum videtur, Viam Portuensem, cujus non obscura vestigia etiamnum supersunt, hoc peculiare præ cæteris habuisse, (quod peritissimus Architectus, & rei antiquariæ magnus investigator, Leo Baptista Albertus primum observavit) quandam videlicet seriem lapidum elatiorum, quæ latitudinem ipsius Viæ bifariam dividebat; nempe ut una pars Romam versus euntibus, altera Roma ad mare proficiscentibus inserviret: id ea gratia scilicet, ne ex adverso occurrentes invicem se truderent (tanta erat hujus Viæ celebritas) ac retardarent. Nunc vero

Tusciæ oppida regionis insalubris. Maritima.

Mediterranea.

Portus Romani, sive Augusti ingentes ruinæ.

Circa viam Portuensem observatio.

* Epist. XXXIII. lib. XII. ad Attic.

(Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas)

Via Portuensis nunc mire deserta

ſi quis hac via proficiſcitur, mirum eſt ſi unum quempiam obvium habeat.

Oſtia urbs.

Age vero, ut ad Oſtienſem urbem tranſeamus: nullius ferme crebrior eſt apud Latinos Scriptores mentio; adeo ut non deſint exempla, ex quibus frequentiſſimam eam fuiſſe probemus: ſed paucis ero contentus. Condita hæc urbs ab Anco Martio Rege fuit, deducta illuc civium Romanorum colonia, ad ſiniſtram Tiberis ripam, prope ipſius oſtia; unde ei nomen impoſitum eſt. Magnam paſſa eſt calamitatem Marianis temporibus, cum aliis nobilibus Latii oppidis Antio, Aricia, Lavinio direpta ac vaſtata: ſed nihilominus poſteriori tempore priſtinam dignitatem ac frequentiam recuperaſſe videtur. Corn. Tacitus, ubi tradit quomodo incenſa a Nerone Urbe egenæ plebeculæ, quæ fortunarum ſuarum jacturam fecerat, ſubventum fuerit, ait, utenſilia ab Oſtia aliiſque municipiis ſubvecta fuiſſe: *Et ſubitaria ædificia exſtruxit, quæ multitudinem inopem acciperent. Subvectaque utenſilia ab Oſtia & propinquis municipiis.* Plinius Junior, ubi elegantiſſima Epiſtola, tanquam mirificus architectus, Villam ſuam Laurentinam deſcribit non longe ab Oſtia ſitam, multipliceſque illius commoditates enumerat, ad extremum ſubdit: *Suggerunt affatim ligna proximæ ſylvæ: cæteras copias Oſtienſis colonia miniſtrat. Frugi quidem homini ſufficit etiam vicus: quem una Villa diſcernit: in hoc balinea meritoria tria. Magna commoditas, ſi forte balineum domi vel ſubitus adventus, vel brevior mora calefacere diſſuadeat. Littus ornant varietate gratiſſima nunc continua, nunc intermiſſa tecta villarum, quæ præſtant multarum urbium faciem, &c.* Quæ omnia ideo attuli, quoniam multa notatu digna hinc erui poſſunt. Primo eam fuiſſe tunc temporis Oſtiæ urbis lautitiam ac cultum, ut non frugalioribus tantum, ſed lautioribus etiam & urbanis in proximo ruſticantibus omne genus commoditatum ſuppeditare potuerit. Secundo frequentiſſimas fuiſſe villas circa littus; de quo poſtea dicemus. Tertio non tantum oppida, ſed vicos etiam in agro Latino fuiſſe complures: uti ſemper perſuaſum habui. (ut prætercam Villam Priapi in agro Ardeatino, ex qua Leo V. Pont. Max. oriundus fuit) Quarto magnam fuiſſe celebritatem Oſtienſis & Laurentinæ Viarum, (quarum in medio erat Pliniana Villa) cum in unico vico tam propinquo Oſtienſi urbi tria balnea calefierent; etſi frequentiſſimam tunc fuiſſe lavandi conſuetudinem omnibus notum.

Ex Plinii loco multa notantur.

Verum rejectis vulgatioribus teſtimoniis ſequens cippus, ſive columna in Portu Oſtienſi reperta, atque illinc in Hortos Carpenſes translata, (cujus Inſcriptionem ex *Adverſariis* Achillis Statii depromſi) palam docebit, ſplendidum ac bene ædificatum oppidum Oſtiam fuiſſe: in ea quippe memorantur, Forum, Ædes Volcani, Veneris, Fortunæ, Cereris, Spei, Macellum cum ponderibus, (videlicet ſtateris grandioribus ad magna onera ponderanda) Tribunal marmoreum in Foro, ſtatua inaurata, & alia ſtatua ahenea poſita ab Oſtienſibus P. Lucilio Gamalæ, qui ſupraſcripta opera conſtituit, vel reſtituit, ut Inſcriptio loquitur, quæ talis eſt:

Splendor Oſtienſis urbis ex antiqua Inſcriptione oſtenditur. Ædificia Oſtiæ in hac Inſcriptione memorata.

P. LVCILIO
P. F. P. N. P. PRO
NEP. GAMALAE
.. AED. SACR VOLK
... EADLI. D. D. ALLECTO
... RATIS. DECVRIONI
.ONTIFICI. II. VIR. CENSO
RIAE. POT. QVINQVENNAL.
....IN. COMITIS. FACTO CVRA
...PECVNIÆ PVBLICÆ. EXIGEN
..VE ET. ADTRIBVENDÆ
IN. LVDOS. CVM. ACCEPISSET PVBLIC...
...VCARRI MISTIII. DE. SVO. EROGATI
ONEM. FECIT
...M. SVA. PECVNIA. VIAM. SILICE. STRAVIT
QVÆ. EST. IVNCTA. FORO. AB. ARCV. AD. ARCVM.
..EM. EPVLVM. CVM. TRICHLINIS. CCX. VII
COLONIS DEDIT
..EM. PRANDIVM. SVA. PECVNIA. COLONIS.
OSTIENSIBVS. BIS. DEDIT.
.DEM. AEDEM. VOLCANI. SVA. PECV
NIA. RESTITVIT

..DEM VENERIS. SVA. PECV
NIA. CONSTITVIT
..EM. AEDEM. FORTVNAE. SVA. PECV
NIA. CONSTITVET
..EM. AEDEM. FORTVNAE. CERERIS. SVA. PECVNIA.
CONSTITVIT
..EM. PONDERA. AD. MACELLVM.
CVM. M. TVRRANIO. SVA. PECV
NIA. FECIT
.... AEDEM. SPEI. SVA. PECVNIA
.... TITVIT
..EM. TRIBVNAL. IN. FORO. MAR
MOREVM. FECIT
VIC. STATVA. INAVRATA. D. D.
P. P. POSITA. EST.
..EM. AHENEA. D. D. P. P. POSITA
. ROXVME. TRIBVNAL. QVAES.
..EREA CVOD. CVM. RES. PVBLICA.
. RAIDIA. SVA. VENDERIT * . OB. POL.
ICITATIONEM. BELLI. NAVALIS.
Hcxv cc REIPVBLICAI DONA
... NC FVNERE PVBLICO
.... COCFFER CEN... ERVNT.

Nec dubitandum quin plurima alia ornamenta ædificiaque ſumtuoſiſſima in tam celebri colonia fuerint.

Antium.

Ejus opulentia & ſplendor antiquus.

Venio nunc ad urbem Antium, quam & ipſam non primis tantum Romanæ Reipublicæ temporibus florentiſſimam fuiſſe oſtendam; ſed poſtea etiam ſummopere ſplendidam atque ædificiis ornatam. Dionyſius Halicar. *Αντιον πόλις ἐπιφανεςάτη τῶ Οὐολέσκων ἔθνως*, hoc eſt, *Antium urbs Volſcorum nobiliſſima* Livius *lib.* II. opulentiſſimam olim fuiſſe teſtatur, & *libro* VI. caput Volſcorum. Notiſſima ſunt etiam bella, quæ non modo Reges Romani, ſed ejectis etiam Regibus, diutiſſime ac pertinaciſſime cum Antiatibus Populus Romanus exercuit. Ex eo vero bello, quod Numicius Cos. cum Antiatibus geſſit, cognoſcimus (Dionyſ. *lib.* VIII docente) habuiſſe Antiates præter urbem altiori loco poſitam, nempe ubi nunc D. Blaſii fanum eſt, oppidulum aliud in littore mœnibus clauſum; quod ipſis erat rerum venalium forum ac navale: quod interdicto iis uſu maris, æquatis ſolo mœnibus, ac navium receptaculis complanatis, abductiſque navigiis dirutum penitus a Romanis fuit. Strabo etiam *lib.* v. ſcribit diu piraticam eos exercuiſſe, junctis etiam Tuſcorum claſſe viribus. Non eo tamen inficias, quin Antii portus primis temporibus mediocris fuerit: quo a Romanis corrupto ac diruto, poſtea locus importuoſus manſit; ut inter alia liquet ex eodem Strabone, qui *ἀλίμενον πόλιν* vocat. Illud certe conſtat, Neronem Cæſ. qui ſummopere eo loco delectatus eſt, quod ibi genitus eſſet, atque ex Poppæa filiam ſuſcepiſſet, non modo veteranis eo miſſis coloniam frequentaſſe; ſed magnificentiſſimum ei portum addidiſſe, cujus ingentes etiamnum ſuperſunt ruinæ; præcipue molis, qua includebatur, ac Phari, quæ noctu navigantibus prælucebat. De ædificiis vero celebre ibidem fuit Fortunæ templum cum ſortibus, quod vulgo notum; itemque Æſculapii in littore, cujus multi etiam meminerunt; Valer. Maximus, Auctor de Viris illuſtribus, & alii. Magnis inſuper, crebriſque ædificiis, ac Principum Romanorum receſſibus nobilitatum fuiſſe Strabo docet his verbis: *Ἑξῆς δ' ἐςὶν Αντιον, ἀλίμενος καὶ αὐτὴ πόλις ... νυνὶ μὲν ἀνεῖται τοῖς ἡγεμόσιν εἰς σχολὴν καὶ ἄνεσιν τῶν πολιτικῶν, ὥστε λάβοιεν καιρόν· καὶ διὰ τοῦτο κατῳκοδόμηνται πολυτελεῖς οἰκήσεις ἐν τῇ πόλει συχναὶ, πρὸς τὰς τοιαύτας ἐπιδημίας.* Id eſt, *Sequitur oppidum Antium, & ipſum importuoſum .... cæterum Principum otio atque vacationi ab civilibus occupationibus dicatum eſt: ideoque magnifica ac ſplendida inibi ſunt ædificia exſtructa permulta, excipiendis eorum receſſibus.* Quæ poſt Strabonis ætatem multo magis dici potuerunt, cum ſequuti poſt Tiberium Principes, Nero, aliique ſummopere eum locum adamaverint atque ædificationibus excoluerint. Huc pertinet Philoſtrati locus in *Vita Apollonii*; ex quo diſcimus Hadriani prætorium apud Antium fuiſſe, quo præ aliis maxime delectabatur.

Antium navale & portum habuit ab urbe ſeparatum.

Antiates claſſe olim validi.

Nero Antium præcipue adamavit, ornavitque.

Ejus nonnulla ædificia enumerantur.

Hadrianus Antiati villa præcipue delectabatur.

Minime vero prætereundum hoc loco videtur (etſi Romæ incolis ſatis id notum eſt) oppidum maritimum mille circiter paſſibus a veteris Antii reliquiis diſſitum, quod Neptunium dicitur, (vulgo *Nettunno*) cujus incolæ ab Afris, ſive Mauris, oriundi vulgo creduntur. Suadet hoc mulierum habitus diſcolor, & ab Italico valde diverſus, quæ nonnunquam ad Urbem veniunt. Verum ut de

Neptunium oppidum juxta Antii promontorium.

Ejus incolæ Africanæ originis vulgo creduntur.

Sed veriſimile non videtur.

* An *venderit*, vel *venderet*.

eo dubitem facit, non tam, quod nulla fit hujus Africanæ coloniæ in historiis mentio, (nec enim ignoro pauciſſimos, nec eos ſatis diligentes exſtare rerum Scriptores, quæ vigentibus Sarracenorum armis atque illo caliginoſo ſæculo contigerunt) quam, quod minus credibile videtur, gentem Chriſtiano nomini infenſiſſimam, & de Italia a ſe vaſtata peſſime meritam, vel auſam fuiſſe tam prope Chriſtiani orbis caput ſedem figere, vel tantopere hanc viciniam adamaſſe, vel denique a finitimis gentibus non minus religioſis quam fortibus permiſſum id eis fuiſſe: niſi fortaſſe credamus Nationem Mahometicis erroribus ad inſaniam uſque addictam, ſubito iis ejuratis, Chriſtianos ritus ſuſcepiſſe. Quidquid ſit, nulla hodie, quod ſciam, Mahometicæ ſuperſtitionis, vel Arabicæ Linguæ veſtigia apud Neptunienſes ſuperſunt; eoque minus credibile videtur ortu Arabes, ſive Afros eſſe.

Eorum inertia.

Cæterum genus eſt hominum, quantum ex relatu aliorum comperi, quo nullum in toto Latio deſidioſius, ac minus induſtrium: nam cum agros valde uberes in proximo habeant, agriculturam negligunt: cum ſylvas avibus ac feris refertas, nec venatui, nec aucupio ſtudent: denique cum mare piſcibus fœcundum accolant, piſcandi imperitos eſſe illud maxime probat, quod marinis piſcibus Roma careret, niſi quotannis Provinciales Galli cupidine lucri illecti Romam confluerent ad piſcaturam exercendam. Atque hæc de Antio dicta ſunto.

Galli piſcatores quotannis ad piſcatum Romam veniunt.

Alia oppida olim celebria ac ſplendida.

Probare etiam poſſem, Laurentum, Lanuvium, Cære, aliaque ejuſmodi oppida antiquis Auctoribus ſæpius nominata, (quæ propter aeris intemperiem hodie fere deſerta ſunt) ante Italiæ excidium populo frequentia, ædificiis ornata, cultu ſplendida, opibus referta fuiſſe: id enim præter alia liquet ex magiſtratibus dignioribus, qui non minus quam in celeberrimis Italiæ coloniis ac municipiis ibi fuerunt; ut veteres Inſcriptiones præcipue oſtendunt: ac de Lanuvio *Miloniana* in primis *Oratio* Ciceronis id palam teſtatur: tum inſignium aliquot virorum numerus, quos paſſim apud Antiquos legimus indidem oriundos: tum quod urbanorum frequens erat in iiſdem locis commoratio: ſed tot teſtimoniis atque argumentis abundamus, ut ea conquirere diſtædeat; cum res ſit multis nota, atque alio feſtinet animus atque impetus ſcribendi. Prius tamen nonnulla carptim dicamus de ea frequentia ædificiorum, quam, præter ſuburbia, Villæ in proximo ſitæ efficiebant.

Lanuvium nunc Città Lavinia.

Celebriores viæ longiſſima habuerunt ſuburbia.

Celebriores igitur Viæ ad multa milliaria continuis ædificiis utrinque infeſſæ fuerunt; puta, tabernis, officinis, diverſoriis, villis, ſuburbanis, ac monumentis etiam ſumtuoſioribus: qua de re lege, ſi lubet, Nicolai Bergerii Opus * quod *de Viis militaribus Romanorum* Gallica Lingua † fuſe ac diligenter conſcripſit. Via igitur Appia, quæ omnium princeps ac celeberrima fuit, Aricia tenus continuis ferme ædificiis occupata erat; quorum magna etiam nunc rudera utrinque conſpiciuntur. Ex adverſo, Flaminiæ ædificia Ocriculum uſque pertingebant. Oſtienſis etiam ad mare uſque pariter culta atque habitata fuit, ac ſimiliter fere Tiburtina quouſque Tibur perveniret, ut doctiſſimus Lipſius etiam obſervavit: quod de aliis frequentioribus Viis, puta, Prænestina, Portuenſi, Latina, Salaria, Nomentana, Aurelia, Caſſia itidem credi poteſt. Nec tamen, ut verum fatear, adeo perpetua fuiſſe puto quoquoverſus hujuſmodi ædificia, ut non aliquibus locis vacuæ areæ ſupereſſent, præſertim horti maceriis obſepti.

Viæ Appiæ frequentia ædificia.

Flaminiæ.

Oſtienſis.

Tiburtinæ.

Ea ædificia perpetua non fuerunt.

Nil mirum igitur pronuntiaſſe Plinium magno, ſed vero encomio, *exſpatiantia tecta multas addidiſſe urbes*. Dionyſius vero Halicarnaſſeus, qui ſub Auguſto vixit, hoc eſt, multo antequam magnificentia, ac multitudo ædificiorum, tum intra, tum extra Urbem, ad ſummum perveniſſet, ſcriptum nihilominus reliquit loca circa Urbem ſita minime cincta mœnibus fuiſſe, verum adeo ſpiſſa ac frequentia, ut non facile quis intelligere poſſet, ubi inciperet, ubi deſineret Urbs; Οὕτω συνύφανται τῷ ἄστει ἡ χώρα, καὶ εἰς ἄπειρον ἐκμηκυνομένης πόλεως ὑπόληψιν τοῖς θεωμένοις παρέχεται: id eſt. *Adeo ſuburbana ipſi Urbi adhærent & conjuncta ſunt, & ſpeciem immenſæ cujuſdam longitudinis ſpectantibus exhibent*. Hinc factum eſt, ut cum Hormiſdas nobilis Perſa in comitatu Conſtantii Cæſ. Romam Via Flaminia accederet, ab Ocriculo Urbem prius ingreſſus fuerit, quam, ubi ea inchoaret, diſcernere poſſet, Ammiano Marcellino teſtante **. Jam vero Tiberis ripas continuis fere Villis ad mare uſque circumveſtitas nonnulli produnt. De littore vero maris, ne quis putet ſolam Campaniam ſic excultam fuiſſe, ex Plinii Junioris ſupra allato loco perſpectum eſt, in eo fuiſſe *nunc continua, nunc intermiſſa tecta Villarum*: quamvis nec Tuſcum, nec Latinum littus, non modo ſalubritate, ſed nec amœnitate, aut proſpectuum elegantia valde ſit commendandum, aut ullo modo cum Campania, aut reliqua Italia ad fretum uſque conferendum.

Tiberis utraque ripa uſque ad mare frequentibus ædificiis infeſſa.

Apud littus creberrimæ Villæ.

Si cui vero nondum plane perſuaſum eſt, circumjectam Romæ regionem, maxime in locis humilioribus ac parum ſalubribus, creberrimis villis ac prætoriis ornatam atque interſtinctam fuiſſe, eat ipſe quoquoverſus, ac omnem regionem circumluſtret; tam multas parietinas ac ruderum cumulos ubique fere reperiet, ut nullam amplius hæſitandi cauſam habiturus ſit: quanquam minime dubitandum eſt multo plurium veſtigia penitus eſſe deleta; erutis videlicet fundamentis, atque aliorſum adſportatis cæmentis ac lateribus ad novas ædificationes, ut quotidie fit.

Plurima ædificiorum rudera quoquoverſus circa Romam.

Etſi plurium deleta ſunt veſtigia.

Addam in hanc rem argumentum, quod

* Latinitate donatum ab Henr. Chriſt. Henninio invenire eſt Tom. x. pag. 1. *Theſ. Antiquit. Roman.*

† Hiſtoire des grands chemins de l'Empire Romain.

** Lib. 16. cap. 10. ubi hæc dicuntur de Conſtantio Cæſ. non de Hormiſda; vid. omnino locus, ſi vacat.

Aliud argumentum ad astruendam veterum ædificiorum circa Romam frequentiam ex Arenariis sumtum.

alicui fortasse mirum, ne dicam absurdum, videbitur: verum sic quoque magni ponderis apud me est. Arenariæ cryptæ antiquis temporibus ad extrahendam arenam in usum ædificiorum excavatæ, (quod hodie diversa ratione faciunt superna effossa terra, ut in pastinationibus solet) tam multæ exstant non in proximo tantum ac sub vineis Urbi propinquis, sed etiam longius & in omnes fere partes ad mare usque & montes Prænestinos; atque ab alio Cœli cardine in Etruriam etiam longissime, (nec defuit quibusdam abditiora quædam ac penitus sepulta veteris ævi miracula rimandi studium) ut totus hic Latii ac Tusciæ suburbanæ tractus (cujus infimum solum unius naturæ est tophaceum & sabulosum) penitus suffossus ac prope pensilis existimari possit; unde fit, ut vix unquam internis flatibus quatiatur: ita longi, & multiplices, ac multifariam inter se implicati subterranei meatus quoquoversus patent, ut immensi cujusdam labyrinthi speciem præbeant. Hujusmodi cryptæ, sive cuniculi, Arenariæ etiam simpliciter dictæ, leguntur in veteribus Sanctorum Martyrum Actis; Catacumbæ etiam, quod sæviente Tyrannorum persecutione innocens Christi plebs subterraneis hisce locis interdiu potissimum delitesceret, cubaret, cibum caperet, sacrosque conventus haberet. Ab his, tanquam a genere species, distant Cœmeteria, quæ Urbi fere propinquiora sunt, ac militaribus viis addita, (multa enim supersunt) laxioribus, sed brevioribus spatiis diffusa, sacellis, sepulchris, aris, atque id genus ædificationibus luculentius ornata: qualia ferme nonnulla quoque fuerunt apud Ethnicos subterranea munumenta, quæ & conditoria dicebantur, opere lateritio parietibus in ambitum suffulta: in queis crebri loculi cum urnis atque ossuariis ad unicam fere familiam spectantibus disponebantur; qualis fuisse videtur is, qui in Ursinianis Bibliothecæ Vaticanæ Collectaneis antiquitatum describitur, ex suburbano Exquilinæ Portæ, ni fallor, ad Sex. Pompeii domum, ut videtur, pertinens. Verum de omnibus his subterraneis miraculis, ac præsertim sacris Cœmeteriorum antiquitatibus, luculenter atque erudite pertractat Joannes Severianus, Congregationis Oratorii Sacerdos, in eximio Opere ab Antonio Bosio olim incœpto, quod *Romam subterraneam* inscripsit, ex quo magna cum voluptate ac fructu infinitas res minime protritas ac vulgares haurire licebit.

Earum ingens magnitudo, & numerus.

Cryptæ arenariæ in Martyrologiis simpliciter Arenariæ dictæ, & Catacumbæ.

Earum species, Cœmeteria.

Conditoria veterum Ethnicorum.

Sed quorsum hæc, inquies, de suburbanis Arenariis extra propositum scopum commemoratio? nimirum ut ostendam, tantam fossitiæ hujus arenæ copiam (de cujus speciebus vide Vitruvium *lib.* II. *cap.* IV.) ex tot tantisque cuniculis longo tempore, ut apparet, egestam fuisse, ut si vel totam Latii planitiem Roma occupasset, sufficere quodammodo ac pene redundare potuerit; nedum iis ædificiis suppetere, quæ intra mœnia exstiterunt: quorum vetus ambitus, quando a Gothis direpta est, testante Olympiodoro apud Photium, XXI.

A milliaria collegit; quæ octodecim hodiernorum fere summam conficiunt*: quare nisi tam immensam arenæ copiam in alios quam ædificationis usus conversam esse velimus, necesse est ut dicamus, infinitis prope ædificiis proxima Urbi loca fuisse contecta. Atque hinc intelligi potest ingens ea populi multitudo, (quamvis id paulo post diligentius excutiemus) quæ Romæ veteri a plerisque tribuitur: neque enim si rem acrius perpendere volumus, tot centena hominum millia intra eum, quem dixi, murorum ambitum recipi

Hinc etiam apparet maxima Romanæ Urbis frequentia.

B potuisse videntur. Namque (ut rem enucleatius expendamus) cum hodiernorum mœnium circuitus, comprehensa Leonina regione, XV. milliaria explere feratur; atque adhuc multæ veteres Portæ (structuræ genus id docet) supersint; quædam porro paulo supra nostram memoriam iisdem vestigiis renovatæ sint; cumque etiam maneat Castri Prætorii ad extremam atque orientalem Urbis partem murus, (quanquam fortasse recentioris structuræ) quod spatium, exauctoratis a Magno Constantino prætorianis cohortibus, adjectum Ur-

Hodiernus Romæ ambitus.

C bi fuerit, ita ut ex his indiciis colligi possit hodierna mœnia maxima ex parte super antiquis fundamentis excitata fuisse; & tamen ex adverso dicatur antiquum ambitum circiter XVIII. hodiernorum milliarium fuisse; quo tandem pacto hanc ἀντιλογίαν componemus? Si quid igitur mei judicii est, (quod tamen non asseveranter affirmo) existimarem, eos qui olim Urbem dimensi sunt, per anfractus ac sinus mœnium (qui hodie etiam multis in locis conspiciuntur) non directo tramite

Hodierna mœnia super antiquis fundamentis ferme excitata.

D mensuram exegisse; qua ratione aliquanto major milliarium numerus consurgit: contra vero, qui hoc tempore XV. milliaria Romanæ Urbi tribuunt, eo modo intelligere, si sine ambagibus ac flexibus dimetiens linea ducatur: quod si verum est, antiqua atque hodierna Urbis capacitas parum inter se distabunt: nam eundem plane esse murorum circuitum, id dici nullo modo potest; quibusdam enim locis, eos, qui dejecta a Gothis mœnia refecerunt, ab eorum fundamentis aliquantum deflexisse palam liquet: ut circa Por-

Antiquus atque hodiernus Urbis ambitus parum differre videntur.

E tam Trigeminam, cum antiquus cis Tiberim murus recta regione Transtiberinum in ulteriori ripa desinentem peteret; quod & illius nonnulla vestigia, & recentioris, qui Testaceum Montem complectitur, enormior deflexus, (& miror ab iis, qui vetustæ Romæ delineationem ediderunt, non esse animadversum) & Cæstiani monumenti juxta eandem Portam situs (per cujus centrum mœnia ipsa ducuntur) liquido ostendit: postea, dum Urbs reficeretur, existimarunt firmiorem ac munitio-

A Porta Trigemina, sive S. Pauli, usque ad Tiberim murus latius quam olim diffunditur.

F rem eam fore, si Cæstiana pyramide tanquam propugnaculo quodam in ipsis mœnibus uterentur, & elatior ille priscarum testarum cumulus, (ex quo indicio prope accoluisse figulos Antiquarii notant) intra Urbem inclusus, aggeris usum Romanis potius quam hostibus præstaret. Quod ita esse, si cætera deessent indicia, vetus illa consuetudo, stante præsertim Republica,

* Vide Borghinum *de origine Florent.*

Sepulchra olim intra Urbem struere non licebat.

inviolabiliter observata, mortuos extra Urbem humandi, ac sepulchra monumentaque exstruendi, satis ostenderet. Cæterum, quoniam in Cæstiani sepulchri mentionem incidimus, illud obiter adnotasse liceat, interiorem ipsius cellam, etsi hodie maximam partem terra oppletam, vetustissimis picturis etiamnum ornatam conspici; quibus Julius Mancinus, Archiatrus eruditissimus, in suo *de Pictura* Opere, parem atque ipsi monumento antiquitatem tribuendam putat.

Interiores Cæstiani sepulchri parietes antiquas picturas etiam nunc servant. Julii Mancini de Pictura opus.

Sed ut ad veterem Romæ ambitum revertar; si eum paulo quam hodie majorem, aut pene eundem constituamus, nequaquam is tantæ capacitatis fuerit, quantam ex primo intuitu quis facile judicaret: propterea quod magna creberrimaque spatia continuit nullius ad habitandum usus; sed partim vacua, partim otiosis ædificiis attributa: quod, qui in antiquæ Urbis descriptionibus versati sunt, non ignorant. Nam, per Deum immortalem! quantum urbanæ areæ occupasse tandem putamus, tot magnificentissima Templa, tot latissimas Thermas, Circos, Amphitheatra, Naumachias, Horrea, aquarum Castella, Fontes, Lavacra, Lacus, Janos, Basilicas, Porticus? tot rerum venalium & civilium Fora? tot areas, campos, hortos, viridaria, aliaque id generis? quantum ea, quæ non perinde omnibus nota, Lucos ædibus sacris nunc additos, nunc circumfusos? semitas Insulis circumjectas? quarum multitudinem ex Sex. Rufi libello *Descriptionis Urbis Romæ* (cujus enim esse, non P. Victoris, jampridem Philander notavit) cognoscere possumus. Quantumvis excelsas privatorum domos exstitisse dicamus, (quarum altitudinem LXX. pedibus Augustus, LX. Nero definivit) quantumvis anguste vilem plebeculam olim habitasse credamus, (modo ne putemus plebis Parisiensis instar nimis arcte angusteque id factum, quod nec temporum illorum splendor, nec Italicæ gentis mundities patitur) necesse est fateamur paulo majorem turbam, nedum tot illa centena millium intra Urbem pleraque ex parte qua sacris, qua publicis ædificiis, qua inanibus areis occupatam, minime recipi potuisse: adeo ut, nisi constaret ex dictis aliisque quæ consulto omisi, innumeris ædificiis suburbanum agrum obtectum fuisse; hoc uno argumento inanem illam quorundam de multis millionibus Romam olim incolentibus sententiam convellere possemus.

Vetus Romæ ambitus non pro sua magnitudine capax, & quare.

Insularum ingens Romæ numerus.

Vetus Roma infinitam turbam recipere non poterat.

Age igitur, quoniam ad hanc instituto nostro omnino disputationem devenimus; Justus Lipsius (quo nemo melius, uberius, majorique judicio Romanas antiquitates exposuit) quatuor hominum milliones (in queis dimidiam partem servorum ponit) Romæ, aut circa eam, id est, in suburbiis, hortis, ac tabernis (ne quis de propinquis oppidis accipiat) habitasse censuit. quæ sententia ut in speciem favorabilis, & pro tanti viri auctoritate probabilis est, ita, si rem acrius expendamus, (dicam enim quod sentio non dissentiendi studio, sed veritatis asserendæ; nec ut maximi viri nomen carpam, cujus memoriæ ut si quis alius addictus sum) nequaquam stare potest. Nam, ut constat ex Monumento Ancyrano, Augustus Cæsar aliquoties censum egit; ut in sexto consulatu, quo collegam habuit M. Agrippam, quo censita sunt civium Romanorum capita quadragies centum millia & sexaginta tria: nec magnum fuit aliorum censuum discrimen, ut idem Monumentum ostendit; atqui notum est, præsertim ex Livii historiis, in censibus referendis non separatim urbanos, sed omnes simul Romanos cives liberæ conditionis, demtis pueris ac mulieribus, quotquot ubique gentium erant, adnumerari. Cum igitur Augusti ætate tota Italia Civitatis jure gauderet, neque in Provinciis admodum multi tum cives reperirentur, (coloniæ enim perpaucæ tunc temporis extra Italiam Civitatis jus possidebant; nec milites ac negotiantes satis notabili numero Italicorum censum augebant) cum etiam sub Claudio, quo Civitas multis populis communicata est Corn. Tac. testante, censa sint non plura quam sexagies novies centena sexaginta quatuor millia, id est, septem circiter milliones: cumque hodie Italia, quippe multo infrequentius culta, ab hujusmodi rerum peritis novem hominum milliones continere dicatur; credibile fit ex suprascripto censu, Augusti ætate octodecim saltem milliones, id est, duplo majorem summam in Italia exstitisse: siquidem proportione ejus numeri alios sex milliones puerorum ac mulierum adjungere possumus: atque item alios sex, peregrinis una comprehensis, servorum atque ancillarum; quorum ingentem olim numerum, ne toties dicta repetamus, apud eundem Lipsium antiqui Scriptores produnt; ut missas faciam veteres sepulchrales Inscriptiones, quarum maxima pars ad Libertinos pertinet. Hæc summa non videbitur immodica ei, qui antiquam Italiæ frequentiam (cujus Australis hodie pars raris cultoribus exercetur) probe cognoverit; nimis exigua videbitur, qui unicam Romæ Urbem quatuor milliones habuisse crediderit, nec dubitaverit (quod valde probabiliter dicitur) quin, quot virilis ætatis Romani cives in censum adscribebantur, totidem circiter puerorum ac mulierum liberæ conditionis capita, ac totidem etiam servorum & ancillarum numerarentur.

Disceptatio de multitudine incolentium olim Romam.

Augusti Cæsaris census.

Botero, & similibus.

Dimidia Italiæ pars infrequenter hodie culta.

Quem igitur numerum, inquiet aliquis, Urbis incolarum, si Lipsianus tibi nimius videtur, fuisse existimas? Ego, si quid mei judicii est, circiter decies centena hominum millia, aut non multo plures in ipso Imperii flore, puta sub Trajano, vel Hadriano, fuisse puto; quæ summa non nimis modica censeri debet, etiamsi Cæsarea Cappadociæ urbs quadringenta millia Zonara teste habuerit; etiamsi Agrigentum florentissima olim Siciliæ civitas, Diogene Laertio scribente, (antequam scilicet Syracusæ ad tantam amplitudinem excrevissent) octingenta millia numeraret. Nam quod Alexandria illa celebris, illa dives, illa post Romam omnium confessione secunda (cujus ambitum ex Plinii dimensione quindecim milliarium fuit) non nisi trecenta millia liberorum capitum, Diodoro tanquam rem magnam afferente, habuerit, (etsi Lipsio id parum credibile videtur) potius pro nostra opinione facit, etiamsi trecenta aut quadringenta servorum ac peregrinorum millia ad explendum septingentorum, vel octingentorum millium numerum adjiciamus; quo vix minorem Alexandriæ fuisse

Auctoris opinio de numero Romam olim incolentium.

Cæsarea Cappadociæ.

Agrigentum.

Alexandriæ ambitus & numerus incolarum liberæ conditionis.

Incola Alexandriæ in universum circiter septingentis mille fuisse videntur.

puto: nec magnum, contra quam Lipsio videatur, statuo discrimen inter Romana tempora & posteriorum Regum; sub quibus etiam frequentia populi, ut ex historiis conjicere licet, mirabiliter floruit. Age vero, potissimas rationes, quæ Lipsium in eam opinionem induxerunt, consideremus.

Rationes Lipsii immensum illum incolarum Romæ numerum adstruentis.

Ajunt peregrinos ex toto orbe confertim Romam confluxisse: non nego id factum. Non desunt etiam Auctores, qui *commune totius terræ oppidum: orbis compendium & epitomen: Urbem urbium: totas nationes illic simul atque junctim habitasse: frequentiam, cui vix Urbis immensa tecta sufficiant: capacem generis humani & mundi fæce repletam*, quæque alia in speciem magnifice, & fere a Rhetoribus ac Poetis μεγαληγόρως dicuntur; quæ tamen, si recte intelligantur, verissime dici confiteor: sed hæc non minus vera esse possunt, si aliquot singula hominum millia, non dena, vel centena singulis nationibus, quæ Romam incolebant, tribuamus. Nec est quod satisfactum Lipsius putet iis, qui, unde tam immensæ turbæ alimenta suppeterent, quærunt, si publicas illas frumentationes obtrudat, & Senecæ dictum; *in qua* (Roma) *consumitur quidquid terris omnibus aratur*. Scimus enim solum his decies centenis hominum millibus ingentem profecto frumenti modum quotannis ex Sicilia, Africa, Ægypto, aliisque frumentariis Provinciis exportari oportuisse. Scimus eas ipsas Provincias non minus frequenter habitatas, quam diligenter cultas fuisse. Scimus complura non modica oppida circa Romam fuisse, (quod supra innuimus) quibus alendis, vel peregre advecto frumento, vel ex suismet agris comparato opus fuit. Scimus suburbana loca, præter ea quæ dixi, tam crebra ædificia Cerealibus operibus erepta, (quod rei rusticæ Scriptores non sine stomacho atque indignatione detestantur) Bacchi & Pomonæ cultui, immo Floræ ac Dianæ, hoc est, viridariis, stagnis, nemoribus, ambulationibus a delicatis lautisque hominibus in tanta opum ac voluptatum affluentia attributa fuisse. Quare non est, cur Suetonii locum in *Nerone*, ubi *pestilentia unius autumni triginta funerum in rationem Libitinæ venisse* scribit, Lipsius sollicitet, ac trecenta millia reponat, ut responsuram magis magnitudini ejus populi, quam animo conciperet, summam repræsentaret. Sed nimirum decepit optimum virum, ac Romanæ majestatis supra modum studiosum, immensus nec satis credibilis numerus incolarum Cairi, quem undenam hauserit divinare non possum: nam ut relatu eorum, qui Ægyptum non in mappis ac tabulis tantum lustrarunt, accepi, Cairum septingenta, vel ad summum octingenta capitum millia non excedit: quo loci notatu dignum est, si Ægypti aer ejusmodi est, ut quinis vel senis diebus (quod Cornelius Celsus indicat) jubentibus Medicis inediam ægri tolerare in eo potuerint; & si Arabica, atque Ægyptia gens (ut sunt fere omnes Orientales) valde sobria est ac frugalis, ut quæ pomis, pultibus, oleribus, ac leguminibus magna ex parte victitet; ea alimenta, quæ Cairitis sufficiunt, nequaquam dimidio pauciores Gallos, Britannos, aut Germanos solidiori cibo, multisque carnibus edendis assuetos sustentare posse: ut mihi longe mirabilior Lutetiæ frequentia qualiscunque est quam Cairi, aut ullius Asiaticæ urbis, videatur. Atque hæc de antiqua Romanæ Urbis amplitudine ac multitudine incolentium dicta sufficiant: hoc tamen addito, non ignorare me, Probum, vel Aurelianum Principem muros Urbis ad quinquaginta circiter milliaria adauxisse, si Vopisco ac Zosimo fides. Sed quoniam credere par est vetustos atque interiores illos muros non propterea dejectos fuisse, sed potius exteriorem illum ambitum, abductis a Constantino Byzantium multis Romanorum civium millibus, ipsomet Lipsio fatente, desiisse; (prius etiam vacuæ areæ non modica spatia comprehendisse videntur, ut si quis Parisiense S. Germani suburbium aliaque proxima mœnibus cingat) ideo circa notiora illa ac vetustiora mœnia, quæ multo diutius durarunt, insistendum erat potissimum.

Aristides. Polemo Sophista. Galenus. Seneca. Lucanus.

Ad eas rationes responsio.

Senecæ magnificum dictum de Romæ magnitudine.

Suburbana loca florente Imperio arvorum usum non frequenter præbebant.

Lipsius peste mortuorum numerum apud Suetonium auget.

Quid Lipsium deceperit.

Lutetiæ magna frequentia admirabilior quam Cairi.

Quomodo intelligendum auctam fuisse Urbem ad L. milliaria.

Verum quod propius ad rem nostram facit, ut ad suburbanorum ædificiorum multitudinem indagandam redeamus, non modo rebus Italiæ florentibus, ac nondum sequutis Barbarorum vastationibus, hæc villarum frequentia quoquoversus circa Urbem spectabatur, sed multo etiam propius nostram memoriam, atque etiam post tempora Longobardorum. Id enim aperte docet tam minuta agri Romani divisio, ac frequens fundorum mentio; retentis adhuc ab antiquiori tempore nominum appellationibus, ut liquet maxime ex Vitis Romanorum Pontificum medii temporis apud Anastasium; adhæc ex privatis nonnullis instrumentis, quæ in Archivis supersunt. Unicam tamen lapideam tabulam præterire non possum, quæ in pronao Basilicæ Vaticanæ parieti affixa spectatur, cujus generis, ætate P. Manlii, qui de eadem Basilica scripsit, sex aliæ legebantur; sed eæ incuria hominum, & contemtu antiquitatis perierunt. In iis, non minus quam in hac, continebantur nomina prædiorum ac terrarum, quæ B. Gregorius diversis Ecclesiis liberaliter donavit. Inscriptio igitur ita se habet, servata etiam (ut in rebus antiquis decet) illius ætatis corrupta scribendi ratione, cum promiscue V pro B, & contra usurparent, ut Olibetum pro Olivetum.

Suburbanorum ædificiorum frequentia etiam post tempora Longobardorum. Crebritas fundorum id docet.

Quorum nomina apud Anastasium Bibliothecarium.

Et in tabula Gregoriana pronao Basilicæ Vaticanæ affixa.

Quid ea tabula doceat.

* DOMINIS SCIS AC BEATISS PETRO ET PAVLO APOSTOLORVM PRINCIPIBVS GREGORIVS INDIGNVS SERVVS
QVOTIENS LAVDI VESTRAE VSIBVS SERVITVRA QVEDAM LICET PARBA CONQVIRIMVS VESTRA VOBIS REDDIMVS NON NOSTRA LARGIMVR
VT HAEC AGENTES NON SIMVS ELATI DE MVNERE SET DE SOLVTIONE SECVRI NAM QVID VNQVAM SINE VOBIS NOSTRVM EST

QVI NON POSSVMVS ACCEPTA REDDERE NISI QVIA PER VOS ITERVM ET IPSVM HOVT REDDEREMVS ACCEPIMVS VNDE EGO VESTER
SERVVS REDVCENS AD ANIMVM MVLTVM ME VOBIS BEATI APOSTOLI PETRE ET PAVLE ESSE DEVITOREM PROPTER QVOD AB VVERIBVS
MATRIS MEAE DIVINAE POTENTIAE GRATIA PROTEGENTE INTRO GREMIVM ECCLESIAE VESTRAE ALVISTIS ET AD INCREMENTVM
PER SINGVLOS GRADVS VSQVE AD SVMMVM APICEM SACERDOTII LICET INMERITVM PRODVCERE ESTIS DIGNATI IDEOQVE
HOC PRIVILEGII MVNVSCVLVM HVMILI INTERIM OFFERRE DEVOTIONE PRAEVIDI STATVO ENIM ET A MEIS SVCCESSORIBVS
SERVANDVM SINE ALIQVA REFRAGRATIONE CONSTITVO VT LOCA VEL PRAEDIA CVM OLIBETIS QVI INFERIVS DESCRIBVNTVR

QVOS PRO CONCINNATIONE LVMINARIORVM VESTRORVM A DIVERSIS QVIBVS DETENEBANTVR RECOLLIGENS VESTRA VOBIS DICAVI
IMMVTILATA PERMANERE ID EST IN PATRIMONIO APPIAE MASS VICTORIOLAS OLIBETV IN FVND RVMELLIANO IN INTEGRO
OLIBETV. IN FVND OCTABIANO IN INTEGRO MASS TRABATIANA OLIBET. IN FVND BVRRELANO VT SP OLIBET IN FVND OPPIANO VT SP

OLIBETV IN FVND. IVLIANO IN INTEGRO OLIBET. IN FVND. VIVIANO VT SVP. OLIBET. IN FVND. CATTIA . . .
OLIBET. IN FVND. SOLIFICIANO. VT SP. OLIBET. IN FVND. PALMIS VT SVP. OLIBET IN FVND. SAGARIS. V . . . .
OLIBET. IN FVND. MARANO. VT SVP. OLIBET. IN FVND. IVLIANO VT SP. OLIBET. IN FVND. SARTVRIANO VT SP.
OLIBET. IN FVND. CANIANO ET CARBONARIA VT SVP. MASS CESARIANA OLIBET. IN FVND. FLORANO VT . . . SVP
OLIBET. IN FVND. RISCIANO ET GRASSIANO VT SVP. OLIBET. IN FVND. PASCVRANO VT SP. OLIBET IN FVNDO
VARINIANO VT SVP. OLIBET. IN FVND. CESARIANO. VT SP. MASS PONTIANA. OLIBET. IN FVND. PONTIANO VT SP.
OLIBET. IN FVND. CASAROMANIANA VT SP. OLIBET. IN FVND. TATTIANO VT SP. OLIBET. IN FVND. CASAFLORANA VT SP.
MASS STEIANA OLIBET. IN FVND. BERRANO VT SP. OLIBET. IN FVND. CACCLANO VT SP. OLIBET. IN FVND. PONTIANO VT SP
OLIBET. IN FVND. AQVILIANO VT SP. OLIBET. IN FVND. STEIANO VT SP. OLIBET. IN FVND. CASSIS VT SP. MASS TERTIANA
OLIBET. IN FVND. CAMMELIANO ET FVND. TORTILLIANO VT SP. OLIBET IN FVND. CASACVCVLI VT SP. MASS NEVIANA
OLIBET. IN FVND. ARCIIIANO VT SP. OLIBET. IN FVND. CORELLIANO VT SP. OLIBET. IN FVND. VRSANO VT SVPER
IN PATRIMONIO LABICANENS. MASS ALGISIA. OLIBET QVI EST AD TVFV IVXTA ANAGNIAS IN INTEGRO
OLIBET QVI EST IN SIBVLA ET MODICAS TALIAS CATAGEMMVLVM AG MILIIT OLIBET IN APLINEAS IN INTEGRO
OLIBET. QVI EST IN CLAVIANO OLIBET. QVEM TENET FRANCVLVS COLONVS IN FVND. ORDINIANO IN INTEGRO

Hi fundi mancipiis sive adscriptitiis fere colebantur.

Hujusmodi fundi suos propriosque cultores habebant conditione plerunque servos, quorum usus ad inferiores usque ætates pervenit; ac proinde minime dubitandum est, quin in singulis casæ ac domus rusticæ fuerint. Quare cum in tot fundos ager Romanus tum esset divisus, sicuti hodie meliorem Etruriæ ac Galliæ Circumpadanæ partem videmus; necesse est ut ingens etiam numerus rusticarum ædium

Villæ Rusticæ & Urbanæ discrimen.

fuerit, quæ proprie villæ Rusticæ dicebantur; sicut Urbanæ, quæ ad dominorum usum ædificatæ erant, ut ex rei rusticæ Scriptoribus, ac Pandectarum libris, & veteribus Grammaticis intelligitur.

Porro illud in hac tabula adnotandum videtur, Massas in agro Latino complures fuisse, quarum singulæ aliquot fundos con-

Massæ quid fuerint.

tinebant. Massæ igitur vocabantur (etenim rudiorum gratia, ut ab initio præfatus sum, aliqua necessario sunt dicenda) plurium fundorum ad eundem dominum spectantium, atque etiam plurium camporum, ubi latifundia sunt, comprehensio, qui ab uno actore (quem hodie *factorem* dicimus)

Quid possessiones.

administrabantur. Idem fere significabat possessio, ut patet ex Symmachi *epistola* XLI. *lib*.X. in qua Massa Cæsariana in finibus Prænestinorum sita (quam in D. Gregorii tabula nominari puto) paulo post possessio Cæsariana vocatur. Et sane hodierna locutio *possessionem* eodem fere significatu usurpat; licet apud nostrates proprie vocetur, *una fattoria*, fundus vero, *un podere*: apud Urbinates autem fundus parvus *possessio* dicitur, ingens fundus, *un po-*

Massæ vocabulum exstat etiam in Codicibus Theodosiano & Justinianeo.

dere. Fit etiam crebra hujus vocis mentio non tantum apud Anastasium, sed & in Constitutionibus Imperatorum Codicis Theodosiani & Justinianei; ut exempli gratia, Massa Cæsiana in Anthemii Novella de bonis vacantibus & alibi frequenter, ut aliis observatum. Inde conductores Massarum (quomodo eos vocat Gregorius *lib*.XII. *ep*.XX.) Massarii etiam postea dicti sunt, ut in legibus Longobardorum, & apud Petrum de Vineis *lib*. III. *epist*. LXVI. quod vocabulum multi adhuc Italiæ populi usurpant; sed latiori alibi significatu *Massariam* vocant ancillam. Josephus etiam

Hinc hodie Massarii, & Massariæ vocabula uspiam supersunt.

Suaresius Bibliothecæ Barberinæ præfectus eruditissimus superesse hanc vocem etiam apud Transalpinos suos, maxime Arelatenses, mihi confirmavit; atque illos eodem significatu dicere, *un Mas*, quod cæteri

Etiam apud Gallos.

Galli, ut plurimum, *une grange*. Sed quoniam Massa ædificium quoque rusticum significabat, inde accidit, ut commoditatis

Ex iis Massis vici & oppida coaluerunt.

gratia tabernis aliisque domibus deinde juxta excitatis, ac coalescentibus paulatim habitationibus, vici primum, inde castella, & oppida evaserint. Ex quibus hodieque nonnulla Massæ nomen retinent, ut in Etruria prope Populonium, *Massa di Maremma*, & in Lunensi agro, *Massa di Carrara*; in Campania vero, *Massa Lubrensis*. Massæ ergo dictæ videntur, sive quod ex pluribus fundis una quasi massa fieret, seu potius, quod in præcipuo fundo latius esset ædifi-

Villa fructuaria.

cium ubi moraretur actor, ac villicus, ac villæ fructuariæ usum præberet, eoque tanquam in massam quandam fructus ac fruges congererentur. Sed hæc jam extra rem: quare ad institutum sermonem redeamus.

Sallen. Tom. I.

A

Frequentia ædificiorum agrestium satis probat quovis anni tempore Veteres rusticari solitos etiam locis gravioribus.

Cum igitur abunde probatum sit admirandam omnis generis ædificiorum copiam longe lateque olim circa Romam stetisse, etiam multo post Gothicas clades; atque inde satis liquere possit, quovis anni tempore urbanos homines suas villas, ruraque etiam, maritimis ac gravioribus locis positas sine ullo metu adiisse; attamen ut morosioribus etiam satisfaciam, atque omnes prorsus scrupulos evellam, testimonio veterum Scriptorum id quoque probandum videtur. Et quidem succurrit primum ex

Evidentius tamen ostenditur ex locis Auctorum. Ex Epistola quadam Cic. ad Atticum.

B

Epistolis M.Tullii *ad Attic*. XLIV. libri XIII. quæ incipit: *Pollex quidem, ut dixerat, ad Idus Sextiles, ita mihi Lanuvii pridie Idus præsto fuit*. Ex quo loco constat circa Idus Sextilis, sive Augusti, periculosissimis nempe totius anni diebus, Lanuvii, quod nunc *Città Lavinia* dicitur, in Via Appia Ciceronem egisse, sub id tempus, quo Cæsaris adventus ex Hispania post devictos Afranium & Petrejum exspectabatur. Ne quis vero objiciat, illud oppidum, utpote editum, non fuisse insalubre; neu quis opinetur totam æstatem ibi exegisse, sequens *E-*

C

Ostenditur Calendas, quas nominat, proximas esse intelligendas, id est, Septembris.

pistola paucis post diebus, certe ante Calendas Septembris, data (arguit id rerum series) satis indicat paulo post illinc Ciceronem discessisse, cogitantem videlicet certo quodam die Antii quiescere, postridie vero Romæ, vel in suarum Villarum aliqua (inquit enim, *Cras ante meridiem, domi*) manere; deinde proximis Calendis in Tusculanum recurrere. Quas locorum mutationes paucis iis diebus a Cicerone nulla necessitate urgente factas tunc fuisse plane convincit connexarum rerum, ut dixi, series, quæ duabus iis ac præcedentibus sequentibusque Epistolis

D

tractantur: præsertim cum Cornelius Nepos in *Vita Pomponii Attici* testetur, sexdecim his Epistolarum voluminibus adeo diligenter de publicis privatisque rebus a Ciceronis consulatu usque ad extremum tempus ab eo tractari, *Ut ea qui legat, non multum desideret historiam contextam eorum temporum*. Et sane facile deprehenditur in hisce libris ea omnia narrari, vel indicari, quæ hoc intervallo memoratu digna contigerunt, nisi dum Cicero atque Atticus una fuerunt.

Cæterum cum satis constet, ut supra di-

E

ximus, multo etiam infra magnas illas Barbarorum vastationes, agrum Romanum crebris fundis distinctum, & consequenter tunc etiam bene cultum ac frequenter habi-

Inquiritur tempus cum ager Romanus vastari ac deseri cœpit.

tatum fuisse; dispiciendum jam videtur, quandonam ingens hæc & miseranda vastities facta fuerit. Si quid igitur mei judicii est, incœpisse eam tunc primum opinor, cum A-

Ostenditur ab Astulpho Longobardorum Rege id primum evenisse.

stulphus Longobardorum impius Rex, Stephano III. Papæ ac populo Romano infensus, adversus ea, quæ Pippino Francorum Regi semel ab eo victus promiserat, Urbem

F

Romam iterum vexare quam acerbissime cœpit, eamque circumquaque obsidere: quo tempore nec sacris, nec profanis ædificiis pepercit; quin obvia quæque rabie quadam efferatus dirueret, incenderet, ac pessundaret: qua de re Epistolæ aliquot ab eodem

Epistolæ Steph. III. a Pipino Francorum Rege contra Astulphum [illegible] rogantis miserabiles.

Stephano in Galliam ad Pipinum missæ adeo miserabiliter conceptæ exstant, ea præsertim, in qua Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Pipinum ad Romæ opitulandum obtestantium persona inducitur, ut pe-

Ooo

Multo plus damni ager Romanus a Longobardis quam a Gothis accepit.

ne legentibus lachrymas extorqueant. Multo majora tunc igitur damna ager Romanus, proximaque oppida, ac vici, villæque a Longobardorum armis pertulisse videntur, quam olim a Gothis ac Vandalis, qui Urbem ceperunt ac diripuerunt. Quamobrem tunc præcipue arbitror populatione late facta, vicisque ac tectis rusticorum maxima ex parte incensis, hunc agrum infrequenter coli cœpisse: antea enim Barbari Romam invadentes, munitioribus tantum circa locis vim intulisse videntur; eaque solum diripuisse, quæ caput Orbis aggredientibus occurrebant, quæque circumsidentibus Urbem usui esse poterant; ingentium fluminum ritu, quæ ubi per patula ac declivia feruntur, quidquid obvium est, nec ultra, prosternunt: ubi vero occurrente obice retardantur, longinqua etiam in præceps trahunt, geminataque ruina moram ulciscuntur.

Deinde a Ludovico II. & Francis.

Sequenti dehinc sæculo (vide rerum vicissitudinem) Francorum copiæ, gentis olim ad tutelam Apostolicæ Sedis pene natæ, in proximo castra habentes, ac Ludovicum Secundum ducem secutæ, (de Ludovici Pii filio, Caroli Magni nepote, Pipini pronepote quis hoc credat?) quam Sergius Secundus, populusque Romanus, omni genere officiorum atque obsequii exceperat, non mediocrem cladem miserrimis hisce agris intulerunt: nullis enim injuriis lacessitos, nullis affectos contumeliis, sed amice primum & quiete hospitantes, mox militari insolentia tanquam in hostico omnia circum ædificia barbarum in morem vastasse, frugesque ac sita corrupisse historiæ loquuntur. Consecuta statim sunt infelicia ea tempora, cum discordiis atque ignavia Christianorum Principum, maximeque Caroli Magni nepotum, Occidentis Provinciæ mirum in modum labefactatæ atque afflictæ fuerunt. Quare superioris Italiæ regiones nemine resistente ab Hungaris, inferioris vero a Sarracenis, sed multo diutius, cædibus, rapinis, atque incendiis vastatæ sunt. Ab iis igitur non modo Apulia, Lucania, Brutii, Salentini, quos in populos maxime ea pestis incubuit, sed Tuscorum Latinorumque fines, plerisque maritimis oppidis excisis, miserandum in modum direpti lancinatique fuere. quocirca Romani agri cultores, partim in captivitatem abducti, partim occisi, partim assiduarum populationum metu, relictis terris ac patriis finibus, in tutiora ac maxime montana loca concesserunt, ibique hæserunt. Nec dubitandum quin otiose lenteque, tanquam interriti lupi pingui prædæ incubantes, proximum hunc agrum teterrima gens laniarit atque confecerit, præsertim per Joannis Papæ VIII. in Gallia absentiam. Quinimmo sapientissimus senex Laudivius Cardinalis S. Sixti mihi confirmavit superesse adhuc circa *Cornetum* (cujus Episcopatum aliquando tenuit) eorum habitationis vestigia, quas cryptas Sarracenorum vocant. Tunc igitur potissime secutam hanc vastitiem, quam videmus, agrisque derelictis, aerem ingravescere cœpisse crediderim.

Discordiis Caroli Magni nepotum Occidentis vires accisæ.

A Sarracenis præcipue ager Romanus vastatus inter annos DCCC & DCCCC.

Joanne VIII. præsertim Romæ absente.

Habitaculo rum Sarracenorum vestigia apud Cornetum.

Anacephalæosis Romanarum vastationum Urbis.

Denique ut rem in pauca conferam; Urbem Gothi vastavere, maxime sub Totila ac Vitige: agrum circumjectum Longobardi Francique sub Astulpho & Ludovico II. littoralem partem, maritimaque oppida, atque ipsum Vaticanum Sarraceni: oppida vero suburbana in montibus posita, quæ posterioribus etiam temporibus floruerunt, dissidiis inter Romanos Pontifices, ac Germanos Cæsares, populum Romanum, atque urbanos proceres sæpius coortis, vastata sunt atque eversa. Sic Tusculum florentissimum tunc oppidum Anno MCLXIX. a Romanis mœnibus nudatum est, ut Cæs. Baronius ex Romualdo prodit, ac demum Anno MCXCI. penitus excisum, ut ex Rogerii Annalibus idem notat. Tibur a Germanis dirutum, a Friderico Ænobarbo post aliquot annos restitutum est. Albanum (id enim verius, licet alii Albam dicant) ab Henrico III. Cæsare vastatum; mox cum iterum excitatum fuisset, a Romanis Anno MCLXVIII. sub Alex. III. Pont. Max. funditus eversum est; cumque iterum a Sabellis castelli in modum angustiori ambitu, uti nunc est, super Pompejanæ Villæ ruderibus restitutum fuisset, sub Eugenio IV. rursus solo æquatum fuit. Præneste a Bonifacio VIII. Anno MCCIC. mœnibus, quæ ex lapide quadrato mirandi operis (quædam horum supersunt reliquiæ, multoque magis Fori atque adjacentium ædificiorum) antiquitus manserant, nudatum direptumque, ac denuo Anno MCCCCXXXV. solo æquatum fuit. Reliqua oppida longius sita variis etiam bellorum casibus passim attrita fuere: tum vero complura castella, ac vici intestinis civium Romanorum discordiis exusti dirutique sunt, ut hodie nulla Italiæ pars, sicut antea dictum est, magis sit sola ac deserta.

Oræ maritimæ.

Oppidorum propinquorum in montibus.

Tusculi.

Tiburis.

Albani.

Prænestis.

Longinquiorum.

Nulla Italiæ pars desertior.

Sed quoniam de populationibus Sarracenorum incidit mentio, prætermittere non possum (quoniam propter obscuritatem temporum res paucis nota est) insignem victoriam, quam Joan. X. Pont. Max. usus opera populorum sibi subditorum, præcipue Marsis, cæterisque illius tractus montanis hominibus, quando maxime afflictæ imbecilleque vires Romanæ Urbis videbantur, de teterrima illa gente gloriose retulit: ut vel hinc quivis intelligat hanc sacrosanctam Sedem ad peculiarem Dei Opt. Max curam pertinuisse semper, sanctosque Apostolos Petrum & Paulum custodes ac defensores suos non semel expertam fuisse: qua ex re illud etiam cognosci poterit, insignem perpetuo fuisse fortitudinem ac militare robur iis populis, qui supra Romam accolunt, Marsis videlicet, Æquicolis, Hernicis, cæterisque illius tractus, qui Sarracenos fudisse narrantur. Quin etiam, ut vel hinc appareat fatalem quodammodo Romanorum Pontificum extitisse virtutem ac nomen ad Sarracenorum atque Ismaelitarum debellandam; sciendum est eximiam aliam victoriam de iisdem antea reportasse Joan. hujus nominis VIII. eorum opera usum, qui ad manum erant, cum illos e Galliis rediens proxima Urbi littora insedisse videret, ac demum feliciter inde exturbasse. Prius etiam Leonis IV. auspiciis Neapolitani, Amalfitani, Cajetani comparata classe, quantum eorum temporum patiebantur angustiæ, cum navalibus ipsorum copiis numero ac robore formidandis atque exercitatissimis, post divina mysteria in æde B. Aureæ Ostiæ percepta, acceptamque a Sanctiss. Pon-

Insignis victoria Joannis X. adversus Sarracenos.

Fortitudo bellica populorum Ecclesiæ Romanæ subditorum.

Romanorum Pontificum nomen, & potestas fatalis ad devincendos Ismaelitas & Mahumetanos.

tifice benedictionem, adeo acriter conflixerunt, ut hostilibus navibus partim demersis, partim abductis, aut dispersis, ingentem captivorum numerum fecerint: quorum etiam opera prudenter idem Leo usus est in reficiendis Ecclesiis ab ipsismet dirutis, atque in mœnibus Vaticanæ regionis (quæ Leonina civitas inde dicta est) extruendis. Memorabile profecto exemplum, atque omni tempore a Romanis Pontificibus recolendum, quo adsuturum sibi perpetuo in Christi persequendis hostibus divini Numinis auxilium, ac Beatorum Apostolorum Petri & Pauli præsentissimam opem certa fiducia spondeant: neque enim alio tam insignes referri victorias Christiana pietas sinit, adversus pugnacissimam gentem continuis prope victoriis ferocem, de Græcorum potentia & Constantinopolis Ducibus semper triumphantem; a paucis Italiæ (cujus tunc vires admodum attenuatæ erant) populis tam mirabili successu partas. Sed de his rebus gestis fusius apud Sigonium *de Regno Italiæ*, Sabellicum, aliosque, qui illorum temporum historias conscripserunt.

Sarracenorum mancipiorum opera Leo IV. in restituendis Ecclesiis usus est.

Ex his exemplis Pontifices Romani certum sibi præsidium a Cœlesti Numine adversus Ecclesiæ perduelles spondere possunt.

Nunc ad institutum nostrum redeamus: hactenus enim ostensum fuit suburbanum agrum non florentibus modo rebus Italiæ, sed longe etiam postea bene cultum ac frequentibus tectis ornatum fuisse. Jam vero ne quis existimet contendere me non minus hunc agrum salubrem ac temperatum esse quam Crotoniensem olim, nunc Fesulanum; aut si quis alius est tota Italia omnium confessione saluberrimus, (quod cum sit aperte falsum; ita quæ a me ad hanc rem afferuntur, a conjunctis arguendo falsa quoque esse quispiam asserat, aut in dubium vocet) ostendendum videtur nonnulla loca ex iis, quæ hodieque damnantur, ipsorum confessione Veterum ita improbata fuisse, ut reliqua prorsus tuta ac salubria crederent atque experirentur. Strabo igitur (quo nemo Geographorum majori fide ac diligentia susceptum munus exsecutus est, aut locorum status ac qualitates peritius exposuit) de Latio testimonium hoc protulit *: Ἅπασα δὲ ἡ Κατίνη ἐστὶν εὐδαίμων καὶ παμφόρος, πλὴν ὀλίγων χωρίων τῶν ἐπὶ τῆς παραλίαν ὅσα ἑλώδη καὶ νοσερά, οἷα τὰ τῶν Ἀρδεατῶν καὶ μεταξὺ Ἀντίου καὶ Λαουινίου μέχρι Πωμετίνου: *Omne* (inquit) *Latium felix est, & omnium rerum ferax, exceptis paucis quibusdam locis maritimis, quæ palustria sunt atque morbosa, qualis est Ardeatinus ager, & quod est inter Antium & Lavinium usque ad Pometinum campum*. Cætera igitur agri Latini loca minime morbosa fuerunt, qualia hodie jure optimo censentur, cum experientia rerum magistra id liquido confirmet. Et quidem Ardeatinus ager perpetuo ob insalubritatem male audiit, & ob nimium Solis ardorem, qui eam regionem torret, appellationem habuisse videtur. Propterea Seneca ad Lucilium scribens *: *Quæ observanda tibi sunt* (inquit) *ut tutior vivas dicam. Tu tamen sic audias censeo ista præcepta, quomodo si tibi præciperem, qua ratione bonam valetudinem in Ardeatino tuereris*. Hinc etiam Martialis Curiatium quendam redarguit †, a quo aer Tiburtinus damnabatur:

Non contendit Auctor Romanum agrum saluberrimum esse.

Quædam enim loca etiam a veteribus damnabantur

Strabonis locus de Latii qualitate.

Ardeatinus ager semper male audiit.

Ardea solstitio, Castranaq; rura petantur,
Quique Cleonæo sidere fervet ager:
Quum Tiburtinas damnet Curiatius auras,
Inter laudatas ad Styga missus aquas.
Nullo fata loco possis excludere: quum mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia est.

Pontinas porro paludes, & loca finitima semper morbosa habita fuisse notius est quam ut probari amplius debeat. Hinc Servius ad illud Vergilii, *Atina potens*: *Civitas est*, inquit, *juxta Pontinas paludes dicta Atina a morbis, qui Græce* Ἄται *dicuntur, quos paludum vicinitas creat*. At enim insalubrem fuisse Atinam propter dictam caussam verum puto; sed vocabuli originem illinc duci non tam facile credo: semper enim suspectas habui hujusmodi Grammaticorum ἐτυμολογίας, quarum radices in alienis Linguis quæruntur: ostendere enim prius oportuit, Atinam non a Volscis, (quorum Lingua a Græca distabat maxime) sed a Græcis fuisse conditam. Addam locis a Strabone recensitis Pupiniæ agrum (unde Pupinia Tribus ortum habuit) ab Urbe non longe dissitum, nempe octo circiter milliaribus citra Tusculum & Gabios, olim etiam parum salubrem habitum. Columella *lib.* I. *cap.* IV. *Nam Pupiniæ* (de Attilio Regulo loquitur) *pestilentis simul & exilis agri cultorem fuisse eum loquuntur historiæ*. Huc pertinet M. Catonis *de Re Rustica* locus, ubi de Villa, quæ ædificanda locatur, agens ait, loco pestilenti, ubi æstate opus fieri non potest, quartam partem pretii debere accedere: nam etsi dubitari possit, an de remotioribus, atque extra Latium, & proximam Etruriam positis agris loquatur; magis est tamen, ut de propinquioribus intellexerit: cum illius ætatis frugalitas suadeat, nondum Romanos in longinquo Villas ponere cœpisse. Ex dictis igitur liquet, antiquis etiam temporibus quandam campestris Latii partem parum salubrem habitam fuisse. In Etruria vero pluribus locis Cœlum grave ac noxium fuisse dubitari non potest: nam ut primum de tota regione maritima loquar, scitum est illud Plinii Junioris, Villam suam, quam prope Tifernum Tiberinum habuit, Apollinari suo describentis: cum enim audisset Apollinaris Plinium in Tuscis rusticari æstate solitum, suadet ne faciat, ut valetudini consulat; ad quem ita respondet: *Amavi curam & solicitudinem tuam, quod cum audisses me æstate Tuscos meos petiturum, ne facerem suasisti, dum putas insalubres. Est sane gravis & pestilens ora Tuscorum, quæ per littus extenditur: sed hi procul a mari recesserunt, &c.* In universum igitur ora Tusciæ maritima, contra quam in Latio, gravis ac pestilens habebatur. Notum etiam est Graviscas, cujus situs ex observatu Cluverii sub Cornetanis collibus ad mare fuit, duobus circiter passuum millibus ad lævam Martæ fluvii ripam, a Cœli gravitate sic appellatas fuisse: ideoque a Vergilio *intempestas* Servio docente vocari. Rationem affert Rutilius in *Itinerario* inquiens:

Item loca circa Pontinas paludes.

Pupinia insalubris.

Testimonium Columellæ.

M. Catoni non ignota fuerunt loca pestilentia.

Plinii Junioris auctoritas.

Ora Etruriæ maritima ferme omnis inclemens habebatur.

Et signanter Graviscæ.

Inde Graviscarum vestigia rara videmus,
Quas premit æstivæ sæpe paludis odor.

Ad ostium fluvii Aronis non longe ab Urbe aliud oppidum fuit Fregenæ dictum;

* Lib. 5. † Leg. κατά. * Epist. cv. † Lib. IV. epigr. LX.

quod item ob aeris gravitatem male audiit: quamobrem Rutilio dicuntur *Obsessæ campo squalente Fregenæ*, nimirum propter sylvas, stagna, paludes, atque salinas ab Arone fluvio ad Trajani Portum, Tiberim versus porrectas, ut idem Cluverius notat.

Et Fregenæ.

Coloniæ maritimæ, quarum vacatio observata est bello Punico II.

Huc pertinet etiam Coloniarum duarum Antiatis atque Ostiensis a militibus tradendis immunitas; quam iis solis bello Punico secundo Senatus Romanus ratam esse voluit: nam cum aliæ quoque maritimæ coloniæ teste Livio *lib.* XXVII. sacrosanctam vacationem, hoc est, legibus sacramento firmatis dicerentur habere; easque recitare juberentur; *nullius tamen, cum in Italia hostis esset, præter Antiatem Ostiensemque vacatio observata est*, *&c.* Eodem etiam referri potest Cornelii Taciti testimonium de Vaticani agri insalubritate, (quamvis hoc magis ad eam speculationem pertineat, quæ de Urbe est) cum inde etiam sequatur, regionem propinquiorem Tusciæ non usquequaque tutam salubremque fuisse.

Vaticanus ager testimonio Taciti gravis.

Ex his satis, ut opinor, ostensum est, pauca quædam littoralis campestrisque Latii loca insalubria olim habita; aliquanto plura in Tuscis; in Sabinis vero nemo Veterum, quod sciam, questus est unquam agros noxios pestilentesque reperiri. Quare cum multo majorem hujus agri partem a veteri salubritate degenerasse jam videamus; proximum est ut dispiciamus, an ulla cultura vel industria ad pristinum statum reduci possit, & quænam ea sit porro indicemus. Sed quod doctrinæ ordo postulat, atque usus medendi suadet, aperiendæ prius sunt hujus insalubritatis causæ; ut iis probe cognitis, radicitus, si fieri potest, eam postea exstirpemus.

Maxima pars agri Romani deterior evasit.

Quænam loca salubria.

Et ratio ipsa, & Medicorum ac Physicorum consensus docet, quæcunque loca tenui puroque aere gaudent, siccoque potius quam humido; quæ neque nimio æstu torrentur, nec nimio frigore congelantur; quæque patulo liberoque Cœlo fruuntur, & cum Solis radiis, tum mediocribus ventis exposita sunt, salubria, vitæque hominum idonea esse: contra morbosa atque insalubria, quæ pigro, crassoque, ac supra modum humenti aere gravantur; item valde æstuosa, aut perfrigida; tum humilia, aut concava, quo nec Solis radii, nec ventorum agitatio facile pervenit; vel quæ nimium violentis flatibus infestantur; aut denique contrariis qualitatibus non paulatim, sed subito afficiuntur.

Quæ contra insalubria.

Præcipue morbosa.

Præcipue vero morbosa censentur nebulosa, uliginosa, palustria, salsuginosa; ac ventis simul humentibus ac fervidis obnoxia; quæque aura qualibet fœtida, cœnosa, sulphurea, bituminosa afflantur; ac demum halitu quovis insueto ac gravi.

Aristotelis sententia de aquarum mutationibus.

Quoniam vero aqua non minus fere ad vitam necessaria quam aer existimatur; adeo ut Aristoteles pronuntiet aquarum mutationem graviorem esse quam ipsius aeris; consentaneum quoque est, ea loca commodiora esse, quæ meliores aquas habent; minus, quæ deteriores.

Quæ sint aquæ salubres.

Aquæ vero probæ censentur, sive puteales, sive fontanæ, sive fluviales sint, (alii enim alias optimas ducunt) tenues, leves, ac pellucidæ; nec odore, saporeve, aut alia extranea qualitate præditæ: quocirca cum contrariorum contraria sit ratio; pravæ noxiæque erunt crassæ, turbidæ, ponderosæ, crudæ, fœtentes, putridæ; nec tantum ingrati saporis, aut odoris, sed quovis propemodum odore, sapore, aut colore præditæ: quare minus idoneæ potui habentur palustres, aut stagnantes, lutosæ, sulphureæ, bituminosæ, aut quocunque metallico succo infectæ; itemque ex glacie, nive, aut grandine liquatæ; ac demum quæ longius a primigenia ac elementari puritate recesserunt.

Quæ pravæ.

Venti potissimum attendendi.

Ea vero, quæ maxime aeris statum & qualitatem immutant, (quo in censu sunt venti) in dignoscendis locorum qualitatibus potissimum attendenda sunt. Omissa igitur differentia, si qua est, inter Ventum, Spiritum, Flatum, atque Auram; itemque celebri ea quæstione, utrum ventus sit aer commotus atque agitatus, ut Hippocrates, ac Stoici, Veterumque plerique existimarunt; an potius terræ exhalatio, ut Peripatetici volunt; an utrunque, ut verius existimo: illud maxime statuendum est, quosdam ventos salubres esse, quosdam noxios, ac fere illos, qui ex siccis frigidisque locis afflantur, salubres: ex calidis vero atque humentibus, insalubres.

Quinam horum salubres, quive insalubres.

Tales venti, qualia loca per quæ transeunt.

Tales vero ventos exsistere, qualia sunt loca per quæ transeunt, experimento compertum est; ac fere qui terrestri itinere feruntur, serenitatem; qui mare, magnaque flumina, aut lacus trajiciunt, pluvias adducunt. Sic Aquilo, qui in Italia Græciaque siccus ac sudus est, in Africa pluvius atque humidus exsistit. Contra Auster Afris serenus, nobis summopere pluvius censetur. Quos duos dumtaxat permutare vices Plinius videtur credidisse, de ventis fuse tractans *lib.* II. *cap.* XLV. XLVI. & XLVII.

Non tantum Aquilo & Auster pro locorum diversitate vices permutant.

Atqui Favonius pari modo trans Alpeis ferme pluvias gignit, qui in Cisalpina regione serenitatem parit. Valentiæ in Hispania cum essem, Favonium in ea urbe vehementer calidum atque æstuosum deprehendi, sicca nimirum atque æstuosa Hispaniæ loca transeuntem antequam eo perveniat; Subsolanum vero frigidiorem, a mari scilicet venientem; quod apud nos maris inferi accolas contrario modo fit. Aquilo in Etruria adeo siccus est, ut æstivo tempore fruges vehementer adstringat ac plantas adurat. In Flaminiæ Æmiliæque regionibus multo humidior est, ex Hadriaco quippe Sinu adveniens.

Auster Flaminiæ præcipue noxius, quamvis a siccis locis veniens.

Illud vero magis mirandum videtur, in iisdem regionibus Austrum, quem ipsi *Corinam* vocant, cum ab Apennino ac siccis terris longo tractu feratur, adeo infestum incolis esse, ut cum exoritur, validas ac periculosas febres statim apportet. Mirum, inquam, videri hoc cuipiam poterit, qui maxime Hippocratem legerit Aphorismo V. tertiæ Sectionis disserte tradentem, omnes morbos, qui ab Austro gignuntur, ab ejus humiditate provenire.

Hujus rei ratio.

Sed facilis est responsio, ideo Austrum iis locis, quantumvis siccum, nihilominus exitialem esse; quod vehemens valde sit ac confertus; quam vehementiam, dum ex altis montibus delabitur, acquirere videtur: tales enim exsistere ventos, qui ex sublimioribus montibus ac vallibus efflant, quotidie experiuntur, qui circa Pyrenæum, Cataloniæ littora, præsertim verno tempore cum nives resolvuntur, legunt; & Liguriæ nonnullis in locis, ut ex adverso Monilium, quibus imminet mons satis

Venti ex alto labentes confert. ac vehementes.

celsus, & in metæ modum fastigiatus, a quo venti procellæque violentissimæ ac subitæ feruntur; quem idcirco incolæ *Rospo* vocant, quod bufonis instar valide efflet: quam esse causam præcipuam puto, cur Auster Flaminiæ populis adeo sit infestus; licet non negem ob siccitatem, caloris vim intendi, ut Baldinius inquit *Commentario in Hippocratem de aquis, aere, & locis*. Itaque propter hanc rationem minime dubito, quin Mauri quoque, qui sub Atlante Boream versus degunt, si quando Auster ab eo monte flat, noxium ac morbiferum experiebantur. Probabile etiam est, nonnihil humiditatis Austro, cum in Flaminiam pervenit, superesse, quæ longo spatio attenuata, cum is ventus superne cum impetu ac propter vallium angustias confertus feratur, eo magis penetret ac febres acutiores progignat: videmus enim aquas ipsas medicatas, quæ ex alto labuntur, ut fit ἐν ταῖς ἐμβροχαῖς, celerius ac validius qualitates suas corporibus imprimere: qua ratione dicendum erit ejusmodi Austros, acutiores morbos efficere; crassiores vero ac majori humiditate gravidos, ut in Latio ac maritima Etruria, diuturniores potius; nec experientiam refragari puto: immo hinc evenire videtur, ut Romæ autumnus maxime pernicialis sit, cum æstivis diebus Austri vehementiores citra imbres assidue flaverint; quod Alex. Petronius lib. 1. *de Victu Romanorum* observat. Sane, ut modicum fervidæ terræ tractum sufficere intelligamus ut venti incalescant; *Quarnaro* ventus a Pisarensibus & Urbinatibus sic dictus, (quem esse puto Euronotum) cum ex Apulia veniat, in iis locis sata vehementer adurit; quodque magis mirum est, ventus Circius, qui Galliæ Narbonensis superiorem ac potiorem partem halitu suo refrigerat, regionem, quæ circa Forum Julium & Antipolim est, comburit ac segetibus nocet, quanquam a Boreali plaga flans: ex quo liquet minime fabulam esse, quod Provinciales dictitant, illum ventum, quem ipsi *Maistral* vocant, ab eo monte flare, qui ob id *Ventosus* nuncupatur, qui Provinciam a Septentrione claudit: quod postea Veteribus animadversum fuisse deprehendi, apud Plinium hæc reperiens: *Item in Narbonensi Provincia clarissimus ventorum est Circius, nec ulli violentia inferior, Ostiam plerumque recta Ligustico mari perferens: idem non modo in reliquis partibus cœli ignotus, sed ne Viennam quidem ejusdem Provinciæ urbem attingens: paucis ante limitibus jugi modici occursu tantus ille ventorum coercitus*. Magna enimvero ventorum vis est, atque humanæ naturæ supra modum proficua, vel noxia; adeo ut non tantum inferiores facultates perturbet, sed superiores etiam afficiat; ac populorum mores non sine ratione multum immutare putetur. Nam ubi iidem ferme venti, nec admodum validi spirant, homines ibi esse constantes ac sedatos gravissimi Auctores docent; ubi vero validiores flatus parvoque momento contrarii exsistunt, inquieti & inconstantes homines esse solent. Atque ut animi causa longius progrediar, pro natura locorum varios esse hominum mores notum est: sic Asiaticos propter Cœli clementiam ac terræ amœnitatem molles atque effeminatos: contra

Siccitas calonis vim acuit.

Exemplum ab aquis medicatis ex alto labentibus.

Austri sicciores acutos morbos efficere videntur, humidiores vero diuturnos.

Circius Galliæ Narbonensi salubris, aliis infestus.

Le Mont Venteux supra Avenionem.

De hoc vento Plinii locus.

Ventorum vis ingens etiam in moribus gentium immutandis.

Exemplis id ostenditur.

Asiaticorum & Scytharum.

A Scythas ob inclementiam Cœli victusque asperitatem, incultos, asperos, ac bellicosos agnosci.

Illud vero non perinde omnibus notum, regiones eas, in quibus crebræ magnæque temporum mutationes fiunt, non tantum circa flatus, sed etiam circa primas qualitates; ubi scilicet & vehemens æstas, & hyems intensissima esse solet, ibi homines audaces, iracundos, magnisque perturbationibus obnoxios degere: contra vero ubicunque regio temperata est, nec magnis Cœli mutationibus subjacens, homines mites ac
B sedatos reperiri. Testimonio esse possunt iidem Asiatici, qui placidis semper moribus, nec armorum exercitio valde dediti, sed remissioribus potius studiis fuere. Ægyptii vero imbelles quidem ac timidi, sed nihilominus rerum novarum cupidi instabilesque censentur. Hoc iis accidit propterea quod licet æstatem hyememque permodicam sentiant, immo teste Plinio* calidus semper aer apud eos sit, tamen in alia qualitatum συζυγίᾳ magna apud eos mutatio accidit, nempe circa siccitatem atque humiditatem:
C nam propter Nili inundationes, quadam anni parte aerem humidum habent, reliqua sicciorem. E contrario decimi Climatis incolæ cum longius a Sole positi hyemem asperrimam ac diuturnam habeant, nihilominus, quod æstivo tempore dies apud eos sint longissimi, vehementer quoque Solis radiis torrentur; adeo ut ii fructus, qui calido aere lætantur, modo terra sit idonea, copiosi ac prægrandes ibi gignantur, ut pepones; cum tamen in Climate octavo minus Boreali non tam bene proveniant. Ejusmodi est Sarmatarum ac Roxolanorum tractus,
D qui ob dictas causas sanguinarii ac bellaces exsistunt. Adhæc Afri, sive Afro-Arabes, qui Numidiam colunt, (videlicet Tunetanum, & proxima regna, non *Biledulgerid*, quod Arabice palmiferam regionem sonat, quæ potius Getulia Veterum est, quam Numidia, ut plerique Leonem Africanum secuti crediderunt) eodem Leone testante supra modum sunt iracundi atque ad rixam conciti; adeo ut omni fere tempore in oppidis passim conspiciantur jurgia ac pugnæ inter incolas. Quod a summa regionis sic-
E citate ac ventis Meridionalibus calidis ac siccis provenire credendum est: eaque ratione Hispanos, quamvis & ipsi siccam calidamque regionem colant, minus esse iracundos, quod ejusmodi ventis careant.

Qua in re illud mihi notatu dignum videtur, quod de Pithecusa, quæ alias *Ænaria* dicitur, Insula, nunc *Ischia*, Julius Cæsar Capacius in *Historia Neapolitana* refert; eam Insulam Pithecusam a Græcis dictam, quod ejus incolæ simias, quas πιθήκους illi vocant, moribus referre videantur, cum sint subdoli, versipelles, calidoque atque exprompto ingenio simiarum instar:
F quod propter ignes subterraneos sulphureumque ejus Insulæ solum evenire consentaneum est; atque illinc etiam vino, quod ibi nascitur, peculiarem quandam vim communicari; sunt enim ejus Insulæ vina (quæ Romæ *Grechi d' Ischia* dicuntur, & magna copia advehuntur in usum servitiorum ac tenuiorum hominum) prorsus calida, & sicca, & sulphureæ facultatis. Sic vi-

Ægyptii imbelles, sed rerum novarum cupidi. Ægyptus qualis sit.

Ægyptus nunc sicca, nunc humida.

Biledulgerid non est Numidia, sed Getulia.

Afri & Numidæ valde iracundi & contentiosi.

Hispani sunt sedatiores.

Res notabilis de Ænariæ incolis.

Vinum etiam ejus insulæ sulphurea qualitate præditum.

* Lib. XVII. cap. 2.

na, in tophaceis ac sabulosis locis nata, sicca, aliquantulum sunt, sed levia ac suavia. In aluminosis, ut *Tolfana*, sicca pariter, sed validiora.

Vina in aluminoso solo genita.

Ex hactenus dictis satis patet quænam loca salubria, quæve insalubria existimari debeant, quæque sint, quæ id efficiant, universales causæ. Sunt vero quædam aliæ magis speciales, quæ hic vel illic bonum pravumque aerem reddere possunt, puta halitus graveolentes ac fœtidi; ut circa Amsancti lacum in Hirpinis, & olim circa Avernum; itemque prope Salernum ob oryzæ segetem, quæ assidue stagnantibus aquis irrigatur; ut in campo Fulginate, ubi gravior est odor æstate, cum cannabis in proximo fluvio maceratur; ut in Sardinia Insula prope oppidum *Coginas*, ubi turris quædam pentagona esse dicitur ab Auriis Genuensibus exstructa, in quam si quis ingrediatur, nulla apparente causa, (sed certe ob pestiferum aliquem halitum) e vestigio moritur. Verum nihil æque aerem inficit quam palustrium aquarum spirationes, quæ æstate, cum Solis radiis inardescunt, multiplices morbos corporibus creant. Quamobrem Pontinæ paludes ob hanc causam perpetuo infames fuerunt; qualia loca multa in Italia reperiuntur calamitosa atque æstivo tempore lethalia. Talis est ferme tractus omnis ad mare superum ab Histria Ravennam usque, paucis locis exceptis, potissimum agro Pavino*. Ad inferum vero quidquid fere a Ligurum finibus & Macra fluvio ad Lirim & Campaniam littoris extenditur. Nec desunt hujusmodi loca in aliis Italiæ regionibus, ut in Apulia, præsertim circa Salapiam, nunc *Salpe*, ob Cœli potissimum inclementiam, semi-desertam: quamvis ob eandem causam antiquitus eo, ubi nunc est, ab inferiori & maritimo loco Senatus Romani permissu Salapini oppidum suum transtulerint, ut ex Vitruvio notum est In Samnii etiam campestri regione ac tractu Beneventano hujusmodi loca reperiuntur, ut circa Telesiam, quæ ideo fere nunc deserta manet; atque ipsius Beneventi aer propterea a multis damnatur: quanquam Nicolaus Eustachius, qui hac de re Libellum conscripsit, injuria id fieri contendit. Sed vide, si lubet, Procopium *Rerum Gothicarum* lib. I. Nec desunt Lucanis insalubria quædam loca, ut in Pæstano sinu prope antiqui Pæsti ruinas, quæ *Picsti* nunc accolis dicuntur, ubi flumen *Salsum* dictum in proximum paludem refusum, morbosum aerem efficit, quod Strabo etiam agnovit. Circa Aquilejam vero vicus est, *Villa Vicentina* dictus, adeo gravis ac pestilens, ut vix ad XXV. annum incolæ pertingant. Quinetiam Liguria alioqui saluberrima, paucis quibusdam locis & ipsa propter aquas stagnantes insalubrior est, ut prope *Finarium*, & Albingaunum. (etsi hic quidem adscribendum potius id videtur cannabi, quæ in propinquo flumine, ut Fulginei, maceratur) In Hispania Provincia admodum salubri propter similem causam stagnantium aquarum circa novam Carthaginem non optimus aer est, atque exinde ea urbs, cæteroqui celeberrima portuque optimo prædita, minus frequenter ha-

Quædam magis peculiares causæ aerem salubrem insalubremque efficientes.

Spirationes paludum potissimum aeri infestæ.

Pontinæ paludes.

Maris Hadriatici ora ab Histria Ravennam usque.

Ad mare inferum ora Tusciæ & Latii.

Salapia sedem olim mutavit.

Item in Samnio loca gravia.

Cælum Beneventanum a Nicolao Eustachio vindicatum

In Lucania prope Pæstium.

In Liguria prope Finarium & Albingaunum.

In Hispania prope Carthaginem novam.

* An, *Patavino*.

A bitabatur. Sardiniam morbosam esse adeo tritum est, ut locum proverbio fecerit: quod sane non alia ratione evenit, quam propter noxias exalationes salinarum ac paludum, quæ in ea Insula sunt; quibus accedit montium versus Liguriam & Corsicam altitudo, a quibus non modo flatus subitanei ac vehementes afflantur, qui magnam idcirco intemperiem gignunt; sed Boreæ salubres auræ intercipiuntur. In Sicilia stagnum quoddam marinum, sive æstuarium, *Thalicis* Arabico vocabulo nuncupatum, haud longe ab Hypsa fluvio, nunc *Belici*,

Sardinia morbosa, & quare.

Vide Strabonem.

B æstivo tempore accolis perniciosum est, ut Thomas Fazellus testatur; quod ex ejus aquis aer crassior & concretior reddatur.

Sed antiquiora quædam repetam, Myuntis (oppidum id fuit Ioniæ) cives Strabone referente cum ob terræ motum obstructum aliquando fuisset Mæandri ostium, tanta ibi repente exstitit culicum atque ejusmodi animalculorum multitudo, atque aer usque adeo nocens evasit, ut Miletum proximam civitatem commigrare iis necesse fuerit. Si qui autem plura hujusmodi exempla requiret, adeat diligentiores Geogra-

Myuntis cælum ob terræ motum insalubre evasit.

C phos, apud quos non pauca reperiet: ac denique si locorum qualitates dignoscere volet, in primis Hippocratem legat in lib. *de aquis, aere, & locis*; in lib. *de diæta*; & in lib. *de flatibus*, si ejus est id Opus: Oribas. *Collect.* lib. IX. qui multa ex Anthyllo & Sabino de regionum qualitatibus decerpsit: Aetium *tetrab.* I. serm. III. cap. CLXII. & CLXIII. ex Arabibus vero Averroem & Avicennam: ex semi-antiquis Auctoribus potissimum Albertum Magnum *de Nat. loc.* ex recentioribus Ponfardum, qui

Auctores præcipui, qui de locorum qualitatibus tractant.

D de salubrium locorum ad ædificandum delectu Gallice scripsit, aliosque, quos enumerare non vacat.

Verum data occasione operæ pretium fuerit alia quædam oppida Episcopalia dumtaxat, atque intra Italiam sita, (omnia enim recensere infinitum esset) quæ sive loci vitio, sive ob squalentes ruinas ac solitudinem, sive injuria atque per calumniam (nam id quoque malo prorsus exemplo nonnunquam prætexitur ab iis, quos pastoralis curæ tædere cœpit, aut terrena potius quam cœlestia solicitant) damnantur, ut

Recensio urbium Italiæ Episcopalium, quæ insalubres esse feruntur.

E ex Actis Sacri Cardinalium Collegii, & Consilii sive Congregationis rerum Consistorialium, maximeque ex Commentariis Anquisitionum Episcopatuum & Abbatiarum Consistorialium colligere licuit, enumerare. Sunt igitur præter illa, quæ supra nominavi (Ostiam, Portum, Albingaunum, Beneventum, Telesiam, Salernum) in Etruria *Castrum Farnesiorum*, Sutrium, Nepet, Massa Populoniensis, *Grossetum*. In Gallia Cispadana, Venetia, & finiti-

F mis locis Ravenna, Senogallia, *Cervia*, Hadria, Ferraria, Concordia, *Torcellum*, Caprulæ, Pola. In Campania, Samnio, ac proximis regionibus Aquinum, Cales, Calenum, Allifæ, Bovianum, Æfernia, Compsa, Acerræ. In Salentinis Brundusium. In Bruttiis Croto, quis credat? cujus apud Græcos Auctores adeo salubritas celebratur, ut locum proverbio invenerit, Κρότωνος ὑγιέστερος, quemadmodum magnitudinem atque opulentiam ipsius (fuit enim quondam princeps Italiæ urbs) indicare

Croto hodie insalubris habetur: olim ita salubris, ut proverbio locum fecerit.

Aliud proverbium Crotonis veterem potentiam opulentiamque ostendens. Quædam ex his oppida injuria insalubritatis damnari videntur. Bajæ pestilentes evaserunt.

volentes notum Jambum usurpabant, *Μάταια τ' ἄλλα παρὰ Κρότωνα τ' ἄστεα*. Sed ut dixi nimium hac in parte homines quidam persuasioni suæ favent; sive potius quod dicitur, *Sabini quod volunt somniant*: quare pro certo habeo non pauca ex his oppida inclementiæ aeris falso damnari. Etsi non ignoro magnas atque incredibiles esse rerum vicissitudines: quis enim crederet, Bajas illas veteres Romanorum delicias, quas longis morbis fatigati reficiendarum virium causa multi olim petebant, hodie insalubres ac pestilentes evasisse? & tamen id adstruit vir in primis gravis & doctus Julius Cæsar Capacius in *Puteolana Historia*.

Signa dignoscendæ qualitatis aeris, & primum longævitas.

De cætero priusquam propositæ regionis naturam propius atque exactius scrutemur, nonnulla signa adnotanda videntur, ex quibus qualis, quæque circa aeris qualitatem sit regio, definire possimus. Ac primum ubicunque homines sero senescunt ac diu vivunt, optimum ac purgatissimum esse Cœlum pervulgatum est. Tales fere sunt montanæ regiones, nisi nimium gelidæ fuerint, aliisve de causis, puta, aquarum vitio, aut ventorum nimis vehementium, decollent.

Longævi Petrocoriorum & Arvernorum supernatium quidam & Apennini incolæ supra Regium.

Quapropter apud Gallos in Petrocoriis & in Arvernorum supernatium montibus, in Apennini vero quibusdam locis, ut supra Regiensem agrum, longissimæ ac prævinidis senectutis homines reperiuntur: quemabmodum Tmoli, qui mons Phrygiæ est, cacumine, centum quinquaginta annos incolas vivere Mutianus gravis apud Plinium Auctor diserte testatur; ut longinqua magis aut minus comperta fabulosaque silentio transeam.

Qui Tmoli verticem incolebant cl. annos vixisse perhibentur. Melitenses vivaces.

Hujusmodi etiam est Insula Melita, quamvis situ humilis ac ventosa; propterea quod sicca nihilominus valde est, nec magnis Cœli mutationibus obnoxia.

Athonis montis aer saluberrimus, ideoque ejus incolæ vivacissimi.

Saluberrimum item Athonis montis aerem esse credendum, ubi nunc complura Cœnobia Basiliani Ordinis visuntur; olim nonnulla oppida exstabant; in his Apollonia, cujus incolæ Macrobii cognominabantur: nec enim longum hujus montis incolarum ævum carnium viperinarum esui dumtaxat) propter quem etiam *nec capiti, nec vestibus eorum noxia corpori inesse animalia* Plinius refert) adscribendum esse putaverim.

An propter viperarum esum? propter hoc scilicet, atque aeris bonitatem. Loca sublimia in mediterraneis, non tamen editissimis montibus assurgentia, præcipue saluberrima:

Illud vero perquam dignum notatu est, ea maxime loca temperatissimo aere frui ac longævos homines progignere, quæ elata quidem ac sublimia, sed non præaltis ac perfrigidis montibus edita; verum quæ longiori terrarum fastigio latenter assurgunt, ut in multarum regionum mediis & a mari procul recedentibus spatiis; quorum altitudinem flumina illinc in diversum dilabentia ostendunt, ut in Umbriæ tractu circa Spoletum, ubi Apennini juga modice attolluntur.

Ut tractus circa Spoletum.

Ibi enim, si uspiam in Italia, vivacissimi homines reperiuntur; qualis erat Sacerdos quidam, qui expleto centum triginta quinque annorum curriculo non ita pridem excessit e vivis: qualem ostendere possum Laurentium quendam a *Camuro* fabrum ferrarium vividæ adhuc ac vegetæ senectutis, quamvis centesimo quinto abhinc anno natum; eo nempe quo Roma Borbonio duce capta est ac direpta, quod parentes suos dicere solitos religiose affirmat: habitat is haud procul ab æde B. M. *in Montibus*; si quid & hoc ad rem pertinet.

Exemplum duorum Spoletanorum qui diutissime vixerunt.

Mulie-

A rum etiam fœcunditas partusque faciles bonitatem aeris aquarumque ostendunt; unde naturalium facultatum vigor, probaque alimenti digestio oritur, sine qua animantia minime fœcunda esse possunt.

Aliud signum mulierum fœcunditas.

Hinc apud Plinium legimus (quod in Actis temporum D. Augusti se invenisse scribit) XI. cujus consulatu, Lucioque Sylla collega ad III. Idus Aprilis C. Crispinum Hilarum ex ingenua plebe Fesulana cum liberis novem, (in quo numero filiæ duæ fuerunt) nepotibus viginti septem, pronepotibus viginti novem, neptibusque novem, prælata pompa, cum

B omnibus his in Capitolio sacrificasse.

Exemplum illustre de Fesulani cujusdam numerosa familia.

Porro ad aeris bonitatem referre, utrum plures mares, an fœminæ alicubi gignantur, non puto; sed potius aliunde id fieri; maxime ab alimentorum genere ac ventis, quibus ea regio subest: ac fere ubi plures fœminæ quam mares nascuntur, aer solet esse placidus ac mollis; ut Venetiis in Italia, Aurelianis in Gallia.

Plures mares quam fœminas alicubi nasci, alio referendum est.

Corporum pulchritudo, atque elegans dispositio, atque in viris quidem compactior ac musculosior species cum valentibus viribus; in mu-

C lieribus potius habitus plenior ac tenerior, optimum etiam indicium bonitatis aeris præbent: potissimum vero color cutis vegetus ac floridus:

Forma corporum & robur qualitatem aeris ostendunt.

quo indicio Claudius Tolomejus, Epistola quadam ad Annibalem Bellarmatum, montis Argentarii regionem salubrem esse, & urbi ædificandæ peropportunam contendit.

Claudii Tolomeji sententia de monte Argentario.

Fœminarum vero pulchritudo aerem non tantum salubrem, sed temperatum meo judicio indicat: siquidem tales sunt in Britannia, quæ testimonio C. Cæsaris, quanquam Borealis, hyemes tepidiusculas experitur.

Feminarum pulchritudo quid denotet. Britannia temperata, & formosarum mulierum altrix.

Contraria sane ratio-

D ne, ubicunque homines luridi sunt, pallidique, corporis cute subflaccida, ac ventribus cruribusque turgidis, ibi necesse est loca morbosa, uliginosa, ac palustria esse. Tales sunt testimonio Hippocratis Phasiani, qui Colchidis inferiorem regionem circa Phasim fluvium accolunt, quæ calida est ac multis aquis perfusa. Tales videmus perpaucos eos homines, qui maritimum Latium atque oram Tusciæ colunt. Tales etiam Sæpini, Acerris, ac Boviani homines esse Nicolaus Eustachius refert; Beneventi vero decoros ac forma egregia: quo

Signa aeris non boni a pravo corporum habitu. Phasiani populi quales.

E indicio salubritatem Cœli Beneventani adstruit. Claritas vocis deinde non obscurum signum præbet aeris & aquæ salubris. Et sane Hippocrates eosdem Phasianos omnium hominum gravissime loqui testatur, propter aeris crassitiem atque usum aquæ palustris.

Claritas vocis indicium aeris atque aquæ salubris.

In regione Salernitana oppidum, sive castellum quoddam est situ palustri admodum & calido, (Jovis Fanum, vulgo *Gifone* dicitur) cujus incolæ habitu corporis sunt crasso, pingui, ac prætumido; colore pallido & cadaveroso; incessu, gestuque se-

F gni, ac rustico; loquela quadam crassa lentaque; voce gravi atque intus in naribus resonante; ac denique quales ad amussim Phasianos describit Hippocrates.

Deformis habitus incolarum Jovis Fani in Picentinis. Qualis Phasianorum describitur ab Hippocrate.

Ab iis novum personæ nomen in scenas inductum est, quam vulgo *Pullicinellam* vocant, quæ in vulgaribus comœdiis, mimos Antiquorum potius quam comœdias referentibus, sannionis novum genus, & blenni, ac bucconis hominis exprimit; qualis in Atellanis erat maccus. Hæc ideo a me rela-

Novum personæ genus ab his in scenas inductum. Comœdiæ vernaculæ mimos veterum potius quam comœdias referunt.

ta sunt, ut quales in palustribus calidisque locis homines gignantur exemplo fiat manifestius. Porro claram validamque supra modum vocem deprehendi apud Lunæburgi incolas, quod castellum est ad Alpium Grajarum radices in Sabaudia, cum illac transirem. Erat enim forte dies festus sub occasum Solis, cum agrestes homines utriusque sexus in æde sacra hymnos Deo concinentes audivi, admiratus in primis voces admodum canoras clarasque; ac simul habitudinem corporum validam beneq; compactam: ex quo intelligere possumus optima ac defæcatissima aqua illos uti; quæ cæteroquin in Alpibus ex glacie ac nive liquata homines gutturosos ac strumosos efficit. Simili ratione gingivarum firmitas bonitatem aquarum potius quam aeris, quantum ego existimo, denotat: siquidem a contrariis arguendo scorbutus morbus, (stomacacen, ac scelotyrben Veterum esse volunt) quo in longis navigationibus ora gingivæque præcipue putrescunt, cruraque vitiantur, non aliunde, quam ex aquæ putrefactæ potu evenire creditur. Verumtamen in regione *Caindu* Orientalis Scythiæ, Marco Paulo Veneto referente, incolis gingivæ subinde putrescunt propter ingentes, ut ferunt, æstus, accedentibus palustribus quibusdam putridisque vaporibus, qui inibi regnant; cujus ægritudinis unicum fere remedium habent assiduum salis in ore gestatum.

Vox clara & valida Lunæburgensium in Alpibus Grajis.

In Alpibus homines gutturosi ac strumosi crebro fiunt ob aquas ex nivibus liquatas.

Gingivarum firmitas bonitatem aquarum potius quam aeris ostendit.

Scorbutus morbus qualis.

Caindu Orientalis Scythiæ populi gingivis laborant ob magnos æstus & palustres vapores.

Ideo salem assidue ore gestant.

Sumi etiam aliunde possunt salubritatis Cœli indicia, præsertim ab avibus, quæ cum in eo vivant elemento, eoque plurimum indigeant, constat etiam ubi id pestilens atque inquinatum est, naturæ quodam instinctu ab eo summopere sibi cavere. Porro ubi frequens est copia eorum animalium, quæ ex putredine nascuntur, scire licet aerem ibi esse non optimum; quanquam minime diffitear culicum, muscarum, atque hujusmodi insectorum frequentiam aerem non prorsus morbosum necessario indicare; sed tamen humidiusculum, nec omnino saluberrimum; ut hic Romæ, ac Valentiæ in Hispania. Ea vero copia bufonum, quæ in proximis Romæ aquosis locis, quibusdam anni temporibus, adspicitur, nihil amplius quam corruptas eas aquas & jam fœtentes ostendit. Notum etiam est creberrimos in agro Romano serpentes anguesque per æstatem spectari, adeo ut non semel equitantibus acciderit in latentes foveas pondere subrutas delabi, ibique ab anguibus cum equis devorari. Sæpenumero etiam, cum stipulæ incenduntur, serpentes metu flammæ velocissime exsilientes cernuntur, exstinctoque igne complures a flamma circumventi atque exusti. Adhæc in paucis iis ædificiis, quæ sparsa circum in agro sunt, ova serpentium crebro reperiri dicuntur; sicut & ipse in fenestris Episcopii Portuensis aliquando me reperiisse memini: quæ non tam fortasse Cœli intemperiem, quam soli desertionem vastitudinemque sequuntur. Propiora indicia sunt aeris tetri ac præhumidi, quæ a mucore quodam viridi, qui ejusmodi in locis parietibus ac supellectili adhæret, capiuntur; sicut videre licet apud D. Anastasii ædem ad aquas Salvias Via Ostiensi. Pari ferme ratione muscus, & cremium, quod in tegulis, ut hic

Alia qualitatis cœli indicia.

Ab avibus.

A copia animalium ex putredine ortorum.

Bufonum copia in agro Romano aquas corruptas tantum denotat.

Ibidem magna serpentium copia.

Eorum ova in desertis locis crebro videntur.

Indicium aeris præhumidi.

A Romæ, crebro subnascitur, (ut propterea sæpius tecta detergenda sint) indidem provenire credendum est; aeris scilicet crassioris atque humidioris vitio.

Romæ crebro tecta detergentur ob muscum & cremium in tegulis nascens.

Jam vero, cum abunde, ut opinor, demonstratum sit, quæ bonum, ac noxium aerem efficiant, quibusque indiciis id dignoscatur; consequens esse videtur, ut hujus agri, Romani proprie, naturam diligentius inspiciamus, causasque indagemus, propter quas tanto gravior, quam olim erat, evaserit; ut iis probe cognitis, quod polliciti sumus, opportuna remedia afferamus.

Transitio ad agri Romani naturam inspiciendam.

B Ordinem autem hunc servabimus, ut prius notiores causas ac magis late patentes, tum magis peculiares atque obscuriores adnotemus. Primum igitur officere non leviter puto Austri flatus, qui directo in hanc plagam feruntur: cum enim hic ventus inter alios summe sit calidus, atque humidus, (quæ duæ qualitates conjunctæ, Aristotele docente, corruptionis sunt effectrices) humores ac præcipue sanguinem inficit; unde putridæ malignæque febres exsistunt. Sane hunc ventum cæteris perniciosiorem esse

Agendum prius de causis insalubritatis notioribus.

Prima causa insalubritatis agri Romani Austri flatus crebri ac validi.

Cur Auster reliquis ventis sit damnosior.

C omnes fatentur, ac signanter Hippocrates libro sæpius laudato *de aqua, aere, & locis*; quotidianaque experientia idem confirmat, ut pluribus exemplis ac testimoniis non sit opus: nisi quis ad rem pertinere putet, quod aliquando in veteribus hisce ædificiis deprehendi, qua parte Australes ventos adspiciunt, multo magis quam reliquis locis lapides ac parietes vetustate corrosos videri. Sciendum porro est, vulgari Romanorum omniumque fere Italorum Lingua *Scirocco* (Arabico vocabulo, apud quos dicitur *Xaloq*) vocari omnem ventum a Meridiona-

Auster falso Scirocco vocatur Arabico vocabulo.

D libus plagis venientem, atque adeo ipsum Austrum; qui potius, ut avorum ætate dicebatur, *Ostro* vocandus esset. Proprie vero loquentibus *Scirocco* ventus est, qui Græcis Euronotus perhibetur, Latinis veteribus Vulturnus. Hic sane apud nos multo deterior ipso Austro esse videtur, cum longiori pestilentis terræ tractu feratur; ideoque quidquid est insalubris littoris legens a Pontinis usque campis, noxios vapores Romam versus expellat, ac secum rapiat. Notus vero, sive Auster propius a mari veniens Ostienses tantum paludes, aut ad summum Laurentinas, antequam huc perve-

Scirocco proprie Euronotus.

Euronotus Romæ quam Auster deterior & quare.

Cur Auster proprie dictus minus hic sit perniciosus.

E niat, transcendit. Africus vero ex altera Tiberis parte ad sinistram Austro adhærens, quamvis in mari Tusco omnium violentissimus sit, & quod transversim littus feriat, periculosissimus; reliquis duobus ob eandem rationem mitior est, ac minus pestilens. Huc accedit, quod etiam Veterum testimonio, & Plinii in primis, Auster præcipue in Italia humidus & cæteris nocentior: (Vulturnum enim non excepit, quod exitialis ejus vis non tam late pateat) *Humidi*, inquit, *Africus, & præcipue Auster Italiæ.*

Africus mitior ex ventis Meridionalibus.

F Et paulo post: *Saluberrimus autem omnium Aquilo, quia siccus & frigidior: noxius Auster, fortassis, quia magis humidus.* (ita ex vet. cod. legit Manutius) Multum etiam refert, quod, ut idem Plinius, atque experientia docet, Auster (quo nomine laterales etiam, atque in his Vulturnum intelligere possumus) præcipue periculosissimo anni tempore, hoc est, post mediam æstatem exoriatur; cum Africus sub initium Veris po-

Alia ratio cur Australes venti cæteris graviores sint ab anni tempore, quo flant maxime.

potius has regiones afflare videatur. *Post biduum autem*, ait Plinius, *exortus* (Caniculæ) *iidem Aquilones constantius perflant diebus quadraginta, quos Etesias vocant. Molliri eis creditur Solis vapor geminatus ardore syderis: nec ulli ventorum magis stati sunt: Post eos rursus Austri frequentes, usque ad sydus Arcturi, quod exoritur undecim diebus ante æquinoctium autumni.* Enimvero de Roma præcipue, ac proximis locis hæc intelligenda esse nemo, opinor, dubitabit.

De Roma ac proximis locis Plinius intelligendus.

Secundo loco perniciem afferre non falso creduntur tot paludes, ac stagna, quæ Latii Tusciæve littoribus adjacent, atque interioribus etiam locis: quorum licet aliqua pars antiquis etiam temporibus fuerit; eorum tamen numerus valde postea excrevit partim hominum incuria, partim desertione terrarum, cultorumque penuria. Ex his Pontinæ paludes (quæ longissimo tractu, id est, XX. circiter milliaribus protenduntur) ab omni hominum memoria extitisse videntur, ut ex supra allato loco Strabonis conjicere possumus: etsi quædam earum portio non semel exsiccata fuit, ut postea videbimus. Laurentina palus, vel πληθωντικῶς Laurentinæ paludes Vellejo etiam Paterculo memorantur *lib.* II. *Sulpicium*, inquit, *adsecuti equites in Laurentinis paludibus jugulavere.* Quin & Vergilius *lib.* XII. cum fracto gladio Turnum circumspicientem locum fugæ inducit, hæc habet:

Secunda causa insalubritatis. Crebræ paludes.

Earum numerus ob desertionem agrorum excrevit.

De Pontinis paludibus.

Undique enim densa Teucri inclusere corona:
Atque hinc vasta palus, hinc ardua mœnia cingunt.

Ad quem locum non sine causa miratur Cluverius hæc a Servio notari, *Vasta palus, quæ nunc non adparet*: cum hodieque totus is tractus sylvis ac paludibus invius sit. Cætera, quæ hic alii notarunt de apris circa Laurentum frequentibus, ne actum agam, dicere supersedeo. Circa Ardeam itidem stagnantes aquas ut hodie, sic olim fuisse supra ex Strabone adnotavi; ut circa Graviscas in Tuscia. Non omiserim hoc, quod a peritissimo Mathematico Benedicto Castellio Monacho Casinensi accepi, Tiberim amnem, ut hic prope Romam videmus, ubique fere per angustam quandam vallem non directo cursu fluere, sed multis anfractibus Mæandri pene in modum tortuoso curvari: cum igitur in iis flexibus loca quædam concava atque humilia occurrant, si quando plenior ingruit, facili negotio iis in locis exundat, atque in æstatem usque non sine accolarum pernicie restagnat.

Loca palustria juxta Ardeam, et Graviscas.

Benedictus Castellius

Tiberis cursus sinuosus atque in anfractibus στενωγώδης.

Paludibus tanquam appendices adjungo salinas, sylvas, ac fontes medicatos, qui diversis modis bonitati aeris obsunt. Salinæ nunc satis amplæ circa Ostiam sunt, olim etiam juxta Portum Augusti, (ex quo nomen ei loco mansit, hodie *Campo Salino*) sed promoto longius littore ob aggestam a Tiberi terram & portus inutilis evasit, & Salinæ nomen usumque perdiderunt. Celebres olim, vel vetustissimis temporibus, Romanorum salinas fuisse, indicio est Via Salaria, quam Varro sic dictam prodidit, quod per eam Sabini a mari sal in suam regionem convectarent. Vicinitatem vero salinarum noxiam esse & ratio, & Scriptorum auctoritas docet. Ratio, quod cum sal æstivo tempore fiat, atque in areis ad id paratis aqua paulatim exsiccetur & condensetur, necesse est magnam exhalationum copiam inde diffundi, qui aerem sine dubio inficiunt. Mitto nunc subtiliorem aliam abstrusioremque rationem, quam accuratius infra exponam. Auctoritas vero Anthylli Medici præstantissimi apud Oribasium *Collect.* lib. IX. cap. XI. ostendit, regiones salsas, ac suapte natura perhumidas, spirationes graves ac perniciales emittere; ut dubitari non possit, quod supra ex Strabone attulimus, quin verissimum sit ob hujusmodi salinas Sardiniam maxime morbosam esse.

Paludum appendices salinæ, sylvæ, fontes medicati.

Salinæ Ostienses.

Romanenses salinæ olim celebres.

Salinarum propinquitas noxia, & quare.

Anthylli sententia de pestilentibus spirationibus a salsuginosis locis exhalantibus.

Sylvæ autem, quæ pleramque Latini ac Tusci littoris plagam hodie occupant, non modicam & ipsæ partem hujus insalubritatis ferunt: cum enim humili madentique solo plurima earum pars sit, necesse est passim lamas atque hujuscemodi loca hyberno tempore effici; quæ sive penitus adulta ætate exarescant, sive paululum siccentur, sive in hyemem usque perdurent, (ut credibile est accidere in umbrosis depressisque locis) non minus quam paludes ac stagna, nisi quod sparsim, non confertim, halitus tetros ac fœtentes exspirant. Quinetiam hæ sylvæ præpediunt, ne venti montani ac salubres, cum flant, aerem ibi conclusum everrant purgentque.

Sylvæ circa littus frequentes.

Cur noxiæ.

A medicatis seu metallicis aquis nemo sanæ mentis perniciales vapores exhalari negaverit; præsertim qui non ignoret metallorum afflatus quantum fossoribus obsint; aut audiverit unquam prope Viterbium, aliisque regionibus, ubi graveolentes ac sulphurati fontes scaturiunt, quam longissime illinc homines abscedere. Sunt vero hujusmodi fontes non uno in Latii loco, ut puta, circa Ardeam, de quibus ita Vitruvius *libro* XIII. *capite* 3. *Sunt etiam*, inquit, *odore & sapore non bono frigidi fontes, qui ab inferioribus locis penitus orti per loca ardentia transeunt, & ab his per longum spatium terræ percurrentes refrigerati perveniunt supra terram, sapore, odore, coloreque corrupto, ut in Tiburtina Via flumen Albula, & in Ardeatino fontes frigidi eodem odore, qui sulphurati dicuntur.* Nec vero diffiteor ejusmodi fontes non ubique aerem inficere, quod certe in Puteolano atque Ænaria Insula minus præstant: sed tamen ubi cæteroquin aer gravior est, si odores atque halitus extranei ac fœtentes accedant, multo deteriorem eum fieri ob talem commistionem verisimile est. Constat enim multas res prorsus putridas, etiamsi maxime conclusæ sint, nisi una commisceantur, non proinde aerem corrumpere: alioquin si minus id esset necessarium, cum tam multa in privatarum ædium latibulis quotidie putrescant, multo sæpius vitiari aerem videremus. Insigne hujus rei exemplum exstat in supra laudato Baldinii *Commentario*, quam suo tempore Florentiæ evenisse testatur. Erat, inquit, puteus in caupona quadam ad D. Laurentii non admodum profundus, nec alioqui contectus; in quem omnis generis ejus tabernæ sordes ac

De aquis medicatis sive metallicis.

Fontes medicati in Latio frequentes.

Nocent maxime, ubi alioquin aer non probus est.

Res putrefactæ ob variam ac discordem mistionem potissimum aeri officiunt.

Exemplo id probatur.

purgamenta projiciebantur, quæ usque adeo aerem intus inclusum vitiarunt, ut cum forte gladius aliquando intro cecidisset, ejusque dominus libramento funis se illo demisisset; vix ad imum pervenerit, cum subito occlusa anima enectus est. Interim alius accessit, ut ei misello spiritum jam efflanti opitularetur: sed ipse quoque celeriter est præfocatus. Tertius qui descenderat, citius animadverso periculo, ac retractus vix mortem effugit. Quæ narratio satis docet, ex rerum diversarum simulque commistarum putredine pestilentissimum aerem halitumque progigni; quod adeo verum est, ut non modo res per se fœtidæ noxiæque, sed esculenta ac potulenta, si una putrescant, vehementer aerem corrumpere possint. Quod in postremo *Conclavi*, in quo Sanctissimus D. N. felicissime electus est Pont. Max. liquido apparuit: nec enim aliunde doctiores Medici existimant tot uno tempore tamque exitiales morbos ibi exstitisse, quam ex vino, fructibus, carnium frustis, cæterisque mensarum analectis projectis atque acervatis, bajulorum potissimum aliorumque ministrorum ignavia atque incogitantia.

Tertia causa littoris situs ac facies.

Tertia hujus insalubritatis causa, immo fortasse pondere, ac τῇ ἐνεργείᾳ cæteris prior censenda est situs ac positio littoris. Est enim totum hoc Latii ac Tusciæ littus valde humile, ideoque declive & arenosum; quale genus littoris, ut puto, antiquitus plagam vocabant. (unde nostrum *piaggia*, & *spiaggia*) Necesse est igitur mare minus profundum esse; sed quasi perpetuum æstuarium: atque hinc evenit, ut cum fluctus alluerit, relabente mox æstu, non modicam arenæ partem madentem relinquat; quæ assiduis Solis radiis verberata, atque alga passim putrescente, (quod graveolentia ipsius docet) magnam, æstate præsertim, noxiarum exhalationum copiam quodammodo exsudet ac remittat; quæ totum, quoquoversus patet, campestrem tractum inficere atque inquinare possunt. Quod adeo verum est, ut quamvis hoc mare perpetuo immotum atque inagitatum maneret, tamen adhuc non modicam vaporum vim eructaret; quo magis enim a Sole fervefit, eo magis exhalat: vehementius autem calefieri, quo minus aquæ sustinent hujusmodi brevia, nec profunda littora, satis, ut arbitror, manifestum est. Hæc causa si sola esset, non omnino fortassis oram maritimam inhabitabilem redderet; sed magni utique eam esse momenti negari non potest: videmus quippe ubi hæc littoris species deficit, statim omnes gravioris Cœli cessare querelas. Hinc enim qua definit Latium, Circejus mons, & Cajetæ oppidum optimo ac purgatissimo aere gaudent; nec minus ubi vadosum Tusciæ finitur littus, statim post Macram fluvium, Liguriæ ora saluberrimo Cœlo fruens attollitur: non quod illisa cautibus ac scopulis, atque in altum tenui adspergine unda resiliens, ferventi spuma circumfusum aerem purget, ut Bernardinus Gomesius in Opere elaborato *de Sale* nimis leviter credidit, sed partim quod is non nisi jam terrestribus & crassioribus inquinamentis depuratus ad editiora loca pertingat; partim quod ejusmodi littora profundo mari (quod nullas,

Quid plaga proprie.

Cur littus humile & arenosum valde obsit.

Comparatione locorum id ostenditur.

Ratio Gomesii inepta.

Cur edita littora salubria.

A aut paucas ἀναθυμιάσεις efficit) non cœnosis ac fœtidis æstuariis vallantur. Nam etsi ex salsuginosis locis vapores qui elevantur, salsedinis expertes esse credi possit, cum docentibus Chymistarum experimentis, ex aqua salsa per *destillationem*, quam vocant, non nisi dulcis evaporetur; nihilominus quoniam littorale solum sive suapte sponte, sive ob cadentes pluvias, dulci intus humore aliquatenus madet; atque, ut experimento comperi, aqua dulcis salsæ commista citius ac facilius putrescit; non propterea marinam aquam evaB porationum expertem esse credendum est: præsertim cum omnis aqua, quantumvis salsa, dulcis humoris portiones quasdam semper habeat admistas; ut ex eodem supra allato experimento constat: de quo fusius Blasius Vigenerus in erudito *Commentario de Igne & Sale*: ne Aristotelem, aliosque Auctores advocem, qui crediderunt demisso in mare vase aliquo cereo, aut hederaceo inani, atque obturato, per ejus meatus dulcem laticem paulatim intus penetrare. Quare etiamsi littus hoc nostrum C humile atque arenosum nullis lacunis lamisque squaleret, nec unquam imbribus madesceret; attamen ipsamet aqua marina terræ arenæque permista magnam graviorum halituum vim æstivo tempore emitteret; tantoque magis pestilentium, quanto, favente locorum situ, non pauxillo tempore, sed diutius ac tractim computrescerent.

Ex aqua salsa non nisi dulcis evaporatur.

Aqua dulcis salsæ commista facilius putrescit.

Aqua salsa dulcis portiones habet admistas.

Quarta hujus insalubritatis, & ipsa minime contemnenda, ratio afferri potest ex Romani Cœli (quo nomine proximam circa regionem etiam intelligo) intemperie; D non quidem quatenus ea significat vel nimium vehementes calores, vel supra modum intensum frigus, vel utrumque: nam reapse de hujuscemodi intemperie neque Urbs, neque ager ipsius jure queri possunt: sed quatenus hoc Cœlum obnoxium est subitis magnisque mutationibus; cave enim credas quidquam illo mutabilius aut inconstantius; usqueadeo Protei in morem mille formas induit: unica quippe die nonnunquam videmus sex, vel octo conspicuas temporum conversiones a frigore, vel calore, vel medio tempore; a serenitaE te, vel nubibus; Borea, vel Austro, aut aliis ventis; pluvia, nive, grandine, iride, cæterisque aeris impressionibus. Hujus inconstantiæ causam nullam aliam manifestiorem afferre possumus, quam modico terræ spatio duas quodammodo contrarias diversissimasque regiones; quarum ea quæ in plano est, tepens, atque humidior, Solique ostenta, ac marinis auris obnoxia, longe alium adspectum ac temperiem obtinet quam superior ac montana; quæ valde frigida, & ventosa, atque aliis F ventis exposita, plurimum ab illa distat. Accidit id propter altitudinem montium, qui hanc Latii Etruriæque planitiem, nisi qua mari alluitur, perpetuo quasi jugo coercent: inter quos e regione Latii non pauci sunt elati admodum, & cum Italiæ editissimis certantes; ut indicium præbent nives maxima anni parte iis insidentes. Incipiunt igitur Volscorum montes (ut de interioribus ac celsioribus taceam, quorum amplior circuitus est) se-

Quarta causa intemperies ac mutabilitas hujus regionis.

Hujus inconstantiæ causa.

Latii, & Etruriæ campestris regio præaltis montibus vallatur.

Descriptio horum montium.

cus Ufentem fluvium non longe fupra Tarracinam: mox fupra Privernum, Setiam, Signiam, Norbam Septentrionem verfus adfcendunt: dehinc fupra Coram; inde fupra Velitras in Occidentem flectuntur, atque Albanis jugis continuantur: qui rurfus in Septentriones reflexi, qua Tufculanos colles excipiunt, paululum deinceps ad Orientem redeunt, dum Prænestinis jugis connectantur; quibus Æquicolarum, mox Tiburtium prælti montes adhærentes denuo ab Aquilone ad Occafum vergunt; quos Sabinorum non humiles colles excipientes cum Soracte conjungunt. Ii mox non longo camporum interftitio (qui & ipfi remotioribus montibus pone clauduntur) Ciminiis jugis appropinquant; quæ inter Occidentem ac Septentrionem fupra Volfinios procurrentia, dehinc ab ea regione Volfinienfium collibus in folftitialem Occafum directis finiuntur: qui & ipfi Tinnis montibus inter Suanenfes & Volcientes in Meridiem verfis; ac fupra Cofam non longe a monte Argentario definentibus, prope nectuntur. Sunt & intra hanc regionem quidam tumuli, collefque, maxime in Etruria; fed ii permodici funt, nec ullo loco habendi. Quare manifeftum eft hunc terræ tractum inftar alicujus theatri montibus undique effe circumclufum, nifi qua parte mari alluitur, quod quafi profcenium caveam profpectat: ac proinde media planities orcheftræ locum quodammodo obtinet. Et fane decebat Cœleftis Numinis providentia hunc locum ad fpeciem theatri conformari, qui tanquam orbis terrarum compendium, quidquid alibi dignum memoratu geritur mortalium oculis hic quotidie exhibet.

Hæc campeftris regio in modum theatri figurata.

Allufio.

Cum talis fit igitur horum locorum facies ac pofitio, minime dubitandum videtur, quin propter hanc inæqualitatem tam fubitæ temporum mutationes & non unius tenoris dies hic crebro exfiftant. Multis id probare poffem rationibus atque exemplis; fed ne nimium in fingulis hæream, confulto ea miffa facio. Hoc unum dicam, Sardiniæ Auftralem partem, temporum inæqualitatibus ac mutationibus & ipfam valde obnoxiam & pariter morbofam, (cujus quoque planities Auftro expofita undique prælatis retro montibus circumcluditur) Romanæ regioni quafi ἐκ τοῦ παραλλήλου refpondere: contra quafi ex diametro ei adverfari Circumpadanam regionem, quæ uniufmodi ferme fitum planum patulumque obtinet, & ftatas temporum vices perpetuo fere tenore confervat; eoque nulli Provinciæ falubritate cedit.

Sardiniæ Auftrali pars Romanæ regioni valde fimilis.

Circumpadana regio quafi ex diametro ei adverfa.

Porro cum omnes fubitæ magnæque mutationes humanis corporibus plurimum incommodent, ut Medici docent, & nominatim Hippocrates lib. *de octimeftri partu*, & poft eum Federicus Bonaventura in eruditiffimo Opere, quod eodem titulo Ducis Urbini juffu confcripfit: præcipue vero noxiæ, quæ in horum trium aliquo confiftunt, in genere victus, in locis, in temporibus. Verum omiffo primo capite, quod huc minime pertinet, dico non fine periculo de locis admodum frigidis in valde calida, aut e converfo tranfitum fieri, quod in primis ex animadverfione Suetonii Paullini de bello cum Germanis committendo apud Tacitum differentis elucefcit; ait enim: *Jam Germanos, quod genus militum apud hoftes atrociffimum fit, tracto in æftatem bello, fluxis corporibus, mutationem foli cœlique haut toleraturos*. Sed multo magis id liquet ex eo quod de Peruviæ Provinciæ natura Nicolaus Monardes refert. Hujus planitiem æqualem admodum patulamque in immenfam fere longitudinem, hoc eft, ad tria leucarum millia fecundum maris littus protendi: a mari introrfus non amplius octo leucarum fpatio dilatari. Cæterum perpetuam fere æftatem hic effe, adeoque fervidam, ut vix unquam decidant imbres: in primis autem montium jugis, quæ longiffimo tractu planam hanc regionem terminant, editaque valde funt, affiduum toto anno rigorem atque intolerabile frigus cum quotidianis fere pluviis vigere. Itaque cujufcumque generis animantia montanæ regioni affueta, fi in planitiem defcendant, brevi omnia in languorem incidunt ac pereunt: quod ex ejufmodi locorum diverfitate, nec aliunde evenire pro indubitato habetur. Sed quod res noftras propius tangit, hæc fuperioris inferiorifque regionis difcrepantia ibi maxime elucet, ubi brevi locorum confinio altera alteram fequitur: quod ut evidentius appareat, exemplum a Bernardo Sacco allatum, hodiernaque experientia confirmatum proponam. Tufculani collis radicibus adjacet Cœnobium in primis nobile ac fplendidum, quod *Crypta Ferrata* dicitur, a Bafilianis Monachis habitum. Ædificio conftat amplo laxoque in modum arcis, vel caftelli; & fupra Tufculanæ Ciceronis Villæ parietinis, non obfcuris indiciis, exftructum creditur. Diftat is locus ab agri Romani infima planitie millia paffuum duo. Medio clivi fpatio verfus Solis occafum vicus defertus ac femirutus confpicitur, modico tantum diverforio fuperftite, quem *Burghettum* vocant. Inter eum vicum & *Cryptam Ferratam* antiqua fylva ftadii longitudine protenditur. Infra hanc verfus Occafum & ipfum vicum aqua infuavis fcaturit, nec aer admodum tutus eft: quapropter is vicus defertus remanfit. Verum ab fylva ad Cœnobium pergentibus five ad orientem Solem ac montanam regionem aer purus atque innoxius perdiu noctuque occurrit; aqua etiam in mediis pratis e fonte quodam faluberrima promanat. Hujus diverfitatis rationem Paulus III. Pontif. Maxim. quondam admiratus dicitur: quam idem Saccus adfert talem. *Burghetti* vicus gravem fœtidamque auram a tetra pernicialique fcrobe haurit non longe ab eo loco in planitie fita; quæ fulphureum vaporem affidue exhalat, atque ob id *Sulphurata* vulgo quoque dicitur. Igitur occiduis ventis fpirantibus vapor ille peftilens directo fertur in vicum; fed neutiquam fylvæ illius tractum confiniumque tranfcendit: quod experimento ftatim cognofcitur; nam fi ab hac fylva egreffus in prata *Cryptæ Ferratæ* Cœnobio propinqua gradum feceris, orientali aura ab Algido ac montibus perflante mirifice te recreari fenties. Sane ut non gravate concefferim, propter hujufmodi fulphureum halitum magna ex parte eum tractum gravem effe

Periculofa mutatio cum fubito e frigidis locis in calida, aut contra tranfitus fit.

Exemplum diverfitatis regionum ex Crypta Ferrata fitu defumptum.

ac morboſum; ſic fatendum etiam videtur, ut nulla eſſet ſulphuris exhalatio, tamen quo campeſtri regioni ſitus propior eſt, eo deteriorem editioribus locis habendum eſſe: ſtatuendum enim aliquod confinium utriuſque regionis, ſalubris nimirum & inſalubris; atque etiam interſtitium quoddam ex utroque temperatum, quod neque omnino ſit noxium, nec prorſus ſalubre tutumque: & ſane ſi quis eſt in hoc campeſtri tractu elatior paulo tumulus, haud parum commodior quam ſubjecta planities exiſtimandus eſt: ſiquidem aer ejuſmodi vaporibus craſſis ac paluſtribus gravidus non valde, ut jam ante diximus, ſupra terræ infimum ſolum attollitur; neque tamen certa perpetuaque hujus diſcriminis regula, aut menſura tradi poteſt: adeo ut ſub eodem tecto, hic Romæ præſertim, longe ſalubrior ſit in ſuperioribus cœnaculis habitatio; quamobrem bonæ valetudinis ſtudioſi quam poſſunt maxime hanc cautionem obſervant. contra in ſiccioribus locis, ut Madriti, infra terram depreſſis cubiculis ſine noxa utuntur. Quin etiam minime dubitandum eſt, ſi quis diligentius obſervet, circa campeſtris & montanæ regionis confinia nonnunquam ſpirantibus a mari ventis Auſtralibus pernicioſiſque, ſimul ſalubres ac montanas auras exadverſum flare; quæ, ubi jam in campos deſcenderis, utpote imbecilliores, nullo modo ſentiantur. Quod (mirum ſane tam brevi intervallo) liquido me obſervare memini cum prope Genuam ſecundum littus navigaremus; ejus enim triremis, quæ littus propius legebat, flammulum puppi impoſitum (quod ab officio Anemoſcopium quiſpiam dixerit) terreſtri aura ventilabatur; alterius vero non longo intervallo diſſitæ marino atque exteriori flatu in contrarium pulſabatur.

Non tantum ſulphurati fontis halitus, ſed etiam campeſtris loci natura plagam interiorem Cryptæ Ferratæ contaminat.

Tumuli elatiores campeſtris Latii haud parum commodiores.

Romæ quoque ſalubrius in ſumma ædium parte habitatur.

Madriti hypogæa impune habitantur.

Obſervatio de diverſis terreſtrium ventorum in mari.

Verum objicere quis poſſit, cum Auſter (eadem ratio eſt lateralium ventorum Euronoti atque Africi) ab humili infimaque plaga ſpiret, (quæ cauſa eſt ut vehementius ac diutius mare commoveat quam Boreas) & campeſtris hujus agri facies devexa ſit, ac ſenſim in littus declivis, proinde videri ejuſdem Auſtri vim, & quos ſecum rapit malignos vapores, locis a mari diſſitis non modice aſſurgere; ac minime, ut dicebamus, infimum tantum ac ſolo proximum aerem gravem propterea & pernicialem eſſe. Cui ἀπορήματι ut ſatisfaciam, non nego quin ingruentibus Auſtris graviores hujuſcemodi halitus ſatis alte extolli queant, & ſaltem ad modicos colles pertingere: verumtamen multo pernicioſiores ſunt certe, ubi fere ſemper incubant, quam ubi raro ac fortuito aerem quaſi per tranſennam inficiunt: quippe ubi ventus conquieverit, non tantum ii craſſi vapores reſidunt ac deorſum feruntur; ſed etiam inquinatior ac deterior aeris pars procul dubio ſubſidit: quemadmodum de nonnullis fluminibus fertur, quæ lacus quoſdam, aut alios amnes influentia, propter aquarum ſuarum levitatem, minime commiſcentur; ſed perpetua immiſta ac diſcreta labuntur.

Objicitur Auſtri flatus ad colles uſque aſſurgere poſſe.

Objectionis ſolutio.

Comparatio a quibuſdam fluminibus ſumpta.

Porro loca ſecundum littus poſita multo melioris conditionis eſſe (quod ſupra innui) quam interius ſita, ac longius a mari, non una ratio convincit; nam cum marinus aer ſit fere ſalubris, ſi quam noxam ἐπίγειος, ac μεσόγειος talibus locis infert, eo levius ſentiunt, quod ab illo non ambiuntur. Cum vero venti perflant, ſiquidem a mari veniant, purum ac benignum aerem introrſus etiam pellunt, noxiumque abſtergunt: ſin autem ſint apogæi ac montani flatus, etiamſi aerem campeſtrem intermedium pravæ qualitatis ſuper ea loca tranſportent; quia tamen ipſi quoque, qui ſalubres αὐτοφυῶς ſunt, una miſcentur, multo tolerabiliores adveniunt. Contra remotioribus atque interioribus ſedibus utrinque a ventis noxius aer immittitur, tranquilloque Cœlo paluſtres craſſique vapores tanto gravius inſidunt. Quocirca longe commodior Oſtienſis ac Laurentinus ſitus exiſtimandus quam interjectæ regionis inter illud littus & Urbem Romam; quam a foſſoribus atque agricolis tantopere metui compertum eſt, ut æſtivis diebus confecto opere diurno induci non poſſint ut ibidem pernoctent. Conſtat hoc etiam exemplo Centum Cellarum, quæ licet ab Aquilone collibus premantur, qui ſalubres auras magna ex parte intercipiunt, non tamen omnino ſunt peſtilentes; immo ſi oppidum eſſet paulo frequentius, non dubitandum quin habitabile ac ſatis tutum quovis anni tempore evaderet: quod vel maxime præſtari poteſt pulcherrimo eo portu repurgato ac refecto; quod opus longe utiliſſimum hodie peculiari Sanctiſſimi D. N. providentia luculenter urgetur: cujus inter multiplices curas, quæ de tutela ac ſecuritate ditionis Eccleſiaſticæ mire ſollicitum aſſidue exercent, non poſtremam hanc reputaverim. Dignam enimvero mentis ſuæ magnitudine cogitationem, quæ non ad breve dumtaxat tempus, ſed in longam poſteritatem extendit utilitatis egregiæ fructum. Cum ſit igitur Centum Cellarum aer non omnino peſtilens ac noxius, accedente incolarum frequentia, multiplicatiſque tectis, ſatis commodum ſalubremque tandem evaſurum ſperare poſſumus. Verum cum tanta ſit campeſtris hujus regionis & montanæ ſeu collinæ diverſitas, minus mirandum videtur eos, qui æſtivo tempore vitandi caloris gratia, aut captandæ ſolitudinis ac quietis ſive Tibur, ſive in Tuſculanos, Albanoſque colles, atque hujuſmodi loca ſecedunt, non niſi poſt refrigeratum autumnalibus pluviis aerem exortumque Aquilonis (quod circa Idus Octobris evenire ſolet) Romam ferme reverti.

Cur loca in ipſo littore ſita commodiora ſint quam longius remota.

Media loca inter Viam Oſtienſem & Appiam ab operariis præcipue reformidantur.

Qui æſtate Roma diſcedunt ad montanos ſeceſſus reverti non ſolent ante Idus Octobris.

Jam vero opportunum videtur, ut de æſtivo ad Urbem acceſſu, indidemque receſſu, animi ſaltem gratia, aliquid dicamus; utrum ſcilicet non modo eo tempore periculoſa ſit huc ex longinquo migratio, ſed etiam diſceſſio: an vero ſit hoc commentitium & falſum. In priori quidem ſententia pleroſque eſſe video, & nominatim id docet ſæpius laudatus Baldinius in *Commentario in dictum Hippocratis librum*. Contrariam vero opinionem Marſilius tuetur, (cujus apud me potior eſt auctoritas) qui diſerte tradit, ſi quis æſtate ſaluberiorem in locum ex Urbe proficiſcatur, (ſic enim intelligendus eſt hic diſceſſus) tuto id facturum. Cui ſententiæ ego quoque, ut verum fatear, non invitus accedo; cum ea tamen cautione, ut qui in viam ſe-

Digreſſio de æſtivo ad Urbe acceſſu.

Diſſenſus Baldinii & Marſilii de periculo diſceſſus æſtivi ab Urbe.

Marſilii ſententia probabilior.

dat, intermedio itinere locis gravibus noxiisque moram ne trahat, præcipueque ne dormiat; inde enim accidere puto, ut multi æstate Florentiam petentes intereant; multoque plures, qui Neapolim proficiscuntur. Cum enim proxima Viæ Flaminiæ pars propter hujus regionis qualitatem sit insalubris; sed Cassiæ, qua Florentiam itur, multo major portio; Appiæ vero, quæ Neapolim ducit, aliquanto etiam magis, (quippe ad Lirim usque propemodum) nil mirum si hausto per viam noxio aere atque humoribus jam corruptis, ubi quis quieverit, morbus exsurgat. Quinimmo, ut ex multis itineribus a me confectis observasse videor, plerunque accidit, ut qui longo aliquo itinere Cœli ac tempestatum adversitatibus afflictatus fuerit, non ante fere in morbum incidat, quam post absolutam peregrinationem.

Observatio de longa itinera peragentibus.

Quod in nostro ex Gallia reditu compluribus ex familia EMINENTISSIMI DOMINI CARDINALIS BARBERINI evenit: quos inter Andreas Eudæmon-Joannes, eruditissimus Soc. Jesu Sacerdos, postquam aliquot dies inter Senam ac Romam ægrotasset, intra paucas horas quam Romani Collegii limen attigisset, exspiravit: ejus vero socius Hieronymus Albergottus Aretinus, nobilitate generis non minus quam sanctitate vitæ insignis, qui prius satis belle valuisset, vix dum inita Urbe, maligna febri oppressus paucis diebus ex humanis excessit in ipso flore ætatis. Ego vero, cum in toto itinere nec minimum languorem expertus essem, vix Romam sub vesperam redii, cum eadem nocte in febriculam incidi, a qua tamen Deo volente celeriter sum liberatus.

Reditus ex Gallia EMINENTISSIMI CARDINALIS BARBERINI.

Cæterum si quis habitu cacoethicus, pravisque humoribus refertus vel in salubriora loca demigret, cum ea fere tenuiori aere constent, hunc sibi mortem plerunque accelerare compertum est: quippe rarus ac subtilis aer tam pravis quam bonis humoribus faciliorem transitum, & quasi *vehiculum*, ut Medici loquuntur, per internas venas & conceptacula ad vitalia præbet.

Aer tenuis ac salubris quibusnam mortem acceleret.

Verum, ut in gratiam Transalpinorum aliquid de æstivo ad Urbem accessu, saltem rudiori Minerva, dicamus; si quis in itinere non fuerit supra modum a Sole calefactus; neque in labore, vigiliis, Venere, crapula modum non tenuerit; nec gravioribus locis, noctu potissimum, somno indulserit, videtur sine periculo quovis tempore Romam accedere posse; præsertim, si aliquot dies loco clauso domi se contineat ac quiescat, victuque tenui ac refrigerante utatur. Si vero is sit πλεθώρα prægravatus, aut nimio sanguine vel natura, vel ob pleniorem victum turgens, plurimum ei proderit, si quamprimum phlebotomia sibi caverit.

Digressio de æstivo ad Urbem accessu.

Quid observandum æstate Romam adeuntibus.

Enimvero non tam locorum fortasse quam temporum inæqualitas atque ἀνωμαλία metui attendique debet: nec enim statim ac aliquis per æstatem ex planitie in frigidam ac montanam regionem commigrat, (ut quotidie evenit iis, qui Tibur secedunt) morbo se implicat: sed tamen cum aliquo fortasse periculo id fieret, si quis ad altissimos usque ac frigidissimos montes nulla interposita mora adscenderet ibique consisteret; præsertim minus mutata veste. Quanquam æstate quidem minus periculosior esse videtur ex calidis locis in frigidiora transitus, quam vice versa; modo ne eodem reditus fiat. Utcunque se res habeat, maneat illud perpetuo fixum ratumque, omnes magnas ac repentinas mutationes plenas esse periculi atque exitii; quamtumvis æstate a calidis locis in frigida, hyeme a frigidis in calida transitus fiat: moderatiores autem non modo non nocent, sed etiam sunt valde aliquando salutares. Multo plus itaque discriminis habent subitaneæ temporum conversiones, cum propter alias causas, tum quod magis de improviso fiunt, ac sæpe nec allevandæ vestis, nec onerandæ nobis spatium tribuunt: quæ sola mutatio de hac campestri plaga tantum loquentibus habenda præ oculis est; cum de agricolis præsertim sermo sit, non adeo delicatis hominibus, ut his cautionibus obstringi debeant: neque utramvis regionem colentibus ultro citroque commeandi necessitas admodum incumbat.

Temporum inæqualitas aliquando periculosior quam locorum.

Cur subitæ temporum conversiones periculosiores quam locorum mutationes.

Cæterum intemperiem regionum, quatenus ingentem hyeme rigorem, ibidemque validiores æstate regnantes calores, aut contra æstivo quidem tempore ferventissimum æstum, hyberno non modicum frigus significat, minime salutiferam esse notius est quam ut argumentis ac testimoniis indigeat: illud non omnibus notum in hujuscemodi locis pestilentiam, si quando ingruat, violentius grassari solitam; ut in Polonia ac Lithuania, quæ cum vehementissimo gelu hyeme premantur, non parum etiam æstate ob dierum longitudinem incalescunt: & pariter in Mauritania, quæ non tantum æstuosissima, sed etiam ob altissimos montes, qui perpetuo fere nive operiuntur, hyeme algentior est paulo.

Quales regiones vehementius pestis affligat.

Quintam insalubritatis causam sibi vindicat, ni fallor, hujus regionis superficies; quæ cum nec plana sit, nec montosa, sed potius ubique multis convallibus & concavis locis depressa; qui in iis cavitatibus intercipitur aer haud facile a ventis perflari potest, ideoque inagitatus permanens ex facili putrescit ac vitiatur; & licet non putresceret, qui ab Austris ibi relictus est vix a supervenientibus Aquilonibus penitus depurgari aut renovari posset. Quod in locis planis ac montosis contra fit: in iis enim ventorum vis totum hoc inane sine ullo obstaculo pervadit: in his montosis etiamsi colles occurrant, tamen iis circumfusus flatus oppositam etiam partem per vallium angustias collustrat: aut quamvis perpetuum dorsum occurrat, nisi prægaltum fuerit, ei illisus extollitur ac superfunditur; aut si ex alto venit, ut Boreales solent, nullo negotio transcendit.

Quinta causa Superficies agri Latini. Qualis illa sit.

Sexto intemperiem inducunt calores æstivi, sub Sole præsertim, quibus hæc regio nimiopere torretur; ac vehementius sane quam pro Climatis ratione: qui tanto magis perniciales sunt, quanto minus noctes eundem tenorem servant; cum frigidiusculæ hic potius esse soleant, tum propter auras marinas atque occidentales, tum propter earum spatium prolixius, quam in Climate magis Boreali, ut notum est. Auget vero hanc validioris æstus noxam non minor profecto ejusdem aeris humiditas, quæ συζυγίαν efficit humanis corporibus

Sexta causa Æstivi calores immodici.

Eo magis noxii quo noctes frigidiusculæ sunt.

Præsertim ob adjunctam aeris humiditatem.

plane infestam. Nam ut recte notat Magnus Albertus, quibus in locis aer a Sole sic incalescit, ut magnam vaporum copiam solum eructet, nec tamen calor sit usque eo vehemens, ut illos discutere queat atque ἀφανίζειν, minime salubris est habitatio: qualia loca magnis ac frequentibus tonitruis fulgetrisque infestari solent; quod in Latio ac littorali Etruria evenire videmus: quam esse causam ferunt, cur olim Tusci fulguralem scientiam præ cæteris Nationibus calluerint. Oritur vero immoderatus hic æstus non tam ex repercussu Solis radiorum ad montes oppositos, qui a Septentrionibus Romæ imminent, quam ab ejusdem aeris crassitie, quæ vehementius calorem concipit; & reflexu eorundem radiorum, qui in proximo mari ac littore fit. Cum enim a Meridiano atque Occiduo cardine hæc regio Solem adspiciat, reflecti radios introrsus necesse est, & quidem ad maximam diei partem; eoque validius, quo littus æquabilius est atque arenosius: mare vero propter perspicuitatem ac superficiei lævitatem ad radiorum ἀνάκαμψιν tanquam speculum accomodatius. Intendi præterea calorem credibile est ex frequentia harum convallium, de quibus supra egimus, quæ multo magis quam memorati montes (longiuscule enim ii absunt) ex repercussu Solis fervorem augent. Ut autem clarius elucescat reflexionem solarium radiorum potissimam esse magnorum æstuum causam, (quanquam id lippis ac tonsoribus notum est) illustri exemplo rem confirmabo. Susis (qua in urbe olim Reges Persarum hyemare consueverant) adeo fervens æstas sentitur, ut comburat lacertas sub meridiano Sole per apricum reptantes; ideoque incolas cogi ædificia superingesta humo ad binarum ulnarum crassitudinem contegere Strabo testatur. Id autem evenire propter montes ad Boream objectos, qui partim frigidiores auras intercipiunt; partim ex reflexu radiorum Solis earum vim augent ac conduplicant. Contra Carpetani montes, (nunc *Sierra de Guadarrama*) qui Septentrionem versus Madrito objacent, cum remotiores sint ac toto fere anno nivosi, non modo ei ab calore non officiunt, sed potius frigidiusculis auris, quæ circa vesperam quotidie fere illinc solent exsurgere, non leviter commodant; quam ob causam & propter aeris siccitatem ac tenuitatem æstus sane pro regionis positu non admodum molesti ibi sentiuntur.

Alberti Magni sententia.

Quænam loca magnis ac crebris tonitruis fulgetrisque infestari soleant.

Tusci olim rei fulguralis peritissimi, & quare.

Causa effectrix immodici hujus æstus. Crassities hujus aeris Reflexus Solis radiorum in proximo mari.

Cur repercussus horum radiorum sit validus ac diuturnus Convalles agri Latini calorem acuunt.

Susa æstuosissima.

Ob montes ad Septentrionem imminentes.

Septimo loco afferri potest aquarum malitia, quæ in his regionibus non ubique sane probæ exsistunt: fit enim plerunque, quod supra indicavi, ut quæ loca parum propitium habeant Cœlum, aquis etiam bonis minus abundent. Sed quoniam non tanta hic est aquarum penuria, (ut inferius ostendemus) ut deteriores etiam necessario bibendæ sint, supervacaneum est antiquissimum rerum principium, si Thaleti credendum est, ac rem oppido omnium utilissimam, ut cum Pindaro loquamur, in societatem criminis cum aere isto tot modis infesto vocare. Aliquanto plus difficultatis ac controversiæ habere videtur quod nonnulli suspicantur magis quam affirmant, hujus agri solum suapte vi halitus quosdam noxios, æstate potissimum, remittere: in quam eos suspicionem adducit color quidam insolens, (ut iis videtur) nec passim obvius, quo cum summa ipsius superficies, tum inferior etiam pars infecta conspicitur: quod si ita esset, parum humana remedia profutura metuendum foret. Sed ut quod sentio libere dicam, non arbitror sane ita esse, nec vapores adscendere puto, nisi ubi cœnosa, palustria, aut aqua marina perfusa loca occurrunt, aut ubi Charonii quidam specus, vel aliqua mephitis a metallicis spirans venis exhalatur: nec alioquin colorem istius terræ (quantum mihi licuit) adeo insolitum adnotavi, ut non alibi sæpe saluberrimis in regionibus plane similem observaverim.

Septima causa aquarum malitia, quæ tamen vitari potest.

Color terræ in hoc agro quibusdam videtur infaetus.

Non videri tamen hunc colorem adeo insolitum; nec credibile graves halitus passim exhalari.

Aliquanto subtiliorem indaginem meretur inferior hujus soli natura ex topho ut plurimum atque arenacea materia constans: in quo maxime dispiciendum videtur, an ejusmodi terræ species, accedentibus aliis noxiorum halituum causis, earum vim acuere atque augere possit; nam per se quidem tophum satis esse salubrem ostendit Etruriæ Pontificiæ mediterranea pars, cui ubique fere tophus subest, & nihilominus saluberrima censetur; ut circa urbem veterem, Perusiam, & totum eum tractum: immo extra Ecclesiæ fines in Senensi; quod Julius Mancinus in *Commentario* inedito *de rebus Senensibus* ad salubritatem conducere existimavit; tale solum minus vaporosum esse ratus. Quod si verum est, frustra dubitamus an propterea Latium insalubrius sit; cum vice versa salubritatem id augeat. Sane non dissimulandum est, (quod alicui mirum fortasse videbitur) etsi interdiu quidem silices aliaque saxa duriora intensissimum sub Sole fervido calorem concipiant, noctu tamen refrigescere: contra tophum, arenosamque terram, licet interdiu non adeo vehementer Solis radiis inardescat, multo tamen pertinacius in noctem calorem fovere: unde fortasse evenit, ut cryptæ in hujusmodi solo excavatæ æstate frigidissimæ sint. Cardanus hoc amplius, non retinere tantum, sed multum etiam concipere caloris tophum putavit; cujus rei causam affert, quod suapte natura calidus sit: in quo merito a Scaligero reprehenditur; quanquam & ipse aberrasse a vero videtur, dum ait id evenire potius, quod densus sit: cum multo densior sit silex, immo omne aliud fere lapidum genus, qui minus tamen pertinaciter calorem fovent. Probabilius igitur dici potuisset, non tam celeriter a topho quam a silice calorem excedere, quod ille minus suapte natura frigidus sit; nam propterea calidum dici non posse ex eo etiam liquet, quod infra terram cryptarum aerem ambiens, vehementius quam lapides eum refrigeret, aut certe frigidum conservet. Vereor enim ne mihi non constem, si majorem refrigerandi vim topho quam silici tribuam, qui hunc & densiorem & naturali facultate frigidiorem statuerim. Verum quomodo tophus, qui medium quiddam est inter lapidem & terram, (cum sit densior terra, rarior vero lapide) calorem supra terram pertinacius retineat, frigus vero infra terram intensius foveat, altioris est indaginis: quodque penitus definiri nequeat, nisi probe cognita natura τῆς ἀντιπεριστάσεως, cujus contemplatio non est hujus loci. Illud vero minus intelligere me fateor, cur

Disquisitio de soli inferioris natura.

Tophus per se non videtur insalubritatem afferre.

Julii Mancini Commentarius MS. de rebus Senensibus.

Tophus pertinaciter calorem noctu retinet magis quam silex.

Cardanus temere a Scaligero reprehensus.

Ipsius etiam Scaligeri ratio improbatur.

Quid probabilius dici possit.

Tophus medium quiddam inter terram & lapidem.

Scaliger asseruit uliginem soli augere calorem.

idem Scaliger acerrimi judicii atque incredibilis eruditionis vir pronuntiaverit, solum uliginosum maximis caloribus suppeditare materiam, cum certe uligo, & aqua ad terram, atque aerem refrigerandum potius valeat.

Nunc illud quæri posset, an cum experientia constet tophum æstate in multam noctem diurnum retinere calorem, conducibile id sit sanitati corporum, an adversum; seu ut thesim potius quam hypothesim statuamus, magisne salubres sint æstate noctes calidiores, an frigidiores. Verum in confesso esse debet, ut æstivæ noctes frigidiusculæ, quales Romæ multo magis quam in Gallia Cisalpina aut Florentiæ sentiuntur, ad quietem captandam commodiores sunt; ita si nimium frigidæ forent, ob rationes supra positas improbandas esse.

Noctes æstate nimium frigidæ insalubres.

Sed id quidem in temperatis regionibus vix, aut raro contingit. Mirum enim mihi visum fuit, cum Augusto mense Madrito Valentiam nocturnum iter in comitatu EMINENTISSIMI CARDINALIS BARBERINI capesserem, adeo frigidas in Castella noctes expertum me esse, ut cum in trajiciendo *Sarama* fluvio scapham præstolarer, dum ad citeriorem ripam accederet, pedibus pene obrigescerem. Nam in Lusitania quidem, regione alioquin æstuosissima, perfrigidas esse noctes æstivas nil mirum; cum id ab Favonio longissimo tractu ab Oceano afflante evenire possit: quanquam, nisi pari sorte sit Gallæciæ, Aquitaniæ, & Mauritaniæ maritima pars eidem mari objacens, existimare possumus aliunde hoc evenire; nimirum ex vaporibus ab ipsamet terra noctu surgentibus, quæ alioquin aquas in summo habere fertur; adeo ut fontium scatebræ ibi tepidiusculæ sint: quapropter haustam ex iis aquam noctu refrigerant, ut fiat potui jucundior. Juvat hanc conjecturam natura soli illius valde arenosa, ideoque permeabilis; potissimum Transtaganæ regionis, quæ propterea sterilior est.

Ubinam noctes perfrigidas Auctor expertus sit. In Lusitania æstivæ noctes satis frigidæ.

Cujus etiam causa indagatur.

Scatebræ fontium in Lusitania tepidæ.

Lusitania valde arenosa.

Postremo illud in disceptationem adduci posset, (nam de hoc quoque affirmare nihil ausim) an frequentia cryptarum cavernarumque, quæ circa Romam sunt, (eademque ratio est veterum parietinarum, quamvis pleræque hodie defecerint) in quibus aer inclusus facile corrumpi posse videtur, ac proximum porro inficere. Credidisse hoc videtur gravis in primis ac nobilis Scriptor Otho Episcopus Frisingensis, Friderici primi patruus, & Cisterciensis Monachus, qui ubi de adventu Imperatoris ad Urbem tradit, inter alia hæc scribit: *Jam tempus imminebat, quo Canis ad morbidum pedem Orionis micans exsurgere deberet. Et vicinis stagnis, cavernosisque, ac ruinosis circa Urbem locis, tristibus erumpentibus & exhalantibus nebulis totus vicinus crassatur aer ad hauriendum mortalibus lethifer ac pestilens. Urgebatur hoc incommodo in Urbe civis, hoc tempore ad montana consuetus fugere, in castris miles tanta desuetus aeris intemperie, &c.* Ex quibus cognosci potest Othonem existimasse partim ob propinquas paludes, partim ob cavernas veterumque ędificiorum squalentes ac semidirutas cameras, quibus aer conclusus putrefit, insalubrem eum fieri. Verum hoc loco notandum est, Cavernas proprie esse cavitates terræ non admodum profundas la- A tasque; Cryptas vero profundiores specus, ut Arenarias, de quibus supra diximus. Et quidem supervacuum meo judicio sit, hujusmodi cavernas a cryptis, quibus adde si lubet Antra ac Speluncas, distinguere; cum eadem fere aeris qualitas sub terram conclusi hic, aut illic esse videatur. Alia tamen ratio esse potest parietinarum supra terram exstantium; in quibus qui intercipitur aer, faciliori negotio fortasse corrumpitur.

Disceptatio de cryptis ac parietinis agri Romani.

Otho Frisingensis perniciales eas esse censuit.

Quid differant Cavernæ a Cryptis.

Cur cryptarum aer existimandus sit minime putridus ac pestilens.

Sane qui hujusmodi arenarias cryptas non semel introgressi sunt, diserte testantur nulla in B eis fœda animantia, non halitus graviores, aut aquarum colluviem, aut quippiam teterius atque insuetius occurrere; sed omnia ferme sicca, & pura, & (quod mirum maxime videri debeat, cum in modicis his vinariis cryptis contra sit) nec æstivo tempore aerem perfrigidum, nec hyberno nimium calidum deprehendi. Cujus rei causam non deerunt fortasse, qui ex Physicis principiis inquirant; mihi enim sufficit, ut rem a fide dignis accepi, simpliciter attulisse.

Idem valde temperatus cognoscitur.

His igitur ita se habentibus non usqueadeo pestiferum esse crediderim aerem in C cavernosis hujusmodi locis interclusum: præsertim cum Christiani veteres, sævientibus τῶν εἰδωλολατρῶν persecutionibus, diutissime hic degere consueverint. Etsi tamen, ut verum fatear, interdiu tantum his latebris eos usos puto; cum propter immensam Urbis magnitudinem ac frequentiam noctu apud familiares suos in suburbanis, immo urbanis etiam domibus tuto latitare potuerint. Veruntamen, utut sit, harum parietinarum cryptarumque eam esse vim ac malignitatem, ut notabiliter aeri officiant in tanta regionis latitudine, haud facile mihi D persuadeo.

Christiani veteres persecutionum tempore satis tuto ibi degebant. Sed interdiu fere, non noctu.

Sequuntur eæ rationes, quæ non tam regionem pestilentem atque inhabitabilem reddunt quam id efficiunt, ut ejus cultores durare ibi plane non possint. Mitto desertionem ipsam agrorum, ac vastitudinem unam ex potissimis causis esse, cur hæc ipsa regio deterior fiat: etsi id quoque ab hisce causis maxime efficitur; hoc enim ad ultimam hujus sermonis partem proprie pertinet, in qua de remediis agemus. Ajo igitur, non tantum quia hujus agri constitutio E partim natura, partim eventis insalubrior est, lethalibus ac difficillimis morbis ejus incolas implicari; sed aliis etiam de causis aliunde petitis. Primum enim homines, qui has terras colunt, omnes ad unum sunt advenæ, atque ex longinquis locis, iisque saluberrimis, maximaque ex parte montanis; quæ longissimo intervallo multisque differentiis ab hoc tractu distant: scilicet frigoris & caloris; situs montani & campestris; & consequenter aeris tenuis ac crassi; soli sicci atque humentis; ac demum positionis mundi, illic quidem propius ad Septentrionem, F hic remotius: quapropter vix unquam huic regioni assuescunt: ab insuetis vero plus noxæ fieri pervulgatum est. Deinde miseris hisce agricolis omnia pene sunt adversa: nam cum in agris opus faciunt, sine requie ulla laborant, ac totos dies in Sole consistunt; raro occurrentibus tectis, aut antris, ac rarissime arboribus, sub quibus meridianos æstus vel paululum devitent. Jam vero casæ illæ agrestes maxima ex parte male materiatæ, nec optimis locis positæ exiguum præ-

Aliæ causæ extra ordinem, quæ cultoribus agri Romani obsunt.

Cultores hujus agri omnes advenæ & saluberrimis locis adsueti.

Aliæ adversitates horum hominum.

Casæ agrestes male materiatæ.

Æstivi calores in hoc agro vehementissimi.

stant adversus Cœli injurias præsidium: tum vero nullis cameris intus suspensæ, & raro hypogæis excavatæ, æstivos ardores, qui vehementissimi hic sunt, vix leviter arcent; atque humi plerunque cubantibus haud sane tutum noctu cubile præbent. Quid vero de iis dicam, qui sub dio nocturnam quietem capiunt? quæ cum parum tuta ubique sit, tum multo infestior humilibus atque humentibus locis, ac præsertim:

Sub dialis cubatio quam perniciosa, maxime his locis, & cum Luna lucet.

Cum suos ignes coeunte cornu
Junxit, & curru properante pernox
Exserit vultus rubicunda Phœbe.

Ex dictis igitur satis constare arbitror, ea, quæ circumfusam Romæ regionem morbosam insalubremque reddunt, partim congenita, atque a natura insita illi esse, ut tolli non possint; partim adventitia ac separabilia. Quæ cum ita se habeant, exploratumque sit antiquis temporibus nullum pene terrarum angulum tam bene ædificatum ac frequenter habitatum fuisse ut regionem hanc nostram; illud necessario sequi videtur, eam non esse usqueadeo morbosam ac pestilentem, ut prorsus sit inhabitabilis existimanda; nec rursus adeo salubrem, ut cum Italiæ plerisque conferenda sit: tutam tamen, & quovis tempore, & cujusvis sexus, ætatis, & conditionis hominibus accommodatam, si diligentia accedat, eaque fiant quæ pristinum statum ac formam, ex parte saltem, ei reddere possint. Quibus perficiendis nec intolerabilem laborem, nec infinitos sumtus, nec immensam operarum multitudinem, nec longissimum tempus requiri, satis etiam, opinor, ex infra dicendis manifestum erit. Sed prius constituendi videntur quidam gradus bonitatis aeris ac locorum, quo res comparatione & exemplis illustrior fiat; ut quoto reponenda sit hæc regio facilius æstimare possimus.

Ex supradictis infertur agrum Romanum nec omnino insalubrem esse, nec valde salubrem; talem tamen, ut diligentia adhibita tuto coli habitarique possit.

Præparationibus opus esse, nec immensis, nec nimium sumtuosis.

Gradus quidam bonitatis aeris.

Primus est saluberrimi, ac temperatissimi, atque omni prorsus vitio carentis; in quo homines & diutissime vivere, & vitalia munera jucunde atque ἀμαρῶς explere possunt: in quo Fesulas, exempli causa, apud Tuscos ponimus; Pausilypum & Stabias apud Campanos. Secundus est in quo nulla notabilis gravitas, aut qualitas bonæ valetudini officiens deprehenditur, vitæque cursus ordinarius est, ut Bononiæ. Tertius ubi Cœlum jam est vel justo humidius, aut calidius, aut frigidius, aut alia ejusmodi qualitate supra modum afficitur, ut aliquantum humanæ vitæ incommodet; quemadmodum inter Bononiam ac Ferrariam; ut in Alpium vallibus; ut in Apuliæ Dauniæ campis. Quartus ubi præ nimio alicujus qualitatis excessu morbi periculosi ac difficiles exsistunt, ex quibus nonnulli pereunt, complurесque habitu fiunt morboso & languido; ut Ferrariæ, proximisque locis inter Padi ostia. Quintus ubi jam insignis est Cœli gravitas, ac lues, quæ plerosque malignis febribus perimit, aut morbis insanabilibus implicat; licet cum aliqua cura nonnulli tuto ibi degere possint; ut circa Viam Appiam & Ostiam. Huic classi adscriberem Insulam quandam Australem Gulielmi Schuteni navigationibus paucis abhinc annis detectam; ad quam cum Batavi appulissent, omnes incolas peculiari aliquo morbo aut vitio affectos deprehenderunt; ut nihil deformius aut monstrosius fingi potuerit: hunc enim gibbum, hunc ventriosum, hunc varicosum, hunc distortis oculis, hunc gutturosum, hunc tumentibus buccis visos fuisse; & cætera ad hunc modum. Sextus & ultimus ubi jam locus est pestilens ac plane exitiabilis, atque omnes fere brevi intereunt; ut circa Aquilejam & apud *Montem Altum* in Tuscis.

Insula Australis, cujus omnes incolæ morbosi ac deformes.

Ex his facile tertium gradum antiquis temporibus obtinere potuisse agrum Romanum existimo: & nunc etiam non immensis molitionibus ad eundem statum paulatim posse reduci. Nec enim credendum est naturam ipsam humanam eousque senio effœtam ac fatigatam esse, ut minime sub eo Cœlo durare possimus, ubi Veteres sine periculo noxaque degebant. Ut enim concedam aliquot abhinc sæculis breviori spatio humanæ vitæ curriculum definiri cœpisse, hominesque partim imbecilliores, partim brevioris staturæ jam nasci, (quod minime ambigendum videtur) ex multis tamen indiciis deprehendere licet, præsertim ex ossium mensura in antiquis sarcophagis repertorum, & eorum compluribus Inscriptionibus, (in quibus quantum quisque vixerit, more tunc passim recepto, adnotatum videmus) nihil, vel perparum ab Augusti Imperio, quo CHRISTUS DOMINUS natus est, ad hanc usque ætatem diminuta corporum amplitudo, aut humanæ vitæ cursus contractus cognoscitur. Quod ita esse, etiamsi omnia quodammodo in pejus ruere ac retro sublapsa referri exploratum sit, minus mirum videri debet. Etenim sicut homines videmus, cum a virili ac florida ætate in senium declinant, sive canescentibus capillis, sive cute in rugas subsidente, parvo tempore magnam subire mutationem: postquam vero jam senilem habitum & κατάστασιν ceperint, aliquot annorum interstitio eundem adspectum atque ætatis tenorem propemodum præ se ferre; ipsis viribus vix aut parum decrescentibus, tametsi sensim immutentur: ita plane magno huic mundo totique hominum generi evenire credendum est; cumque jam ad senectutem suam pervenerit, latenter atque ἀκαταλήπτως immutari. Quocirca stulte faciunt qui verentur nec ad excolendum hunc agrum, quem ipsi prorsus damnabilem ac pestilentem sibi fingunt, ullos jam homines idoneos repertum iri. Nec item audiendi sunt, qui nihil nisi de visu ac mensura animi sui æstimantes, de antiquitate perperam judicant; nec facile admittunt quæ de magnis Veterum operibus prædicantur: nec qui versa vice de nostris temporibus tam anguste sentiunt, ut si quod opus magnificum ab Antiquis ædificatum proponitur, continuo exclament nec omnium hodie Principum vires ad simile faciendum suffecturas; perinde ac si hujusmodi opera a Gigantibus essent ædificata, aut a larvis ac Dæmonibus, (ut ignarum vulgus non in Italia tantum, sed alibi etiam ridicule putat) ac nos e genere Pygmæorum essemus. Apage hujusmodi nugas ac perversa judicia. Facessant procul etiam qui omnia metuunt: omnia desperant: omnia nova, aut ἐκ τῶ πάλαι repetita fictitia, ac chimærica appellant: qui nihil fieri posse putant, nisi quod quotidie fieri vident. Quos ut refellamus, videamus quænam potissimum difficultates in re

Quoto gradu olim fuerit ager Romanus.

Falso quidam credunt naturam humanam prorsus senio effœtam esse.

Citra aliquot sæcula homines imbecilliores ac brevioris vitæ sunt.

A CHRISTI DOMINI temporibus humanæ vitæ cursus, & mensura corporum vix diminuta.

Ratio desumta ab individuis.

Mundus ad senectutem pervenit.

Minime audiendi qui desperant ullos jam repertum iri idoneos his agris frequentandis.

Nec qui Antiquitati parum favent, aut rursus nimium tribuunt.

Nec qui omnia metuunt.

Proponuntur difficultates in re nostra occurrentes.

re nostra sese objiciant; & an ulla ratione tandem expugnari queant.

Principio cum indubitatum sit nullum esse præstantius remedium huic regioni sanandæ, quam tectorum ædificationem, & deductionem colonorum (quorum vel sola frequentia atque ignes domestici aerem purgare possunt ac meliorem efficere) primi, inquiunt, qui hæc loca ingredientur, miserabiliter occumbent, nec malignitatem aeris evincere poterunt; atque idem fiet de secundis, de tertiis, aliisque: quare hæc difficultas erit inexplicabilis. Secundo undenam homines evocabuntur vel adeo sui negligentes, vel confidentes, ut tanto cum periculo hæc tesqua ac deserta velint excolere? Aliorum scilicet exemplo docti cavebunt, si sapient, ne Caniculæ sydus eos hic opprimat. Tertio quibusnam ex locis tantam multitudinem cogemus, quæ tot incultis ac squalentibus locis sufficiat? nam si particulatim vacua hæc loca complere velimus, non poterit a paucis regio probe purgari; non exsiccari paludes; non sylvæ collucari; non ea denique fieri, quæ mitigare aerem possunt. Hæ sunt igitur difficultates, hi scopuli, quos inevitabiles quidam sibi persuadent: quibus ut respondeam, exponam primum qua ratione administranda mihi videatur harum regionum προπαρασκευή, quove ordine in his operibus procedendum sit: tum si quæ manebit difficultas, pro ingenii mei captu ei satisfaciam. Ac primum eo posito, quod ambigendum non est, naturam locorum ac situm nulla humana vi mutari posse; nec effici, exempli gratia, ut Cœlum hoc Romanum sit constantius, ac magis æquabile; nihilominus affirmo hominum manibus atque industria, & sumtibus non immodicis ad pristinum statum reduci posse; fierique hanc regionem prorsus habitabilem ac tutam.

Quod primi, qui hæc loca ingredientur, malignitati aeris resistere nequibunt.

Quod non reperiuntur qui velint tanto periculo se exponere.

Quod arduum sit tantam multitudinem, quæ frequentandis his agris sufficiat, reperire.

Primum exponendum quo ordine præparationes locorum faciendæ sint: tum ad difficultates propositas respondendum.

Naturalis locorum constitutio mutari non potest.

Primum opus præparatorium Paludum desiccatio.

Non magno labore id præstabitur præterquam in Pontino.

Primum ergo paludes ac stagna ductis in mare fossis quam diligentissime siccabuntur, ut nihil pigræ ac marcentis aquæ, si fieri possit, intus remaneat: complanatis etiam depressioribus locis, aggestaque terra ubi opus erit. Non nimium magna id molitione fiet, præterquam circa Pontinas paludes: reliquæ enim nec sane prægrandes sunt, aut a mari ac fluviis sic remotæ, ut non facile derivari possint. Majus sine dubio negotium erit in Pontinis; de quibus satis causæ esse videtur ut fusius agamus, earumque situm describamus, quantum ex eorum qui viderunt relatu & Chorographicis chartis colligere potuimus. Pontina igitur palus (sive Pomtina, nam a Pometia celebri olim Volscorum urbe dictam nonnulli putant) planitiem satis magnam occupat veteris ac novi Latii, quod magna ex parte Volscorum fuit: in longum enim triginta circiter milliaribus extenditur a Tribus Tabernis (quas fere ubi nunc *Cisterna* est Cluverius fuisse docet) ad Tarracinam usque; in latum vero a mari introrsus, ubi latissima est, octo passuum millia propemodum patet. Ejus pars, quæ in mare longius procurrit, subjecta est Circejo monti satis edito, qui peninsulam facit: quæ quidem Trojanis temporibus Insula fuisse perhibetur, ut ex Homero collegere multi, atque in his Varro apud Servium. Locus, ut olim a Circe nobilitatus, (quam in ejus vertice Regiam habuisse

Accuratior descriptio Pontinarum paludum.

Longitudo XXX millia sium.

Latitudo VIII.

Circejus mons insula fuit Trojanis temporibus.

A in fabulis habetur) sic hodie multiplici herbarum genere, quæ in varios rei medicæ usus a rhizotomis conquiruntur, famam obtinet. Influunt in hanc paludem, eamque efficiunt Nymphæus fluvius, nunc *Ninfa*, qui potius rivus dicendus esset: ulterius Amasenus supra Privernum incipiens: mox Ufens, hodie etiam *Aufente* dictus aliique rivi, ac minores fluvii. Hujus tractus antiquissimis quidem temporibus infimam tantum ac proximam Circeiis partem aquis contectam fuisse, atque iis profundis, verisimile est; cætera sicca, aut stagnantibus

B aquis immunia: alioqui non video quomodo ea, quæ a Plinio ex Mutiano afferuntur de viginti tribus urbibus, quæ olim hic erant, congruere possint cum Homeri testimonio, qui Circejos mari circumdatos prodidit. Utcunque se res habeat, posteriori ætate exaggeratis limo eorum fluviorum ostiis, eoque restagnantibus aquis palus excrevisse ac dilatari cœpisse videtur. Scimus hanc sæpius fuisse exsiccatam tam ad lucrandos agros, qui demersi nulli usui sunt, quam ad noxium aerem, qui, ut supra diximus, inde ab Austris Romam infertur, propulsandum.

C Cæterum a nemine in totum id præstitum videtur; nec fortasse natura loci id patitur. Antiquissima hujus rei memoria exstat ab Anno V. C. DXCI. quo, ut ex Livii Epitome constat, Pontinæ paludes a Cornelio Cethego Cos. cui ea provincia evenerat, siccatæ, agerque ex iis factus. Julius Cæsar dehinc, quo nemo magnificorum operum studiosior fuit, easdem vel siccare molitus est, ut Plutarchus in *ejus Vita* prodidit; vel certe destinavit, ut Suetonius *cap.* XLIV. scribit. Aggressus postea id felicius est Augustus

D Cæsar, qui magnam earum partem desiccasse videtur: quo pertinent versus Horatii *:

Debemur morti nos nostraque; sive receptus
Terra Neptunus, classeis Aquilonibus arcet,
Regis opus: sterilisve diu palus, aptaq; remis
Vicinas urbeis alit, & grave sentit aratrum:
Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis.

Ad quem locum vetus Interpres hæc habet: *Divus Augustus duas res divinas fecit, ut Pontinam paludem exsiccaret, & ad mare meatum habere cogeret, ut postea arari posset: deinde portum Lucrinum*

E *munivit*. Post Augustum an alii Romani Principes idem opus præstiterint incertum; quando nihil de hoc produnt Auctores: nisi quod Trajanum per eas viam stravisse Dio Cassius refert: Τὰ ἕλη, inquit, τὰ Ποντῖνα ὡδοποίησε λίθῳ, καὶ τὰς ὁδοὺς παροικοδομήσας καὶ γεφύραις μεγαλοπρεπεστάτως ἐξεποίησε. Hoc est, *Per Pontinas paludes viam saxo stravit, exstruxitque juxta ædificia, pontesque magnificentissime fecit.* Posteriori ætate Theodoricus Gothorum Rex excelsi animi Princeps, & Veterum

F æmulator, oblimatis temporum injuria fossis, & fluminum faucibus aggestione terræ obstructis, suggerente Decio quodam, viro Patricio, denuo hoc opus refecit; ut constat ex Cassiodoro *lib.* II. *epist.* XXXII. & XXXIII. quod confirmat etiam vetus Inscriptio Tarracinæ reperta, quamvis magna ex parte vetustate oblitterata, quam non abs re duxi huc inserere:

Multiplicem herbarum copiam educat ad rem medicam conducentium. Nomina præcipuorum fluminum Pontinas paludes influentium.

Qualis olim harum paludum status.

Sæpius a multis desiccatæ, sed non penitus.

A Cornelio Cethego Cos.

Julius Cæsar idem efficere vel incepit, vel destinavit.

Augustus Cæsar eas desiccavit.

Trajanus per Pontinas paludes viam stravit.

Theodoricus Gothorum Rex easdem siccavit.

* De Arte Poet. ℣. 63.

DN. GLORIOSISS. ADQ. IN
CLVTVS. REX. THEODORICVS. VICT
AC. TRIF. SEMPER. AVG. BONO. REIP.
NATVS. CVSTOS. LIBERTATIS. ET
PROPAGATOR. ROMANI. NOMINIS
DOMITOR. GENTIUM.

DECENNOVII. VIAE. APPIAE. ID. EST. A. TRIP.
VSQ. TERRACENA. ITER. ET. LOCA. QVAE
CONFLVENTIBVS. AB. VTRAQ. PARTE. PALVDVM
sic
PER. OMNES. RETRETRO. PRINCIPVM. INVNDAVERANT
VSVI. PVBLICO. ET. SECVRITATE. VIANTIVM
ADMIRANDA. PROPITIO. DEO. FELICITATE
RESTITVIT. OPERI. INIVNCTO. NAVITER. INSVDANTE
AD3 CLEMENTISSIMI. PRINCIPIS. FELICITER
DESERVIENTE. PRAECONIS. EX. PROSAPIA. DECIO
RVM. CAEC. MAV. BASILIO. DECIO. V. C. ET. INL.
sic
EXPF. VRB. EXPPO. EXCONS. ORD. PAT. QVI. AD.
PERPETVANDAM. TANTI. DOMINI. GLORIAM. PER
PLVRIMOS. QVI. ANTE. NON. ERANT. ALBEOS . . .
. . . . DEDVCTA. IN. MA
RE. AQVA. IGNOTAE. ATAVIS. ET. NIMIS. ANTIQVAE
REDDI . . . .
. . . .
. . . .
. . . .

Quid fit Decennovium in hac Inscriptione.

Porro Decennovium inferiori sæculo fluvium ipsum Ufentem incolæ appellarunt, (ut ex Procopio *Gothicorum* libro primo docet Cluverius) quod undeviginti milliarium spatium supra Tarracinam conficiat. Post Gothorum tempora ad nostram usque memoriam, an aliquis præter Sixtum V. aggressus hanc molitionem fuerit, dicere plane non possum; quando librorum penuria valde laboramus: nec alioquin otium nobis superfuit eos, unde hæc haurire possemus, studiosius conquirendi, evolvendique. Verum inter alia egregia opera Nicolaum V. id aggressum fuisse ab EMINENTISSIMO DOMINO FRANCISCO CARDINALI BARBERINO accepi; cujus inter tot ardua negotia, quæ assidue illum solicitum habent, non postrema cura est, recondita etiam, ac paucis nota, nedum obvia, ac protrita solerter rimari, atque omnifaria eruditione capacissimum rerum omnium pectus instruere. Denique patrum nostrorum ætate Sixtus V. Pont. Max. Princeps animi magnitudine nulli secundus, & ipse pariter hujus paludis exsiccandæ provinciam suscepit, & aliqua ex parte perfecit.

Nicolaus V. proavorum nostrorum ætate Pontinas paludes siccare aggressus est FRANCISCI CARDINALIS BARBERINI eruditio. Sixtus V. postremo idem opus aliqua ex parte perfecit.

Ex eo ostenditur nunquam has paludes desiccatas fuisse, quod plurimi Scriptores earum meminerint.

Verum, ut quod dicebam magis eluceat, nunquam penitus has paludes fuisse desiccatas, notandum est, multos veterum Scriptorum earum meminisse: ut Vergilius, qui Saturæ paludem nominat (ut recte Cluverius affirmat) *lib.* VII.

Qua Saturæ jacet atra palus, &c.

Juvenalis *Sat.* III. Lucanus *lib.* III. Martialis *lib* X. *epigr.* LXXIV. Vibius Sequester, Plinius, Servius, aliique. Optime vero, ut solet, ejus situm ac positionem describit Strabo his verbis:

Strabo ad vivum describit Pontinas paludes.

Πλησίον δὲ τῆς Ταῤῥακίνης βαδίζοντι ἐπὶ τῆς Ῥώμης παραβέβληται τῇ ὁδῷ Ἀππίᾳ διώρυξ ἐπὶ πολλὰς τόπους πληρουμένη τοῖς ἑλείοις τε καὶ ποταμίοις ὕδασι: πλεῖται δὲ μάλιστα νύκτωρ, ὥστ' ἐμβάντας ἀφ' ἑσπέρας ἐκβαίνειν πρωίας καὶ βαδίζειν τὸ λοιπὸν τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ· ἀλλὰ καὶ μεθ' ἡμέραν ῥυμουλκεῖται δι' ἡμιόνων. Hoc est, *Prope Tarracinam, qua Romam itur, adjacet oblonga fossa palustribus ac fluvialibus aquis plena; per quam noctu potissimum navigatur, ut qui sub vesperam conscendunt, mane egrediantur, & reliquum terrestri itinere per Appiam conficiant: cæterum interdiu etiam ducentibus mulis remulco navigatur*. Meminit hujus fossæ Horatius *Sat.* V. *lib.* I. qua festive iter suum a Roma Brundusium describit: ex quo intelligitur a Foro Appii ad Lucum Feroniæ XV. passuum millibus protensam fuisse. Hodie vero corruptis vetustate itineribus, atque Appiæ Viæ tramite multis in locis derelicto, non amplius per paludes transitur; sed altiori itinere per montes a *Cisterna* Sulmonem Cajetanorum Ducum oppidum, atque inde aliquot mansionibus in Viam Appiam prope Tarracinam reditur.

Horatius fossæ navigabilis in Pontino meminit.

Appia Via in Pontino non amplius frequentatur.

An paludes Pontinæ penitus exsiccandæ sint.

Quatenus desiccandæ videantur.

Num igitur, inquiet aliquis, Pontinæ paludes, quibus exsiccandis Antiquorum potentia non suffecit, multo nunc minoribus opibus jam erunt desiccandæ, ut Latio atque Urbi æstivo tempore consultum sit? Respondeo, etiamsi Scriptores minime tradant qua fini exsiccatæ olim fuerint ab Augusto Cæsare primum, deinde a Theodorico Rege, Pontinæ paludes, attamen verisimile esse eatenus stagnantes in iis aquas egestas fuisse, qua longius a fluminibus distitæ, vix, aut nunquam ab iis refrigerabantur: sed potius hac atque illac, qua concava depressaque loca occurrerent, seorsim putrescebant: nec necesse fuisse, aut hodie esse, omnes eas aquas quæ stagnum efficiunt emitti & corrivari; sed eas tantum, quæ vel occultis venis scaturientes exitum non reperiunt, vel imbribus coacervantur, vel certe quas fluvii excrescentes longius ab

alveis suis humilibus in locis deponunt: quæ postea fluviis ipsis subsidentibus, ob altius solum intermedium, in cœnosis lacunis putrefiunt; aut cum gravibus ac θολεραῖς ἀναθυμιάσεσι æstate exarescunt. Quantum vero ex Tabula quadam Chorographica hujus regionis apud humanissimum cordatumque virum Petrum Benesium colligere licet, flumina quæ olim in stagna littori adposita (quæ quatuor præcipua comparent in longum porrecta, atque inter se faucibus quibusdam pervia) e montibus fluebant, lucrandorum agrorum causa, commutato cursu per novos alveos in mare feruntur inter Circejos ac Tarracinam. Verum ne quis existimet iis operibus, quæ Sixto V. Pont. Max. administrata sunt, quidquam ad Latini Cœli bonitatem effectum esse; sciat a privatis redemptoribus, (per quos, non per publicos mancipes res gesta est) dum suum quisque compendium sequitur, nec tantum agros lucrari studet, sed ex piscatu quoque loculos implere, coercitis passim cataractarum quarundam obice fluminum alveis, magnam terrarrum portionem, quæ desiccanda erat, aquis adobruisse: ac fortasse vice versa rivos canalesque ab iis locis avertisse, quæ cum æstate non penitus siccescant, præstabat potius inductis perennibus aquis cooperiri. Quare privatus quorundam quæstus communi utilitati, ut evenire solet, non leviter incommodavit. Quod ut a peritis ac fide dignis accepi, eo retuli, ut quantum huic generi hominum partim indocto, partim avidiori, certe de gloria ac publica utilitate minus solicito in hujusmodi molitionibus adhibendum sit fidei, Principes hoc documento intelligant; atque ut magis elucescat magnis hisce operibus nullum esse majus obstacuium quam avaritiam ac sordes.

Tabula Chorographi a Petri Benetu.

Opera Sixti V. temporibus in Pontino effecta ad salubritatem aeris nihil profecerunt.

Ob fraudes ac sodes redemtu rum.

Privatorum quæstus sæpe publico nocet.

Principes hujusce mod. mercenariis nimium fidere non oportet.

Sed hæc exactiorem quandam τοποθεσίαν, immo diligentem ipsorum locorum inspectionem desiderant; si quis rectum proferre judicium velit de harum paludum natura, situque, atque operibus, quæ ibi fieri possent. Verum tamen in universum statuendum videtur, ut quæcunque paludum partes a fluentibus aquis sejunctæ refrigerari ac subinde renovari nequeunt, omnino si fieri possit desiccentur; convectaque terra compleantur, ne rursus lacunas efficiant. Stagna vero profundiora ampliora que, quæ siccari penitus nequibunt, quantum plurimum fieri poterit, contrahantur; & quacunque copia erit, perennes a fluminibus ac rivis aquæ inducantur. Circa Urbem vero tanto diligentius id fiat, quanto propinqua quam longinqua pestis perniciosior. Jam vero cum salinarum propinquitas usque eo pernicialis sit, ut supra ostensum, optimum quidem foret in tota hac Romanensi regione nullas esse: quod si carere iis non possumus, nec tam certum lucrum agri sanandi gratia despiciendum ducimus, proximum est, ut quam longissime, si fieri possit, Ostienses hasce transferamus: puta circa Tarracinam, aut Circejos in Pontino littore; ubi fortasse opportuni situs copia non deerit. Quoniam vero ab usque eo tractu flantibus Euronotis pestilentes halitus Romam pervenire possunt, haud futili remedio, ni fallor, huic malo occurremus, si juxta easdem salinas Urbem versus procerarum arborum sylvam, maxime pinorum, obseremus: exaggerata etiam, si opus fuerit, quam altissime terra ad eam latitudinem, quæ aliquot arborum ordinibus sufficiat; ut multo efficacius ab exitialium ventorum flatibus illinc surgentibus non Latinus ager tantum, sed Roma quoque ipsa protegatur. Atque hanc quidem pineti consitionem secundum citeriorem paludum Pontinarum limitem, tametsi nullæ ibi salinæ exstruerentur, (modo tamen reliqua opera non omittantur) utique faciendam existimarem: eaque ratione omnem fere illarum noxam cessaturam: præsertim cũ ejusmodi materia ad tot tamque multiplices usus expetatur.

Aliud opus huic adnectitur Sylvarum excisio.

Sequitur opus huic contrarium; sed non minimæ profecto utilitatis, ideoque omni ratione perficiendum: sylvarum nimirum excisio, quæ maximam partem horum lutorum occupant, nec exiguo sane aeris detrimento: quippe non tantum ventorum liberum perflatum impediunt, sed Solis radios magnopere præpediunt: unde frequentes lamæ lacunæque cœnosæ depressis condensisque locis exsistunt, quæ non minimam partem Cœli hujus gravitatis ferunt: ut apposite omnino Albertus affirmaverit inter magnas sylvas aerem spissum ac suffocatum reperiri: ideoque interjectas iis terras parum commodas esse, quas ideo succisione sylvarum ab Antiquis purgari consuevisse. Nec ideo tamen necesse erit omnes omnino sylvas radicitus exstirpare, sed hic atque illic sparsim, ac fere ubicunque cœnosa loca sese objiciunt. Interim ut in Urbis usum ligna sufficiant, servari hic modus poterit; ut emundato prius a dumis ac virgultis solo, arbores dumtaxat interlucentur, hoc est, ubi densiores sunt, succidantur; nonnullæ solo tenus, reliquæ ad hominis altitudinem cædantur, ex iisque fiant sylvæ cæduæ capitatæ, sicut apud nos in Etruria, ubi solent quercus eo modo amputatas relinquere, ut juxta incisionem cum pullulaverint, validissimos in gyrum surculos, cæteris defractis, crescere sinant: ii mox septenum vel octonum annorum spatio cum adoleverint, ad brachii fere crassitudinem eodem modo circa eum locum desecantur; atque ita sylva rursus emundatur. Quæ culturæ species, si in hiis Latii ac Tusciæ maritimis sylvis usurpetur, non tantum ad aerem depurgandum salutariter cedet, sed etiam ad lucrum ex agro capiendum utiliter: partim enim arvorum modus augebitur, partim major graminis copia ad alenda pecora subnascetur: nam arbores quidem relictæ superfluo pondere levatæ ac rarefactæ celerius adolescent; unde lignorum jactura non parum reficietur.

Quæ multi fariam salubritati officiunt.

Non tamen prorsus exscindendæ.

Arborum interlucatio.

Hæc cultura species salutaris simul ac lucrosa.

Tectorum ædificatio.

His absolutis exstruenda erunt tecta atque habitacula novis colonis, eaque quam scientissime atque appositissime fieri poterit. Mirum enim est quantum in hujusmodi gravioribus locis domus domui præstet: recte ac prudenter ædificata, temere ac sine judicio exstructæ. Itaque in primis opus erit acri peritoque Architecto, addo etiam erudito, quales hodie pauci reperiuntur; qui omnia exploret, omnia perscrutetur, nihil intentatum relinquat, nihil sine summa ratione atque judicio moliatur. Et sane multis exemplis docemur quantum monumentum afferat ad utilem

Multum refert in his locis qua ratione domus exstruantur.

Eruditi Architecti pauci hodie occurrunt.

ſalubremque habitationem opportuni ſitus electio, atque ædificii commoda aptaque diſtributio, Unico M. Varronis contentus ero, qui in lib. 1. *de Re Ruſtica* ſub Tremellii Scrofæ perſona, *Ita enim*, inquit, *ſalubritas, quæ ducitur e cœlo ac terra, non eſt in noſtra poteſtate, ſed in naturæ: ut tamen multum ſit in nobis, quod graviora quæ ſunt, ea diligentia leviora facere poſſumus. Etenim ſi propter terram, aut aquam, odoremve, quem aliquo loco eructat, peſtilentior eſt fundus, aut propter cœli regionem ager calidior ſit, aut ventus non bonus flet: hæc vitia emendari ſolent domini ſcientia ac ſumtu: quod permagni intereſt ubi ſint poſitæ villæ, quantæ ſint, quo ſpectent, porticibus, oſtiis, ac feneſtris. An non ille Hippocrates Medicus in magna peſtilentia, non unum agrum, ſed multa oppida, ſcientia ſervavit? Sed quid ego illum voco ad teſtimonium? Non hic Varro noſter, cum Corcyræ eſſet exercitus, ac claſſis, & omnes domus repletæ eſſent ægrotis ac funeribus, immiſſo feneſtris novis aquilone, & obſtructis peſtilentibus, januaque permutata, cæteraque ejus generis diligentia ſuos comites ac familiam incolumes reduxit?* Quem locum ideo huc integrum inſerui, ut magni Auctoris teſtimonio manifeſtum ſit, quantum diligentia atque ars valeat in corrigendis etiam locis ſuapte natura gravibus ac morboſis.

Inſigne exemplum oſtendens multum conferre ad ſalubritatem aptam ædificiorum poſitionem ac diſtributionem.

Quinam ſitus eligendi.

Porro quod ad ſitus capiendos attinet, enitendum in primis, ut celſiſſima quæque loca eligantur; utpote in regione humili, ac præhumida, nec nimium editis collibus aſſurgente. Quod ſi deleta olim oppida, aut quædam ſemi-deſerta minuendæ impenſæ gratia (quod valde rationabile eſt) reficere præoptarimus, quam nova ædificare, facili negotio id conſequemur: Antiqui enim, qui ſapientiſſime optimos quoſque ſitus in condendis oppidis eligebant, nec hujus qualitatem regionis ignorabant, editiora quæque loca adamaſſe videntur; ut ex oppidorum veterum Ariciæ, Lanuvii, Lavinii poſitionibus liquet. Quamobrem ſi locorum optio dabitur, præferenda ſine dubio primum ſunt præalta, & ſecundum mare poſita; ſed ea diligenter munientur propter piratas: ſecundo præalta ac remota a littore: tertio humilia, ſed mari proxima. In planis vero locis atque a mari remotis nullo pacto inædificandum videtur, niſi poſt longum tempus, crebris jam undique tectis cujuſcumque modi excitatis. Præcipue vero memoria teneamus Columellæ præceptum: is enim ubi de Villæ poſitione loquitur, hoc habet: *Præſtat a mari longo potius intervallo quam brevi refugiſſe, quia media ſunt ſpatia gravioris halitus.*

Antiquiores altiſſima quæque loca in hoc Latio ad habitandum delegerunt.

Quænam loca cæteris potiora ſint.

In planis atque interioribus locis initio minime inædificandum.

A mari refugiſſe longius præſtat quam brevi intervallo.

Verum antequam peculiares quaſdam cautiones in his agricolarum ædificiis adhibendas trado, diſpiciendum videtur, an conducibilius ſit caſas villaſque ruſticas ſparſim per agrum collocare in ſuis quaſque fundis prædiiſque: an potius certis quibuſdam locis caſtella exſtruere, in quibus agreſtium unius pagi vel regiunculæ omnis turba verſetur; ſingulæ tamen familiæ ſeorſim ſuos lares colant. Priori modo aliquanto minores ſumtus fient: quippe mœnia, vel foſſæ, aliæve hujuſmodi munitiones compendifient; atque habitationis utilitas, quæ maxime a focis atque aeris agitatione petitur, latius ſe communicabit. Poſteriori ratione major quidem fiet ſumtus, ſed cum grandi ſolidoque emolumento. Primum enim ruſticorum familiæ & fructus agrorum tutiores erunt; non modo adverſus ſubitos graſſatorum incurſus, ſed a manu etiam militari, dum mediocribus ſaltem operibus loca muniantur: deinde longe certiori eventu atque efficacius aer depurgabitur; quod enimvero diſperſis habitationibus vix ſperandum eſt. Præſtat igitur minora ſpatia cum certiori effectus ſpe occupare, quam latiora cum minori fructu.

Utrum conducibilius ſit villas parſim exſtruere, an caſtella, ſeu vicos, potius.

Quid prior ratio commodi habeat.

Quid poſterior.

Hæc anteferenda eſt.

Quo ordine procedendum.

Proinde ut ſuper tanta re judicium meum proferam, ſic faciendum exiſtimarem. Deſiccatis paludibus, ſylviſque aut exciſis, aut collucatis, niſi oppidum aliquod maritimum, puta Antium, aut Laurentum, reparare velimus, (quod pulchrius ac glorioſius foret) aut locum aliquem ſemi-deſertum novis agricolis complere, ut Ardeam, aut *Sabellum*; proxima aliquot Urbi loca, vel unum ſaltem, ſi quis experiundi gratia id malit, deligendum eſſet optimo ac maxime opportuno ſitu; præſertim ubi probæ ac perennis aquæ copia non deſit; in aliquo colle edito, aut tumulo elatiori. Ibi præter ædem ſacram (cujus procuratio erit ejus Sacerdotis, cui animarum cura incumbet) domus ædificandæ erunt quot primæ ſtatim ἐνοικήσει ſuffecturæ videbuntur, exempli gratia centum, vel ducentas. Quamprimum etiam præalta foſſa locus muniendus erit, introrſus regeſta terra, ac firmiter exaggerata, opere potiſſimum ceſpititio, ſi ſolum erit tenax: additiſque vallis, aut validis ſtipitibus in ſummo aggeris margine confertim defixis, munimentum habebimus ad multos annos durabile, & cum ad ſpeciem decorum, tum contra hoſtilem vim ſatis tutum. Vallorum modum ac ſpeciem quoniam ex Polybio Lipſioque petere promptum, ne actum agam, hic non deſcribo: hoc tantum addo, ſi valde robuſtos denſoſque, nec unica ſerie connexos defigamus, ita ut intermedia ſpatia luto paleis ſolidato ſtipentur, loricæ muralis uſum, atque, ut opinor, adverſus mediocria tormenta ſatis firmæ belle præbituros, & adverſus incendia vix penetrabilis. Figura Caſtelli opportunior videtur fore quadrata; cujus ſingulis angulis totidem propugnacula ad hodiernum morem applicabuntur. Magnitudo erit nec nimis laxa, ut nullo tempore veriſimile ſit eam implendam; nec rurſus adeo anguſta, ut quandoque creſcentibus incolis ſpatium deſit: id quod Ligurno oppido propter opportunitatem ac celebritatem illius portus memoria noſtra accidit: quanquam non æque id metuendum hic eſt; præſertim cum quantumcumque velimus, extollere domus ac tolerabili ſumtu terreas has munitiones proferre liceat. Portas ſatis erit binas relinqui, e regione invicem oppoſitas. Qua in re illud animadverſione dignum eſt, hujuſcemodi opera ac munimenta ab ipſiſmet agricolis, iis diebus, quibus a cultura agrorum feriabuntur, fieri poſſe: magna utique commoditate ac ſumtuum compendio. Magiſtratibus atque Judicibus haud ſane opus erit: niſi dum oppidorum faciem caſtella induerint, & numero ac ſplendore incolentium excreverint. Verum

Oppidum aliquod maritimum opportuni ſitus præædificandum videri.

Quænam ædificia ſtruenda.

Ædes ſacra.

Domorum numerus.

Foſſa.

Et agger ex ceſpitibus.

Atque in eo vallum.

Quid ad valli ſpeciem antiquam addendum videatur.

Figura Caſtelli quadrata.

Propugnacula in angulis.

Magnitudo Caſtelli.

Ligurni portus & oppidum nimis anguſte ſitum fuit.

Magna pars harum munitionum ab ipſiſ agricolis fieri poterit.

Vico-magistri. Eorum officium.

A sufficiet ex provectioribus ætate atque experientibus unum, vel alterum fieri Vicomagistrum, qui quandam præfecturæ speciem obtineat; ejusque opera, cum quid erit castellanis denuntiandum, Princeps utatur.

Rerum militarium magistri ac duces.

Adhæc duo, vel tres rerum militarium non omnino rudes ex iis, qui aliquot stipendia laudabiliter confecerint, (nec deerunt, si militandi præbebitur occasio) nec imperando sint prorsus inhabiles, rebus militaribus præficientur: nullis tamen militiæ insignibus, vel autoramentis supra agrestem modum decorandi. Eorum munus erit armorum tractationem cæteros docere, stationes servare, excubias agere, & reliqua ad hunc modum: ut si quando necessitas ingruat, incolæ Castellum defendere ac fortiter repugnare per se ipsos sciant.

Sine ullis præfecturæ insignibus.

B

Armamentarium, & Horreum. Horum custodes.

Quare utile erit unicum saltem Armamentarium, itemque unicum Horreum in Castello fieri; additis singulis custodibus, qui claves penes se habeant, atque earum curam gerant: qui nisi quantum opus erit in solo possederint, satisdato Reipublicæ caveant. In Armamentario servabuntur armorum aliquot paria, puta galearum, loricarum, hastarum, & sclopórum majoris formæ: minores quidem sclopi (cave de sclopulis manuariis intelligas) rusticis una cum gladiis permitti poterunt, ut ad sui defensionem atque in aucupio iis utantur; tum etiam ut diebus festis (quemadmodum in Gallia solent) in fossis Castelli, aut campo ad scopum, si volent, se exerceant. Poterunt etiam aliquot dena scorpionum, seu majorum arcuballistarum parari, quibus utiliter munitiones defensabuntur; præsertim si forte sulphuratus pulvis defecerit. Et sane hujus teli species apud bellicosam Gallorum gentem nondum plane exolevit; quamvis in expeditionibus ac præliis minime ab iis assumatur, sed in tuendis mœnibus maxime usum suum præstet; quemadmodum arcus & sagittæ apud Anglos, nationem alioqui pugnacem, nec sclopi tractandi imperitam.

Satisdato cavebunt.

Arma magis necessaria quæ paranda.

C

Exercitatio sclopi diebus festis permittenda.

Scorpionum seu arcuballistarum aliquot dena.

D

Eorum usus nondum apud Gallos exolevit plane.

Quid in Horreo reponendum.

Jam vero Horreum reponendo frumento, sali, cæterisque annonariis copiis, quæ vel incolis publice attribuentur, vel contra ab iis pensitabuntur, destinari quivis intelligit.

Opifices magis necessarii quinam in Castello statuendi.

E

In eodem Castello, ne quotidie rusticos ab opere avocari contingat, opifices magis necessarii, eorumque tabernæ collocabuntur; singulæ saltem in uno quoque genere opificii. Hi ferme sunt calceamentarii, vestiarii, artopolæ, lanii, mulomedici, fabri materiarii, ferrarii, cæmentarii, caupones.

Pharmacopola rei medicæ non omnino imperitus.

Ad tuendam etiam sanitatem satis erit vel unicum esse pharmacopolam, qui rei medicæ non sit prorsus imperitus, eique facultas dabitur propter loci tenuitatem alia quædam ad victum utilia vænum exponendi. Unicus etiam tonsor sufficerit ad chirurgi vices, in levioribus saltem curationibus, implendas.

Tonsor pariter rei chirurgicæ non plane rudis.

F

Prorutabula vulgo *Priar-di*.

Consultum etiam fuerit ad evitanda prorutabulorum pericula, quibus de improviso ac nocturnis fere impressionibus castella oppidaque, perruptis claustris a Turcis vel grassatoribus, opprimuntur, Pontes subductarios singulis Portis adnectis; nonnullaque tormenta muralia, saltem minoris formæ, quæ in Propugnaculis statuantur, incolis tradi.

Pontes subductarii. Tormenta muralia minoris formæ.

Verum cum præcipua cura esse debeat, quę ad opportunam collocationem idoneamque dispositionem Castelli pertinet, operæ pretium duxi, (quanquam nimio fortasse arrogans videbor iis pertractandis, quorum minime scientiam profiteor) tamen ut hæc πραγματεία absolutior sit, quidnam præterea in distributione ædificiorum observandum videatur, indicare. Siquidem igitur collem ceperimus modice editum satisque capacem, in summo ipsius vertice totum Castellum ædificabimus; sin autem apex sit angustior, collis vero ita sublimis, ut tecta alicui lateri applicata nihilominus ab infima planitie satis extollantur, tum Ædes sacra in summo exstruetur cum adjuncta Area, eoque numero Casarum, quem locus recipiet: reliqua Castelli pars ei lateri potissimum applicabitur, quod verget in Septentrionem. Igitur in hujusmodi positionibus perpetuo fere hæc regula servari poterit; ut Ædis sacræ absis, seu postica pars, in Meridiem atque Austrum spectet, aut etiam versus Euronotum, seu Ortum hybernum, pro conditione cujusque loci; qua inspecta peritus Architectus utram volet regionem Cœli sectabitur. Sed ponamus Ædis sacræ anticam partem in Septentrionem, posticam in Meridiem constitutam esse, quæ positio sane cæteris salubrior existimari debet? nam de Ecclesiæ amplitudine ornatuque qualis esse debeat, nil certi definiri potest; cum id pro præsentibus copiis, tum pietate ac voluntate ædificantis æstimari oporteat. Cæterum auctor sim, ut ante frontem Ecclesiæ Pronaum sive Porticus statuatur, quæ multiplices usus præstabit, si satis lata pro loci conditione fiet; cujus tectum lapideis columnis, si ratio impensæ, aut commoditas suaserit; si minus, lateritiis parastatis suspendetur. Fenestras omnes specularibus cujuscunque generis muniri præstabit quam apertas relinqui, aeris noxii vitandi causa.

Quomodo colli edito & in summo capaci inædificandum.

Quid in angustiori colle servandum.

Quid ubique fere.

De Ecclesiæ amplitudine & ornatu nil certi statui potest.

Pronaum templi multifariam utile.

Fenestræ Ecclesiæ specularibus muniendæ.

Cœmeterium extra Ecclesiam potius fieri oportet quam intra eam structilia monumenta; etsi hic mos hodie ubique fere inolevit. Non raro enim hujusmodi conditoria non satis diligenter operculata adeo fœtentes halitus eructant, ut non sine valetudinis periculo diutius quis ibi consistere possit. Ante Ædem sacram, ubi ampla Area aperiri nequibit, saltem Platea pro modo lata relinquatur; recta regione secundum Ædis longitudinem producta.

Cæmeterium extra Ecclesiam faciendum.


Conditoria structilia in templis sæpe fœtent.

Area, seu Platea ante Ecclesiam.

Ab utroque latere Plateæ Domuum series collocabuntur; singulæ tricenarum fere, aut quinquagenarum; quarum hæc Orientalis erit, illa Occidentalis; utrique a tergo alia series totidem Domuum adjicietur; relicto tamen inter utranque eo spatio, quod binis in ordinem Chortibus collocandis sufficiat; ita ut singulæ Domus singulas pone se habeant, a fronte, & a lateribus maceriis, vel sepibus invicem divisas. Verum ut omnia clarius elucescant, non ab re fuerit supradictam Castelli distributionem apposito Schemate ob oculos ponere.

Domuum series utrinque quomodo collocandæ.

Singulis Casis totidem Chortes adjungendæ.



Hæc Domorum dispositio accommodatioris locis, ubi venti Occidentales graves non sunt.

Hæc ædificiorum disposito potissimum conveniet iis locis, ubi tam Occidentis quam Orientis adspectus saluber est. Ibi A enim januæ Domorum tam in publicum exeuntes quam in Chortes; itemque fenestræ utrobique spectantes partim ad Ortum,

Januæ Domorum & fenestræ.

partim ad Occaſum aperientur: extremæ etiam Domus, id eſt, ab Eccleſia remotiores, a Septentrione etiam lumina atque introitus habere poterunt. Ubi vero nec Occidentalis adſpectus, ventique inde ſpirantes tuti ſunt, major erit adhibenda cautio, ac diverſa paulo diſpoſitio: namque ad eoſdem Cæli cardines directis cum ipſius Eccleſiæ, tum vicorum limitibus, Domorum tantum parietes alio modo ordinabuntur: ita ut in utroque latere tam Orientali quam Occidentali vacuum ſpatium inter geminos Domorum ordines, videlicet interiorem atque exteriorem, relinquatur, hoc eſt, minime Chortibus attribuatur; ſed ut in urbanis ſemitis, pervium fiat. Chortes (quæ multis ruſticorum uſibus neceſſariæ ſunt) ſingulis Domibus alternatim interſerantur; januæque ac feneſtræ ad Septentrionis & Orientis regiones dumtaxat aperiantur: exempli cauſa, Series Domorum interior lateris Occidentalis januas in Plateam Caſtelli, ſeu malis Aream Templi, exeuntes ha-

Alia diſpoſitio Domorum, ubi venti Occidentales noxii quoque ſunt.


Chortes ruſticis multis modis utiles.

A

bebunt: feneſtras item anteriorum cubiculorum eodem reſpicientes: oſtia Chortibus applicita Septentrionem adſpicient: in poſtica vero parte cubicula indidem a Septentrione illuminabuntur: Porticus, quæ Chortis partem quandam tegere debent, Orientem ac Plateam verſus ſpectabunt. Verum in lateris Orientalis interiori ordine Domuum omnia contrario modo fient: nam januæ quidem minime in Plateam patebunt, ne Occidentales ventos excipiant; ſed in poſtico, qua ſemita binos ordines tectorum diſcriminat, aperientur; eodemque reſpicient feneſtræ contiguorum, ſeu Orientalium conclavium, & Porticus ruſticæ in Chortibus: cubicula vero, ſeu conclavia Plateæ continentia feneſtras pariter a Septentrione habere poterunt: & vice verſa, hujus lateris exterior ſeries, ſicut interior Occidentalis ordinabitur: quemadmodum exterior Occidentalis, ſicut interior Orientalis; ut ſequens Ichnographia oſtendit.

B

Notandum eſt in utroque Schemate Chortibus ruſticis adjunctas eſſe Porticus, quibus in hoc tantum littera X. apponitur: tum quod Auctor de hac Domorum diſpoſitione agens earum meminerit, tum majoris perſpicuitatis gratia, quod præſens Domorum alterius lateris Ichnographia laxiori forma deſignatas exhibeat.



Maceria altior, quæ Auſtrum arceat, ubi ſtruenda.

Cæterum extremus limes, qui in priori διατυπώσει ſeries Chortium Auſtrum verſus terminat; in poſteriori vero diſtributione vicos, ſive ſemitas finit, præcludi poterit Maceria, ſive Muro altiori, qui Auſtrinos flatus quam maxime arceat, præſertim ubi Caſtellum non acclivi, ſed plano loco collocabitur. Poſt eam Maceriam ad Ædis ſacræ utrunque latus totidem Luci ſtatui poterunt, ſive unicus, qui totam Eccleſiam excepta fronte ambiat, ex proceris ac denſis arboribus, puta cupreſſis, pinis, ulmis, prout hanc vel illam ſpeciem loci conditio magis adamaverit: nam & eæ, quibus

Arbores φυλλοβόλοι etiam utiles

folia decidunt, utiliter assumentur; cum æstate potissimum usus suos habituræ sint. Quare non mediocris loco gratia, atque ornatus conciliabitur: totaque Australis Castelli regio partim objectu Ædis sacræ, partim Luci (qui ejus altitudinem facile æquabit) obsepta, Austrinos flatus, quantum opus erit, excludet: idemque præstabunt altiora quædam ædificia ad utrumque latus Ecclesiæ in vicorum capitibus juxta Luci limites excitata, puta hinc Horreum, illinc Armamentarium. Cavendum porro erit, ne in Australem regionem, ubi Lucus est, aditus ostiorum patefiant a Septentrione in Meridiem, sed obliqui potius, ut in priori Schemate: in quo non tantum Orientalis Ecclesiæ & Pronai paries singulis ostiis perforatur, sed Occidentalis etiam: in hac enim parte totidem fieri posse dictum est, ubi flatus inde spirantes non fuerint insalubres.

Ædis sacræ & Luci altitudo noxios ventos arcebit.

Idem præstare poterunt Horreum & Armamentarium.

Cautio adhibenda in luminibus ostiorum & fenestrarum aperiendis.

Sed communis quædam regula in ostiorum ac fenestrarum luminibus aperiendis tradenda videtur; ut si alicubi Australium ventorum ingressus vitari non poterunt, detur opera saltem, ut exadversum aditu patefacto ex facili effluant; ne quoquam impingentes resiliant, aut resideant. Multis enim id modis nocet ac longe perniciosius est, quam si in transcursu tantum pestilens aura locum aliquem inficiat.

In aggeribus Castelli lauri obserendæ.

In aggeribus Castelli eleganter atque utiliter lauri singulæ, vel binæ seri poterunt; quæ & loci gratiam & salubritatem etiam augebunt, ac munitiorem efficient. Quod genus arborum, ut præ cæteris seligendum putem, magis etiam quam ulmos, populosque, quæ *Antuerpiæ* ac Lucæ mœnia eleganter coronant, illud maxime me movet; quod earum umbram atque halitum non minus salutarem esse quam odoratum verisimile sit: quod Herodiani adstipulatu confirmari potest, qui lib. I. *Hist.* Commodum Imperatorem ad evitandam pestilentiam Laurentum secessisse scribens, ait id a Medicis ei persuasum, quod existimarent sylvas laurorum, quibus illa regio abundabat, suavitate odoris & umbrarum amœnitate ad aeris propulsandam contagionem plurimum valere. Sed præstat hic Auctoris testimonium afferre: Κόμμοδος, συμβουλευσάντων αὐτῷ τινῶν ἰατρῶν, εἰς τὸ Λαύρεντον ἀνεχώρησεν· ἐπιψυχέστερον γὰρ τὸ χωρίον, καὶ μεγίστοις κατάσκιον δαφνηφόροις ἄλσεσιν (ὅθεν καὶ τὸ ὄνομα τῷ χωρίῳ) σωτήριον εἶναι ἐδόκει, καὶ πρὸς τὴν τοῦ ἀέρος φθορὰν ἀντέχειν ἐλέγετο, εὐωδίᾳ τε τῆς τῶν δαφνῶν ἀποφορᾶς, καὶ τῆς τῶν δένδρων ἡδείας σκιᾶς. Id est, ut vertit Politianus, *Commodus (ita scilicet quidam medicinæ periti persuaserant) Laurentium secessit: quod frigidior ea regio sit, sylvisque e lauru permultis opaca, a quo etiam regioni inditum nomen. Valere enim plurimum ajebant ad aeris evitandam contagionem, cum odores laurorum, tum ipsarum amœnitatem umbrarum.*

Quarundam arborum umbræ graves.

Conjectura a contrariis ducta.

Quinetiam cum quarundam arborum, (quid nisi propter halitus spirantes?) ut nucum ac taxorum, graves umbræ noxiæque perhibeantur, contrarium illis genus salubrium solertissimam benignamque naturam non genuisse rationi congruum non est. Quod si quis in gravioribus locis lauros, in salubrioribus ulmos, aliasve hujus generis serendas esse putaverit, non repugno. Illum etiam usum hæ arbores præstabunt, ubi crassiores evaserint; præsertim ubi nec mœnia, nec loricæ murales erunt; quod post eas tutius consistere poterunt explodendis sclopis milites, qui locum tuebuntur.

Alius usus harum arborum.

Casæ rusticorum quam altissimæ faciendæ.

Illud quoque monendum videtur, ut Casæ hujusmodi rusticæ, tametsi propter crassitiem parietum duplicabitur impensa, quam altissimæ fiant, ut ad purgatiorem ac salubriorem aerem tanto propius accedant.

Fornicum usus quam olim frequens.

Adnotasse præterea videor, fornicati operis atque omnis generis camerarum usum valde frequentem apud Antiquos fuisse, non modo in publicis ac lautioribus ædificiis, sed etiam in privatis ac rusticanis; ut ex parietinis passim extra Urbem occurrentibus animadvertere licet. Eorum exemplo camerata in primis cubicula fieri vellem, nisi sumtus modum excedat; non tam quia per æstatem frigidiora sunt (nec enim id agrestibus hominibus curæ esse debet) sed quoniam crassiores firmioresque parietes ideo ædificandi erunt: qui & diutius durabunt, & non tam facile rimis patebunt, quæ humentes ac noxios regionis flatus admittunt.

Camerarum in cubiculis utilitas.

Aquæ salubres omni ratione conquirendæ.

Aquarum vero salubrium copia dici vix potest quantum utilitatis allatura sit: ideoque iis deligendis non minor cura adhibenda est, quam aeris ac situs. Omni igitur studio curandum, quam optimæ ac frigidissimæ, (nam & id magni refert æstivis caloribus mitigandis) ex quocunque genere haberi poterunt, conquirantur. Ubi ergo manantium aquarum copia non erit, illi putei, si intus salubres erunt venæ; si minus, cisternæ ædificandæ erunt, quæ ad usum incolarum sufficiant; nec impensis tam necessariis parcendum: quanquam vix uspiam, quantum ego conjicio, id necessarium erit: quotus enim locus occurret ubi, si putealis aqua, aut fontana potui idonea deficiat, non ab aliquo fluvio rivoque duci possit? Nam in Latio quidem præter Tiberim, atque Anienem, & obscuriores quosdam fluvios in alterutrum defluentes, Veresis mediocris amnis, (nunc teste Cluverio *Paserano* dictus) qui paulo supra *Gallicanum* exortus, quatuor millia passuum infra Tibur Anieni miscetur, circumjectis campis ferme sufficere potest. Sub Urbe Roma Almo tenuis, sed nobilis antiqua superstitione fluvius, inter primum & secundum lapidem in Tiberim labitur; qui vulgo *Acqua d'Accia* dicitur: unde similitudine nominis, ut existimo, inducti quidam aquam Appiam, quæ opere arcuato in Urbem olim ducebatur, esse putant. Sequitur exiguus & ipse, sed clarus fabulis, fluvius Numicus, sive Numicius dicendus est, juxta locum, ubi quondam Lavinium situm erat, exoriens; ac tribus infra milliaribus in mare influens. Dehinc juxta *Neptunium* Loracina prælabitur, & ipse modicus fluviolus; sed aquæ, ut conjectura fert, non malæ: siquidem ex eo C. Lucretius*, qui Prætor bello Persei Macedonico fuerat, impensa sua aquam Antium perduxit. Ultra Antium Astura amnis celebrior (hodie etiam nomen retinet) & major, e montibus longius in mare delabitur. Post hunc Nymphæus; aliique, qui in paludes Pontinas confluunt. Nec desunt etiam in proximo alii uberes ac salubres rivi, quamvis mi-

Quid faciendum ubi manantes aquæ non sunt.

Enumeratio fluviorum Latii.

Tiberis.

Anio.

Veresis fl.

Almo fl.

Numicius fl.

Loracina fl.

Astura fl.

Nymphæus fl.

* Livius lib. XLIII.

minime fluminum vocabulo insigniti; qui non modicam aquæ copiam accolis suppeditent. Ut aqua Crabra, (hujus Cicero pluribus locis meminit) quæ sub Tusculo uberi vena scaturiens rivum efficit, qui ubi proximos hortos rigaverit, vallem Circi Maximi inter Palatinum & Aventinum secans, Tiberi commiscetur, aquæ *Maranæ*, seu *Marianæ* vocabulo. Ut aqua Ferentina, quæ sub *Marino* Castro in nemorosa valle pulcherrimo ac copiosissimo fonte promanans, infra quartum ab Urbe lapidem in Tiberim fluit. Nec omittendus Juturnæ fons, & lacus; nam & hic præcipue ob salubritatem ab Antiquis celebratur. Varro lib. IV. *de Lingua Latina*: *Nympha Juturna, quæ juvaret. Itaque multi ægroti propter id nomen hinc aquam petere solent.* Servius *ad lib.* XII. *Æneidos*: *Juturna fons est*, inquit, *in Italia saluberrimus juxta Numicum fluvium, cui nomen a juvando est inditum*. Hunc Juturnæ fontem, ut Cluverius ostendit, necesse est eum esse, qui ex Albani montis radicibus atque ex ipso lacu, ut vulgo fertur, profluens, sub ipsa Via Appia sonorus & copiosus adeo, ut statim molas verset: unde non longe progressus in lacum diffunditur haud magnum, quem paululum corrupta voce *Lago di Turno* nunc vocant: ex lacu deinde ad Tiberim defertur, cui miscetur quinto milliario ab Ostia, septimo vero ab Urbe Roma. Notandum tamen est M. Tullii quoque atque Augusti Cæsaris ætate ex lacus emissario in usum agrorum reductis claustris aquam derivari solitam fuisse. Ostendit id locus Ciceronis II. *de Divinatione* post hiatum quendam. .. *Ita aqua Albana deducta ad utilitatem agri suburbani, non ad arcem, Urbemque retinendam*. Dionysius *lib.* I. Ἡ δὲ λίμνη βαθεῖα ἐςὶ καὶ μεγάλη, καὶ αὐτὴ διὰ κλεισιάδων ἀνοιγομένων ὑποδέχεται τὸ πεδίον ταμιευομένων ὁπόσα βούλονται τῶν ἀνθρώπων τὸ ὕδωρ. Id est, *Lacus profundus est atque magnus, ex quo reductis claustris in subjectos campos aqua promitur, quantum ejus volunt incolæ*.

Aqua Crabra.

Aqua Ferentina.

Juturnæ fons & lacus.

M. Tullii & Augusti Cæsaris ætate ex emissario lacus Albani aqua rigandis hortis deserviebat.

Deinde ut alios quosdam lacus, Nemorensem scilicet, sive Aricinum, nunc *Lago di Nemi, o di Genzano*, Regillum, nunc *S. Praxedis* nuncupatum, pertranseam; itemque nonnullos olim celebres fontes, multorum aquæductuum capita, scatebrasque, (quas exaruisse non est credendum) e Latii potissimum regione Urbem olim influentium, nunc vero deperditorum, si quis in eo curam intendere vellet, facile deprehendet: ut aquarum Juliæ, Tepulæ, Appiæ, Martiæ. Quinetiam ex ipsismet ductibus, qui in Urbem hodie influunt, e Latio quidem aquæ *Felicis*, e Tuscia *Paulianæ*, (sive ea Sabbatina, sive Alsietina est) quæ non optimæ potui deprehenduntur, quædam pars in usum agricolarum atque οἰκήσεων propinquarum concedi poterunt: quæ nihilominus rusticanis hominibus erunt non ingratæ, aut inutiles; præsertim si antequam bibantur, in cisternis ad id factis eliquentur attenuenturque, quod factu difficile non est: geminæ enim cisternæ fabricantur invicem junctæ, non modicæ amplitudinis, si castellis vicisque integris inservire debeant; sed altera capacior minuta glarea substernitur, per quam minutatim aqua transcoletur in alteram minusculam, unde hauritur: atque hac ratione commodior potui evadit.

Lacus Nemorensis & Regillus.

Aquæductuum veterum fontes.

Qua ratione supradictæ aquæ commodiores reddi possint.

Geminæ cisternæ quomodo fabricandæ.

Hæc igitur, aliaque ignobiliora flumina, lacus, fontes, quos sciens prætereo, regionem Latii rigant: proxima autem Etruria ac Sabinorum ager non minus quam Latium saluberrimis aquis exuberant. Quibus igitur locis longinquior erit aquatio, quacunque ratione poterit, eo aquam ducendam vel opere arcuato, vel subterraneis cuniculis, vel apertis rivis existimo; ut res humanæ vitæ tam necessaria potius redundet quam deficiat: præsertim si non vicum, castellumque, sed aliquod oppidum reficere, aut de novo condere atque ornare aggrediemur. Qua in parte non minus quam ceteris rebus majores nostros & magnificos & diligentes fuisse cognoscet, qui aquæductuum quæ Ostiæ supersunt vestigia, quamvis tam propinquo Tiberi, inspexerit: quales & Antii, aliisque non ignobilibus oppidis sine dubio exstiterunt. Sanæ hæc salubrium aquarum conquisitio inter magis necessaria atque utilia opera præsentis πραγματείας adscribenda est; adeo ut cum paludum exsiccatione probaque ædificiorum collocatione contendat: quibus tribus quasi præcipuis fundamentis tota hæc molitio innititur: quod ita esse tum antiquis, tum recentibus experimentis probandum insuper videtur.

Etruscus, ac Sabinus ager non minus quam Latium aquis abundans.

Quid faciendum ubi longinqua erit aquatio.

Antiqui diligentes & magnifici in proximis oppidis aquæ copia instruendis.

Quam sit utilis ac necessaria hæc salubrium aquarum conquisitio.

Herodes Atticus, non magis liberalium artium studiis quam ceteris laudibus florens, atque ob id Imperatori Hadriano carus in paucis, cum super Principis gratiam opibus etiam polleret, Canusium non obscurum Apuliæ oppidum aquæ inopia valde laborans, (ut omnis ferme ea regio, adeo ut multis in locis hodieque pretio ematur) atque ob id desertum, inducta aqua ut frequentaretur rursus ac reflorescere effecit: Ὤκισε δὲ (inquit Philostratus) καὶ τὸ ἐν Ἰταλίᾳ Κανύσιον ἡμερώσας ὕδατι, μάλα τοῦτο δεόμενον, id est, *Canusium in Italia inducta dulci aqua, cujus vehementer indigebat, habitabile reddidit*. Nostra vero ætate cum Pisis æstivo tempore plurimi ægrotarent, eaque civitas salubris aquæ copia vehementer deficeret, Ferdinandus Primus maximi animi ac providentiæ Princeps rem dignam sua magnitudine aggressus est: nam conquisito perductoque aquæ rivo eam urbem & ornavit atque insigni utilitate affecit; nam ab eo tempore tanta mutatio insecuta est, ut longe salubrius ac tutius ibi incolæ degant. Sed nihil attinet omnia ea loca, quæ inductis aquis convaluerunt ac salubria facta sunt, curiosius persequi atque in superfluis morari Lectorem.

Exemplis id confirmatur. Philostratus in ejus vita.

Canusium inducta ai qua ab Herode Attico reædificari ac frequentari cœpit.

Pisarum urbs ob eandem causam commodius habitatur.

Quod reliquum est præter dictas molitiones alia quædam maximi momenti sese scribenti objicit: sed quæ propter magnitudinem operis non nisi longo tempore & a multis hominibus perfici potest; ideoque non nisi post multiplicatos cultores regionemque tractabiliorem jam effectam de ea cogitandum videtur. Sed tamen quandocunque licuerit, tentanda utique est, cum prius inter peritos constiterit operis fructum non minorem labore atque impensa futurum; nec negotium supra modum impeditum fore. De hoc enim judicium ferre non est ejus, qui ut libere ac simpliciter, ita parce

Aliud opus magnæ molitionis, quod d[illegible] tanter proponitur, nec nisi longo post tempore tentandum.

ac modeste in publicum usum cogitationes suas profert, non ut normam agendi aliis tradat, sed ansam potius ac materiam meliora proferendi. Etsi igitur perdifficile videatur naturalem statum ac διάθεσιν finitimæ regionis corrigere atque immutare; ideoque nullo humano consilio, nulla vi, aut operibus littoris positio ac facies (quam inter præcipuas pestilentis aeris causas tertio loco recensuimus) in aliam speciem converti possit; arbitror tamen & huic incommodo remedium aliquod satis certum atque efficax me reperturum, si laboris atque impensæ ratio constaret. Sed res exemplo fiet manifestior.

Bataviæ & Frisiæ ora littoralis qualis.

Agge res sive *Dunæ* Batavorum, ac finitimorum.

Hujusmodi aggeres in his littoribus constructi fortasse tertiam insalubritatis causam tollerent, aut mitigarent.

Batavorum ac Frisiorum ora littoralis adeo humilis ac depressa est, ut ab Oceani fluctibus quandoque demergeretur, (sicut portioni cuidam *Zelandiæ* evenit, cujus adhuc sub aquis turres tectorumque culmina conspiciuntur) nisi aggeribus quibusdam præaltis ac continuis in extremo margine appositis, quas *Digas* sive *Dunas* vocant indigenæ, maris æstum ac violentiam arcerent. Ad hoc exemplum si humilis hæc & declivis Latini Tuscique littoris plaga, qua primum madescere fluctu incipit, hujusmodi aggeribus præductis communiretur; fortasse si non in totum, at majori tamen ex parte, pestilentium θυμιάσεων fomes, atque origo cessaret. Ut enim penitus tolli posse verear illud me movet, quod cum longius a littore hujusmodi aggeres jaci nequeant, tum propter immensitatem operis, tum quod intrinsecus vacuus locus complendus esset, probabile est proximiorem adhuc maris partem, utpote parum profundam, nonnihil exhalaturam: quodque magis refert, ubicunque flumina ac rivi sese in mare exonerant, atque ubi incilia palustribus aut pluvialibus aquis exhauriendis aperienda erunt, intermisso ibi intersectoque aggeritio opere quandam æstuarii speciem futuram, quæ non perinde salubris evaderet. Veruntamen non magnopere id mihi formidandum videtur; sed potius credendum hoc opere absoluto, multis partibus campestris hujus regionis aerem puriorem, sicciorem, ac denique commodiorem fore.

An majus esset periculum piraticarum exscensionum.

Respondetur oram maritimam potius tutiorem fore.

Nec est, cur quisquam vereatur Turcarum ac Maurorum exscensionibus oram Latii maritimam (cujus unica tutela perhibetur littoris natura importuosa atque inaccessa) propterea magis expositam fore; cum eo loci aggeres ducendi sint, quo brevibus tantum naviculis dabitur accessus: immo siquando piratarum navigia aperta vi milites exponere conabuntur, tanto magis nostris ex superiori loco repugnandi facultas præstabitur. Atque hæc præcipua ferme opera sunt, quæ ad conciliandam agro Romano salubritatem tanquam fundamenta quædam præstruenda videntur.

Aliæ molitiones tanquam subsidiariæ.

Arborum ordines in campis.

Sunt & aliæ levioris operis molitiones tanquam subsidiariæ; quæ licet a majoribus, quas dixi, sejunctæ parvum momentum sint allaturæ, attamen iis adjunctæ non leviter collatis viribus conducent. Hujus generis sunt arbores, quæ si recto ordine circa camporum limites conserantur, & fructum iis & gratiam augebunt; atque agricolis sub meridiem opus facientibus, fervidioribus horis (quibus interquiescere ii solent) non sine magna valetudinis commodo tutamen aliquod ab nimio Solis ardore præbebunt: qui eousque vehemens circa Romam est, ut supra diximus, (ob aeris crassitiem sine dubio) ut non tantum urbanis ac delicatioribus hominibus, sed durioribus etiam ac rusticis vehementer obesse possit; etsi non statim ejus violentia, noxaque ab his sentitur. Laudaverim itaque in primis ut, præter arbores fructiferas, aliasque lignorum, aut pabuli causa deplantandas, quam creberrimis locis sylvulæ aucupatoriæ more nostratium Florentinorum plantarentur, maxime secundum fluvios rivosque; quos hic non deesse supra demonstratum est. Multas enim ac multijuges commoditates & delectationes exhiberent: nam neque tantum misellis agricolis umbracula meridiantibus offerrent, sed etiam cremium lignorumque nonnullam copiam ad usum furnorum ac domestici foci: quoque caput est, fundorum dominis jucundissimum in primis aucupii genus maxima anni parte suppeditarent.

Sol hic valde vehemens.

Sylvulæ retiariæ sive aucupatoriæ Florentinorum.

Earum utilitates.

Sed quoniam res est non passim omnibus nota, consultum videtur, ut data occasione, in gratiam eorum qui ingeniosa commenta adamant atque imitari student, hujusmodi sylvulas instituendi rationem ostendam, sicut a nostratibus in suis illis amœnissimis ac cultissimis fundis adornantur. Primum ergo locus eligitur, qui potius humilis & concavus sit quam sublimis, ne validioribus ventis infestetur; quique a sylvis aliquanto spatio sit remotus: maxime in agris cultis, ubi ficus, aliorumque agrestium fructuum, qui aves allicere possint, copia non desit: ac potissimum secundum fluvios, aut rivos perpetuo manantes; aut si ii desint, juxta torrentes, qui autumno saltem atque hyeme fluant.

Earum descriptio atque aucupandi modus.

Electio loci.

Totus autem is locus, quem conserere voles, pastinandus prius est satis alte, ut felicius stirpes proveniant. Longitudini nullus modus præfiniri potest: latitudini decem, vel duodecim ad summum passus sufficient; quantum scilicet rete majoris formæ, quod Pantherem sive Panagrum dicere possumus, (vulgo *una ragna* vocatur) in transversum extenso obsepiri potest. Ubi locus repastinatus est, omne genus sylvestrium arborum ac fruticum ibi deplantatur, ex iis potissimum, qui baccas turdis ac merulis gratas diutissime proferunt, atque etiam ex perpetuo virentibus; quæ ita cum aliis admisceantur, ut sylva non transluceat. Hujusmodi sunt Lauri, Juniperi, Arbuti, Oleastri, Lauritini, Myrti, Ilices, Alni, Ulmi, Aceres, Pruni, Cerasi, Pyrique sylvestres, Corni, Frutices sanguinei, Vitices, Ligustra, Rubi; quinetiam Hederæ, Labruscæ, atque hujusmodi plantæ, quæ aliarum fultura egent, quæque copiosam gratamque avibus escam præbent, quam creberrimæ esse debent, ut libentius aves ibi consuescant. Laudatur & Salix perticalis; quoniam cum arefieri & putrescere incœperit, majores formicas complures gignit, quæ mirum in modum ab aviculis expetuntur. Quod si ficedularum magnam copiam habere potissimum voles, ficus frequentes utrinque juxta sylvam adserantur, maxime præcoces, atque ejus generis, quæ fructus dulces ac copiosos, diutissimeque pa-

Loci præparatio ac repastinatio.

Latitudo harum sylvularum.

Panagrum retis genus.

Quale genus arborum ac fruticum conferendum.

Præcipue copiosam escam suppeditantium.

Salix perticalis Florentinis *Saliune*.

Crebræ ficus ficedularum gratia juxta serendæ.

Ficus albiceratæ.

A riunt; cujuſmodi ficus *albæ* a nobis dictæ, Romæ ſatis ἀκύρως *fichi rovelli*, quæ Plinii albiceratæ eſſe videntur, ab albo cereoque colore ſic nuncupatæ. In hujus ſylvulæ medio relinquendus eſt trames purus, ut per eum ſinguli homines commode incedere poſſint: verum certis quibuſdam ſpatiis, puta quæ inter ſe interſint unico jactu lapidis, calles tranſverſi emundato loco faciendi; ejus latitudinis, ut cum rete ibi tenſum fuerit, impellente vento, non facile ſpinis, ac virgultis, ramiſque arborum adhæreſcat.

Trames per medium ſylvulam pergens. *Calles tranſverſi ad tendenda retia.*

B Utrinque vero ad extremos calles erigendi ſunt ſtipites ſinguli ejus menſuræ, quæ ſylvam ad certam altitudinis normam æqualiter detonſam paulum excedat. In horum ſummis capitibus trochleæ, vel harpagones affigendi ſunt; per quos tranſenna, quæ rete ſuſtinet, duci poſſit. Altitudo retis ea eſſe debet, ut in ſummo ſylvæ faſtigium adæquet; deorſum vero paulum ſupra humum attollatur, ita ut ſpatium ne deſit lapidibus, qui crebri funiculis quibuſdam ab imo margine dependentibus ſuſpenduntur, ſtabiliendi retis gratia, quod fuſco colore tingendum; ut cum extenſum eſt, quam minime cernatur, eoque magis aves decipiat.

Stipites utrinque juxta calles. *Trochleæ in ſtipitum vertice. Tranſenna retis.* *Lapides ab imo appenſi.*

C Quod ſi turdis ac minoribus ſimul aviculis capiendis idoneum cupis, anguſtioribus maculis faciendum eſt, ſed tam craſſo filo, ut a minoribus aviculis non impune trajiciatur; aut a turdis, meruliſve diſrumpatur. Porro rete hoc minuſculum utrinque retiis ſingulis craſſioribus ac grandibus maculis contextis prætegitur; ita ut omnium trium extremæ oræ ſimul conveniant, connexæque ſint communi funiculo, qui totum retis ambitum continet.

Panagrum pro turdis ac parvis aviculis ut faciendum. *Retia craſſiora utrinque panagrum tegentia.*

D Summus autem funiculus, qui rete extenſum ſuſtinet, anulis oſſeis adnectitur, qui per tranſennam (funis ſic vocatur a quo rete dependet) ducuntur. Superioribus angulis altrinſecus alii duo funiculi alligantur, quibus rete utrinque dilatatur atque extenditur; ſimilique ratione poſtea reducitur ac conſtringitur. Iidem extenſo rete utrinque ultra ſtipites humi alligantur. Infimi item anguli breviores ſingulos funiculos habent, qui infimam retis partem ad ſtipitem continent.

Funiculi ductorii. *Alii duo funiculi breviores deorſum.*

E Item a media ipſius, ſummaque ora ſinguli funiculi utrinque deſcendunt, qui cum æqualiter protenſi ſunt, ac deorſum alligati, diagonalem cum medio rete angulum efficiunt, præſtantque ne a ventis huc vel illuc impellatur. Extenſo rete danda opera eſt, ut creberrimi per omnem ipſius regionem ſinus fiant; ut cum aves impetu volantes impegerint, iis involutæ ne elabantur: quapropter medium rete tenue aliquanto amplius ac ſinuoſius fit, quam craſſiora duo, quæ extenſa nullos ſinus facere debent.

Alii duo funiculi mediani. *Sinus crebri faciendi.*

F Hujuſmodi autem ſinus, cum rete probe extenſum fuerit, ac funiculis quoquoverſus firmatum, geminis arundinibus in ſummo crenatis fiunt; quibus reſte variis locis comprehenſum, utrinde voles, per majores maculas educitur.

Modus aucupandi.

Modus autem aucupandi hic eſt. Ab uno capite ſylvulæ tres homines ſenſim incedentes ad eum locum pergunt, ubi rete ſubtenſum eſt; ita ut utrinque ſinguli juxta ſylvam, tertius medio ipſius tramite æqua fronte, vel aliquanto magis retro

A incedentes, tum adſpectu, tum modice excitato ſtrepitu aves intra ſylvam volitantes impellant in retia: cum hoc tamen diſcrimine, quod ſi turdos, præſertim ante adultam hyemem ac priuſquam pingues evaſerint, capere voles, leviſſimo ſtrepitu lentoque valde inceſſu in plagas urgeantur; alioqui perterriti facile evolant, atque aucupis ſpem decipiunt: ſin autem merulas, aliquanto majorem ſtrepitum pedum & virgultorum quaſſationem facere licet: ſi ficedulas atque ejuſmodi aviculas χαμαιπετεῖς,

Diverſa ratio pellendi aves pro earum differentiis.

B vehementius adhuc obſtrependum eſt; atque etiam ab iis, qui forinſecus incedunt, glebæ ac lapides antrorſum in ſylvam conjiciendi, ut piger avicularum, præſertim pinguium, volatus excitetur. Quin & illud in venatu turdorum ſolertes aucupes factitant, ne facile ii ſurſum avolent: fiſſiculo vocem accipitris imitantur; aut etiam ſi avis eſt ad manum, eam ſurſum dimittunt: qua, ut conſuevit, ſupra ſylvam circumvolante, majore metu perterriti turdi non audent evolare; ſed ſenſim ac taciti in plagas incurrunt. Atque hæc

Fiſſiculum, nunc fiſchio.

C ὁδῷ πάρεργον dicta ſufficiant de conferendis in agro Romano ad morem noſtrum retiariis ſylvulis, non minori cum utilitate quam oblectamento.

Nunc quod inſtat agamus. Quoniam vero ſuperius nonnullas externas atque adventitias cauſas delibavimus, quæ præter nativam Cœli hujus gravitatem, agricolarum valetudinem perturbant ac morbos exaugent; congruum videtur, ut & extraordinarias quaſdam cautiones oſtendamus, quæ plurimum & ipſæ ruſticis hominibus conferent ad bonam valetudinem conſer-

Extraordinariæ quædam cautiones ruſticis noſtris ſervandæ.

D vandam morboſque præcavendos. Ac primo quidem occurrunt aquæ: cum enim fortaſſe quantavis diligentia adhibeatur, ſuperfutura quædam loca ſint probabilis aquæ carentia, videndum eſt, num aliquo artificio (quando nihil fere eſt, quod induſtria non aſſequatur humana) aquæ probæ ac potabilis copia ubique haberi poſſit. Sunt quidem multa experimenta corrigendarum aquarum, quæ a variis afferuntur, ſed ea nimis operoſa ſunt, & potius explendæ curioſitatis quam tuendæ valetudinis: quæ

Cautio de aquis. *Artificia quædam depurandæ aquæ nimis operoſa.*

E putidum eſt recenſere. Omitto etiam ridicula & magica; quale eſt illud, quod Plinius de herba Æthiopide ex Magorum libris refert, amnes ac ſtagna ea conjecta deſiccari: quod tamen merito deridet: *Siccentur*, inquit, *hodie Æthiopide Pontinæ paludes, tantumque agri ſuburbanæ reddatur Italiæ*. Prætermitto quoque pulegium, quod, ſi aquæ inſalubres bibendæ fuerint, idem tritum adſpergi jubet: quod nimiam diligentiam, ſive potius curioſitatem redolet.

Plinius pulegium aquis potandis adſpergi jubet.

F At enim quod de allio produnt, ejus eſu aquarum vitia corrigi; & veriſſimum puto, & operæ pretium duco, ut de illius utilitate, quæ multiplex eſt, (adeo ut *theriaca ruſticorum* vocetur) agreſtes admoniti, magnam ipſius copiam, ubicunque ſedem fixerint, diligenter ferant. Quam præcipuam fuiſſe cauſam puto, cur olim Athenienſes navigationem adornantes allia in retibus impoſita ſecum ferrent; Romanique remiges tam libenter ea quondam edi-tarent: unde Plautus in *Pœnulo*, Act. 5. Sc. 5. ℣. 35.

Allii eſu aquarum vitia corriguntur. *Romani remiges allio utebantur.*

——— *tum autem plenior*
Allii ulpici, quam sunt Romani remiges.

Allii vis putredini resistens ac corroborans.

Habet enim allium vim quandam ἀντισηπτικὴν, hoc est, putredini ac corruptioni directo adversantem: tum etiam robur ac vires mirifice auget, excitatque spiritus; quanquam minime unguenta exotica redolens. Sapienter itaque Antiqui, qui ejus facultatem non ignorarent, atque animadverterent in navibus frequenter aquas corrumpi, (unde longiores navigationes sumentes in scorbutum morbum incurrunt, de quo supra nonnihil diximus) nautas, remiges, classiarios alliis præmuniebant; quæ non modo antidoti usum præberent, sed opsonii quoque. Erat etiam poscæ usus olim apud milites atque agricolas frequens; nunc etiam, ut audio, in Venetorum navibus; quam non sine magna utilitate æstivo tempore rustici nostri usurpare possent. Habet enim & ipsum acetum (quod aquæ admistum posca vocatur) vim putredini maxime resistentem, atque in magnis caloribus, ut notum est, multum refrigerat. Quinetiam animadvertisse videor poscæ potum apud nauticam turbam valde olim usitatum fuisse. Huc enim referendum est quod Suetonio teste A. Vitellius Asiaticum libertum olim sibi carum, Puteolis poscam vendentem deprehendit: quo in oppido propter propinquitatem Misenatis classis maxima nautarum & classiariorum turba versabatur. Atque hæc de potu dicta sufficiant.

In classibus frequenter aqua corrumpitur.

Poscæ usus laudatur.

Quid sit posca.

De cibatu rusticorum pauca.

De cibatu vero rusticorum quid attinet plura persequi, cum iis necesse sit vesci quæcunque casus obtulerit, aut præsens copia suppeditarit? cum tamen & illud in confesso sit, quo magis a noxiis pravisque alimentis abstinuerint, eo saniores magisque longævos fore. Ac fructus quidem in agro minus suppetere, tantisper dum ad pristinam salubritatem prorsus redierit, hominesque penitus ei insueverint, non adeo dolendum est. Notum enim puto quot & quam graves morbos per autumnum nimium liberalis fructuum esus conciteat: quibus si etiam aeris non omnino tuti labes accesserit, metuendum erit ne hominum quantumvis valentium ac robustorum natura tot adversis victa tandem succumbat.

Fructuum esus.

Largior fructuum esus morbos excitat.

De vestitu eorundem pauca.

Thoraces scortei laudantur.

A cibatu potuque proximum est vestitus dixisse rationem; de quo illud tantum monendum habeo, thoraces scorteos in hoc agro, & ubicunque noxii regnant venti, plurimum utilitatis allaturos: cum enim densa atque impermeabilis sit pellium materia, aeris ac præcipue ventorum injurias a corporibus valide prohibet; quæ alioquin multis cutis meatibus pervia, facile eorum malignam vim exciperent ac pravas qualitates imbiberent. Utantur igitur rustici, si me audiunt, scorteis corporis integumentis minime antrorsum apertis, sed prorsus clausis; quæ longe fortassis utiliora per æstatem forent quam per hyemem pelliceæ vestes; quibus eos Satyrorum instar amictos videmus, frigoris arcendi causa, vel potius ob pellium vilitatem. Solem autem æstate valde noxium capiti, præsertim eorum quos stantes & immotos ferit, cum omnes fateantur, (etsi rusticos nostros nimium delicatos neutiquam velim) quo-

A niam tamen his in regionibus, ut sæpius dixi, præter modum perniciosus est; laudaverim sane ut agricolæ ac pastores, dum æstate opus in agro faciunt ac pecora custodiunt, petasis, aut umbellis latioribus ex quacunque materia factis utantur: saltem usque dum perpurgato aliquantum aere, ortaque ex iis sobole, alii subnascantur huic Cœlo magis assueti atque assuetudine firmiores. Cum vero nocturno potissimum tempore Latini Cœli maligna noxiaque vis sentiatur, multa salubriter excogitari possent ad cubatum rusticorum spectantia;

Petasorum latiorum gestatus utilis agricolis ac pastoribus per æstatem.

Noctu maxime hujus regionis aer noxius.

De cubatu rusticorum.

B quæ non modice, ut ego quidem existimo, eorum sanitati conducerent: puta si in summa atque altissima ædium parte cubarent: si supra stramenta quædam ex siccis atque odoratis herbis confecta, quibus tomenti vice segestria inferciri possent: præterea conquisitis iis frondium herbarumque generibus, quæ assidue odoratos halitus remittunt, propriamque vim adversus aeris malitiam habent, manipuli ex iis parati parietibus & contignationibus utiliter suspendi possent; & majorem utique fructum quam fulimenta præstarent, quæ ad breve

C tantum tempus durant.

Aliud monitum levius de columbis alendis.

Pisces in cisternis aquam servant incorruptam.

Peristereones.

Illud quoque quamvis fortasse subtile nimis ac περίεργον non omiserim: sicut pisces in puteis ac cisternis agitatu suo creduntur aquam incorruptam tueri; ita fortasse columbæ circa rusticorum tecta volitantes, nonnihil aerem, præsertim immotis ac silentibus ventis, ventilarent ac tenuiorem melioremque efficerent. Quare quam creberrimos peristereones in summis tectorum culminibus faciendos censeo: ex duplici autem columbarum genere dome-

D sticas potius, quæ haud longe a nido recedunt, ideoque ad hoc officium accommodatiores sunt, deligendas. Quod si quis suspicetur, propterea quod hæ aves pestilentiæ tempore occidi solent, bonitati aeris potius officere ratus a stercoris odore id provenire; sciat enecari eas consuevisse, quod facile de loco in locum pestilentiæ semina, ut cæteræ quoque aves, animaliaque domestica, transferre possint: non quod ipsarum stercus cæteris gravius atque ad citandam pestem efficacius sit; immo cum prærcalidum sit, siccæque facultatis, adeo

E ut a Medicis in usum τῶν σιναπισμῶν adhibeatur, videtur potius pestilentiæ adversari, sicut reliqui quoque acutiores odores. Sed de hoc quidem Medici judicabunt: nobis non vacat de columbino fimo disputare.

Ex utro columbarum genere seligendum.

Objectio quorundam.

Pestilentiæ tempore columbæ non occiduntur propter stercoris odorem: sed quod pestis [illegible] transferre possunt, ut cætera domestica animalia.

Camini focique frequentes aeri prosunt.

De caminis vero tam notum est, quam quod notissimum, eorum frequentia crebraque succensione aerem perpurgari atque effici salubriorem: quare fusius de hoc agere nihil attinet.

De stipularum incensione quædam.

Quamobrem id fiat Loco stercorationis adhibetur.

F Verum locus admonet, ut de stipularum succensione aliquid dicamus: solent enim Romanenses agricolæ peractis messibus (quas non ad infimum solum servandæ paleæ gratia, ut nostrates faciunt, quibus fœni penuria est, sed ad medium culmum recidunt) Augusto mense, circa Idus fere, ignem stipulis immittere, ut una incensis malignis herbis, earumque seminibus, (quod stercorationis pariter ac fermentationis terræ vicem implet) cum autumno insequente solum proscissum fuerit, lætius deinde segetes proveniant. Unica enim hæc fere

est campestris hujus regionis stercorandæ ratio. Cæterum id non hodie atque heri inolevisse ex eo colligitur, quod in Calendario rustico lapideo, quod est in peristylio Farnesianæ domus, sub Augusto mense legitur STVPVLAE . INCENDVNT. id est, incenduntur: quod item exstat in altero simili Calendario Vallensium, nisi quod quædam verba aliter concipiuntur; ut hic STVPLAE, (pro stupulæ, sive stipulæ) unde proxima in hodiernum vocabulum *stoppie* mutatio emanat: quapropter ut rei fortasse nimis notæ tritæque Scriptores Rei rusticæ qui quidem exstant, Vergilio excepto, mentionem facere supersederunt. Quindecim vero dierum spatio plus minus hæc stipularum durat incensio; nisi quod prout sicca, aut pluvia fuerit æstas, ita vel maturius, vel serius perficitur. Iis diebus manifeste Romæ calor intenditur: tum vero aer densus ac fumidus circa Urbem facile animadvertitur. Etsi autem non ea gratia stipula succenditur: hinc tamen quandam aeris depurgationem subsequi, & communis fert opinio, & ratio ipsa convincit, quæ purgatricem igni vim indubie tribuit. Quamobrem institutum esse huic Urbi saluberrimum, quidquid putet Bernardus Saccus in *Historia Ticinensi*, minime dubitandum. Poterit fortasse nonnunquam contrarium accidere; ut si per eos dies pluviæ forte deciderint, atque ita humor intempestive cum calore adventitio nimioque, qui febrium seminarium esse solet, geminetur. Sed id vix, aut perraro evenit: quare minus est attendendum. Insignem vero vim esse ignis ad aerem depurgandum, illinc quoque discere possumus, quod inter alia depellendæ pestis remedia, Medici doctissimi præcipiunt crebras lignorum strues succendi, quibus perniciosa lues per aerem inexplicabili modo diffusa tollatur. Quod divinus Hippocrates in magna illa pestilentia, quam Thucydides describit, non sine ingenti utilitate magnaque sua laude factitasse proditur. Deinde si calor siccus ac purus, quantumvis vehemens, humanis corporibus tantopere incommodaret, non tam salubris esset Africa, ac Numidia, cujus incolas raro morbis tentari, sed senectute plerunque dissolvi gravissimus cum primis Auctor Sallustius scribit in *Jugurthino*. Non negamus tamen quin locis natura siccis & fervidis, si æstas supra modum calida contigerit, febres ardentes acutæque nonnunquam exsistant: quod tamen fortasse non tam caloris immodici culpa, quam pravorum humorum vitio, (sive a victu inordinato, sive a præcedenti aeris constitutione) quos subsequens æstus in venis corrumpit ac putrefacit, evenire crediderim. Sic Anno MDCVII. quo æstas calida ac sicca fuit, in Apula & Campaniæ locis nonnullis calidioribus magna copia febrium acutarum atque ardentium succrevit, ex quibus multa millia mortalium interiere, ut Nicolaus Eustachius testatum reliquit. * Quanquam hujuscemodi morbi epidemici, cujuscunque generis sint, non tam vitio tempestatum atque aeris, quam superiorum corporum ac syderum multifariam coeuntium, maligna quadam vi in hæc inferiora occulto influxu derivantur. Quibus omissis, quæ ad præsens institutum non faciunt, non modo retinenda videtur hæc stipulas incendendi consuetudo, quæ hactenus in Latio viguit; sed sumto hinc exemplo quam creberrimos ignes circa οἰκήσεις, si quæ in proximo fient, post eas consumtas excitandos putaverim usque ad autumni conversionem: quod tempus Græci, ni fallor, φθινοπώραν vocant. Hæc si recte atque ordine fient, quavis sponsione facta reciperem, rem ex sententia processuram.

Ast his operibus ac προπαρασκευαῖς omissis, quicunque agricolæ in has terras inducentur, in certissimum exitium dabuntur. Quod inter alios expertus est aliquot abhinc annis optimus ac nobilissimus vir Jo. Baptista Sacchettus, qui cum latifundium, quod amplissimum hæc familia in Ostiensi habet, bene ac diligenter cultum vellet accitis aliquot ex agro Florentino rusticis, culturam aggressus est: sed id tam improspere ei cessit, ut breve intra tempus exitialibus morbis omnes absumti fuerint: insigni præbito documento, non esse alienigenas cultores in hæc loca temere inducendos.

Verum ut, quod extremum in hoc sermone nostro propositum erat, explicemus; age jam sit eo modo, quem dixi, præparatus ager; exsiccatæ noxiæ paludes; excisæ Sylvæ; corrivata opportunis locis aqua, aut defossis puteis usui hominum exposita; sit etiam unicum aliquod castellum, aut si mavis vicus opportuno loco, habitaque ratione salubris prospectus in luminibus aperiendis ædificatus, ac rebus ad victum necessariis instructus: undenam, quove ex hominum genere novos colonos desumemus, qui agros colere sciant & velint, & non modo sine periculo vivere, sed sobolem etiam ex se relinquere valeant. Non levis profecto quæstio ac difficultas: & quam pro captu nostro enodari operæ pretium fortasse fuerit.

Regnante nuper Paulo hujus nominis V. Pont. Max. (cujus propter egregia opera, quibus Urbem excoluit, nunquam memoria interibit) exactæ sunt ex Hispaniæ regnis Maurorum reliquiæ magna sine dubio publicæ rei utilitate, atque Hispanici nominis gloria, etsi cum aliquo fortasse privatorum dispendio. Cum itaque eorum multi, qui in Africam, antiquam scilicet patriam suam, atque Hispaniæ propinquam, deportari cum aliis debuerant, variis casibus ad Galliæ atque Italiæ littora appulissent, quibusdam in hæc Pontificiæ ditionis maritima loca exscendendi potestas facta est; qui cum fere essent homines strenui atque industrii, reique rusticæ, sed potissimum hortensis, apprime scientes; fuere qui Pontifici suaderent, ut eam gentem profugam atque extorrem non modo reciperet, sed in hisce sedibus larem figere atque ædificare sineret, agrorum videlicet excolendorum causa, ex quibus magna percipi utilitas posset. Veruntamen, quod pace illorum dictum sit, consilium istud discriminis multum, utilitatis nihil pollicebatur. Quid enim? tanta-ne est in Italia hominum penuria, & Latini campi exerceri non poterunt, nisi eos hominibus non dico alienigenis, ac vilissimis, atque ejecti-

Calendaria rustica vetera.

Scriptores Rei rusticæ ut rem tritam prætermiserunt. Quamdiu duret.

Iis diebus calor Romæ intenditur. Inde aerem depurgari vulgo creditur, nec falso.

Bernardus Saccus falso credidit hoc institutum aeri potius obesse.

Ad pestilentiam depellendam quidam jubent crebros ignes succendi. Hippocrates id feliciter præstitit. Aliud argumentum ostendens stipularum incensionem proficuam esse.

Sallustius Africam ac Numidiam salubrem esse testatur.

Cur in regionibus fervidis calores immodici nonnunquam noceant.

Annus MDCVII. Apuliæ & Calabriæ exitialis.

Pestilentia non tam aeris vitio quam syderum influxu derivatur.

Crebri ignes post stipulas incensas circa nova habitacula accendi possent.

Autumni posterior pars Græcis φθινόπωρα.

Auctoris asseveratio de felici eventu harum molitionum.

Jo. Baptistæ Sacchetti conatus in Ostiensi.

Postrema disquisitio de hominibus comparandis.

Quid sub Paulo V de Mauriscis ex Hispania exsulantibus propositum fuerit.

Homines erant industrii ac diligentes agricultores.

Quidam Pontifici suadebant, ut Mauris regionem colendam attribueret. Cur id consilium non esset utile.

* Lib. de aere & situ Benevent. civit.

Homines erant fallaces & Christiano nomini infensi.

tiis, sed supra quam credi potest fallacissimis & Christiano nomini, quidquid simulent, infestissimis tradamus? Mitto quod turpe, atque indecorum, ac Romanæ Sedis majestate prorsus indignum videtur, horum agrorum iis tradere culturam, quorum majores excursionibus suis & cladibus funestissimis vastitiem eis intulerunt: nisi fortasse argutior aliquis hoc ipsum urgeat, justum atque εὔλογον fuisse, ut quasi proavorum suorum delicta suo sudore ac laboribus expiaturi, solitudinem hanc & vastitatem ab illis factam suis corporibus resarcirent. Dignum enimvero mulctæ genus, si non ut coloni liberi ac soluti glebas nostras atque has nobilissimas terras arbitratu suo temperarent; sed tanquam vilissima nequissimaque mancipia, onusti ferro ac vinculis excolerent agrum a majoribus olim suis devastatum: nec potius ipsi metum nobis inferrent, quam nutum nostrum exhorrerent: denique si non successu temporis, nimia Principum indulgentia, an incuria, in unam gentem nobiscum coalescerent; nec Agar ancillæ spuria, atque intestabilis proles, per speciem simulati fœderis, mysticæ Saræ nobilissimum genus, ac populum Dei electum contagione turpissimi sanguinis fœdaret: nec ex hac terra spiritum ac sanguinem ducerent, quam exstinctam olim penitus voluerunt.

Græci Agarenos vocant, ipsi vero Sarraceni atque Ismaelitæ dici volunt: ex quorum genere cum Afris commisto Maurisci erant. Votum Auctoris.

Det nobis Africa potius, ut olim æmula hujus Imperii pervicax; sic hodie sacrorum nostrorum implacabilis hostis, catenatos ac robustos fossores suos, quorum lacertis arbitratu nostro pingues Latii ac Tusciæ glebas frangamus: aut si majora augurari libet, (quando sub URBANO Principe omnia in melius sese vertentia nil non magnum sperare sinunt) redeat potius ad obsequium pristinum illa ferax, illa pinguibus arvis exuberans: quæque nobis desunt frumenta, ex aeris suis in nostra horrea summittat.

Salubri consilio Hispani ex sedibus suis Mauros ejecerunt. Hispaniæ cœlum siccum ac salubre. Corrumpendæ religionis periculum.

Apage igitur quam longissime genus hominum leve, infidum, impium, quos salubri consilio Hispani ex sedibus suis ejecerunt: præsertim cum Hispani Cœli siccissimi ac saluberrimi ab hoc nostro diversitas vix fortasse passura fuerit, ut ibi nati atque educati, hic perennarent. Mitto aliam apud eos, aliam apud nos fuisse culturæ formam, quæ non facile permutari potest, aut debet. Sed quod magis refert, corrumpendæ religionis periculum silendum non est: neque enim sine magna contagii suspicione gens avitæ superstitionis ut mire tenax, ita ejus propagandæ vehementer cupida, inter rusticos homines imperitos ac rudes, & nescio quo humanæ naturæ vitio in deterius pronos, versari potuisset. Mitto aliud periculi genus, quod non ad illaqueandos animos, sed ad corpora catenis ac compedibus vincienda pertinet.

Aliud periculum a Turcis.

Quis enim non assidue trepidaret, si gens Italico nomini perpetuo infensa, atque in dies augescens, oram maritimam insideret? nimirum ut quoties Turcarum classes conspicerentur, metuendum foret, ne sociatis viribus non opprimerent. De Mauris igitur recte meo judicio factum est, quod ab hac plaga repulsi sunt.

Quid de Batavis sentiendum.

Quidam vero nationem ut toto cœlo diversam, sic moribus plane adversam, proponunt; videlicet Batavorum, Catholicorum dumtaxat, quos idoneos maxime ad hanc solitudinem frequentandam existimant: jamque, ut audio, Tarracina certis quibusdam legibus iis tradita est ad habitandum. De quibus ut dicam quod sentio, non me fugit gentem esse probam candidamque, & ii quæ alia, sedulam atque industriam: itaque arbitror tuto iis quantumvis magnam hujus terræ portionem tradi & concredi posse: hominibus scilicet nulli Principum mancipatis; & ita fidelibus, ut sicut hodie Helvetii Alamannica gens ad custodiam corporum præcipue expetuntur ab Regibus, ita olim Romani Cæsares eorum opera libentissime uterentur.

Batavorum gens proba, candidaque, & industria. Helvetii Alamannica gens. Romani Principes Batavis corporum custodibus aliquando usi.

Adde quod propter hominum miram frequentiam & mulierum fœcunditatem non magno fortasse negotio excrescerent, & quidquid vacui soli est paulatim complerent: adhæc populariun suorum naves commercio Linguæ ac sanguinis facile cum suis mercibus ad proximos portus stationesque allicerent: quæque alia in speciem pulchre ac magnifice dicuntur. Verum cum Bataviæ Cœlum (adde etiam si vis victus rationem) huic nostro sit propemodum e diametro adversum, perfrigidum nimirum ac saluberrimum, contra hoc calidum ac morbosius, si ulla gens cum magno suo periculo in has terras migraret, hæc foret maxime, præsertim cum cibatu potuque pleniore utatur, & corpore potius sit pingui fluxoque, quam duro ac sicco, ut opus esset. Quare sicut unum alterumve locum ex maritimis atque editioribus non invitus iis permiserim; ita totam campestrem regionem iisdem tradere, aut destinare, inconsultum crediderim, nec minus ipsis quam nobis infructuosum.

Quænam obilare videantur, cur ii utiles esse non possint. Bataviæ Cœlum quale. Item habitus corporum.

Novi coloni e proximo potius petendi.

Maneat igitur hoc fixum atque ἀναμφισβήτητον, novos colonos non e longinquo petendos esse, si in proximo suppetant. Nec enim tanta est Italorum penuria, ut ex ultimis ac disjunctissimis terris cultores accersere debeamus: quod Hispania fortassis effugere non potest, si vastitatem a Maurorum discessu relictam explere velit: video enim Navarretum in *suis Politicis dissertationibus*, ubi ejus infrequentiæ causas & remedia perquirit, vehementer suadere, ut ex Circumpadano genere cultores potissimum deligantur.

Discursos politicos de Navarrete.

Nobis vero quæ necessitas subest ut, si quæ supersunt, genuini Italici sanguinis reliquiæ cum quacunque gentium colluvie commisceantur? Itaque tutius atque utilius, si quid mei judicii est, nostra tradentur fidei hominum nec moribus, aut Lingua, nec culturæ genere discrepantium: cum præsertim quo quis natalibus ac patria huic regioni propinquior erit, eo magis etiam aeri Cœloque insuescet; quod & ratio ipsa, & experientia confirmat: omnes enim magnæ repentinæque mutationes, ut dictum est, periculosæ exsistunt, etiam quæ in melius fiunt, quanto magis quæ in deterius? Hujusmodi porro hominum τῶ μακρόθεν migrationes & illa necessario sequitur mutatio, quæ in victus genere versatur: quæ ipsa per se gravis est, nedum si aliæ accedant. Ut igitur in frugibus ac seminibus transferendis peritiores agricolæ faciundum monent; ita in hac colonorum traductione curabimus, ut potius de gravioribus locis, Cœloque

Cur Italici potius deligendi. Omnes magnæ mutationes etiam quæ in melius fiunt, ancipites. Exemplum a feminibus petitum.

deteriori, si fieri possit, quam de salubrior' eos deducamus. Sed quoniam minus id licet, cum graviora in Italia loca, quam Latium maritimum hodie est, vix homines colant; eligamus certe quam proximos, eosque reliquis præferamus: nec consilii profecto pœnitebit. Igitur quam maxime sumendos censeo ex Pontificiæ ditionis finibus; si minus, ex Etruria & Samnio certe, proximisque locis. Ex populis autem Romanæ Ecclesiæ subjectis nemo negaverit, Volscos præcipue atque Hernicos idoneos fore. Est enim hoc genus hominum cum loco proximum, tum laboris ac Solis apprime patiens, & toto corporis habitu solidum ac strigosum: cujusmodi decet esse procul dubio novos hujus agri cultores. Sed quoniam haud oppido multi inde haberi poterunt, potior pars constare debebit ex Picentibus ac finitimis Piceno Umbris: qui cum sint homines ut plurimum rudes atque inconditi, ac præterea robusti valde, graviora ex rusticis operibus perbene administrare poterunt. Ex ulteriori vero Tuscia, nimirum ex agro Florentino, Pistoriensi, Lucensi, Aretino, insuper ex Urbinati, ac Flaminiæ, Æmiliæque regionibus non exigua copia bonorum agricolarum accedet. Hi sunt fere, ut supra indicavi, ingeniosiores, atque ad subtiliora opera ruris magis quam superiores accommodati: ideoque vinearum culturæ potius quam arationibus hodieque dant operam: cum vero saluberrimis regionibus sint educati, non facile se gravioribus locis committunt. Sed tunc dispar ratio foret; quando præparata, ut diximus, regione, sine periculo huc fieret migratio non modo virorum, sed etiam mulierum quantumvis imbecilliorum: quas non gravate secum ducerent, ubi importunioris Cœli cessaret metus, vitæque commodioris spes affulgeret.

De gravioribus locis quam hæc nostra coloni peti non possunt.

Unde potissimum desumendi videantur.

Volsci atque Hernici maxime idonei forent.

Quales esse deceat novos agricolas.

Præparationibus, quæ supra dictæ sunt, factis, etiam mulieres tuto huc commigrarent.

Cæterum quoniam conjugiorum cura non ultima esse debet; illud addere possumus, utile in primis fore, si agricolis hisce advenis, qui quidem uxores quærent, aliquot ex his urbanis puellis pauperculis, quæ quotannis ex sacrarum ædium proventibus, aut piis legatis elocantur, nuptui tradantur: qua ratione fiet, ut Urbem magis adament, ejusque quasi se cives existiment: nec verendum erit, ne eas utpote imbecilliores, ac teneras, atque agrestibus laboribus inassuetas, modo unctiusculæ dotes accedant, adspernentur; præsertim cum ex quotidiana laborandi consuetudine paulatim & ipsæ duriusculæ sint evasuræ; atque etiam, si ea omnia quæ retuli, vel certe majori ex parte rite prius administrata fuerint, Cœli injurias non male toleraturæ: adeo non est pertimescendum, ut viri agrestes atque indomiti post tot prævias cautiones perdurare hic non possint. Hoc quoque lucro apponendum, quod primis potissimum annis, cum nondum rura vario consitionum genere exculta erunt, multa a mulieribus domi administrabuntur cum magna virorum suorum utilitate ac fructu, non modo in domesticis officiis, sed in lanificio atque aliis artibus.

Conjugiorum cura non deserenda.

Puellæ pauperculæ urbanæ novis colonis nuptui tradi poterunt. Quid utilitatis inde secuturum sit.

Quotidiano exercitio duriores fient & laboribus rusticis magis idoneæ.

Primis annis multa domi a mulieribus administrari poterunt.

Veruntamen dissimulandum non est, etiamsi ex novis hisce colonis primo statim incolatu, præsertim ubi graviores anni advenerint, nonnulli qui imbecilliores erunt, interierint, non irreparabilem hanc fore jacturam: quandoquidem qui remanebunt, ubi complures annos huic Cœlo insueverint, tuti deinceps perennabunt, ac liberos gignent, qui nullo jam periculo usurpare poterunt, *Hic domus, hæc patria est*. Tum novi quotidie coloni pretio illecti advenient, qui defunctorum numerum supplebunt: ut minime desperandum sit, quin post aliquot annos satis hominum probatorum atque induratorum habeamus, qui saltem unum aliquod mediocre Castellum tuto ac sine metu incolant; ex quorum deinceps liberis alia subinde loca συνοικίζειν possimus. Sic in hominibus ad triremes damnatis evenire videmus; ut primo statim multi, qui tam durum vitæ genus tolerare nequeunt, celeriter moriantur: quorum in locum aliis suffectis tandem justus ac plenus remigum numerus cuique navi conficitur ex iis, quos tot labores atque incommoditates impune perpessæ robustiores ostenderint. Sed modo ea quæ dixi præstentur, necesse non erit, opinor, tam aspero atque infausto experimento; sed omnes propemodum tuto ac prospere in novis coloniis vitam traducent.

Etiamsi primo aliqua pars novorum colonorum intereat, non esse desperandum.

Comparatio a remigibus petita.

Veruntamen auctor semper fuerim, ut tutissima potius quam brevissima ratio frequentandi hujus agri eligatur: qualis ea est, quam dixi, ædificatis opportunioribus locis castellis; non sparsim ac temere rusticorum casis villisque constructis. Quanquam ubi semel compluribus castellis, vicis, atque oppidis regio frequentata fuerit, ultro a privatis hominibus commoditatis gratia villæ ac tecta agrestia hac illac exstruentur: in quibus non minus belle, ac libenter etiam, quam in frequentioribus locis quivis degent. Quare mirandum non est in agro Urbinatium saluberrimo ac frequenter habitato complura castella, migrantibus in villas rusticis, deserta mansisse, ut in valle Metauri *Primicerium*, *Caiffam*, *Paginum*, *Montaltum*; in valle *Foliæ Montem Guiducii*, *Montem Falcum*, *Scletium*, *Montem Fabrorum*, *Collem Attii*, *Talaculum*, *Petrianum*, aliaque.

Tutissima potius quam brevissima ratio frequentandi hujus agri eligenda.

Ubi regio oppidis, castellis, vicis frequentata erit, privatim villæ quoque construentur.

Complura agri Urbinatis castella migrantibus in villas rusticis deserta manserunt.

Jam vero, ut instituto sermoni colophonem addam, dicendum aliquid esset de commodis ac privilegiis novorum colonorum, quæ & inviolabiliter servari atque augeri operæ pretium foret, ut tanto libentius huc confluerent: sed in re alioquin satis nota non multum immorabimur. Fuit quidem omni tempore penes Respublicas bene constitutas agricolarum genus (artem quippe tam necessariam humanæ vitæ exercentium) magno in pretio atque existimatione; iisque magna ab legibus cum antiquis, tum recentibus privilegia & commoda concessa sunt. Et jure sane leges ei professioni faverunt, cujus præses atque inventrix, ut est in fabulis Veterum, leges quoque ipsas prima Ceres invenit. Igitur apud Ægyptios (quæ gens antiquissima fuit & plurimum ab aliis instituto discrepans) floruit maxime agricolandi studium: id eveniebat, quoniam rusticis hanc unam πραγματείαν exercere licebat, nec ullo tempore, ullave causa ab agris avocabantur; sed tradita per manus agrorum cura exigua mercede a dominis conductorum, quos patres exercuissent, nunquam liberi deserebant: quod &

Conclusio Operis de augendis commodis ac privilegiis rusticorum.

Apud Respublicas bene constitutas agricolæ in pretio habiti.

Allusio.

Ægyptiorum institutum

A hodiernis Indis (de veris ac præcipuis loquor Brachmanica Lingua utentibus, quorum Respublica valde est affinis Ægyptiæ) usu receptum est: neque enim eorum rusticis vel ad militiam, vel ad cæteras artes adspirare fas est. Immo id quoque antiquis Indis teste Diodoro *l.* 11. factitatum, qui a bello reliquove opere liberi atque immunes ætatem omnes in agris colendis consumebant. Apud Græcos vero longum esset connumerare, quam multa in gratiam & commodum rusticorum statuta sapienter fuerint: quæ apud Politiarum Scriptores, aliosque miscellaneos Auctores sparsa reperies.

Indorum Respublica Ægyptiæ veteri affinis. Apud eos item rustici professionem suam deserere non possunt.

Item olim apud eos factitatum. Græci multa in agricolarum utilitatem statuerunt.

B De Romanis vere nostris (ut antiquiora missa faciam) libet pauca quædam decerpere circa potiores leges, quæ ab Imperatoribus prudenter sancitæ, etiamnum magna ex parte servantur. Hujusmodi est Constantini Augusti Rescriptum *lib.* XI. Codicis Justinianei, titulo *de agricolis & censitis*; quo agricolas in rustico opere versantes, ad extraordinaria onera trahendos non esse pronunciavit. Tales sunt ejusdem Constantini, Theodosii, Anastasii, & Zenonis Sanctiones, quæ agricolas a publicis oneribus personalibus excusari volunt: in C titulis Codicis Justinianei, *De salgamo hospitibus non præstando*, *De metatis*, *De re militari*, *De cursu publico*. Sed nihil æque ubivis locorum invaluisse video, quam ut ne pignoris nomine, aut debiti solvendi causa instrumentum rusticum agricolis auferatur. Cum vero instrumentum rusticum triplex sit, mutum, in quo sunt aratra & ligones; semivocale, in quo sunt boves & asini; vocale, in quo sunt mancipia, quorum loco hodie veniunt operarii liberæ conditionis, apud plerasque civitates usu receptum est, ne priora duo ex causa D æris alieni publici privative capiantur. Apud Gallos etiam hoc amplius, ut Renatus Choppinus docet Edicto Regio Anni MDLXXI. servatur, ut rustici homines æris alieni obtentu ne in carcerem abripiantur. Nec defuit hanc partem Romanorum Pontificum provida ac salutaris cura, nam præter alios, qui commoda agricolarum ampliarunt, Pius V. Pont. Max. saluberrimam Constitutionem edidit Anno MDLXVI. qua inter cætera cautum voluit, ut frumenta ad Urbem deferentes non modo ab omni pro iis portorio solvendo sint E immunes: sed ne adversus eos eorumque bona æris alieni causa cuiquam manus injectio sit. Item ne ii, qui intra XL. lapidem agros exercent, messis aut sationis tempore in jus trahantur: aut quidquam agrestis rei iisdem auferatur, si aliunde solvere possint. Item ne boves aratorii, aliave rustica instrumenta, propter quamcunque civilem obligationem unquam iis eripi possint: immo rerum dotalium privilegiis atque immunitatibus gaudeant. Hæc igitur, aliaque hujus generis jura, commoda, privilegia, immunitates, exemtiones,

Imperatorum Constitutiones agricolis faventes.

Ubique fere invaluit ne instrumentum rusticum quovis titulo rusticis auferatur.

Gallorum consuetudo.

Romanorum Pontificum circa hanc partem solicitudo.

Rusticum instrumentum rerum dotalium privilegiis Pius V gaudere voluit.

A vacationes agricolis Romanis concedi ex usu fuerit; ut partim iis illecti, partim iis operibus, quæ facienda esse dixi melius animati & lubentius patriis sedibus a se relictis careant, & alacrius culturæ agrorum, ut quæque cuique obvenerit, manus admoliantur. Magnæ enim ægritudines magna variaque fomenta desiderant. Atqui & agrum hunc nostrum gravi contumacique morbo oppressum quodammodo dicere possumus, & cum remediis a me recensitis morbosum habitum exuerit, non facile tamen, apud imperitos præsertim, fidem recuperatæ penitus sanitatis inveniet. Quidam enim diu cunctabundi, & quasi omnia B prætentantes, vix tandem induci potuerunt, ut quidquam commercii cum eo exerceant: demum opimis præmiis incitati; & quotidianis experimentis edocti, deposito omni metu, & sibi quæstuosum, & reliquis tutum agnoscent.

Magnis morbis valida remedia adhibenda.

Faxit Deus Opt. Max. ut tanto tamque insigni bono omnium terrarum Parens ac Princeps quamprimum Roma fruatur; atque hinc novæ cujusdam juventutis effœtus jam ac languidus senio mundus spem ac documentum sumat: eaque gloria tibi, C URBANE PONTIFEX MAXIME, potissimum contingat; quo nemo unquam Romanorum Præsulum vel ad magna atquæ illustria opera excogitanda majori solertia ingenioque fuit, vel ad examinanda disponendaque graviori judicio, vel ad prosequenda firmiori constantia. Ad consummanda vero perficiendaque reliqua, tua, hoc est temporum nostrorum, felicitas, ut spero, non deerit, quando accensis valideque commotis inter Christianos Principes exitialibus ac difficillimis bellis, tuis maxime paternis consiliis, providisque admonitio- D nibus, præter omnem spem atque exspectationem, non semel arma conquievisse, pacemque compositam vidimus, ut nuper: & quod vix quisquam tam brevi tempore potuisse fieri unquam sperasset, dejectam afflictamque cum in Gallia, tum in Germania Calvinianam factionem hisce proximis annis gavisi sumus: ut fatale quodammodo Pontificatus tui sit Rem Christianam magnis agitari motibus, sed majoribus incrementis ampliari. Nec vires, aut voluntas egregio ac fructuoso, ut reor, operi E deerunt: cesset modo pertinax hoc atque exitiabile pestilentiæ malum, quod magna tot populorum strage jamdudum grassatur. ad quod certe sedandum nullum Divinum humanumque præsidium, quantum in te fuit, intactum reliquisti; nulli labori, aut solicitudini te patruo dignissimus FRANCISCUS CARDINALIS BARBERINUS pepercit, ut, qui est humanissimus hoc est humani generis amantissimus, in id maxime a Deo Opt. Max. hoc tempore terrarum orbi concessus videatur, ut te Auctore ac Magistro humani generis miserias levaret ac solaretur.

Votum Auctoris.

Non semel difficillima bella inter Christianos Principes Sanctissimi D. N. opera potissimum ac felicitate conquievetunt.

Calvinianorum factio in Gallia ac Germania hoc tempore afflicta. Pontificatus Sanctissimi D. N. fatale videtur, Rem Christianam magnis motibus concuti, sed vehementer augeri. Sanctissimi D. N. & CARDINALIS BARBERINI ad depellendam pestilentiam intra solicitudo ac vigilantia.

LAUS DEO

FINIS.

GAILLARDI GUIRANI,

IN NEMAUSENSI SENESCALLIA PRÆSIDIALIQUE CURIA REGII CONSILIARII, ET IN SUPREMA ARAUSIONENSI SENATORIS,

EXPLICATIO

DUORUM VETUSTORUM NUMISMATUM NEMAUSENSIUM EX ÆRE.

Ex Editione altera, auctiore & emendatiore.

DESIDER. ERASMUS *de ratione instit. discip. in Princip.*

Tenenda Antiquitas, quæ non modo ex vetustis Auctoribus, verum etiam e Numismatis priscis, e Titulis, Saxisque colligitur.

PA. PETAVIUS in Francorum Curia Consiliarius, in *Veterum Nummorum Gnorismate,*

CUM NOVA TOT QUÆRANT NON NISI PRISCA PETO.

LECTORI.


GRE, fateor, Lector benevole, inductus sum amicorum suasu, ut hæc specimina rei Antiquariæ retractarem, quæ olim in privatum usum tumultuario opere de industria congesseram, ne in vulgus emanarent; coegerunt tamen exemplarium defectus, & illi, quos non indelectabant ejusmodi minutiæ, manum operi iterum admovere, fœtumque informem tollere, quem certo consilio haud pridem in publicum abjeceram. Displicebat equidem, cum adverterem ea, quæ obelis & lituris aliquando transfixeram, in hoc Opusculum me inscio irrepsisse, & nonnulla e sedibus suis emota, quæ interpunctionibus incuriose discreta, sensum verborum interturbabant. Cape igitur, candide Lector, secundas hasce curas profecto accuratiores, ausim dicere, & eruditiores; nec enim solum suis reddidi locis, quæ Typographi incuria passa fuerat liberius evagari, ac in tam luxurianti Auctorum segete, ut antea constitueram, multa rescidi; sed & adjeci non pauca, quæ explanationem pleniorem & uberiorem desiderabant; ne quis forte objiciat me pridiana opsonia, seu cramben, ut ajunt, recoctam nauseanti stomacho apponere. Præterea, Inscriptionem Nemausensem elucidavi, quam nullus, qui ad manus meas pervenerit, rei Antiquariæ Scriptor explanaverat. Etenim viri alioquin politiorum litterarum notitia clari, ac Antiquitatum disertissimi Oedipi, dictionem in illo marmore exaratam incognitis accensuerunt, cum significatum illius e ruderibus vetustatis eruere non possent: ego tamen existimo, me tam concinnam hujusce Inscriptionis interpretationem in medium attulisse, ut eam omnes qui harum rerum studio tenentur, ni fallor, comprobaturos confidam, cum vetustatem sapiat & veritati videatur esse consona. Tandem Virginem Lanuvinam, diu in tenebris reconditam, haud mediocri lumine perfudi, locosque indicavi, quibus adjuvari possint ad plura investiganda, qui res reconditas perscrutantur. Binos Nummos Nemausenses demum, non satis accurate ex Archetypo a Scalptore expressos, meliori forma exhibeo.

Atqui dum hæc adornarem, nova mihi facies inopinave surgit. Deyronus Nemausensis quippe, Libello *de priscis ædificiis Nemausensibus* Gallice edito, conatus est scripta mea carpere, & in plerisque ab opinionibus meis & communibus discedere, Annæum Rulmannum, e cujus scriptis & schediasmatis multa desumsit, ut plurimum secutus. Verumtamen quidquid proponat, priorem sententiam non muto: caput nempe cum casside, rudiore forma efformatum in Nummulo Nemausensi, cujus notitiam, ut puto, prior habui quam Tristanus a Sancto Amante, esse potius Martis quam Nemausi conditoris: tum ex similitudine vultus variis aliis Nummis impressi; tum aliis argumentis ac rationibus, quas non bene perspexit prædictus Auctor: sed maxime quia Arecomici potissimum, sicut & prisci Galli, rei militaris a parvulis perstudiosi, quemadmodum notum est omnibus, MARTEM bellorum præsidem, illis *Hesum*, hoc est fortem, singulari cultu prosequebantur, ipsique Jovi anteponebant, atque Nemausi parenti Herculi, quem *Ogmium* cognominabant, quod Deyrono haud compertum. Insuper cum illustrissimis & litteratissimis Viris Michaele Hospitalio, Theodoro Beza, constanter affirmo, Pontis Gardii structorem incertum & incognitum esse; probabiliusque magnificentissimum opus istud, cui nec Gallia, nec Hispania, aut Italia ipsa, par habet, M. Agrippæ quam aliis adscribendum; quia non tantum militares vias in Galliis stravit, pontes erexit temporibus Augusti, sed plurimas aquas in urbes perduxit, & Nemausum fortassis; quæ, non dudum Colonia facta, pomœrium suum proferri, ædificia magnifica excitari, mœnia turrita Romano more construi gloriabatur. Ideo Agrippa propter præcipuum in aquis deducendis studium, summamque diligentiam, titulum CURATORIS PERPETUI AQUARUM, vel AQUÆDUCTUUM, Romæ postea obtinuit; neque litteræ interpunctæ A. E. A. & imago Isidis velatæ, Ponti insculptæ, juvare possent opinionem illorum, qui existimant Hadrianum, Ægyptiorum superstitionibus admodum deditum, auctorem ædificii atque Aquæductus, ad usum præsertim Amphitheatri nostri fuisse; namque certissimum est, nullum vestigium simulacri Isiaci, aut litterarum antiquæ notæ, in ullo Pontis loco inveniri: quæ licet extarent, nunquam tamen AQUAM EMISSAM AMPHITHEATRO significarent, ut sciunt pueri qui nondum ære lavantur; quin melius, AGRIPPA EST AUCTOR, aut quidpiam simile sonarent. In cæteris refellendis & coarguendis otio non abutar; Lectori studioso, Civibusque nostris, veritatibus amatoribus, dijudicandum relinquo, an verosimile sit, Urbem nostram, semper a mari interno tribus aut quatuor leucis hodiernis ad minus distantem, inter maritimas a Geographis habitam, & Turrim Magnam pro munitissimo propugnaculo usurpatam, Romanique, ut ipse fatetur, Operis in usum Phari ac speculæ ad navigantium cursus regendos ædificatam fuisse ab Asiaticis Phocæensibus, (qui jampridem regnante Romæ Tarquinio Prisco Massiliam condiderant) oppidumque amplissimum firmis crassisque cinctum muris, qui a Carolo Martello destructi, & magna parte labefactati fuerunt, non A. DCCXXXI. ut notavit nuperus Scriptor, sed A. DCCXXXVI. in quo conveniunt Historici fere omnes: quorum murorum tanta saxorum mole constructorum admirandæ quæ supersunt reliquiæ satis convincunt, a Massiliensibus Phocæa civitate oriundis ædificatos non fuisse: quandoquidem nec ipsos domus suas e lapidibus, sed ex stramine confectas, quales ferme tum Gallis erant, tabulis & cratibus intextas habuisse, Scriptores fide digni memoriæ prodiderunt. Denique utrum in statua bicorpore, impoliti operis, inserta parietibus ædium Tristandi Dagulhonet pauperum patroni, Antiquitatum patriæ conservatoris diligentissimi, muliebria genitalia deprehendantur, ignaviam populis subactis exprobrantia, ex Sesostris Regis Ægypti usu solenni: Et num potius Simulacrum istud a Nemausensibus erectum fuerit in monumentum victoriæ, quam Herculis Ægyptius, non equidem de Geryone tricorpore in Hispaniis, ut conjectat Albenas noster, sed de Albione & Bergione gigantibus, Neptuni filiis, in campis lapideis, vulgi appellatione *La Crau* (a Celtica voce *Craig*, id est, petra) prope Arelaten retulit, adjutus imbre lapidum cœlitus demisso: idcirco, si jocis indulgere licet, Colosso lapideo ab illis qui eum concinnarunt, impositum fuit caput elegantissimum e marmore cinereo, Neptuni, ut videtur, capillis barbaque promissis, undarumque fluctuantium modo compositis: nec ullum memini qui unquam dixerit, aut asseveraverit, Statuas duas, vel tres, e durissimo saxo, hominum justa magnitudine, occiput manibus utriusque comprimentes, non longe ab Amphitheatro positas, mulierum esse: quinimo manifestum Mimorum aut Saltatorum esse,

varios gestus, motus, actiones in spectaculis repræsentantium. Sicut Athletarum inter se decertantium par, Amphitheatro incisum, typus & symbolum est Ludorum gladiatoriorum, qui in illo celebrabantur: quemadmodum optime, antiquæ & reconditæ doctrinæ Vir, prout ferebant tempora, Albenas, cæterique rerum Nemausensium Scriptores censuere; congruentius etiam instrumentorum publicorum auctoritati, aliisve conjecturis innixi, Campum Martis extra muros, haud procul ab Amphitheatro, Vistroque fluviolo ponentes; semper ad industriæ Romanorum æmulationem, qui Campum istum Tiberi vicinum habebant, quo magis natandi modum æstivis mensibus Tirones condiscerent, quam quo loco intra Urbem designavit Deyronus *cap.* VI. non mentem dumtaxat, sed & verba, (quis crederet?) chartæ Raimundi V. An. M. C. XCIV. Septembr. XV. mœnia instaurari permittentis, penitus immutando. Et insuper inutilem efficiendo unam ex insignioribus Portis antiquis, geminis Turribus rotundis munitam, ut fere omnes, quarum attamen designationem, necnon septem collium, quibus muri impositi erant, in descriptione ambitus ac circuitus Nemausi veteris, ab ipso exspectabamus.

Hæc sunt, Lector amantissime; de quibus te monitum volui, ut hanc qualemcumque opellam boni consulas & fruaris; donec alia ediderim, e quibus fortasse majorem voluptatem capias: faxit Deus ut per valetudinem & otium liceat. Vale.

Sequentia tractantur & illustrantur in Explicatione duorum Numismatum.

NUMMI *veteres diversæ materiæ & notæ, frequentes etiamnum in Provinciis olim Romano Imperio subditis. Ærei duo Nemausenses repræsentantur & illustrantur. De grandiusculo præferente capita* OCT. AUGUSTI, *&* M. AGRIPPÆ, *non M. Aurelii Antonini & L. Veri Imperatorum, nec Tiberii & Drusi. Litterarum singularium, dictionumque abbreviatarum* IMP. DIVI. F. P. P. COL. NEM. *quæ in utraque Nummi parte leguntur, vera significatio. Definiuntur tempora & periodi, quibus Octavius Cæsar,* DIVI FILIUS. IMPERATOR. AUGUSTUS. PATER PATRIÆ, *cognominatus est, additurque ratio cur cæteri Imperatores titulum Patris Patriæ etiam sibi asseruerint. M. Agrippæ corona rostrata ab Augusto Imp. concessa, & honores immoderati propter ingentia merita in ipsum collati. Laurea & civica corona Augusto in perpetuum decretæ.* NEMAUSUS *præstantissima Respublica, non Vectigalis, nec Stipendiaria liberis Reip. Romanæ temporibus, postea nobilissima* COLONIA *beneficiis Augusti gratiosa; ejus tamen insolens & insanus cultus severe notatur. De Deo Nemausensium, & Cerulis duabus argenteis, quædam nondum intellecta in medium proferuntur. Expositio recta traditur Imaginum in aversa Numismatis fronte expressarum: plurimaque de Crocodilis, Palmis, & Lemniscis, Coronis Triumphalibus, ac Civicis, deque earum usu congeruntur. Superstitio & levitas Ægyptiaca obiter redarguitur:* NEMAUSUM *septicollem, Romæ æmulam, Sacerdotes & Magistratus suos, necnon Templa, Ædes, Muros firmiores quam priscos Gallicos, Pontes, Aquæductus, Vias munitas, Basilicas, Capitolium, Amphitheatrum cum Campo Marti sacro, Balnea, Palatia, ad Urbis effigiem & similitudinem habuisse probatur. Prætoria ac Villæ in Nemausensi agro, quæ adhuc antiquum nomen retinent, a civibus Romanis, ibi degentibus, excitatæ. Tabulæ & monumenta publica characteribus Romanis inscripta. Nummi percussi, gemmæ varia arte elaboratæ.* FRANCISCI I. *Francorum Regis Diploma, quo Nemausensibus conceditur, ut annulis signatoriis, & Parmæ tesserariæ miniato laterculo Icones, in altera Numismatis perantiqui parte delineatas, imprimant, & in posterum pro insignibus habeant. Imperitia rudium Nemausensium, & pictorum dissidium, in describendo & interpretando scuto symbolico.*

D*E altero minutulo Nummo, & capite galeato in orbe priori expresso,* NEMAUSI *Urbis nostræ fundatoris, vel potius* MARTIS *apud Gallos, & Arecomicos præ cæteris Volcis strenuos, præcipue culti. De Tauro & Ariete* MARTI AUGUSTO EX VOTO *immolatis, ad portam Coronæ lapidi vetusto insculptis, necnon de Votorum nuncupatione & solutione. De Dea* HYGIA, *sive* SALUTE, *ac Serpentibus sacris. De Draconibus cicuribus & mansuetis, atque Lanuvina Virgine quotannis virginitatem probante. Dracones Palladi seu Minervæ etiam dicati. Telesphorus cucullatus Æsculapii comes, & minister. Statua elegantissima, e marmore candido, Deæ Salutis, cornu-copiam gerentis, Nemausi in munimentorum fundamentis reperta, lucique reddita Anno* M. DC. XXII. *Dea* SALUS *modo sedens, modo stans a pictoribus, sculptoribus, ac monetariis effingebatur.*

GAILLARDI GUIRANI,

IN NEMAUSENSI SENESCALLIA PRÆSIDIALIQUE CURIA REGII CONSILIARII, ET IN SUPREMA ARAUSIONENSI SENATORIS,

EXPLICATIO PRIORIS

NUMISMATIS NEMAUSENSIS

EX ÆRE.



DE incredibili Numiſmatum vetuſtorum copia, Romanorum maxime, quæ adhuc NEMAVSI ſuperſunt & quotidie ex ipſo terræ ſinu atque ſepulcris antiquis eruuntur, tam ipſa notarum typorumque diverſitate, quam pretio & materiæ nobilitate ſpectabilium, *Antiquitatum noſtrarum Nemauſenſium lib.* I.*cap.* VI. & in *Tractatu de Re Nummaria Veterum*, in uſum meum conſcripto abunde dicimus: ubi plurimorum interpretationem judicio noſtro ſatis congruam damus. Quamvis enim vetuſtas ipſa multa abſumſerit, & longe plura in varios uſus conflata fuerint; dandum tamen hoc immenſæ & fatali Romanorum potentiæ, quod minime exhauſti ejuſmodi Nummi, paſſim etiamnum, & abundanter per omnes terrarum oras diffundantur, & præſertim in regiones olim Romano Imperio ſubjectas.

Hic conſiderandi tantum & diſcutiendi veniunt *vetuſti duo*, qui tunc in Civitate noſtra procudebantur; in quorum averſis partibus inſcriptum characteribus Romanis COL. NEM. vel NEM. COL.

Majoris ſemuncialis affabre ſcalpti, qui & hodie Urbis ſigillum & inſignia, ut oſtendetur inferius, atque altero minore frequentioris, veram figuram, quam e multis delegi, hic ſubjicio.



In antica parte conſpiciuntur duo capita averſa, quorum alterum corona roſtrata, alterum vero laurea ac triumphali inſignitur. Superne IMP. ad latera PP. inferius DIVI F. in poſtica Crocodilus gradiens, palmeæque ramuſculos calcans, catena ferrea religatus ad palmam lemniſcatam, cui annexa eſt corona quernea, Crocodili caudæ imminens, cum litteris COL. NEM.

Numiſma iſtud ex ære (unicum argenteum ſe

A vidiſſe aſſeveravit Tornerius Nemauſenſis, nummorum veterum curioſus indagator) graphice deſcribitur ab egregio auctore *Antiquitatum Nemauſenſium* cap. XX. qui imagines eſſe arbitratur M. Antonini Philoſophi, & L. Veri, averſa facie non obverſa, (quo ſitu fere ſemper pinguntur Imperatores, qui ſimul Imperii habenas tenuerunt) ut diverſam illorum indolem & ingenium oſtenderent Nemauſenſes. Marcus Aurelius Antoninus quippe optimi ac ſapientis nomen meruerat; Verus autem in Imperii conſortium adſcitus Anno Chriſti CLXIII. moribus corruptis, in fœdas voluptates effundebatur, animi fluxioris, re-

B miſſiorisque vitæ: ideoque notas IMP. DIVI. F. PP. ita conjungens, ſic exponit: IMPERATORES DIVI FRATRES PATRES PATRIÆ. Per Crocodilum palmæ alligatum, Ægypti, jam in Provinciam redactæ, rebellionem a prædictis Impp. auſpiciis Avidii Caſſii repreſſam ac coercitam notari, & per haſce litteras COL. NEM. COLONIAM NEMAVSUM intelligi, illiſque temporibus Nemauſo in Ægyptum coloniam deductam: quæ omnia, inquam, affirmat Auctoribus Jul. Capitolino, Eutropio, Auſonio, Aurelio Victore. Albenatem ſequitur Petrus Borellus Medicus Regius, Celticorum vo-

C cabulorum nomenclator peritiſſimus, *Antiquitat. Caſtrenſ.* pag. 109.

Jacobus Graſſerus Baſileenſis *Diſſertatione de Antiquitat. Nemauſenſibus* Tiberium & Druſum Nerones, Liviæ filios, juvenili facie hic exhiberi judicat, & ſic litteras adſcriptas legit & interpretatur: IMPERATORIS PATRIS PATRIÆ DIVI FILII. *Plurimis enim teſtimoniis conſtat* (inquit) *Auguſtum privignos iſtos filiorum loco, paterno prorſus amore proſequutum*.

D Verum probabilius ab hac ſententia recedunt celeberrimi Nummographi, cum veteres, tum recentiores.

Nam Æneas Vicus Parmenſis, qui primus omnium, niſi fallor, partes alteras Nummorum explanavit, in Auguſtarum imaginibus & vitis, ad Agrippinæ M. F. Numiſmata, icones eſſe cenſet M. Agrippæ corona aurea roſtrata ornati, & Octaviani Auguſti laureati, a tergo vero Crocodilum, palmamque arborem, ſignum Coloniæ Nemauſenſis.

Sebaſtianus Erizzo Nobilis Venetus *Declarat. Nummor. Imperator.* in *Auguſto*, idem ſentit; tradens inſuper hujuſmodi Numiſma a NEMAVSO COLONIA effectum, in Auguſti honorem, & victoriæ Actiacæ argumentum, Ægyptique in

Provinciæ formam ab eo primum redactæ, M. Agrippæ ductu & auspiciis, *quem ideo Octavius aurea corona, rostris navium insignita, donavit*; vel, ut alii afferunt, multo ante ob res prospere gestas contra Sext. Pompejum Cn. F. & Siculos, quorum triginta naves depresserat, Vellejus Paterculus *Hist. Rom.* lib. posteriore cap. LXXXI. *Insigne coronæ classicæ, qua nemo unquam Romanorum donatus erat, hoc bello Agrippa singulari virtute meruit*. Dio *lib.* XLIX. pag. 457. Edit. Græco-Lat. Henrici Stephani: *Agrippam aurea corona rostrata donavit, quod neque ante, neque post eum contigit ulli*. Et Livii *Epitome* CXXIX. *M. Agrippa navali corona donatus est, qui honos nemini ante eum habitus erat*. Etsi aliter visum Plinio non dubitant affirmare *Histor. Nat.* lib. VII. cap. XIX. & lib. XVI. cap. IV. ante Agrippam *Marco Varroni* in piraticis bellis a Pompejo Magno concessam fuisse coronam navalem, seu rostratam; cui assentiendum opinatur Vir magnus lib. V. *de Militia Romana* Dial. XVII.

Et cum ab anno Urb. cond. DCCXXI. plurimæ periodi victoriæ Actiacæ notentur a Josepho Scaligero *de Emendat. Temporum* lib. V. & Isac. Casaubono *ad Suetonii caput* XVII. in *Augusto*: Hubertus Goltzius Antiquarius diligentissimus *Fastor. ac Triumphor. Rom.* pag. 203. existimat insignem istum Nummum conflatum fuisse a Nemausensibus, post Triumphi celebrationem Romæ factam, mense Sextili anno Urb. cond. DCCXXIV. vel rectius DCCXXV. ex Dionis lib. LI. & LII. principio.

Accedit Adolphus Occo Medicus Augustanus *Impp. Romanor. Numismat.* in *M. Agrippa*: quapropter cum epigraphe digniorem, Octavium nempe, præferat ac demonstret, legendum, IMPERATOR DIVI FILIUS PATER PATRIÆ.

Ita etiam Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis, fulgidissimum rei antiquariæ sidus, *de veterum Numismat. Antiquitate* Dial. II. & VI. & Antonius Piso Doctor Medicus in tractatu Gallico, & descriptione Numismatum pulcherrimorum cum figuris pag. 102. qui sententiam Albenatis suggillat; quia per IMP. & unicum F. nunquam in Inscriptionibus veteribus, & Nummis, IMPERATORES & FRATRES intelliguntur; sed per duplex PP. IMPP. F. autem *Filius*, vel *Facit*, plerumque significat, apud Valerium Probum, Petrum Diaconum, Petrum Apianum, Hubert. Goltzium, & alios Grammaticos Notarum expositores. Concordat tamen cum Albenate in explicatione verbor. COL. NEM. COLONIA NEMAUSUS, vel NEMAUSUM, (utroque enim modo dicitur) aut NEMAUSENSIS. NEMAUSENSIUM itidem, non COLUBER NEMAUSENSIS, ut in Diplomate Francisci I. inferius descripto: nec COLLIGAVIT NEMO, ut nugatur Claudius Paradinus *Symbolic. Heroic.* fol. 88. cujus opinionem jam explosam demiror amplexatos fuisse viros summos Ulyssem Aldrovandum Patricium Bononiensem in *Historia Animalium de Quadruped. digitat. ovipar.* lib. I. pag. 688. Petrum a Sancto Romualdo Congregationis B. Mariæ Fuliensis Monachum *Thesauri Chronologici & Historici* Tomo I. in *Augusto Cæsare*, M. Vulsonem a Columbaria *Tesserar. Gentilit.* lib. VI. Petrum Andoque Senatorem Bliterensem in *suis Galliæ Narbonensis Annalibus* lib. III.

Pro nostra communi opinione stat præterea eruditissimus Pierius Valerianus *Hieroglyphic.* XXIX. pag. 270. ubi COL. AEG. perperam pro COL. NEM. legitur: & Gulielmus Catellus Senator Tolosanus, optime de posteritate meritus, *Commentariorum de rebus Occitaniæ* lib. II. cap. V.

In prædicto Numismate Octavius IMPERATOR, sive summus Monarcha, appellatur: quia jam prænomen istud acceperat ab anno Urb. cond. DCCXVI. Occo in *Augusto* pag. mihi 45. & 46. Goltzius *Fastor. Rom.* pag. 193. ex Fulvii Ursini Lib. *de Familiis Romanorum* in *Julia*, qui Dionem notat contrarium *lib.* LII. sentientem anno nempe DCCXXIV. de quo tamen legendus Casaubonus *ad Suet. cap.* LXXVI. in *Julio*.

AUGUSTUS ex potiore sententia & consilio L. Munatii Planci, Augusto ipso VII. & Agrippa III. Coss. anno Urb. cond. DCCXXVII. ut vult Casaubonus *ad cap.* VII. *Suet.* in *Aug.* ex Dione *lib.* LIII. vel ut aliis placet ab anno DCCXXVI. Fasti Consulares a Dionys. Gothofredo editi ad finem Cod. Justinianei, Nicolaus Vignierius *Biblioth. Histor.* ideoque in Numismate nostro, antea signato, Octavius illo cognomine non insignitur.

Sed quomodo, inquies, per duplex PP. PATER PATRIÆ intelligendum? cum a Senatu Populoque Rom. cognomen istud Augusto Cæsari delatum tantum fuerit an. Urb. cond. DCCLVII. juxta Casaubonum *ad Suet. cap.* LVIII. vel anno DCCLVII. ut placet Vignierio, Calvisio in *Operibus Chronologicis*, quo tempore Vipsanius Agrippa, in Numismate Nemausensi repræsentatus, obierat in Campania anno Urb cond. DCCXLII. Dio *lib.* LIV. Rectius igitur per PP. *Publice Posuit*, vel *Pecunia Publica*, aut quid simile exponendum in hunc sensum: IMPERATORI DIVI FILIO PUBLICE POSUIT COLONIA NEMAUSUS, litteras utriusque frontis, ut sæpe fit, ad hunc modum copulando.

Respondeo, quod Romæ quidem tunc temporis auctoritate publica Augustus PATER PATRIÆ cognominatus est, sed quin antea adulatorie ad exemplum Jul. Cæsaris (Suet. in *Jul.* cap. LXXVI. Dio *lib.* XLIV.) patris sui, a plurimis ita appellatus fuerit, negare nullus potest; cum illud probare facile sit, non tantum ex celebri Numismate nostro, sed ex pluribus quæ recensentur ab Occone, a V. Consulatu Augusti, seu anno Urb. cond. DCCXXIV. pag. 50. 51. 52. 60. 61. 65. & Goltz. *Fastor.* pag. 201. 203. ubi PATER PATRIÆ, vel PARENS PATRIÆ inscriptum, non modo litteris singularibus, sed syllabis, & plena dictione verbisque integris.

Cognomen autem istud ab omnibus Imperatoribus assumtum, ut ostenderent se in cives eamdem potestatem habere, quam patres in liberos. Maria Catanæus *in Plinii Trajanum* pag. 28. Cæsar Bulengerus *de Imperatore Rom.* lib. I. cap. 17 quod tamen initio non hac de causa Augusto decretum; verum ut ille & cæteri deinceps admonerentur, ut eos quibus præessent tanquam filios amarent, & ut ipsi a civibus patrum loco colerentur, Dio *lib.* LIII. pag. 583. Interpretes *ad cap.* LVIII. *Suet.* in *Augusto*. Cæterum ante D. Julium & Octavium primus omnium *Romani proximus auctor Tullius eloquii*, conservata patria in conjuratione Catilinaria, *Pater Patriæ* a Q. Catulo ac M. Catone frequentissimo Senatu nominatus fuerat, Plin. VII. 30. Juvenalis *Satyr.* VIII. versu 244.

—— sed Roma parentem,
Roma Patrem Patriæ Ciceronem libera dixit.

Negotium non faciet, quod in isto Numismate Agrippa quodammodo AUGUSTO adæquatur; quia etiam antequam illius gener esset, Imperatori admodum carus & familiaris erat: & cum Agrippa prudentissimus ac summopere moderatus esset, rebus bene gestis & gloria belli excellens, illum *quamvis ignobilem loco* (ipsi Mecænati præ-

ponens) honoribus inauditis prosequutus est Augustus, & ut verbis Galbæ apud Tacitum utar *Histor.* I. pag. mihi 408. *in proximo sibi fastigio collocavit.*

Dio *lib.* LIV. pag. 605. *quodammodo ad Imperium provexit.*

Annulum suum signatorium ei commisit, Dio *lib.* LI. in principio

Et si quando simul in bellum proficiscerentur, tabernaculum suo simile dedit, ac signum militare ut ab utroque acciperetur, jussit, idem Dio initio *lib.* LIII.

Posteaque Lucium, & Cajum Agrippæ filios adoptavit, Dio dicto *lib.* LIV. pag. 610.

Imo mortuum laudavit, & in suo Mausoleo condidit, Occo in *Agrippa.*

Piso *lib. citato cap.* VI. affirmat plures nummos vidisse, in quorum priori orbe vultus Augusti & Agrippæ, ut in Nemausensi, appositi; & Erizzo in *Augusto* nummum aureum exhibet, in quo corona rostrata, & in medio litteræ majusculæ C. A. hoc est, CÆSAR. AGRIPPA. Menestr. *Numismatum* pag. 21. ejusmodi;



Quos tamen nummos non temere & inconsulto Principe in eam formam cusos putamus: quod etiam observavit Ludovicus Savotus Medicus Parisiensis *de Re Nummaria* parte I. cap. III.

Corona rostris navium ornata jure merito donatus est, ut jam diximus, Agrippa ab Augusto (Imperatores namque jus istud sibi solis vendicabant, ut colligitur ex Tacito *Annal.* III. pag. 106. Suetonio in *Aug.* XXV. & *Tiber.* XXXII.) propter devictos Sext. Pompejum in Sicilia, Antonium & Cleopatram, *Regum Reginam*, apud Actium Epiri promontorium, celeberrimis præliis maritimis, Dio *lib.* XLIX. & LI. Suet. *Augusto* cap. XVI. & XVII. Quæ corona in summo pretio erat, & dabatur ei, qui primus in hostium navem vi armatus transilierat; aut Ducibus, qui navale aliquod magnum decus magna industria sibi pepererant. Eam soli civicæ postponit naturæ Mystes unicus *lib.* jam *citato* XVI. *cap.* IV.

Corona laurea, sive triumphalis, qua Augusti caput cingitur, antiquitus Cæsarum gestamen erat, ut & triumphantium, Suet. *Julio* cap. XLV. & *Tiberio* cap. XVII Plinius *lib.* XV. *cap.* ultimo, Gellius v. *Attic.* cap. VII. ubi notat mutatam posterioribus seculis materiam; & pro lauro, crescente luxu, aurum suppositum. Pomp. Festus: *Triumphales coronæ sunt, quæ Imperatori Victor aureæ præferuntur, quæ temporibus antiquis propter paupertatem laureæ fuerunt.*

Sed cur Crocodilus Numismati Nemausensi insculptus, ut & in aliis Julii & Augusti Impp. Ægypti symbolum? Quia licet alibi nascatur, attamen Ægypti peculiare animal censetur; & Plinio *lib.* VIII. *cap.* XXV. Nili animal dicitur: a Poetis *Nilicola*, *Niligena*, *Niliacus*, & Ægypto, superstitionum matri, infamia hæc est objecta, quod monstra coleret, & inter alia sacra præcipue Crocodilum adoraret, quod *exsecrandum* videtur, non solum *Sapientiæ* cap. XV. 18. & 19. Eusebio *Præpar. Evangel.* II. cap. I. sed & ipsi Augusto *ridicu-*

A *lum* apud Dionem *lib.* L. pag. 496. & *lib.* LI. pag. 520. Juvenalis *Satyr.* XV. in princip. *insanum*:

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hæc, &c.

Cum enim quidam eos interficerent, ut Tentyritæ, ideo *Pars hæc* Joanni Britannico, Commentatori diligentissimo, sunt illi qui apud Meridem lacum habitant. Queis addit Ombitas, Coptitas & Arsinoitas Laurent. Pignorius *exposit. Mensæ Isiacæ* pag. 21. & 27.

B Adorationis causa, quod Crocodilus solus inter animantes elinguis, Plin. *lib.* VIII. *cap.* XXV. ideoque silentii hieroglyphicum; imo Divinitatis, ad quam silentium maxime spectat, Plutarch. *de Iside & Osiride* ad finem. Deus enim sub alto & profundo silentio cuncta mortalium opera diligenter examinat, omniumque merita intuetur, Aldrovandus *lib. cit.* p. 869. Diodorus lib. I. cap. IV. *rerum Antiq.* & Britannicus alias adorationis causas tamen afferunt.

Crocodilus porro religatus cernitur, non solutus liberque; ut in Nummis Jul. Cæsaris, in quibus inscriptum ÆGYPTO CAPTA apud Scri-
C ptores rei monetariæ: quia Augustus prior Ægyptum penitus subegit, tributariamque reddidit, Strabo *Geogr.* XVII. pag. 548. quod pater Julius non ausus fuerat, sed Regnum illud Cleopatræ, fratrique ejus minori permiserat, anno Urb. cond. DCCVII. veritus Provinciam facere, ne quandoque violentiorem Præsidem nacta, novarum rerum materia esset, Suetonius *Julio* cap. XXXV. cui incommodo ut remedium adferret Augustus, rei politicæ peritissimus, Præfectum Ægypto præposuit, qui eam *loco Regum regeret*, Strabo *ibid.* & Tacit. *Histor.* I. pag. 406. Is vocatur *Præfectus Augustalis* apud Justinianum *Digest.* & *Cod.* cujus
D sedes Alexandria, Tacit. *Annal.* pag. 81. Suet. *Tiber.* cap. LII. Non audens prudentissimus Imperator eam Provinciam ulli Senatori committere, propter gentis levitatem, & regionis ubertatem, claustraque terræ & maris: quin & in illam proficiscendi potestas nemini fuit, nisi Princeps ipse nominatim concessisset, *quod inter alia Dominationis arcana*, Tacit. & Suet. *ibid.* Dio *lib.* LI. pag. 521. Arrianus lib. III. *de vita Alexandri*, asserit Romanos ab illo edoctos fuisse Ægyptum eo modo custodire, nec quemquam Senatorii Ordinis
E eo mittere, sed aliquem ex Equestri, non illustrem tamen.

Palma, qua symbolicus Nummus insignitur, proculdubio victoriæ Augusti de Ægypto argumentum firmissimum; *quoniam ingenium ejusmodi ligni est, ut urgentibus opprimentibusque non cedat*, Gellius *lib.* III. *cap.* VI. ex Plutarcho. Ursinus in denario Sicinii, in quo ramus palmæ cum corona laurea victoriæ partæ monimentum. Livius *lib.* X. ad finem notat anno Urbis cond. CCCCLXI. Romæ tum primum victoribus palmas datas & coronas, translato e Græcia more, de quo Pausanias *lib.*
F VIII. & Libanius Sophista in *Elogio palmæ & pomi* Tomo II. Sermone VI. Vide etiam *lib.* I. *Cod. de Princip. agent. in rebus* tit. XXII. lib. XII. ubi *palma* pro victoria ipsa usurpatur a Gratiano, Valentiniano, & Theodosio Impp. Et Rescriptum Severi & Antonini Caracallæ relatum ab Ulpiano in *l.* I. *§.* 12. *D. de extraord. cognit.* Qui præmium, quod Advocatis victoriæ causa in judicio dabatur, vocabulo sat singulari, nec Juris Interpretibus prioris ævi cognito, *Palmarium* nuncupant: nam & in togata militia causarum patronis Victoribus Palmæ dabantur, quas domum referebant, ut januas adornarent, Juvenal. *Sat.*

VII. v. 118. præ omnibus Martial. *lib.* VII. *epigr.* XXVII. *ad Fuscum* Causidicum.

Nec solum palma victoriæ nota, sed & hilaritatis, parta jam de hostibus victoria, *Apocalypſ.* VII. 9. *Esdræ* IV. cap. II. 46. Unde novimus quapropter Dominica Palmarum Christum Servatorem Hierosolymis Hebræi acceperint, occurrentes cum ramis palmæ atque oleæ. Augustinus *Dial.* II. nummos Augustarum enuntiat, ex quibus hæc facillime probantur.

Advertendum etiam, Lemniscos e palma pendulos non inutiliter poni in latere sinistro Numismatis; in quibusdam, in utroque.

Lemnisci, Siculum vocabulum Hesychio, Græcis sunt tæniæ strictæ angustæque, Casaubonus *in Athen. lib.* v. *cap.* VII. Turnebus *Adversar.* lib. XVII. cap. III. Festo *fasciolæ coloriæ* (ita restituit Scaliger) *dependentes ex coronis*, de quibus Plinius *lib.* XXI. *cap.* III. Politianus *Miſcellaneor.* c. LXXII. Nummos & marmora, in quibus Lemnisci, prout in nostro Nummo apparent, referunt Ursinus in Gente Cornelia & Sicinia, & El. Vinetus *Not. ad Ausonii epist.* XX. n. 469. D. sic:



Coronæ istæ lemniscatæ in magno honore erant, Plinius *loco citato*, & *lib.* XVI. *cap.* XIV. Pamelius *Annot. ad Tertull. de corona militis cap.* XII. n. 159. & Claud. Salmasius, Criticorum nostri seculi facile princeps, *Notis ad Vopiſc.* Servius *ad lib.* v. *Æneid. versu* 270.

Puniceis ibant evincti tempora tæniis.

Non dumtaxat coronæ, sed etiam palmæ, in nobiliori victoria lemniscis ornabantur, & in præmium victoribus dabantur, Ausonius *ibid.* verſ. 5.

Et quæ jam dudum tibi palma poetica pollet,
Lemnisco ornata est; quo mea palma caret.

Sed melius Sidonius id exprimit de Valentiniano III. ita canens *Carm.* 23.

Hic mox præcipit æquus Imperator
Palmis serica, torquibus coronas
Conjungi, & meritum remunerari.

Quippe coronis torques, & palmæ sericis, hoc est, sericatis tæniis nectebantur, Jo. Savaro Sidonii Interpres accuratissimus, & ante illum Josephus Scaliger, immortale litterarum decus, *lib.* I. *Ausonianarum Lectionum* cap. x. Henric. Salmuth. *Notis* doctis sane ac laboriosis *ad Guid. Pancirol. rerum memorabilium* lib. I. *de Triumphis*, & Jacobus Chiffletius, qui *Vesontionis suæ* parte I. cap. XLII. L. Veri Numisma aureum exhibet, in quo imago victoriæ alatæ cum lemniscato serto in manibus cernitur, cum litteris in ambitu, VICT. AVG. TR. POT. VI. COS. II. victoriæ ab Imperatore illo de Parthis reportatæ nota certissima. En aliud Antonini Caracallæ apud Jacob. Biæum *Numiſmat. Imperat.* Tab. LIV. in cujus altero latere, Victoria gradiens coronam lemniscis insignem dextra gerit, sinistra palmam; & circum orbem,

A VICTORIA PARTHICA MAXIMA, de qua Spartianus in *Vita illius*.

Corona, quæ Palmæ ramo alligata est, in nonnullis nummis pensilis, an e quercu, lauro, aut ex alia materia non facile dignosci potest, ob tenuitatem & exilitatem. Quernam tamen fuisse certo crediderim, quia cæteris nobilior, Plin. *lib.* XVI. *cap.* IV. & illa donabantur qui civem in prælio servaverant, & eodem tempore hostes prostraverant, Plutarchus in *Coriolano*. Et ob id concessa Julio in expugnatione Mitylenarum, Suet. *cap.* II. & deinceps omnibus Cæsaribus tanquam universi orbis servatoribus, Plin. *ibid.* Ideoque in eorum vestibulis aut foribus perpetuo ponebatur,
B Suet. de *Tiberio* cap. XXVI. & *civicam in vestibulo coronam recusavit*. Ovid. I. *Metamorph.* fab. 9. verſ. 562. ita cecinit:

Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis, mediamque tuebere quercum.

Valerius Maximus *lib.* 2. VIII. in fine: *Cæterum ad quercum pronæ manus porriguntur, ubi ob cives servatos corona danda est, qua postes Augustæ domus sempiterna gloria triumphant.* Videsis Tiraquell. *in Genial. Dier. Alexandri lib.* III. *cap.* XXVII. & VI. *cap.* VI. Et quod docet Dio *lib.* LIII. pag. 580. Octavio Cæsari nempe, cum orationem de ejurando
C Regno, dividundisque Provinciis, habuisset, multos honores delatos: *ut scilicet ante ipsius domum in Palatio lauri ponerentur, ac super eas coronæ querneæ suspenderentur, quod perpetuus hostium victor, ac civium esset servator.* Adde cum Suet. *cap.* LI. omnium clementissimus. Non abs re igitur coloni Nemausenses civicam coronam Augusto offerunt, & in publico atque perenni monumento dedicant; quia etiam in pugna Actiaca multis civibus Romanis, Antonii partes sequentibus, lubenti animo pepercerat, exemplo paterno; quam erga Antonianos summam *lenitatem Ducis* sic extollit Vellejus, supra laudatus *lib.* II. *cap.*
D LXXXV. *citiusque vitam veniamque Cæsar promisit, quam illis ut ea precarentur persuasum est.* Et postea: *Victoria vero fuit clementissima; nec quisquam interemtus nisi paucissimi, & ii qui deprecari quidem pro se non sustinerent.*


Quid litteræ Romanæ IMP. DIVI F. PP. & COL. NEM. significent, ostensum. Jam observandum venit, quod cum Galli veteres eo sermone uterentur, quo hodie Helvetii: vel, ut placet P. Ramo *de morib. vet. Gall.* Aremorici, seu Britanni Celtici: *Nemausensibus*, utpote Rom. Imperio subditis, nisi Latine scribere, saltem in monumentis & tabulis publicis, nefas & incivile, ut
E constat ex Valerio Maximo *lib.* II. *cap.* II. *sect.* II. & ex fragmento faceti testamenti civis Nemausensis, ad portam Coronalem exstantis, innumerisque lapidibus inscriptis. Hoc enim inter arcana Imperii Poetarum principi XII. *Æneid.* versu 821. *victoriæ lex*, ut sermonem Romanum per omnes terrarum oras diffunderent, pulsa protinus omni barbarie ac morum feritate; sicut loquitur Libanius Panegyrico IMP. Juliano Cos. dicto, Orat. VIII. tum etiam sacra, & leges omnibus communicarent, Strabo *lib.* III. & XII. B. Augustinus *de Civit. Dei*, lib. v. cap. XVII. & lib. XIX. cap. II. Critognatus Arvernus, vir asper & intractabilis,
F apud Cæsarem *Commentar. lib.* VII. *de Bello Gall.* cap. LXXVII. ita concitatus sic suos increpat: *Quod si ea quæ in longinquis nationibus geruntur, ignoratis; respicite finitimam Galliam* (Narbonensem) *quæ in Provinciam redacta, jure & legibus commutatis, securibus subjecta, perpetua premitur servitute.* Quamobrem Europæ quædam regiones in præsentiarum non alio Jure quam Civili reguntur, & præsertim patria nostra Linguæ Occitanæ,

næ, ex pacto & antiquis concessionibus, a Francorum Regibus comprobatis, & diserte in Tolosatium unione expressis; de qua & duabus aliis conditionibus, de quibus cum Principe (Philippo III. ut nonnulli testantur) conventum, ut nempe Regii tantum stemmatis Prætoribus Provincia decerneretur, & ne indictiones ipsi imponerentur nisi prius habitis Populi Comitiis, ac de omnium Ordinum sententia, Chopinus de *Doman.* I. cap. VII. G. Benedictus in Cap. Raynutius, verbo *& uxorem*, N. CCCCXCIX. unus instar omnium, Casanova, in elegantissima diatriba de jure allodii in Septimania instituto, & vindicato, lib. I. cap. VI.


Sed ut eo revertamur unde digressi sumus; non diutius hærendum in expositione verborum COL. NEM. id est, COLONIA NEMAVSVS, quæ acceptarum ab Augusto gratiarum ac beneficiorum memor, nummos istos sedulo ex ære feriundos curavit ingenti copia, post triumphum, ut diximus, in Urbe peractum, anno V. C. DCCXXV. Vignierio, Petavio, & aliis Chronologiæ peritis, de Ægypto capta, sociatis laboribus & opera M. Agrippæ ducis strenui, *militia boni*. Hoc enim observari solitum, non solum Romæ, sed & in Provinciis, ut egregia facinora, atque res bello feliciter gestæ, publicis numismatum monumentis impressæ, in hominum memoriam revocarentur: &, quantum in ipsis erat, immortalitati æternitatique consecrarentur; additis nonnunquam vultibus & imaginibus, ad vivum expressis, eorum quorum ope & industria istud factum, & Respublica recte administrata. Barnabas Brissonius, Senatus Parisiensis Præses dignissimus, vir Jurisprudentiæ in antiquam dignitatem restituendæ natus, *de Formul. & solennib. Pop. Rom. verbis*, lib. IV. pag. 396. observat ejusmodi nummis causas aliquando adjici solitas, brevi elogio: veluti, REPVB. CONSERVATA. ASIA RECEPTA. CIVIBVS SERVATIS. FISCI IVDAICI CALVMNIA SVBLATA. VEHICV-

A LATIONE ITALIAE REMISSA. & similibus. Vel etiam quia Agrippa Pontis Gardii, & admirabilis aquæductus aquas fontanas Utica Arecomicorum, hodie Usetia, Nemausum, illorum principem ac primariam, deducentis auctor exstiterat, ut arbitratur Nicol. Berg. *Itiner. Rom.* IV. c. XXXVII. (de quo & nos amplius alibi) adducti forsitan fuere Nemausenses, ad honores istos illi decernendos. Hæc autem numismata memoralia, quale & nostrum, monetæ vicem aliquando præbebant; ut pluribus rationibus ostendunt Archiepiscopus Tar-
B raconensis, sæpius laudatus, Dial. I. Piso, & Savotus *lib.* I. per totum: & ad æternam rerum prospere gestarum gloriam persæpe in sacris & ludis spargebantur, ac in vulgus jactabantur; quædam deponebantur in terræ sinu, sepulcris & fundamentis Templorum, Palatiorum, Thermarum, Theatrorum, aliorumque insignium ædificiorum; ut non mirum si tam multa a priscis illis seculis Nemausi effossa fuerint, & præsertim dum munitiones excitarentur in postremis bellorum civilium æstibus: si tot, inquam, quotidie vinitoribus & o-
C perariis nostris occurrant hujusmodi nummi aurei, argentei, ærei, non ficti & adulterini, vetustatemve ementientes; sed legitimi, & vere antiqui: quos quidam tanto studio colligunt & coacervant, ut ex illis æraria historica pene completa habeant, summo rei antiquariæ & litterariæ bono.

Ex nummis duobus, jam celebratis, arguitur Nemausum COLONIAM Romanam fuisse nobilissimam, inter quatuordecim Narbonensis Galliæ, quas recenset Onuphr. Panvinius *Imper. Rom.* pag. 217. & ex Mela *de situ Orb.* lib. II. cap. V. Ptolom.
D *lib.* II. *cap.* X. aliisque probatis Auctoribus, priscis ac recentibus, quos affert Jo: Savaro Arverniæ Præses, togatorum lumen, *Not. ad Sidon. epist.* IX. *lib.* II. Sed melius ex inscriptionibus pervetustorum lapidum, Nemausi repertorum, qui sequuntur:



T. TVRPILIO. T. F. VOL.
CAPITONI. AED. COL.



SEX. ALLIVS. REPENTINVS
AED. COL. SIBI. ET
SEX. ALLIO. PATRI. ANNIAE. MATRI
SEX. ALLIO. NVNDINO. FRAT. AED. COL.
ALLIO. VECETO. FRATRI.
MEMMIAE. VXORI. OPTVMAE.

AED. COL. NEM.
L. MESSIO
SILVINO

D. POMPEIO
HOMVNCIONI
PATRI. Q.

Ita enim Albenas pag. 156. & Grut. pag. 455. 8. hodie namque ultima linea legi non potest.

C. VALERIO. L. F. VOL.
LVSSORI. Q. COL.

Albenas itidem pag. 171. Gruter. pag. 479. 5. Grasser. 72.

Q. id est, Quæstor. Municipia enim & Coloniæ, ad Urbis similitudinem, non solum Pontifices, Flamines, Censores, Prætores, & alios Magistratus habebant, ut annotaverunt Sigonius

A de *Antiq. Jure Ital.* lib. II. cap. IV. Guidus Pancirolus I. V. C. in Tractatu *de Magistrat. Municipal.* sed etiam Ædiles, & Quæstores, ac Quartumviros ad Ærarium, de quorum munere & officio, & alio qui vocabatur *Præpositus Thesaurorum Nemausensium*, qui inclinante Imperio ad Comitem largitionum pecunias Imperatoribus a Provincialibus debitas deferebat, mentionem facit idem Pancirolus *Commentar. in Notitiam Imp. Occident.* cap. XXXVI. ex Lege ultima Cod. Theod. lib. XII. tit. VII. *de ponder.* &c. quam etiam feliciter cor-
B rexit; ejusque censura placuit Clarissimo Jacobo Gutherio, *de officiis domus Augustæ* lib. III. cap. XVIII.

In rudi lapide modicum decurtato & exeso, quem delineavit Gruterus pag. 1074. 9. fit mentio Dei COLONIÆ NEMAVSENSIS, litteris ejusmodi,

...... OLO. NEMAVSO
MARIVS PATER
NVS
V. S. L. M.

DEO CO-
LONIAE

C Sed apertius in isto temporis iniquitate deperdito, qui in ædibus *Du Balonaire*, in Foro olitorio conspiciebatur, quem etiam describunt Albenas pag. 184. & Gruter. 111. 12. sibique monstratum fuisse ab amicis affirmat Grasser. pag. 17.

DEO NEM.
AL. X. TITVLLVS
VTVLIVS PERSEVS
HOROLOGIVM
ET CERVLAS II·
ARGENTEAS
T. P.

HOROLOGII dedicationem, more vetusto factam, docet quidem Vir omni litteratura celeberrimus, ac Antiquitatis cultor eximius, ex Inscriptione Viennensi, cui adjungendæ Gruterianæ pag. 6. 6. & 227. 6. Plinius *lib.* VII. *cap.* ult. Sed quid per CERVLAS DVAS ARGENTEAS intelligendum, noluit definire: & accuratissimus Goltzius in *Thesauro suo rei Antiquariæ* CERVLAS inter dictiones incognitas & exoletas recenset; quemadmodum & alii lapidum Collectores, totius vetustatis instauratores diligentissimi. Si licet, in re perobscura, vaticinari sine lauro & tripode, cum C. pro G. frequentissime in perantiquis marmoribus & numismatis scriberetur, GERVLAS, hoc est, Bajulas duas, Horologium portantes, hic denotari suspicor. Horologia quippe, ut jam dictum est, Diis consecrata, quinetiam in templis posita, quæ ab illis nomen habuerunt & HOROLOGIARIA cognominata, Lapis Albæ Juliæ apud Gruter. 6. n. 6. Habuerunt autem hæc Horologia aquea, de quibus loquimur, ornamenta sua, quæ *Parerga* dicuntur Vitruvio *lib.* IX. *cap.* ult. cujusmodi fuerunt *Buccinæ*, quæ canebant: *Calculi*, qui projiciebantur: *Metæ*, quæ vertebantur. Hujusmodi sigilla intelligebat DECIMVS TITVLLVS PERSEVS, quæ ex argento, TESTAMENTO suo PONI volebat, jusseratque, vocatque GERVLAS DVAS ARGENTEAS; Sigilla nempe ex argento, referentia duas Gerulas, seu Bajulas, quæ movebantur, quasi Horologium ipsum sustinerent.

De NEMAVSO isto, quem ob ingentia merita vesani Nemausenses, sicut Romani *Quirinum* suum, in Deorum numerum retulere, alio in loco fusius, Deo dante, agemus: hic ostendere sufficiet, quod in aliis quibusdam saxis Nemausus non solum COLONIA, sed COLONIA AVGVSTA indigitatur:

D. M.
M. SENVCII
SERVATI. Q. COL.
AVG. NEM. AB AER.
ET. IVLIAE. HELPIDIS
VXORIS. OPTIMAE.
V. P.

Sc etiam Gruter. 467. 3.

T. INDEDII TERTII.
AED. COL. AVG. NEM.
DOMITIA. EORTE. SIBI ET VIRO
DE. SE. BENE. MERITO. V. F.

A Albenas & Gruter. 323. 5. legunt perperam INDESII. Colonia igitur AVGVSTA NEMAVSUS quia hoc honore ab *Augusto* decorata, coloniarumque jure donata; vel quia illius auspiciis colonia civium Rom. Nemausum deducta, ad tumultus Gallicos sedandos, hostium finitimorum incursus reprimendos, populos subactos coercendos, plebis urbanæ exhauriendæ causa: quas rationes & alias docent Sigonius *de Antiq. Jure Ital.* lib. II. cap. II. & III. Rosinus *lib.* X. *cap.* XXII. & XXIII. Quapropter in pluribus nummis, qui recensentur ab Occone in *Augusto*, & ab Augustino *Dial.* II. *Antiquit.* Coloniæ ab illo Imperatore conditæ, vel

B deductæ, AVGVSTÆ cognominantur: COLONIA CALAGVRRIS AVGVSTA: COLONIA AVGVSTA PATRIENSIS: COLONIA CÆSAR-AVGVSTA: COLONIA AVGVSTA EMERITA, &c.

Tempus porro definire, quo Nemausum COLONIA illustravit Augustus, perquam difficile & arduum; cum nulla publica monumenta supersint. Vulgatior opinio (quicquid dicat Auctor incertus in *Vita Augusti* Gallice conscripta, ad calcem Parallelorum Plutarchi addita) id contigisse post reditum illius ex Ægypto, Grasserus dissert. *de Antiq. Nemaus.* pag. 23. & Golnitzius *Itinerar.* pag.

C 548. Eapropter AVGVSTVS apud Nemaus. Arecomicos in summa veneratione, eique, ut & JOVI, vota nuncupata. Vetus istud marmor conspiciebatur Patrum nostrorum memoria in arce Sancti Privati, prope Nemausum:

SANCTITATI.
IOVIS. ET
AVGVSTI. SACRVM
LVCILIVS
CESTI · F.

D Exstat etiam apud Gruterum pag. 10. n. 1. & Grasser. pag. 52. qui legit CESTIO F.

Numismata AVGVSTI, in queis caput radiatum, vide apud Occonem pag. 81. 82. cum fulmine, ut alter Jupiter pag. 44. 49. Interpretes *in Suetonii cap.* LII. *&* LIV. *in* AVG. Alia quæ Divinitatem plenius declarant cum lemmate: AVGVSTO DEO. DIVO AVGVSTO. PROVIDENTIAE. AETERNITATI AVGVSTI.

E ibid. & apud alios Scriptores de monetis antiquis.

Et cum cæteri Imperatores post mortem fuerint tantum consecrati, D. AVGVSTVS tamen templa vivus emeruit, Servius Grammaticus *ad Virgilianum versum 6. Ecl.* I. & 42. *Georg.* I. Horatius *lib.* III. *Ode* III. & V. & *lib.* II. *epist.* I. versu 26.

Præsenti tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.

F Aras quippe Deorum juraturi tenebant. M. Tullio *pro Flacco*, *Is si aram tenens juraret, crederet nemo.* Sed melius hunc ritum expressit more suo Comicorum princeps in *Rudente* Actu V. Sc. II.

GR. *Tene Aram hanc.* LA. *Teneo.* GR. *Dejura te mihi argentum daturum,*
Eodem die viduli ubi sis potitus. LA. *Fiat.*

Habuisse autem aras ansas quasdam, unde & commutatione litterarum nomen sumpserunt, cuivis mediocriter erudito compertum est. Cum autem D. Augustus horoscopante Capricorno, hoc est, Sole primas Capricorni partes obtinente atque peragente, natus esset; inde non solum futuram magnitudinem & principatum, sed *Divinitatem* etiam, portendi voluerunt Mathematici: & Theogenes audita hac illius genitura *exsilivit, adoravitque eum*, Suet. in *illius Vita* cap. XCIV. Quando enim Sol in Capricorno incipit ab imis in alta remeare, Capræ naturam videtur imitari, quæ dum pascitur altum semper ab imo petit: & Platonici Capricorni signum *Portam Deorum* vocarunt. Videatur Macrob. *in Somnium Scip. lib.* I. *cap.* XII.

Non Romæ tamen, & in Italia, AVGVSTO vivo & inter mortales agenti Templa dicata aræque erectæ, sed in Provinciis solum; Suet. cap. III. in *Aug.* Dio *lib.*LI. pag.524. & a Tarraconensibus primis *datum in omnes Provincias exemplum*, idem Tacit. *Annal.* I. pag. 47. quibus nuntiantibus palmam in ara ejus enatam, acute arguteque respondit Imperator, *Apparet quam sæpe accendatis*, Auctor Quintilianus *Institut. Orat.*VI. cap.IV. IV. Sic Ancyrani in Galatia mature ei vivo Templum exstruxerunt, Casaubonus *in Sueton. lib.*II. ad finem. Josephus *Antiquit. Judaic.* XVI. cap. X. Pergameni in Asia, Nicomedienses in Bithynia, Dio loco citato, Tacit. *Annal.* IV. pag.158. Bituriges Vivisci, seu Burdigalenses, in Galliis solennes aras illi dedicarunt, El. Vinet. *in Ausonii Urbes* num.208. B. Andr. Thevet. *Cosmograph.* XIV. cap.IV. Vol. II. Similiter Lugdunenses & Narbonenses, quæ describuntur a Grutero pag.227. 229. Catello & Andoque in Occitanicis.

Notanda interim fœdissima LVCILII adulatio, in marmore jam descripto, vel potius cæcitas plusquam Ethnica, qui IOVEM & AVGVSTVM insignes incestuosos & adulteros, SANCTOS tamen nuncupat: De IOVE luculentissimum testimonium suppeditat Aurel. Victor referens: *Caligulam habitu Deorum suorum incessisse, seque Jovem asseruisse, quia tres sorores suas stupro maculaverat*; Poetæ passim, Virgil. I. *Æneid.* vers.50. Ovid. *Metamorph.* IX. fab.II. Seneca Tragicus dramate *Hercules furens* in princip. Junonem sic exclamantem introducit:

Tellus colenda est; pellices Cœlum tenent.

De AVGVSTO Suet. disertissime *cap.* LXX. CœNA *quoque ejus secretior in fabulis fuit, quæ vulgo* δωδεκάθεος *vocabatur, in qua Deorum Dearumque habitu discubuisse convivas, & ipsum pro Apolline ornatum, non Antonii modo epistolæ, sed & sine auctore notissimi versus:*

Cum primum istorum conduxit mensa choragum,
Sexque Deos vidit Mallia, sexque Deas.
Impia dum Phœbi Cæsar mendacia ludit,
Dum nova Divorum cœnat adulteria.
Omnia se a terris tunc Numina declinarunt;
Fugit & auratos Juppiter ipse thronos.

Nec solus LVCILIVS CESTI filius in eo errore: vitium enim seculi & temporum, ut conqueruntur Sancti Patres, Tertullian. *Apologetic.* cap. IX. Cyprian. *contra Donatum* lib. I. cap. II. Lactant. *Divinar. Instit.* I. cap.XX. Saresberiens. *de Nug. Curial.* III. 24. Panagius Salius *Vedastiados*, seu *Galliæ Christianæ*, lib.I.

Porro cum COLONIÆ amplitudinis majestatisque Pop. Rom. quasi effigies parvæ simulacraque essent, ut loquitur Gellius *lib.*XVI. *cap.*III. Varro lib.IV. *de Ling. Lat.* ex plerisque lapidibus, qui describuntur cap. II. & III. *Inscriptionum nostrarum*, ut jam diximus, & cap.V. VII. & VIII. quas summo studio collegimus & digessimus, (numero DXXV.) & aliis testimoniis constat NEMAVSVM Septemgeminam suos Magistratus sacros & politicos (non tamen pari dignitate ac Romanos) habuisse: Pontifices nempe, Flamines, Flaminicas, Vestales, Lupercos, Sodales, Legatos, Duumviros, Decuriones, Prætores, Ædiles, Quæstores, Tribunos Militares, Centuriones, Præfectos vigilum & armorum, itidemque Fabrum: Sexviros, Quartumviros Jurisdicundi, & ab Ærario, aliosque ibi memoratos, necnon Corpora & Collegia, Ædes, Templa, Muros firmiores quam priscos Gallicos, judicio Jul. Cæsaris *Commentar.* VII. cap V. ac Petri Rami *de moribus veter. Gallor.* pag. mihi 20. & 66. Pontes, Aquæductus; & invalescente luxuria, Thermas, Balneas, Palatia, Basilicas, Capitolium, Amphitheatrum cum Campo Marti sacro, Columnas, Statuas, Colossos, Tabulasque, Monumenta Romano charactere insculpta, Numismata, Gemmas incisas, Vias munitas ac militares: Pomœrium ampliasse, Domos magnificas ædificasse, Prætoria ac Villas, quæ adhuc priscum nomen retinent, quarum XLV. alibi recensuimus. Quid enim aliud quæso vocabula hæc Celtismi nostri, AIMARGVES, CAISSARGVES, DOMESSARGVES, FABIARGVES, & similia sonant? Quam ejusmodi loca inhabitata, agrosque cultos a Nobilibus quibusdam, oriundis ex Familiis Rom. AIMILIA, CASSIA, DOMITIA, FABIA, allectis & adductis, non tam ubertate ac fertilitate soli Nemausensis, quam aeris serenitate & salubritate; aut etiam, ut mercaturæ operam darent: nam & jam Ciceronis ævo Gallia Narbonensis, civibus Romanis negotiationem exercentibus admodum frequens erat, *Orat. pro Fontejo*, habita anno Urbis conditæ DCLXXXIV. *Audacter hæc dico, Judices, non temere confirmo, referta Gallia negotiatorum est, plena civium Romanorum. nemo Gallorum sine cive Romano quicquam negotii gerit*; & alibi. Ideoque Plinio *lib.*III. *cap.* IV. Gallia Narbonensis *Italia verius quam Provincia* dicta: vel etiam propter singularia beneficia & privilegia, quæ a Populo Rom. & Cæsaribus ei concessa fuere; de quibus Suet. *Julio* cap. LXXVI. & LXXX. Dio *lib.* LII. & LIV. Lips. *ad Annal. Taciti* XI. & XII. Andoque *lib.* II. & III. quæ hic referre non est instituti mei; sed ea tantum quæ in dulcissimam & charissimam patriam collata fuere: ne in beneficos & benemeritos municipes meos ingratus videar. Namque ut primum Nemausus Arecomicorum caput, seu metropolis, sub jugum Romanorum cum Gallia Narbonensi missa fuit, post Allobrogicum & Arvernum bellum confectum ad Isaræ & Rhodani confluentem, anno Urbis conditæ DCXXXIII. vel potius post Cimbricum a C. Mario, anno DCLII. Vignierio, & Dionysio Petavio *Rationar. Temporum* partis primæ lib.IV. cap.XIV. & aliis Chronologis, non statim ut aliæ civitates Galliæ, teste Cicerone in *Fontejana* prædicta, stipendiaria & vectigalis facta fuit; sed tributorum onere immunis permansit, tanquam juris Latini, vel Italici: quod multis probare nititur Albenas, apud Nemausenses Senator olim dignissimus, & de illis bene meritus, sed nominatim auctoritate Pauli J.C. in *lege* VIII. *De Censib.* & Accursii *ad l.* I. *D. eod.* & Andr. Alciati celeberrimi Jurisc. *ad l. Censere.* CXI. *De verbor. signific.* Alexandri *Genial. Dier.* IV. cap.X. Quod ita accipiendum, ut non omnino libera Nemausus, sed vectigalibus, tri-

butis, ac capitationibus haud attrita fuerit; sicut declarat Alciatus ipse *Dispunct.* II. cap. XXI. & apertius Sigonius *de Antiq. Jure Italiæ* lib. I. cap. IV. & XXI. quandoquidem cives ipsi Romani tributa quædam ac vectigalia pendebant. Consulatur doctissimus Ant. Dadinus, Alteserra *rerum Aquitanic.* lib. III. cap. III. & vir incomparabilis Samuel Petitus *Observat.* II. cap. IV.

Et cum ante Romanorum adventum, Respublica præstantissima esset, Gallorum regulis non obnoxia, (ut aliæ, quæ optimatum consilio regebantur, de quibus loquitur Cæsar *Commentar* VI. cap. IV.) pagos 24. sibi subditos habens, Strabo *lib.* IV. oppida Plinio *lib.* III. *cap.* IV. ex Populi Romani & Cæsarum concessione, speciem aliquam pristinæ libertatis per aliquod tempus retinuit: nec Proconsules, Proprætores, & alii Magistratus, in eam missi cum securibus, sicut in alias; ut asserit Suet. in *Tiber.* cap. XI. & in *Caligula* cap. III. sed NEMAVSENSIBVS, & illorum subditis, suis uti legibus permissum, Strabo prædicto *lib.* & XVII. in extremo, Tiraquell. *in Alexandrum*, Dadinus *locis citat.* Præses Falcetius *Antiquitat. Galliæ* I. cap. XIV. similiter ac Massiliensibus, Vocontiis, Strabo *lib.* III. & IV. & Atrebatibus ob ingentia merita, Jul. Cæsar. *lib.* VII. *cap.* XIV.

Fallitur proinde Auctor *Antiquitat. Nemausens.* & cum illo Golnitz. *Itinerar.* pag. cit. dum asserunt NEMAVSENSES ad Romanos tantum devenisse sub Pompeio Magno, adducti auctoritate Plinii *Histor. Nat.* VII. cap. XXVI. Cui addi potest Florus, sive quis alius Auctor exstiterit Epitomes Livianæ *Decad.* XCIII. Cic. *pro Lege Manil.* Salust. *Histor.* Fragment. III. qui Pompeium *Galliam recepisse* affirmant. Sed hi de civitatibus rebellantibus & jam Romanorum jugum detrectantibus intelligendi: inter quas cur Nemausus?

Ex superius adductis patet quam laudabili consilio, *Cives Nemausenses* ad memoriam Antiquitatis, & Majestatem Urbis, rejecto tauro aureo, quem Christianissimi Regis concessione præferebant in Scuti solo coccineo, Anno MDXXX. decreverint a Rege ipso postulare, ut in posterum illis permissum foret, imagines Numismati antiquo, quod jam descripsimus, insculptas, Crocodilum nempe Palmæ alligatum, Sertum, seu coronam pensilem (quam e lauru faciunt) cum litteris COL. NEM. in posteriori orbe exaratis, pro insignibus gestare. Super hoc ergo, summo omnium studio & rogatu, factum est a Francisco I. felicissimæ memoriæ Principe, & egregio rei antiquariæ cultore, Rescriptum mense Jun. Ann. MDXXXV. cujus verba ex Archivio publico describere operæ pretium duxi: quia multa notatu digna occurrunt, ex usu idiomatis Gallici; & ut summi Principis beneficium, ac amor in *Nemausenses nostros* magis innotescat omnibus.

FRANCOIS *par la grace de Dieu, Roy de France, A tous presens & advenir. Nous avons receu la forme de l' Empbitheatre envoyé par nos chers & bien amez les Consuls, manans, & habitans de nostre Ville & Diocese de Nismes, & entendu par nostre amé & feal Maistre Antoine Arlier Docteur ès Droicts, & Consul de nostredite Ville, la Palme, Coleuvre enchainé, & Chapeau de Laurier dans ledit Empbitheatre enclos, avoir esté anciennement les Armoiries & Enseigens de nostredite Ville de Nismes: ce que nous a ledit Arlier clairement démontré, tant par apparentes raisons, que par le revers de plusieurs antiques Medailles, esquelles, & en l'une des faces, avons veu a demy relief figuré ledit Coleuvre sans aisles, à quatre pieds, passant, enchainé à une Palme, & en icelle un Chapelet en forme de laurier pendant, & au dessous les deux pieds de devant dudit Coleuvre, un petit rameau d' une Palme: d' avantage écrit en lettres antiques majuscules & syncopées, suivant le stile des Anciens,* COLVBER NEMAVSENSIS. *Advertis aussi les Consuls de nostredite Ville de Nismes, avoir puis peu de temps * en ça impetré de nous un Taureau d' or pour les armes de ladite Ville; voulans par ce, & desirans conserver, ou bien renouveller les loüables antiquitez, & desquelles avons esté & sommes grandement amateurs; mesmes à nostredite Ville, qui est sur toutes autres de nostre Royaume illustre, chef à present du Diocese, & Siege principal de nostre Seneschaussée de Beaucaire, en augmentation d' honneur, restauration, comme dit est, de l' Antiquité, & pour autres bonnes & grandes considerations à ce nous mouvans, à iceux Consuls, manans & habitans de nostredite Ville de Nismes: Avons octroyé & octroyons, Voulons & nous plait, de nostre propre mouvement, & certaine science, pleine puissance & authorité Royale, par ces presentes, que demis & rejetté le Taureau d' or que nous, comme dit est, autrefois à eux concedé en leur encien champ de gueules, soient d'oresenavant & à perpetuité ledit Coleuvre à la Palme enchainé, & le Chapelet de Laurier en icelle pensile, & d' avantage écrit en lettres antiques majuscules ces deux mots:* COL. NEM. *ladite Palme entre lesdits deux mots, & par dessus, & tout ainsi qu' est contenu en la figure cy-empreinte, laquelle est purement pourtraicte, & tirée du revers des antiques Medailles, ledit Coleuvre, Palme & synople, Chapelet de me plus approchant du naturel d' iceux, la chaine & les lettres d'or, le tout sur l'ancien champ de Gueules.*

SI DONNONS *en mandement par ces mesmes presentes, à nostre Seneschal de Beaucaire, ou à son Lieutenant, que de nostre present octroy, & contenu cy-dessus, il fasse, souffre, & laisse lesdits Consuls, Manans, & Habitans de nostredite Ville de Nismes, joüyr & user pleinement, perpetuellement, & à tousjours; cessant, & faisant cesser tous troubles & empeschemens au contraire: en contraignant, ou faisant contraindre lesdits Consuls, & Habitans d' icelle nostredite Ville, par toutes les voyes & manieres deuës & requises, à rejetter ledit Taureau d' or; & au lieu d' iceluy d' oresenavant porter ladite Armoirie, & enseigne cy-dessus figurée, & empreinte: & d' icelle user tant en leurs Seaux, que sur les portes de nostredite Ville, & en autres lieux & endroits accoûtumez, où besoin & requis sera: Et afin que soit chose ferme & stable à tousjours:* NOUS AVONS *fait mettre nostre Seel à cesdites presentes, sauf en autres choses nôstre droict, & l' autruy en toutes.* Donné *à Ruc, au mois de Juin, l' an de Grace mil cinq cens trente-cinq, & de nostre Regne le vingtuniemé. Par le Roy. Le Sieur de Montfaulcon Grand-Maistre, & Maréschal de France, present.* BAYARD.

Leuës, publiées au Conseil de la Cour Presidial de Nismes, & registrées au livre dudit Conseil, presens Messeurs les Gens du Roy, le 29. de Novembre, l'an MDXXXVI. LANSARDI. *Contentor*, DESLANDES.

Diplomatis istius tres errores, inter alios, notandi veniunt.

* An. MDXVI. au mois d' Avril a Lyon.

Primus, quando cives Nemausenses per Arlerium Consulem Regi exponunt, Animal, in Numismate averso effigiatum, *Colubrum esse inalatum, gradientem, quadrupedem*, ac proinde dictiones contractas COL. NEM. de COLUBRO NEMAUSENSI intelligendas: cum certissimum sit, ut demonstratum est, *Crocodilum* esse fluviatilem, nullam similitudinem cum Colubro habentem, qui inter serpentes pedibus orbatos ponitur a multiscio Conrado Gesnero Tigurino *Histor. Animal.* lib. v. de serpentibus, litt. C.

Secundus, dum in interpretando Scuto Symbolico fascias seu lemniscos e palmæ ramis pendentes omittunt; quod non erat parvi momenti, ut superius probavimus.

Tertius, cum in pristina area coccinea parmæ tesserariæ, in qua taurum aureum ferebant, in illius locum apponi subrogarique postulant Palmam, Colubrum & Sertum, sive coronam viridis aut prasini coloris, tamquam ad germanum ac genuinum proxime accedentis, catenam & litteras COL. NEM. ex auro; contra rei tesserariæ præscriptas leges, quæ non patiuntur symbolicas imagines primarias, seu principes, ut sunt in prædictis insignibus Nemausensibus, *Palma*, *Crocodilus*, & *Sertum*, eo modo usurpari, ut coloribus colores, metalla metallis, vellera velleribus mutuo incubent; & si aliter pingantur, id tesserariarum iconum rationem legitimam adulterat: nisi forte ex gravissima causa & extra ordinem fiat; & tunc erotematicæ & postularitiæ tesseræ, Gallis *Armoiries a enquerre*, appellantur; ut de Gorofredo Bullionio traditur, cujus Scutum Symbolicum describunt Hieronymus a Bara, & Vulso dict. tractatu *c.* v. & Cassaneus *Catalogo gloriæ mundi*, pag. 49. Quapropter pictores hodierni quidam, in miniato laterculo, Palmam, atque Crocodilum, & cæteras imagines auratas, prasino seu *sinopleo* inumbratas & illustratas, sic exprimunt:



Et clarissimus Andoque, litterarum omne genus doctissimus, *Histor. suæ* pag. 62. scutarium nostrum typum enuncians ac explicans, vult in eo depingi palmam viridem, cui alligatus est catena argentea Crocodilus cæruleus, in parma aurea; colores eo modo metallo imponens, ex recepto artis scutariæ usu. Verumtamen videant *Nemausenses*, an melius esset insignia delineare, quemadmodum expressa fuerunt in Regiis Litteris.

Laudandi interea Consules, qui ad memoriam venerandæ Antiquitatis, & eorum quæ proposita sunt confirmationem, in Domus civicæ majori aula *Crocodilos duos Niloticos* asservant exenteratos, & accurate infartos, qui e laqueari dependent, quorum alter comparatus fuit pecunia publica ad Annum Domini MDLXXXVI. alter autem ad Annum MDXCVII. ex Ægypto ambo, per mare vicinumque Rhodanum, ut puto transvecti, quos advenæ summa cum voluptate conspiciunt.

ALTERIUS NUMISMATIS INTERPRETATIO.

Nunc ad alterius Numismatis interpretationem accedendum, quod sic in æs incidi curamus:



NUMMULUS iste admodum rarus, non ita eleganter utrinque cælatus, ut præcedens, a nullo Scriptore monetario visus & publicatus fuit, præterquam a magni nominis viro Jo. Tristano Santamantio *Commentar. Histor.* Tom. I. in *Augusto*, qui existimat caput galeatum, esse ipsiusmet NEMAVSI, urbis nostræ fundatoris, Herculis Gallici filii, ex Stephano *de Urbibus*, & Suida: apud quos Nemausus urbs Galliæ a *Nemauso* Heraclide; & alios, quos adi; quod & aliquando in nostris *Antiquitatibus Nemausensibus*, si per Deum propitium eas publici Juris facere liceat, fusius nos declaraturos confidimus.

In posteriori circulo spectatur Dea SALUS, baculo innixa, escam e disco porrigens duobus Serpentibus arrectis, cicuribus, cum litteris Rom. NEM. COL.

Quare Serpentes, Angues, ac Dracones (quamvis enim proprie sumti inter se differant, apud Auctores tamen non proletarios confunduntur, & sunt synonyma) Æsculapio, & Hygiæ filiæ, seu Saluti attribuantur, non solum in omnibus fere statuis ac simulacris, sed etiam innumeris Numismatibus, quæ summo studio collegit Historiæ genius Aldrovandus *de Serp. & Dracon.* lib. I. & II. Rationes in promtu sunt: quia instaurantur quotannis, tempore verno nempe, positis exuviis, ut & medicamentis ægroti mutantur, Plin. *lib.* VIII. *cap.* XXVII. Hieronymus Aleander *explicat. tabulæ Heliacæ* XCV. & quibusdam herbis sibi medentur, Ælianus *Histor. Animal.* VI. cap. IV. & LXIII. Imo se in vitam revocant, Addit. Pier. pag. 580. Vel quod ab anguibus multa in genus humanum remedia procedant; & apud Ægyptios, Græcos, & Romanos, Serpens non solum corporis, sed etiam animæ salutare symbolum fuit, Addit. ad Pier. ibid. & Aldrovand. p. 79. qui forsan ab Hebræis edocti, Mosen Serpentem æneum fecisse, cujus adspectu sanabantur percussi, *Numeror.* XXI. quem deinde Ezechias confregit, *quia filii Israel adolebant ei*, *Reg.* II. cap. XVII. 4. aut propter visus perspicaciam, ut postea ostendetur; Medici enim oculatissimi esse debent: sive propter prudentiam, quæ præsertim in Medico requiritur; Serpens autem prudentiæ symbolum, *Estote prudentes sicuti Serpentes*, *Matth.* X. vers. 16. *Genes.* III. vers. I. quod & multis argumentis ostendunt Bened. Pererius in *Genes. Comment.* VI. cap. I. & Aldrovand. *lib. citato*.

Ad illustrationem porro istius Numismatis lege Alciat. *Emblem.* I. & CXLIX. & Claud. Minoem *ibid.* ac disce ex Æliano *Histor. Anim.* lib. VIII. cap. XII. Serpentem, Æsculapio dicatum, Παρεΐαν, *Pariam*, vocari; igneo colore, acerrimo oculorum sensu, ore largo: qui tamen, cum mitis sit, nihil nocet mordendo; ut nec illi, qui nascun-

* *Serpens* ad differentiam volatilium.

tur in Epidaurio agro, Pausan. *Corinth.* II. Cujusmodi etiam erat illi qui a Tristano exhibetur in Nummo Juliæ Sabinæ, illi adblandiens; & ita cicur, ut ex ore illius cibum caperet; & Tiberio Imperatori *erat in oblectamento serpens* * *draco, quem ex consuetudine manu sua cibabat*, Suet. *cap.* LXXII. Similiter auctor est Philostratus Junior, Ajaci Locrensi fuisse draconem mansuetum, pedum quindecim, quo ille utebatur convictore, & comite, instar canis. Vide etiam apud eundem Ælianum VI. *c.* LXIII. historiam mirabilem draconis & pueri cum eo familiariter nutriti; & quæ tradit *lib.* XVII. *cap.* V. de Aspidibus, qui ab Ægyptiis coluntur, & mansuefiunt: ut & omnes illi qui videntur circa Pellam Macedoniæ urbem, illustratam maxime natalibus Philippi & Alexandri M. Lucianus *Dial. Alexander* seu *Pseudomantes*: quales hodie quoque mulierculæ Romanæ, æstivis maxime mensibus, in deliciis habent, ut & olim Glacilla Martialis *lib.* VII. *epigr.* LXXXVI.

Si gelidum collo nectit Glacilla draconem.

Imo qui proprie dracones in genere ἑρπυστικῷ nominantur, veneno carent, Plin. XXIX. *cap.* IV. Non adeo miranda igitur, quæ de Lanuvinis Virginibus fingunt Poetæ, quotannis in sacro Luco cibum ingenti draconi præbentibus, & eo modo, si escam attingeret, virginitatem suam probantibus, Ælian. *lib.* XI. *cap.* XVI. Propertius Poeta cultissimus insignite *lib.* IV. *eleg.* VIII. quæ inscribitur de Cynthia & Dracone:

Lanuvium annosi vetus est tutela Draconis
Hic ubi Tartareæ non perit hora moræ.
Qua sacer abripitur cæco descensus hiatu
Qua penetrat † (*Virgo tale iter omne cave*)
Jejuni Serpentis honos, quum pabula poscit
Annua, & ex ima sibila torquet humo,
Talia demissæ pallent ad sacra puellæ,
Quum tenera anguineo creditur ore manus.
Ille sibi admotas a Virgine corripit escas,
Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.
Si fuerint castæ, redeunt in colla parentum,
Clamantque Agricolæ, fertilis annus erit.

Ursinus, in tabulis gentis Mettiæ & Pappiæ, duos hosce denarios exhibet, ex quibus hæc facile colliguntur: in illorum quippe aversis, Virgo anguem Lanuvinum pascens cernitur.



Serpens ad differentiam volatilium. †. Al. *penetral.*

Tristanus in Nummis M. Aurelii & Faustinæ minoris *Operum* Tomo I. Getæ, Elagabali, Tomo II. Herodiani & Gallieni, Tomo III. multos describit, in queis Dea Salus, aut Imperatores, vel Augustæ, draconibus mansuetis, vel suapte natura, aut arte, ac industria hominum, cibum porrigunt e disco, vel scutella, quam extendunt, quæ mola sive placenta ὑγίεια Polluci vocatur *lib.* XI. *cap.* IX. & Hesychio. In gratiam studiosorum, qui copiam nummorum & librorum non habent, quatuor apponam elegantiores.

B



C

D Lege etiam si lubet *Inscript. Rom.* pag. 74. & Aldrovand. *loc. citat.* lib. I. pag. 84. & 85.

Conjectura Santamantii in explicatione imaginis, in priori parte figuratæ, valde probabilis est. Mihi tamen videtur caput galeatum, Deam Romam Denariis impressam referens, esse MARTIS, rectius quam NEMAUSI conditoris, quibusdam commentitii ac fabulosi: quia Mars eo modo pingitur in pluribus Numismatis apud Tristanum ipsum, in *Constantino* M. Vol. III. G. Choulium Lib. *de vet. Rom. Religione*, pag. 222. & 223. in Nummis Vitellii, Antonini Pii, Severi Caracallæ, Gordiani, Alexandri Mammeæ F. & aliorum, & Goltz. *Fastor.* pag. 189. Et prisci Nemausenses Arecomici dicuntur apud Jul. Cæsarem, Strabonem *lib.* IV. Melam *lib.* II. *cap.* V. Ptolomæum *lib.* II. *cap.* X. quasi Martis gens, populus, regio, Ἄρεως Κώμη, & aliis Volcis fortiores ac præstantiores, Tit. Liv. *lib.* XXI. *cap.* 26. fol. 197. Edit. Francof. de illis loquens, *Volcarum gens valida*, & Plutarch. in *Annibale* c. III. Ideoque MARS illis in præcipuo cultu, ex priscorum Gallorum instituto, quos MARTEM religiose coluisse afferit Cæsar *Comment.* VI. cap. IV. & late Gorop. Becanus *Gallic.* IV.

Ulpianus apud Cujac. *Tit.* XXII. *Qui hæredes institui possunt*, Sect. VI. meminit Constitutionis Gallorum, quæ MARTEM hæredem instituere permittebat: *Dei enim hæredes institui non poterant, præter eos quos S. C. constitutionibus Principum instituere concessum erat.* Gellius *lib.* XVI. *cap.* VI. citat hæc verba Pomponii, Attellanarum Poetæ, in Gallis Transalpinis:

Mars, tibi voveo facturum,
Si unquam redierit, bidenti verre.

Confirmat lapis sacer, affixus propugnaculo

portæ Coronalis, ita vetustate & injuria temporum detritus & corruptus, ut vix legi possit, & mutilus etiam apud Grasser. pag. 75. ac absque figuris; ut & apud Gruterum LVII. n. 10. ex A quo tamen, & schedis illorum, qui ferme integrum viderunt, quandoquidem ab Albenate prætermissus consulto videtur, ita erit supplendus & restituendus.

BRITO

AVG· MARTI·BRITO-
VIO SALVIVS
SECVNDINI FIL·
EX VOTO·



AVG. MARTI. sine dubio AVGVSTO MARTI; hoc est, Sancto, plurimum Colendo, Adorando, Venerando, &c. B


Lapides alios vetustos MARTI AVGVSTO inscriptos, adducit Gruterus pag. 57. & 1068. & aliis Diis Deabusque, SILVANO AVGVSTO. FORTVNÆ AVGVSTÆ pag. 1068. Duorum Nemausensium hæc sunt verba:

MERCVRIO AVG
T. VALERIVS GRATVS
EX VOTO
VALERIAE PATRONAE SVAE

MERCVRIO AVGVSTO
M. PVLLIVS CELSVS ET
L. DOMITIVS SEDVLVS
EX VOTO


C In vico de *Manduel* proxime Nemausum, ita dicto, ut multi existimant, a manibus DVELLI civis Rom. ibi sepulti, etiam nunc hi duo leguntur incorrupti & elegantissimi:

DIA-



q inversum pro recto P.

V. pro O. sæpe in antiq. Inscriptionibus.



ISIDI

A Refertur a Grassero pag. 34 & Grutero 42. num. 1. sine Lunula inversa, sistro Ægyptiaco, ornatuve ullo: & Grasserus pro SEVIR legit SEVERI.

SEVIRI, aut SEXVIRI AVGVSTALES, quorum mentio facta fuit in saxis præcedentibus, post D. AUGUSTI obitum, tam Romæ quam in Provinciis statuti fuere, ut illius sacra curarent: quod postea sequentibus Imperatoribus datum, Notæ Variorum ad caput VI. Sueton. in *Claudio*, & VIII. in *Galba*. De eorum munere & officio quædam breviter perstrinxerunt Lazius *Commentar. Reipub. Rom.* III. cap. VI. Alciatus *ad l.* LVII. *quinque Summates*, C. *de Decurionibus*, lib. X. & Guichardus *de Ritibus funerum* lib. I. cap. XIV. B Non erat certe officium auctoritate plenum, quando LIBERTIS etiam committebatur; ut patet ex allatis Inscriptionibus, & aliis quæ apud prædictos Auctores leguntur. Nec eadem pollebant auctoritate qua Sextumviri, qui in Municipiis & Coloniis ad Rempublicam juraque tuenda eligebantur, velut idem Alciatus docet *in l. Pupillus* CCXXIX. D. *de verb. signific.* Monumenta nostra; & Janus Gruterus passim in Opere immenso *Inscript. Antiquar.*

C Sed ut ad propositum redeam, memoratu dignum, quod non viri dumtaxat ad Sacerdotium magni hujus Divi adscripti; sed, quod ridendum, gliscente adulatione, Fœminæ, quæ ea de causa FLAMINICÆ AUGUSTALES, vel AUGUSTI, quandoque nuncupatæ, marmor, ut accepi, e Palatii nostri Regii parietinis evulsum, Anno MDCXXVIII.

D M

AEMILIAE. L. F.

TITIAE FLAMINICAE

AVG. T. P. I.

D Et alia duo Nemausensia apud Albenatem & Gruter. *pag.* 321. *n.* 5. & *pag.* 323. *n.* 5. quæ referre nimis molestum, sicut & Ovidii carmina lib. IV. *de Ponto*, ac Dionis verba ad calcem *lib.* LVI. ex quibus probatur morem istum a Livia manasse, quæ novo exemplo, Augusti conjux & Sacerdos.

E Nummos aversos Cæsarum, in quibus quidam Romanorum Dii AUGUSTORUM cognominibus insigniuntur, enarrat Occo Opere citato: APOLLINI AUGUSTO, pag. 49. MINERVÆ AUGUSTAE, 327. OPI AUGUSTAE, 109. PIETATI AUGUSTAE, 164. ROMULO AUGUSTO, 263. VENERI AUGUSTÆ, 271.

Quid vero animalia, aræ, seu tabulæ votivæ insculpta significent, multi quærunt.

F Mea sententia, simulacrum est Tauri & Arietis, quos BRITO VIO...... & SALVIUS SECUNDINI FILIUS MARTI AUGUSTO EX VOTO sacrificaverant: quemadmodum in plerisque Imperatorum Romanorum numismatibus animantia expressa, Numini Imperatoris dedicata, immolata, apud Augustin. *Dial.* VI. vel exhibita fuisse in ludis publicis, seu spectaculis, designant.

Sicut in Nummo Titi, *Elephas*, apud Erizz. pag. 258.

Domitiani, *Rhinoceros*, 292.

Jul. Philippi, *Leo & Elephas*, 726. 729.

Philippi Junioris, *Cerva aut Alce*, 745. & apud Occonem 447. 448.

Diadumeni, *Vacca*, in Nomismate Græco Cyzicenorum, apud Tristan. Vol. II.

Juliani, *Taurus vel Bos*, apud eundem, Vol. III. & Occonem 559.

MARTI vero & heroibus non tantummodo Verre, ut vidimus, sed etiam Tauro, Capro, Ariete litabatur, Rosinus *Antiquit. Rom.* III. cap. ult. Et ut tollatur omnis scrupulus, in privatis aris immolabantur etiam hostiæ ac victimæ, & sacrificia cruenta fiebant, permissu Pontificum & Sacerdotum, Gutherius *de Jure Pontif.* lib. III. cap. XVI.

VOTORUM autem nuncupatio non solum in tabulas referebatur, sed etiam cum solvebantur. Ejus rei ergo tabulæ simili modo fieri consueverant, ut observavit Brissonius *lib.* I. Opere citat. quemadmodum hic BRITO & SALVIUS Nemausenses vota suscepta solvisse, & MARTI reddidisse, constare voluerunt.

Antiquitatum studiosi, quibus Nummulum exhibui, censebant in opposito latere repræsentari Minervam Galeatam, dextra pateram (quia Dea) tenentem, cum draconibus duobus juxta pedes.

Pateræ Numinis argumentum, quia ex iis libabatur, sat similes habet Vicus in *Augustar. imaginibus* pag. 53. & Lævinus Hulsius in *Nummo Clod. Albini*.

Adsunt duo Serpentes, aut Dracones, quia Minerva cum illis frequentius figuratur, Ursinus in *Gente Julia*. Ut in Statua Romana e marmore, descripta ab Antonio Verderio in *Deorum iconibus* pag. 450. De his legendus Servius *ad Virgil. vers.* 225. *Æneid.* II. Serpentes quippe, ut jam notavimus, prudentes; quæ virtus litteratos decet; & visu acutissimi; hinc Draco a δέρκω video, seu acutis oculis adspicio. Notissimi sunt Horatiani versus *satyr.* III. *lib.* I.

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut Aquila, aut serpens Epidaurius?

Aut quia pervigiles diei noctem conjungunt, dum oculis apertis somnum capiunt, Apollonius Rhodius *Argonautic.* lib. II.

Priorem tamen interpretationem recipiendam judico: ad cujus confirmationem, necnon declarationem eximii cultus, quo prisci *Nemausenses* Deam SALUTEM prosequebantur, nitidissimam Statuam illius e marmore, e munimentorum fundamentis erutam Anno reparatæ salutis M. DC. XXII. hic reponendam censeo, quæ Regiæ Academiæ, Musisque a Magistratu & Consulibus concessa & consecrata, ab Adamo Abrenetheo Scoto, tunc Gymnasiarcha, antiquitatis valde studioso, in Cebennas adsportata & traducta fuit summo dolore Nemausensium; nunc Lutetiæ Parisiorum apud illustrissimum D. *de la Uriliere*, Regi a Jussionibus & Edictis, exstat: non tamen adeo integra, ut mihi relatum fuit; olim quippe talis erat.



Simulacrum veriſſimum, ut dictum, eſt non CONCORDIÆ, vel JUNONIS Soſpitæ, ut quibusdam placet, ſed Deæ SALUTIS, aut HYGIÆ Æſculapii filiæ, ſerpentem flexuoſis voluminibus implicatum dextro brachio manu decurtato, ſiniſtro cornu-copiam tenentis.

In hunc namque modum figurabatur plerumque, tam a marmorariis quam a monetariis, Bapriſta de Cavaleriis *antiquarum Statuarum Urbis Romæ* Tab. XLIV. Occo in nummis duobus Adriani pag. 224. 227. quibus epigraphi, SALUS PUBLICA, illuſtriſſimus Conſtantius Landus Complanus Comes, in Antiochi Soteris numiſma III. Addendus Triſtanus in Nummis Antonini & Fauſtinæ minoris, Vol. I. Caracallæ, Elagabali, & Decii, Vol. II. ubi multa ex Ariſtide *ſacror. Serm.* IV. & Pauſaniæ *lib.* II. aliiſque claris Auctoribus, enarrat de parvulo Teleſphoro cucullato, Salutis & Æſculapii comite ac miniſtro, qui ſanitatem perficere credebatur; quem deſcripſimus pag. 53. Nec omittendus Salmaſius ὁ μακαρίτης, qui *in Spartianum* pag. 38. plurima non contemnenda de A Diis Auxiliariis ac Aſſeclis, Aſſeſſoribus ſeu Conſentibus, more ſuo congerit.

Merito apponitur Amaltheæ cornu, ad denotandam ubertatem, hilaritatem, felicitatem, quæ per ſalutem, aut ex ea naſcitur: iſta enim cæteraque boni ominis per cornu-copiam in numiſmatis ſignificantur, Erizzo in *Tito*, Auguſtinus *Antiquit.* lib. II. Nihil enim optabilius eſſe debet, quam bona valetudo, Plato lib. II. *de Legibus*.

Cuditur ſedens in cathedra, tanquam Dea, Caſſan. *Catal. glor. mundi* pag. 121. Juſtus Rycquius ſingulari libello *de Capitol. Rom.* cap. XIX. vel quia eo ſitu requietem adfert; aut quod ſedere identi-B dem debent qui convaleſcunt; quamvis nonnunquam pedibus ſtans, aliquando baculo incumbens, prout in Numiſmate noſtro, repræſentetur; quaſi recuperata confirmataque valetudine, ſurgere e lecto ægroti ſoleant. Ergo, amice Lector, improbatis Neotericorum pravis ſententiis, noſtris lubens accede: ac

Vive, vale, ſi quid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti; ſi non, his utere mecum.

F I N I S.



QUIA in Observationibus ad priscos Nummos Nemausenses, crebro mentionem fecimus studii & diligentiæ, quam horis subcisivis impendimus in conquirendis ac investigandis Tabulis antiquis, Lapidibus, Nummis, Gemmis, Statuis, Sigillis, Imaginibus, Sepulcris, cæterisque Monumentis, maxime ut Civitatem nostram illustriorem & celebriorem redderemus; Syllabum rerum, quæ in instituto Opere in III. Volumina distincto tractantur, in studiosorum gratiam tradere, nostrisque Concivibus hanc operam præstare necessarium duximus, ut antiquitatem a situ quodammodo vindicemus, quandoquidem, ut belle & vere canit Ausonius,

MORS ETIAM SAXIS, NOMINIBUSQUE VENIT.

VOL. I.

ANTIQUITATES NEMAUSENSES.

LIBER I.

CAP. I.

AUCTORES XLVI. veteres & recentiores, Græci, Latini, Franco-Gallici, qui de Nemauso, necnon illius antiquitate, dignitate, splendore, nobilitate, situ, & cæteris ad eam spectantibus loquuntur.

CAP. II.

NOTÆ & Observationes in Auctores præcipuos Nemausum laudantes, in queis hæc scitu digna occurrunt. In prima Narbonensi, Celticæ Galliæ membro, populi olim clari Volcæ Tectosages seu Tectosagi occidui, & Arecomici ortivi, quorum Nemausus caput ac Metropolis. Arecomicorum vires, opes, fines satis ampli, Regiones, Montes, Urbes, Oppida, Vici, Fluvii, Portus, Insulæ recensentur. Privilegia in illos a Pop. Rom. & Cæsaribus collata. Peregrinatio Augusti in Galliam Narbonensem, & de Circio Vento eam infestante. Secessus Tiberii in Insulam Rhodum, & Statuarum triumphalium eversio a Nemausensibus facta, ac de injuria a callido Principe dissimulata. Nemausensium promtum obsequium & cultus erga Tiberium cæterosque Imperatores. De nobilium, ac civium Romanorum, in Civitatem Nemausum adventu, temporibus Augusti, & XLV. Villarum, aut amplius, ædificatione in agro Nemausensi priscum adhuc nomen retinentium. De Insula vulgo *la Camargue*, quædam obiter annotantur. De situ Urbis nostræ, & itineribus Romanis, ac Via Aurelia publica, seu militari, ducente Roma per Tusciam ac Alpes maritimas Arelaten, *Nemausum*, Narbonem, Tarraconem, ad ultimas Hispanias usque, columnis milliariis ornata & distincta. De Cœli ac soli Nemausensis bonitate & ubertate, hortorum amœnitate, saltuum ac nemorum (idiomate nostro *Garrigues*) semper vernantium & fragrantium (qualis mons Hymettus, aut Arabia felix) præstantia; cocci, seu grani tinctorii, Arabum *Kermes*, serici, mellis, lactis, caseolorum, lanæque magno proventu: necnon vini generosi, ficuum, pomorum, oleique præpinguis, frugumque omnis generis.

CAP. III.

DE ORIGINE Urbis nostræ, ab HERCULE, non Thebano, sed Ægyptio monstrorum domitore, vel NEMAUSO filio ad annum mundi MMCCC. aut præter propter, ut nonnulli volunt, conditæ: deque Polypædia Herculis.

CAP. IV.

DE illis qui Dominio NEMAUSI potiti fuere, & varia fortuna ac cladibus, sub Gallis, Romanis, Gothis, Francis.

CAP. V.

COMITES a Carolo Magno, & Ludovico Pio, Gothis & Saracenis profligatis, Aquitaniæ, Galliæ Narbonensi, cæterisque Provinciis ab Aula remotis præpositi. Postremorum Comitum ac Vice-Comitum NEMAUSENSIUM res gestæ memorabiles, ex Archivis publicis & Scriptoribus coætaneis: eorum jura, privilegia, beneficia Consulibus & civibus NEMAUSENSIBUS concessa, a Francorum Regibus plenius confirmata, post Nemausensis Comitatus cum sacro patrimonio confusionem, per decessum sine prole Alphonsi Pictonum Comitis Lud. IX. fratris, & Joannæ Tolosanæ Raimondi VII. ultimi Comitis filiæ, Senescalli in locum Vicariorum Comitum a Regibus Christianissimis instituti. Series (interrupta tamen) Senescallorum Bellicadri & Nemausi, ab Anno MCCXXVI. & MCCXXVIII. ignota hactenus & inedita.

CAP. VI.

EXPLICATIO duorum vetustorum Numismatum Nemausensium ex ære.

CAP. VII.

NEMAUSUS *Christiana*, Ædibus sacris, Episcopatu, quatuor Conciliis illustris. *Politica, & Forensis*, Consulatu, & diversis Judicum Decuriis, deque earum Jure, Auctoritate, & Judiciaria ditione. Ad finem Capitis, Chartarum Nemausensium ope, supplentur aliquot Episcopi, a G. Catello Senatore Tolosano, & aliis in Præsulum Nemausensium nomenclatura prætermissi.

LIBER II.

CAPUT I.

SIMULACRUM novæ & antiquæ Urbis, deque crassiorum murorum ambitu, nonaginta, ut quidam conjiciunt, validis turribus munitorum; & nominatim de Turri Magna, seu Decumana, Vinateria, & Castelli Regii turribus. Designatio insignium ædificiorum & septem collium, quibus Urbs insidebat..

CAP. II.

PORTÆ recentes sex, & vetustæ decem, cum viis publicis, & vicinalibus ducentibus ad Volcas finitimos, Gavaros Saluvios nempe, Helvios Celtas, Gabalos, Cemmenos montes, Arvernos, Rutenos, Cadurcos, Tectosages, Narbonios, seu Atacinos, & populos remotos.

CAP. III.

DESCRIPTIO Amphitheatri, & figurarum symbolicarum in illo sculptarum; itemque Campi Martii.

CAP. IV.

DESIGNATIO Ichnographica & Orthographica Basilicæ Adriani, sive Capitolii, hodie domus quadratæ.

CAP. V.

TEMPLUM ad Fontem, Dianæ nuncupatum, cum solo Ichnographico & optica ædificii delineatione.

CAP. VI.

DE Fonte famoso, & Vistro fluvio pellucido, per proximas paludes in mare Volcicum uno ostiolo defluente.

CAP. VII.

DE Echo resonabili.

CAP. VIII.

DE Balneis & Thermis, ac Sphæristeriis.

CAP. IX.

PONS Gardius cum Aquæductu superimposito, aquas limpidas ex Uticæ fontibus sacris per septem leucas Nemausum flexuosis semitis derivante.

CAP. X.

PALATIUM antiquum, hodie Forum Judiciarium, seu Dicasterium.

CAP. XI.

TEMPLUM Cathedrale B. Virgini consecratum, cum reliquiis vetustatis, tam intra quam extra, conspicuis.

CAP. XII.

BASILICA, seu Hospitium Regium, vulgo *Thesauraria*.

CAP. XIII.

CURIA Civilis, aut Municipalis Senatus.

CAP. XIV.

COLUMNA cum Salamandra flammis obsepta, quam erexit Francisco I. Francorum Regi P. P. M. P. Q. N. *Patri Patriæ, Magistratus Populus Que Nemausensis*, cum Urbem nempe ingrederetur Anno M. D. XXXIII.

CAP. XV.

GYMNASIUM Litterarium, sive Academia a Francisco I. fundata Anno M. D. XXXIX. a cæterisque Regibus beneficiis ornata: deque illius disciplina, legibus, Rectoribus, seu Gymnasiarchis doctrina præstantibus.

CAP. XVI.

TEMPLA duo Reformatorum.

CAP. XVII.

PLATEÆ & Fora.

LIBER III.

CAPUT I.

VETUSTATIS reliquiæ Nemausum illustrantes cum figuris, quæ non inveniuntur apud Albenatem, nec alios Antiquitatum nostrarum descriptores: & præsertim Simulacra, Sigilla, Statuæ Deorum, Dearumque, Imperatorum, Augustarum, necnon illustrium Romanorum, ut Mutii Scævolæ dextram foculo ad sacrificium parato injicientis, M. Curtii juvenis se cum equo in specum pro salute Reip. immittentis, aliorumque clarissimorum virorum.

CAP. II.

SIMULACRA, & effigies ignotæ.

CAP. III.

AQUILÆ marmoreæ capitibus truncatæ, atque diversorum Animalium Icones, Pavimentum tessellatum, quod *Mosaicum* dicunt. Graphia ac Stili, Fibulæ Vestiariæ, item & Citharœdicæ, quibus pudenda Citharœdorum & Comœdorum coercebantur, Claves ferreæ, Strigileculæ æneæ Balneariæ, Specula e chalybe, Lampades pensiles, ac demum Candelabrum vitreum elegantissimi operis.

CAP. IV.

INSIGNIA Religionis Romanæ cum instrumentis Sacrificiorum, Disco, Patera ex ære variæ formæ, Simpulo, Capeduncula, Gutto, Urceo, Aquiminali, Ahenis, aliisque Vasculis, tum æreis, tum fictilibus, e terra Lemnia, e nostra supellectile antiquaria fere depromtis.

CAP. V.

A RES FUNEREÆ describuntur. Duplex defunctos monumentis condendi modus, frequens apud Romanos & Arecomico-Nemausenses, corpora terræ mandando, vel igni comburendo. Exhibentur quædam Sepulcra marmorea, Sarcophagi, Arcæ lapideæ, plumbeæ, Urnæ sepulcrales, ac cinerariæ, marmoreæ, ex ære fusili, fictiles, e terra rubra, subnigra, e vitro, præsertim vascula lacrymatoria, plurimaque vascula ignota testacea, Lucernæ sepulcrales fictiles, æneæ cum lychnuchis, seu candelabris tripedibus ex metallo, quæ Antiquarii nondum viderunt; deque oleo & lino incombustibili multa disseruntur. Deorum Penatium & Isidis sigilla, e sepulcris recens eruta, delineantur: Item aviculæ, pisces, & animalia queis defuncti in vita oblectabantur, crepundia cum quibus pueri tumulati. Specula e chalybe rotunda, necnon quadrata, strigiles, torques, armillæ, instrumenta quædam Sutorum, Chirurgorum, Architectorum, & aliorum opificum; Gemmæ, Annuli, Numismata, Sepulcra integra QUADRATORUM, URSINORUM, TROBIORUM, MATERNORUM & ignotorum, paucis ab hinc annis detecta & effossa, Curiosis demum aperiuntur & evulgantur. De Naulo, sive pretio Charontis portitoris, Græcis δανάκη, quod mortuorum ori imponebant pro vectura, in sepulcris Nemausensibus satis frequenter invento.

B

C

CAP. VI.

D NUMMI Aurei, Argentei, Ærei, diversis temporibus Nemausi reperti magno numero: item Annuli, Lapilli, ac Gemmæ incisæ, & excisæ. Elegantiorum figuræ proferuntur.

CAP. VII.

VIRI illustres; item Scriptores Nemausenses veteres & recentes.

CAP. VIII.

MORES & studia Nemausensium, cum priscorum, tum hodiernorum.

VOL. II.

INSCRIPTIONES
ANTIQUÆ DXXV.

URBIS & AGRI NEMAUSENSIS, necnon Locorum & Oppidorum intra III. aut IV. lapidem, ad faciliorem intellectum, in XVI. capita diſtinctæ, ſuisque Iconibus expreſſæ.

VOL. III.

DE RE NUMMARIA VETERUM.

CATALOGUS Auctorum, qui de Numismatibus scripserunt, vel qui ad illorum intelligentiam faciunt.

DE utilitate capienda e Numismatis.

AN Numismata sint monetæ annumeranda.

DE materia, & falsitate Nummorum.

A

DE fabricatione, & notis Nummorum diversi generis.

DE characteribus, numeris, & litteris in illis expressis, diversæ formæ.

DE Numismatibus incognitis, vel saltem obscuris & abstrusis.

B

EXPLICATIO & illustratio DXXXVI. antiquorum Numismatum ex diversis Auctoribus, & *solo Nemausensi* collectorum, ordine alphabetico, cum figuris.

QUICQUID SUB TERRA EST IN APRICUM PROFERET ÆTAS.

FINIS.

JACOBI GRASSERI,

BASILIENSIS,

DE

ANTIQUITATIBUS NEMAUSENSIBUS

DISSERTATIO,

QUA,

præter Populi Romani magnificentiam, varii ritus explicantur.

ORNATISSIMIS ET PRÆSTANTISSIMIS VIRIS,

D. LUCÆ LIECHTENHANIO,

E T

D. I. GEORGIO ECKENSTEINI,

AMICIS SINGULARIBUS

S. P. D.



On dubito, Intimi mei, nonnullos fore qui Diſſertationem hanc meam de Nemauſo viſuri, illud Euripidis in me uſurpent,

> *Ως ἐν γε κρίνοιτ᾽ αὖ ἐ καλῶς φρονεῖν,*
> *Οςτις τρώας γῆς ἀτιμάζων ὅρε,*
> *Αλλλω ἐπαινεῖν, καὶ τρόποισιν ἥδεται.*
>
> *Meo quidem judicio non recte ſapit,*
> *Qui ſpretis Patriæ finibus,*
> *Alienam laudat, & moribus gaudet alienis.*

Siquidem uberrima ſuppeteret materia, ſive quis antiquiora illa cum Romanis geſta, a quibus Auguſti temporibus per L. Munatium Plancum Galliæ Comatæ Prætorem, Rauricum Colonia ducta: ſive ſæculis noſtris viciniora, de miranda illa, excuſſo jugo, in libertatem vindicatione, variiſque bellis divinis auſpiciis & præſidiis feliciter geſtis, locorum gnarus, veritatiſque ſtudioſus methodice & perſpicue concipere vellet, in primis cum Latinæ Muſæ omnium pene horum memoriam deſpexiſſe videantur.

Ego Romanorum illuſtria illa monumenta, quæ Nemauſi deprehendi, melioribus ingeniis publice exhibiturus patriam noſtram non ſperno, nec tam vana imitatione, qua nonnulli vix Rhodanum Neccarumve tranſgreſſi laborant, alienos mores indui, ut Helvetius difficulter videri poſſim: religioſo ſane animo ſæpius illud expertus quod Ovidius Naſo lib. primo *de Ponto* ſcribit,

> *Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos*
> *Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.*

Theſeus licet Ariadnem, ut Philoſtratus Lemnius in illius pictura refert, ſummis amoribus proſequeretur, cupiebat tamen quam anxie vel fumum ſolummodo Athenarum videre, quod & Ulyſſem apud Alcinoum optaſſe 9. *Odyſſ.* legimus. Et profecto quicunque ingenuam mentem a natura inditam experitur, cum Luciano teſtari cogitur, patriæ fumum cuilibet clariorem videri quovis igne qui alibi eſt luculentiſſimus. Tantum autem licet patriæ amorem debeamus, generoſo tamen animo, ſi quando fata ita volunt, quamlibet terram Viro forti patriam eſſe ſtatuamus, ita apud exteros victuri, ut quemadmodum totum Cœlum nobis promitti ſcimus, ſic univerſum hunc ſublunarem mundum, gremio ſuo materno libenter nos ſuſcipere credamus. Hinc peregrinationes, quæ animis ingeniiſque plurimum conducunt, nullo modo puſillanimitate urgente negligere, nec etiam illas temere, ſed prudenter & fortiter ſuſcipere decet: ſiquidem quocunque tandem devenimus, patriam offendimus, cum parentibus, fratribus & amicis verſaturi: quod ego ubique locorum, per Dei miſerationem, in peregrinationibus meis obſervavi: adeo ut merito Narbonenſis Provinciæ, in qua dum biennium egi plurimos veros amicos expertus ſum, nobiliores antiquitates publici juris fecerim.

DEDICATIO.

Meruit hoc Nemausensis Academia, quæ me in consortium Utica, ubi ab Amicis, Civium Urbisque genio delectatus, detinebar, vocavit. Meruit Politicus & Ecclesiasticus Senatus, qui me non advenæ, sed indigenæ, quin amici & fratris loco charissimum habuit. Meruit Monspelium quoque, quo nescio quid mihi unquam jucundius obvenit. Pulcherrimæ hujus urbis memor Gigordi, Pacii; Sauravii, Serrani & Saraceni, ut & Nemausensium, Chalassii, Cheironii, Ferrerii, Gaisadi, Barnerii, Lansardi, aliorumque Amicorum sanctissimam memoriam summo cum affectu exosculor.

Consilium autem fuit, ea tantum adnotare, quæ ad humaniorum Litterarum cognitionem maxime facerent, vobisque visu digniora fuissent, si totius Galliæ nobiliorem illam Provinciam perlustrare vobis licuisset. In Iliadem enim excrevisset oratio, si omnia singillatim perstringere voluissem. Sufficiat scire totam illam Narbonensem Galliam, captis 846. urbibus, annis aliquot ante Christum Salvatorem in carne exhibitum, a Pompejo subactam, ut, præter Historicorum adnotationes, trophæa in Pyrenæis montibus erecta testantur. A Gothis autem Anno Christi 483. cum Henricus, seu Euricus, qui Theodoricum fratrem interfecit, Arelate & Massiliam cepisset, Imperio Romano ereptam, & tandem Anno Domini 700. a Carolo Martello occupatam. Hæc omnia cum instituti mei non fuerint, e Gothorum Gallorumque vulgatis historiis, & calamo exaratis monumentis, quorum nonnulla per Occitaniam ab Episcopis asservantur, ut Nemausi & Agathæ Phocensium, cum illac iter Narbonem Martium destinarem, animadverti, & in Dania superesse ex Amicis intellexi, omnia illa a Curiosis peti possunt. Accipite autem, Familiares mei, Antiquitates has Nemausenses, quas ante biennium in privatos Musarum mearum usus hinc inde, cum apud Aricomicos degerem, collegeram, nunc autem Amicorum precibus motus, in affectus, quo Provinciam illam prosequor, testimonium, & nobiliorum illorum ingeniorum gratiam superioribus diebus, ab Anglica peregrinatione respirans, in libellum hunc redegi, quem in amicitiæ nostræ vetustissimæ & integerrimæ Sacramentum, nomini vestro sacrum dedicatumque ego divulgo.

Volui, charissime Luca, familiaritatis nostræ publicum aliquod testimonium exstare, palam professurus quo affectu te, tuumque fratrem Isaacum, piæ memoriæ ab ineunte ætate prosequutus fuerim. Charus autem in primis mihi semper fuisti, quod a vulgo semotus Musarum secessus quæsiveris: memorque Majorum tuorum, quos a centum jam annis de patria bene meritos veneramur, veram ingenuitatem amplexus fueris, teque in virtute multiplicem omnibus bonis commendaris.

Tua vero insignis integritas, suavissime Georgi, quam mihi omnibusque in Gallico & Britannico nostro itinere exhibuisti, tantum apud me amorem excitavit, ut te fratris loco nunquam non habere possim, cujus in fidem Libellum hunc tibi quoque dicatum volui, recompensaturus ea, quæ nescio quæ Erinnys tibi per illa loca consilio jam posito, & destinatione facta, in Italiam mecum ituro invidit. Tu vero hæc aliaque æquo animo laturus, & nobili tua indole excitata animum erige, humiliaque ingenio tuo indigna, præstantissimos Viros APOLLINAREM & JOANNEM fratres, ut & J. JACOBUM HUBERUM magni illius Consulis filium, tuum affinem, imitatus, fortiter spernere perge: sic te quoque, Luca, inter patriæ illustriora decora ab omnibus bonis & ingenuis relatum severioribus meis Musis commendavero. Valete. Lugduni ∞. IↃCVI. Kal. Augusti.

Vestri amantissimus

J. JACOBUS GRASSERUS.

JACOBI GRASSERI DE ANTIQUITATIBUS NEMAUSENSIBUS DISSERTATIO.



Diligentius Romanam illam majestatem consideraturi, demisso animo nostri seculi miserebimur, & tanquam degeneres humi repentes, nec non adhuc victricium armorum tonitruis perterriti, ad illustria illa Trophæa vix oculos nostros ulva & alga inumbrati attollere audemus. Surgunt quidem nonnulli hoc ævo animi, qui cælestibus vegetati spiritibus cum immortalitate tanta cum generositate certant,

Ut vix humana videantur stirpe creati.

Sed nescio tamen quid heroici natura prioribus indiderit, ut non solummodo eorum, dum inter vivos agerent, dexteritas, sed & postquam dissoluti corporis ergastulo se subtraxissent, nomen omnibus terrori esset: adeo ut superstes ætas observantiæ igitur fortiores & meliores defunctorum nominibus intimarit, unde Camillos, Fabricios, Scipiones & Augustos tanquam entheorum geniorum participes plurimos honoratos videmus.

Tanta etiam nonnulli fuerunt animi magnitudine, ut quos vivos unius regni licet vastissimi limitibus continere nequivit, exanimes diversis mundi plagis Natura deposuerit:

Crassum Parthus habet, Libyco jacet æquore magnus
Julius ingratam perfudit sanguine Romam.
Et quasi non posset tot tellus ferre sepulchra,
Divisit cineres.

Ut taceam potentissimam Monarchiam, quæ Latium terrarum orbi præsidere voluit, conscia memoria Helvetios nostros veneraturus, imo ingemisco pectore, si quando animum subit, quam generosis imbelles procreati simus parentibus, quos inermes Mavortia olim illa Cæsarum proles offendisse non sine æterna jactura dolet. Non tantum, sed enim mortalium genus, sed & communis nostra mater Tellus, ceu febri quadam affecta, pristino virtutum vigore deficit, utpote quæ communia ingeminans suspiria adversam Lucinam incuset.

Ut volantibus oculis universum hoc prætercam, ecquid cum Roma floreret, augustius in Gallia Nemauso fuit, cujus rudera sine tristi stupore nemo arbitrabitur?

Sed vicissitudinem humanam experta, rarum tandem illud decus, quo vel Romanis ipsis admirationi fuit, dejectum sensit, ut suo quoque exemplo testaretur, nihil sub Cœlo unquam floruisse, quod communem hanc tempestatem effugerit. Non tantum hominibus, sed & urbibus invida mors imminet. Majori avaritia laborat senex Charon, quam ut homuncionum naulo contentus, civitatum obliviscatur.

Nemausi fundamenta Hercules jecisse creditur, occasione filii Nemausi, cum interfecto Geryone ex Hispaniis illac in Italiam tenderet. Iter hoc ab omnibus cum Græcis tum Latinis annotatur Auctoribus: nec quisquam negaverit Herculem civitatibus condendis fuisse occupatissimum.

Quod autem filii nuper ibidem nati nomine urbem nobilitarit, more suo factum: siquidem ab Afro filio Africam, a Scytho Scythiam, a Sardo Sardiniam, a Bento Bentesium, postea Brundisium, ab Olyntho Olynthum, & ab aliis alias regiones & urbes denominatas hinc inde legimus.

Hinc Stephanus *de Urbibus* scribit: Νέμαυσος πόλις τῆς Ἰταλίας*, ἀπὸ τοῦ Νεμαύσου Ἡρακλείδου, *Nemausus urbs Italiæ*, a Nemauso Herculis filio.*

Italiæ autem urbem vocat, quod ab Italis, hoc est, Romanis, habitaretur: quemadmodum in antiquo codice, qui ibidem in Bibliotheca Episcopali asservatur, Nemausus Gothiæ urbs appellatur, quod videlicet a Gothis usque ad Caroli Martelli tempora possideretur, ut & alio loco Gothorum regia appellatur. Unde regio barbare *Languedoc*, quasi *Land der Goth*, vel inversis litteris, *Goth land*, id est, regio Gothorum, vocatur.

Plinius etiam *lib.* 3. *cap.* 4. Heracleam, quam Nemausum credimus, in Narbonensi Gallia ad ostium Rhodani ponit. Videmus non procul inde Rhodanum in Mare Mediterraneum exonerari.

Tantum ergo Romani Urbis fundatorem Genium urbis Nemausum tanquam Deum tutelarem aris & templis coluerunt.

Gothicus furor & temporis injuria duas nobis dedicationes reliquit, ex quibus narrationi fidem facimus: quas clarissimus Jurisconsultus D. Isaacus Chironius, ob integritatem & variam doctrinam amicus singularis, cum illic degerem, mihi monstravit:

DEO. NEM--
--X. VTVLIVS
PERSEVS
HOROLOGIVM
ET. CERVLAS. II.
ARGENTEAS
T. P.

Fragmentum insignis tabulæ:

--EO. SILVANO. ET. LIBERO.
PATRI. ♡ ET. NEMAVSO ♡
--RCHVS. SYNODI.----

Figura cordis spina aut stilo compuncti, utrinque nomen Nemausi ambit: arbitror indicium esse maximi affectus; similem figuris † in plurimis epitaphiis ibidem repertis videmus.

* Rep. Γαλλίας, *Galliæ*, quidquid hic annotet Auctor.
† Vid. leg. *figuram*.

A Adjungit posterior dedicatio Genium, Diis maxime a gente illa cultis: Silvanum in silvis, quæ circa Nemausum, quam quidam ideo a nemoribus dictam nugantur, venerabantur. Sic etiam vicini Phocenses prope Massiliam silvam instar templi habebant, ut videmus *libro* tertio apud Lucanum, cujus versus prisci moris ergo adjicio:

Lucus erat longo nunquam violatus ab ævo,
Obscurum cingens connexis aera ramis,
Et gelidas alte summotis solibus umbras.
Hunc non ruricolæ Panes, nemorumque potentes
Sylvani, Nymphæque tenent: sed barbara ritu
B *Sacra Deum, structæ diris altaribus aræ,*
Omnisque humanis lustrata cruoribus arbos,
Si qua fidem meruit superos mirata vetustas.
Illis & volucres metuunt insistere ramis,
Et lustris recubare feræ, nec ventus in illas
Incumbit silvas, excussaque nubibus atris
Fulgura, non ullis frondem præbentibus auris.
Arboribus suus horror inest: tum plurima nigris
Fontibus unda cadit, simulacraque mœsta deorum
Arte carent, cæsis exstant informia truncis.
Ipse situs, putrique facit jam robore pallor
Attonitos, non vulgatis sacrata figuris
C *Numina sic metuunt: tantum terroribus addit*
Quos timeant non nosse deos, &c.

Liberum Patrem ob generosissimas vineas, quibus regio ad Formiarum usque invidiam abundat, coluerunt, quod & alia dedicatio innuit, quæ Ægyptiorum more, quorum forsitan nonnulli eo tempore Nemausi erant, Bacchum Serapin vocat, quem alias etiam Osirim appellarunt. Martialis,

Isæum Serapin Nilus veneratur Osirim.

Tibull. *lib.* 1. *eleg.* 7.

D *Hic docuit teneram palis adjungere vitem,*
Hic viridem dura cædere falce comam.
Illi jucundos primum matura sapores
Expressa incultis uva dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit & ad certos nescia membra modos.
Bacchus & agricolæ magno confecta labore
Pectora tristitiæ dissoluenda dedit.
Bacchus & afflictis requiem mortalibus affert,
Crura licet dura compede pulsa sonent.
Non tibi sunt tristes curæ, non luctus Osiri,
E *Sed chorus, & cantus lenis, & aptus amor.*

Quod autem horologium dedicatur, more vetere factum. Viennæ fragmentum offendi, ubi

......RIVS. MANS.......
...ROLOGIVM. DESV......
...RES. P. A. NOVO
..... RES.

Item aliud, quod delubrum refert, cum litteris supra testudinem H--ROL-G--M.

F Heryonis tricorporis statua, quæ hodie in Campo Martio, sic enim omnis vicinia Amphitheatri in antiquis instrumentis, quæ Nemausi supersunt, appellatur, in honorem Herculis fundatoris erecta fuit. Existimarunt enim se de Tutelari bene merituros, si illius adventui congratulantes, recentis victoriæ indicem posteris consecrarent. Nec dubio antiquitus ludos in Herculis honorem celebratos eo in loco, quem tandem Romani, admiranda illa Amphitheatri mole, quam nec temporis injuria infringere valet, eminere voluerunt: nusquam enim temere quemvis locum sacris suis destinarunt.

Quamvis autem me non fugiat, veteres, sive Græcos, sive Latinos intellexeris, strenue pugnaturos Herculi sacrificantes ludos venisse, ut ex Paulo Æmilio apud Plutarch. in *ejus Vita* constat: auderem asserere Nemausense Amphitheatrum communi suffragio, cum terra marique serenissima pax esset, Fundatori Herculi dedicatum. Adspice taurorum illud par, quo Amphitheatri portæ superbiunt, & iveris in sententiam quam hic adscribo.

Exhibui paulo ante Geryonis tergeminam statuam, monstro nunc tauros, quos victor domitis Ebusæ, majoris & minoris Balearicæ concordis Regibus in Italiam abduxit.

Passim autem apud Auctores occurrit, Herculem & Mercurium certaminum & hujusce modi ludorum præsides fuisse habitos, ut apud Pind. 10. *Nem.* & 2. *Pyth.* Orph. in *Hym. Mercur.* Pausanias etiam in *Messen.* refert, in curriculo Messeniaco statuas fuisse Mercurii, Herculis & Thesei, quas Græci certaturi summe venerabantur. Et in *Arcadicis* ait prope stadium urbis Megalopolitanæ fuisse templum Mercurio & Herculi una dedicatum. Viennæ lapidem, inter alias singulares antiquitates, prope templum D. Mauricii videmus:

D. D. FLAMINICA. VIENNÆ. TE-
GVLAS. ÆNEAS. ATRATAS. CVM.
CARPVSCVLIS. ET. VESTITVRIS.
BASIVM. ET. SIGNA. CASTORIS. ET
POLLVCIS. CVM. EQVIS. ET. SIGNA.
HERCVLIS. ET. MERCVRI
D. S. D.

Mercurius autem certaminum judex & arbiter ante Herculem fuit; huic enim, ut apud Theocrit. in *Eidyll.* est, in lucta ab Harpalico Phanopæo Mercurii filio institutus, & superato Gigante, ut Philostratus in pictura Antei refert, a Mercurio coronatus fuit.

Augustus, exstincto M. Antonio, victor ex Ægypto redux, Nemausum Coloniam duci proculdubio voluit: unde Suetonius cap. 4. in *Tiberio* scribit: *Pater vero Tiberii, Quæstor C. Cæsaris, Alexandrino bello classis præpositus, plurimum ad victoriam contulit: quare & Pontifex in locum P. Scipionis substitutus, & ad deducendas in Galliam Colonias, in queis Narbo & Arelate erant, missus est.* Confirmat numus vetus, Nemausi frequens, qui Crocodilum palmæ arbori alligatum, laureamque coronam, hodie Urbis sigillum & insignia, in Ægyptiacæ victoriæ testimonium, altera vero facie duorum Juvenum capita cum inscriptione, IMPP. P P. D. F. exhibet. Ego Tiberium & Drusum Nerones, Liviæ filios esse judico, ut sit *Imperatoris patris patriæ Divi filii*. Plurimis enim testimoniis constat, Augustum privignos istos filiorum loco paterno prorsus amore prosequutum. Quantæ etiam Tiberius auctoritatis Nemausi fuerit, vel ex eo liquet, quod imagines & statuas ibidem habuit: quas tamen, cum in Insula Rhodo Alrenus * a Romanis moribus biennium egisset, subverterunt, ut habet Tranquillus in *illius historia* capite 13. Unde etiam Nemausensium in Romanam majestatem serius amor apparet. Nemausus igitur Colonia est, quæ trans Rhodanum in via versus Narbonem ducenda erat: cis autem Rhodanum in Arelatensi parte, sive Tarascum, sive alia aliqua Provinciæ, ut hodie totam illam regionem vocamus, urbs sit non disputo. Apparet autem Augustum illa Galliæ parte maxime delectatum quæ Rhodano adjacet, siquidem etiam

* Vox depravatissima, leg. omnino *alienus*.

ex Cajetana Inscriptione novimus, iisdem temporibus per L. Munatium nostrum Plancum, Lugdunum Coloniam factam. Nullæ ergo rationes sunt, quibus nobis patiamur Nemausum Aricomicorum ab Antonino illiusque fratre Vero Imperatoribus ductam: quemadmodum etiam ridiculum est, COL. NEM. pro *Colonia Nemausensium*, legere, *Colligavit nemo*, ut ille in *Symbolis Heroicis* asserit. In eo autem numismate Nemausus Colonia vocatur, ut & in quibusdam inscriptionibus, quæ a præstantissimis viris, D Chalassio, & D. Gaisado, mihi exhibitæ, quarum lucem clarissimus Jacobus Zuingerus serio sæpe exegit:

L. IVLIO. Q. F. VOLT
NIGRO
AVRELIO. SERVATO
OMNIBVS. HONORIB
IN. COLONIA. SVA
FVNCTO
IIIIII VIRI CORPORAT
NEMAVSENSES
PATRONO
EX. POSTVLATIONE. POPVL
L. D. D. D.

T. INDESII. TERTII. ÆD. COL
AVG. NEM. DOMITIA. EROTE
SIBI. ET. VIRO. DE. SE. BENE
MERITO. V. F.

C. FVLVIO. C. FIL. VO
LVPO. SERVILIAN.---
ADLECTO. INTER. PRÆTOR---
AB. IMP. CÆSARE. AVG. VESPA---
PRÆFECTO. ALÆ. LONGINIA
IIII. VIR. AD ÆRARIVM---
PONTIFICI. PRÆFECTO. VIGI---
IVLIA. D. FIL. CONCESSA
VIRO.

D. M.
VMIDII. AVITI. MILIT.
LEG. VII. GEMIN. FELICIS
BENEFICIARI
IVNII. OMVLLI. CONSVLAR
CVRA. T. VITRASII. POLLION
LEGATI AVG.

--NORAT. IIII. VIR. IVRIS
DICVNDI PONTIFIC.
PRÆF. VIGIL. ET. ARMOR
Q. LVCRETIVS. HONORAT
PATRI. OPTIMO PIETATIS
....

D. M.
SEX. AVRELI
ZOSIMI
STATORI. NEM.
AVRELIA. COS
MIA. FRATRI
PIISSIMO.

L. LETIVS
MARVLLVS
IIIIII. VIR. AVG.
DECVR. ORNAM.
V. F.

D. ———
C. FVLVIN. ———————

RI. IIIIII. VIR. AVG. ———
PORAT. ET. DECVRIO
NIS. ORNAMENTAR ———
FVLVIA. G. F. CASSIAN ———
PATRIS. RARISSIM. ET
SANCTISSIM.

D. M.

IIIIII. VIR. AVG.
Q. AVRELIO
HERMÆ
VESTIAR. ITAL
IIIII. VIRI. AVG.
POLITICVS
PHOEBVS
RESTITVTVS. LIB.
ET. SYNTYCHE. LIB.

D. M.

M. CORNELII. M. F. VOLT.
MAXIMI. IIII. VIR. AB. ÆR.
PONTIFICIS

———————————

ET. PHILOMVSO
Q. SOLONIO. ET. F. VO———
SEVERINO
EX. V. DECVRIIS. EQVO
PVBLICO LVPERCO

IIII. VIR. AB. ÆRAR.
PONTIFICI
FLAMINI. PROVINCIÆ
NARBONENSIS
TRIB. MILITVM. LEG. VIII. AVG.
CIVITAS FOROIVLENSIVM
PATRONO.

D. M.

SAMIÆ. ET FIL.
SEVERINÆ
FLAMINI. AVG. NEM.
C. TERENTIVS
ANICETVS. AMICÆ
OPTIMÆ. ET. SIBI

———————
———————

IIII. VIR. AB ÆR.
POMPIA. SERVATILLA
VIRO
PIENTISSIMO.
IIIIII. VIR. AVG.
C. MARCIVS
PHILOLOGVS
V. S. P.


D. M.
ET AEMILII. FIRMI
AED. COL. ET.
CLOVSTRIÆ SVAVIS
VXORIS
AEMILIANVS. FIL.

L. DOMITIO L. F. VOL.
AXIOVNO PR. IIII. VIR. BIS.
———CÆSAR———
———RMANICI
PRÆ———

DIIS. MANIBVS
IIIIII. VIR. AVG.
C. POMPEII
DIOMEDIS
T. F.

D. M.
Q. AVREL. EVHEL.
PIST. IIIIII. VIR
AVG. CORP.
Q. CVRIVS. AVRELI
ANVS. FIL. ET
AVREL. EVTYCHES. IB.

D. M.
C. VETTII. HELIS
IIIIII. VIR. AVG. ET
VETTIAE SERVANDAE
VXORI
VIVI SIBI POSVERUNT.



Sunt quatuor pilei, quorum frequens figura in epitaphiis hic Nemausi inventis; acceptam autem libertatem, cujus pileus apud Romanos index fuit, significare pueri norunt.

D. M.
IIIIII. AVG. ET SCARIVS
RVFINVS. SIBI ET SVIS
V. F.

IVLIAE THALLVSAE
IIIIII. AVG.
L. IVL. HESYCHIVS. CONTVB.

In dextra hujus tabulæ parte, uxoris, in sinistra vero mariti facies insigniter sculptæ sunt: exstat simile opus Uticæ, vel Usetiæ, in vicinior *.

D. M.
IIIIII. VIR. AVG.
C. VETTI HERMETIS
IVLIA FVSCINA
VXOR
P.

IIIIII. VIR. AVG.
SEX. LVCRETIVS
LASCIVVS
SIBI ET LICINIÆ
SATVRNINAE
VXORI
V. F.

D. M.
IIIIII. VIR. AVG.
T. ICARI SOTERICHI
SERANA
VXOR.

* Rep. *vicinia*.

A ... L. VARERIAN. MIL....
...AVG. MILITAVIT ANN.....
...MEN. VII. DIES. XXI.
...IXIT. ANN. XXXI. MENS...
...IES. XXVI. IVLIA. IVL...
...ILIO SANCTISSIMA...
...TATIS ET SIBI VIVA...

MANIBVS
SEX. SPVRII. SEX. F. VOL.
SILVINI
EVCHARISTVS. ET. GERMANVS. LIB.
IIIIII. VIR. AVG.

B

D. M.
M. ICCI
SOTERICHI
IIIIII. VIR. AVG.
OBRIA PHILESTE
MARITO KARISSIMO.

Quo jure autem Nemausus nobilissima Romanorum Colonia donata fuerit, vel ex eo patet quod Strabo affirmat, plurimos Nemauso Romam ivisse ut Magistratum peterent: adeo ut Nemausenses maximis Matris Romæ privilegiis fruerentur. Hinc
C Romani tantopere ob aeris, terræ & maris bonitatem Nemauso delectabantur, ut ad Romæ simulacrum novam Coloniam ædificarint. Aer serenus, æstate quidem a Canicula incensus, sed Etheliarum flamine jucundus; Ver floreum; Æstas fructuum ditissima; Autumnus rarissimis uvis, pomis punicis, suavissimis ficis & oleis superbissimus: Hyems nullo frigore horrida, sed perpetuum quoddam Ver spirans, inter nectareas delicias incolarum animos & corpora reficit: mare perpetuo pisculentum, venationes & aucupia uberrima, fontes saluberrimi, thermæ admirabiles, quæ vel Bajas Æsculapio sacras æquarent. Vide clariss. Dorthomanni
D *Bellucenses*.

Vestigia diligentius priscum Urbis situm: assurgit septemgemina collium veneranda series, quam mœnia incluserunt, cæsis in formam laterum saxis, qualia nos Augustæ Rauracorum quam Mun.Plancus Coloniam duxit, prope Basileam nostram, & Aventici in potentissima Bernensium Ditione habemus, quæ Babylonicum opus mentiri possent. Advenam Amphitheatrum stupefaciet reliquis insignium operum ruderibus, quorum venerabilem conspectum Gothi Romanæ majestatis jurati hostes nobis inviderunt, arbitrantis oculos distrahentibus. Sed ut semel dicam, quod viatores vix lon-
E gis cogitationibus concipiunt. Quid si Romani Nemausum hac magnificentia exstruxissent, ut toti mundo significarent se ad tantum devenisse potentiæ fastigium, ut in hostium terram Romæ olim ab ipsis captæ & incensæ imaginem transferre valerent?

Amphitheatrum ex maximis & ferreis, quasi albis saxis, quæ polita marmor referrent; tanta industria ædificatum, ut nescias num ingeniorum, an corporum plus quam humanas illas vires mirari debeas. Crederes Palladem Gigantibus architectonicam monstrasse. Figura totius molis ovalis est,
F sexaginta insignes in ordinem arcus efficiens, quorum quilibet crassitie decem, distantia vero unius ad alterum duodecim pedum, magnum Urbi decus addit. Fuit olim quasi in medio Urbis; hodie mœnia despicit, qua Monspelium itur. Justus Lipsius, qui juvenis sene major fuit, in tractatu *de Amphitheatro Nemausensi*, hujus partem exhibuit vulgariter præfatus: sed vel Nemausum non vidit, vel nihil inde speravit. Novimus quidem Lugdunum & Valentiam urbes nobilissimas fuisse, sed quibus indiciis probaverit Amphitheatris

A tris claruisse longe pulchrioribus? Ego licet diligentissime quosvis angulos scrutarer, nihil talium deprehendi, cum tamen illæ vix immanioribus tempestatibus fuerint concussæ. Arausioni C. M. arcus triumphales, & insignem Circi partem videmus. Arelati Amphitheatrum superest. Biterris non ita pridem in quodam horto similis operis vestigia detecta sunt. Narbo etiam multis antiquitatibus ornatur: sed quid hæc omnia præ Nemauso? Tanta saxorum mole, ut diximus, exstructum est hoc Amphitheatrum, ut diu a Gothis arcis & munitissimi propugnaculi loco, cui etiam turrim imposuerunt, habitum fuerit. Pinnæ, quibus saxa præminent ad malos regendos, B integræ sunt, pauci gradus devoluti, arcus omnes & fornices ruinæ inexpertes: Orchestra tantum ædificiis in arena a Gallis exstructis ante paucos annos cessit. Caveæ, quibus leones aliæque ad munera feræ detinebantur, muris intectæ sunt. Non procul a taurorum, de quibus supra, capitibus, paulo inferius ad latus Lupa cum Romulo & Remo conspicitur: & in alio loco Pluto cum draconibus. Constat autem inferis in hujuscemodi locis aras fuisse positas, quas humano, heu! diaboli suasu, irrigabant sanguine. Incidit, dum horrens hæc cogito, illud Prudentii, C

Hæ sunt deliciæ Jovis infernalis, in istis
Arbiter obscuri placidus requiescit Averni.

Post Amphitheatrum secundum locum hodie habet Domus quadrata, seu Capitolium, ut vocant, ædificium magnificentissimum, pulcherrima columnarum serie suffultum, & circa tectum exquisitissimis sculpturis exornatum, ut affirmem vix hodie sculptores inveniri qui in tenerrimo gypso præstent, quod illi durissimo saxo ingeniosissime & felicissime expresserunt. Simile prorsus ædificium Viennæ Allobrogum extat, quod D Christianis beatissimæ Virgini a multis hinc annis dedicatum est. In quem usum autem destinatum fuerit, variis variæ sunt opiniones; nec domum privatam, nec forum aliquod fuisse reor, sed potius sacellum alicujus Dei assererem.

Templum Dianæ magnificentissimum fuisse præter rudera, quæ haud vulgaria, cultus Divæ arguit. Cum enim portubus, viis, venationibus & piscationibus, ut ex Callimacho & reliquis Veteribus patet, præesse crederetur, dubium non est Romanos in frequentissima ex Hispaniis in Italiam via sumtuosissimum Deæ tanta religione cultæ, quam & Venus apud Eurip. in *Phædra μεγίστην δαιμόνων* appellat, illiusque sacerdotem E quibusdam in locis tam lautum dicit, ut diadema regium gestaret, extruxisse.

Fons etiam Dianæ, qui prope illius templum ex durissimo saxo tanto gurgite scaturit, ut quandoque Urbi inundationem minetur, ut ex epigrammate constat, quod in Collegio a Francisco primo fundato ad portam exstat, quo sumtu fuerit ornatus ex pavimentis tessellatis, si aliquantulum terram ibidem foderis, colliges. Ego cum quandoque cum Amicis curiosius emblemata illa vermiculata, ut cum Lucilio loquar, scrutarer, F Villæ Tiburtinæ recordabar, de qua Papinius Statius meus, cujus vetustissimum manuscriptum Nemausi decus nobilissimus Joh. Chalassius in amicitiæ sacramentum mihi dono dedit:

Calcabam nec opinus opes, nam splendor ab alto
Defluus, & nitidum referentes aera testæ
Monstravere solum, varias ubi picta per artes
Gaudet humus, superantque novis Asarota figuris.

Nostra ætate superbiant Parisienses Nymphæ, S. Germani in Palatio Regio mirandis ludentes operibus, quibus humana ingenia nobilius nihil excogitarent, nisi superioribus sæculis ars & natura invicem certasset, ne quid posteri haberent, cujus inventione elati, priscorum Auctorum monumenta negligerent.

Num autem fons hic Divæ tantum, ceu lavacrum, consecratus fuerit, an vero in eo sacerdotes ejus ex more, ut apud Apollon. 3. *Argonaut.* & apud alios videmus, antequam sacra facerent, se lavarint, non disputo, cuivis propriam, siquidem tanti non est periculi, relinquens opinionem.

Doctissimus Johannes Steckius, peregrinationis meæ per illas Provincias suavissimus comes, fragmentum mihi exhibuit, ex quo Nemausensium in Dianam religionem fusius colliges:

ISIS ——— ———
SERAPIS. VESTÆ DIANÆ. SOMNI
HS. N. VI. PHIALAS. II
CHRYSEN -- CLI -- GNA
DEORVM. ARGENTEA. CASTRENSIA
DOMO. HABEAT. ITEM. ——
DEDICATIONE TEMPLI. ISIS. ET. SERAPIS. DEO. ————
—— ONIBVS. NEMAVSENSIVM. ET
ORNAMENTA — R — SINGVLIS
*. V. ITA. VT. IN. PVBLICO. VESCERENTVR. DISTRIBVI. IVSSIT. IN. QVE
EIVS. DOMVS
— TELAM. H. S. N. X. RELIQVIT
ITEM IMAGINEM. MARTIS. ARGENTEAM. EX
AMNAGENSIBVS. DEDIT
C. ORDO. —— BITVR.

Vidi etiam insignem lapidem cum hac Inscriptione:



LVNÆ. ET. ISIDI.
AVG. SACR.
C. OCTAVII.
PEDONIS. LIB.
TROPHIMIO. SEVERI
AVG. V. S.

Isidis hujus templa, veræ fornices fuerunt, in quibus creberrimæ adulteriorum occasiones dabantur: hinc ad amantem Naso,

Ne fuge Iliacæ Memphitica sacra juvencæ,
Multas illa facit quod fuit ipsa Jovi.

Unde non immerito Tiberius, ut Josephus ait, sacerdotes ejus crucibus affixit & templa destruxit.

Illices hujus fontis aquas despicit Turris magna, vel Romana, ut vulgo vocant, admirabili structura monti imposita. Sunt qui Pharum fuisse arbitrentur, alii autem Mausoleum putant. Prætendunt illi mare vicinum pisculentum, & Italicis atque Hispanicis navigationibus frequens. Hi turris concavitatem Conditorium cum Hypogæo conjiciunt, freti testamenti fragmento, & aliis sepulchralibus indiciis ibidem inventis. Testamentum hodie ad portam Coronæ visitur, hac inscriptione:

SIQVIS. EX. IIS. QVI. SVPRA SCRIPTI SVNT. CVM MORIAR. NON. VIVET. SIVE. POST. MORTEM. MEAM. MORIETVR. TVM. QVI. RELIQVI. IN. EORVM. LOCVM. QVI. MORTVI. ERVNT. ALIOS. PER. SVFFRAGIA. SVBSTITVANT. QVOS. DIGNISSIMOS. PVTAVERINT. DVM. NON. MINVS. IN. PERPETVVM. TRIGINTA. SINT. LICEATQVE. IIS. QVI. PRAESENTES. ESSE. IIS. DIEBVS. NON. POTERVNT. IN. LOCVM. SVVM. CONVIVAM. EX. AMICIS. SVIS. MITTERE. EIVSQVE. MAVSOLEI. CLAVES. DVAE. PENES. ALIQVEM. LIBERTORVM. MEORVM. ET. CVRATOREM. CVIVSQVE. ANNI. SINT

A

SVBSTITVTI,

B

TROVCIVS MATERNVS.
C. LICINIVS SOTERICVS.
A. FVLVIVS TARENTINVS.
I. IVLIVS COSMVS.
TI. CLAVDIVS EROTEMVS.
P. ACILIVS. PHILODESPOTVS.
Q. CANINIVS. EVTYCHVS.
Q. IVVENT. VENVSTVS.

Cum autem Duellio Cos. S. C. cautum fuerit, ne quis in Urbe sepeliretur, cujus & XII. Tabularum lex, & Cic. 2. *de Legibus* meminit, nisi quis virtutis caussa legibus non teneretur, consentaneum est primarium quendam Romanum Mausoleo illo conditum fuisse: attestatur vetus lapis Romæ inventus:

C

C. POPLITIO. L. F. BIBVLO. AED.
P. HONORIS. VIRTVTISQVE. CAVSA
SENATVS. CONSVLTO. POPVLIQVE.
IVSSV. LOCVS. MONVMENTO.
QVO. IPSE. POSTERIQVE. EIVS. INFERRENTVR. PVBLICE. DATVS. EST.

D

Idem apud Græcos observatum videmus. Capaneus enim teste Philostrato Lemnio in *Euadne*, Argis: Menœceus filius Creontis, qui consilio oraculi pro patriæ salute se interfecerat, Thebis prope portam Nelam †, ut & ibidem Amphion cum liberis & fratre prope portam prælidem *, sepultus fuit, ut annotat Pausanias in *Bœoticis*. Rara itaque sepulchra in urbibus: in viis autem, hortis & agris creberrima: unde adhuc hodie quoque ex vestigiis Viam Appiam Veterum sepulchris a dextris & a sinistris frequentissimam videmus. Et Cicero 1. *Tuscul. An tu egressus Porta Capena, cum Calatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum sepulchra vides*. Ita etiam legimus Acrisium Argivorum Regem, a Perseo ex Danae nepote & civibus ante portam Larissæ, ut & tandem Perseum quoque in Via, qua Mycenis Argos iter fuit, ad latus magnifice sepultum esse. Frontinus *de limite agrorum* lib. 1. ait Veteres in campis statuisse terminos quadratos, & interjectis locis arcas & monumenta. Quin casulas & ædificia monumentis in agris superimponebant, ut Petronii *Satyrico* videre est, ubi ait: *Imperator Provinciæ latrones jussit crucibus affigi, secundum illam eandem casulam, in qua recens cadaver matrona deflebat*. Probat morem vetus Inscriptio:

E

F

M. AVRELIVS. ROMANVS. ET.
ANTISTIA. CHRESIME. VXOR.
EIVS. FECERVNT. SIBI. LIBERTIS.
SVIS. POSTERISQVE. EORVM. MONVMENTVM. CVM. AEDIFICIO. SVPERPOSITO.

† Rep. *Neitin*. * Leg. *Prœtidem*, vel potius *Prœtidas portas*.

Quod & Jurisconsulti plurimis locis confirmari norunt.

Quarto ab Urbe lapide Aquæductus superat, opus ingenti structura mirabile, cui par nec Germania, Italia, aut Hispania habet. Angliam non allego, in illa enim nihil talium monumentorum offendere potui.

Vulgo *Pont du Gard*, pons Gari vocatur; integit enim fluvium (qui ante biennium horrenda inundatione Alestum, ubi Comitis stabuli Laberintheus hortus, invasit) tribus arcuum ordinibus, adeo ut inferior pons, qui pervius, infimas; secundus medias; tertius, cui Aquæductus incumbit, supremas montium partes pluribus arcubus conjungat. Aquæ prope Uticam, ubi templi Nympharum vestigia, & pluria Romanorum monumenta D. L. Allardo, & D. L. Brunerio, amicis desideratissimis indicibus, vidi, colligebantur, & per diversos canales in magnum illum Gari Aquæductum derivatæ, Nemausum ducebantur.

Non procul a Domo quadrata intimus meus Alexander Vom Stein Noviomagensis in privatis quibusdam ædibus magnam lapideam tabulam monstravit, in qua artificiosissime Pegasus sculptus con inscriptione,

PROCVL ESTE PROPHANI.

Reliquiæ proculdubio alicujus templi Musis olim dedicati, quandoquidem ob vicinum Massiliense Athenæum, Nemausi bonas Litteras floruisse, vel solus Domitius Afer Nemausensis, de quo Eusebius ad Annum Christi XLVI. testatur, quantum ille autem Musis dilectus fuerit docti norunt. Perpende etiam epigramma ibidem inventum:

—— ATRONI FAMAM. BARBA ——
CVIVS. ROMA. LIBRIS. ADSERIT. ——
AMISSOS. ORNAT. TITVLIS. EN. ASPICE. —
QVOS. HABET. INCOLVMES. FOVIT. AMORE ——
SVPREMAS. ERROR. NE. POSSIT RVMPERE. CER—
ARTE. SVA. CAVIT. CLAVSIT. OPERTA. FIDE
EXCIPIET. MANES. SVA. QVI. SINE. LITE. RELIQVIT
LAVDABIT. STVDIVM. CVI. SVA. CVRA. CAV—

Ælius Spartianus in *Vita Adriani*, ut & Dion Cassius mentionem faciunt Basilicæ, Nemausi in honorem Plotinæ Trajani uxoris exstructæ, cujus ne vestigia quidem Gothicus furor posteris reliquit. Aquis Sextiis lapis superest, qui magnificentiæ nos certiores facit:

PLOTINA. TRAIANI. VXOR. SVMMA. HONESTATE. INTEGRITATE. FVLGENS. STERILITATIS. DEFECTV. SINE. PROLE. FECIT. CONIVGEM. QVI. EIVS. OPERA. HADRIANVM. ADOPTAVIT. IN. IMPERIO. SVCCESSOREM. HABVIT. A. QVO. IN. BENEFICIIS. MEMORIA. NEMAVSI. ÆDE. SACRA. MAXIMO. SVMPTV. SVBLIMIQVE. STRVCTVRA. AC HYMNORVM. CANTV. DECORATA. POST. MORTEM. DONATA. EST.

Eodem fato multa splendoris Romanis testimonia, quæ communi sepulchro condita deprehendimus, non sine gemitu & dolore æque ferentes tot insignium operum jacturam. In effectum heu tandem productum est, quod Neronis ille delicia-

A rum ingeniosissimus Arbiter divino carminis fluore Satyræ immiscuit,

Omnia quæ tribuit Romanis arcibus odit,
Muneribusque suis iratus destruet istas
Idem qui posuit moles Deus.

Diu enim Ditis Fortunam his verbis alloquuta,

Ipsa suas vires odit Romana juventus,
Et quas struxit opes male sustinet: adspice late
Luxuriam spoliorum, & censum in damna furentem,
B *Ædificant auro, sedesque ad sydera mittunt.*
Expelluntur aquæ saxis, mare nascitur arvis,
Et permutata rerum statione rebellant.
En etiam mea regna petunt: perfossa dehiscit
Molibus insanis tellus: jam montibus haustis
Antra gemunt: & dum varios lapis invenit usus,
Inferni manes cœlum sperare jubentur.
Quare age Fors, muta pacatum in prælia vulgus,
Romanosque cie, ac nostris da funera regnis.

C Aquilæ Romanorum insignia, quæ passim per Urbem candido lapide effigiatæ visuntur, ornamentum fori aut palatii alicujus sine dubio fuerunt, quibus Gothi capita detruncarunt, significantes se orbis etiam caput Romam conculcaturos.

Qualia quantaque insuper Romanorum monumenta Nemausi desiderentur, innuunt Cæsarum epigrammata, quorum tabulas tantum videmus:

SANCTI TATI IOVIS ET AVGVSTI SACRVM LVCILIVS CESTIO. F.	Viennæ columnam vidi cum his verbis: NVMINIBVS AVG. ET DEAE. DIAN.

IMP. CÆSAR
D. AVG. F. AVGV.
PONTIFEX. MAX.
TRIB. POT. XXXIII
REFECIT. ET
RESTITVIT.

TI. CÆSAR
DIVI. AVG. F. AVG.
PONTIF. MAX.
TRIB. POT. XXXIII
REFECIT. ET.
RESTITVIT
V

IMP. CÆSAR
DIVI. F. AVG. PONTIF.
MAXIMVS. COS. XII
COS. DESIGNATVS. XIII
IMP. XIIII. TRIBVNICIA
POTESTATE. XX.

TI. CLAVDIVS
DRVSI. F. CÆSAR
AVG. GERMANICVS
PONTIF. MAX. TRIB.
POT. COS. DESIG. II
IMP. II. REFECIT

T. CLAVDIVS
DRVSI. F. CÆSAR
AVGVST. GERMANIC.
PONTIF. MAX. TRIB.
POT. COS. DESIGNAT. II
IMPE. II. RECEPTI
LXXXV

IMP. CÆSAR
D. HADRIANI. F.
T. ÆLIVS. HADRIANVS. ANTONIVS
AVG. PIVS
PONT. MAX. TRIB. POT.
VIII. IMP. II. COS. IIII
P. P.
RESTITVIT
I

Sic & duæ aliæ similes Inscriptiones exstant, quarum una habet RESTITVIT. II. altera RESTITVIT. VI.

Statuæ nonnullæ antiquæ cum in plateis, tum in ædibus visuntur: inter omnes autem nitidissima illa Cintiæ est, cum inscriptione,

CINTIAE. HONORAT.
FIDELIS. TABVLA.

Videmus faciem affabre factam, cum capillitio elatiore, quali hodie nobiles feminæ turritam Cybelem referunt. Solebant autem antiquitus lautiores Dominæ crinem fastigiare, & in summum verticem adstringere, in modum turris: unde Juvenalis *satyra* 6.

—— tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput.

D Insuebant etiam adscitos crines, quibus promissi non erant, Apulejus lib. XI. *Mil: Adtextis capite crinibus feminam mentiebatur.* Habebant insuper adulterinorum crinium sutiles quasdam formas, quas capiti ut vetas adponebant. Firm. *Astr.* l. 8. cap. 7. *Appositis alienis crinibus fictam pulchritudinem mentiantur.* Tertull. *de cultu fem. Adfigitis nescio quas enormitates sutilium capillamentorum, nunc in galeri modum, nunc in cervicem retro suggestum.* Juvenalis Interpres *crinem suppostitium* E appellat. Vide plura apud Hieronym. Epist. *ad Demetriad. Man.* Artemidorum *lib.* 1. Clement. Alexand. Xiphil.

Num autem viris hoc in usu quoque fuerit, relinquo; hodie inveniri qui turpissimis his nugis delectantur, ridiculum est.

Acus etiam crinalis, quam mulieres hodie capillamento circa aures infixam gerunt, olim in usu fuit. Petron. in *Satyr. Psyche acu comatoria cupienti mihi invocare Quiritium fidem, malas pungebat.* Martial. *lib.* 2. *epigramm.* 66.

Unus de toto peccaverat orbe comarum
Annulus, incerta non bene fixus acu.

F Isidorus *lib.* 19. *Acus sunt quibus in feminis ornandorum crinium compago retinetur, ne laxius fluant.* Hieronymus *adversus Rufinum: Fecerunt hoc & Fulvia in Ciceronem, & Herodias in Joannem, quia veritatem non poterant audire, & linguam veriloquam acu discriminali confodiebant.* Ex Ulpiano liquet acus illas gemmis ornatas fuisse, quod & hodie fieri videmus.

Pergamus nunc ad Epitaphia, quorum plurima elegantissima occurrunt, ex quibus constat quam sincero affectu Veteres sese invicem æternum prosequuti fuerint. Heu fidem hodiernam, quæ

Alpinis nivibus frigidior facta! Epitaphia a liberis parentibus consecrata: A

D. M.
MARCI NIGRI
NI. F. MARCEL
LINVS. ET. MAR
CELLINA. PA
TRI. PIISSIMO

Q. CAECILIO
RVFINO. P.
FAVSTAE. CRASSONIS. F. M
& CAECILIO. FAVSTINO. F
& CAECILIVS
NVNDINVS B
PARENTIBVS. VXORI. FILIO. SIBI
V. P.

&. CAECILIO. NVNDINO

SYNTYCHE. VXOR. RESTIT.

ΘΕΟΙΣ. ΚΑΤΑΧΘΟ-
ΝΙΟΙΣ

ANNIA. ΕΥΤΥΧΙΑ C
ΑΠΠΙΟΣ. ΑΝΝΙΟΣ
ΜΗΤΡΗ
ΕΥΣΕΒΕΣΤΑΤΗ

D. M.
IVLIAE. RHODIAE
L. IVL. EPICTETVS
VXORI. KARISS. ET
IVLII. PERPETVVS
ET. PATERNVS
MATRI. PIISSIMAE

D. M.
BOVDIAE. PRIMIAE
TERENTIA. M. FIL D
MARCELLA
MATRI. OPTIMAE

CN. POMPEIVS. CN. F. MAXIMVS
FONTANVS. SIBI. ET
CN. POMPEIO. CN. F. MAXIMO. AVG.
ET. C. MARIO. PATRI
EX. TESTAMENTO

D. M.
FORTVNATAE
PRIMITIVS. MATRI
T. GEMINII. F
T. GEMINIVS E
TITVLLVS
PATRI

D. M.
VALERIAE. MVNA-
TIAE. L. MVNATIVS
TITVLLVS. SORORI
ET. MVN TIA. MARCELLA
AVIAE

MEMORIAE
LVCANI
PATRIS F
POMPEIANVS
FILIVS

D. M.
C. BODVACI
MAXIMI
MAXIMIA
PATERNA. FIL
ET. ANTHIS
LIB

D. M.
T. BODVACII
KARI
GRAIA. E. MESSORIS. F.
C. BODVACIVS
KARVS
SIBI. ET. PARENTIBVS
V. P





A. GRANIO. SEX. VOLT
BOVDO
ET. DISETONI. M'TRI
HOMVLVS. LAPIS. ALCHIMEDO. LIB

L. POMPEI. CALLISTI
ET. SVLPICIAE
PRIMVLAE
SEXTILIA
ATHIS
SIBI. ET. MATRI
V. P

D. M.
POMPEIAE
FLAVIAE
MATRIS
MISERRIMAE

D. M.
MVTIAE
FIRMIANAE
TVRTVLLIAE
MATRI

AVL. IVL. MYRONIS. IVL
SEVERVS. ET. IVL
SEVERIANVS. PATRI
CARISSIMO. ET
CAMVLATIAE. SEVERAE
MATRI. VIVENTI
POSVERVNT

Epitaphia a parentibus liberis facta:

D. M.
L. KARI. AEMILIA
L. KARIVS
COMMVNIS
ET. AEMILIA
ZOSIME
FILIO
PIISSIMO

L. CORNELIO
ATHENAEO
ANTHVS. PATER

D. M.
L. TAVRINI
AVRELI
CIVI
ELVSINENSI
ANNOR. XXIII.
PARENTES.

D. M.

MACCIAE. SATVRNIAE
IERIVLLA. MATER
ET. MACCIVS. PATER

D. M.
VALERIAE
MAXIMINI. FILIAE
ANNOR. III. DIER. XXIII
MAXIMINVS. ET
VELADVS. MAXIMINI. FIL
ET. LVCINA. LVCVLLI. FILIA
PARENTES

D. M.

PVER. EVTYCHES
ANNOR. VII. TYCHE
MATER. ET. CESTIVS
TREPTION

D. M.

VALERIAE. CELSINAE
VALERIVS. CELSVS
ET. VALERIA IANVARIA
FILIAE. PIISSIMAE
ET. SIBI. V. P

D. MANIB
T. NORBANI. NIVALIS
VALERIA. SEVERINA
MATER. FIL

AGRICOLAE. FILIAE PIISSIM --
-XORI. OPTVMAE

D. M.
FABIAE. Q. F
CRISPINAE
QVINTIA
CRISPA. MATER

EXINCOMARVS
GRAXANII. F

TITIA. CRESSVTIA
ME. QVAE VIXIT ANN. XXII
DIEB. XIIII. CAECIL. CRESCEN
TIAE. FIL. PIISSIM. MATER. PVSIL

D. M.

VALERIÆ. T. F
TITVLLÆ
VALERIA. GEMINA
FILIAE. PIISSIMÆ. P

D. M.

SEX. SAMMI
APRONIANI
SAMMIA
HELPIZVSA
MATER

D. M.

OPPIÆ. L. F.
VARENIÆ
ANN. VI. M. IX D. V
OPPIA. L. FIL
SECVNDILLA. FILIAE
KARISSIM.

D. M.

SEX. IVL. MESSIANI
SEX. IVL DIONYSIVS
FILIO. PIISSIMO
ET. SIBI. V. P

A A maritis uxoribus erecta:

L. SILVIVS. PA-
TERNVS. VXORI
RARISSIMI. EXEMPLI
CVM. QVA. VIXIT. ANN. XXXII
SINE. VLLA. ANIMI. LAESVRA
ET. S. V. P

D. M.
NÆVIÆ
PRIVATÆ
CN. NÆVIVS
B DIADVMENVS
VXORI. OPTIM.

DIIS. MANIBVS
CAIL. CATIL. NIGER
P. ANTONIÆ. SERVATÆ
N. CALICATIVS. NIGRI-
NVS. SIBI. ET. OPTIMÆ
VXORI. V. F

SIBI. ET
D--V MIÆ. REMVLLÆ
VXORI. ET
C S. SPVRIO. DECVR. F

SALVVM. IRE

CÆ. SONIÆ
HORÆÆ
M. FVSCIVS. NEDYMVS
CONIVGI. KARISSIMÆ

SALVVM REDIRE.

Cum insigni mulieris facie:

DIIS. MANIBVS
CORNELIÆ
D GRATÆ. T. CONNIVS
SILANVS. VXORI

D. M.

MESSIÆ
CALLITYCHES
ARTEMIDORVS
CONIVG. KARISS.

D. M.

C. APRONI. FVLVI
ET. SERVATÆ
VXORI

E Epitaphia maritis ab uxoribus posita:

D. M.

SEX. AVII. CAPELLIANI
LICINIA. FAVSTINA
MARITO. SIBI. MERENTISSIMO
SVB. ASCIA. POSVIT

Similia Viennæ vidi, ut

D. M.

F ET. MEMORIÆ
ÆTERNÆ
DIV. LELIÆ. ATILIÆ
L. LEPIDVS BASILÆ-
VS. CONIVG. KAR
PONEND. CVRAVIT
ET. SVB. ASCIA. DEDICAVIT

TITIÆ. CATIAE. DEFVNCT
ANNORVM. VIII. M. D. V. VIII
CVTIA. BVBATE. FIL. PIISSIMÆ
ET. SIBI VIVI. POSVIT
HOC. SAX. SVB. ASCIA. DED. EST

D. M. A

SERVI
SEVERI. F
CASSIA
MISERA. MATER
FILIO. INCOM-
PARABILI. ANN
XXIII. ARAM. PO-
SVIT. ET. SVB. A. D.

Ascia magnificentiam innuit, quæ a Romanis in funere & monumento struendo adhibita, unde Plautus opus asciatum vocat affabre politum & exornatum. B Sub ascia autem polire olim sepulchralibus legibus Romæ in duodecim Tabulis vetitum fuit, ne in rogo & sepulchro faciendo magni sumtus fierent. Hinc etiam prohibitum, *Ne aurum adderetur, ne murrata potio mortuo inderetur, neve longæ coronæ, neve acerræ adhiberentur, ne plura funera uni fierent, ne lecti plures inferrentur.* Sed prisco illo & modesto more, quem Naso noster *Fastorum* lib. 2. sequentibus versibus describit, omnia administrarentur:

Est honor & tumulis animas placare paternas,
Parvaque in exstructas munera ferre pyras. C
Parva petunt manes: pietas pro divite grata est
Munere: non avidos Styx habet ima deos.
Tegula porrectis satis est velata coronis,
Et sparsæ fruges, parvaque mica salis:
Inque mero mollita ceres, violæque solutæ.
Hæc habeat media testa relicta via.

Hodie in nonnullis locis tam insana est Epitaphiorum frequentia, ut posteri ne quidem pro unico versiculo spatium sint reperturi, nisi parietarias istas herbas, *ut Constantinus de Troiano, inanium titulorum nimium studioso, dixit*, & lascivientes hederas, religionis dememores evellere velint.

D Præstaret sane nos vivos virtutibus potius quam mortuos picta lapidum strue inclarescere, modo inclarescere illis hoc modo licet, qui cum vivi fuerint ignotissimi.

Rideremus hortulanos, si plantam, quam virentem florentem per totum ver & æstatem negligenter occultassent, hyeme vero marcidam & exsiccatam multis cum præconiis adspiciendam exhiberent. Quid quæso juvat ex lapide multorum insignium vanitate ornato, illum tandem noscere, de quo dum viveret nihil unquam inaudivimus? sed hi mores, heu, nostri sunt seculi, quo ingenio & virtute gloria quæri desiit, & quo propriæ E mentis vigore cum nolimus, aliarum opere, saxorumque beneficio ignotam memoriam posteris obtrudere velimus. Sed revertamur ad monumenta nostra, quæ Nemausi vidimus, alio tempore nugas istas examinaturi, siquando Poematum meorum Libellum edere libuerit:

D. M.

L. TERTVLLI. MARCIANI
PRIMVS. PATRON
ET. DELPHINVS
HEREDES
P. F

D. M.

RVSTICÆ. AVXES
HONORATA. PATRON
D. M.

BEBRIAE. PYRANDI
BALBIA. SECVNDILLA
PATRON. PIISSIM. LIB

ATRO. IVLIO
VARO

D. M.

MVSICI
Q. APVLEIO
SALITO
L. VALERIV. HYBR
V. S. L. M.
IVLIA. D. F
MARCELLA
VIVA. SIBI
POSVIT

MANIBVS
LVTATIAE. C. F
CARCEIAE

D. M.

VIDIAE
MVSAE

EXINCOMARVS
CRAXANII. F
D. M.

C. TERENTIVS
ROMVLVS
SIVE. DRIMYLVS
VNCTOR. SIVE
POLLINCTOR
V. S. ET. SVIS. F

L. CAECILIVS
SEXTIANVS
SIBI. ET. SVIS

GOTTIO
ALBANO

SEX. IVL. CALATA
CRESCENTI. DONATAE
MELIVS. TROPHIMVS
PARCIS. VALERIVS
D. M.

LIVII. LICRINI. L. IVLIVS
PECVLIARIS. LIBERTO
OPTIMO. ET. PIENTISSIMO

D. M.

HERMETIS
SEX. AVIVS
VARVS. SERVO
OPTIMO

L. LVCRETIO
CALIDIANO
C. PARVCIVS
TROPHIMVS
ET. CALIDIA
DORIS. LIB
D. M.
Q. POMPEI
EVTYCHETIS
& POMP. CLINIAS
CONLIB

C. VALERIO. L. F. VOL.
LVSSORI. Q. COL

IVNIAE. PRIMILLAE
IVNIA. AVXESIS
ET. IVNIVS. GRAECVS
LIB

C. AVTESTIO
Q. F. VOL
PALVSTRI

D. M.

L. HELVI
EPAGATHIONIS
ET. L. HELVI
NICIAE.
L. HELVIVS
FHILEROS. LIB
ET. POPILIA. MYSTIS

D. M.

C. ALLII. C. VOLT
MACRINI
EVPORVS. ET
TRYPHAENA
LIB
G. Q. N
TROPHIMUS
SER

D. M.

L. SENNII
PRIMI
VITALIS. COLLIB.
SEX. OLEATIO
HONORATO

DIS. MANIBVS.
CORNELIAE
ATTICAE

MANIBVS
REBVRRI. VIRILI
F. LINTEARI

D M.
TERTVLLA
SVCCESSI
F. VIVA. SIB
POSVIT

MANIBVS
Q. DECCII
SENECIONIS

D. M.

HELVIAE. HELVI
F. VALERIAE
M. VALERIVS
MAXIMVS. ET
M. NVMERIVS
MARTIALIS
H. P

L. CAECILIO. ATRO
EX. TESTAMENTO

D. M.

TIB. IVLI
AVLINI
HEREDES
AVG. MARTI. BRITO
VIO-- SA--- V-VS
SECV -- D-- N
EX. VOTO

D. M.

BASILICES
L. ÆMILIVS
HERMAS
VIRRIVS. A---
NEM V-S-

P. BRITTIO
SATVRNINO

In superiori hujus tabulæ parte radius, quo textores utuntur, inferiore autem forfex visitur, A adeo ut liqueat mechanicas artes apud Veteres honorifice habitas fuisse, nosque plurimum degenerasse, apud quos non tantum mechanicæ, sed & liberales artes, imo omnis generis Musæ despectui sunt: unde mores nostros considerans, sæpius illud Petronii Arbitri in *Satyrico* ingemino: *Amor ingenii neminem unquam divitem fecit*: *nescio quomodo bonæ mentis soror est paupertas*:

Qui pelago credit, magno se fœnore tollit,
Qui pugnas & castra petit, præcingitur auro,
Vilis adulator picto jacet ebrius ostro,
Et qui sollicitat nuptas, ad præmia peccat;
B *Sola pruinosis horret sapientia pannis,*
Atque inopi lingua desertas invocat artes.

D. M.

POMPEIA
PANNYCHIDI
L IVNIVS
EVTYCHVS
ET. IVNIA
TRYPHOSA

D. M.

BETVTIA. PRI-
MA. VIVA. SI-
C BI. ET. POPILIO
VICTORI AMICO

D. M.

L. TREBONIO
NICEPHORO
PATILLO. COPONI
EPAPHRODITVS
AMICO. OPTIMO

D. M.

IVL. SEVERINÆ
D IVL. PATERCVLVS
CONSOBRINÆ
ET. ATTIA APHRO-
DIE. AMVLCAE
GEMELLAE
ALBANVS. CONTVB.

D. M.

AVITI. GEMELLI. F
NEMONIA
GINGE
CONTVBERNALI

E D. M.

BARBARVLAE
& V. ANNOS. XXII
M. II. D. IIII
BARBARA. ET
PHILVMENVS. I
ET HELICON
CONTVBERNALI
KAR
D. M. BARBARAE
ET. PHILVMENI. V. S. P.

F ——— ——— ——— ——— ———
——— ——— ——— ——— ———

--- NOMIAE. QVAE
VIXIT. ANN. XXXIX
M. III. D. POTAMON
CONTV--. NAL---
BER

——— ——— ——— ——— ———
——— ——— ——— ——— ———

D. M.

QVINTO. COELIO
EPITYNCANO
ELVSA. SECVNDILIA

SODALI
NVMER. C. POMP. MARI
FAVSTVS--XXXVII.
N. ARAABVS
LVC. AC. CONTVBERNALI
DE. SVO

D. M.

MARTINI
SILVINI
F

CRISPINI
AVITI. LIB
M. V. F

D. M.

IVL. ASPASIAE
Q. AELIVS
SATVRNINVS
POSVIT
G. ATILI
EVTYCHETIS
STEPHANIS
CONTVBERNALI
OPT

D. M.

SEX---CII
SEVERI
SEX POP. -----
AMICVS

D. M.	D. M.
TVTAE	VERI
MAXVMI. F	VELAGENI. F
VTVLIVS. F	VTVLIVS. F

Ad portam Coronæ exſtat fragmentum magni ſaxi, in quo antiquis Græcis litteris hæc legi poſſunt:

--- ΝΕΜΥΣΩ. ΤΩΝΑ ---
ΘΥΑΝ. ΤΡΑΙΑΝΟΝ. ΚΑΙ-
ΣΑΡΑ. ΣΕΒΑΣΤΟΝ.

In alia quadam quadrata tabula inſcriptio hæc exſtat:

FVLGVR
CONDITVM
DIVOM

Uſitatum morem Lucanus *libro* primo non procul a fine attingit, in hunc modum canens:

Dumque illi effuſam longis anfractibus urbem
Circumeunt, Aruns diſperſos fulminis ignes
Colligit, & terræ mœſto cum murmure condit,
Datque locis nomen.

Draco, qui ex adverſum ædium nobiliſſimi Doncini de Lanſard, Conſiliarii Regii, Amici mei colendiſſimi, columnæ, cum Franciſcus primus, Rex laudatiſſimus, Urbem ingrederetur, impoſitus fuit, vetera Gothorum, quorum, ut monui, Nemauſus aliquandiu Regia, inſignia ſunt. Putabant autem Gothi Præconem Aquilam propulſaturum.

A De urnis nihil dicam, ſufficiat ſcire illis non tantum cineres in conditoriis aſſervatos, verum ut doctiſſimum Turnebum ex Propertii verſu *lib. 3. eleg.* 11.

Neve aliquid de te flendum referatur in urna,
Sic redeunt illis qui cecidere locis,

monere memini, eorum qui militiæ perierant, oſſa in patriam relata fuiſſe. Hujuſcemodi urnarum hinc inde per Viennenſem & Narbonenſem Galliam plurimas elegantiſſimaſque diverſarum formarum offendi.

B Hæc mihi variis negotiis diſtento & diſtracto, librorumque præſidio deſtituto inciderunt, quæ Nemauſenſibus Inſcriptionibus inſerere placuit: oro benevolos Lectores, in primis Narbonenſes meos, deſideratiſſimos Amicos, ſyncerum meum affectum agnoſcentes, omnia hæc ſerena fronte ſuſcipere dignentur, donec ad patrias Muſas reduci, digniora exhibere dabitur. DEO Optimo Maximo Soſpitatori & Tutelari noſtro clementiſſimo ſit in ſempiternum gloria, quod tam miranda miſeratio-
C ne in Genevenſi morbo mihi adfuit, ut non tantum Chirurgorum & Medicorum, quos diligentiſſimos grata mente veneror, manus evadere, ſed etiam vegetum prorſus & incolumem per diverſas regiones feliciter peregrinari me voluerit.

ELEGIDIUM AMPLISS.

ET CLARISS. VIRI D. JACOBI LECTI ACAD. ET REIPUBL. Genevenſ. Anteceſſoris primarii,

D cum Sabaudi Chirurgi cujuſdam imperitia, gravi diuturnoque morbo detinerer.

NOn cerebrum potuit, non, o Graſſere, tuum cor
Scæva manus, tantum ſed violare pedes.
Imprecer huic? an quod tali dedit hoſpite longum
Poſſe frui, Muſæ, deliciſque tuæ,
Ignoſcam? At cælo ſolidum ſolamen ab alto eſt,
Et pariter nobis, & tibi noſter amor.
Nos etiam vix te, nos ægre dicimus ægrum,
Tam bene qui cerebro, tam bene corde vales.
E *Vos tamen ipſa quibus Regum ſunt corpora curæ*
Auxiliatrices ferte, referte manus,
Errorem, aut reparate ſcelus, meliore medela,
Si quid ab ingenio, ſi quid ab arte poteſt.
Sic numen vatum, numen commune medentum,
Sic utriuſque pater mandat Apollo chori.

JAC. LECTIUS JO.

JACOBO CRASSERO NOVANtiqua Nemauſenſia publicanti.

PRiſcarum, Graſſere, places indagine rerum,
F *Nec minus ingenio, nec minus arte places.*
Latius hoc alii: ſed non valuere quod auſi:
Plus tuus in parvo cernitur orbe labor.
Et monumenta, licet manes defoſſa ſub imos,
Appenetret Stygios vel tua cura lacus:
Hinc tibi deinde tamen neſciri neſcia ſurgit
Gloria luce procul conſpicienda ſua.
Qualis ubi pariter radice in Tartara tendit,
Porrigit & cœlo populus alta comas.
Teſtis erit ſanctum retinens Offredus honorem,
Teſſera judicii teſtis & iſta mei.

F I N I S.

DE

ORDINE EQUESTRI
VETERUM ROMANORUM

DISSERTATIO,

EX ANALECTIS

VENERANDI SUI PARENTIS

MAGNAM PARTEM

HAUSTA & EDITA

A

CHRISTIANO WILHELMO EYBENIO.

EQUESTRIS.
SUB. IMPERIO. ROMANO-GERMANICO.
ORDINIS. SPLENDIDISSIMI.
IN-AC. MEDIATIS.
MEMBRIS. OMNIBVS. AC. SINGVLIS.
ILLVSTRIBVS. GENEROSIS.
MAGNANIMIS. ET. NOBILISSIMIS.
MENTE. MANVQVE. STRENVIS.
PECTORIBVS.
FORTISSIMIS. PARITER. AC. PRVDENTISSIMIS.
CVMPRIMIS. AVTEM.
EX. EO. ORIVNDIS.
COELI. ROM. GERMANICI.
POTISSIME. QVA. SERENVM. EST.
IMMO. SERENISSIMVM.
ASTRIS. MAJORIBVS.
AC. SIDERIBVS. ILLVSTRISSIMIS.
EMINENTISSIMIS. POTENTISSIMIS. REVERENDISSIMIS.
CELSISSIMIS.
RELIGIOSISSIMIS. AC. VENERABILIBVS.
ELECTORIBVS. ET. PRINCIPIBVS.
ECCLESIASTICIS.
CÆTERISQVE. PRÆLATIS.
EQUESTRIS. ILLIVS. ORDINIS.
ORNAMENTO. INCOMPARABILI.
MVNIMENTO. INVICTO.
DOMINIS. SVIS.
CLEMENTISSIMIS. BENIGNISSIMIS.
GRATIOSIS. OBSERVANDISSIMIS.
HOC.
QVICQVID. EST. EXOTERICÆ. DISSERTATIONIS.

DE.
ROM. VET. ORDINE
EQVESTRI.

AD

HODIERNI. ROM. GERMANICI.

MVLTIS. LICET. DE. CAETERO. REBVS.

ET. NOBILIORIS. ET. FVNDATIORIS.

STATVM. DECVS. EGREGIVM.

INTERPRETANDVM. COMPROBANDUM.

ILLUSTRANDVM.

PLVRIFARIAM. APTÆ. NATÆ.

QUA. PAR. EST.

SVBMISSIONE. AC. VENERATIONIS.

CVLTV.

OFFERT. SACRATQVE.

CHRISTIANUS. WILHELMUS. EYBENIUS.

DE
ORDINE EQUESTRI
VETERUM ROMANORUM
DISSERTATIO.

I.



Rinceps ille creator Urbis suo ex nomine vocatæ, Romulus, hunc statum Reipublicæ imposuit, ut primum omnem multitudinem ætate validam, in Legiones, quarum una trium millium Peditum & trecentorum Equitum tunc fuit, distribueret, reliquis vulgi loco habitis, uti refert Plutarch. in *Romulo* p.24. edit. Wechel. add. Sigon. lib.1. *de antiq. Jur. Civ. Rom.* c.15. Bœcler. *de Legion. Rom.* cap.2.

Porro autem, Dionysio narrante, viros genere, virtute & opibus præcellentes, quibusque jam erant liberi, ab obscuris, humilibus & egenis, quos *plebem* & *plebejos* dixere, secerneret; & ex prioris generis, *Patricios* vocarunt, Senioribus centum eligeret, ab ætate vel virtute *Senatores*, ab honore, pietate, auctoritate vel liberorum copia (sic enim variant in his Auctores) *Patres*, appellatos, quorum consilio omnia ageret: denique trecentos Juvenes, (tametsi *mille*, unde *militum* nomen descenderit, add. *l.* 1. *§.* 1. *ff. De Testam. milit.* prodant alii; vid. Isidor. lib.9. *Etymolog.* cap.3.) quibus tum ad corporis sui custodiam, tum ad urgentes necessitates uteretur, corpore robustissimos conscriberet, modo *Equites*, modo *Pedites*, si credimus Pighio tom. 2. *Annal. Roman.* pag 279. dictos; aut verius, jam ex equis, jam pedibus, nostrorum *Dragonorum* adinstar, pugnare doctos, uti Dionysius *lib.*2. scribit: add. in seqq. ibi: ut sibi & in *equestri* & in *pedestri* pugna propugnatores essent: de cætero enim *equites* vocat cum Virgilio lib.9. *Æneid.* vers. 370. tercentum scutati equites &c. ubi Servius, Sext. Aurel. Victor in *Vita Romuli*, Pomponius in *l.*2. *§.* 15. *ff. de O. J.* Livius etiam pedestri exercitui non accenset, sed diserte opponit potius, lib. 1. *Hist.*

II.

Plutarchus vero in *Vita Romuli*, nec Pedites, nec Equites vocat, sed *Juvenes*, quando memorat, quod Romulus, sub finem regni insolentior & elatior factus, non nisi *Juvenum* istorum caterva stipatus egerit, iveritque: ubi etiam addit, his omnibus commune fuisse nomen, *Celeres*, a ministerii celeritate, ut plerosque scribere testatur Dionysius, eo quod *promtos* & ad opus *veloces* Romani *celeres* vocent. Sed alii a Duce suo, *Fabio* CELERE, ita nuncupatos volunt, uti Festus *lib.*3. de quo & Ovidius lib.4. *Fast.*

> *Hoc* CELER *urget opus, quem Romulus ipse vocavit,*
> *Sintque*, CELER, *curæ, dixerat iste, tuæ.*

Aptissime omnium, ni fallor, a Græco κέλης, Æolice κέλης, hoc est, *equus*, deduxeris cum Ruperto in *Commentar. ad l.*2. *§.*15. *ff. de O. J.* prout etiam *Caballarius*, qua voce mediæ ætatis

A Scriptores pro *Equite* utuntur, nunc *Cavallier*, *Chevallier* &c. in *Glossar. Lat. Græc.* vertitur κέλης, ἱππεύς.

Uti autem & ante Romulum nominis hujus aliquis sub Regibus Latinis fuisse usus, & quivis promiscui milites sic vocati videntur; Virgilius sane lib. 11. *Æneid.* ubi circa Latinorum Regum tempora agit, nec non Messapus canit, *Celeresque Latini* &c. ita post Reges exactos, *Flexumines*; deinde eo, quod *Trossulum*, Thuscorum oppidum, sine ullo *peditum* adjumento occupassent *Trossuli*; & tandem a Latino *equus* (vid. infra *num.* 8.) *Equites* dicti. Confer. Plin. *lib.*33. *c.*2. Tiraquell. *ad*
B *Alex. ab Alexandro lib.*6. *Genial. Dier. cap.*22. *lit. z.* Pigh. lib.1. *Annal. Rom.* pag. 16.

Aperte Festus in libr. *de verb. signif.* Celeres, inquit, *Antiqui dixerunt, quos nunc* Equites *nuncupamus*.

III.

Celeres hi, sive *Equites*, *ex clarissimis familiis*, ἐκ τῶν ἐπιφανεστάτων οἴκων, uti loquitur Halicarnasseus, lecti sunt a Romulo, nec nisi ex *Primori-*
C *bus Civitatis*, alias *duodecim*, quæ postmodum accessere, *Equitum centurias* scripsit Servius Rex, memorante Livio *d. lib.* 1. Et fiebant per *curiarum*, in quas, tanquam *partes* XXX. numero *tribus* (nam hæc vox proprie *tertiam* Civitatis *partem* significat X. *centurias* continentem) quandoque appellatas Livio, vid. *libr.* 10. Sigon. lib.1. *de antiq. Jur. Civ. Rom.* c.3. Rupert. *ad d. l.* 2. *§.*2. totum populum distribuerat Romulus, consueta suffragia, ex unaquaque *denis* electis.

Perpetuo circa Regem esse tenebantur, ipsum *hastati* per Urbem sequi seu stipare, (*Leibgarde* hodie vocatur, Græcis Σωματοφύλακες, Gallis *le*
D *corps de garde* * dicti) & jussi ministeria ejus expedire; in ipsa vero militia propugnatores ei & defensores esse.

Sæpe in præliis victoriæ auctores, cum non pugnæ modo facerent initium, sed & omnium postremi se reciperent. Pugnare quoque *ex equis*, ubi campus ad equestre certamen esset commodus; *pedibus* vero, ubi locus esset asper, & ad equitandum minime aptus; ceu ex Dionys. *lib.* 2. supra jam notavimus.

Tribus autem centuriis, sed curiis majoribus, & triginta minoribus, seu decuriis, comprehensi
E *Celeres* sub tribus *Centurionibus* & triginta *Decurionibus*; omnes vero sub uno erant Duce, *Tribuno* inde *Celerum* dicto, qui *veluti secundum locum* a Regibus obtinebat, verbis loquor JCti *in l.*2. *§.*15. *ff. de O. J.*

Uti vero cum tempore (resp. n. 2.) pro *Celeribus* dicti *Equites*; ita pro *Tribunis Celerum* successerunt *Equitum Magistri*, non aliter *Dictatoribus*, ac illi *Regibus*, postea adjuncti, quorum porro officium fere tale fuit, quale sub Imperatoribus Præfectorum Prætorio, *d. l.* 2. *§.* 19. *ff. d. O. J.* ut horum ad similitudinem seu vicem *Magistros Equitum* a Principibus institutos vel electos esse scri-

* Perperam, rep. *Gardes du corps*.

bat Aurelius Arcadius Charisius, *in l. un. in pr. ff. de Offic. Præfect. Prætor.*

Nec aliunde est procul dubio, quod Præfecti etiam Prætorio ex *Equestri* sumerentur Ordine, adeo ut ante Titum Præfectura Prætorio nunquam, nisi ab *Equite* Romano, fuerit administrata, notante Suetonio in *Tito* c. 6. §. 4. quomodo Tacitus Prætorianis Clementem Arretinum, *quanquam Senatorii Ordinis hominem*, præpositum tamen, ceu insolens quid memorat, lib. 4. *Histor.* cap. 68. utut is ipse locus erroris hactenus revincat Suetonium, quatenus Præfecturam istam, & ante Titum, *Senatoriis*, infrequentius licet, delatam fuisse probat; conf. Joan. Ferf. *de Præfect. Prætor.* cap. 3. pag. 17. seqq.

Ita cum Præfecti Prætorio carerent, primum dignitate civilium Magistratuum, Sejanum autem *insignibus Prætoriis* donasset Tiberius, novum id & *pro excessu fastigii* Equestris, hoc est, officii in *Equites* competentis, fuit habitum. Vid. Tacit. lib. 4. *Annal.* cap. 43. Dio Cocc. in *Excerpt. Peiresc.* p. 666.

Rationem autem, quare *Præfectura* hæc postmodum & *Senatoriis*, imo & *Consularibus* patuerit, non aliam assignat Onuphrius Panvinus lib. 2. *descript. Civit. Rom.* p. 287. quam quod ex *Præfectis Prætorio* ipsi *Imperatores creari cœpti essent*. Interim ex pristino jure mansit, ut *Equestris Ordinis Equitumque electio ac tuitio ad Præfectum Prætorio pertineret*, ceu ex inscriptione *legis un. C. Theodos. de Equestr. dignit.* colligit Jac. Gothofredus in *Not. ibid.* licet non quoque nunquam *Præfecti vigilum*, utpote non minus ex *Equestri Ordine* creari soliti, teste Dione *lib.* 55. functionem illam sustinuerint. Vid. Jac. Gothofred. *ad l. 3. C. Theodos. de infirm. his qui sub Tyr.* &c. & *l. un. C. Theod. de his qui veniam ætat.*

I V.

Quemadmodum vero sub *Regibus* duas tantum in partes, seu *duo in corpora* (ut loquitur Pomponius *l. 2. §. 16. ff. de O. J.*) omnis civitas Romana fuit divisa, multitudinem seu *plebem*, & *Senatum* seu Patricios: ita etiam *duæ* tantum *gentes* fuerunt, *Plebejæ*, & *Patriciæ*, jure connubiorum, honorum in divinis & humanis, vestitu & ornatu aliisque similibus distinctæ: *tribus*, qui postmodum accessere, *civium ordinibus*, interque eos *Equestri*, tunc temporis nondum cognitis.

Utut enim *Ordinum* quoque *varietatem* Romulus (verba recitamus Sigonii ex *d. lib. 2. cap. 2.*) *intulisse videatur; idem enim Senatum, idem Equites instituit, ex quo intelligi posset, qui neque Senatores, neque Equites essent, eos ab eodem in tertio plebis ordine relictos fuisse*. Hactenus Sigonius.

Sed contra provocamus ad Livium, Dionysium & alios veteres rerum Romanarum Scriptores; utpote qui, *sub Regibus*, non plurium, quam *duarum populi Romani partium, seu gentium, Plebis* nempe, & *Patrum*; nullius vero, nedum *triplicis* aut *Equestris*, *Ordinis* mentionem faciunt, utpote post Reges exactos demum in Civitatem Romanam introduci cœpti noscique: quod fatetur etiam Sigonius d. lib. 2. *de antiq. Jur. Civ. Roman.* cap 3. ubi, dum addit, *Celeres* a Romulo institutos, *Equestris Ordinis*, Senatorio oppositi, *primordia & fundamenta* fuisse, satis innuit, quæ *ex cap. præced.* 2. allegavimus verba, non tam de ipso *Ordine Equestri*, quam de ejus *fundamentis* & *seminario* intelligi debere.

Equidem ipse Valerius Maximus Priscum Regem scribit, Senatum auxisse & *Ordinem Equestrem* uberiorem reliquisse. Sed corrigitur a Sigonio pariter atque excusatur, quasi *d. cap. 3. Equestrem Ordinem* abusive dixerit pro *Equitibus*, non *Senatorio* Ordini in *Civitate*, sed *Peditatui* sive *pedestri exercitui* in *acie* opponendis. Nec aliter, credo, capiendus erit Zonaras, quando Tarquinium Superbum, plerosque Patrum & *Equestris Ordinis* sustulisse memorat.

Interim satis hinc apparet, quo tempore *Equestris*, quem dicimus, *in Civitate* esse cœperit *Ordo*, non *militaris* scilicet atque, ut vetus ille, *peditatui*, sed *civilis*, adeoque *Senatorio* & *Plebejo Ordini* oppositus & variis rebus, de quibus infra, ab utroque distinctus. Hi enim sunt *tres* illi celeberrimi *Ordines*, quorum intuitu *Romam tripartitam* fecit Ausonius in vulgato *Edyll.* XI.

Martia Roma triplex, Equitatu, Plebe, Senatu.

V.

Plebejo, inquam, *Ordini* opponitur *Equestris*, non *Plebi*. Plebis enim appellatione *sine Patriciis & Senatoribus cæteros Cives* omnes, adeoque & *Equites*, comprehendi ac significari ipse Imperator noster docet *in §. lex est 4. Inst. de J. N. G. & C.* & Jure-Consultus *in l. plebs est. 238. ff. de Verb. sign. Plebs*, ait, est *cæteri Cives, sine Senatoribus*, hoc est, (vid. Joh. Jac. Draco *de orig. & jur. Patricior. cap. 1. n. 8.*) *Patriciis* quibuslibet. Conf. Gruch. lib. *de Comit. Roman.* cap. 4.

Gellius item lib. 10. *Noct. Attic.* cap. 20. plebs, inquit, *ea dicitur in qua* gentes Patriciæ *non insunt*; quæ dum solæ excluduntur, *Equites* includi, hoc est, *plebe* contineri, evidens est. Id quod clarissime edixit Livius *lib. 5. cap. 4.* ibi: *auspiciis differebat* Plebs, inque ea Equestris Ordo, *a Patriciis & Senatu*. Et Inscriptio illa aræ Narbonensis apud Grüter. *n.* 229. ibi: ad quam quotannis IX. Kal. Octobr. —— tres. *Equites. a. plebe.* &. *tres. libertini.* hostias. singulas. immolent.

Apud Salustium quoque *de Rep. ordin.* In *duas* partes ego Civitatem divisam arbitror, ait Mæcenas, in *Patres* & *Plebem*. Nec non in *l. 2. §. 20. ff. de O. J.* perpetua est totius Civitatis in *Plebem* & *Patres*, tanquam *duas partes* integrantes & totum exhaurientes, *bimembris partitio*; ubi etiam *§. 26. utrumque corpus* vocantur. Imo Festus P. Valerium Consulem ex *Plebe* CLXIV. allegisse in numerum Senatorum scribens, *Plebis* vero *Ordinem* potius *Equestrem*, quam *reliquos Plebejos* aperte designat: ex isto siquidem *Ordine* Senatus suppleri solebat, in tantum, ut *Seminarium Senatus* ea re audiret; quomodo vocavit Imperator Alexander Severus, apud Lampridium, & Perseus Macedonum Rex, apud Livium *lib.* 43. de quo add. Sigon. *lib. 2. de antiq. Jur. Civ. Roman.* cap. 2. pag. 76. Lipf. *de magnitud. Rom.* lib. 4. cap. 2.

V I.

Equites nempe in *Plebe*, quatenus hæc, *Patriciis*, tanquam *gens genti*, opponitur, sicuti principio fuere, ita semper manserunt, etiam tunc, quando certum Civium Ordinem, *Equestrem* dictum & a *Plebe* non minus quam a *Senatu* diversum, constituere cœperunt. Nec enim *a gente ad Ordinem* recte argumenteris; ut nempe qui in *Equestri*, adeoque non in Plebejo est *Ordine*, idem quoque non *plebejam*, sed equestrem habeat gentem: *gentium* quippe *triplici*, uti *Ordinum*, haud facta, sed *duplici* semper retenta *divisione*. Qua ratione evenit, ut splendidissimis ex Ordine Equestri *gens* tamen non alia quam *plebeja*, ipsique *gentis* intuitu *vere plebeii* fuerint. Id quod agnoscens M. T. *Cicero*, majoribus licet *Equitibus* Romanis, imo per Tullum Atium, Volscorum Regem,

atavis editus Regibus, *suam Tulliorum* familiam, tamquam *plebejam*, a *Tulliorum Longorum*, utpote *Patricia*, Servium Tullium, Romanorum Regem, laudante Auctorem, cordate distinguere haud dubitabit in *Bruto*: confer. Sigon. *de nominib. Rom.* c. 6. ubi & Ciceron. diserte *plebejum* vocat.

Cum tempore tamen & *tertia gentium* species, uti a *Patriciis*, ita & ab *aliis plebeiis* discreta, accessisse videtur, *Equestrium* nomine. Atque ita accipimus, quod idem *Tullius*, se non *plebejo*, sed *Equestri loco* seu familia ortum dixit, in prima *Agrar.* & in *Orat. contra P. Servil. Rull.* 1. ibi: *habeat me ipsum sibi documento, quem* Equestri ortum loco, *Consulem videt*. Suetonius item Augustum, *Equestri familia*; Tacitus lib. 6. *Annal.* cap. 15. Vinicium patre atque avo Consularibus, cætera *Equestri* familia fuisse. Nimirum *Equestrem* appellant *familiam*, subjicit, ista recitans Sigonius *d. lib.* 2. *cap.* 3. in qua multi honores exstiterant: dignitas tamen Equestris, quod nos addimus, a majoribus accepta perdurarat.

M. Jacobus Angelus Scarparia, uti Andr. Scottus lib. 4. *Tullian. quæst.* cap. 2. vel de Scarparia, uti Gesnerus in *Bibliothec.* eum vocat, & quem Fr. Fabritius Marcodar. *in epist.* 2. *ad Lector. Histor. Cicer.* eundem cum Leonardo Aretino facit, Auctor vetus & superioris seculi Ao. qs. 40. Romæ in Bibliotheca Cœnobii D. Brigittæ in libro *de vita Ciceronis* pag. 1. & 44. habet sequentia: Tulliorum Familia, quamvis a Volscorum Rege Tullo orta, tamen procedente tempore, claritate nominis exstincta, in *nobilitatem* adusque consenuisse videtur: non utique adeo demersa, quin & Romæ *supra vulgus* emergeret ac *Equestrem locum*, qui *medius* inter Patres & Plebem habebatur, obtineret.

VII.

Interim non dissimulandum, *Equites* sive *Equestrem Ordinem*, non secus ac *Senatorium*, non *Plebejo* tantum *Ordini*, sed & *plebi* passim opponi. Ipse Cicero in *Orat. pro Milone*, Eques *Romanus unus, duo de* plebe *novi homines*: & *in Catil. ab* Equestri *Ordine quem trucidasti, a* plebe, *cui spectaculum*, &c. nec non Livius: *Consensum Senatus* Equestris Ordo *est secutus*, *Equestris Ordinis* plebs. Et *libr.* 5. ibi: *Laudare* Equites, *laudare* plebem, &c. Suetonius in *Claud. e* plebe *homo* —— *deprehensus est, reperti &* Equestris Ordinis *duo*; in *Nerone*: *Tum Senatus atque* Equestris Ordinis *pars melior & intacta perniciosis consiliis* plebs, &c. Item in *Domitiano* c. 4. ibi: *Septimontiali sacro quidem* Senatui, Equitique *panariis*, plebi *sportellis cum obsonio distributis*, &c. Plinius: annulos plane *medium ordinem* tertiumque *plebi* & Patribus inservisse. Tacitus lib. 1. *Histor.* cap. 35. *Tum vero*, inquit, *non populus tantum & imperita* plebs *in plausus & immodica studia, sed* Equitum *plerique ac Senatorum* —— *ruere intus ac se Galbæ ostentare*. Valer. Max. *lib.* 2. *cap.* 2. ibi: *Penes quos* Senatus, *&* Equestris Ordinis *& universæ* plebis *decus erat*. Alex. ab Alex. lib. 5. *Dier. Genial.* cap. 24. ibi *Domitianus etiam congiarium nummorum* CCC. Senatui *&* Equestri Ordini *panaria*, plebi *vero sportellas cum obsonio*, &c.

Nec Poetæ aliter: Martialis *lib.* 4. *epigramm.* 2.

> *Cum* plebs *&* minor ordo *maximusque*.

Ausonii versiculus jam supra in fin. *num.* 4. est recitatus. Idem Horatius innuere videtur *lib.* 1. *epist.* 1.

> *Si quadraginta sex, septem millia desunt,*
> Plebs *eris* —— ——

Et Martialis *lib.* 6. *epigr.* 26.

> *Quadringenta tibi non sunt, Cherestrate, surge.*

Confer. *Jurisprud. Heroic. in Auctuar. ad part.* 1. *art.* 1. edit. 1616. Et sic Thomas Schmith lib. 1. *de Republ. Angl.* c. 18. Romanos *populi* voce *Equites Plebemque* complexos fuisse scribit.

Omittimus plura, cum ex his abunde constet, sæpe *plebis* vocem pro solo Ordine *plebejo*, non pro omnibus illis accipi, qui plebe continentur seu *generis plebeii* sunt.

Quomodo quidem eo sensim res devenisse videtur, ut vox *plebis* non minus *Ordinem*, cui *Equester* oppositus, quam genere seu gente *plebejos*, iisque comprehensos & *Equites* denotarit: quo eodem in sensu etiam *populum* pro *plebe* dictum reperies, uti in illo Martialis lib. 8. epigr. 15.

> *Dat* Populus, *dat gratus* Eques, *dat thura* Senatus.

Salust. *de Republ. Ordin.* ibi: semperque *nobilitatis* opes diminutæ, & jus *populi*, id est, *plebis*, (sed gentem, non Ordinem significantis) amplificatum. Tacitus lib. 4. *Histor.* cap. 53. ibi: *Senatus* & *Eques*, & magna pars *Populi*, id est, *plebis*, seu *plebeii Ordinis*.

Et sequiori ævo nihil frequentius quam *populum* pro *plebe* accipi, Gallis inde hodieque *populace* dicta. Quid quod Latini etiam vocabulum *populi* generale ad unam ejus speciem, *plebem*, denotandam, adjectivo aliquo addito restrinxerunt quandoque. Sic in *Fragm.* Petronii, itaque *populus minutus* laborat &c. *minor populus* in *Capitul.* Ludov. II. Imp. tit. 2. c. 5. Gallice, *le menu peuple*. *Equestrem* autem *Ordinem* aliis vocabulis *minorem*, *medium*, *tertium*, *alterum Ordinem* dixerunt locis infra allegandis: *secundum* ipse Imperator dicit *in l.* 10. *Cod. de nupt.*

Guntherus lib. 3. *Ligur.* de Arnoldo Brixiensi loquens, sic canit:

> *Quin etiam titulos verbis renovare vetustos,*
> *Patricios recreare Viros, priscosque Quirites,*
> Nomine Plebejo *secernere nomen* Equestre.

De eodem Arnoldo Otto Frisingensis lib. 1. cap. 27. *de gestis Friderici*: *His diebus*, inquit, *Arnoldus quidam* . . . . . . *ex Ecclesiastici honoris invidia, Urbem Romam ingreditur, ac Senatoriam dignitatem* Equestremque Ordinem *renovare ad instar Antiquorum volens*, &c.

VIII.

Originem igitur & primam quasi materiam *Equestri Ordini* præbuerunt *Celeres* seu Equites, tribus, ut supra §. 3. traditum, a Romulo distincti *centuriis*, postmodum aliis sex, nec non XII. ex *primoribus Civitatis* conscriptis, aucti a Servio.

Primam quasi *materiam* diximus, sensu non alio quam quo *Celeres* illos *semina* vocant, *primordia* & *fundamenta*, Sigonius *loco* supra *cit.* Rosin. lib. 1. *Antiquit. Rom.* cap. 17. quoque ulterius *Equestrem Ordinem seminarium* esse dixit Senatus Alexander Severus supra §. 5. in fin. laudatus. Quemadmodum vero *Patricii* alii *majorum*, alii *minorum* gentium e-

erant, prout nempe vel citius, (a Romulo) vel serius, a subsequentibus Regibus & Bruto Consule, Sylla Dictatore, Julio Cæsare, Augusto & aliis Impp. in Ordinem istum adsciti fuere. Conf. Tacit. lib. XI. *Annal.* cap. 25. Dion. 54. Sigon. *d. lib.* 1. *cap.* 7. ubi Patricios *majorum* gentium, *majoris*, *minorum*, *minoris antiquitatis* interpretatur.

Ita & inter *Equites* simile obtinuisse discrimen, inde patet, quod nonnullos elogio *illustrium*, *splendidorum*, *insignium*, *primariorum*, *amplissimorum*, &c. præ cæteris ornari passim videmus: loca inferius alia occasione indicabuntur non pauca. Vid. interim Læl. Bisciola tom. 1. *Horar. subseciv. lib.* 13. cap. 12.

Illius autem generis, quos *primores Equestris gradus* cum Livio lib. 2. *Histor.* post princ. vocare liceat, rursus *Patriciorum* adinstar habitos crediderim non tantum eos, qui a *vetustioribus* ipsum per Romulum lectis Equitibus descenderunt; sed etiam iis oriundos, quos Servius Rex ex *primoribus Civitatis*, quosque Censores postea ex *patriciis familiis* adjecerunt. Cum Sigonio autem, *primores Equitum* interpretante, qui *equo publico merebantur*, tanto minus facere possum, quanto is rectius alibi omnem in Civitate Ordinem Equestrem, Senatorio oppositum, non nisi Equitibus *publicum equum habentibus* definit *d. cap.* 3. post princ. Reliqui ergo *minorum gentium* Equites erunt.

IX.

Præterea Equitum nullos appellabant *Veteres*, quorum scilicet *Pater*, *Avus* & *reliqui Majores* Equites Romani fuissent, definitore Cicerone in *Orat. pro Planc.* add. Sigon. *d. cap.* 3. pag. 82. cui consequitur, *Novos* dictos, qui *tales Majores* ciere non potuerunt, vel quorum, uti Lælius Bisciola *d. lib. cap.* 12. sub fin. explicat, Majores non *Equestris*, sed *Plebeii* fuissent Ordinis. Majus autem lumen in *illorum* quam *istorum* eluxisse *Nobilitate Equestri*, nullum dubium: unde P. Attici *perpetuo acceptam a Majoribus dignitatem Equestrem* honoris causa allegat Corn. Nepos, modo is *Vitæ ejus* est Auctor. Prout ex adverso puncturus Patricios, *Nobilitatem* plerosque eorum ex Albanis & Sabinis, *non genere nec sanguine*, sed ex *cooptatione in Patres*, habuisse aut Regibus lectos, aut, post Reges exactos, jussu populi, Canulejus Tribunus Plebis declamat apud Livium.

Quid quod vel *Plebeiis* honori duxerint qualiscunque suæ gentis *antiquitatem*. Sic Tacitus *lib.* VI. *Annal.* cap. 15. L. Cassium, quem Cæsar nepti suæ Juliæ, Germanico genitæ, maritum destinarat, a *familiæ ornamentis* laudaturus, eum dicit *plebeii* quidem *Romæ generis*, verum *antiqui* honoratique esse. Sic hodie in Frisia honoratiores existimantur Rustici, qui vetusta familia sati, &c. Et memini nonnullis in *urbibus* Cives, quamvis *plebejos*, hujus sui generis ob *antiquitatem* digniores vulgo aliis reputari, sic *Erb-Manner*, quod in Episcopatu Monasteriensi & hodie quidem valde controversum est nomen, essent *Manni*, id est, *Vasalli hæreditarii*, sive *antiquiores*.

X.

Novorum autem *Equitum* ultimi procul dubio fuerunt, non dicam *Mancipes* & *Scribæ*, hi enim inter *Publicanos* (de quibus infra) erant, Ascon. 1. *in Verr.* sed *Libertini* & *Liberti Cæsarum*, quibus hi *Equestrem dignitatem* crebro elargiebantur, ut plurimum quidem aureo illis donato annulo. Vid. Tacit. lib. 1. *Histor.* cap. 13. lib. 2. cap. 57. lib. 4. cap. 3. & 39. Xiphilin. in *Epit. rer. Roman.* Dion. Nicæi,

A ubi sub hæc tempora, inquit, Mæna a Sexto ad Cæsarem defecit, qui Cæsar Sexto reposcenti non modo non tradidit, sed eum *in honore* habuit, atque *in Equestrem Ordinem* cooptavit, *concesso ei jure aureorum annulorum*. Est autem, addit, *jus aureorum annulorum*, (a Modestino *l.* 14. *ff. de excusat. Tutor.* δίκαιον χρυσείων δακτυλίων appellatum) quod solus Princeps *Libertis* dat, propterea, quod olim, *nisi iis*, *qui Senatorii erant aut Equestris Ordinis*, annulos aureos ferre non licebat.

Immo Mago ille apud Liv. *lib.* 23. *cap.* 12. bello Punico secundo aperte, inquit, *neminem nisi Equitem*, atque eorum ipsorum Primores id gerere insi-
B gne. Add. Dion. *lib.* 48. in actis anni IↃCC XVI. ibi: *nisi Senator esset aut Eques*, Alex. ab Alexand. d. l. 3. *Genial. Dier.* cap. 26. p. 256. edit. And. Tiraquell. Sigon. lib. 2. *de antiq. jure Civ. Rom.* cap. 3. in fin. adeo, ut *donare* aliquem seu *honorare annulis* vel *aureo annulo*, &, *facere Equitem Romanum*, pro iisdem haberentur dicerenturque. Ita Suetonius in *Jul. Cæs.* cap. 33. ibi: *Existimatur etiam* Equestres census *pollicitus singulis*, *quod accidit opinione falsa*, *nam cum in alloquendo exhortandoque*, *sæpius digitum lævæ manus ostentans*, *affirmaret*, *se ad satisfaciendum omnibus*, *per quos dignitatem suam defensurus esset*, annulum *quoque æquo animo detracturum sibi*:
C *extrema concio*, *cui facilius erat videre concionantem*, *quam audire*, *pro dicto accepit*, *quod visu suspicabatur*: *promissumque* jus annulorum *cum millibus quadragenis* * *fama distulit*. Hæc Suetonius *d. l.* & cap. 39. ibi: *donatusque quingentis sestertiis &* annulo aureo *sessum in quatuordecim e scena per orchestram transiit*. Tacitus lib. 1. *Histor.* cap. 13. *Non minor*, inquit, *gratia Icelo*, *Galbæ* Liberto, *quem* annulis aureis donatum Equestri nomine Martianum *vocitabant*. Add. lib. 2. *Histor.* cap. 57. in fin. Et Juvenalis *Sat.* 7.

D *Ille & militiæ multis largitur honorem*.
Semestri vatum digitos circumligans auro.

Et *Sat.* 11.

Talibus a Dominis post cuncta novissimus exit
Annulus, *& digito mendicat Pollio nudo*.

Item Suetonius in *Aul. Vitell.* cap. 12. *A primo imperii die*, inquit, aureis donavit annulis *super cœnam*, (circumforaneum aliquem Lanistam) *cum mane*, *rogantibus pro eo cunctis*, *detestatus esset severissime talem* Equestris Ordinis *maculam*.

Usque autem adeo frequens & usitatum id tandem evasit, ut *Liberti Cæsarum*, nondum aureis licet donati annulis, attamen pari fere cum *Equiti-*
E *bus* jure gravisi, ac Provinciis, hactenus per *Equites* regi solitis, *promiscue* deinceps Liberti ab Imperatoribus præfecti sint. Vid. Tacit. lib. 5. *Histor.* c. 9. ibi: *Judæam Provinciam* Equitibus Romanis aut Libertinis permisit.

XI.

Dispescebantur denique *Equites* in *militares*, *equo publico* militari, & cæteros, *equo privato* merentes; Sigon. *d. cap.* 3. in med. sed conf. supra § 8. in fin.

F Postremo in *Urbicos* & *Municipales*; illis in Urbe domicilium erat, his in municipiis. Unde Municipales isti Equites, qualis & Ciceronis Avus, Marcus, Arpinas scil. Municeps (non ipse Cicero, qui civis Romanus) fuit, Urbicis multo inferiores habiti, usque adeo, ut, judice Petro Fabro lib. 1. *Semestr.* cap. 2. tanto minores & inferiores Romanis fuerint, quanto Decuriones Sena-

* Rescr. *quadringenis*.

natoribus, nec sine fundamentis: Equites enim Municipales (1) non fuere perfecti seu *optima lege* Cives, (*non ingenuos Cives Romanos* vocat Cicero in *Bruto*) quoniam, cum tria hæc, *domicilium*, *honores*, & *tribus* seu *suffragiorum jus*, Civem Romanum constituerent, primo Municipes caruere, curias scilicet, harum sacra & reliqua jura secum afferente. Vid. Sigon. lib. 1. *de antiq. Jure Civ. Rom.* cap. 1. & lib. 2. *de antiq. Jure Ital.* cap. 7. Quin etiam, cum quædam Municipia nec jus suffragii haberent, ex illis oriundi Equites hoc etiam caruere, & proinde imperfectiores quam illi fuerunt Cives Romani. Atque hanc forte ob caussam Poetæ Municipales istos Equites, Urbicos æmulari conatos, riserunt: uti Juvenalis *Sat.* 8.

Hic novus *Arpinas* ignobilis, *& modo Romæ*
Municipalis Eques *galeatum ponit ubique*
Præsidium attonitis, & in omni gente laborat, &c.

(2) In Album Equestre sive Matriculam Equitum non fuere relati, quippe quod hæc novorum Equitum inscriptio in sola Urbe a Censore, qui etiam publico equo & annulo donabat, atque in Ordinem Equestrem legebat, fieri soleret, non etiam in Municipiis; Senec. *lib. 3. de Benefic.* ibi: *Non potest ad hæc sumi Judex ex turba selectorum, quem* census in album *& Equestris* hæreditas *misit*. Sueton. in *Claud.* cap. 6. ibi: *non modo albo Judicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit*. Et in *Domitiano* cap. 8. ibi: Equitem Rom. *erasit* Judicum albo. Add. alleg. a Dempstero *ad Rosin. lib. 1. Antiquit. Roman. cap.* 17. ubi is quidem Municipalium Equitum conditionem nimis quam deprimit, equos publicos & albi adscriptionem iis denegans, ast nullo id, nedum idoneo, testimonio comprobatum dedit. Contra vero Tullius in *Orat. pro A. Cluent.* Equites hos Municipales *a nobilitate*, inter suos imprimis, commendat; imo Imp. Tiberius Juliæ, suæ per Germanicum nepti, Vinicium destinavit maritum, licet huic *oppidanum* (hoc est *municipale*, vid. Sigon. lib. 2. *de antiq. Jure Ital.* cap. 6.) *genus* esset, Equestri familia Calibus prognato. Sic quoque apud Gellium *lib.* 10. *cap.* 3. Gracchus M. Marium Quæstorem Sidicinum Municipalem, hominem vocat suæ civitatis *nobilissimum*. Optime omnium Imperator noster Justinianus in *Novell.* 38. *Præf.* de quibusvis inferioribus civitatibus, tam Coloniis, quam Municipiis, universe agens, in earum unaquaque, ad imitationem Urbis Romæ, *nobiles viros* (*εὐγενεῖς*) lectos olim seu adunatos esse ad curiam Senatus constituendam, &c. testatur.

Neque tamen albo suo senatuque Municipales hosce destitutos plane fuisse quis putet; illud enim quod attinet, cum omnibus collegiis, cohortibus, militibus, clericis, Sacerdotibus, curialibus, &c. &c. sua fuerint alba, quibus collegarum & sodalium inscripta nomina: *Νομικῶν tit. 2. c. 1.* & ex eo *l. 3. C. de incert. person.* haud vero est simile, honoratissimum Ordinem Equestrem albo suo caruisse. De hoc aperte testatur Tacitus *Senatorium Ordinem* Plebemque Puteolis, oppido Italiæ, Legationem ad Senatum Rom. misisse lib. 13. *Annal.* cap. 48. ubi Decuriones istos Municipales expresse Senatum dicit.

Uti quoque Equestrem Ordinem seminarium fuisse Senatus Rom. supra dictum, ita ex eodem potius quam ex Plebe Decuriones in Municipiis non minus ac Coloniis sumti videntur. Etenim Nobilibus Senatus seu curias Municipales olim adunatas scribit Imperator in *Novell.* 38. pr. & plebejos honoribus Decurionum fungi prohibitos te-

A statur JCtus *in l. 7. §. 2. ff. de Decurion.* Ne dicamus curias hasce non minus re, suo tamen modulo, quam nomine Senatum Rom. imitatas esse, *l. 33. l. 35. C. de Decurion. d. Nov.* 38. & nihil frequentius, quam ut Municipia quoque SENATVM POPVLVMQVE scripserint, Plebe & Equitibus populi nomine comprehensis.

Sed tota hæc res, imprimis quod alba ista spectat, decidi poterit, ut Dempsterus intelligatur de albo Urbano, cui equidem non fuere inscripta Equitum Municipalium nomina, sed hisce in Municipiis, præsertim in quibus notabili aliquo Equitum numero essent hi Equites, proprium suum
B fuerit album, sive idem cum albo curiæ seu Decurionum, (de quo in *l. 45. C. de Decurion.* & *tot. tit. ff. de alb. scrib.* quod respondebat albo Senatorio Urbis memorato Tacito lib. 4. *Annal. cap.* 42. fin. ibi: albo Senatorio *erasit*) sive ab eo diversum, &c.

XII.

Quantum ad *Colonias*, de iis aliud, quam de Municipiis, neutiquam erit statuendum. Præterquam enim, quod Coloniæ Municipiorum ac Coloni Municipum nomine continentur, & a JCtis,
C vid. *l. 1. ff. ad Municipal.* Livio, Cicerone, Tacito, (qui lib. 2. *Histor.* cap. 21. Colonos vocat *Municipale vulgus*) Paulo *in Pompejan. Epitom.* & nemine non; uti Gellius lib. 16. *Noct. Attic.* cap. 13. in princ. ipsemet fatetur, appellari olim sueverunt. Confer. Marc. Welser. lib. 5. *Rer. August. Vindelic.* pag. 108. & seqq.

Coloniæ Municipiis potiores etiam ac præstabiliores semper existimatæ propter amplitudinem majestatemque Populi Romani, cujus istæ Coloniæ quasi effigies parvæ simulacraque quædam esse videntur: adeo ut antiqua etiam ac præcipua quæ-
D dam Municipia in jus Coloniarum mutari gestiverint, atque id ab Imperatoribus pro magno beneficio petierint atque impetraverint, quæ quasi verba sunt Gellii *d. c.* add. Sueton. in *Octav.* cap. 46.

Si ergo Municipiis suus fuerit Equestris Ordo, eaque splendidiora reddiderit, multo magis Colonias eodem floruisse ornamento indubium est, & his verbis, quod effigies parvæ & simulacra quædam Populi Romani sint, juraque & instituta ejus omnia habeant, quamvis generaliter, attamen satis diserte, indicat Gellius *d. l.* Maxime cum ipse Imperator Justinianus in *Novell.* 28. *Præfat.* omni exce-
E ptione major testis, clarissime rescribat sequentem in modum: *Qui Rempublicam olim nobis disposuerunt, existimaverunt, oportere secundum regiæ Urbis instar* (similitudinem, *μίμησιν*) *adunare in unaquaque civitate nobiles viros & unicuique Senatus dare curiam, per quam debuissent agi, quæ publica sunt atque omnia fieri secundum ordinem*.

Sigillatim vero id probant cum ea loca, in quibus *Equitum Colonicorum* mentio; ex. gr. Ciceronis in *Orat. pro Planc.* iisdemque nunc ex Municipiis (de Coloniis sermo est) adsunt *Equites Romani*; Claudii Imperatoris, in *Orat. super Ci-*
F *vitate Gallis danda*, quam æneis tabulis Lugduni incisam recitat Pandorinus, ibi: *Ex. qua. Colonia. inter. paucos. Equestris. Ordinis. ornamentum.* &c. Taciti in *Vita Agricolæ* cap. 4. ubi socerum suum Agricolam Forojuliensi Colonia ortum ab utroque avo Equestrem nobilitatem habuisse narrat; tum plurimæ veteres Inscriptiones: Monobricensis lapidis:

II. VIRI. VNA. CVM. ORD. EQVEST. ET. POPVLO.

Lugdunensis:

DECVRIONIBVS. ORDINI. EQVESTRI. IIIIII. VIRIS. AVG.

Auguft. Vindelic. in ædibus Peutingerorum;

ÆDEM. CVM. SVIS. ORNAMENTIS. SIBI. ET. ANTONIO. ÆLIANO.
EQVITI. ROMANO. DECVRIONI. MVNIC. ÆL. AVG. &c.

Welferus *p.* 212.

XIII.

Eodem autem modo Equites facti in Coloniis feu Municipiis, quo in Urbe Roma, videntur: quod de Imperatoribus aureorum annulorum datione vel alias in Equeftrem Ordinem recipientibus Plebejos vel alios, nullum habet dubium. Et cum Cenfores quoque in Coloniis plerifque fuerint, Quinquennales dicti, uti vult Welferus *lib.* 5. pag. 101. & feq. ab iis non fecus ac in Urbe lectos fuiffe Equites, admodum eft verifimile. Nifi forte Decurionum Ordo iftac poteftate functus eft, prout idem Auguftalitatis honorem decernere confuevit, feu Auguftales facere: quorum fcilicet Equeftri geminus genuinus honor, fi non penitus idem cum illo fuit, in quam fententiam ego propendeo, haud parum inde confirmatam, quod inter Decuriones & Plebem medius Ordo Auguftalium & a tribus hifce Ordinibus Decuriones lecti fuerit, uti habet Sueffana Infcriptio:

HONOREM. DECVRIONATVS. GRATVITVM. DECREVIT. ORDO.
DECVRIONVM. ET. AVGVSTALIVM. ET. PLEBS. VNIVERSA.

Auguftalium igitur Ordo vel non alius ab Equeftri, vel Equites a creatione Decurionum exclufi, atque ita Plebe inferiores fuerunt habiti, id quod plane abfurdum; cum non modo Auguftalium non fecus ac Equeftrem Ordinem dignitatis inter Senatum & Plebem mediæ fuiffe, inter certiffima habeat Welferus *d. l.* 5. p. 104. Sed ipfis quoque VI. Viris Auguftalibus Ordo Equeftris præponatur in *alleg. Infcript. Lugdunenfis*. Et videntur Auguftalium nomen eadem accepiffe ratione, qua nonnullæ Coloniæ, præ aliis, Auguftæ nomen, quafi hic Ordo Auguftis imprimis dilectus & familiaris fuit: quorfum fpectat fupra *alleg. Orat.* Claudii Imp.

XIV.

Conftituerunt Equites Romanos quicunque Civitatem ipfam variafque Civibus dignitates elargiendi, hoc eft, omnium fummum Romana in Republica jus olim habuerunt, Reges puto, Populus, Imperatores. Et fecerunt id tum per femetipfos, feu *immediate*, tum per alios, feu *mediate*: porro vel *expreffe* & verbis, vel *tacite* & factis.

XV.

Immediate, & quidem *expreffe*, quando v. g. ipfe Imperator quofvis idoneos allegit ad fupplendum *Ordinem Equeftrem*, prout, hoc valde imminuto, Caligulam Imperatorem feciffe memorat Dio lib. 59. *Hiftor. Rom.* ibi: *Quum* Ordo Equeftris *diminutus effet, ex omni, etiam extra Italiam, Imperio multis adfinitatibus & opibus auctos primores in eum allegit.*

Sic Tiberius Imperator Maturium Sabinum non amplis facultatibus & grandem natu, annorum fere quinquaginta, ex plebe natum, ob virturem tamen & juris cognitionem eximiam, fic opinante Johanne Bertrando, Præfide Tholofano, *de JCtis* pag. 72. in *Equeftrem Ordinem* recepit, *l.* 2. *§.* 47. *ff. de Orig. Jur.* add. Henel. *de Vitis JCtor.* pag. 314. ibi: *fine divitiis. Tacite*, ex facto vel *concedentis*, vel *alterius*, vel *neutrius*.

Illuc referimus *annuli aurei dationem*, dum videlicet hifce alicui conceffis quis in Ordinem Equeftrem allectus cenfebatur. Vid. fupra *num.* x. quamvis *in l.* 1. *& feqq. ff. & C. de jure aur. annulor.* jus feu beneficium *aureorum annulorum a dignitate Equeftri* haud obfcure diftinguatur, & per *illud*, nulla Equeftris honoris mentione facta, *majorem* tantum aliquam *ingenuitatem* Liberto acquiri dicatur, ut etiam Ifidorus lib. 20. *Etymolog.* fcribat, annulos aureos folis ingenuis ferre licuiffe.

Gothofredus & alii, ut nodum hunc folvant, aliud quicquam non afferunt, nifi quod ifto *annulorum* munere fi non *veri*, faltem *quafi Equites* efficiantur. Sigonius *d. lib.* 2. *cap.* 3. in fin. ita exponit, ut, quibus a Magiftratu *annulus aureus* datus, (de his enim loquitur) non quidem *Equites*, fed eo jure effent, quo lecti a Cenforibus, cujus portio non infima, *confidere in* XIV. *gradibus*; non fecus ac alii fuerunt *Senatores*; alii eo gradu, ut *in Senatu fententiæ dicendæ jus* haberent, non tamen Senatores effent, qui *Pedarii Senatores* appellati a Gellio lib. 3. *Noct. Attic.* cap. 18. add. Tac. lib. 3. *Annal.* cap. 56. Liv. lib. 27. *Hift. Rom.* Cic. lib. 1. *ad Attic.* epift. 14. 15. &c.

Prout hodie multis in Provinciis *Landfaffii*, qui *genere Nobiles non* funt, in *Comitiis* tamen provincialibus fuffragii feu fententiæ dicendæ jus obtinent, æque ac Nobiles five Equeftris Ordinis homines.

Annon potius, ut infpiciatur *primo*, quid fenferit Imperator (nam fi v. g. Provinciæ, in quam *Eques Romanus* mitti folebat, illico præfecerit *Libertum annulis honoratum*, omnino fenfiffe ac voluiffe videtur, ut *Equeftris* in talem *dignitas* tranfiret) annulo Libertos donans? *deinde* vero, fi nimirum iftud non appareat, cum beneficia Principum latiffime interpretari nos oporteat, *l.* 3. *ff. de conftit. Princ.* add. *l.* 2. *C. de bon. vacant. cap.* 15. *de R. I. in Vito.* Grot. lib. 2. *de J. B. & P.* cap. 16. n. 12. in dubio *Equeftris* cenfebitur collata *dignitas*, modo *Libertus* cenfum habuerit congruum. Confer. Sigon. *d. l.* ubi & *Libertinos* annulo fæpe donatos refert, eo confilio, ut non *Equeftria* modo *ornamenta*, fed *jura* etiam *ingenuorum* ea largitione iis tribuerentur, inter quæ & hoc, quod tales *Imperiali cœnæ* adhiberi deinceps potuerint; prout Auguftus Imperator, neminem unquam Libertinorum *cœnæ* adhibere folitus, Mænam tamen, annulorum munere *prius affertum in ingenuitatem*, adhibuit, tefte Suetonio in *Augufto* cap. 74.

XVI.

Factum alterius inferioris fcilicet, intelligimus 1. *Cenforis*, qui Senatorem, cujus facultates ufque eo, ut Senatorio haud amplius cenfui fuffi-

ciant, fortunæ, non suo vitio decreverunt, Senatu ejecit atque hoc ipso in *Ordinem Equestrem* redegit, Rosin. lib. 7. *Antiquit. Roman.* cap. 10. Zonaras *lib.* 2.

Ita de C. Curtio, quod, possessione quadam in Volaterrano amissa, Ordinem Senatorium tueri vix possit, Cicero scribit in *epist. ad Valer.* Et Cn Fulvii, Fulvii Flacci Censoris fratris, senatu moti meminit Vellejus Paterculus lib. 1. *Histor. Rom.* cap. 10. num. 6. add. Liv. *lib.* 41. *cap.* 27. item Frontin. *lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 32. 2. *Senatoris* sive *Patricii* ad plebem se conferentis, vel *Patriciorum* tantum *jura repudiando*, vel in *gentem plebejam*, *Equestrem* tamen, (utpote de quo eminentiore plebejorum genere hic agitur) se *adoptando*. Quam in rem Octaviorum, L. Minucii Augurini, P. Clodii, Dolabellæ, &c. exempla adducunt Livius, Suetonius in *Aug.* cap. 2. Sigonius *d. lib.* 1. *cap.* 7. in fin. Et multos quoque *Senatorum*, quorum res familiaris afflicta, *filios* ac *nepotes* Dio narrat Senatoriam dignitatem non modo non appetiisse, sed ea quoque ultro se abdicasse; quæ abdicatio seu renunciatio Senatorii, simulque acquisitio *novi Equestris Ordinis* privata auctoritate fieri potuit, cum ex Equestri *transitio*, vel *reditio* in *Patricium*, publicam desideraret. Sueton. in *Augusto* cap. 2. ibi: *Ea gens* (Octavia) *a Tarquinio Prisco Rege allecta* in Senatum, *mox a Servio Tullio* in Patricias *transducta*, *procedente tempore* ad plebem *se contulit, ac rursus magno intervallo per D. Julium* in Patriciatum *rediit*. (Julius Cæsar scilicet Dictator lege Cassia, de qua Tacitus lib. 11. *Annal.* cap. 25. num. 3. Patriciorum numerum augens, adscivit in eum etiam Augustum.)

Unde hic, uti etiam ex iis, quæ mox sequentur, illud observamus, *Equestrem* dignitatem *Senatoria* & *Patricia*, tanquam *majore minorem*, contentam fuisse; ita ut, qui *hac*, citra crimen tamen, vel jussus, vel sponte sua excidisset, *illam* tamen haberet *salvam* retineretque: non secus ac numerus *binarius* continetur *ternario*, & post amissam *familiam* manet *civitas*, & post hanc *libertas*, *§.* 2. *& seq. Inst. de cap. deminut.* Add. *l.* 5. *§.* 2. *&* 3. *ff. de extraordinar. cognit.*

Atque sic in Germania Principes, Comites & Barones in inferiorem Ordinem, Baronum & Equestrium, se liberosve suos redigere quandoque sunt soliti; de quo alias plura.

XVII.

Neutrius denique *factum*, sed naturalis quidam ætatis defectus, in causa est, ut *Eques Romanus* usque ad legitimos annos sit, qui *Senatoria* gaudet origine, non *ætate*. Post Isidorum Sigon. *d. lib.* 2. *cap.* 3. *§. quod autem*. Et facit huc Livii locus ex *lib.* 21. *cap.* 59. ibi: *cum quinque* Equestris *Ordinis*, Senatorum *ferme liberis*, &c. qui scilicet vel propter ætatem, vel alias causas, præcedenti *§.* expositas, nondum Senatores fuere.

XVIII.

Ad eos, qui *mediate* & *expresse*, hoc est, non sua, sed *majoris alterius*; Regiæ, Populi vel Imperialis potestatis vi atque auctoritate constituerunt Equites, referendi sunt *Consules*, *Censores*, *Dictatores*, *Cæsares*, cæterique *censendi jure* potiti. Constituebantur autem ab his *Equites* dato sive assignato equo publico. Vid. Liv. *lib.* 39. ibi: *neve Censor ei* equum publicum *assignaret*, &c. Cicero *Philipp.* 6. ibi: *Equit. Rom.* equo publico, &c. Sigon. *d. lib.* 2. p. 80. &c. Varro lib. 7. *de Ling. Lat.* vocat eum *mille assarium*. Prout contra, *eo ademto* Equites esse desinebant; ut & hic obtineat regula illa naturalis, nihil videlicet tam naturale esse quam eo genere quodque dissolvi, quo colligatum est, *in l.* 35. *ff. de R. J.* add. *l.* 100. *l.* 153. *ff. eod. §. ult. Inst. quib. mod. toll. oblig.*

Equus autem *publicus* opponitur *privato*, & dicitur is, qui publico & impendio comparabatur & sumtu stipendioque, una cum Equisone, seu curatore equi, alebatur & exhibebatur. Conf. *l.* 15. *ff. de re milit.* ibi: impendiis *expungitur*. Vide Gronov. lib. 3. *de Sestert.* cap. 2. pag. 273.

Equi dationem sequebatur inscriptio, de qua supra *§.* XI. Interim fuere plures censu quam equo publico Equites. Livius: *quum repente quibus* census Equestris *erat*, equi publici *non erant assignati*. Adde Gronov. *d. l.* pag. 277.

Uti de cætero ab *equis*, quibus militarunt, *Equites* dicti, & *Ordo Equester*, ita *reliquam plebem*, quæ pedibus militavit, κατ' ἀναλογίαν & discriminis ergo melioris, *Ordinem* vocare *pedestrem* quid vetaret? imo jam dudum sic vocavit, quod mirere, Historiæ Romanæ Parens, Livius *lib.* 5. a quoquam hactenus, quod sciam, haud observatum, eo tamen pertinens, ut *peditem* mereri sic esse nota videatur deficientis *dignitatis equestris*; non secus, ac olim apud Germanos nemo *Equestris militiæ* capax fuit, nisi *illorum* ex *Ordine* esset, qui hodie simpliciter *Nobiles* seu *Equestres* audiunt.

Huc spectat vetus Inscriptio, quæ *Nevidun*, Germanice *Nevis*, civitate scil. Equestrium, exstat: apud Guilliman. lib. 1. *Rer. Helvet.* cap. 9.

D. JUL. L. F. VOL. NIPHANO.

CAPITONI. BASSIANO.

EQVO. PVBLICO. HONORATO.

PRÆFECTO. FABRVM.

TRIB. MIL. COH. I. GAL.

L. JVL. BROCCHVS.

VALER. BASSVS.

FILIO.

XIX.

An num vero & *nativitate* facti sunt *Equites*? prout ex servis servos, ex liberis liberos, nasci ajunt JCti nostri, cumque iis Imperator, *in* §.4. *Inst. de jur. pers.* add. *l.* 5. *ff. de stat. hom. princ. Inst. de ingenuis*. Affirmandum utique & toties jam tum affirmavimus, quoties *Equestrem dignitatem* non modo accipi a *patre*, *avo*, cæterisque *majoribus*, sed quoque ita, & quidem quam longissime, acceptam *Equites veteres*, ac *majorum*, velut *gentium*, constituere ac proinde *optima lege* talem esse diximus supra § 8. & seq.

Inter *hanc* vero & *libertatem ingenuitatemve* notabilis in eo est differentia, quod *matris* conditionem, non patris, in *servitute* & *libertate*; *patris* vero, non matris, uti in *Civitate* & *Senatoria Patriciaque* dignitate, ita & in *Equestri* sequantur liberi. Utut de cætero nec nulla apud Romanos cum *maternæ originis*, tum omnis alius *fœmineæ cognationis*, habita fuerit ratio, si non ad constituendam vel propagandam, saltem ad stabiliendam, augendam & illustrandam nobilitatem: duo enim vincula fortius ligant quam unum, arg. *l. fin. C. de edict. D. Hadr. toll.* *l.* 1. *ff. de privileg. creditor.* & duplicata dignitas plus tribuit, quam una sola, Tiraq. *de Nobilit.* cap. 5. n. 8. Prout huic fini *aviæ*, *matris*, *avorum* & *proavorum maternorum*, *amitæ*, *consobrinorum*, &c. imagines a Tacito; imprimis lib. 2. *Annal. cap.* 27. ibi: Proavum *Pompejum*, amitam *Scriboniam*, *quæ quondam Augusti* conjux *fuerat*, consobrinos *Cæsares*, *plenam imaginibus domum ostentat*: & *cap.* 46. ibi: *claritudine* materni generis anteibat. Suetonio, Herodiano, &c. passim allegatos videbis. *l.* 1. §. 47. *ff. de Orig. jur.* add. Nolden. cap. 11. *de Nobilit.* n. 14. ibique cit.

Unde vero admodum fit simile, idem in *Equestri* servatum esse *nobilitate*: imo in *Vita Agric.* cap. 4. diserte id probat Tacitus, soceri sui, Agricolæ scilicet, *Equestrem nobilitatem* inde repetens, quod utrumque *avum*, tam *maternum* quam *paternum*, procuratores Cæs. habuerit: procur hujus generis nobilibus, & novis etiam hominibus, ut ducendo majoris nobilitatis fœminas suam magis magisque confirmare & augere satagant, consulit Malleolus in *Dial. de Nobilit.* cap 19.

Privilegii ergo singularis est, quando *materna origo* censetur, eamque sequuntur liberi, cujusmodi *in l.* 1. §. 2. *ff. ad Municipal. & de incol.* de Iliensibus dicitur, ut, qui matre Iliensi natus, eorum Municeps fiat, & plenissima immunitate

A aliisque ipsis concessis privilegiis (vid. *l.* 17. §. 1. *ff. de excusat.* add. Sueton. in *Claud.* cap. 25.) fruatur: Delphensibus quoque ac Ponticis concessum fuisse tradunt, ut, qui ex *matre* Delphensi vel Pontica natus, Ponticus & Delphensis dictus sit filius. Et Gothofredus *ad d. l.* 1. annotat, in nonnullis Galliæ locis obtinere consuetudinem, quam vocat *le ventre annoblit*, qua etiam *venter*, id est, *mater*, *nobilitatem* liberis præstet: *Consuetud. Trecens.* art. 8. *Senonens.* artic. 149. *Calvimont.* 5. & 11. Similisque in Campania vigere dicitur consuetudo, qua *mater sola nobilitet.* Vid. Connan. lib. 11. *Commentar. Jur. Civil.* B cap. 11.

Singulare quoque est, quod in Civitate Lovaniensi de certis familiis dicitur, ut e quibus uxorem ducens, licet ipse *ignobilis* sit, liberos tamen procreet & posteros relinquat Nobiles, Vernul. in *Histor. Acad. Lovaniens.* Lips. in *Lovan.* lib. 2. cap. 3. Et in universum moribus Germanorum, etiam antiquissimis, (vid. Tacit. lib. 11. *Annal.* cap. 16. & seq. ubi jam tum inter Germanos Principum nobilitatem *maternis* quoque *avis* illustriorem redditam observat) *nobilitatis* non a patre tantum, sed & a *matre* profluentis, ratio habetur, C ita, ut hæc origo ad nobilitatem, si non specie; saltem *gradu* illustriorem reddendam haud parum conferat. Vid. Bertram *de Comit. concl.* 43. Nolden. *de Nobilit.* cap. 8. §. 59. Malleol. *de Nobilit.* cap. 19. Limnæ. lib. 6. *de I. P.* cap. 5. n. 62. & lib. 9. cap. 12. n. 58.

Notandum quoque hodie Principes, Magnates & Heroes, Nobiles & Reges in suis insigniis miscere quandoque *insignia familiæ matrum*, perinde ac patrum, nomina quoque familiarum retineri *per mulieres*, perinde ac per masculos, &c. quæ D verba sunt Tholosani lib. 7. *de Rep.* cap. 11. nu. 90. Quem morem ipsis nostris Imperatoribus haud improbari ex eo patet, quod illi propriis datis codicillis conjunctionem illam seu unitionem paternorum & maternorum insignium nonnunquam diserte concesserunt, uti factum a Carolo V. diplomate eam in rem dato, exstante in *Jurisprudentia heroica*. Et novi Virum nobilissimum, cujus uxor *avi* potius *materni*, quam patris, nomen VV. de T. etiam publice atque in ipsis nuptiarum solennibus, præferre amavit; quod quidem exem- E plo prorsus novo fieri tantum non omnibus tunc visum, sed tamen antiquissimo satisque illustri firmare id atque tueri licet, Sabinæ scilicet Poppææ, quæ patre T. Ollio genita nomen *avi materni* sumsit illustri memoria Poppæi Sabini, consulari & triumphali decore præfulgentis: vid. Ta-

cit. lib. 13. *Annal.* cap. 45. pr. nostra autem matrona avum habebat maternum, non fratris tantum sui & Majorum, sed proprio quoque decore præfulgentem.

X X.

Quod autem *Nativitatem* a cæteris *caussis constituentibus* secrevimus, ratio non alia est, quam quod *Equestrem* dignitatem *hæ* quidem de novo pro-& in familiam, antea ejus expertem, introducunt, *illa* vero jam existentem in familia *conservat*, & ad posteros propagat. Uno verbo: *illa* constituit in *uno individuo*, istæ in *tota* veluti *specie*. Hoc modo teneatur, nominare de cætero aut concinnare varias istas causas per nos licebit, quomodocumque libitum cuivis fuerit.

X X I.

Constituebantur *Equites* non tantum 1. ex gentibus *plebeiis* & quidem *primoribus*, sed etiam 2. ex *patriciis*, Sigon. *d. lib.* 2. *cap.* 3. conf. supra §. XV. & XVI. & infra §. XXV. 3. utrisque tamen *ditioribus*, non minorem scilicet quam 400. HS festertium quadringentorum millium, censum, quem Andr. Alciatus in *Commentar. ad.* 237. *ff. de V. S.* decem fere millium aureorum nostratium, Lipsius autem lib. 4. *de magnitud. Rom.* cap. 2. decies mille Philippicorum summam æquare putant, habentibus, qui *Equest.* inde dicitur. Insignis de hoc locus est apud Suetonium in *Jul. Cæs.* cap. 33. ibi: *Existimatur etiam* Equestres census *pollicitus singulis; quod accidit opinione falsa: nam in alloquendo exhortandoque, sæpius digitum lævæ manus ostentans, affirmaret, se ad satisfaciendum omnibus, per quos dignitatem suam defensurus esset, annulum quoque æquo animo detracturum sibi: extrema concio, cui facilius erat videre, quam audire concionantem pro dicto accepit quod visu suspicabatur: promissumque jus annulorum cum* millibus quadringenis *fama distulit.* Unde & Juvenalis *lib. v. satyr.* 2.

Quadringenta dedit Gracchus *sestertia* dotem
Cornicini. —— ——

Sic Caligula multos, gradu & *opibus auctos*, ex Italia in *Ordinem Equestrem* asciviffe memoratur Dioni lib. 59. *Histor. Rom.* vid supra §. XV. add. Manut. in lib. *de Senatu Rom.* Rosin. lib. 1. *Antiquit. Roman.* cap. 17. Alex. ab Alexandro lib. 4. *Genial. Dier.* cap. 11. Læl. Bisciola tom. 1. *Horar. Subsecivar.* lib. 13. cap. 12.

Quamquam successu temporis & hic census non adeo accurate observatus sit: constat enim viros de Republica bene merentes & meritos, jure etiam Civitatis *censuque Equestri* destitutos, in hunc Ordinem tamen nihilominus cooptatos esse, id quod jam supra allegatum Masurii Sabini JCti, cujus mentio fit *in l.* 2. §. 47. *ff. de O. I.* exemplum probat. Vid. Rupert. in *Commentar. ad d. l.* add. Henel. in *ejus Vita*, ubi ipsum, utut *census Equestris expertem*, ob *virtutem* tamen & *jurisprudentiam eximiam Ordine Equestri* donatum scribit.

4 Postea non *ingenuis* tantum, sed ex *Libertinis* quoque & *Libertis*, præsertim Imperatorum, *Equestris dignitatis* portas, sequiori imprimis ævo, (nam antea *Libertini* ne quidem *milites* fieri poterant, cum sub Cn. Papirio & C. Mario demum militare Libertinos cœpisse referat Florus in *Epit. Liv. lib.* 74.) omnino patuisse, ex Historia Romana notissimum, & supra quoque jam notatum est. Quid quod Claudius Imperator *Libertos*, quos rei familiari præfecit, *sibique & legibus adæquavit*, cujus & sæpius audita vox, parem vim rerum habendam a *Procuratoribus* suis (qui plerumque erant *Liberti*, vid. Tacit. lib. 1. *Histor.* cap. 58. & lib 5. cap. 9.) ac a sese judicatarum, memorante Tacito lib. 12. *Annal.* cap. 60. add. Sueton. in *Claud.* cap. 12. prout & alias *Liberti Equitibus Romanis*, & *hi illis*, quoad ministeria, Principatus & munia, sub Imperatoribus ut plurimum sunt exæquati, Tacit. *lib.* 1. *Histor.* cap. 58. & lib. 5. cap. 9.

Interim Alexander Severus Imperator *Libertinos* nunquam in Ordinem Equestrem redegit, asserens, *Seminarium Senatorum Equestrem esse locum*, teste Lampridio in *Severo*: quomodo Sylla Dictator Senatum ex Equestri Ordine supplevit, Flor. in *Epit. Liv.* lib. 89. Lips. *de magnitud. Roman.* lib. 4. cap. 2. sic pro temporum varietate variarunt hæc talia, variantque hodienum.

X X I I.

Senatorum ornamenta, quibus præ *medio*, id est, *Equestri* Ordine gaudebant *illi*, a Tullio, in *Orat. pro A. Cluentio*, hæc enumerantur: *Locus*, auctoritas, domi splendor, apud exteras nationes nomen & gratia, *toga prætexta*, *sella curulis*, *insignia*, fasces, exercitus, imperia, Provinciæ, denique *imago* ipsa ad posteritatis memoriam tradita: quod idem & in *Orat. pro C. Rabir. Postum.* addit. Tacitus vero lib. 2. *Annal.* cap. 33. distinctos *Senatus*, ait, & *Equitum* census, non quia diversi natura, sed ut locis, ordinibus, dignationibus antistent.

Quorsum hæc? inquies, nimirum *Equestris Ordinis* sive Equitum conditio & *status*, quem in Republica Romana obtinuerunt dupliciter, adspici & considerari potest, *absolute* & *relate*. Ad *relatam* considerationem pertinent loca jam adducta: ex quibus tamen de plerisque, *formam* Equitum *absolute* seu *in se* spectatam continentibus haud difficulter judicium fieri potest.

X X I I I.

Primum vero & in genere supponendum est, *Equites* fuisse *Cives Romanos*, & quidem *secundo optima lege*, id est, omnia Civium Romanorum *jura*, *domicilii*, *tribus* & *honorum* consecutos; *municipalibus* tantummodo exceptis, qui domicilio caruerunt, seu supra §. XII. dictum. Attamen *tertio plebe*, (quæ non *Ordinis*, sed *gentis* hic involvit notionem) non *Patribus* seu *Patriciis* comprehensos. Quamquam *quarto* his *Ordinis dignitate proximi* fuerint, adeoque hactenus *plebem* inter ac *Senatum medii*. In Cicero *pro Domo*: Proximus *est huic* (Senatui) dignitate *Ordo Equester*, &c. Appianus: de *Equitum* etiam, qui *medii inter Senatum & plebem* sunt interjecti, colligenda benevolentia cogitavit, &c. lib. 2. *de Bello Civili*. Imperatores *in l.* 10. *C. de nupt.* ibi: *secundi ordinis*; intellige, post *Senatorium* vel *clarissimum*.

Unde cum aliquo tempore (*arg. l. un. C. Theod. de his qui ven. ætat.*) inferiorem in locum essent detrusi, Imperatores Valentinianus & Valens suo eos loco restituere, atque *secundi gradus* (sunt verba *l. un. C. de Equestr. dignitat.*) *in Urbe omnium*

obtinere dignitatem voluerunt. Quamvis nec tempora defuerint, quibus *Equestris Ordo* non tantum cum *Senatu* confusus prope, sed *hic illi* subjici visus est, Senatusque *dignitate sola*, Equester autem Ordo *potentia* opibusque superior fuerit, Appian. *d. l.* Plutarch. in *Vita Gracchi*, Alexander ab Alexandro d. lib. 2. *Genial. Dier.* cap. 29. in princ. Ita Cicero *Equestrem Ordinem Senatui conjunctissimum* vocat lib. 1. *ad Familiar.* epist. 8.

Censu itidem *quinto* suo proprio, & a *plebe* (secundum illud Senecæ *Declam. l.* 2 census *Rom.* Equitum *a* Plebe *secernit*) & a *Senatoribus* distincto. Uti enim *bis* $\frac{m}{400}$. HS. ad $\frac{m}{1200}$. HS. extensus, vid. Sigon. *d. l.* 2. *cap.* 2. pag 86. ita *Equitibus* $\frac{m}{400}$. HS. Vid. Sueton. *d. cap.* 33. & *Plebeiis* in prima classe $\frac{m}{100}$, in secunda $\frac{m}{75}$, in tertia, $\frac{m}{50}$, in quarta $\frac{m}{25}$, in quinta $\frac{m}{11}$, in sexta denique proletariis, 1500 ac capite minutis 375. census suffecit. Vid. Sigon. *lib.* 1. *cap.* 4.

Sexto jure bonorum, eoque partim *communi* cum aliis *Plebeiis*, de quo constat ex Sigonio, Rosino, &c. partim *proprio*, nec Patriciis nec Plebeiis communicato. Et huc pertinet, quod solis Equitibus Romanis patuere (1 olim quidem *Præfectura Prætorio*, item (2) *Præfectura Vigilum*, & (3) *Augustalis Ægypti*, quam nulli, nisi *Equites Romani*, jam inde ab Imperatore Augusto obtinuerunt, *loco Regum*, uti Tacitus ait lib. 1. *Histor.* cap. 11.& Imperium, ad similitudinem *Pro-Consulum*, lege sibi datum habuerunt, *leg. un. ff. de Offic. Præfect. Augustal.* unde *Equestres Ægypto præsidentes* alibi vocat Tacitus, lib. XI. *Annal.* cap. 60. addens, *lege apud eos agi* D. Augustum jussisse, decretaque eorum perinde haberi, ac si *Magistratus Romani* constituissent.

Judæam quoque Provinciam, defunctis *Regibus* aut ad modicum redactis, Claudius Imperator *Equitibus Romanis* aut *Libertis* permisit, e quibus *Antonius Felix* per omnem sævitiam ac libidinem jus regium servili ingenio exercuit, Drusilla Cleopatræ Reginæ & Antonii nepte in matrimonium accepta, ut ejusdem Antonii Felix progener, Claudius Imperator nepos esset, verba iterum recitamus Taciti lib. V. *Hist.* cap 9.

Ut (4) alias *Provincias*, quibus itidem *Equites* præfici soliti, taceamus. Vid. Strabo lib 17. *Geograph.* in fin. Alex. ab Alexandro lib. 2. *Genial. Dier.* cap. 59. ibique Tiraquell. in *Notis*.

Septimo insignibus (1) *aureorum annulorum*, uti a *Plebe* distincti, Plin. *lib.* XXXIII. *cap.* 2. ibi: annulli *distinxere* alterum Ordinem *a* Plebe, *&c.* Ita cum *Senatoribus* conveniebant; quos *tunica lati clavi*, id est, tunica *latis clavis* ornata, qui erant ornamenta quædam purpurea, *clavorum* speciem præbentia, tunicis attexta, seu fortasse assuta: (vid. Brisson. lib. 3. *Select. Antiquitat. ex Jure Civil.* cap. 16. Unde & passim in Jure occurrit *Tribunus Laticlavius*, hoc est, *Senatorius*, Alciat. in *Commentar. ad l.* 237. *ff. de V. S.* ita quoque Ovidius lib. 4. *Trist.* eleg. 9. pro *Senatoria dignitate* ponit *latum clavum*) pro quo *Equitibus angusti clavi* (unde *Tribunus Angusticlavius* apud Sueton. in *Othone* cap. 10.) usus fuit, ab *utroque Ordine* separavit: Vid. Lamprid. in *Alexand. Sev.* ibi: *Tum satis esse constituit, ut* Equites Romani *a* Senatoribus clavi *qualitate discernerentur*. Sigon. *d. l.* pag. 12. ubi allegat locum notabilem Velleii Paterculi, A. Ruben. lib. 1. *de Re Vestiar.* per aliquot capp.

Annulorum tamen usus postea ad alios quoque *Plebejos* pervenit, non *militum* tantum *præcipuos* & *Sacerdotes*, sed *Libertos* quoque. Vid. *tot. tit. ff. & Cod. de jure aureor. annulor. &c.*

(2) *Calceorum alutatorum* cum adsuta *lunula* &

A *quatuor corrigiis* seu *ligulis*: quod uti ornamentum *non* fuit *Equitum*, sed solorum *Senatorum* sive *Patriciorum*; vid. Balduin. *de Calc. Antiq.* cap. 8. late Alb. Ruben. lib. 2. *de Re Vestiar.* cap. 1. seqq. sic cum cæteris Plebeii *Equites*: primum quidem *peronibus*, postea & *calceis ex aluta*, sed *absque lunula* & *unam* tantum *ligulam* habentibus, usi sunt: at *mulleos* (unde Frisii & Belgæ *Mulen*, *Meulen*, dixere calceamenti speciem, quam nos *Pantoffeln*) sive *crepidas* præ reliquis *Plebeiis* peculiares habuere, antehac Senatorum proprias. Ita enim Servius *ad lib.* 8. *Æneid. Thusca calceamenta*, *& dicit* crepidas *quas primo habuere* Senatores, *post* Equites Romani, *nunc* milites. Vid. Alb. Ruben. *d. tr.* cap. 10.

B & cap. 14. Ejusdem commatis est, quod Caligula Imperator *vestis Senatoriæ* usum *Equitibus* dedit, & *spem Senatum ingrediendi*, teste Dione lib. 59. *Histor. Rom.* de quo conf. A. Gell. lib. 3. *Noct. Attic.* cap. 18. ubi *Equites* istos *Pedarios* vocat Lel. Bisciola tom. 1. *Hor. Subseciv.* lib. 13. cap. 12. pag. 984. Sigon. *d. lib.* 2. *cap.* 2. pag. 78.

XXIV.

C Huc denique spectant *octavo* alia, præter *honores*, *Equestris Ordinis jura* ac *ornamenta*, veluti (1) *Auspicia*, quibus *Plebs*, inque ea *Equester Ordo*, a Patriciis & Senatu differebat. Liv. lib. 6. *Histor.* cap. 41. ibi: *Penes quos igitur sunt* auspicia *more majorum? nempe* penes Patres: *nam Plebejus quidem Magistratus nullus auspicato creatur*. Nobis *adeo propria sunt* auspicia, (verba sunt Appii Claudii Crassi) *ut non solum quos populus creat Patricios Magistratus, non aliter quam auspicato creet; sed nos quoque ipsi sine suffragio populi auspicato interregem prodamus & privatim auspicia habeamus, quæ isti ne in Magistratibus quidem habent*, &c.

D (2) *Judicia*, quæ a *Senatoribus* ad *Equites* primum transtulit C. Gracchus; & cum hi non satis *judiciorum Principatu* contenti, aperte in Senatores, etiam *extra judicia*, insultarent, atque, *muneribus capti*, ea turpiter ac immoderate acciperent, &c. (ob quam eandem causam antea *Senatus* judiciis exciderat, scilicet quod ea, ob *pecunias captas*, ut Appianus loquitur, flagrassent infamia) *utrique* postmodum *Ordini* ita communicavit *judicia* M. Julius Drusus, Tribunus Plebis, ut æqua parte penes *Senatum & Equites* essent. Tandem etiam de *Plebe* admissi, & imprimis *Tribuni Ærarii*, utpote qui ex *Plebe* fuerunt, nisi quod C. J. Cæsar ad

E *duo genera* Judicum, *Equestris Ordinis* & *Senatorii*, judicia denuo redegit; prout hæc omnia ex Appiano, Vellejo Paterculo lib. 2. *Histor. Rom.* cap. 13. & cap. 32. &c. Cicerone, Floro, Suetonio in *Jul. Cæs.* cap. 41. &c. Pædiano & aliis ordine proponit probatque Sigonius lib. 2. *de antiq. Jure Civ. Rom.* cap. 18. Ex quo pleniorem capiunt lucem tradita Taciti lib. XI. *Annal.* cap. 22. ibi: *& quanquam* Equites judicia recuperavissent, &c. & lib. XII. *Annal* cap. 80. ibi: *Semproniis rogationibus* Equester Ordo *in* possessione judiciorum *locaretur*, &c.

F Secundum illud tamen, quod Cicero ait, in judice non *dignitatem* modo, (qualis præcipue in *Senatoribus*) sed *fortunam* quoque spectari debere; non quilibet aut *quocunque censu* Equites fieri *Judices* poterant, sed tantum qui, ut Sigonius conjicit, *amplissimo*, hoc est, supra Senatorium aut Equestrem, *censu* fuissent, cujus rei ratio non est in obscuro, quin imo ex iis, quæ de *muneribus* & *corruptionibus* jam dicta, ultro patescunt.

Ejusdem generis est (3) jus *loci* vel *subsellii* (*Stallum*, v. g. in choro, hodie vocant) in theatris. Quamvis enim *Equites* & *reliqua Plebs* pro-

miscue, *Senatoribus* tantum solis discretis, antea spectassent, deinceps tamen *Equites* etiam *a reliqua Plebe seorsim* consederunt in *quatuordecim gradibus* sive subselliis, idque *lege theatrali*, cujus primus auctor Julius Cæsar aut Augustus, nam *Juliam* appellat Plinius *l.* 33. *cap.* 2. ibi: *Hac de causa constitutum, ne cui id jus esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri avoque paterno* sestertia quadringenta census *fuisset*, *ex* Lege Julia Theatrali *in* quatuordecim ordinibus *jus sedendi*: quamque retentam sub Nerone, seu magis renovatam, testatur Petronius in *Satyr.*add. Scholiastes Juven. *ad vers.* 324. *Sat.* 14. ibi: *bis septem Ordinibus*, id est, *gradibus*, *Equitum Romanorum*.

Cujus graduum distinctionis primus auctor L. Rosc. Otho fuit, ut tradit L. Flor. vid. Dempster. *in Paralip. ad Rosin. Antiq. Rom. l.* 5. *cap.*23. Vellej. Paterc. l. 2. *Hist. Rom.* cap.32. ibi: *Et Otho Roscius Lege sua Equitibus loca in theatro restituit*, pro quo tamen Just. Lipsius & Jac. Schegkius legendum rectius putant, *loca in theatro instituit*. Conf.Plin. *lib.* 7. *cap.* 30. Cic. *Phil.* 2. add. Sigon. lib. 2. *de Jure Civ. Roman.* cap. 19. Quod factum anno V. C.686. uti ex Antonio Augustino annotavit Dempsterus *d. l.* ita ut Roscia Lege *Equites quatuordecim gradibus* illis assignatis a Senatu & Plebe distincti fuerint, Sen. lib. 3. *de Benef.* cap. 9. add. Sigon. *dict. lib.* 2. *cap.* 10.

(4) *Immunitas*, eaque non tantum *a prosecutionum formidine*, uti loquuntur Imperatores Valentinianus & Valens, *in l. un. Cod. Theod. de Equestr. dignit.* hoc est, specierum fiscalium, auri, animalium, &c. *leg.* 1. *&* 2. *Theod. ne operæ a collat.* add. *leg. un. Cod. de aur. publ. persecut. leg.* 47. *ff. de curs. publ. leg.* 12. *seq. ff. de susceptor.* sed ab *indictionibus* quoque, quæ vel ipsum manent Ordinem *Senatorium*, *dict. leg. un.* ibique Jac. Gothofredus.

(5) Severa prohibitio Imperatoris Vitellii, *ne ludo & arena polluerentur Equites*, Tacit. lib. 2. *Histor.* cap. 63. in hoc itidem paris Senatorio cum Ordine existimationis.

Quid autem illa, scil. Oratio, quæ pro M. Othone (L.Roscium Othonem intelligit) subito & sine ulla præmeditatione effecit, cum ille *Romanos Equites*, mixtim cum *cætera Plebe*, spectare solitos, lege lata *segregasset*, ac ob id *Plebs se despectam* putans, summo odio in Othonem accensa, venientem in Theatrum maledictis ac jurgiis incessisset, contra *Equestris Ordo* declamaret, animis undique inflammatis, &c. de quo posteriori conf. Cicer. *Orat.* 23. *pro L. Muræn.* ibi: *L. Otho, vir fortis, meus necessarius*, Equestri Ordini *restituit non solum* dignitatem, *sed etiam* voluptatem, &c.

XXV.

Ut proinde, uti *dignitate* proximus, adeoque minor hic Ordo fuit Senatorio, ita *libertate* non *par* modo, quod sensit Vespasianus Imperator, (apud Suetonium *cap.*9.) sed *major* quoque ac *superior* extiterit. Non secus ac hodie *Equestris Ordo immediatus* ab iis collectis & oneribus, quibus obnoxii sunt *Senatores Imperii* in omnibus Imperii Collegiis seu Senatibus, immunitate gaudent. Ita de iis, qui sunt in Suevia, per Edictum ab Imper. Ferdinando An. 1561. datum: add. Ming. *de superiorit. territ. conclus.* 47. Besold. *de Equestr. dignit. discurs.*10. &c. ejusdem licet *honoris jurisque Senatorii* communione atque exercitio nunc quidem non gaudeat.

XXVI.

Non incongrue forsan hic quærimus, *An Equites Stipendiarii Equestris Ordinis apud Romanos fuerint*, vel omnes, vel non saltem nulli? Præmittendum vero, ut quæstionis argumentum melius intelligatur, olim apud Romanos non minus ac alias gentes ignota fuisse stipendia militaria, sed privato sumtu, ut Festus loquitur, se aluisse milites, tam equestres, quam pedestres. His tamen prius quam illis stipendium de publico constitutum & paulo quidem ante, quam Romana Civitas capta est a Gallis, circa annum V. C. 347. conf. Liv. *lib.* 4. sub fin. & *lib.* 5. in princip.

Ad Equites vero eadem liberalitas quasi triennio post pervenit, quando nimirum Vejos Romani obsidebant; tunc enim primum equis mereri Equites cœpisse scribit Livius *dict. lib.* 5. Scilicet Equestris Ordo jam dudum equos de publico habebat, quos & dandi & adimendi penes Censores jus fuit, Liv. *d. l.* Gell. lib. 4. *Noct. Attic.* c. 20. Val. Max. *lib.* 2. *cap.* 9.

XXVII.

Stipendia autem de publico eos demum accepisse memorat Livius, qui nullos habuere assignatos equos publicos, sed suis equis se militaturos promiserunt. Et hos tamen, ad quæstionem propositam ut redeam ac respondeam, non secus ac eos, quibus equi publici assignati, Equestris Ordinis fuisse, aut saltem, quod Livius diserte prodidit *allegato loco*, censum Equestrem habuisse, non dubito. Et quando alias Equitibus stipendii nomine triplum, quando ipsis Peditum Centurionibus duplum; agrorum quadragena jugera Equiti, quando vicena Pediti; centena quadragena Equiti, quando Centurioni centena, data fuissent. Conf. Erycius Puteanus *de stipend. militar.* cap. 7. 9. & 16. ut taceamus, militiæ annos in Equite denos, in Pedite vicenos fuisse: Coloniæ deductis si qs. 3000. aut plures ivere Pedites, trecentos tantum iis additos fuisse Equites, &c.

XXVIII.

Præsentis denique loci est quæstio; *An Equites Romani fuerint Nobiles*? a nemine, quod sciam, ante & post Lælium Bisciolam (tom. 2. *Hor. Subseciv.* lib. 13. cap.12.) ex professo tractata, imo ne mota quidem, vel in medium proposita. Nobis ante omnia *duo significatus* vocis *Nobilium* accurate hic distinguendi videntur.

Primum enim *Nobiles* ex usu Civitatis *Romanæ* specialiter ac *proprie* dicebantur, qui majorum suorum habuerunt imagines, Rosin. lib.1. *Antiquitat. Roman.* cap. 19. isthic *novis hominibus*, qui *suam* dumtaxat, illic *ignobilibus*, qui *nullas* plane haberent, oppositi.

Deinde *generaliter* & *universe* omnes illi audiere *Nobiles*, qui *Plebe non* continerentur, sed supra eam evecti, alias *Proceres*, *Principes*, *Primores*, *&c.* Tacit. lib. IV. *Histor.* cap. 14. ibi: *Primores gentis (scilicet Batavorum) & promtissimos vulgi*, &c. Et cap. 43. ibi: *Equestris Ordinis* virum,

sed auctoritate famaque inter *Proceres*, &c. Et cap. 54. ibi: *Primores* Galliarum, &c. Et lib. lib.II. *Annal.* cap. 19. ibi: Plebes, *Primores*, Juventus, Senes, &c. Et lib.I. *Annal.* cap.55. ibi: Ubi Segestes suasit Varo, ut se & Arminium & cæteros *Proceres* vinciret, nihil ausuram *Plebem Principibus* amotis, &c. Et cap. 57. ubi *Procerum* uxores *nobiles fœminas* vocat. Et lib.VI. *Annal.* cap. 42. ibi: qui *Plebem Primoribus* tradidit, &c. Lib. XII. *Annal.* cap. 10. ibi: *Nobilitati Plebique* scil. Parthorum, juxta intolerandam, &c. In *Vita Agricolæ*, ibi: per *Principes* factionibus & studiis trahuntur. Jul. Cæs. l. 6. *de Bello Gall.* ibi: Non solum in omnibus civitatibus atque pagis partibusque, sed pene etiam in singulis domibus factiones sunt, earumque factionum sunt *Principes*: junct. seqq. ibi: *Nobilitate* Æduorum interfecta, &c. obsidesque ab *iis Principum* filios &c. & postea sese in servitutem dicant *Nobilium*, &c.

Iisdem Romanis dicti, sive *Majorum*, sive *sua*, sive *nullis* gauderent *imaginibus*. Ita in verbis Canuleii, Tribuni Plebis, apud Livium lib. IV. *cap.* 4. ibi: Quid? hoc si polluit *Nobilitatem* istam vestram, quam plerique oriundi ex Albanis & Sabinis, non *genere*, nec *sanguine*, sed per *cooptationem in Patres* habetis.

Nobilitatis causa affertur *triplex*, *genus*, *sanguis*, & *cooptatio in Senatum*, neutra, certe non ultima, cum imaginibus quicquam habente negotii: eodemque sensu Patricios vocarunt *Nobiles*, & Patriciorum factionem *Nobilitatem*, Liv. *lib.*VI. *cap.*42. ibi: concessumque ab *Nobilitate* Plebi de Consule plebejo: a Plebe *Nobilitati* de Prætore uno, &c. *lib.*XXI. & passim: add. qui alia Auctorum collegit loca Sigon. lib. 2. *de antiq. Jure Civ. Roman* cap. 20. item Senatores *Nobiles*, & Senatum *Nobilitatem*, Ammian. Marcellin. *lib.* XVI. & *lib* XXVIII. *l.* 2. *Cod. Theod. de Nupt. ibique* Jac. Gothofred. in *Not.*

Imaginis autem jus tribuebant *Magistratus curules*, inter quos primus sive infimus fuit *Ædilitas*: unde Cicero, *Ædilis* designatus, *jus imaginis* —— adeptum se esse, ait, *in Verr. summus* & ultimus *Regia dignitas*: sic Ancus *Numæ Regis imagine Nobilis* dicitur Livio. Qua quidem ratione nostris Ducibus & Comitibus, quod obiter hic monemus, plurimæ & perpetuæ fere sunt imagines.

Nobilior autem est, qui (1) *plures* imagines, (unde Ancum Martium, *una* tantum imagine Numæ quando *Nobilem* vocat Livius, hactenus *non valde Nobilem* fuisse, innuit) (2) *honoratiores* habet; qua ratione jam laudatus Ancus Martius *Nobilissimus* fuit, quia Numæ imago *Regiæ*, hoc est, *honoratissimæ*, fuit *Nobilitatis*. Conf. Tacit lib. XI. *Annal.* cap. 16. & seq. ubi Italus Flavii filius, quia *stirpis Regiæ*, cæteros *Nobilitate anteire* dicatur, lib.XII. *Annal.* cap.37. ubi Caractaco Regi Britannico ob *Regiam* dignitatem itidem *summa* tribuitur *Nobilitas*, &c. lib. IV. *Histor.* cap. 13. ubi Julius Paulus & Claudius Civilis reliquos, etiam nobilissimos Batavos & Primores gentis, multo anteivisse propterea dicuntur, quia *Regia* fuerunt *stirpe*: cui proxima Consulum, Dictatorum, Prætorum, &c. Et hujusmodi *honoratiores imagines* origo procul dubio ac seminarium fuerunt Principum ac Procerum seu illustrium familiarum, non apud Romanos tantum, sed inter Germanos quoque & reliquos, quos illi Barbaros dixere: de quo fortassis infra & alibi plus. Et (3) maxime *paternorum Majorum imagines*, quamvis nec nulla *maternarum* seu *fœminarum* habeatur ratio: ceu supra §. XVII. jam monitum.

Hinc vero obiter nunc patet, quare *imagines* & *honores* pro *Nobilitate* dicant Latini; item *honoratos* pro *Nobilibus*, de quo alias plura.

XXIX.

Aut ergo quæstionem propositam quod attinet, *Nobiles* in priori & *peculiari*, aut in posteriori ac *vulgari* sensu accipere placet.

Si *priori* in sensu, quæstio nostra erit Domitiana, qui enim poterit *Eques*, seu *Equestri familia natus*, qua talis, hoc est, cujus Majores *nullis honoribus* functi, ullas habere *imagines*, (hoc est, imaginum ex causa *Nobilis* esse) cum *HAS sola Equestris conditio* tantum abest, ut producat, seu contineat, ut removeat potius atque excludat. Ipsum audiamus Marcum Tullium, Senatorem & Consulem Romanum, non *Equestri* modo gente, eaque ab ipsis usque Volscorum Regibus vetustissima & splendidissima, oriundum, sed *dignitatis* quoque suæ & *honoris*, si quis alius, retinentissimum cupidissimumque: Me *hominem novum* (*non Nobilem*) dicit *Orat. in Rull.* Consulem fecistis. Et paulo ante: „ Mihi quidem apud vos *de meis* „ *Majoribus*, dicendi facultas non datur, non „ quod *tales* fuerint, quales nos illorum sangui„ ne creatos, disciplinisque institutos videtis, sed „ quod laude populari & *honoris vestri* luce caruerunt. Et de Sulpitio in *Orat. pro Muræna*: „ Tua nobilitas, Sulpiti, hominibus litteratis „ notior, *populo obscurior*; (quasi diceret, *scho„ lastica* potius *Nobilitas* est, de qua Auctor Ju„ risprudentiæ heroicæ, quam *civilis*) pater enim „ fuit *Equestri loco*, avus nulla illustri laude cele„ bratus; quare ego Te semper *in nostrum nume„ rum* aggregare soleo, ut cum *Equitis Romani* es„ ses *filius*, &c. Et Octavios, qui in *Equestri Ordine* substitere, tanquam *ignobiles*, alteris Octaviis, *Nobilibus*, opponit Suetonius in *Octaviano*. Ipse Augustus, addens se nihil amplius, quam *Equestri familia* ortum, scribit, in qua & *primus Senator* pater suus fuerit.

Ex quibus & aliis similibus locis manifestum est, *Equites Romanos* non secus ac reliquos de *Plebe*, *ignobilibus* & *obscuro loco* oriundis connumerari, *Nobilibus* vero & honoratis, seu iis, qui quorumve Majores *honoribus*, hoc est, Magistratibus curulibus functi, indeque *imagines* adepti essent, non minus semper opponi, quam Proceribus seu Principibus, *Equestresque* adeo familias *Nobilibus* seu luce imaginum claris, non minus ac obscuras *Plebejorum* gentes contra distingui.

Sic apud rerum Romanarum Scriptores passim in sensu *strictiori & Romanis* quasi *proprio Nobilitatem* non minus ac Proceres, *Plebi* & consequenter, seu implicite, etiam *Equitibus* videmus opponi; imo his explicite quoque ac diserte in illo Livii *lib.* X. *cap.* 4. *Nobilitas Equitesque* Bovianum perfugerant, &c. uti & Taciti lib. IV. *Histor.* cap.43. *Equestris Ordinis* virum famaque (non ordine, gente, vel dignitate) inter *Proceres*. Qualis Avorum nostrorum memoria fuit, imo plus fuit, FRANCISCUS de SICKINGEN, tanto pectoris animique robore ac belli artium exercitatione atque potentia præditus, ut vicinos quosvis, non pares modo vel paulo potentiores, Comites puta, Civitates Imperiales, &c. sed ipsos quoque Principes ac Electores potentissimos bello lacessere haud pertimuerit, adeoque Historicis de sese non aliter, ac de magno aliquo belli Duce seu Imperatore, multa memorabilia scribendi materiam dederit. Vid. scriptum *de bello Sickingiano* inter *Scriptores Rerum Germanicarum* a Frehero editos. Quod autem *Sickingius* in sago, hoc in toga HENRI-

RICUS fuit RANTZOVIUS, LXX. arcium vel pleno vel feudali jure Dominus, Reg. Maj. Dan. Consiliarius intimus, in Ducatibus Slesvici, Holsatiæ & Dithmarsiæ Pro-Dux, Præfectus Segebergensis, &c. sequentium Librorum & Tractatuum, partim suo, partim ficto, partim nullo inscripto illis nomine, Auctor & Editor; nempe *belli Dithmarsici descriptionis & delineationis accusatæ Chersonesi Cimbricæ*, &c. *Speculi Astrologici*, &c. *de annis climactericis & Imperiorum periodis*, &c. *de rebus gestis Friderici* II. *Dan. Reg.* &c. *quatuor voluminum nativitatum*, &c. *Commentarii bellici*, &c. *Variorum Epigrammatum*, &c. &c. Cui summo inter Equestres *Rantzovio* secundus, vel sua ipsius confessione, JOACHIMUS SCHULENBURGIUS, qui scilicet ab Augusto Saxoniæ Electore interrogatus, num Romano in Imperio etiam tantis divitiis, arcibus, prædiis & fama inter sui Ordinis homines parem nosceret, respondit: unus, unus est, qui tam divitiis, arcibus, prædiis & fama, quam libris & liberis me superat, atque is est Reg. Maj. Dan. in Ducatibus Gubernator & Legatus, *Henricus Rantzovius*: verba recitamus Petri Lindenbergii in *hypotypos. arcium, palatiorum, &c. Henr. Rantzovii*, in *præf.*

CAP. XXX.

Sed a recentibus hisce atque alienis redeundum ad vetera & quidem ad *posteriorem & latiorem* acceptionem *Nobilitatis*. Ubi non dubitamus, *Equites* & esse, & recte dici *Nobiles*, hoc est, ex eo genere Civium, qui *Plebe digniores*, seu *honoratiores* ac *sublimiores*. Prout hoc omnibus illis, quæ de *Plebeii* & *Equestris Ordinis* differentia, & hujus cum *Senatorio* affinitate supra disseruimus, quæque de eadem habent Alexander ab Alexandro *d. c.* Lælius Bisciola *d. lib.* 13. *cap.* 12. consectaneum est.

Et huc pertinet, quod non minus in *Equestrem Ordinem*, quam in *Senatum*, honestissimos quosque (imo non nisi *nobilibus familiis editos plebejos*, si Bisciolæ fidere licet, de quo infra §. XXXII.) allegere consueverunt Romani, ceu ex Dione Halicarnasseo supra patuit. Add. Sueton. in *Vespasiano* cap. 9. *l. un. Cod. Theodos. de Equestr. dignit. ibique* Jacob. Gothofredus: quod *Equitibus* non minus, ac *Senatoribus*, scenicis ac gladiatoriis operis interdictum, Sueton. in *Augusto* cap. 43. conf. supra §. XXIV. in fin. quod *Equitibus Romanis illustribus*, æque ac *Senatoribus*, Ægyptum, nisi permissu Imperatoris, ingredi non permissum, Tacit. lib. 2. *Annal.* cap. 59. quod Justinianus Imperator in epistola (quam exhibet Cujacius *lib.* 10. *observat.* 2.) Titionum familiam *honestissimam* & *pernobilem* vocat: nisi illam supposititiam esse stylus Ottonum quam Justiniani ævo convenientior manifeste proderet.

CAP. XXXI.

In summa, quemadmodum utrumque hunc Ordinem non tam *libertate* inter se quam *dignitate* differre censuit Vespasianus Imperator, (apud Sueton. in *Vespasiano* d. cap. 9.) sic eadem *dignitate Equestrem Plebejo præstare* certum est, non multo aliter, ac hodie sublimem Nobilitatem distinguimus ab inferiore seu simplice, ita tamen, ut *istam* non minus ac *illam* Plebi seu *Plebeiis* anteponamus.

A Atque inde nunc liquet, quo sensu Cicero, cum se *novum* profiteretur *hominem*, hoc est, *Nobilem* esse negaret, Sulpitio tamen, ibidem *Equestri* duntaxat *familia* edito, *Nobilitatem* tribuerit, (in supra *alleg. Orat. pro Muræna*) quare item EQUESTREM *Nobilitatem* Agricolæ dixerit Tacitus, (in *Vita ejus* cap. 4.) huic scilicet competentem eo nomine, quod utrumque *avum Procuratorem Cæsarum* habuit, adeoque distinctum a *majori* sive *Senatoria* & *honoraria* eorum *Nobilitate*, quorum parentes non tale Procuratoris munus, sed *honores*, hoc est, (interprete ipso Imperatore *in* §.7. *Inst. de Jur. Nat. Gent. & Civ.*) *Magistratus Curules*
B gessissent. Ceu eadem ratione & *juridicam* seu *jureconsultoriam Nobilitatem* eorum, qui quorumve Majores de Jure responderunt & Jurisprudentiæ studio inclaruere, vocare liceret; imo jam pridem vocavit ipse Spartianus, quando, in *Vita Imperatoris Didii Juliani*, *Salvium Julianum Imperatoris* jam laudati proavum paternum bis Consulem & Præfectum Urbi fuisse scribens, mox adjicit, & *Jureconsultum* fuisse, *quod MAGIS eum NOBILEM* fecerit. Quomodo etiam Pomponius (*in l.* 2. §. 47. *ff. de Orig. Jur.*) quamvis *Patricia familia* editum, adeoque *sanguine* seu *genere jam tum nobilissimum*, nihilominus ab eo, quod *avum ma-*
C *ternum* habuerit *Tuberonem*, Juris publici & privati doctissimum, *Sulpitiumque* Severum *proavum maternum*, Jureconsultum itidem celeberrimum, non aliter laudat, ac si *per hos majores Jureconsultos*, materni quamvis generis duntaxat, *nobilior* multo & *illustrior* redditus esset. Qui Pomponii locus *haud mediocre argumentum* Zasio videtur, ad hoc, ut approbetur, *splendidis eos ornari Majoribus*, qui *a Jureconsultis nascerentur*. Utque non injuria *Doctorum liberi* (si modo parentes & *doctrina* & *dignitate* sint *illustres*) *sanguinis seriem cum gloria* recensere possint. Quod & ipsum notandum putat circa
D *Nobiles*, qui cum frequenter *legali scientiæ* operam dederant, nomen tamen *Doctoris* fastidiunt; cum tamen legalis doctrinæ lumen Nobilitati magno intervallo præluceat, quæ Zasii verba, non nostra, sunt, repetita ab Henelio in Tract. *de Vit. JCtor.*

CAP. XXXII.

Suo igitur in genere *Equites* sunt *Nobiles* suoque in sensu, etiam *qua tales*, de cætero enim quatenus *Senatoria* sunt origine, sed vel ob æta-
E tem, vel ob censum Senatorio minorem aliasve ob causas Ordinem Senatorium nondum iniissent, altero quoque ac *strictiore* in sensu *Nobiles* exsistant, hoc est, *Majorum* habeant *imagines*, cum in ipso etiam Plebejo Ordine hac ratione *Nobiles* dentur. Nempe postquam *Curules Magistratus*, antea *Patriciorum* proprios, *Plebs* nacta est, simul *imagines* ponendi easque cum *Nobilitate* posteris relinquendi jus accepit. Unde Tribuni Plebis apud Livium *lib.* VI. *cap.* 37. legem de Consulum altero ex Plebe semper creando suadentes, bene inferunt, *ex illo*, isthac scilicet lege rogata, *in*
F *Plebem ventura omnia, quibus Patricii excellant, Imperium atque honorem, gloriam belli*, GENUS, NOBILITATEM, *magna ipsis fruenda* (NB.) MAJORA *liberis acquirenda*. Sic C. Terentius Varro, Lanii filius, qui Consul ad Cannas male pugnavit, *posteros* reliquit *Nobiles*, saltem una sui imagine, & is ipse est, qui apud Livium *homines vere plebejos* a *plebeiis Nobilibus* (nec aliis utens verbis) signanter discernit, eoque viam quasi præivit Sigonio, Bisciolæ, &c. *Nobiles* in *Patricios* & *Plebejos*, (hoc nomine & *Equites* complexis) &

bos a cæteris *plebeiis ignobilibus* dividendi. Sic unus idemque homo apud Romanos esse simul poterat, perque sæpe erat, & *Plebejus*, gente scilicet, & *Eques* seu *Equestris Ordinis*, & *Nobilis*, imo *Nobilissimus*, si *plures* forte *honoratioresque* Majorum numeraret imagines.

In eo tamen *Equestris Ordinis*, quoad hanc rem, *Prærogativa* fuit, quod in ipso multo plures fuere, *Nobiles* quam in reliqua *Plebe*: nimirum quoniam *Equites* non temere ex *Plebeis quibusvis*, sed plerumque ex *Nobilibus* eorum *familiis* legebantur, imo semper id factum vult Bisciola, ac proinde *Equites omnes* fuisse *Nobiles*, concludit, dict. lib. 13. *Horar. Subsecivar.* cap. 12. §. *quarta demum*.

B Verum perpetuum id non fuisse, sed *familiis vere* etiam ac *mere plebeiis*, indigenis quidem & *Civibus Romanis* maxime, deinde etiam *peregrinis*, quos modo *corporatis* non oporteret adnecti, *lun. Cod. Theodos. ac Equestr. dignit.* add. infra *eod. Cod. de corpor.* vid. *d. l. u.*

XXXIII.

Quousque ergo verum quomodoque sit intelligendum, quod *Equites dignitate* a Senatoribus differre ex Cicerone & Tacito supra diximus, hactenus dicta declarant.

C Notabile est, quod nunc addimus, &, quam exiguum istud tandem sit factum discrimen, novo documento arguit. Virum nempe Præfectorium *Equestri* tantum *dignitate* præferri fœminæ Senatoriæ sive clarissimæ; LL. & rationes vid. ap Jac. Gothofred. *p. 1. de præcedent. cap. 5. § 33.* ille utut privatæ sit conditionis, non hæc. Unde apparet,

A *sexus* dignitatem cum *Equestri* junctam *parem Senatoriæ* fecisse, non secus ac hodie v. g. *Abbates* non Principes *Abbatissis Principibus* præponi ipsis in Comitiis Imperii nostri Germanici constat, pro quo more add. *pr. ff. de Senator*. Quæ cum ita habeant, haud mirandum adeo, Senatores ac Patricios in Equestrem sæpe Ordinem, sola quippe uti dignitate tantum non parem, ita potentia quandoque superiorem, olim se recepisse, de quo supra §. XVI.

XXXIV.

Pro coronide addimus, in Galliis olim *Equites* fuisse non alios a *Nobilibus*, adeoque nullos nisi *Nobiles*. Si enim eorum, qui aliquo sunt numero atque *honore*, hoc est, supra plebem ignobilem, *duo* tantum in omni Gallia fuerunt *hominum genera*, alterum *Druidum*, alterum *Equitum*; si tamen in eadem *Nobilitas* & *Nobiles* fuere, (uti fuerunt procul dubio) *Principes* alias & Proceres eidem Cæsari, Livio & aliis vocati, quibus plerique de *Plebe* in servitutem se dicare consueverint, & in singulis sui fuerint *Ambacti* sive *Clientes*, vid. Cæs. lib VI. & passim *de Bello Gall.* Oportet utique *Equites* hos & omnes & vel solos, vel una cum Druidibus, *Nobiles* in Galliis fuisse. Sic hodie in Germania Equites seu *Ordo Equestris* & *Nobilitas* seu *Nobiles*, Gallice *la Noblesse*, pro iisdem haberi constat.

Hodie inquam, nam duobus & pluribus abhinc seculis Equestris Ordinis nondum Nobiles erant, aut dicebantur, sed illi soli, qui alias *Illustres* audiunt, Principes inquam, Comites, Barones. &c.

F I N I S.

JOANNIS SERVILII
DE
MIRANDIS ANTIQUORUM
OPERIBUS,
OPIBUS, ET VETERIS ÆVI REBUS,
PACE BELLOQUE MAGNIFICE GESTIS
LIBRI TRES.

AD

LADISLAUM URSULUM
EQUITEM AURATUM V. CLAR.

CLARISS. ET PRÆSTANTISS.
VIRO
D. LADISLAO URSULO
EQUITI AURATO, CONSULI ANTUERPIENSI,
JOAN. SERVILIUS
S. D.



CUM arcano naturæ ductu, ac nescio quo genio incitante, in Principum favorem atque venerationem pronior fuerim semper, mirari satis nequeo, quo pacto nuper fluctuantibus clarissimis quibusdam Rebuspublicis tumultibus atque inauditis hactenus motibus, divinius quiddam atque augustius sentire de eadem re cœperim. Nam qui antea vulgare quiddam atque triviale Reipublicæ regere gubernacula putaram, sensi quam sit paucorum, ac non nisi eorum quos æquus adspexit Jupiter, officium. Quod enim videamus clarissimas Respublicas, atque adeo florentissima Regna, gravissimis motibus ac tempestatibus concuti labefactarique, tot fortunarum commutationes rerumque omnium tumultus oriri quotidie, (si quis rem vero judicii examine pensiculetur) deprehendet nihil adeo in culpa esse, quam quod civilium rerum administrationem cujuslibet esse hominis credamus: cum rerum gubernationi præesse omnium negotiorum humanorum longe sit maximum, & quod summam desideret prudentiam. Non enim simplex quædam aut communis imperandi regendique Rempublicam est ratio, neque in genere de eo præcipi potest: sed quod in omni negotio spectandum præcipitur, hic maxime locum habet: ut, quid locus, quid tempus, quid rei ratio postulet, consideremus: quæ res non tam præceptis philosophicis, quam prudentis cujuslibet Præsidis consilio, usu, atque exercitatione constat. Eadem enim præcepta in tanta ingeniorum, temporum, locorum, atque adeo rerum mutatione, ac quasi μεταμορφώσει quadam, qui citra gravem rerum humanarum ruinam consistere possint? ut nullam plane nobis admirationem mereri debeat videri, tot clarissimas Respublicas, validissimas Nationes, florentissima Imperia generali illa præceptorum, quæ de gerendis rebus præcipiunt, ratione fuisse eversas olim, atque etiamnum everti quotidie. Non enim quod quidam autumant generali quadam gubernandi ratione instructum esse oportet eum, qui recte de rebus velit statuere, sed eam, quam partim ex disputatoriis & ad contentionem paratis rationibus, partim ex civilibus & de Republica gubernanda præcipientibus legibus atque Institutis, tum ex quotidiano rerum usu collegit cognitionem atque prudentiam, solerti quodam judicio pro temporum, locorum, ingeniorum, atque rerum ratione temperare. Ut enim solertis Medici appellationem non meretur, qui omni corporis constitutioni, omni ætati, omni morbo, omni tempori eadem adhibet medicamenta, sic nec Gubernatoris industrii nomine dignus erit, qui omni pedi eundem calceum (ut ajunt) studet inducere. Quare non possum non fœlicissimas eas habere Regiones, quibus divino hoc civilis prudentiæ dono insignes Principes, Consules, atque Senatus a diis immortalibus obtigerunt. Quod si cui sibi obvenisse hoc tempore licet jactitare Regno aut Reipublicæ, certe Antverpiæ nostræ, qua toto Orbe nullam quisquam opinor hac ætate florentiorem vidit usquam, licebit maxime. Veterum fabulis proditum est, insigni quopiam munere a singulis diis olim quandam, cui donorum multitudo coacervata Pandoræ nomen indidit, honoratam: a Jove fœlicitatis munere percussam, a Pallade sapientiæ, a Mercurio solertiæ, atque item ab aliis alio: quam rem non tam inepte ac impie quis crediderit: verum hæc nostra Pandora Antverpia, qua non fœlicitate, qua non vetustate, quo non rerum successu ab eo, cui omne bonum donum referri debet acceptum, est insignita? Urbs est, sive potius totius Orbis theatrum amplissimum nobilitatis vetustate, loci situ, portuum oportunitate, ædium tam privatarum quam publicarum magnificentia super Garamantes & Indos nobilissima. Non tam legibus Lacedæmonem Lycurgus muniit, Athenas Solonis æquitas, ac hæc sanctissimarum legum atque politiarum quasi aggere quopiam validissimo obsepta est atque firmata: ut dubium non sit ejus potentiæ rerumque successui perpetuo (quod & nominis omen certo pollicetur) aliquid iri adjectum, dum sint qui earum rerum habenas prudenter (quod fœlicissimis avibus inito L. Ursuli & F. Dilphii Consulatu illi obtigisse optimi quique ac sapientissimi merito judicant) noverint temperare. Eversa est potentissima illa Romani Imperii æmula Carthago: at cui rei id potius attribuetur, quam quod nimio militaris rei studio sacrosanctarum legum, justitiæ, politicarum rerum cultum aut abjecerit aut neglexerit. Jacet & ingens Ilii poeticis carminibus decantatissimi gloria, & antiquam Tyri nobilissimi emporii fœlicitatem earundem rerum neglectus evertit, & potentissimam Romanæ Urbis monarchiam fortuna simul & prudentiæ legumque cultus deseruit. Ut taceam interim quod & nostra ætas vidit, clarissimas Respublicas quorundam temeritate, ne dicam, an civilitate, gravissima ruina turpiter pessundatas: quod futurum non fuerat, si præsenti rerum statui civiliter aliquid donare, quam pertinaciter occurrere maluissent. Tantum in rebus humanis momenti habet (quod sapientes quique præcipiunt) foro uti temporique sese cum industria quadam accommodare. Notum est super ea re Phocylidis carmen,

Καιρῷ λατρεύειν, μηδ' ἀντιπνεῖν ἀνέμοισι.

DEDICATIO.

Quam rerum moderationem, cum ditissimo Heroicarum virtutum numero, cum dii in te cumularint, quæ rectæ administrationis pars? quod boni prudentisque viri officium merito in te poterit desiderari? Non enim commemorare lubet vetustissimam Ursulæ gentis nobilitatem, clarissimaque majorum stemmata, non totius corporis prorsus Heroicam majestatem, ne aut affectibus duci vehementioribus, aut nimia rerum tuarum admiratione judicio errare videat. Admirari magis lubet, quæ omnibus sano judicio præditis in te videntur maxime suspicienda atque exosculanda: incredibilem morum suavitatem; nulli non expositam benignam atque affabilem comitatem, ingenium mire dextrum, rerum futurarum prudentiam, nusquam non sibi præsens judicium, in omni rerum genere eximium, prudentem, ac Nestoream eloquentiam, ditissimo Historiarum penore sic enutritam, sic rationum sententiarumque vibrantium ossibus ac nervis compactam, ut ipsa quodammodo Eloquentia, Prudentia, rationumque soliditas inter sese certare videantur. His omnibus autem divinus ille tenacissimæ memoriæ Thesaurus, ingenii signum præcipuum, sic subservit: ut neque Cyro ejusmodi naturæ dono clarissimo, neque Pontico illo Rege Mithridate, qui duabus & viginti Gentibus, quibus imperitabat, sine interprete jura dixit, eo nomine inferior debeas judicari. Ad hæc æquitatis studium, quam justitiam vocant, virtus in iis qui præsunt summa ac singularis, sic in te elucet atque eminet, ut etiam cæteris omnibus naturæ dotibus, quibus a diis immortalibus ad prodigium usque exornatus es, destitutus, sola hac virtutum omnium periodum absolvisse videaris. Hanc qui habet, nulla virtute cassus debet judicari. Constat enim illabefacta Aristotelis Philosophorum facile principis auctoritas ἐν δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσαν ἀρετὴν εἶναι, hoc est, *in justitia nullum non virtutis genus contineri*. Hæc omnia cum simul cum optimis quibusque ac prudentissimis, quorum non paucos nostra hæc habet ANTUERPIA, tacite in te agnoverim ac exosculatus semper fuerim, non potui mihi temperare, quin publico elogio idem aliquando facerem testatissimum, atque inter tot undiquaque his rebus tacitas congratulantium voces; solus sumta ex humanitate tua confidentia, in apertam ac liberam sententiam prorumperem. Quanquam idipsum Caroli V. Imper. Rom. semper Augusti suffragium atque calculus, dum & te, & Dilphium, civitatis hujus nostræ ornamenta præcipua, huius tantæ urbis habenis gubernandis præponeret, fecisse videatur. Qua quidem re, quid in terris aut amplius, aut augustius poterit contingere? Non quod aut ambire te, aut etiam delectari publico hoc testimonio credam, quem non hominum laudibus, sed sola virtute, recteque factorum conscientia prudenter niti audiam: sed ut gliscenti indies in pectore ex virtutis tuæ admiratione amori aliquando satisfacerem. Circumspicienti itaque mihi, atque mentem quoquoversus versanti, qua ratione huic rei occurrere possem, cum verba, quibus animi mei sententiam & affectum aperirem, deessent, obtulit se commodum memoriæ exemplorum quorundam sylvula, quam olim in vetustatis commendationem ex probatissimis quibusque Auctoribus, dum non paucos incircumspectius de ea & sentientes & loquentes ferrem iniquius, congesseram. Visum est munusculum non quidem tua virtute atque amplitudine dignum, sed quale mihi per ætatem rerumque usum dare, & quo utcunque honestissimo animi motui morem gerere licuit. Iis enim muneribus amabilem hanc tuam virtutem honoro, non quæ tu merebaris, sed quæ ipse præstare potui. Non enim libet hic verbis munusculi hujus dignitatem apud te ornare, quod non pauci maximo sibi studio habere solent, ut ne cum persuasissimum habeam ipsam C. T. summo in litteris atque hujuscemodi argumenti rebus judicio præstare, supervacaneam plane simul & inutilem operam mihi sumere videar, & audiam quod in adagiis est σαυτὸν ἐπαινεῖς ὥσπερ Ἀστύδαμας, neve dum mihi impensius placeam, multis merito displiceam. Ergo qua possum veneratione atque officio, per animi tui generositatem & dignitatem per familiæ tuæ excellentiam, per omnigenas, quibus a diis propitiis ornatus es, virtutes, precor, ut hanc δόσιν ὀλίγην τε φίλην τε, & qua neque accommodatius quid, neque magis congruum dari potest; (cum optime conveniat ut Heroum gesta, Heroi, illustrium illustri, florentis ævi, magnificorumque operum fœti, magnificentissimæ, clarissimæque urbis Consuli dedicentur) in amoris affectusque testimonium perpetuum benigne suspias, favoreque quod a T. C. studiosissimo adfertur, prosequaris. CHRISTUS Opt. Max. C. T. patriæ commodis diu servet incolumem. Antuerpiæ Idib. Aprilis.

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

LIBER TERTIUS.

JOANNIS SERVILII DE MIRANDIS ANTIQUORUM OPERIBUS, OPIBUS, ET VETERIS ÆVI REBUS, PACE BELLOQUE MAGNIFICE GESTIS,

LIBER I.

CAP. I.

De Pyramidum prodigiosissimis structuris.



RIMAM magnificentissima prodigiosissimaque Pyramidum structura, ociosa pecuniarum ostentatio, laudem quasi jure suo sibi usurpet. Appellantur autem Pyramides, quadratæ moles, flammarum in morem surgentes, nobilissima in Ægypto ædificia tantæ vastitatis, ut in quasdam earum, in cepas, allia, & caseum talentum decem millia & quingenta dicantur expensa. Rationem excidendi atque statuendi Pyramides docet Plinius hoc modo *: *Dicantur Pyramides in eadem Ægypto Regum pecuniæ ociosa ac stulta ostentatio, ne pecuniam successoribus aut æmulis insidiantibus præberent, aut ne plebs esset ociosa.* Quanquam mihi hunc circa eam insaniam luxuriantes Regum pecuniæ scopum præfixisse videantur, ut mirabilibus his structurarum molibus, tanquam sempiternis divitiarum monumentis, opum suarum perpetuam in hominum animis memoriam relinquerent. Fuere quidem initio vilioris famæ atque existimationis; sed paulatim effectum est, dum alter alteri magnificentiæ gloriam, majoribus educendis molibus, conatur præripere, ut in eam vastitatem sint evectæ, ut humanis manibus, sed deorum potentia, aut Giganteis viribus, quibus montibus montes mirabili roboris fiducia impositos in fabulis est, excrevisse viderentur, effectumque tandem ut inter clarissima, decantatissimaque Orientis miracula sacrari mererentur. In serie, ordine, numero, ac altitudine cujusque non futuri sumus curiosi, cum ultra quam numerari possint crebra sint horum miraculorum spectacula, ultraque omnem celsitudinem quæ manu fieri posset fastigiata, etiam umbrarum mensuram egressa, veluti prærupta arduaque tenebrosarum nubium procul adspicientibus impendere videantur. Ex eo autem altitudo cognoscetur, quod ad radices molis positis cacumen quadraginta passuum amplitudine vix acus tenuitatem reddere videatur. His autem ne Græcorum fabulas vanitatemque redolere credantur, nostro hoc tempore Petri Martyris in eas terras Legati opera fidem conciliavit.

* Lib. 36. cap. 12.

CAP. II.

De Chemmi Rege Ægyptio.

IN hanc vetustatis laudem admirationemque Chemmis Regis opulentia prima procedat. Hujus opus totum ex Arabicis lapicidinis constabat, altitudine ultra jugera octo eductum, quatuor angulorum paribus intervallis distinctum, quorum quodlibet ab inferiori parte jugera septem continebat, ex lapide durissimo, difficilimoque ad tractandum, sed æternum permansuro constans. Magnitudini operis trecenta sexaginta hominum millia annis viginti deputata fuere. Quanta autem fuerit operis vastitas hinc colliges, quod post trium millium quadringentorum annorum intervalla, integrum inconcussumque perstans stupore atque terrifico quodam horrore etiam ipsius Diodori Siculi id spectantis oculos perstrinxerit.

CAP. III.

De Chabræo Ægyptio Rege.

NEC sumtuosissima hac patris structura remoratus filius Chabræus, tanquam ex largissimis auri venis immensa opum vi scaturiente, simili honori studens, opulentia, structuræque artificio ex æquo cum priore certantem erexit Pyramidem, ut quemadmodum imperii, ita & gloriæ magnificentiæque paternæ hæreditatem adsumeret. Hanc ex patris opere quilibet facile æstimaverit. Evidentissimum immensæ opulentiæ argumentum, & *αἰέναον καὶ ἐπίρρεον ῥέειν τον χρύσον*, neque divites illas renascentis auri venas ulla prodigalitate exhauriri potuisse.

CAP. IV.

De Mycerina Ægyptio Rege.

MYCERINUS quoque memoranda hac Pyramidum fama totum Orbem divitiarum admiratione implevit, edocuitque quantum priorum Regum insanis sumtibus opes fuerint labefactatæ, qui eo maxime nomine locupletissimam gloriam est adsecutus, quod priorum Regum sumtibus, omnibus exhaustis regni ejus terris, tam vastum structuræ opus, aut animo concipere, aut sumtibus circumscribere non sit veritus. Erant singula latera jugerum trium ex eodem quo reliquæ Pyramides lapide, nisi quod nigro a fundamentis ad quindecim cubitos consurrexerint. Quid dicam? neque sumtu, neque altitudine, neque ar-

A tificio reliquis futura erat inferior, ni intempestiva præcoxque fati necessitas pulcherrimos magnificentissimosque conatus interventu suo diruppisset.

CAP. V.

De tribus aliis Pyramidibus a singulis Regibus prædictis uxorum nomini atque sepulturæ consecratis.

MAGNITUDINE rerum hactenus gestarum cujus merito non obstupescat animus? Ulterius tamen itum est ab iisdem B quos trium prædictarum Pyramidum auctores commemoravi. Non contenti enim hucusque profusionis habenas laxasse, nec priorum operum sumtu territi, nec opum diffidentia remorati, singuli singulis quas duxerant uxoribus, Pyramidum moles, opus artificio structuraque cum prioribus pari, omnia omnium Ægyptiorum ædificia excedens, erexere. In quibus non tam Regum impendia, quam Architectorum ingenia & artem admireris. Quanquam tertiam, minimam quidem illam, sed laudatissimam, a Rhodope meretricula, Æsopi fabularum Philosophi conserva, C meretricio quæstu opibus conquisitis, maximo miraculo constructam, Plinii secundi Historia adserat.

CAP. VI.

De Pyramide duodecim Ægypti Regum communi sepulcro.

SABBACUS Rex, deorum cultui præ cæteris omnibus deditissimus, cum sacrilegio sacerdotumque cæde invasum imperium obtinere detrectaret, (nam nisi per cæsorum cadavera sacerdotum, D viam sibi in cedendo aperiret, nocturna visa illi imperium derogabant) cumque depositis regni insignibus ad patrios fines remeans, turbatum Reipublicæ Regnique statum reliquisset, in duodecim Ægyptios totius Regni curæ transferendæ subditis occasionem dedit. Qui cum animis maxime concordibus consentientibusque quindecim annos regnum administrassent, superiorum omnium Regum gloriam, superbissimi operis ostentatione superare conantes, Pyramidem, preciosissimo lapide conspicuam, quadratam, quoquoversus ultra stadium protensam, sculpturæ artificio, operisque magnificentia, E nullis ante constructis cedentem ædificarunt, ut quos regni consensus imperiique gubernacula concordi amicitia junxissent, eosdem & fati necessitas communisque sepulturæ honor conjungerent. Quid multa? Conati sunt hac omnium ante Regum gloriam obscurare. Et ni præmatura horum dissensio opus jam cœptum interrupisset, opere, sumtu, artificio, cæteras omnes superatas, obscuriori fama gloriaque celebrari effecissent, & superare docuissent, quibus ante nil magnificentius construi posse videbatur.

CAP. VII.

F

DE VETERUM PORTENTOSI OPERIS OBELISCIS.

De Semiramide.

PYRAMIDUM narratio, similis structuræ Obeliscorum memoriam nobis subjicit, quorum opera quoque inter clarissima Orbis miracula annotantur. Quid autem sint Obelisci, cujusque rei gratia inventi constitutique sint, commodius Marcellinus explicuerit, quem loquentem audiamus: *In Urbe Roma* (inquit) *intra labra ingentia diversasque moles figmenta Ægyptiorum numinum exprimentes, Obeliscos vidimus plures, aliosque jacentes & comminutos, quos antiqui Reges, bello domitis gentibus, aut prosperitatibus summarum rerum elati, montium venis, vel apud extremos Orbis incolas perscrutantes excisos, erectosque diis superis in religione dicarunt. Estque asperrimus lapis in figuram metæ cujusdam sensim ad proceritatem consurgens excelsam, utque radium imitetur gracilescens paulatim specie quadrata, in verticem productus angustum, manu lævigatus artifici.* Primus autem Ægyptiorum Rex Methres hos instituit, qui cum ignobiliori sit fama & rerum gestarum gloria, neque multum laudis vetustati sit additurus, patietur primam hujus rei gloriam Semiramidi Assyriorum Regis Nini uxori attribui. Hæc ex Armeniorum montibus Obeliscum excisum, ad centum quinquaginta pedum mensuram porrectum, latitudine circa imas radices ad viginti quatuor pedes se protendente devexit, paulatim, ut dictum est, excrescente longitudine, latitudine se in arctum ita constringente, ut cum longitudine latitudo paulatim decrescat. Opus laboriosissimum excisu, sed quod in devehendo non parum plus difficultatis laborisque exhibuerit. Curribus innumeris per immensa locorum intervalla, montium asperas crepidines, vallium horrendos hiatus delatum, Euphrates flumen excepit, fidelique alveo concreditum Babyloniæ reddidit. Cujus quæ major gloria, quam quod in urbis celeberrimo loco eductum septem toto Orbe clarissimorum operum numero, structuræ monstrositate meruerit annumerari.

CAP. VIII.

De Obelisco Thebis consecrato.

QUIN & Thebæ i stiusmodi insigni vetustatis monimento claræ exstitere. Ad hoc opus montibus excidendum viginti hominum millia deputata dicuntur. Tantæ autem fuit vastitatis altitudinisque, ut Rex id subjecturus cum vereretur ne non machinæ, quibus in altum educebatur, ponderi sufficerent educendo, quo majus periculum Artificum indiligentiæ denunciaret, filium cacumini alligarit, insanaque molis erigendæ cupiditate, filii vitam sacrilegio quodam, periculo prostituerit, ut ejus laboris studio diligentiori cura Obeliscus, inconvulsus, nullaque ex parte labefactatus erigeretur. Insigne magnificentiæ hujus argumentum, Cambysis Regis furorem, quo splendidissima urbs in cineres liquescebat, cruentas, incendiisque imbutas manus, pulcherrimo operi pepercisse. Nec hunc tantum; habuit enim & alios duos, alterum a Smairo positum, alterum 48. cubitorum Eraphii opus.

CAP. IX.

De Ptolomæo Philadelpho.

HUJUS laudis hæreditatem sibi Ptolomæus Philadelphus, clarissimis magnificentiæ suæ insignibus, Alexandriæ positis Obeliscis vendicavit. Hic octoginta cubitos longitudine exæquabat, quem Nectabis Rex purum exciderat, tantæ molis, ut aliquando major in statuendo quam excidendo labor fuerit: quanquam Satyri Architecti ingenio major difficultatis pars sit evicta. E Nilo enim ad montium loca amplissima de-

ducebatur fossa, qua ratibus duabus in latitudinem patulis mirabili artificio deportabatur, tanta difficultate, ut ob operis laborem devehendique artificium Architectus quinquaginta talentis, præter operæ ejus designatum præmium, donatus abierit.

CAP. X.

De Pherone Ægyptio.

TE quoque hujus gloriæ communione dignissimum, Pheron, memoria complector, qui patris Sesostris defuncti cæcitatem, occulto naturæ sensu in te acceptam, magnifica hac Obeliscorum mole expiasti. Cum enim responsum redditum esset, placato ejus dei numine qui Heliopoli coleretur, urinaque mulieris quæ conjugii fœdus sanctum illibatumque coluisset adhibita, absolutissimo oculorum fruiturum officio, expertus multarum, præcipue propriæ uxoris urinam, cum oculorum vitium ratum persisteret, tandem hortulani cujusdam uxoris castitate, oculis cum tenebræ fugatæ, luxque esset reddita, dei beneficium, cujus monitu oculorum aciem receperas, duobus ingentibus Obeliscorum saxis, omnis ætatis memoria dignissimis, latitudinis octo, altitudinis cubitorum centum, rependisti. O stupendæ prodigalitatis opus, quo etiam deorum meritis te parem fore credidisti!

CAP. XI.

De Augusto Cæsare.

HUNC exterorum luxum & Roma, ne quid magni in se desiderari posset, neve cujusquam quod magnificum judicarat, expers facti esset, & si non universum, ex parte tamen est imitata. Neque enim ut Veterum labor, excidendi molestia, neque apud extremos Orbis incolas, in summorum montium jugis scrutandi angebatur difficultate, sed quos inexhaustus priscorum Regum luxus, bello domitis gentibus, aut fœliciter magnarum rerum cœptis transactis, diis superis dicarunt, evulsos tantum ad Urbem suam transtulerunt. Cujus quidem gloriæ communionem primus Augustus sibi usurpavit. Inter Romanos enim Obeliscos, singulare memoriæ elogium merebitur, qui ex Alexandriæ portu, miraculi gratia advectus Puteolos, inibique consecratus per tenebras ignibus ostensis nocturnos nautarum cursus dirigebat. Est & alterius cujusdam fama per gentes nationesque sparsa; quem sive dei reverentia, cujus nomini dicatus fixusque steterat, sive, quod verisimilius, operis magnificentia territus, nec movere, nec contrectare etiam Augustus dicitur ausus. Quem Constantinus post neglecta dei religione, operisque difficultate magnanimo pectoris robore superata, per Nili alveum Alexandriam devexit. Cum interim parandis machinamentis, navique admirandæ magnitudinis, moli devehendæ ardentissimo studio navatur opera, Principis morte (ita ut fit) omnium ardor elanguit. Tandem tamen impositus ad id fabricatæ navi, per maria, Tyberisque fluenta insusitatæ molis pondere obstupescentia, in vicum Alexandri tertio ab Urbe lapide sejunctum infertur. Hinc lapsibus impositus volubilibus, promotusque levius, per Ostiensem Portam Circo illatus est maximo. Sola post devehendi perque terras trahendi labores restabat erectio, quæ cum fieri posse humanis viribus desperaretur, inculto hominum robori temperata industria erectionis spem injecit. Pars trabes paulum erectas, quarum densitas nemorum referebat figuram, subtexunt; pars vastos innectit culmini funes; pars machinas subjicit; denique quod ait ille, opere omnis semita fervat. Quanta (dii immortales) molis vastitas, quam, post maris Tyberisque undas superatas, in altum educi posse desperatum est. Hic etiamnum reperitur jacens in Naumachia obrutus tellure, centum triginta pedum, præter basim. Cæterum uberior Reipublicæ Romanæ hujus magnificentiæ gloria contigit. Secutæ enim ætates & alios transtulerunt, quorum unius structura Martium quem vocant Campum gloria illustravit. Alterius cujusdam miraculo, Salustianis Hortis decus est additum. Quin & Augusti monumentum, duobus hujus structuræ molibus, multam vetustati gloriam conciliavit. Habuit & Vaticanum hujusce operis insigne sumtuosissimum ab Sesostridis filio Nuncoreo excisum, cujus etiam ad nostra hæc tempora usque visentibus apparere manifesta vestigia, ii, quibus res experientia patuit, scriptum reliquere.

CAP. XII.

DE URBIS ROMÆ THEATRIS.

AUFERT animum Theatrorum prodigiosissimum humani ingenii ædificium, inter mira memorandaque non infimo dignum commemorationis honore. Sed priusquam de ipso agamus, pauca quædam prælibanda sunt, ut quid sit Amphitheatrum, & cujus rei gratia exstructum, intelligatur. Theatrum igitur a Græca trahitur etymologia, dicitur enim ἀπὸ τοῦ θεάομαι, quod est *specto*, & habet hemicycli formam. Amphitheatrum autem haud dubie appellatum ἀπὸ τοῦ ἀμφὶ καὶ θεάομαι, quod est, *circumspecto*, quasi in unum juncta duo visoria. Amphitheatrum primum omnium Titum invenisse Cassiodorus est auctor. Ejus hæc sunt verba: Hoc Titi Principis potentia divitiarum profuso flumine excogitavit ædificium fieri, & cum Theatrum Hemisphærium Græce dicatur, Amphitheatrum, quasi in unum juncta duo visoria, recte constat esse nominatum, quod speciem ejus arena concludat; & ut currentibus aptum daretur spatium, & spectantes omnia facilius viderent, dum quædam prolixe rotunditas universa collegerat. Horum autem hanc tradit originem idem Cassiodorus, quem super hac quoque re audiamus: Cum agricultores feriatis diebus sacra diversis numinibus per lucos vicosque celebrarent, Athenienses primum agreste principium in urbanum spectaculum collegerunt, Theatrum Græco vocabulo visorium appellantes, quod eminus adstans turba conveniens, sine aliquo impedimento videatur. Et infra Ritus Romani sicut cætera externa ad suam Rempublicam non inutiliter trahentes, ædificium alta cogitatione conceptum magnanimitate mirabili condiderunt.

CAP. XIII.

De M. Scauro.

EXCELLENTISSIMI spiritus laudatissimæque in hujus rei structuris magnanimitatis gloriam sibi M. Scaurus vendicat, cui primam hujus gloriæ laudem inviolabilis Plinii auctoritas magnifica hac verborum commemoratione tribuit: *Marcus Scaurus* (inquiens) *in sua Ædilitate fecit opus maximum omnium, quæ unquam fuer-*

humana manu facta, non temporaria mora, verum æternitatis destinatione. Fuit autem scenæ triplicis, trecentarum sexaginta columnarum. Pars inferior scenæ de marmore fuit, media e vitro, inaudito etiam post genere luxuriæ. Summæ columnæ, imæ duodequadragenum pedum, tabulis inauratis. Cavea ipsa cepit hominum octoginta millia. Signa ærea inter columnas fuerunt tria millia numero. Opus vix humani ingenii cogitatione circumscribendum.

CAP. XIV.

De C. Curione.

HUNC tamen luxum, cui nullum insaniæ genus par videri potuit, C. Curio, qui bello civili in Cæsarianis partibus obiit, ingenio superare contendens, in funebri patris munere Theatra duo juxta fecit amplissima e ligno, cardinum singulorum versatili suspensa libramento, in quibus utrisque antemeridiano ludorum spectaculo edito, inter se aversis ne invicem obstreperent scenæ, & repente circumactis ut contra starent: postrema jam die discedente tabulis & cornibus inter se coeuntibus faciebat amphitheatrum & gladiatorum spectacula edebat, ipsum magistratum populumque Romanum circumferens. Quid miretur quis in hoc primum? inventorem an inventum? artificem an auctorem? ausum cogitare aliquem hoc an suscipere? parere an jubere? Hæc tamen omnia Curio, neque Rex, aut gentium Imperator, non opibus insignis; uti qui nihil in censu præter discordiam Principum habuerit.

CAP. XV.

De Pompejo Magno.

QUIS hic gloriæ tuæ famam sine summa invidentiæ nota transiliat? cum præcipuam in hujus operis genere laudem divitiæ tuæ sibi vendicaverint, qui mansura Theatri sede posita, ne singulis annis pro cujusque victoris libidine erigendorum struendorumque Theatrorum molestia magistratus laboraret, vanisque hujus luxus sumtibus ne quotannis Reipublicæ vires effœtæ exhaurirentur, perpetuum fama nomen ad posteros transmisisti? Cujus quanta fuerit vastitas Neronis institutum satis edocet, qui Germanorum Legatis regni sui vires ostentare cupiens, publicis ludis ad certum diem populum, quem sigillatim viritimque percensere infiniti propemodum operis fuerat, in hoc convocatum, caveæque ejus quasi gremio comprehensum, avidorum subjecit oculis. Quid non efficiant inexhaustæ Rom. opulentiæ vires, quæ eas erexere moles, quas vetustatis invidia labefactari potuisse obstupescimus, easque ea temperarunt arte, ut nihil factitium, sed omnia viva viderentur, quando sic tecta cautibus fuerit, ut præter artem additam & ipsa quoque naturalis sit visa. Cavea saxis pendentibus absidatis, juncturis absconditis in formas pulcherrimas convenerat, ut cryptas magis excelsi montis, quam aliud humanis manibus credas fabricatum. Hæc gloriæ potentiæque monumenta quos magis quam Romanos decuerunt, ut qui imperio opibusque omnium gentium superabant imperia, ac prodigiosissimis quoque ea artis humanæ structuris antecedebant.

CAP. XVI.

De Augusto Cæsare.

AB eo qui lateritiam Urbem, marmoream sumtibus suis fecerat, infinitis præterea, iisdemque clarissimis ornamentis eandem illustraverat, Theatrum maximum pulcherrimumque opus octoginta hominum millium capax constructum, miraculi quoque habendum loco quis negaverit? Ego te, licet id sub Marcelli nepotis ex sorore Octavia nomine, ut pleraque alia sub alieno, conditum sit, memoria complector, omnemque hujus laudis gloriam tibi tribuo. Hujus etiam ad hæc nostra usque tempora pars, licet vetustate igneque corrupta, inter Capitolium & Tyberim cernitur.

CAP. XVII.

De Nerone Cæsare.

DISSIMILE ex parte exemplum, ne Titulorum numerus in infinitum excrescat, his subjungendum duximus, indignissimum rati, hujus facti claritudinem, quæ summum quoque divitiarum ornamentum priori conciliat ætati, sua laude defraudari. Cupiens profusissimus Princeps Tiridatis Armeniorum Regis oculos novo atque insolito profusionis luxu perstringere, unius diei opera amplissimum hoc Theatri opus auro obduxit, & quo ante ad populi multitudinem Germanis ostendendam fuerat usus, nunc ad regni opes indicandas aureis laminis texit: sic compendio quodam potentiam opulentiamque Urbis Theatri vastitas exteris prodidit. O Imperium viris opibusque florentissimum!

CAP. XVIII.

DE PORTENTOSIS LABYRINTHORUM STRUCTURIS.

HANC antiqui ævi magnificentiam Labyrinthi portentosissimum humani ingenii opus excipiat, quorum memoria ut jam memoratis operibus ætate prior, sic hoc infinita gloriæ fama latissime per omnium gentium oras non intermoritura memoriæ buccina detonat. Quod quantum vetustatem quoque non modica laude ornaturum videtur, operis nostri mellificio adjungendum putavi.

CAP. XIX.

De Ægyptio Labyrintho.

ET Ægyptius ut ædificandi ordine prior extitit, sic priorem quoque narrationis locum sibi obtinebit. Ac sane quidem cum de hujus conditore summa controversia Doctorum ingenia gravissimis scrupulis torserit, difficile plane fuerit, quis in eam insaniam primo animo volutatam eruperit, certa opinione in tanta sententiarum varietate, litteris prodere.

Quare quæ parum ad magnificentiæ hujus commendationem attinent omissis, Veterum vestigiis insistentes, quæ verissima videbuntur, atque ad institutum cursum pertinebunt, maxime scribemus. Opus fuit hoc Labyrinthi ædificium, omnium propemodum, quæ ingenio manuque humana facta sunt, tum ob magnitudinem plus quam humanam, tum ob artificiosissimum structuræ ini-

mitabilisque artificii ingenium maxime mirandum. Duodecim aulis tecto opertis, portis altrinsecus oppositis insigne, quarum sex contiguæ Aquilonem, totidem Austrum spectabant, quas portarum propemodum innumeræ moles ad cælum usque eductæ, murusque continuus obsepiebat. Domicilia habebat partim sub terras tendentia, partim terræ solo imposita, utriusque loci tria millia quingenta. Nec vana in iis fides, cum Scriptorum ipsorum qui eum nobis depinxere diligentia, curiositasque non fama auditioneque tantum, sed & oculis hujus rei miraculum perlustraverit: quanquam subterraneorum adspectu, religionis metu abstinere sint prohibiti, ita ut hic sacerdotum ejus loci præsidum fidei aut assentiri, aut omnino magnificentissimæ rei cognitione carere sit necesse. Superiora autem, ut dixi, monstrosissimis structuris oculos mentemque ipsorum Scriptorum perstrinxerunt. Aulæ, quas supra nominavi ad conclavia; hæc rursus ad cubicula transitum præbebant, e quibus egressos solaria excipiebant, indefesso structurarum ordine, errore inextricabili exitum ingressis negantia. Eundo perlustrandoque jam fessos, pluribusque emensis cœnaculis porticibusque ad nonagenos usque gradus elatis, inexplicabilis ille viarum error, crebris itinerum ambagibus, occursibus, recursibusque meatuum, perpetuo ostiorum ordine succedente, hominum animos ludens excipit. Præter hæc omnia, densissimæ Pyramidum moles ipsius molis angulos obsepiebant. Sed præstat hæc cujusque cogitationi relinquere, ne si nimia laude a nobis celebrentur, vani, si minore quam pro merito, magnificentiæ operis detrahere videamur. Quid futurum sit denique, si his monstris monstrosiora laborem addere, cum in iis quæ hactenus sunt dicta vix fidem sim inventurus? Hoc tamen interim dicam, tantas Veterum opes tantamque potentiam exstitisse, ut quæ illi his rebus freti profusissime designarunt, nos vix animo fideque capere possimus.

CAP. XX.

De Labyrintho Cretensi.

SEcundus ab Ægyptio Cretensis fuit, quem Dædalus prioris admiratus tum amplitudinem, tum artificium in Creta erexit, non ut quemadmodum prioris auctor, vesana aut artis, aut divitiarum ostentatione se efferret: sed ut informe illud Poetis decantatum monstrum inexplicabili viarum errore retineret. Hic centesimam tantum Ægyptii partem continebat, quippe eam quæ itinerum ambages, occursus ac recursus viarum inexplicabiles complectebatur. Ægyptus enim præter Pyramidum creberrima miracula, aularum solariorumque frequentiam, multa ad structuræ ornamentum portentosissima habuit. Hujus autem Labyrinthi structura nuda, nullisque supervacuis sumtibus onerata, nisi quod dolosas illas ambages inextricabilemque Ægyptii errorem repræsentarit. Polito lapide tecti fornices concinnatique. Ipsum opus millia passuum amplius ambulationis continens, ita inter se recursibus occursibusque viarum involutis perplexisque, ut & ipse structuræ Architectus memoriæ diffidens, cum penitiora ejus Theseo comite ad abolendum infame illud Minotauri monstrum non nisi primi introitus limini filo annexo, quo vestigia regeret, quo ex profundissimo barathro in superas emergeret auras, eum penetrare sit ausus. Et hunc quamquam citissime ejus abolita sint vestigia, perpetuo gloriæ decore honorari non invidebimus.

CAP. XXI.

De Labyrintho Lemnio.

LEmnii Labyrinthi cum parcissime Auctores meminerint, quod ad reliquorum formam, ad quorum exemplar constructus erat, exigi posse videretur, nos quoque in ejus descriptione non anxiam admodum ponemus operam: præsertim cum nihil (quod equidem meminerim) præter cæterorum amplitudinem eximii habeat. Quare ejus memoria contenti, ad cæterorum exemplaria, eos, qui sagaci anxiaque cura cujusvis perfectam efflagitant descriptionem, ablegabimus.

CAP. XXII.

DE ITALICO LABYRINTHO PORSENNÆ HETRUSCORUM REGIS SEPULCHRO.

ITalicum autem monstrosissimo opere nulli omnium cedentem, quis indictum pertransierit? Sensit enim & Italia dulcem illam gloriæ nominisque propagandi titillationem, barbaricisque Regum Nationumque omnium opibus, Regum Nationumque domitrix se superari puduit. Hujus cum structuræ insania omnem omnium fabulositatem superare videatur, utemur M. Varronis verbis, quæ simul & pleniorem rei fidem conciliabunt, simul & nos ab omni vanitatis fabularumque prava suspicione absolvent. Sepultus est (inquit) Porsenna Rex Hetruriæ sub urbe Clusio, in quo loco monimentum reliquit lapide quadrato. Singula latera pedum lata tricenum, alta quinquagenum. Inque basi quadrata intus Labyrinthum inextricabilem, quo si quis improperet, sine glomere lini exitum invenire nequeat. Supra id quadratum Pyramides stant quinque. Quatuor in angulis, & in medio una. In imo latæ pedum septuagenum quinum, altæ centum quinquagenum, ita fastigiatæ ut in summo orbis æneus & petasus unus omnibus sit impositus, ex quo pendeant excepta catenis tintinnabula, quæ vento agitata longe sonitus referant, ut Dodonæ olim factum. Supra quem orbem æneum quatuor Pyramides insuper singulæ exstant, altæ pedum centenum. Supra quas uno solo quinque rursus Pyramides, quarum altitudinem Varronem adjicere puduit. Fabulæ Hetruscæ tradunt tamen, æquali fuisse altitudine cum toto opere. Quid dicam? O inconcussas regni vires, quas tantæ molis impendium non labefactarit! Sed & hic tanquam diis invidiosus præmaturo concidit exitio.

CAP. XXIII.

De sumtuosissimo Simandii Ægyptiorum Regis Sepulchro.

DIversi quidem tituli, sed rei propemodum ejusdem exemplum subjiciemus. Ex quadraginta & eo amplius quibus clara nobilisque olim fuit Ægyptus monumentis, solius Simandii Regis sepulchrum, quod cum ob claritudinem præter cætera omnia maxime Scriptorum opera enituerit, operæ pretium facere visi sumus, si dispositionem hujus structuræ attexamus. Cujus si magnitudinem vastitatemque perpendas, quas statues manus, quibus tam vasta moles educi potuerit!

A Si artificium spectes, nihil ingeniosius magnificentiusque humana industria cogitari posse fatearis erit necesse. Circuitu decem stadiorum mensuram complectebatur. In faucibus porta longitudine duo jugera, altitudine quinque & quadraginta exæquabat cubitos. Dehinc ingressis obvium se ferebat lapideum peristylium quadratum, cujus singula latera quatuor jugerum mensuram æquabant. Hoc autem animalia varia ex unico lapide sexdecim cubitorum exsculpta, sibi innitens sustinebant. Hoc prætergressos alia rursus porta, prioris similitudinem forma & magnitudine per omnia referens, (nisi quod largiore ornata erat sculptura) excipiebat. Ingressum hujus statuæ tres servabant magnitudine admirabili, unici lapidis: quarum unius sedentis pedes ad septem excrescebant cubitos. Post hanc portam & aliud erat peristylium, sculpturam arte superiore etiam magnificentius, quæ mirando artificis ingenio Regis vitæ transactæ quasi summam inspectantium objiciebat oculis. Non procul hinc domus erat columnis suspensa, cujus quodlibet latus jugera duo complectebatur. Hic sumtuosissimum regii cineris receptaculum monumentum, præter summum materiæ precium, præter insanam cujuscunque luxus prodigalitatem, aureo circulo ad trecentos sexaginta quinque cubitos extenso cubiti crassitudine circundatum. In cujus spacii complexu certa mensuræ proportione, anni, dies, astrorum motus, quid ve de iis Ægyptiorum Astrologorum observatio certaque experientia statuerat, futurumque prædixerat, continebatur. Hic & aliud prodigalitatis exemplum, quam in deum ejus loci præsidem ex aureis argenteisque metallis annuatim profuderat Simandius, cujus precii summa inibi ad ejus rei memoriam erat scripta, Minæ ter decies centena & ducenta millia millium. Quid hoc aut sumtu magnificentius, aut solerti artificis ingenio excellentius cogitari unquam poterit?

CAP. XXIV.

De Zoroastæ Bactrianorum Regis sepulchro.

ZOroastes Bactrianorum Rex armis opibusque potentissimus, qui primus Nini Assyriorum Regis tyrannidi collecto exercitu occurrere est ausus, munificentiæ, quam vivus exercuerat, pulcherrimum etiam fastigium in morte imposuit. Sepulchrum enim novem stadiorum altitudine, latitudine decem construxit, ut quem immensus hujus orbis meatus vivum non continuerat, hoc mortuum tanquam jam palmam præbentem haberet.

CAP. XXV.

De Amasi Ægyptiorum Rege.

AMasis, præter multa divitiarum suarum exempla, ædificium e solido lapide ab urbe Elephantina, Saim usque artificum industria promovit, in quo triennium totum exegerunt delectorum artificum millia duo. Ejus autem ædificii tectum extrinsecus erat unius & viginti cubitorum longitudine, latitudine quatuordecim, octo sublimitate. Hujuscemodi vastissimam molem lapideam, per tot montium præcipitia convalliumque hiatus promotam, quis est, qui inter veteris magnificentiæ exempla reponi debere neget?

CAP. XXVI.

De Ælii Hadriani Cæs. Mole.

ÆGyptiis in Pyramidum structuris non tam studio fuit ut loca munitionibus propugnaculisque obfirmarent quam ut vanam opum suarum in posterorum animis relinquerent memoriam; Utrumque autem Hadriani moles obtinuit. Siquidem & Urbi propugnaculum, auctoris vero nomini æternam divitiarum opinionem
B conciliavit. Describitur autem a Procopio hoc modo: Hadriani quondam Imperatoris sepulchrum extra Portam Aureliam jactu lapidis impositum. Primus ejus ambitus quadrati figuram habet, constat enim totus ex marmore Pario, summa Artificum diligentia exædificatus. In medio vero hujus quadrati rotunda moles adsurgit, excelsa altitudine, & tanta, ut in extrema ejus parte area sit cujus diameter vix jactu lapidis transigitur. Quam molem Belisarius occupans pro arce & præsidio contra Gotthos usus est. Erant olim in summa parte undique magnæ statuæ hominum, equorum,
C quadrigarum miro artificio elaboratæ: has partim integras milites demoliti, partim confractas in hostes dejecerunt. Hanc etiam nunc Romani Pontifices pro præsidio habent, vulgo sancti Angeli arx, dubium an vesana hominum superstitione, nominatur,

CAP. XXVII.

De Septizonio Severi.

COmmode nobis veterum monimentorum splendorem scrutantibus Severiani Septizonii, quo Imperatorum quoque cineres condebantur, memoria incidit. Erat autem Septizonium
D magna quædam moles quadrata, quæ septem quasi zonis vel columnarum ordinibus invicem superimpositis in modum quatuor porticuum ambiebatur: ita ut columnæ quanto altiores eo minores brevioresque disponerentur: in cujus medio quator parietes loculos quosdam facientes surgunt, in quorum summo vel Regum, vel Imperatorum condebantur cineres. Hujus autem adhuc superesse dicuntur tres operis ambitiosissimi velut zonæ, columnarum pulchritudine, magnificentia, altitudine spectabiles, ex quibus connectuntur. Quanta
E futura erat totius operis altitudo, si moles integra cum totis septem zonis superesset, cum tantam tres solæ hominibus admirationem extorqueant.

CAP. XXVIII.

De Mausoleo, Mausoli Cariæ Regis cineribus ab uxore Artemisia dicato.

NOn tam molis ipsius quam picturarum nobilitatis nomine, septem Orbis miraculis clarum Mausoleum mariti amori ab Artemisia uxore
F datum annumeratur. Patebat id ab Austro & Septentrione sexagenos ternos pedes. Brevius autem erat aliquanto a frontibus. Toto circuitu extendebatur pedes quadrigentos XI. Attollebatur in altitudinem viginti quinque cubitis. Columnis cingebatur XXXVI. Ab Oriente Scopæ Artificis manu cælatum, a Septentrione Bryaxis, a Meridie Timothei, ab Occasu Leocaris, tanta operis elegantia, ut inter sese Artificum manus quodammodo visæ sint concertasse. Neque hactenus satis

quatuor artificum industria visum fuit nobile, nisi quintus quoque accederet. Nam supra pteron, Pyramis altitudine inferiorem structuram æquavit viginti quatuor gradibus in metæ cacumen se contrahens. In cujus summitate quadriga marmorea, quam Pythis fecisse dicitur. Hæc universo adjecta operi, centum quadraginta pedes structuræ hujus molem evehebat. Opus immortalitatis quoque operibus merito annumerandum.

CAP. XXIX.

De Augusti Cæsaris Mausoleo.

ETiam invitus in hoc magnificentiæ genere consistere cogor, adeo certatim hujusce modi operum examina (ita ut fit) ex aliis alia sese memoriæ offerunt stilique nostri officium sibi efflagitant, quorum Augusti, quod non sibi tantum, sed Imperatoribus cognatisque omnibus commune exstruxit sepulchrum, neutiquam suo honore fraudandum videtur. Id opus in Martia Valle interque Flaminiam Viam ripamque Tyberis exstruxit. Ejus vero magnificentiam Suetonius, qui id inspexit, quod æternum id futurum putarit, scribere neglexit. Quare Cassiodorum, omnium ultimum qui de rebus Romanis scripsere, de eo audiamus necesse est, cujus hæc sunt verba: Sed mundi dominus ad potentiam suam opus extollens mirandam Romanis erigens fabricam, in Vallem Martiam tetendit Augustus. Immensa moles firmiter præcincta montibus continetur, ubi magnarum rerum indicia clauderentur. Bissena quippe ostia ad duodecim signa posuerunt. Commemoratione quoque, inquit Strabo, dignissimum est quod Mausoleum appellant, in excelsis fundatum molibus, lapide niveo, & perpetuæ viriditatis arboribus coopertum, in summum usque ad verticem, CCL. cubitorum, ad fluminis ripam coaggeratum. In cujus summo positum est Cæs. Augusti simulachrum ex ære fabricatum. Sub aggere ipso sunt ejus loculi & cognatorum & necessariorum. A tergo vero locus est mirifica continens ambulacra. In medio autem campi spacio, busti exstat ambitus, & hic ipse niveo perfectus lapide, in circuitu ferreos cancellos habens & plantatas interius præ se ferentes populos. Habet duos Obeliscos, quorum alter minor quidem, sed loco altior, qui Pinciano nunc in Colle prostratus cernitur, Lunæ, alter Soli dicatus. Is est (ut ait Plinius) Obeliscus qui in Campo Martio centum decem pedes a Mesorolide est inscriptus. Splendidissimum & hoc commemorationeque dignissimum est opus.

CAP. XXX.

DE SPLENDIDISSIMIS THERMARUM URBIS ROMÆ STRUCTURIS.

PRiusquam ab hac omni magnificentiæ genere insigni Urbe Roma cogitationis aciem removeamus, visum est ab his Pyramidum Obeliscorumque splendidissimis operibus, ad non ignobiliora ejusdem Urbis Thermarum miracula, non exigua quoque veteris illius opulentiæ argumenta, transire. Quorum principia ob vetustatem, Scriptorum opera non enituere. Quod quidem incuriosæ hominum negligentiæ tribuetur, tanti operis primum auctorem principiaque in densissimis oblivionis tenebris delitescere. Plurima sunt quorum magnificentiam miramur, obstupescimus, A veneramur, cum tamen a quo inventa constructaque sint temporum injuria nobis oblitteraverit. Hæc si Curiosorum curiosa diligentia anxia requirat, Veterum socordia, non mea castigetur negligentia. Primas tamen quæ Scriptorum admirationem meruere (ni interim nos fallat memoria) Romana magnificentia sibi vendicabit. Ut enim balnea tum privata, tum publica, omni bene institutæ Reipublicæ tribuerim, ita sumptuosissimas eas propemodumque divinas ædificiorum cœlum attingentium moles, Romanæ soli adsignaverim opulentiæ. Nam quis ita oscitanti diligentia, ne B dicam an negligentia, Veterum pace belloque res gestas est scrutatus, qui vetustissimum balneorum usum ubique sibi obvium non observaverit. Sed nos omissis quæ aut nullam aut sane perquam exiguam in se habent admirationem, ad splendidissima horum operum exempla stili nostri impetum retorqueamus. Non enim circa curiosas otiosorum hominum speculationes morari nobis est visum, sed quicquid insigne æternaque dignum memoria splendor effecit, quam possimus compendiosissima narratione memoriæ tradere. Proinde quid sibi nominis ratio velit, quæve ad has moles ædificandas ratio Imperatorum aut alioqui C divitiis clarorum hominum animos concitarit, deque magnitudine vastitateque dicemus. Thermas Græcæ originis vocabulum esse quis nescit, locaque quæ aut calentibus aquis ipsis, sive aqua fornice igneo calefacta, lavandi sudandique usum præbuerunt, vocatas? easque exstructionum insanias a luxu (quanquam non paucos qui in iis desudarunt modeste constet usos) profectas, ut his officiis popularis auræ gratissimus susurrus extorqueretur, dum in iis conveniens populi multitudo, lusibus, sudandoque animi vigorem excitat, jucundissimoque colludentium spectaculo oculos mentemque recreat, dum hyemis injuriam gratissimo D tepore levat, æstatisque injurias tectorum umbra opacitateque devitat. Privatis ergo omissis, quas vel mediocriter divites habuisse constat, Principum circa eas res luxuriantium magnificentiam dicamus, in quibus nullum neque modum, neque mensuram fuisse, ex etiam nunc exstante Diocletiani Thermarum prodigiosissima mole cui non manifestum erit? quas nec barbarica ira, nec vetustatis malevolentia, nec furaces eorum manus, qui aquæductuum reliquorumque splendidissimorum ædificiorum lapides ac marmora in privatarum ædium exstructiones asportarunt, variantesque alternantium structurarum vicissitudines, per E annos mille ducentos demoliri potuerunt: quarumque reliquiæ etiam nunc miserabiliter concisæ, universæ Italiæ palatia, magnitudine operisque sumtuositate præcedere existimantur. Tanto Veterum opes splendidiores, animi sublimiores nostris his (ne quid amplius dicam) effœtis plane temporibus, ut nec reliquias quidem animo aut sumtu, in speciosissima florentissimaque totius Orbis parte, sola propemodum vetustatis imitatrice, quisquam mille ducentorum annorum spacio interjecto, superandas aut æquandas saltem sibi existimaverit. Erant autem in his varia F & propemodum infinita loca, variis exercitiis, usibus, voluptatibusque deputata: quædam ad calefaciendas aquas circulari forma, quæ non tantum locis nihil ultra solum infimum erectis, verum etiam pensilibus calidam ministrabant, quam jam lotionibus inquinatam canales subterraneique meatus in cloacas evolvebant. Erant Apodyteria, lavantium vestes depositas servantia. Areæ amplissimæ, vastissimis circumdatæ porticibus, quas diversi coloris ingentes marmoreæ fulciebant columnæ, quarum nonnullas non sine animi stu-

A pore etiam nunc adstantes obstupescimus, nonnullas jacentes comminutasque non sine gravissimo dolore cernimus, multas pro templorum ornamentis nobilitas auferri fecit. Pavimenta vero lithostrota, diversicoloribus conspicua tessellulis, parietes marmoreis tabulis incrustati. Erant & Xysti laxissima amplitudine, porticus hibernis athletarum exercitiis deputatæ, & natatoria populi ludis deliciisque exposita, & quis credat? etiam nemora, denique nihil non magnificentiæ undique relucebat, ut merito inter Orbis miracula sacrari cum Pyramidum reliquisque Orientis miraculis superbissimis debeant. Qui autem hujusce rei gloriam hac magnifi-
B centia meruerint, jam dicere aggredior, sola nominis honorifica mentione contentus, ad ea quæ jam dicta sunt Lectoris cogitationem relegans, ex quibus operis magnitudo solerti indagatione facile perpendi poterit. Nobis quoque hæc jam satisfactura erant, nisi peculiari oratione nobilissimorum operum auctores celebrari mererentur, & instituta scribendi ratio in exempla rem digerere compelleret.

CAP. XXXI.

De Nerone Rom. Imperatore.

C AC primum quidem in tanto laudis splendore Neronis subit magnificentia, quæ non infimam hujus gloriæ portionem sibi vendicavit, immensis Thermarum ponderibus constructis, ubi post Alexandrinæ sunt positæ, quarum etiam nunc ingentes ruinas conspici vetustatis studiosi adferunt. Neronianum autem cum re nomen simul interiit, omnisque hujus munificentiæ memoria, pari affecta adflictaque calamitate in perpetuis mersa tenebris delitesceret, ni æternis credita res litteris bona fide posterorum cognitioni foret reddita. Itaque te nunc appellamus. Quod nunc conspicuus emineas, nunquam morituris Scriptorum
D monumentis acceptum referre debes. Quæ enim tu ad æternitatem construxeras, brevissimum temporis spacium ita absorpsit, ut ne nominis quidem reliquiæ vestigiaque in nostra versatura sint memoria, nisi fidissimis rerum gestarum custodibus litteris forent tradita. Tanto certiora minusque mortalitati sunt obnoxia quæ doctorum hominum scriptis posteritati traduntur, quam quæ sui admiratione splendoreque perpetuam hominum conantur eblandiri memoriam.

CAP. XXXII.

De Vespasiani filio Tito August. Cæsare.

E EAndem quoque magnificentiæ hujus splendore instigatus Titus Vesp. amor & deliciæ (quod ait ille) generis humani, divitiarum potentiæque gloriam ad posteros transmisit. Hoc tamen ejus cæterorum munificentia mirabilior, quod qui in tanta alieni continentia vixerit, ut ne concessas solitasque collationes acceperit, nemini ante se munificentia, apparatissimis largissimisque edendis miraculis, impar sit repertus. Hic etiam ille qui recordatus neminem quodam die suam in se
F sensisse liberalitatem, omni ætati memorandam vocem edidit: Amici, (inquiens) diem perdidi, triduanique Urbis incendii calamitatem multo quam ante speciosiore celebrioreque publicarum privatarumque ædium structura supplevit.

CAP. XXXIII.

De Antonino Caracalla Cæsare.

VErum tui infandum devotumque caput, cujus omnis memoria sceleratissimam fraternæ cædis detestatur impietatem, invitus memini, utpote digni qui sempiternis oblivionis tenebris sepultus, ex omni hominum memoria deturberis, cum nihil aliud quod commemorationis gratitudinem mereatur, quam quod amplissima Thermarum erexeris miracula, per totius vitæ cursum patraris. Eximium sane opus, cujus solearem cellam, ulla alia ratione, quam qua facta erat, fieri potuisse negarint Mechanici. Nam ex ære vel cupro cancelli subpositi esse dicti sunt, quibus concameratio tota credebatur tanta latitudine, ut non fieri posse latiorem mechanices peritissimi judicaverint. Quarum adhuc ingentes ruinæ cum altissimis parietibus columnisque semi-sepultis miræ & magnitudinis & pulchritudinis conspici dicuntur. Indignus plane es, cui tanti operis gloria tribuatur.

CAP. XXXIV.

De M. Agrippa.

NEque ab hoc laudis generi M. Agrippa alienus exstitit, qui non minus hic veræ laudis quam in aquæductus opere meruerit. In utroque certe perpetua nominis sui præconia invenit.

CAP. XXXV.

De Septimio Severo Cæsare.

ET te, bellicis rebus nemini ante Imperatorum inferior, Severe, orationis meæ angustiis, præclarissimorum virorum, qui hac in re nominis sui propagarunt memoriam, classi interseri patere. Non ignoro enim a quanto armorum splendore te ad Thermarum officia avocem; sed dignaberis quoque illustrissimis Principibus, qui Urbis splendorem mirabili hujus generis opere illustrarunt, adnumerari. Nihil tuæ gloriæ vetustatis derogavit invidia, quæ hujus tuæ structuræ opera infestissimo rosit dente, cum ejus memoria etiamnum recens in hominum mentibus vigeat.

CAP. XXXVI.

De Gordiano Cæsare.

AGE & Gordianum ad hanc in Urbis Romæ splendorem effusissimorum Principum classem referamus, qui præter monstrosissimam regiæ ædificationem ducentas columnas uno stilo continentis, Thermarum portentis, qualia tunc non nisi Romæ nusquam Orbis terrarum habebat, constructis, clarus etiamnum in hominum animis atque nunquam moriturus vivit.

CAP. XXXVII.

De Diocletiano Cæsare.

QUid? an ego te, prudentissime munificentissimeque Imperator Dioclea Dalmaticæ regionis urbe oriunde, indictum abire sinam? qui quo-

A vera opulentiæ tuæ exhiberes ſpectacula, neque cum Imperii Rom. inclinatione privatas opes inclinatas certiſſimis doceres argumentis, neminemque jam commemoratorum Principum validis Imperii nervis fruentium inferiorem te eſſe, mirandum in Eſquiliis Thermarum cum ſumma laude exexiſti ædificium. Cujus adhuc operis fragmenta ruinaſque noſtra hæc tempora cum admiratione venerantur; quæ talia ſunt, ut non tantum omnium Principum palatia magnitudine ſumtuque æquare, ſed etiam ſuperare ab iis, quorum oculos tanti operis ſplendor perſtrinxit, commemorentur.

B

CAP. XXXVIII.

De Cæſare Domitiano.

QUod tuæ munificentiæ in hoc laudis genere perquam tenuis ſenſus ad nos labatur, Chriſtiani nominis invidiæ, qua ſupra omnes pectoris tui violentia exarſit, non diligentiſſimæ eorum temporum curioſitati imputabis. Merito enim eorum, qui ſibi non virtute, ſed ſtructurarum inſaniis immortalitatem promittunt, opera ſempiternis oblivionis traduntur tenebris. Quare neque ego te orationis beneficio, illuſtriore fama, quam violati numinis juſtiſſimum conſilium patitur, dignabor. C Non enim Chriſtianorum calamis celebrari mereris, quorum ſanguine effera mentis tuæ rabies ſatiari non potuit. Hujus quoque rei gloria utinam æque tibi poſſit derogari, ac perverſiſſimæ mentis labe nomen tuum conſpurcari eſt proclive.

CAP. XXXIX.

De Aureliano, Conſtantino, & Novato Principibus.

D NOn ſinunt me diutius licet magnificentiſſimis operibus clariora ac diverſi generis exempla immorari. Sed ne nominis veſtri invidia, illuſtriſſimi Principes Conſtantine, Aureliane, & tu Novate, qui omnes de nomine veſtro vocatis Thermis Reip. gloriam honeſtatis, laborare videar, cum præclarorum exemplorum multitudo nos revocet, tenui ſaltem mentione honeſtabo.

CAP. XL.

DE MIRANDIS PONTIUM STRUCTURIS.

E

De Semiramide.

NOn erit hic præclariſſimum interque mirabilia Orientis opera numerati Pontis miraculum, quo Euphratis Babyloniam interfluentis ripas Semiramis omnis generis operum fœcundiſſima mulier junxit, honore ſuo fraudandum. Erat enim ſummæ difficultatis opus aut fundamenta jaci, aut jacta non ſtatim fluminis vi everti, altiſſimum limum flumine quo penitus ad fundamenta jacienda egeſto, vix ſuſcipiendo operi firmum ſolidumque ſolum reperiebatur, arenæ autem F ſubinde cumulatæ, ſaxiſque, quibus ædificii moles incubitura erat, annexæ, dum inundantiſſimi fluminis vi ob meatus obſtructos laxarentur, rapidiore quam ſi libero curſu inerant impetu undas in Pontem illidebant. Columnæ recto erant in imum fluminis itinere demiſſæ, duodenum pedum ſpacio inter ſingulas poſito, ferreis truncis, qui liquefacto plumbo atque infuſo ipſa Pontis conjuncturas compingerent, circumvinctæ: eæque ne aut violenti fluminis rapiditate, aut undarum alluvie labefactatæ everterentur, cavarenturque, anguloſis ſeptæ circummunitæque ſunt ſtructuris, in eam altitudinem extra aquas eductæ, ad quam efferveſcentis fluvii rabies perventura non credebatur; quæ omnia, ne quid magnificentiæ ſumtuumque deeſſet, immortali cedro, cypariſſo, ac palma ſummi precii lignis ad quinque in longitudinem ſtadia, in latitudinem triginta pedes conjungebantur. Opus nulli omnium, quæ ſequens edidit memoria, neque ſumtu, neque magnificentia inferius.

CAP. XLI.

De Xerxe.

GRæcorum fabulis Xerxes illuſtratiſſimus, Iſthmi Achaici anguſtiis exercitus labore perfoſſis, majoris potentiæ oſtentandæ libidine ex proximi conatus ſucceſſu inſtigatus, fretum id, quod Abydum Cherſoneſi ora ſalebroſa Helleſponto in mare procurrente disjungit, continuis ſuccedentium navium ordinibus exercitui ſuo tranabile reddidit, cujus anguſtiæ ad ulteriorem continentem ſeptem erant ſtadiorum. Jam erat exercitum tranſportaturus, cum ſævior derepente exorta maris tempeſtas, navium retinaculis partim intumeſcentis undæ vi diſruptis, partim navibus inter ſe colliſis convulſiſque, maximi laboris difficultatiſque negotium breviſſimo momento prorſus fecit irritum. Cujus injuriæ dolore exacerbatus Regis animus, potentiæ exemplo etiam ſacrilegii ſcelus cœpit adjicere, in non ſentientem Neptunum compedes mittere, acerbis conviciorum plagis ſævire, ac etiam ſi diis placet verbera inſonare; miſit enim qui trecentas plagas infligant, compedes in pelagus mittant, ac conatibus ſuis rebellem Neptunum hujuſcemodi increpatione caſtigent. O aqua amara! Dominus hoc te ſupplicio mulctat, quod nunquam male de te meriti cœptis procaciter reſtiteris. Te tamen velis nolis pedibus tranſmittam. Nec diutina mora. Nihil acerbiſſima tempeſtatis jactura moratus (mirabile viſu dictuque) navium numero pelagus denuo obtexit. O nimia potentiæ confidentia, qua non tantum exciduntur montes, vallium hiatus æquantur, ſed cui etiam ipſa rerum natura cedere cogitur!

CAP. XLII.

De Alexandro Magno.

NIhil hujus quoque potentiæ nimium fuit. Perſis in Suſidarum Pylarum anguſtiis, quas Ariobarzanes loci fretus natura, Regis adventum excepturus, inſederat, in fugam conjectis, Perſepolim urbem regionis caput, dum recentis ſtragis terror deſidi omnium animos detineret ignavia, feſtinans a Tiridate regiæ Gazæ cuſtode admonitus, plebem de regiis theſauris diripiendis conſilium inire, properavit eos relictos occupare. Ad hæc Tiridatis inſtigationes voceſque docentis expeditum eſſe iter, loca ab omni hoſtilis fraudis ſuſpicione eſſe alieniſſima, quaſi frigidam ſuffundebant. Quare cum omnem bene gerendæ rei ſpem in unica celeritate poſitam cognoſceret, equitatu tantum adſumto, immenſum iter

A unica emensus nocte, prima luce in Araxis fluminis ripis constitit. Hic nihil tanta festinatione actum cum videret, Araxe iter impediente, ni ea qua tantum itineris transmiserat celeritate, flumen quoque emetiretur, vicis qui in propinquo erant dirutis atque direptis, saxisque in fundum demersis, strenue brevissimo momento, quod multorum annorum opus laborque videri poterat, quasi Ponte obduxit, inopinatoque adventu, plebis furore conjurationeque discussis, arce regia thesaurisque ex voto potitus est.

CAP. XLIII.

De Julio Cæsare.

Libentissime Cæsarem Alexandro, fortem forti, magnificum magnifico jungimus, qui Ubiorum dediticiorum Populi Romani precibus motus, quos assiduis eruptionibus ferocissima Suevorum gens territabat, quo hostem nominis sui auctoritate ac amicitiæ opinione, qua Ubiis junctus videretur, a m leficio & injuria coerceret, omnino Rhenum sibi trajiciendum existimavit: quod quidem navibus moliri cum ignominiosum & sui & Populi Romani dignitati reputaret, etsi nimia fluminis rapiditas, latitudo ac altitudo omnem Pontis sternendi spem eripere viderentur, mirabili tamen ratione instituta, decem dierum spacio, quibus materia etiamnum rudis comportata fuerat, omni opere perfecto exercitum traduxit. Nec semel hæc quidem. Sed secundo quoque Rhenum, cujus objectu fretus secure hostis Cæsaris adspernabatur vires, Ponte quasi jugo captum Populi Romani usibus servire coegit. Tantam materiam cæsam, juncturisque contra eam fluminis rapiditatem colligatam brevissimo decem dierum spacio, is minime mirabitur, qui sexcentas triginta naves in summa omnium rerum inopia (cum materia ex Hispanis esset comportanda) incommodissimo hyemis tempore ad Britannicum bellum ab eodem constructas diligentius animadverterit.

CAP. XLIV.

De Nerva Imperatore.

Quid de Danubio vorticosissimo ferocissimoque flumine, tanta gurgitis altitudine, pelagique in morem latissime diffuso, pontibus a Trajano Nerva strato dicam? Cujus quidem hæc fuit occasio. Romanæ legiones Danubium trajectæ, omnem eam regionem late armis tenebant, quibus ne fluvio frigore adstricto libera præsidiorum auxiliorumque negaretur inductio, eaque res Barbaris Romanos vexandi, reique bene gerendæ præberet occasionem, itinere, commeandique ultro citroque facultate interclusa, opus mirandum maximeque mirabile adgressus est Trajanus. Viginti stabant ex quadrato lapide pilæ, altitudine pedum centum & quinquaginta, præter id quod fundamentum firmitatemque terræ immissum præbebat. Latitudine autem sexaginta pedum continebantur; inter se centum & septuaginta pedes distantes, fornicibus concamerationibusque conjunctæ. Tantas moles in ea fluminis altitudine rapiditateque, in limosis vadis, stabiliri, columnas exstrui potuisse, maximam sempiternamque ætati ei divitiarum magnificentiæque gloriam conciliavit.

CAP. XLV.

DE FLUMINIBUS DERIVATIS.

De Myride Rege Ægyptio.

Eadem insania, quæ maria fluminaque pedibus meabilia effecit, terras quoque navibus permeabiles reddidit, ad quod genus opera animus versus, in Ægyptii Regis Myridis admiratio-
B nem rapitur, qui acceptas regni habenas amplissimis splendidissimisque conatus decorare operibus, quibus & regni amplitudinem extenderet, simul sibi apud posteros perpetuam munificentiæ opulentiæque gloriam lucraretur, decem stadiis supra urbem admiranda utilitate, magnitudine incredibili, lacum tria millia & sexcenta stadia complectentem ambitu, in præceps quinquaginta passus tendentem, effodit. Hoc quidem consilio. Nili incerta sunt incrementa, proque iis fructus terra incolis partitur, nam flumen justam mensuram excedens superfluo limo agros reddebat inutiles, ipsaque sibi obsistebat fœcunditas: infra consuetos autem li-
C mites sedens, siccitate nimia arefactos agros sterilitate adficiebat, alterutroque vergente fluvii natura, æque gravis exspectanda erat agricolis calamitas. Cui incommodo hujuscemodi Regis potentia temperamentum addidit, ne cum supra modum excresceret, diutius aquis terræ incubantibus, superfluo limo redderentur agri inutiles, neve aquæ infra consuetam altitudinem residentis defectus eosdem siccitate perderet, quæ inundantis supra modum Nili rabiem, tanquam vinculis injectis, frenaret, & segnitiem demissius se effundentis consilio castigaret, ducta a fluvio ad hunc lacum usque per stadia octoginta quinque jugera latitudine fossa,
D quæ effervescentis fluminis aquam receptam, nunc ostiis clausis, nunc apertis, pro agricolarum emitteret arbitrio, publicum regionis vitium privatis sumtibus consiliisque castigavit. Quæ faucium ipsius fossæ (dii immortales) pondera, quæ sive relaxarentur, sive clauderentur, quinquaginta talenta (quæ nostrate numismate octo millia librarum Flandricarum septingentas & eo amplius constituebant) in sumtus sibi postulabant? Quæ ejusdem amplitudo? ex cujus vectigalibus numerosissima Salsamentariorum turba, Reginæ ipsi in unguentorum delicias, reliquumque corporis cultum, singulis diebus argenti talentum suppeditabat. Non me
E contineo quin exclamem, O inexhaustam regni opulentiam! O animum tantis divitiis dignum, qui iis in multa sæcula publicæ utilitati agros tanquam largissimo imbre irrigavit!

CAP. XLVI.

De Sesostri Rege Ægyptio.

Memoria Sesostris quoque in hujus rei munificentia semper recens posteritati erit, neque unquam invidiosa temporum injuria, igno-
F rantia hanc laudem obruet, qui omnem eam oram, quæ a Memphi ad mare spectat, crebris aquarum a flumine derivatarum alveis ita distinxit, ut duplici commoditati servirent, campi fluviali lympha rigarentur, navesque compendiosiore aditu reciperentur, qua ex re ampliore rerum copia terræ navigationis commoditate imbuerentur. Neque unica hæc ora tanta Regis sensit officia. Pleraque enim Ægypti loca, hostium incursibus ob itinerum facilitatem patentia, frequentibus i-

terjectis a fluvio fossis, ab omni hostili vi secura reddidit.

Cap. XLVII.

De Semiramide.

A

Hoc quoque quam clarum memorabileque exemplum haberi debet. Pontis per Euphratem fabricandi curam cum animo concepisset Semiramis, lacus effluvio effosso, omnem fluminis vim eo contorsit, ne aut recens jacta pontis fundamenta rapiditate sua disjiceret, aut Architectis moliendi perficiendique molestiam præberet. Quanta paludis effossæ amplitudo, quæ perenni inundatione fluminis torrentis vortices gremio suo nihil gravata excepit: dum pontem divinum plane opus stravisset, pristini alvei crepidines iisdem lateribus, quibus Babylonici muri celeberrimum Orientis miraculum compacti erant, solidasset, innumeros propemodum ad aquam ex urbe descensus publicæ utilitati eadem materia extendisset. Quibus omnibus perfectis (numinum fides.) Euphratem e stagno ad priorem cursum revocavit. An quisquam tam torpenti in veteris magnificentiæ considerationi ingenio reperiri poterit, cujus non hic præcordia, dum hominum arbitrio tantorum fluminum violentiam subjectam ac quasi eorundem nutu sursum deorsum jactatam audit, flagrantissimo admirationis igne calescant.

B

C

Cap. XLVIII.

De Cyro Persarum Rege.

Non minus admirationis in hominum animis ejusdem imitatione exempli reliquit Cyrus, quanquam non iisdem quibus illa motus causis, sed per animi impotentiam gravissimis iracundiæ succumbens adfectibus, ut quam illa publicæ utilitati operam desumserat, hic inani vindictæ cupiditate in non sentientem exardescens exhibuerit. Expeditione in Babylonem desumta, cum Gyndis amnis ripas, multas emensus terras, attigisset, qui cum undarum objectu diutius aliquanto quam tanto furori par erat, a cœpto itinere retineret, rapidioribusque vorticibus, altioreque aqua pedestrem negans transitum, non nisi navium adjumento spem transportandi exercitus faceret, e sacris equis (quos tum sic vocabant) quidam sive juvenili quadam petulantia, sive virtutis ostentatione instigatus, aut ut reliqui exercitus moram exemplo suo castigaret, alveum fluminis ingressus natatu ulteriorem fluvii oram petebat; qui in medium provectus, ubi vastiores volvebantur undæ, contorquentium atque in orbem se rotantium fluctuum vorticumque rapidorum violentia obrutus, mediis aquis absorbebatur. Cyrus muliebri ulciscendi cupiditate ob fluminis injuriam exæstuans, se ita id redditurum exile, ut ne transeuntium genua undis adspergat, comminatur. Nec mora. Suscepta expeditione omissa, exercituque ad opus perficiendum distributo, in centenos octogenos, aut, ut Orosius opinatur, quadragenos & sexagenos alveos flumen comminuit. Tantam potentiam, quæ naturæ ipsi violentas barbaricasque ausa sit inferre manus, ac post se quasi catenatam ducere, quis æternæ cedro mandandum esse negabit?

D

E

F

Cap. XLIX.

De eodem.

Prioris conatus feliciter succedente alea, animos Cyrus tollens, id quod in Gynde secundum Euphratem flumine clarissimo ante tentatum successus optatos erat consecutus, in Euphrate quoque simili gloria perfecit. Babyloniis enim longo jam tempore frustra obsidione pressis, (quippe qui futurarum rerum statum animo prævidentes, multorum annorum commeatum convexerant) cum jam consilii inops a spe capiendæ urbis excidisset, quam & mœnium vastissima moles fluminisque altissimi latitudo roborarant, seu a quopiam submonitus, seu per se quid in rem foret animo prævidens, rem perpetuæ seculorum omnium memoriæ consecrari dignam adgreditur. Flumine in vicinam paludem, quam Semiramis pontibus id ipsum flumen junctura olim effoderat, inertiori copiarum parte inducto, alveum pristinum ita siccum reddidit, ut vix vadantium suræ levi fluctuum adspergine adluerentur. Qua occasione oblata ante a Cyro admoniti, urbem minimo captam negotio devastant. Dignus es plane nobilissimæ hujus urbis expugnatæ gloria, cum potentiæ tuæ non magis laboriosum esse statuta perficere, quam statuere a diis immortalibus sit concessum.

Cap. L.

De Xerxe Persarum Rege.

Xerxem illum superbissimum Freti Hellespontiaci littora navibus jungentem, perque mare pedibus vadentem, naturæque officia pro arbitrio mutantem, quis hic prætereat? Superiore classe juxta Athon navibus præterlectum adflictata, pristini itineris periculum longitudinemque fugere volens, Athon in longitudinem passuum mille quingentorum a Continente abscidit, perfodit, transnavigavit, fretoque navigabilem reddidit, perpetuo ad ulteriorem usque isthmi oram alveo deducto, qui compendioso itinere classem in ulterius mare deduceret, quod alioqui non nisi longissimo maris tractu navigatione reflexa fieri poterat. Sic elementorum commutata natura, terras marium, maria terrarum usum præbere, quælibet pro arbitratu suo fingens atque refingens, potentia sua adegit, tanquam qui eorum non usum sed imperium a cœlo adsignatum haberet. Adeo nihil ita arduum, quod aut Veterum animus tentare detrectaret, aut opes potentiaque perficere nequirent.

Cap. LI.

De Semiramide Assyriorum Regina.

Similibus opulentiæ nervis fulta, in similia magnificentia illustris apparuit Semiramis, cujuscunque generis admirabilium operum mulier fœcundissima. Ecbatanam clarissimum Mediæ caput cum accessisset, præter regiam regio insignem luxu aquæductuum quoque commoditate frui fecit. Erat urbs campestri maximeque importuno loco sita, nullis neque fontium, aut fluminum, aut alicunde accersitæ per aquæductus aquæ alveis irrigata. Quare ne dum gloriæ urbis augendæ curam impenderet, necessariæ rei inopia laboraretur, aquæductum summo impendio laboreque (quod res ipsa secum rationem ineunti

latis loquitur) per Orontem arduum accessuque difficilem montem produxit. Omnibus enim circumquaque positis locis scaturientium fontium leves aquarum vortices, præterquam imis montis radicibus, quæ ingenti lacu alluebantur, natura inviderat. Cui malo remedium adhibendum rata, per montem, cujus recto itinere adscensus stadia viginti quinque explebat, maximo & labore, intolerabilibusque sumtibus, ima radicis parte ruptum, lacum in urbem fossa latissima, altitudine quadraginta quinque pedes elata, induxit. Animum muliebrem tantarum rerum cogitationibus non succubuisse, non defecisse thesauros, dum saxosi montis radices tantos meatus repugnante natura admittere coguntur, quis satis queat admirari?

CAP. LII.

De eadem.

ANTIQUA reliquorum Principum exempla, aurem mihi vellicantia, a te retorqueant, quanquam non usquequaque titulo respondens exemplum subjicere placuit. Per Ecbatanos ad Jarcieum montem iter destinatum cum frequentia montium præcipitia valliumque horrendi hiatus non nisi cum gravissimo totius exercitus labore periculoque negarent, illa potentiæ suæ oblatam materiam gaudens, discussis anfractibus, locisque concavis horrendisque præcipitiis ad planum deductis, breviorem simul & expeditiorem viam reddidit. Quod idem paulo post in omnibus Persidis, cæterisque quibus imperabat Asiæ locis, quæ aliquam naturæ imitationem requirere videbantur, montibus saxisque incidendis, vallium hiatibus in planum efferendis, ab eadem repræsentatum est.

CAP. LIII.

De Crœso, Lydorum Rege.

ITER Crœsi exercitum ducentis Halis fluvius, ex Tauri montis radicibus per Ciliciam Cappadociamque defluens, interjectu suo remorabatur, nec ob altitudinem vado transiri, nec ob materiæ inopiam pontibus sterni poterat. Facillimum tantæ opulentiæ Regis iis difficultatibus repertum remedium est. Amplissima enim fossa a superiore fluminis parte circum castrorum latera deducta, in eamque aquis derivatis, alveum a fronte castrorum positum, mirabili opere post exercitus terga circumduxit, copiasque in citeriore fluminis parte consistentes, portentoso operis miraculo, in ulteriorem ripam transmisit.

CAP. LIV.

De Ptolomæo Ægyptio.

HABET & Ægyptus insigne hujus gloriæ monumentum, fossam a Pelusiaco ostio sumtuosissimo opere ad Rubrum usque Mare deductam, quam cœptam Nechaus, ob summam operis difficultatem, multorum annorum requirentem labores, imperfectam relinquere coactus est; cujus post Darius, cupiens aliquod potentiæ liberalitatisque Ægyptiis relinquere monumentum, aut ut officiis subjectorum animos obnoxios sibi redderet, perfectionem meditabatur; a quo conatu cum eum sive inundationis periculum, sive laboriosissima operis difficultas dejecisset, interruptos fossarum anfractus relinquere est coactus. Ptolomæus autem horum aut animi demissionem aut inopiam castigare volens, opportuno loco sinuosis ductibus fossa extensa, rem Dario majorem quam pro humanis viribus visam, singulari artificio perfecit; & quo non tantum divitiarum penuriam, sed etiam imperitiam Dario exprobraret, eo fossam aquarum fluxu temperavit, ne aut inundationis periculum metui, aut navigationis commoditas prohiberi possit. Navigationi relaxatis fossæ ostiis, quod satis erat aquæ dabatur, iisdem reclusis, nimiæ ejus multitudinis metus accolis adimebatur. Sic quod nulli hactenus a diis immortalibus datum videri potest, commoditate absque alicujus periculi metu frui, hujus Regis opibus agrestibus evenit.

CAP. LV.

De Alexandro Magno.

IN aliis plerisque magnus, in hoc quoque non parva magnitudinis exempla edidit Alexander: Babylonem hic, quam medius Euphrates interluebat, cum fossam pariter & aggerem instituisset, subito flumine averso per ipsum fluminis alveum ingressus capit.

CAP. LVI.

De C. Julio Cæsare.

FORTISSIMI imperatoris Alexandri mentio in C. Cæs. strenuissimi quoque Principis memoriam me rapit, qui Uxellodunum Cadurcorum oppidum in præcipiti positum, cum neque ob firmitudinem præruptosque, quibus obseptum erat, aditus machinis bellicis expugnari posse videretur, siti adflictum rescissis alioque contortis fontis, qui obsessis aquæ præstabat copiam, venis, ad deditionem compulit; cum tantam rem non hominis cujusquam consilio, sed deorum tantum potentia fieri potuisse in animum induxissent.

CAP. LVII.

De P. Servilio Isaurico.

P. Servilius, quem Isauros munitissima Ciliciæ arx Isaurici nomine honestavit, cum in obsidione ocio senesceret exercitus, locorum natura urbem defendente, ac commeatus, quem eo ex marium deprædationibus convexerant, fame eandem expugnandi spem adimeret, novam commentus victoriam, flumine averso, siti ad deditionem compulit, cujus victoriæ perpetuum trophæum Isaurici nomine adsumto sibi ipse erexit.

CAP. LVIII.

De Q. Metello Macedonico.

QUANQUAM vulgaribus hic rebus, nec divino magnificentiæ splendore nitentibus non sit locus, erat nihilominus duobus triumphalibus Macedonici & Celtiberici nominibus insignitus Metellus in exempla referendus, qui memorabili ac admirabili exemplo castra hostium, in submissioribus locis constituta, fluminis emissi vorticibus inundavit.

Cap. LIX.

De Demetrio Rege, Cæs. Dictatore, C. Principe.

Si in arduis conatus sua non caret laude, nec mihi Demetrius Rex, Dictator Cæsar, Domitius Nero, sua fraudandi sunt gloria, Isthmi Achaici angustias incredibili opere quanquam infausto (ut omnium patuit exitu) perfodere in animo instituentes. Id quis in Caligula profusissimo Principe miretur, quem id efficiendum, quod fieri posse negaretur, sibi sumere solitum accepimus.

Cap. LX.

DE ROM. AQUÆDUCTIBUS.

Liberius per omnes terrarum angulos cogitatione vagantis animum, unius Romæ invisa alibi Aquæductuum miracula nimio operis splendore ad se rapiunt. Ingentis horum magnificentiæ argumentum, nullas quanquam gloriæ caloribus æstuantes nationes, aut animo complecti, aut labore circumscribere eas fuisse ausas, & ferocissimam Gotthicæ immanitatis barbariem, quam ne Urbis quidem præclarissimæ reverentia a feritate, facibus, demolitione prohibuit, horum operum admiratione ab injuria abstinere compulisse. Quod si quis diligentius aquarum abundantiam, balneas, piscinas, euripos, domos, hortosque suburbanos, quæ horum aqua perluebantur, venientium insuper spacia, excelsissimosque arcus, quibus aquam locis dimissioribus excipi necesse erat, animadvertat, montes perfossos, convalles æquatas, pyramidum ociosas moles, cæteraque Græcorum fabulis opera illustrata, minoris est habiturus, ac innumeris necessariisque Aquæductuum miraculis vel comparare propemodum pudebit. Ea enim etiamnum minitantium murorum pondera, principem totius Orbis Urbem qui τοπογραφικῶς nobis delineant, verborum magnificentia stupentibus nobis exponunt, ut non mediocrem hinc vetustati laudem omnino conciliandam putem, quæ singulari cujusque descriptione facile patescet: in numero ordineque non admodum erimus solliciti, quæ cum inutilem prorsus molestiam habeat, nihil propemodum ad hoc nostrum mellificium conferunt, sed ociosis tantum hominibus molesta anxietate se macerandi præbent occasionem.

Cap. LXI.

De Appio Claudio Censore.

Respublica Romana secundioris fortunæ afflatu luxuriante, veterumque sordium pauperiem novo splendore eluente, aquæ e fontibus aut Tyberi haustæ usus, prodigiosissimis Aquæductuum miraculis, commutatus est. Cujus ostentationis prima gloria Appio Claudio (cui postea casus Cæci cognomen addidit) tribuatur. Hic Appiam (quæ appellatione hac perpetuæ auctoris nomen memoriæ consecravit) post Samnitici belli finem, M. Valerio Maximo, P. Decio Mure Coss. in Urbem induxit. Hæc tamen quanquam Appii nomen perpetua fama illustret, non parum C. Fabii ejusdem dignitatis collegæ opera adjuta est, qui ejus aquæ venis inquirendis nimio studio incumbens Venocis cognomine locupletatus est. In agro Lucullano, Via Prænestina, inter milliarium VI. & VIII. diverticulo sinistrorsus, passuum septingentorum octoginta concipitur, ducta a fontibus ad Salinas, locum Trigeminæ Portæ vicinum, ad passuum undecim millia centum triginta extensa, saluberrimo scaturientium aquarum fluxu, meatu subterraneo passuum undecim millium centum triginta, substructione vero & supra terram opere arcuato, ad Portam Capenam passuum LX. labens privatis publicisque usibus serviebat. Dignum omni admiratione miraculum.

Cap. LXII.

De M. Curio Dentato.

Appius hujus laudis successionem M. Curio Dentato censoriæ dignitatis titulo illustri tradidit, qui Anienis veteris aquam ex manubiis a Pyrrho Epirota captis in Urbem perducendam curavit. Cujus operis progressu Curii morte interrupto Fulvius Flaccus perfectæ rei gloriam sibi rapuit, qui (res miranda!) partim vastissimis arcuum molibus erectis, montibus vi perruptis, camporum declivitatibus æquatis, per quadraginta duo passuum millia in Urbem aquas perduxit.

Cap. LXIII.

De M. Titio.

Appiæ Anienisque ductibus partim vetustate, partim sceleratis privatorum manibus quassatis, M. Titius, qui tum Prætor inter cives peregrinosque jus dicebat, provinciam collapsos Aquæductus reficiendi in se accepit; & quoniam florentissimæ Urbis incrementum amplioris aquæ usum requirere videbatur, eo omne studium intendit, quo alias aquas in Urbem elatioribus arcubus perduceret, propositique tandem compos factus, licet plerisque senatoriæ dignitatis viris obluctantibus, Aquam cuniculis per montes actis, meatu mille septingentorum & eo amplius, subterraneo rivo passuum LIV. millium CCLXVII. opere autem super terram arcuato passuum VII. millium CCCCXIV. a suo nomine Marciam dictam in Urbem adduxit. Operis magnificentiam sestertium quatuor millia & octoginta ad id decreta, quæ tamen sumtuum impendia nullo modo æquare potuerunt, satis comprobant.

Cap. LXIV.

De C. Servilio & L. Cassio Censoribus.

Et vos clarissima nominis Romani lumina, qui morum censura Romanorum opulentiam ornastis, novarum Aquarum inductione Urbi splendorem, vobis immortale nominis decus conciliastis, memoria complector. Siquidem ut cum bellicæ rei splendore Urbis quoque ornamentum cresceret, anno post Martiam undevigesimo, hoc est, Urbis conditæ M. C. XXVIII. ex agro Lucullano, quem quidam Tusculanum credunt, Tepula Aqua Romam usque, & quidem admirabilius in ipsum Capitolium, ad XI. milliarium perducta, æternam hujus rei magnificentia laudem meruistis.

CAP. LXV.

De Agrippa.

EJUSDEM Urbis augmento claris egregiisque viris annumeretur & Agrippa, qui ædilitatis suæ tempore, præter cæterarum Aquarum corrivatos emendatosque Aquæductus, Virgineam Aquam ex agro Lucullano per quatuordecim millium passuum longitudinem,aliorum exemplo, partim rivo subterraneo, partim in aere suspenso libratoque, in Urbem perduxit, cujus venas fontemque puellæ cum reperisset indicio Aquam Virgineam nominavit. Quo opere, officiis nunquam intermorituris civium animos sibi devinxit, non tam ob ingentem aquæ vim salubri aura Urbem puriorem reddentem, alluvieque ejusdem sordes eluentem, quam ob incredibilem lacuum numerum hominum usibus deputatum, ut non immerito Augustus morosas vulgi vinum flagitantis preces hoc dicto repulerit, *Tot aquas introduxit Agrippa meus, & vinum quæritis.*

CAP. LXVI.

De Octaviano Cæs. Augusto.

NEC tu mihi Romani Imperii honor, illustrissime Princeps, indictus abibis, qui hujus gloriæ non infimam partem ex splendoris Romanæ Urbis augmento tibi rapuisti. Alsietinam Aquam e lacu unde profluit Alsietino dictam, quanquam nullius gratiæ & parum salubrem nullaque propemodum in parte hominum usibus, nisi Naumachiæ servientem, propriis sumtibus in Urbem induxisti, quæ quod Naumachiæ supererat, hortis irrigandis, sordibusque eluendis attribuebat. Et præter hæc Martiæ alveum, nimiis siccitatibus aquam negantem, largiore fonte inducto, perpetuo fluxu Urbem tibi obnoxiam reddere fecisti. O indefessas Romanæ potentiæ vires, quæ neque externorum bellorum molibus quassari, nec inauditis luxuriæ generibus, nec operum sumtuumque magnificentia ulla ex parte debilitari potuere!

CAP. LXVII.

De Caligula Cæs. ejusque successore Claudio.

CAJUS quoque Cæsar, qui Imperii summam post Tiberium invaserat, duos novos ductus inchoavit, quod opus Imperii successor magnificentissime perfecit. Alteri cujus aquæ fontibus Curtio & Cœruleo derivabantur Claudii nomen datum; Alteri novi Anienis, quo commodius a veteri appellationis discrimine dignosceretur. Claudia Sublacensi Via concepta, ductu quadraginta sex millium passuum, partim venis subterraneis, partim supra terram altissimis quibusdam in locis arcubus librata, Urbem minitabunda ingrediebatur. Novi autem Anienis ductus per octo & quinquaginta passuum millia, (O monstrum inauditum!) mirabili arcuum ultra centum pedes alicubi fastigiatorum opere, Urbem gratissimo madore fœcundabat. Horum prior Aquæductus omnes, sumtuum impendio, structurarum celsitudine vincebat, quippe lapidea excelsitate omnes & montes & urbes exæquans in hujus structuræ sumtus quingenta & sexaginta talentum millia erogata fuere. Sed ego orationi meæ modum in hoc magnificentiæ genere statuam,cum Romani in hujuscemodi operum magnificentiam profundendi finem invenerint nullum; non enim omnium Aquæductuum descriptiones consectandi nobis fuit animus, qui ultra decimum nonum excrevere numerum, sed eorum quasi gustum aliquem vetustatis admiratoribus præbere fuit animus, ut inexhaustas illas ϗ ἀεὶ ῥεούσας fœti omnis magnificentiæ ævi divitias veluti per transennam inspiciendas præbeam.

CAP. LXVIII.

De Domitiani Naumachia.

DIVERSI quidem nominis, rei propemodum ejusdem exemplum placuit subtexere Domitiani Naumachiam, ingens quondam lateque patens ac lacunarum instar effossum stagnum ad Romanam juventutem exercendam, quæ disceret & in aquis adversus hostes pugnare. Quod & ipsa nominis etymologia satis edocet: dictus enim is locus Naumachia, ὅτι αὐθότι ταῖς ναῦσι μαχέοιντο, id est, *quod ibi navibus certarent*. Erat autem ingens per Martiam Vallem aqua ducta protensaque juxta Tyberim lacus, qui derivatis e flumine aquis oppletus, latissimum maris exhibuit prospectum, quoquoversus aquis nullo fluxu impetuque torquentibus, pro pugnæ ratione navium cursus recipiens, facilesque iisdem flexus atque reflexus utrinque concurrentibus exhibens, dum neque hanc secundiore æstu concitatius in adversam illidit, neque illius violenter ruentibus ac adversantibus undis cœpta eludit, ejus latitudinis ut justæ classis navales sæpius exhibuerit pugnas.

CAP. LXIX.

DE VETERUM AGGERIBUS MUNIMENTISQUE MEMORABILIBUS.

De Ogdoo Ægypt. Rege.

NIHIL quod ad amplitudinem attinet sacrosanctam illam vetustatem omisisse & vastæ aggerum munimentorumque moles, quas aut pacis tempore aut belli summa cum gloria erexit, abunde testatum esse voluerunt. Cujus laudis primas sibi Ogdous clarissimus Ægyptiorum Rex usurpabit, qui Memphim celeberrimam ac munificentissimam urbem, centum & quinquaginta stadia patentem, (ne annua Nili inundatione, qua universa fœcundatur Ægyptus, urbis decus deformaretur) adhærentesque ei agros aggere validissimo opposito ea quæ maxime Notum respiciebat parte circumdedit. Reliquas urbis partes altissimo effosso lacu decoravit, in quem fluminis abundantia derivata circumquaque loca finitima irrigaret, munitissimasque urbis regiones redderet, quibus commoditatibus in eam claritudinem urbem evexit, ut succedentium Regum series, relictis Thebis, eam sibi regni sedem regiis inibi constructis delegerit. Quis non admiretur inexplicabilem Regis potentiam quidlibet pro arbitrio fingentis ac refingentis, dum flumen alibi tanquam ejus gubernacula retinens alveo se condere, alibi tanquam laxatis habenis terris irrumpere cogit.

Cap. LXX.

De Sesostri Rege.

Rei magnificentia obstupefacta, cogitationis acies laborat, tacitusque tantam materiæ copiam in has titulorum angustias arctari conqueror. Sesostris terra marique victoriæ suæ meta constituta, cum reversus domum post annorum novem spacium, omnem belli gerendi posuisset curam, largissimis spoliis militum virtutem (quorum strenua opera in bello usus fuerat) cum pensasset, diis quoque tantorum gestorum adjutoribus cum persolvisset stipendia, (omnes enim Ægypti urbes dei, quem præcipue colebant, splendidissimo templo sacrato ornavit, nullius ad tanta res opera accersita, quod & ipsæ templorum frontes pro elogio sibi usurparunt, quo nullius Ægyptiorum Regum in ejusmodi operibus opera usos se fuisse jactabant) a diis ad homines munificentiæ suæ monimenta convertens, permultosque humo evecta molitus est aggeres, quo urbes in declivi positas, annuaque Nili inundatione vexatas, transferri jussit, sævientisque fluvii rabiem, quæ subjecta passim loca, homines, pecudes, urbes denique ipsas late inundabat, hoc remedio compescuit. Sic si unius loci incommoditatem correxisset, quo stupore hominum mentes attonitæ ducerentur, cujus cum tot exstiterint hoc beneficio adfectæ urbes, maxime tot jam enumeratis sumtibus gravati, quis non splendoris atque munificentiæ hujus fide obruetur?

Cap. LXXI.

De eodem.

Non æquum fuerit ejusdem magnificentiæ exemplum alterius narratione involvere, ac turba obrutum peculiari præconio fraudare. Hic idem murum amplissimæ molis ab ea Ægypti parte, qua Syriam Arabiamque spectabat, (quam hostili irruptioni accommodam natura fecerat) a Pelusio ad Solis civitatem usque, per vastissimas solitudines stadiis supra mille quingentis deduxit. Sic terrarum natura emendata naves ex cedro ducentorum octoginta cubitorum exterius deauratæ, deargentatæ interius, deoque, cujus numen Thebis colebatur, ab hoc ipso oblatæ, gloriam facile obfuscaverint.

Cap. LXXII.

De Semiramide.

Hujus magnificentiæ laudem Semiramidis opulentia quoque meruit. Erat splendidissima omnium terrarum urbs Babylon unius anni labore perfecta, Fluvii interlabentis ripæ sumtuosissimo opere pontibus junctæ, alio fluenti rapacitas detorta, ne quid interim ea aggerum jaciendorum commoditate data cessaretur, neve humile quid, quod cæteræ magnificentiæ non responderet, conspiceretur, terreas fluvii crepidines, muro latitudine urbis ipsius inter Orientis miracula reputata mœnia æquante circumvinxit. Nihil illam tantæ urbis opus; Nihil alio contorta Euphratis fluenta; Nihil speciosissimam pontis structuram; Nihil tot sumtus, quibus mulier circumfrementes passim populos tyrannidisque insuetos in officio retinuit, hujus divitias labefactasse, qua verborum veneratione celebrari merebitur?

Cap. LXXIII.

De Babyloniorum Rege Syro.

Splendidiore titulo monstrosissima hortorum pensilium ædificia, vulgatum illud Græcorum fabulis miraculum, ornari mererentur: sed cum res si anxia hac quælibet in suos titulos partiendi cura laborem in immensum esset progressura & infiniti ordines constituendi forent, visum est non incommode hujusce operis genus hoc complecti posse titulo, cum & id humo evecta in aggerum figuram coaluerit. Hujuscemodi plusquam humanarum virium opus nimia-ne opum ostentationis cupiditate an saturo urbis fastidio incitante molitum sit, utrum dicam non habeo. Quanquam ut urbis tædio fastidiosos Regum animos, dulci viridantium herbarum virore, jucundo florum adspectu, arborum gratissima umbra, lenique scaturientium fontium susurro recreatos, iterum tædiosis urbium muneribus restitueret, hujus structuræ consilium fuisse videatur, cum non alio efficacius remedio, quam gratissima hortorum aura florumque amicissimo spiritu fragrantium, animi solliciti rerum gubernaculis, negociosissimisque Reipublicæ officiis jam fracti pristino vigori restitui potuerint. Huic rei cum urbs ob continente serie domos annexas locum negaret, neque temporis exiguitas, quod a curis sollicitudinibusque intermissionem aliquando præbeat, extra urbem fieri permitteret, pensilium hortorum remedium adhibendum esse statuerunt, ut & urbes hortorum amœnitate commendarentur, & horti urbium splendorem non desiderarent, ut id quod rerum natura negabat, industria opum viribus suffulta suppleretur. Ad hujusmodi præclarum divitiarum ornamentum Babyloniorum Regis Syri animum pellicis affectata gratia protrusit, quæ cum Persicorum pratorum amœnitatem, quorum adspectu e montibus frui solita erat, in Babylone plana prorsus nullisque montium jugis distincta regione desideraret, virum impulit ut patriæ regionis imaginem, quam natura inviderat, artificio repræsentaret, amœnitatemque naturæ hujus operis genere imitaretur. Rex quo pellicis animo gratificaretur, nihil inusitato terris portento territus, in quam opum suarum vires extenderet, materiam nactum se gaudens, hortum quoquoversum quatuor jugerum mensuram implentem firmissimis, quæ pondus sustinerent, basibus substratis erexit. Aditus montis adspectum, artificiosa naturæ imitatione, paulatim ab imo acclivis referebat, variis interim præcipitiis opere exaggeratis, quæ longe lateque subjectorum camporum, sylvarum viridantium, vallium tacitos secessus oculis subjicerent, labentiumque rivulorum adspectu desuper intuentium oculos satiarent. Testudines in solo positæ totius horti pondus sustinentes, inde aliæ aliis excrescente paulatim altitudine impositæ fuere. Superiores, quibus horti murorum superficies continebatur, altitudine quinquaginta cubitorum eminebant, latitudo earum pedum erat duodecim, murus viginti duorum pedum latitudine constructus. Solum hoc modo stabat. Erant lapideæ trabes sexdecim pedum longitudine, sex latitudine. Super has pro pavimento stratæ arundines asphalto compactæ. His duplici ordine cocti lateres gypso concinnati imponebantur. His rursus plumbeæ tegulæ, ne qua humiditas demanans guttis testudines exederet. Huic autem emittendæ varia collocata erant aquæ receptacula. Pavimento sic constituto profunda humus, quæ & magnarum arborum radicibus

sufficeret, coacervata est. In eo enim proceræ validissimæque arbores truncis octo cubitos latis, quinquaginta pedes altis, tanquam in terra sua alebantur, quarum radices Aquæductus occulte fabricatus saluberrimo madore irrigabat. Quid multa? Effectum ut Persici agri miro artificio situm repræsentans absentis patriæ desiderium Reginæ excuteret.

CAP. LXXIV.

De Semiramide.

RURSUS ego te, Babylonici regni gubernatrix splendidissima, in vetustatis laudem citare compellor, quæ totius Persidis loca in latiorem patentia planiciem, (ne videlicet ulla terræ conditio tuum non sensisse se quereretur officium) amœnissimis montium jugis distinxisti, qui aut præclarorum ducum sepulchra, aut imponendas urbes quasi dorso acciperent. Sic te locorum situs transferentem, montes gratissima camporum planicie, planicies montium amœnitate commutantem, quis nisi nullo admirationis igniculo calens æternitati consecrandam hic negaverit.

CAP. LXXV.

De Alexandro Magno.

OMNIA magnificentiæ exempla Alexandri moles, qua insulam Tyron continenti junxit, propemodum superaverit, quæ freti æstibus, quibus quatuor stadiis a continenti dividebatur, aggeribus reclusis pedestres victoris terrarum copias transmisit. Quo arctius intra freti angustias volutabantur maria, hoc arctius furere, vastosque fluctus etiam tranquillo mari in littus evolvere, ac aggerum moles subruere. Quare difficile erat periculosumque navibus pendentes & instabiles, cum iis qui e solido tela jaciebant certamen inire. His tamen omnibus superatis difficultatibus Alexander, qui se freti rapidissimi beneficio tutos credebant, ut in continente esset effecit, profunditatemque illam, latitudinem, ac rapacitatem maris, quas nulla quantumvis vastissima saxa, nullæ quantumvis proceræ arbores omnibus exhaustis terris expugnare posse videbantur, quarum rerum conatus non tantum tanquam irriti ab oppidanis negligebantur, sed & a suis tanquam ἀμήχανοι visi minus alacriter capessebantur, etiam diis propemodum invidentibus aggere solidavit. Videre erat mirandam Regis spiritu pleni cum mari luctam, quod ingestum erat patulo ore ac voraginosis fluctibus absorbente. Aggeres cum in montium altitudinem excrevissent, nondum tamen fluctuum fastigia æquabant. Variæ audiebantur Tyriorum per opprobrium in laborantium conatus voces, inter cæteras, num Neptuno vincula injicere pararent, adeo illos irritos futuros conatus spes perstrinxerat. Quibus contumeliis militum virtute tanquam cote acuta, jam moles extra aquas surgebat, sensimque in urbis excidium promovebatur, dum violentior surgens procella, fluctuum omnem impetum huc convolvens, omnem operis compagem, saxa, arboresque condensatas disjiceret, brevique temporis momento tot dierum opus ita absorberet, ut nulla ejus Alexander reversus vestigia invenerit: hic neque animi fracti, neque de priore alacritate remissum est quicquam, qui universum Orbem armis potentiaque subjecerit, freti interlapsu ab unis Tyriis excludi seu superari indignum rebatur. Novum molis opus orsus, in adversum fronte recta oppofuit, quod priorem jacturam incautiore positione perpessus videbatur, & quoniam priora opera variis hostium incursibus exagitata noverat, ampliorem aggeri latitudinem, quæ & turribus sustinendis ad hostium impetum profligandum par esset, circumscripsit. Totæ arbores cum ingentibus ramis alto demersæ grandibus onerabantur saxis, quibus aliæ rursus humo saxisque exaggeratæ, indissolubili nexu opus intricabant, effectum denique ut quæ ne divina quidem ope impleri posse maria existimata sunt etiam turres machinasque ferentia, ad urbem aditum exhiberint, nobilique illa insulæ continenti junctæ gloria Alexandrum honoraverint.

CAP. LXXVI.

De eodem.

NON convenit unico, e largissima celebrium operum segete depromto, exemplo contentum, stilum alio retorquere, ac expromtam hanc obviamque hujusce generis miraculi gemmam rustica manu legere dedignari. Erat unica Mardorum gens Hyrcaniæ finitima, sævis barbarisque prædita moribus, quæ sola omnium gentium regnorumque victoris adventum intrepida audierat, nec legationibus aut pacem postularat, nec etiam imperata factura videbatur. Erat res periculi difficultatisque plena adversus hostem præruptis rupium jugis insidentem inhærentemque confligere, si qua plana erant, prodigiosissimo munimenti genere impedierant Barbari; arbores densissimis inter se ordinibus conserunt, quarum flexiles adhuc ramos deorsum contortos rursus terræ inserunt, quæ res & vigorem duabus radicibus succum digerentibus, mirabilemque firmitudinem continuis tricis, perplexisque ramorum nexibus tanquam laqueis iter impedientibus, tutissimumque in rebus dubiis accolis præbebat suffugium. Maximi erat laboris, imo irriti, cædendo iter aperire. Impliciti enim inter se arborum rami, viminum in modum suspensis circulis ictus frustrabantur. Loci fiducia propemodum securi, hostem, qui infestis aggeribus etiam freta obstruxerat, virgulta ferarum ritu subeuntes, occultis telis lacessebant, a quibus non pauci, dum ignotis in locis trepide versantur, ad latebras protracti sunt, inter quos regius quoque equus Bucephalus. Quæ res dolore iraque exagitatum satis per se præcipitem Regis animum ad pellendos latebris latrones perpulit. Adversus novum munimenti genus novo quoque atque inaudito usus est consilio: planiciem enim ramorum tricis impeditam (mirabile visu) terrarum molibus obruit, & quod cædi Barbarorum vetuerat consilium, aggesta humo exaggeravit. Cujus rei novitate visa Barbari, indiesque in majorem altitudinem latitudinemque opus crescere animadvertentes, ac propemodum jam sylvas obrui, sedibus excussi victoris sese permiserunt arbitrio.

CAP. LXXVII.

De Tito Vespasiano Cæs. Augusto.

OMNIA ferme Hierosolymam circundans munitio miracula excesserit, sive operis amplitudinem, sive temporis exiguitatem, quo tantum opus confectum est, consideres. Titus, cum admoto milite capi non posse urbs videretur, cum tanta obsessis virtutis etiam adesset fiducia, ut eruptionibus quotidianis in Romanos summo impetu

petu irruerent fœdissimaque fuga loco propellerent, accedentibus interim loci ipsius amplitudine difficultateque totam muro civitatem adoritur, opus ut paucis dicam Romana prorsus dignum potentia. Exercitui in operas distributo tanta alacritas incidit, quolibet studium diligentiamque summam in ipsius Imperatoris oculis exhibente, ut totum opus triduo, quod vix totidem annis fieri posse credi posset, effectum sit, uno minus quadraginta stadiis ambitu patens, foris ad defensionem tredecim castellis munitum, quorum gyrus ad dena protendebatur stadia. Quo opere sibi quod voluit est adsecutus, nobis quod omni ævo miremur reliquit.

CAP. LXXVIII.

De eodem.

ET aliud eadem obsidio admiratione plenum exemplum edidit. Gliscente enim in urbe famis calamitate, cum jam miserabilis ubique rerum facies enitesceret, tecta omnia, omnes viæ mulierum, senum, infantiumque penuria enectorum cadaveribus essent præclusæ, multi jam ægrum fame traherent spiritum, sepulturæque locum ante fati diem occuparent, (cum tanta morientium turba commode humo mandari nequivisset, sed in fossas e muris præcipitaretur) Titus miserabili ejus atrocitatis adspectu motus, si quo modo tantam populi pervicaciam, omni salutis spe ademta, frangere posset, aggeres quatuor, unum contra interioris templi adytum, alterum contra exedram, aliorum duorum unum contra occidentalem templi portam, alterum ab Aquilone maximo labore ac miseria, a nonagesimo etiam studio materia congesta comportataque, inchoavit, sperans (ut dixi) hoc opere deterritos, cum omnem fugæ viam præclusam, brevique urbis periturae fatum conspexissent, saniora pacis inituros consilia; sed licet populi ferociam tantorum operum adspectus non fregerit, nobis tamen omnique posteritati clarissimi operis futurum est exemplum.

CAP. LXXIX.

De Sylvio res Judaicas administrante.

OMni Judaicæ terræ tractu bellis a Romanis subacto, unicum rebelle supererat castellum Massada, naturæ beneficio munitissimum, saxo undique abruptis montibus cincto impositum. Præter duos omnino accessus, quorum alter ad Solis ortum spectans in difficillimum explicabatur aditum, alter vero ab Occidente faciliori aliquanto via extendebatur, cæteris undique partibus etiam pecorum firmissimis facillimisque gressibus erat invium. Ab Jonatha pontifice ante ædificatum Herodes ad quemvis fortunæ eventum sic circummuniit, ut nulla humana vi expugnari posse videretur. Per totius verticis gyrum sexaginta stadia extensum murum, cubitos duodecim altum, latum octo, e candido lapide duxit, turribus viginti septem quinquagenorum cubitorum altitudine, per totius muri ambitum, locis oportunis intersitis, ut externi commeatus copia interclusi, hujus operis circumductu, cinctum agrum colendo, saluti suæ consulant. Nihil quod ad protrahendam longius obsidionem utile videri poterat, quodque fortiter strenueque vitæ tutandæ spem facere videbatur, huic deerat: ita adversus quemvis hostium impe-

A tum natura opereque erat communitum, tantaque frumenti, vini, olei, cæterorumque, quorum usus natura requirit mortalium, intus reposita copia. Hoc Rom. rebellantium Judæorum princeps Eleazarus, magni vir animi, corporisque viribus excellens, cum nongentis, quos idem spiritus ad extrema audenda incitarat, insederat. Ad quod cum armis oppugnandum venisset Sylvius, qui mortuo Basso in Judææ administratione successerat, primo quidem, ne cui effugiendi daretur facultas, oppugnandi consilium (quod inexpugnabile videretur) cum prorogasset, muro circumvinxit. Diligentius tandem loci natura perspecta, cum unicum
B tantum locum, qui aggeris jactum accipere posset, (cæteris omnibus ultra nubes prominentibus scopulis munitis) cognovisset, vallum, licet is locus trecentis cubitis castello inferior esset, militibus adferre jussit, quibus alacrem navantibus operam, jam jam castelli celsitudinem æquaturus, in ducentos cubitos evectus est. Verum cum cespites machinarum bellicarum oneri cessuri viderentur, altissimum super hunc ingentibus saxis congestis, factum est tribunal quinquaginta cubitos latum, cui rursus turris sexaginta cubitorum imposita est, unde balistarum tormentorumque jactibus defendentes mœnia
C propulsabantur. Quid moror? Effectum ut quod vix giganteis manibus fieri posse videbatur, Rom. tempora omnis generis maximorum exemplorum fœcundissima humanis manibus everterint.

CAP. LXXX.

De C. Caligula Cæs. Augusto.

NOn mirum est hic quoque Caligulam conspici, qui omnium ingenia propemodum hujuscemodi sumtuum prodigalitate superavit.
D Miretur quis jactas ab hoc infesto ac profundo mari aggerum moles, campos montibus æquatos, montium juga incredibili celeritate camporum in modum complanata, nummos e Basilica Juliæ per dies non paucos in plebem sparsos, de cedro liburnicas gemmatis puppibus, versicoloribus velis factas, magna porticuum, thermarum, tricliniorum laxitate, vitium & pomiferarum arborum varietate conspicuas, quibus inter choros ac symphonias discumbens, Campaniæ littora peragrabat, cum id potentiæ suæ objici in quotidianis haberet precibus, quod non posse effici summo omnium consensu pronunciaretur.

E

CAP. LXXXI.

De Septimo Severo Pertinace.

NEque Severum hujuscemodi molis sumtus deterruit; maximis enim gravissimisque in Britannia præliis gestis, cum bonam Insulæ partem armis domuisset, receptum ditionique Romanæ subjectum tractum fossa, valloque firmissimo crebris turribus castellisque distincto per centum &
F triginta duo passuum millia a mari ad mare porrecto, ab indomitis neque Rom. parentibus armis disjunxit.

CAP. LXXXII.

De C. Julio Cæsare.

MUltum quoque gloriæ laudisque ex hujuscemodi aggerum munitionumque molibus ja-

ciendis ætati fuæ Cæfar Julius conciliavit: Helvetios incenfis vicis pagifque omnibus, quod defperationem virtute acuente per obftantia ferra fibi iter patefecerent, in Provinciam Romanam irrumpere conantes, muro fexdecim pedum altitudine, a lacu Aemano ad montem Juram ufque per decem novem paffuum millia incredibili celeritate evecto, coercuit.

CAP. LXXXIII.

De eodem.

QUÆ verborum magnificentia, etiam infefto mari ejufmodi jactos ageres profequendum merito eft? Omni enim Gallia propemodum Rom. fidem fequente, foli Veneti, fiducia loci, (quod oppida in extremis lingulis promontoriifque, quæ in mare excurrebant, pofita, pedibus, cum fe ex alto æftus fenis quibufque horis incitaviffet, aditum negarent, naves autem decederent æftu ficco in littore relictæ, inhabiles atque ad prædam expofitæ redderentur) neque Legatos de pace miferant, neque imperata facturi videbantur. His itaque rebus omnium oppidorum oppugnatio impediebatur. Aggerum autem exftructionem prohibebant continuo fluxu atque refluxu alternantes undæ, recentia operum fundamenta violenter auferentes, neque aliquid omnino munimentum labori favebat, cum ex mari volutæ undæ, præcipites ac fumma rapacitate remeare properantes, quicquid fundo jactum erat, fumma cum indignatione, quafi compedes fibi injici ægre ferentes, everterent. Omnem tamen ætas ea vivida ac præclarorum operum ftudiofiffima difficultatem perrupit; extrufis enim mari aggeribus etiam mœnia ipfa æquantibus, quos adire pridem impoffibile fore crediderant, de fortunis fuis defperantes nidis fuis excuffit, pervia omnia potentiæ fuæ reddidit, ac Alexandrum Tyron Infulam continenti jungentem rei geftæ fimilitudine æquavit, numero etiam fuperavit, cum hoftes excuffi loco uno, in ejufdem oportunitatis loca fe fuaque omnia transferrent, inextricabilefque novi laboris quafi Labyrinthos victori fcrutandos præberent, quibus quidem non aliud effectum eft quam quod præfens periculum in diem promoverint, patientiamque Cæfaris inufitato furore commutarint.

CAP. LXXXIV.

De Nerviis, Galliæ Belgicæ Populis, Q. Cicer. Cæfaris Legati caftra oppugnantibus.

ADmirabile ftupendi operis exemplum Nervii Q. Ciceronis hyberna oppugnantes edidere. Infidiarum fpe dejecti, cum fraudem, qua Sabinum Cottamque fortiffimos clariffimofque viros Cæfaris Legatos elicuerant, folertia fua deprehendiffet, ac omnino fe caftra relicturum negaffet, vallo XI. pedum altitudine, foffa quindecim pedum latitudine, per decem paffuum millia (quis credat?) tribus horis (quodque eo eft admirabilibus) omni ferramentorum ufu carentes, quibus id fieri folitum, cefpites gladiis tantum circumcidentes, manibus fagulifque terram exhaurientes, caftra, ne cuiquam fugæ pateat exitus, circumplectuntur. O omni ætati ftupendum miraculum!

CAP. LXXXV.

De Alexandro Magno.

ALexander ut terris, quas bello fubegerat, perpetuam fui relinqueret memoriam, urbem Alexandriam, fuper amnem Tanaim, intra decimum feptimum diem conditam fundatamque muro quoque per fex paffuum millia munivit.

LIBER SECUNDUS

CAPUT I.

DE PRINCIPUM IN PLEBEM LIBERALITATE.

DIvitis atque præpotentis vetuftatis exempla me fcrutantem ad fe Principum munificentia, qua laxiffimis habenis in plebem funt invecti, convocat; cui quidem facilem me præbeo, non tam ut aliquid ornatus fplendorifque facrofanctæ illi vetuftati (quo omnis labor hic nofter refpectare videtur) ex ejufmodi commemoratione concilietur, (Imperii enim amplitudo magis iis quæ dat, quam quæ accipit illuftratur) quam ut hujus rei refpectus præfentis moribus aliquid profit.

CAP. II.

De Coccejo Nerva Imperatore Romanorum.

IN hoc virtutis laudifque ordine primus Nerva, moderatiffimus prudentiffimufque Princeps, tanquam antefignanus nobis progredietur. Hic quicquid pœnæ nomine tributi acceflerat plebi indulfit, adflictas civitates relevavit, puellas puellofque parentibus natos egeftofis fumtu publico per univerfa Italiæ oppida ali juffit. Ad fuftentandam civium adflictorum vitam, & decies & quinquagies centena millia nummum erogavit, pecuniis exhauftis, veftibus, vafis aureis argenteifque etiam fuper fupellectilem preciofam, five propria five publica effet, auctioni fubjecit, ex eaque precium corrafum civitatis neceffitati elargiebatur.

CAP. III.

De Octavia Octaviani Augufti forore.

TUa quoque jure laudibus vehenda liberalitas videtur, quæ Marcelli filii fortiffimi adolefcentis funus, clariffimo Poetarum principis celebratum elogio, ingenti ac vix credibili precio, millibus feftertium cujuslibet verfus querelæ elargitis honorafti. Dignum & hoc factum, quod nulla fæcula taceant, quare & nobis hic in ordinem redigatur, fi quo modo Principum in fcurras, mimos, moriones, concitandi rifus artifices, aliaque id genus τ̃ γαιῆς ἄχθη liberalitatem, ad Doctorum curam officiaque honeftiora hæc narratio traducat, tandemque fuus litteris honor conftare incipiat.

CAP. IV.

De Alexandro Magno.

INcredibile dictu est hunc nulla neque præliorum neque magnificentiæ impendia, quibus præ ceteris omnibus floruit, exhausisse. Imperii enim positis terminis, quo aut terrarum solitudines, aut marium sinus æstusque prodire passa sunt, multis passim exstructis urbibus, invictæ opulentiæ documentis, exercitum, quem multis jam annis omnibus bellis periculorum & cujuslibet fortunæ socium habuerat, præda abducta virtutisque præmiis amplissimis onustum dimittit, & quo hoc jam illorum virtuti elargitum præmium nulla ex parte concisum remaneret, omnes æs alienum ad XXIV. talentorum millia proprio ære se soluturum promisit. O opes! O liberalitatem!

CAP. V.

De Senatu Romano.

QUis credet Senatum Romanum, civibus immodico ære fœneratorum pressis, ejus solutionem Reipublicæ tot belli sumtibus gravatæ humeris imposuisse, solutionemque privatam in publicam curam vertisse.

CAP. VI.

De Sesostris Ægyptii Regis patre.

SEsostris Regis pater & ipse Rex opus plane decorum regiumque aggressus est. Nati enim filii futuram animo prævidens magnitudinem, summamque virtutis indolem certissimis corporis lineamentis colligens, ne hujus virtuti virtutis instrumenta deessent, omnes eodem die, quo filius in luminis auras progressus erat, natos ad mille septingentos, communi cum filio pædia institui, communia litterarum rudimenta, disciplinæque militaris exercitia imbibere, proprio impendio jussit, sperans inter una educatos, & iisdem militiæ vexillis assuetos, arctiorem animorum unionem orituram, corpore animisque devinctos, communi præsidio filii sui ferociam fracturos. Neque patrem hoc fefellit institutum. Siquidem adhuc adolescentior a patre in Arabiam missus, quo virtutis olim indole exhibitæ aliquod quasi daret documentum, omnem eam gentem liberam ante servitutisque insuetam subegit; dein Libyæ majorem partem in deditionem accepit. Sed de hoc alias. Nunc Regis summæ divitiæ atq; liberalitas consideranda nobis veniunt, quibus ea filii comitum turba, a primis ævi rudimentis ad virile robur educta, hunc laudis ordinem promeritus est.

CAP. VII.

De Ulpio Trajano Cæsare.

TRajanus maximi eo sæculo ornamenti cui hic non in mentem veniat? Cum ita resonanti eloquentiæ tuba ejus liberalitatem C. Plinius decantet, ut ejus sonitus ad quaslibet terras ad omnium temporum homines facile penetrarit, jucundisque vocum harmoniis audientium aures impleverit. Hic plus minus quinque millia ingenuorum sobolis electissimæ ex omni Imperio conquisita, ita

A ali, iisque studiis a præceptoribus institui curavit, ad quæ naturæ impetu trahi videbantur, quosdam ad castra, alios ad tribus implendas, alios ut tales evadant quibus alienis opus non sit alimentis.

CAP. VIII.

De eodem.

HUic immorari numerosa hujus tuæ gloriæ exempla me diutius non sinunt. Dedisti populo congiarium, donativi partem militibus. Hoc in hac largitione quis leviter transeat, ne-
B minem omnino, neque quem valetudo domi continebat, aut marinæ undæ violentia longius a cursu instituto jactatum, notata littora adire non patiebatur, aut quem excrescentium fluminum rabies congiarii die adesse non patiebantur, liberalitatis tuæ expertem abiisse. Negotiis (inquit laudum tuarum buccinator Plinius) aliquis, valetudine alius, hic mari, ille fluminibus distinebatur, exspectatus est, provisumque ne quis æger, ne quis occupatus, ne quis denique longe fuisset, veniret quisque cum vellet, veniret quisque cum posset. Sic tu disjunctissimas terras munificentiæ tuæ ingenio
C velut admovisti, immensaque spacia liberalitate contraxisti, intercessisti casibus, occursasti fortunæ, omnique conatu adnixus es, ne quis e plebe Romana, dante congiarium te, hominem magis sentiret quam civem. Hoc quoque magnificum præter aliorum Principum liberalitatem præstitisti, quod infantum quoque curam in te susceperis, laboremque parentibus liberos ostendendi, obsecrandi, supplicandique ademeris, qui omnes non rogatus, non visus, non interpellatus, recipi jussisti; atque jam inde ab infantia publici parentis munus obiisti, ut tantum omnes uni tibi, quantum parentibus suis quisque deberet. Pulchre hoc vidi-
D sti, optime Princeps, plebe neglecta, mutaturum ruiturumque Imperium, nisi id larga Principum manus foveat, augeat, amplectatur. Facti hujus laudem mitto. Opes tantum quisque animo suo percenseat velim.

CAP. IX.

De Heliogabalo Cæsare.

IN res non minus sumtuosas, quamquam non æque honestas, Heliogabali opulentia quoque apparuit. Hic convivis largis haustibus excellen-
E tibus, quadrigas, equos stratos, basternas, rhedas certaminis præmia proposuit. Eximie autem in bibendi palæstris excellentium vinositatem aureis millenis, centenis argenti pondo honorare solitus traditur. Quin & in Euripis hunc vino oppletis (O profusionem!) navales pugnas populi oculis exhibuisse apud Auctores in confesso est. Nunquam minoris centum sestertiis, hoc est, argenti libris triginta, eum autem largius sestertiis tribus millibus cœnasse. O divitias ingentes, quas etiam res ita futiles abjectæque imo parum honestæ sibi usurparunt! Quid futurum fuerat, si honesta
F materia hujus potentiam exercuisset? cum ea liberalitatis officia in sordida pudendaque effuderit officia. Quod liberalitatem principe viro dignam exercuerit laudo; quod autem in quos usus ea insumi debuerit, ignorarit, cui velit vitio quisque adscribat.

CAP. X.

De Ælio Hadriano Imperatore Rom.

HAdriani quoque in hoc argumenti genere memoria apprehendenda est, qui duplex populo congiarium, ternis viritim aureis divisis, dedit. Et præter hæc infinitam pecuniam, quæ fisco debebatur, privatis debitoribus in Urbe ac tota Italia, reliquisque quæ Romano Imperio fidem dederant Provinciis, remisit, & quo omnibus debiti soluti roboraretur securitas, syngraphos chirographosque, in Trajani Foro comportatos, incendio absumsit.

CAP. XI.

De eodem.

HÆc Hadriani liberalitas in reliquis ejusdem decoris facinoribus investigandis animum jam alio intentum progredi incitavit. Senatoribus, quibus opes tenuiores erant, quam pro ejus dignitatis tuendæ ratione, maxime autem quos non profusio, sed fortunæ invidentia ei necessitati subjecisset, sua liberalitate patrimonium ampliavit, vulgique inopiam eadem propulit, & Senatus dignitatem retinuit. Sed alio stilus reflectatur.

CAP. XII.

De eodem.

GRavissimo sim obnoxius crimini, si quæ toties pulcherrime laudibiliterque designasti, simplici commemoratione contentus transgrediar. Non enim æquum fecero, si quæ tu diversis temporibus diversa munera summa cum laude profudisti, una atque eadem exempli angustia complectar. Sunt deinde omnia hæc munificentiæ tuæ facta ea dignitate obsepta, ut peculiarem narrationem sibi quasi jure suo merito vendicare, non in turba, invisa, neglecta, ac non penitata delitescere, debeant. An non seorsum dici meretur, te in socrus honorem alienis terris conquisita aromata distribuisse, in Trajani honorem balsamum, quod Hiericonis sylvæ tantum exsudant, nobilissimum nulloque pretio exæquandum liquorem, crocumque, pretiosissimum quoque germen, abundanter per Theatri gradus fluere jussisse, ut hinc collectum populus in longos usus reponeret. Sic cujusque civis domum sumtibus privatis effecisti pharmacopolium, omni tempori, omni fortunæ tuam exponens beneficentiam, ut robustorum sanitatem tuereris, affectorum pristinæ valetudini restitueres. Quo non beneficii merito? Qua non liberalitatis laude? Quo non opulentiæ argumento insignis hic apparuit?

CAP. XIII.

De Caligula Cæsare.

TRiste illud terrarum portentum, cui universos cives Romanos una constare cervice in votis erat, nostro quoque calamo hic celebrabitur, non ut infami illi cruorisque humani sitientissimo monstro, sed vetustati ornatus accedat. Congiarium tricenum sestertium bis populo elargi-

A tus est, totiesque instructissimas regali luxu dapes, Senatui, Equestrique Ordini, ad easdem & conjugibus & utriusque sexus liberis accersitis, eosdem omnes posteriore epulo invitatos, purpuræ ac conchyliorum fasciis splendidissimis muneribus oneratos dimittens.

CAP. XIV.

De Claudio Cæsare.

B NIhil interim de Claudio dicendum est? qui innumera populo congiaria sæpissime elargitus est, & annona deficiente negotiatoribus certa lucra proposuit, in se damno suscepto, si quid cui per tempestatem accidisset, naves mercaturæ causa fabricantibus magna commoda constituit.

CAP. XV.

De Domitiano Imperatore.

C HIc, præter spectacula magnificentissima assidue edita, in quibus exhibendis nemine inferior adparuit, congiarium populo nummorum trecentorum ter dedit, atque inter spectaculi munus largissimum epulum adposuit. Cæterum luxum, ex quo non exiguas vires institutum nostrum sumturum est, qui legere desiderat, Suetonium consulat. Nos inter propositum decurramus.

CAP. XVI.

De Nerone Cæsare.

D CLara & Neronis principatus initio adparuit liberalitas, qui ex Augusti præscripto imperaturum se professus, neque prodigalitatis, neque clementiæ, neque comitatis exhibendæ ullam omissurum occasionem jactabat. Populo viritim quadragenos nummos divisit, Senatori cuique nobilissimo, cujus dignitati impar videbatur patrimonium, annua salaria constituit. Felicem Populum Romanum, si quæ virtutis futuræ adsumti Imperii initio documenta exhibuit, pari exitu comprobasset! Beneficentia enim hæc misere in civium capita pari sævitia commutata detonuit. Siquidem ut olim citra delectum quemlibet benevolentiam
E suam sentire voluit, ita post mutato rerum ordine, interimendi cædibusque grassandi delectum aut modum nullum sceleratissimus parricida adhibuit. Sed desinam; non enim semiferi hominis truculentiam atroci oratione exagitare propositum est.

CAP. XVII.

De C. Julio Cæsare.

F AGe vero, quem primo nominatum loco oportuit, hic te interseri patieris, Cæsar; in te maxima enim opulentiæ adparuerunt exempla, qui divitias non voluptatis aut deliciarum gratia, sed tamquam parata viris fortibus præmia, apud te conservabas. Cujus rei laus aliud & tempus, aliud ingenium, aliud argumentum requirit. Hic tantum congiarii in populum ostentata sumtuositas prædicabitur, cum cætera omnia liberalitatis tuæ documenta, ut institui mei postulat ratio, breviter comprehendi nequeant, aut si maxime queant, a re proposita videantur aliena: po-

pulo hic præter frumenti modios duos, totidemque olei libras, trecentos quoque nummos viritim divisit. Dedit epulum populo ac viscerationem, & post Hispaniensem victoriam duo prandia. Cum enim prius parcius quam pro imperatoria liberalitate præbitum judicaret, avaritiæ sordiumque infamiam novo atque largiore multo prandii apparatu quinto die post honorifice eluit. Utinam hic humani pectoris cogitatio, paulisper singula pensitans, pedem figat, videret opinor compendiosissima methodo, quantò hujus nostri ævi rebus Veterum fuerint opulentiores!

A

B

CAP. XVIII.

De Augusto Cæsare.

QUid autem Augusti opulentia unquam quisquam vidit augustius, qui frequentissime præter cæterorum omnium morem hisce liberalitatis muniis vacavit, quibus plenam illam & opibus inexhaustam, magnificentissimisque facinoribus fœtam ætatem, in posterorum animis non desiit propagare. Omnis ordo hujus sensit liberalitatem. Senatorum censum majori opum accessione ampliavit, pro octingentis millibus ad duodecim sestercium summam evectum. Congiaria populo frequenter dedit, sed diversæ summæ, modo quadragenorum, modo tricenorum, nonnunquam ducenorum quinquagenorumque nummorum, ne minoribus quidem pueris (quod sua interim non caret laude) præteritis, ad quos ejus munificentiæ fructus extendi solitus non erat. Neque in hac tantum re opulentiæ ejus exundarunt flumina. Siquidem annonæ difficultatibus populi laborantis penuriam, sæpe levissimo, interdum (prout necessitas urgebat) nullo pretio viritim admenso frumento placavit. Et (quis credat?) præter tantum opum in Rempublicam, in splendorem, ac magnificentiam Urbis, quam se ex lateritia marmoream relinquere jactitabat, præter creberrimas largitiones, præter ardua, periculosissima, sumtuosissimaque bella, quæ inexhaustos ac incredibiles opum cumulos conterere facile poterant, testamento Populo Romano quadringenties, tribubus tricies quinquies sestercium legavit. Prætorianis militibus singula millia nummorum, cohortibus urbanis quingentos, legionariis trecentos, quam summam quanquam confiscatam repositamque habebat, etiam repræsentari jussit. Quem non tantarum opum hic admiratio capiat?

C

D

E

CAP. XIX.

De Aureliano Imperatore.

JUngendus est Augusto quanquam ætate inferior Aurelianus. Hic vacillantibus jam Romani Imperii nervis divitiarum tamen in Populum distributione non admodum Augusto concessit. Siquidem quod nullus ante opum fiducia fretus tentarat, cæteris Imperatoribus omnibus aut oleum, aut panem, aut porcinam largientibus, hic, ne quid populi voluptatibus deesset, vinum quoque præbuit. Quod ut perpetuo fieret, Hetruriæ loca, quæ sylvestribus agris summæ fertilitatis ad Alpes usque marinas excurrebant, quoniam vitibus serendis maxime idonea cognoverat, coemere statuit, montes sylvasque incultas, fœdoque situ squallentes, translatis eo captivorum multis agminibus, vitibus excolere; harum beneficio quotannis largissime nullo pretio Populo vinum statuit emetiri. Quin & hic quoque congiariorum profusione Populi egestatem ter levavit, ejusdemque nuditatem vestium adjumento fulsit, ne in ullo benignitatis genere officium suum claudicare videretur.

F

CAP. XX.

De Pertinace Imperatore.

HElvii quoque Pertinacis opes congiariorum largitione enituere, quem Populo centenos dedisse denarios, prætorianis militibus duodena promisisse millia, dedisse sena Auctores testantur.

CAP. XXI.

De Alexandro Severo.

QUid nunc Alexandrum Severum referam? cujus divitiæ quoque huic loco interseri suo jure merentur, qui congiarium Populo ter dedit, donativum militi ter, & præter congiarii pecunias carnem Populo divisit, ne dicam interim immensas opes, quas in pauperum usus quotidie elargiebatur.

CAP. XXII.

De M. Antonio Philippo, Antonino Pio, Commodo, Severo Afro, Imperatoribus Romanis.

ANtoninus Pius bis congiarium Populo, toties donativum militibus dedit. Vini, olei, tritici difficultatem ærarii privati damno sæpius sedavit. M. Anton. ter largitione hac insignis apparuit. Commodus quoque septingentos denarios in singulos effudit. Non autem tu, Severe Afer, hujus rei finem claudis, quod cæteris omnibus hac in re inferior exstiteris, sed ut quemadmodum narrationi huic dederunt clarissimi initium, ita & tu pari exempli magnitudine eidem quasi fastigium imponas. Quis enim non inter præclarissima numeret potentiæ exempla, quod diligentissimam semper annonæ curam habueris, congiarium diviseris, & (quod divini ingenii, divinæ potentiæ argumentum erit) moriens septem annorum canonem reliqueris, ut viginti quinque modiorum frumenti millia (o potentiam monstrosam!) singulis diebus expendi possent. Sed de his hactenus, cum omnia exsequi non minus supervacuum sit quam infinitum.

CAP. XXIII.

DE MEMORANDIS PRINCIPUM VETERIS ÆVI THESAURIS.

De Davide Rege & Propheta.

A Quo potius quam a Davide, qui speciosissimos & Regis locupletissimi & Prophetæ sanctissimi divinæ vocis encomio obtinuit titulos, Regum Principumve opes describendi initium desumam? Hic cum templi Domino ædificandi provinciam in filium, qui in regnum successurus erat, Solomonem transtulisset, isque operis sumtu magnificentiaque obstupefactus terreretur, hujuscemodi voce filii trepidationem castigavit, *Confortare & viriliter age, ne timeas, neque pa-*

A *veas. Ecce ego in paupertatula mea præparavi impensas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum*, quam summam Budaica supputatio decies majorem Darianis opibus, Græciæ toti (in suarum rerum laudem effusissimæ) decantatissimis, constituit. Atque interim templi structuræ soli tantum pecuniarum destinatum fuisse verisimile est, sepositis ingentibus thesaris belli gerendi nervis, quibus regiam dignitatem vir bellicosissimus, in tanto rerum motu, in tanto irritatorum vicinorum odio, si quid accideret, tueri posset. Fœlix opibus fuit quidem, at prophetiæ dono, quo inter cæteros eminuit, fœlicior.

B

CAP. XXIV.

De Solomone Hierosolymarum Rege splendidissimo.

SEcundus in hoc proscenium Solomo, prudentiæ opulentiæque dotibus facile princeps, progrediatur. Prudentiam, utpote rei quam agimus minus accommodam, mittemus. Ad opes stilus revocabitur. Hic, quod divini etiam organi vox proclamat, ultra omnes terræ Reges divitiarum honore fuit insignitus, quo regni Judaici habenas moderante, nunquam a quoquam usurpata vox, libere fuit jactata: Eandem argenti & lapidum, cedrini ligni & sycomori, quam ubertim agrestia proferunt loca, fuisse æstimationem. Quotannis huic, præter vectigalia negociantium, regnique subjectorum tributa, (quorum summa nulla supputatione circumscribi potest) auri pondus sexcentorum sexaginta sex auri talentorum adscribebatur. Possessa vero ab eo decem millia talenta auri, neque hac inferior argenti summa. Bijugum equorum quadragena millia, bissena equorum jam pugnam meditantium parata in stabulis fuere. Fecit ex auro purissimo ducenta scuta, cujuslibet operi sexcentis auri siclis in laminas extenuati destinatis, trecentasque peltas ejusdem metalli, in quarum singulas trecentæ auri minæ insumtæ, omnia vasa usui quotidiano deputata aurea. Fecit & summæ magnitudinis thronum ex ebore, quem auro obductum roboravit, nullis etiamnum terrarum Regibus imitatum opus. Quid autem inani opera in divitiarum numero circumscribendo molestamur, cum templi ædificati splendor, (quem omnia admiratura sunt sæcula) inexhaustæ hujus opulentiæ certissima præbeant argumenta; cujus describendi ex Veterum monumentis laborem alibi fortasse nobis desumemus. Fœlicem hunc, cui divitias pari sapientia conjungere a superis propitiis concessum est!

C

D

E

CAP. XXV.

De Dario Persarum Rege.

COmmemoratione Judaicorum Regum, ad Persicæ opulentiæ exempla deducor. Inter quæ memoriæ se prima Darianæ potentiæ offert consideratio, e cujus regno post turpissimam in campis Adrastis sexcentorum millium fugam, post eodem dedecore notata quadringenta hominum millia, centum LXXX. talentorum millia Alexandrum victorem transtulisse produnt. Neque id mirum cuiquam videri debet, cum ex una Asia vectigali quotannis quingenta septuaginta quatuor talentorum millia reciperet. His vererer ut hominum fides accedat, nisi maxime fide dignorum Scriptorum auctoritate suffultus, tantæ rei, omnis mendacii suspicionis securus, ausim decantare præconia.

F

CAP. XXVI.

De Cyro Persarum Rege.

ADmirabiles ac propemodum incredibiles Cyri (quem avus insomnii prodigiis admonitus regii pecoris pastori feris objiciendum tradidit) divitiæ exstitere, quem quoque in eam claritudinem fortunæ arbitrium evexit, ut Babylonem Orbis miraculis adnumeratam, bello tentatam etiam vi ceperit. De quo alias. Hujus opes (Mida Phrygum, Crœso Lydorum, insignis opulentiæ Regibus domitis) in unum redactæ quingena argenti talentorum millia effecerunt. Quorum æstimationem ad nostratis pecuniæ æstimationem calculo redactam, quadringentorum millionum coronatorum qui supputandi molestiis sese intricarunt efficere numerum profitentur. Quid hic dices? fœlicior-ne tantis fortunæ blandimentis lactatus, atque in eam potentiæ opulentiæque admirationem evectus, a fallaci ejusdem vultu in eam mortis ignominiam conjectus infœlicior fuerit.

CAP. XXVII.

De Sardanapalo Assyriorum Rege.

CUjus animum non ingens admiratio subeat, muliere quavis corruptiorem Regem, inter scortorum greges muliebri lascivia eminentem, purpuram colo trahentem, pensa inter virgines partientem, eam pecuniarum congeriem repositam habuisse, quæ cum fortissimorum moderatissimorumque Regum divitiis paria facere, interque opulentissimos thesauros numerari possent. Syrorum talentorum auri decem milliones, nostrate numismate coronatorum sexdecim millia, septingenti quinquaginta milliones. Et hæc quidem auri summa, ad quam si argenteæ gazæ κειμήλια conferes, Assyriarum opum æstimatio ad quadraginta septem millia millionum, cum septingentis quinquaginta millionibus librarum Turonicarum & eo amplius progredietur. Quos thesauros omnes ab Arbacto Præfecto victus simul cum corpore flammarum voracitati tribuit. Effeminatiori-ne fuerit vita, an morte viriliori, quis dixerit?

CAP. XXVIII.

De Crœso Lydorum Rege opulentissimo.

NEquaquam Crœsi divitiis similis narrationis honor negandus est, cujus opulentiam etiam Adagio vulgata loquentium consuetudo memoriæ consecravit, ut Lyd. Crœsi Gazæ maximam inusitatamque opum vim denotaret. Et quanquam certus numerus (quod equidem sciam) a nemine tradatur, sagaci tamen ingenii investigatione, conjecturarumque verisimilium præsidio, ad penitiorem ejus cognitionem penetrabimus. Quomodo enim non divitiis clarus fuerit, qui solus Cyrum invictæ potentiæ Regem sine terrore audivit, obviam ei ivit, restitit, conflixit, qui post tumultuosissimum bellum tandem victus, victoris ærarium plus minus quingenis talentorum argenti millibus locupletavit. Opibus fœlix fueras, ni fallacis fortunæ blandimenta tanta infœlicitate regni tui exitum onerassent, expertusque esses pruden-

tissimum hoc a Solone prædictum oraculum, οὐθένα εὐδαίμονα εἶναι πρὶν πρὸς τὸ τέλος τοῦ βίου ἀφίκηται, καὶ τὸ θάνατον ἀκριβῆ ἔλεγχον εἶναι τῆς εὐδαιμονίας.

Cap. XXIX.

De Priamo Phrygum Rege.

Quid decantatius decennali Trojanorum cum Græcorum proceribus, ob hospitii jura adulterio per Paridem temerata, bello? Quæ unquam belli tempestas latius longiusque sæviit? Quæ unquam undatio validius regni alicujus aggeres pulsavit? Eam tamen ferocientium bellorum rabiem, divitiarum mole objecta ad decem annos usque ab irruptione cohibuit: quam etiam frustra oppugnaturi undiquaque fuerant, ni viribus diffisi ad cuniculorum fraudes fraudulentaque consilia se convertissent. Nunquam majore impetu arma inter se collisa crepuere. Pertinaciori studio haud temere alias in mutuas cædes certatum est. Vix alias campus densiores hominum catervas vehementiore cædis rabie vidit exagitari, quæ omnia perpetua interruptaque serie, fœliciter scaturientium opum beneficio ad decem annos usque, summo cum omni seculorum stupore cucurrere.

Cap. XXX.

De Mida Phrygum Rege.

Hujus etiam divitiarum admiratio simplices vulgi animos ad fabularum figmenta traduxit; cum enim fontes, unde tanta pecuniarum copia scaturiret, ignorarent, fabulam excogitare urgebat necessitas: Apollinem scilicet comiter ab eo hospitio acceptum ejus humanitatem hoc præmio fœnerasse, ut quæcunque is manibus tractaret, veteri deposita & forma & materia in auri splendorem converterentur. Hujus calamitatem immensis auri argentique ponderibus Cyri thesauros ampliasse jam dictum est, unde facile horum æstimatio aliqua sumi poterit. Nos enim alio torquere vela propositi ratio admonet.

Cap. XXXI.

De Alexandro Magno terrarum domitore.

Quid de Alexandro dicam? aut qua verborum gratia invictæ hujus potentiæ thesauros efferam? quibus immanissimas maximeque barbaras totius Orbis gentes gravissimo horrore late terruit, quorum splendor quantumvis longe positorum oculos lumine perstrinxit, quorum fama aut pacis fœdera conditionesque, aut belli inducias, a bellicosissimis etiam extorsit. Neque immerito: invisam enim inauditamque a gentibus Regibusque inter initia surgentis Macedonici regni, omnibus, communibus viribus eum terrorem tanquam commune aliquod incendium restinguere conantibus, thesaurorum vim in cujuslibet fortunæ eventum reportavit. Summa (ut Scriptores tradunt) centum millia, seu decem myriades talentorum Atticorum fuit, aut si mavis sexaginta milliones coronatorum. Quanta interim omni virtuti, omni officio, omni occasioni exposita hujus liberalitas admirationem sibi merito usurpabit? Aristotelis, Peripateticæ Sectæ principis, doctrinæ virtutisque admirationem octoginta talentis, hoc est, quadringentis octoginta coronatorum milli-

A bus, honoravit. In Bucephali emtionem talenta 13. hoc est, septem millium & octingentorum coronatorum precium profudit. Et præter belli cum totius Orbis viribus gesti sumtus, triginta puerorum millia, studio disciplinisque excolendos aluit, quorum virtus iis, quos jam diu bellicis laboribus fatigarat, succederet. Quid autem duo talentorum millia referam, quæ Thessali missionem Dario capto consecuti, præter stipendium accepere? Sed quanquam inani opera me videam molestari, qui tam late patentem uberemque divitiarum segetem certis quasi classibus comprehendere laborem, non tamen mihi temperaverim, quin

B speciosissima munificentissimaque aliquot potentiæ exempla adjiciam. Quid enim de convivio regali luxu prorsus diffluente Macedonibus exhibito dicemus? in quo omnes ad novem millia, aurea phiala ad diis libamina facienda donati referuntur. Quid de immensa auri vi, ad novem millia, octingenta & septuaginta talenta, quam creditorum vexationibus molestisque exactionibus e suo ærario elargitus est. Quid an non de Ephestione eximio Alexandri amico dicam? quem quum vivum dilexisset, mortuum sepulchro, cujus structuræ duodecim talentorum millia deputata sunt, deco-

C ravit. Quæ autem oratio in omnis generis officiis diffusam ejus opulentiam divitiasque, non dicam merita dignitate, sed vel succisa narratione comprehenderit? quas mulorum juga dena millia, quinque camelorum vexisse, Historicorum fides adprobat. Sed narratio finem inveniat, cum hujus divitiæ nullo sumtu, nulla munificentia, nullis largitionibus, nullis operum splendoribus, ullam sibi metam invenerint. Sed hanc tantorum bonorum fœlicitatem ut te ad prehendisse merito lætatus es, sic eandem tam exiguo amisisse tempore merito dolebis.

D

Cap. XXXII.

De Ptolomæo Cypri Rege.

Major de Ptolomæi divitiis opinio quam ipsæ divitiæ fuerunt: tanta enim harum fama fuit, ut victor Gentium Populos, donare etiam regna consuetus, P. Clodio Tribuno duce, septem talentorum millia exegerit, aut vivi Regis, ejusdemque socii bonorum confiscationem mandaverit, divitiarum æmulatione, citra omnem controversiam, ad tam duras pacis leges incitatus. Rex, incertum solutionis-ne diffiden-

E tia, an veteri fortitudinis nobilitatisque gloria, aut rei indignitate motus, scelus ne pristina dignitate indignum conspiceret, veneno, aut, ut quidam arbitrantur, maris strangulatus vorticibus fatum accelerans, simul cum vita & opes amisit, quæ Porcio Catone principe liburnis per Tyberinum ostium in Urbem invectæ, copiosius quam ullius triumphi opes ærarium locupletavere.

Cap. XXXIII.

De Asiæ divitiis.

F

Tot talentorum millium summa imperata Cyprium Regem ad immaturam degenerem miseramque mortem rapuit. Sed o felicem Asiam, quam nulla exactionum atrocitas ad tam desperata consilia adegit! Hæc Alexandrum ejus jam littora navigatione in conspectu habentem, nimia sua fertilitate opulentiaque proprias opes impartiri fecit, opinantem Asiaticum aurum cupiditati tantæ tantisque operum cœptis, quibus vix quic-

quam par reperiri posse videbatur, suffecturum. A
Hæc sævissimi Antonii exactionibus ad talentorum viginti myriades, atrocissimæ a L. Sylla ob defectionis a Rom. fide suspicionem, mulctæ viginti millium talentorum, hoc est, duodecim millionum coronatorum, non succubuit. Hæc pecuniarum cupidissima Gallorum pectora, qui exuberante in patria populi multitudine, sive externorum divitiis adducti, novas sibi sedes quærentes, in eam delati fuerant, divitiis satura domum remisit. Cujus auri moles fuit pondo centum decem millia, hoc est, (ut plerique volunt) aureorum solatorum centum octoginta milliones, una cum centum viginti quinque millibus, argenti pondo quin- B
quies decies centum millia, quæ summa quadraginta milliones centum viginti quinque millia solatorum aureorum conficiet, utriusque autem metalli summam si conjungas, ducentos viginti milliones ducenta sexaginta quatuor millia solatorum reperies. O diis etiam ipsis invidiosam opulentiam!

CAP. XXXIV.

De Cleopatra Ægypti Regina.

C
SEd Cleopatræ divitiarum luxuria magis etiam est admiranda, quæ incerta ambiguaque Romani Imperii spe, præter multa opulentissimaque aliarum rerum subsidia, pari ejus quam Asiæ, defectionem molienti, mandarat Populus Romanus talentorum summam, Antonii partes & fovit & juvit. Quæ autem sumtuum magnitudo illius thesauros exhauriret, quæ unionem centies sestercíis a Planco luxuriæ arbitro æstimatum, nostrate pecunia septuagenis librarum Flandricarum millibus, nongentis, & septendecim; sola luxuriæ cum Antonio æmulatione, vino dissolutum, (proh scelus!) exsecrabili ventris ingluviei immi- D
sit, parata etiam (ni ab certaminis arbitro victoria adjudicata fuisset) & alterum ejusdem precii ab aure detractum in similem convertere nequitiam. Sed tu, quantum opulentia hac tua gloriæ obtines, tantum fœdissima hac tua luxuria infamiæ tibi conciliasti.

CAP. XXXV.

De Ægyptiorum divitiis.

ÆGyptus arctissimis terræ limitibus patens, E
quot, quantis, & quam præclaris opulentiæ exemplis clara, hominumque doctissimorum præconiis est celebrata? Nulla memorandis structurarum operibus clarior, nulla in deorum officia sumtuosior, nulla egregiis immortalitateque dignis exemplis hac insignior apparuit. Quæ omnia suo loco, in ordinem redacta, quantum per historiarum monumenta licuit, reperies. Hæc Romanorum armis subjecta, uberrimam splendidissimamque pecuniæ messem quotannis ad duodecim talentorum millia quadraginta, nostra æstimatione septem coronatorum milliones & quingentos, in Romani fisci late pa- F
tentia horrea mittebat. Quæ etsi ingens sit pecuniæ summa, Ægyptiarum tamen opum claritudine indigna propemodum videtur.

CAP. XXXVI.

De Protbei Ægyptii Regis filio.

OMnes omnium divitiis insignium Regum opulentias post te longe fueras relicturus, si iis quibus cæteri liberalitatis vacasses officiis. Nunc autem etsi divitiarum gloria clarus fueris, utpote qui quadringenta talentorum millia moriens reliqueris, tamen quia sordide per omnem vitam vectigalibus tributisque colligendis exigendisque intentus incubuisti, nullisque neque deorum muneribus, neque hominum liberalitati vacaveris, merito citra nominis honorem tenuissima laude celebratus abibis. Si quam tibi opum splendor nobilitatem adjunxit, eam indecoræ regiaque beneficentia plane indignæ sordes derogant.

CAP. XXXVII.

De Perseo Macedonum Rege.

QUis dixerit Perseum, Philippi secundi Macedoniæ Regis filium, gratioribus successibus fortunæ blandimenta foverint, an majori ignominia adfecerint. Agitatum diu a patre cum Romanis bellum, ejusdemque morte jam sopitum, hic exsuscitat bellico fretus apparatu, quem jam pridem mortuus pater reliquerat. Quid ni juveni gloriæ æstu flagrantissimo, cujus præcordia juvenili temeritate calebant, tanta rerum copia animos tolleret, cum præter Macedonicum invictæ opinionis exercitum, copiis innumeris ad decem annos alendis sumtus a patre paratus, huic in thesauris & horreis fuerit? Hunc tamen quemadmodum fortuna amplissima divitiarum gloria in sublime evexit, ita paulo post turpissimo lapsu a tantis splendoribus præcipitavit, ut regnum, quod sceleribus subito paratum erat, subito quoque diis scelera vindicantibus amitteretur.

CAP. XXXVIII.

De Tectosagibus Galliæ Populis.

COgit me opulentiæ splendor, neque vestri in hoc præclaris. Principum ordine, intactam relinquere memoriam, quanquam hujus exempli magnificentia Asiæ magis divitias celebret, tamen quoniam quæ victoris virtus sibi bello paravit, possessorem mutant, indignum visum est vos vestro honore fraudare, non quo me vestræ rapacitati patronum constituam, sed ut ne ego vobis si quam in hac re admirationem obtinetis, negligenti silentio denegare videar. Incredibili enim auri argentique vi fama nomenque vestrum celebratur, cujus summa aurea centum decem millia pondo, argentea quinquies decies centena millia pondo constituebat. Quæ divitiarum portenta si diligenti supputationis examine in unum redigas, ducentos viginti milliones ducenta sexaginta quatuor millia aureorum solatorum cum sexcentis efficere comperientur. Quid unquam terra opulentia hac opulentius, splendore hoc splendidius, magnificentia hac magnificentius habuit?

CAP. XXXIX.

De Vejentum incredibili opulentia.

AGe vero, quando a regnorum exemplis ad privatarum gentium opes nimia admiratio nos deduxit, non abs re fieri censeam, si Vejentes eadem stili tenuitate, qua cæteros omnes quodammodo celebravere, neque id opinor indigne ferent, cum horum res ad prodigium usque splendidissimæ, splendidissima quoque amplissimaque narratione decorari mereantur, nobis enim undique certo quodam verborum compendio uti ab initio est propositum. Hi post decennalem obsidionem cum cuniculorum fraudibus, artibus Romana certe virtute indignis, capti essent, tantas opes victori populo reliquerunt, ut & decimæ Pythio Apollini voverentur, totaque Urbs Romana ad prædæ direptionem evocaretur, cum qui urbem ceperant, aurum capere non potuerint. Tanto illis fuisse facilius urbem capere, quam divitias auferre, quæ secula non admirabuntur?

CAP. XL.

De Antiocho Syriæ Rege.

ANtiochi Parthis bellum inferentis exercitus tanta opum copia abundavit, ut & gregarii milites caligas auro fingerent, aureos clavos crepidis subjectos habuerint, proculcarintque materiam, cujus impotenti desiderio cæteræ gentes in furias ferrumque amentes feruntur. Ad culinæ usum huic argentea fuerunt instrumenta, tabernacula textilibus sigillis adornata steterunt, quasi non animi fortitudine, manusque promtitudine, sed opum luxuria bellum conficeretur. Ferunt hunc cum invictæ Romanorum potentiæ bellum illaturus esset, exercitum magnificentissimo armorum apparatu instructum (cum plerique hastis scutisque aut aureis, aut argenteis eniterent) circumduxisse, Hannibali ostentasse, rogasseque num hæc Romanis satis essent futura, cui irrisorie Hannibal responderit, Etiam etsi avari sint admodum. Hæc fœlicis ac vernantis illius sæculi præclara sunt opum argumenta, sed avaro hosti præda magis optabilis, quam ulla ad vincendum strenuo mora.

CAP. XLI.

De Ptolomæo.

CLarissimo quoque inundantium opum exemplo Ptolomæus sua tempora ornavit, quem Varro, gravissimus certe hic incredibilis propemodum rei adstructor, tradit, Pompejo non longe a Judæa res gerente, octona equitum millia propria pecunia sustinuisse, mille convivas aureis potoriis, cæteris vasis, ferculisque mutatis saginavisse.

CAP. XLII.

De Elisa.

QUo piaculo clarissimo Tyriorum sanguine ortam, quæ æmulæ Romani Imp. urbis auspicatissima jecit fundamenta, taceam? Hæc Sichæo Herculis sacerdoti, qui honos secundus a Rege erat, nupsit, cui magnæ quidem, sed dissimulatæ opes erant, quasque non tectis, sed terræ

A latebris Regis metu crediderat. Re tamen vulgi rumore ad Regem delata, cœca tantarum opum cupiditate in furias actus, contra juris humani reverentiam, contra sanctissima cognationis vincula, omni pietatis ratione posthabita, avunculum eundemque affinem trucidat, easdem quoque machinas in sororis vitam structurus, ni matura fuga futurum declinasset periculum. Quæ opibus, jam olim spe a fratre devoratis, in naves delatis, Africæ littoribus adpulit, incolasque mutuarum rerum commercio gaudentes in amicitiam sollicitavit, locoque urbis statuendæ emto, solo opum præsidio fulta etiam Romano Imperio tremendam urbem
B Carthaginem condidit.

CAP. XLIII.

De Mithridate Ponti Rege.

TOt cladibus oppressus Mithridates, Syllæ fœlicitate, Luculli virtute regno angustissimis limitibus circumscripto, quanta tamen (dii immortales) divitiarum gloria, etiamnum infortuniis hinc inde eundem sepientibus, insignis apparuit? In fugam actus copias auro, argento, vesti-
C bus multi precii copiosissime per itinera sparsis periculo exemit, ardentes hostium animos præda temere disjecta ab insecutione avertit, ut quam virtus incolumitatem negarat, divitiæ præstarent.

CAP. XLIV.

DE PRIVATORUM QUORUMDAM OPULENTIA.

TEmpus erit privatæ quoque opulentiæ aliquot subijcere exempla; ne omnem auri ar-
D gentique vim in sola Regum, Principum aut Cæsarum abiisse æraria quis suspicetur, subjectis interim aut graviter esurientibus, aut incommode vitam exigentibus, ut civium penuria Regum opulentia fulta, & calamitas publica in privatam versa utilitatem videretur.

CAP. XLV.

De M. Crasso.

MAjoribusve abundarit divitiis, an majori habendi cupiditate flagrarit homo insatiabilis
E avaritiæ Crassus, tot seculis incertum, nondum ἐξ ἀκινήτου παρέμεινε. Hujus animum divitiis insatiabilem tanto viro indigna vox prodidit: Neminem sibi videri divitem, nisi cujus opes annuo reditu legionis alendæ sumtus toleraverint. In agris suis sestercium viginti millia possedit, vix credibiles nostris his temporibus opes, quæ nostrate ære quinquagies centena millia aureorum coronatorum, regios prorsus thesauros, efficiebant: quas quam honeste pararit, nemini incertum; nempe ex civilium bellorum incendiis, nocentum pecuniosorum scelere, judicii corruptela, corrigendo, locupletum proscriptione, municipum cæde; deli-
F ctum, decretum, aliena, suam sententiam, forum, domum, vocem, silentium, denique omnia venalia habendo. An enim honestis artibus, ex trecentis talentis, quæ hæreditario jure patris morte illi cesserant, ad tantam opum vim, septem millium centum talentorum, consecrata interim Herculi decima parte, publico epulo ad plebis favorem conciliandum tribusque nummis viritim datis, pervenisset? Sed bene habet, quod qui aliorum sanguine se imbuerat avaritia impulsus,

proprio tandem eadem instigante turpiter fœdatus jacuerit.

CAP. XLVI.

De M. Tullio Cicerone.

CRasso populi opinione longe ditissimo M. Cicero non parum ab ea divitiarum mole semotus, propria opinione longe ditior exstitit. Illius enim pecuniæ augmentum minori cupiditatis flagello præcordia pulsabat, sequebaturque (quod dici solet) major crescentem cura pecuniam. Hic centenis quæ ex prædio sumebat sesterciis contentus, plura habendi cupiditati viam præclusit. Cujus divitiæ etsi præ cæterorum Romanorum opibus minime claræ memoratæque fuere, nostro tamen huic ævo ingentem admirationem summumque opulentiæ veteris daturæ sunt argumentum, cum quæ nunc obscuræ nullaque hominum fama jactatæ jacuere, nunc propemodum (ne nimum dicamus) splendore nos terreant. Prædia habuisse duodeviginti minime oscitabundo ingenio ad Atticum scriptas epistolas legentibus perspicuum erit. Horum nomina aliquot quantum memoriæ beneficio adjuvor subjiciam: Tusculanum doctissimo *Tusculanarum Quæstionum* Opere nobilitatum; Lanuvinum; Asturicense; Phormianum; Puteolanum; Alsiense; Arpinate; Manlianum; Pompejanum, &c. Quin non parum huc facit Terentiam viri ab exsilio in Urbem revocati forti congratulantem, sexdecim curribus Brundusium usque per tot locorum intervalla occurrisse. Egregium sane divitiarum argumentum, quæ (viro ex quo solo tota familiæ pendebat fortuna amoto, tot tantisque invidorum arrosionibus concisæ) iis viribus substiterint, quæ amicis lætitiam, invidiosis mœrorem, nobis etiamnunc admirationem non intermorituram reliquerint. Fœlix heu nimium fœlix, ni tuam virtutem filii improbitas insano luxu turpissimisque sceleribus commaculasset! At te tua virtus consolabitur.

CAP. XLVII.

De Qu. Cicerone, M. Tull. Cic. fratre.

NI me properantem majorum rerum ad se traherent exempla, nonnihil in Q. Ciceronis divitiis ocii temporisque ponerem, quas nunc cursim tanquam per transennam inspiciendas proponam. Eæ autem quo dilucidiore apparebunt argumento quam pomposissima Villæ in Arcano structura, cujus splendor etiam ipsius Ciceronis oratione celebrari meruit. Quæ is de ea memoriæ prodidit, subjicienda duximus: *In Arcano (inquit) ad quartum Idus Septembris fui, aquam, quam ibi ducebant, non longe fluentem a Villa, vidi, nihil ei restabat, præter balnearia & ambulationem, & aviarium: Summum dignitatem pavimentata porticus habebat, quod mihi denique apparuit, postquam & ipsa tota patet, & columnæ politæ sunt. Cameras quasdam non probavi, mutarique jussi, quo loco te in porticu scribere ajunt, ut atriolum fiat. Equidem hoc quod melius intelligo adfirmo, mirifica suavitate te Villam habiturum, piscina & salientibus aquis, additis palæstra & sylva viridicata. Quanquam ea Villa, quæ nunc est, tanquam Philosophia videtur esse, quæ objurget cæterarum Villarum insaniam.* Hactenus Cicero. Videndum est autem ne quam cæterarum Villarum insaniam castigaturam esse dicit, nunc victrix e sublimi nostras, æmulationis secura, ridere merito possit, ut quæ splendidissimo eo sæculo nimium structuræ luxum castigavit, nunc forte commutata mendicitatem exprobret.

CAP. XLVIII.

De Plinio Juniore.

STatutum est ex similibus Villarum insanis structuris, & Plinii Secundi opulentiam perscrutari. Quo enim certiore argumento, quam ex iis quæ præter familiaris rei quotidianos sumtus, non tam ad necessitatem quam ad evanidam immortalitatis consequendæ titillationem inanemque ostentationem sibi excrescens illa divitiarum luxuria finxit, opulentiæ exempla colligemus? Omittam enim nunc amplissimam pecuniæ summam, qua Quintiliani filiæ nuptias tanquam parens alter & fovit & ornavit, quinquaginta millia nummum, qua ampliorem multo collaturus erat, ni munusculi, ut ipse vocabat, mediocritate impetrare se posse sperasset, ne recusaret. Omittam ducenta nummum millia, quæ pro accessione agrorum precii contemtim quodammodo neglexit. Nec tricena sestercia quotannis ad patriæ vires refocillandas, stupendas nostro hoc ævo divitias dicam, quæ quidem omnia multum venerationis a nobis jure suo exigere videntur, sed Villarum gratiam, quarum quasdam proprio stilo celebravit, in auditoris animum revocabo, Porticuum, Atriorum, Arearum, Cavædiorum, Balneorum, Hypocaustorum, Turrium, Piscinarum sumtus, nitorem & elegantiam. Quorum omnium qui exactam requiret descriptionem, cum Auctore ipso, qui de industria in iis depingendis laborasse videtur, angulos omnes vigili memoria oberrabit, non dubium erit quin summa in iis opulentiæ argumenta residere sit comperturus. Nomina quæ se inquirenti obtulerunt hæc sunt; Thusci, Tusculani, Tiburtini, Prænestini, Laurenti, Larium, &c. Sed extra institutæ orationis angustos fines evagamur; quare retro vela vertenda, laxiusque oberrans materiæ luxuries tanquam frænis injectis est cohibenda.

CAP. XLIX.

De Æsopo Tragœdo.

NE autem incredibili hac magnificentia cujusquam animus in vanitatis suspicionem transversus agatur, non abs re fuerit quæ de prodigiosis Æsopi Tragœdi Histrionica arte corrasis opibus, Scriptores litteris ad posterorum transmiserunt memoriam, hic allegare, quæ & nos, nisi sanctissima Auctorum fide atque auctoritate moveremur, deliramenta anilia prorsus sapere clamitaremus. Centum sesterciis (ut interim reliquarum rerum luxus taceatur) patinam sibi coemit auream, nulloque non luxuriæ genere per vitam cum diffluxisset, moriens eas tamen filio opes reliquit, ut uniones vino dissolutos (proh scelus!) convivarum deliciis exhibuerit, indignum ratus ni pro insuitatis facultatum montibus, novo inusitatoque cibi genere hospitum densaret ingluviem. Quantum veræ laudis ea profusio honestis usibus, quorum nunquam non obvia est materia deputata, conciliasset! At tantæ ineptiæ, ne dicam insaniæ, diutius immorari nos piget.

A

Cap. L.

De Lucullo Romano.

VEram hujus rei gloriam Luculli ingentis spiritus viri opulentia obtinuit, qui licet non tanto studio divitiarum famam adspectarit, divitiis tamen perbeatus exstitit. Hanc rem nunquam satis laudata incorruptissimi pectoris vox prodidit. Cotta enim collega terra marique profligato, inque Chalcedone concluso, cum milites ad amplioris gloriæ materiam Mithridati regnum, collegæ salute neglecta, invadendum celeberrimis monitis stimularent, respondit se unius Romani militis incolumitatem tueri malle, quam splendidissimas hostium res sibi vendicare. Hic ex senatusconsulto ad classem in Mithridaticum bellum parandam tria talentorum millia decreta repudiavit, suisque sumtibus tantæ molis facinus exsequutus est, ut non temere vulgo numinis ope tantas maria terrasque obsidentes copias dispulisse hunc sit creditum. Mirabile quid, omnique ætati inauditum hujus viderunt tempora tanta omnium rerum copia adfluentem exercitum, ut bos drachma, mancipium quatuor drachmis venderetur, reliquaque præda aut passim relinqueretur, aut neglecta dissiparetur, confertis jam omnibus omnium castrorum cellis, ut ampliori prædæ capiundæ non sufficerent. Cum jam senex procul a bellorum tumultibus semotus, otio studiosæque quieti sese dedisset, præcipue exuberans illa divitiarum inundatio, quæ se hactenus certo quodam continuerant alveo, veteris parsimoniæ ruptis aggeribus late efferbuit, ut non immerito ex Togato Xerxem Tubero Stoicus eum adpellarit. Hortos multis post ætatibus inter sumtuosissima Regum opera numeratos exornavit. Opera juxta mare circa Neapolim magnificentissime constructa, maritimas ædes easque nullo non luxuriæ splendore expolitas, quibus maris sinus piscosoque rivos circumduxerat, quæ eloquentia digne prædicet? De Tusculano vero spaciosissimis thalamis, porticibus, ambulationibusque exornato, e quibus longe lateque in campos subjectos prospectus patebat, tacendum satius esse duxi, quam parum dicere. Immensam quoque divitiarum ejus famam hoc quoque adprobat, quod Prætori exhibendi spectaculi gratia chlamydes centum postulanti, ducentas purpurei coloris tanquam ex immenso χειμηλιῶν acervo desumtas dari jusserit. Nunc qua prædicatione narrari, quo animi stupore audiri meretur, incredibilis in quotidianis mensas insumta opum vis. Erant huic diversa convivis accipiendis cœnacula, singulis sumtus, splendor apparatusque certus sigillatim designatus fuit. Quorum quod Apollinis titulo inscriptum erat, quinquaginta millium cœnam sibi vendicabat. Cuique suus designatus honos fuit, ut convivii loco dicto, convivii quoque sumtus ministrorum memoriæ objiceretur. Bibliothecas publicas, quibus studiosorum levaret inopiam, studiumque suo præsidio ad majora incrementa eveheret, & construxit & habuit. Has ingenti ære partis undique terrarum doctissimis hominum monumentis venuste instructas studioso cuique semper patere voluit. Quare tu, si quis alius, beatus fortunatusque non divitiis tantum, sed & divitiarum opinione semper prædicaberis.

Cap. LI.

De Apicio popinæ instruendæ Professore.

VIro excellentissimo ac in quovis liberalitatis genere præcipuo, Apicium altissimum omnium nepotum gurgitem, etiam (si diis placet) popinæ scientiam profitentem, qua non dico Italiæ, sed totius Orbis mores tanquam contagio quodam infecit, subjicere placuit, quo fœdissimi hominis vicinia clarius hujus gloria illucescat, flagitiosissimique hujus gurgitis infamia, majori reprehensione, majori exsecratione ab omnis ævi hominibus exsibiletur. Cujus opum-ne, an luxus dicam, insaniam quum Annæus Seneca primi inter Philosophos nominis, eleganti tereti que, & quod nostro convenit instituto succincta orationis forma percurrat, nostro stilo parcendum, ejusque verba transcribenda esse diximus: *Apicius* (inquit) *nostra memoria vixit, qui in ea urbe, ex qua aliquando Philosophi velut corruptores juventutis abire jussi sunt, scientiam popinæ professus, disciplina sua sæculum infecit. Cujus exitum nosse operæ precium est. Cum sestertium millies in culinam congessisset, cum tot congiaria Principum, & ingens Capitolii vectigal singulis commessationibus hausisset, ære alieno oppressus, rationes suas tunc primum inspexit. Superfuturum sibi sestertium centies computavit, & velut in ultima fame victurus, si sestercio centies vixisset, veneno vitam finivit.* Summa per luxum insumti fuit, vicies quinquies centena aureorum millia. Quam vero luxuriæ sustentandæ imparem existimavit, ad ducenta quinquaginta aureorum millia evasit. O prodigi animi fœdissimam ingluviem! quæ sibi subtracta uberioris luxuriæ materia in miseram sese necem, vitæ pertæsus, quæ sine consuetis luxuriæ sustentamentis agenda esset, præcipitarit. Divitiarum nomine te quoque in hoc proscenium induxi, dignum alioqui qui perpetuis oblivionis tenebris obruare.

Cap. LII.

De Cæcilio Claudio.

QUanta quoque (dii immortales) divitiarum gloria Cæcilius Claudius inclaruit! qui ultima testamenti sui voluntate opum suarum contexens catalogum, libere professus est, licet civilium bellorum furor magna ex parte opulentiæ suæ nervos laxasset, tamen servorum quatuor millia centum sexaginta, boum juga tria millia sexcenta, reliqui vero pecoris ducenta quinquaginta septem millia hæredi relinquere. In numerato pondo sexcenta millia, supremo funeris honori sestercium undecim millibus destinatis.

Cap. LIII.

De Pallante, Callistho, & Narcisso, Cæsaris Claudii Libertis.

AN quicquam Crassi auro inexplebilis divitiis par esse credendum est? Attamen hos tres Pallantem, Callisthum, & Nacissum servitutis jugo liberatos, Claudii Cæsaris principatu, eum superasse Plinii Scriptoris diligentissimi Historia confirmat.

CAP. LIV.

De Pythio quodam Bithynico.

NUnquam moritura orationis gloria divitiarum Pythii memoria Plinii quoque diligentia in hominum animis reliquit, qui platanum auream, vitemque illam nobilem Dario Regi donavit. Xerxis copias, hoc est, septem octoginta hominum millia, epulo excepit, stipendium quoque quinque mensium frumentumque pollicitus, ut è liberis quinque in delectu exsistentibus unus tantum senectuti suæ concederetur. Quę cogitatio tam inexhausta divitiarum maria perscrutetur?

CAP. LV.

De L. Sylla.

TU quoque repubescente semper opum tuarum laude clarus illustrisque apparebis; præter plurima enim quæ in te contulit fortuna munera, etiam opulentiæ honore te insignivit, quas quomodo majori verborum compendio universas complectar, quasi Plinii insistens vestigiis, unico verbo quod res est dicam: Crasso ipso (cujus admiratio omnes attonitos reddidit, ad quos se fama penetravit) non divitiis parem fuisse, sed etiam eadem præcelluisse. Rerum summam consecutus, populo convivia exhibuit, ea omnium rerum copia inundantia, ut plurima omnis generis condimenta cibariaque, non sufficiente famelica plebis ingluvie, in fluvium deijcerentur. Tuas licet admirer divitias, hoc tamen ni ad os tibi dicam, quod olim opes jactanti quidam patricia gente oriundus ad aurem obgannivit; qui vir bonus esse posses, qui, cum nihil a patre relictum sit, tot ac tanta possideas!

CAP. LVI.

De Phryne meretrice.

AGe imbecillioris animalis sexus, mulieris privatæ opes, fidem publicis regnorum opibus concilient: Phryne corporis usura tantum corraserat opum, ut Thebarum mœnia ab Alexandro diruta, se privatis sumtibus instauraturam sit professa, si munificentiæ suæ memoriam perpetuam, hoc muris inscripto titulo, Ἀλέξανδρος μὲν κατέσκαψεν, ἀνέστησε δὲ Φρύνη, ad posteros dimanare pateretur. Quam opum tuarum laudem publicis operibus instaurandis ambiisti, eam vivæ Scriptorum litteræ tibi peperere immortalem.

CAP. LVII.

In Floram Romanam.

QUid nunc de Flora, cui divitiarum amplitudo ad divinos honores aditum patefecit, dicam? Imo quid non de exsecranda Romanæ pestis lue dicam? quæ altissimo libidinis barathro, totius Urbis divitias, fœdissima corporis usura contraxit, quæ tot clarissimos senatoriæ patriciæque gentis juvenes, gloriæ, honori, virtutique natos indigna luxuriæ illecebra dementatos fractosque, in otium atque ignaviam præcipitavit, atque a virtutis tramite in vitiorum abrupta præcipites atque transversos egit. Quod te Populus A Romanus hæres scriptus falso errore deorum cœtui adnumerarit, divinosque honores, ludos Floralia adpellatos, consecraverit, ad pœnæ cruciatusque incrementum, quo te perpetua conscientiæ carnificina furiæque malorum ultrices subigunt, datum esse, nunc merito experiris.

CAP. LVIII.

De quibusdam Italis.

UTinam quem cæteris memoriæ honorem attribuo, vobis quoque, quorum nomina longa oblivione jam sunt sopita, dare liceat! B Quare tantarum opum laudem incerto nomini adsignare quanquam invitus necessitate urgeor. Hi Tiberio Graccho, plus æquo popularem captanti auram, animum facinoris jam olim mente agitati maturandi indiderunt, quos sena septena atque iis plura servorum millia in agris habuisse deplorat, indignum ratus, omnem opulentiam nobilium luxui soli patere, plebem variis sese bellorum periculis alienæ tantum pompæ exercere. Itaque contra tantarum opum insanias lata Lege Agraria, adversariis cædis caussam quanquam minus honestam præbuit. Conatus est prudentissimo C consilio liberiores divitiarum habenas vir præclarus contrahere: sed dum plebis honori nimium studet, honoris sui, famæ propriæ, atque ipsius vitæ jacturam fecit.

CAP. LIX.

De Gorgia Leontino Oratore clarissimo.

ET Gorgiam celeberrimum olim totius Græciæ Oratorem dicam, quem ad tantas opes oratoriæ artis quæstus evexit, ut intentatum D exemplum hominum primus exhibere aggressus sit, auream solidamque Delphis statuam erexit, quamque is quæstus ea memoria uber fuerit divitiarum suarum monumento declaravit, & quo nostri ævi Scriptores Oratoresque celeberrimi vix famem tolerant, eo is inusitata luxuriæ exempla primus statuit. Usque adeo effœta hæc senescentis mundi tempestas a superba illa nobilique priorum temporum magnificentia degeneravit. Acerbiore hic (licet opportuna data occasione) Epiphonemate non utar.

CAP. LX.

E *De Dolabella, Cassio, & Bruto Romanis.*

ATque de Dolabella, Bruto, & Cassio minime hoc loco silere convenit, quos scriptis nobis Auctorum diligentia prodidit, exercitum ingentibus copiis constantem (cum a Senatu minus tempori subvectum esset stipendium) menses aliquot sustentasse, mediique temporis injuriam frumenti vestiumque copia profligasse. Dignum quod inter summa hujus rei reponatur exem-F pla facinus.

CAP. LXI.

De Rom. mulieribus.

CUjusvis ordinis, cujusvis sexus hominibus cum promiscue hujus laudis participes reddam, quo pudore clarissimo Romanarum matronarum facto

non eundem narrationis honorem adhibebo, quæ cum in publico ærario deesset aurum, & summa pactæ cum Gallis mercedis conficeret, propriis id persolverunt impendiis.

C A P. LXII.

De Busa Canusina.

NUlla ætas clarissimi hujus exempli memoriam apud se sinet abolescere. Busam Canusii civem tanta divitiarum fœlicitate excelluisse, ut decem millia Romanorum, (quos memorabilis apud Cannas strages reliquos fecerat) cum iis publice mœnium tectorumque usus tantum tribueretur, etiam frumento, veste, viatico juverit. Nihil tamen tanto sumtu ejus contractæ sunt copiæ, sed in divitiarum claritudine reliquam ætatis semitam decurrit.

C A P. LXIII.

De Venusinis.

IN Venusino populo non quidem divitiis, sed re gesta simile exemplum memoria adprehendendum est. Varrone ex clade Cannensi trepide fugiente, quatuor hominum millia, quos fugæ ducebat comites, per familias distributa, omni hospitalitatis benevolentia tractarunt, in singulos equites togas & tunicas & quadrigatos nummos quinos vicenos, in pedites denos, armaque quibus deerant dederunt, quod per se vix memoria dignum, ea temporum injuria cum exhausto locupletissimo omniumque gentium spoliis repleto Rom. ærario, opes suas Senatus in medium protulisset, summis opum exemplis adscribet.

C A P. LXIV.

De Surena Partho.

SUrena Parthus obscurus in oblivionis tenebris fere delitescens, horridum situ squaloreque caput in lucem proferat. Continenter quacunque iter faceret, mille camelorum agmen oneribus deportandis post se trahebat, ducentos pellicum currus, equos cataphractos mille, quos leviorum ingens multitudo sequebatur; servorum clientumque equitatu ad decem millia usque stipatus eminebat.

LIBER TERTIUS

CAPUT I.

DE REBUS OLIM MAGNIFICENTIA MEMORABILIBUS.

HActenus pacis tempore gesta exempla, quæ vetustati aut gloriam aut admirationem aliquam videbantur allatura, absolvimus. Quid restat nisi ut eadem brevitate, licet non pari animi alacritate, ex bellica gloria magnificentiaque eidem quem possumus splendorem adjungamus. Res est, fateor quidem, quæ non tam narrationem quam commiserationem emereatur, sed huc nos inconsulta quorundam temeritas, atque imperitia, abjectius longe quam par est sacrosanctæ vetustatis caniciem reverendam habentium, præsentiumque rerum illecebra ob oculos versante nostrę patrumque nostrorum memoriæ res gestas, ampliori quam mereri videntur favore, studio, atque prædicatione prosequentium, invitos impellit, ut suus cuique ætati honos atque admiratio constet, nec sic nostra falsis laudibus attollantur, ut vetera meritis interim laudibus inhoneste nostra dissimulatione fraudentur.

C A P. II.

De Assyriorum Rege Nino.

PRimo narrationis honore celebretur, qui primus avitum illum omnium Regum gentiumque morem (quo tuendi tantum imperii fines, non proferendi cura sollicitabantur) insolita regnandi cupiditate mutavit, uberrimamque ingeniis scribendi omnique posteritati admirandi materiam suppeditavit. Finitimis hic partim armis, partim insolito belli horrore in deditionem acceptis, cum accessione nova fortior in dies ad alios transiret, ausus etiam est Bactrianorum regnum, loci natura difficillimum præbens accessum, hominum numero viribusque validissimum, armis bis tentare. Cum enim prima irruptione pulsus se imbecillioribus, quam ad tantum negocium viribus fultum esset expertus, majoribus opus esse ratus copiis, electissimorum peditum decies septies centena millia, equitum millia duodecim, parem equitibus falcatorum curruum numerum cum contraxisset, prioris fugæ ignominiam eluturus proficiscitur, fugatoque Zoroaste, qui venienti cum quadringentorum millium exercitu obvius processerat, victorem civitatibus exercitum admovet, quibus omnibus diversa ratione, ut in tali re fieri solet, captis, potentissimi Principis nomen primus pro immortali trophæo sibi erexit.

C A P. III.

De Semirami Nini Regis uxore.

SEmiramis vero in regno succedens, quadraginta duos annos imbellem adhuc atque innocentem longaque quiete torpentem populum cædibus exercendo, a viro potentiæ nomen adquisitum majori virium accessione ampliavit. Siquidem non contenta iis, quos regno vir solus tunc bellator adjecerat, terminis, Æthiopiam bello vexatam cædibus crudelissime funestavit. Neque etiam illam Indorum potentia quo minus ulteriora peteret repressit; quid enim animum ter deciescentenis peditum, equitum quingentis, curruum centum millibus suffultum (quæ in Indiam ducta, inter Auctores constat) a tam magnifico scelere deterruisset? Sed hæc ut potentiæ inexhaustæ gloriam hac re immortalitati consecravit, ita crudelitatis fœdissimam ignominiam sibi lucrifecit, cui in pace viventes populos nefanda sanguinis cupiditate ardenti persequi & trucidare fuerit voluptati.

C A P. IV.

De Sardanapalo Assyriorum Rege.

SIc in fatis erat, ut quod immoderata crudelitate barbarieque cœperat regnum, desidia socordiaque administratum in excidium dilaberetur. Ea enim luxuria voluptateque per mille trecentos annos a Semiramide ad hunc Sardanapalum administratum est, ut nihil tanto tempore magnopere

memoria dignum sit administratum, Sardanapalum autem inter scortorum greges purpuram colo trahentem, habitus mollitie, oculorum lascia quævis scorta superantem, nimia effœminatio præter cæteros omnes nobilitavit, ut tantis mersum voluptatibus virile quid memoriaque dignum gerere, ac non prorsus regno excidere, inter portenta merito possit haberi. Itaque Arbaces quidam genere Medus, virtute animique magnitudine pari, indignum ratus, totius Orbis imperium ejus nutu, quem colo purpuram aptantem repererat, ductari, iis quibus præerat Medis, adhæc Persis, Babyloniis, Arabibusque ad defectionem sollicitatis, haud dubia belli mutatique animi consilia tractare cœpit. Ninam ex quatuor his gentibus, quas ad novi consilii societatem impulerat, quadringentis hominum millibus, armis, consiliique gravitate munitissimus insedit. Tantis deliciis eviratum Regem Sardanapalum, nihilominus novarum rerum studium atque nimia regni opulentia validissimo huic exercitui prudentissimo calidissimoque imperatore firmato obviam misit, cruentissimisque duabus pugnis inter hostium agmina detonare fecit. Sic quem virtute, calliditate, cæterisque militiæ stratagematis non poterat, nimia hominum turba obrutum oppressit. Pensandum in hoc conflictu quantæ copiæ, quanta inundatio fuerit, ubi a plusquam muliebris animi Rege quadringenta hominum millia, callidissimo omnisque versutiæ peritissimo imperatore firmata, in extremam bis fortunam fuere deducta, quanquam paulo post solutiore cura castra servans, atque ex victoriæ gaudio, poculis somno quietique indulgens, subita trepidatione inopinato hostibus irrumpentibus, tantum chaos dissipatum regiæ necis occasionem præbuerit. Ille enim fortunis jam ad extremum deductis, cum etiam Euphrates sanguinolentas ex suorum cædibus traheret undas, extructa pyra, auro argentoque omni, veste insuper regia cum uxoribus, innumerabilique Eunuchorum turba ei imposita, in flammas sese demisit præcipitem. Quantæ (dii immortales) ejus regni vires, quæ tanta sub ea Regum ignavia præstitere!

CAP. V.

De Medorum armis.

MAximi bellorum motus, fœcundissimaq; armis tempora hujus imperii mutationem excepere, plerisque jam servitutis jugum expertis in libertatis spem se erigentibus, civitatibusque singulis populari imperio uti volentibus. Quare variis cladibus hinc inde a singulis dimicatum est sæpius, dum mutuo excidio fatigati, insigni pietate justitiaque Regem Cyaxarem communi suffragio crearent Medorum populi: qui propinquis in amicitiæ societatem receptis, collapsum jam Monarchiæ statum in Medis instauravit. Maxima hujus potentiæ exempla Aristeus bello cum Cadusiis gesto edidit. Huic occasionem Persodes quidam natione Persa, judicio quodam ex amico infensus Regi redditus, cum adsumta militum manu ad Cadusios profugisset, præbuit. Apud quos cum sibi justitiæ atque virtutis non mediocrem opinionem conciliavisset, eumque etiam sororis matrimonio, quam ejus gentis potentissimo viro desponderat, cum firmasset, summa belli ad se ob virtutem delata ducentorum millium hominum exercitum coegit, castrisque positis belli consilia adversus eum, cujus scelere erat impulsus, novum hoc studium agitabat. Rex subito tanto terrori occursurus ad octingenta hominum millia in arma correpta in aciem educit, quibus non aliud quam Medorum potentiæ argumentum exhibuit. Quingentis enim millibus clade ab

A sorptis, cum reliquis trepidus in regnum refugit, viresque regni validissimo hoc ictu ita concussit, ut earum ruinæ etiam Astyagis tempore sonitu suo totum Orbem impleverint. Sic hoc ut opibus potentiaque splendidissimum, ita gloria brevissimum fuit regnum.

CAP. VI.

De Cyro primo Persarum Rege.

LAbentis jam dissipatæque Medorum Monarchiæ auctoritatem Cyrus suscepit, cujus magnitudinem etiam cœlestia insomniorum prodigia, intentatæque ab avo Astyage necis declinatio, prodigiosissimique a cane nutricis præstitum obsequium prænuntiavere: viderat enim avus quietis tempore, ex Mandanes filiæ naturalibus vitem enatam in tantam amplitudinem subito se propagasse, ut ejus palmitites universam umbra sua involverent Asiam, cujus somnii fidem ante etiam visa insomnia, quæ filiæ urina eandem inundari præ se ferebant, approbavere. Huic rei etsi consilio suo pulchre occurrisse existimaret, modicæ fortunæ viro filiam collocando, ne sic quidem tamen visi somnii metu levatus omnium consiliorum participi Harpago fœtum necandum tradit. Qui pio quodam misericordiæ affectu tactus, infandum cædis ministerium sibi delegatum regii pecoris custodi per manus tradit. Hic quoque cum tanti facinoris horrore perstringeretur, in sylvis exponit puerum, ferisque objicit, quo tantum scelus aliena opera perageretur, ipse interim benevolentiæ gratiam ab Harpago iniret. Reversum uxor re cognita precibus virum impellit, quo in mortui infantis locum, quem pridem enixa fuerat, hic allatus substitueretur, qui uxoris hac in re serviens adfectibus, observata retro legens vestigia, juxta infantem canem mitem ubera præbentem repperit. Cyri post inter pastores nomen huic est inditum. Huic adultioris ætatis existenti Harpagus, cui crudele quidem sed dissimulatum in Regem Astyagem odium erat, per proditionem Medorum exercitum, cui præfectus erat, tradidit, quibus viribus suffultus Cyrus, deficientem jam Monarchiam nova Persici regni juventute commutavit, ac Astyagem totius regni auxiliis munitum fortissime dimicantem, nihil non experientem, captum Regis & gloria & nomine privat. Auctus deinde nova hac Medorum accessione, Assyrios, Babyloniamque gentem, quamquam opulentissimi Crœsi Lydorum Regis potentia suffarcinatam, quarum utramque humana virtute expugnari posse incredibile propemodum mortalibus habebatur, in regni jura adscripsit. Asiam quoque universam totumque Orientem pervagatus, in Persici regni fidem traduxit. Ac ne his quidem contentus, potentiæ limites etiam ultra Scythas extendere conatur. Præter tot præsidia, quibus totam Asiam universumque Orientem victor tenebat, regnique novi auctoritatem a circumstrepentibus undique populis vindicabat, ducentorum millium exercitu Scythiam feram moribusque asperam regionem invadit, eratque eam armis oppressurus, ni prioris victoriæ præmaturo gaudio elatus, inconsultius in loca insidiis septa, persequendi studio invectus, & suæ vitæ præproperam traxisset cladem, exercitusque incolumitatem cædibus hostium objecisset.

Cap. VII.

De Dario Persarum Rege.

Darius quoque, hinnientis equi augurio Rex consecratus, quanta virtute claruit bellica? Babylonem incredibili mœnium firmitudine vallatam (quorum splendor ea inter septem Orbis miracula numeravit) Zopyri beneficio in potestatem redegit. Scythis ob regiæ filiæ sibi negatas nuptias septingentis hominum millibus bellum infert. Hostibus seu nimia tanti exercitus multitudine trepidantibus, seu vafro consilio pugnandi facultatem denegantibus, veritus ne si diutius in his locis moraretur, via Istri ponte resciffo intercluderetur, nonaginta hominum millibus amissis, trepidus in regnum refugit. Quæ jactura ob nimiam hominum inundantium multitudinem damni loci nequaquam censa est.

Cap. VIII.

De eodem.

Hic idem universa devicta Asia, Macedonibus Jonibusque navali prælio superatis, in Athenienses, quos Jonum vires contra se fulciffe cognoverat, omnem belli impetum sexcentis hominum millibus contorsit. Quæ belli moles dum pondere suo totam Græciam gravatura videretur, ab Atheniensibus solis intrepide excepta est. Non exspectatis enim sociorum auxiliis, decem civium millibus instructi in campos Marathonios virtutis suæ fiducia pleni egrediuntur. Prima ipsa congressio eum inventum præbuit, ut hinc viros, hinc inertia pecora mactationi destinata putares. Quin & hanc fœdissimam exercitus sui fugam nova denuo virtute expiare conatus, tantas copias, quibus universæ terræ inundandæ videbantur, ducturus fuerat, ni præmatura mors tantorum scelerum cœpta interventu suo disrupisset. Quid non fuerat effecturus, si tam animorum robore quam militum numero pugnasset! Tanto facilius exercitata animosaque paucitas, indocta trepidaque multitudine victoriæ laudem adprehendit.

Cap. IX.

De Xerxe Persarum Rege.

Xerxem illum superbissimum, cujus potentiæ etiam ipsam rerum naturam cedere coactam, quem per terram perfossis montibus, in quorum specus fretum immissum est, navigasse, per mare navibus contabulatum ambulasse, cujus classem pelagi amplitudinem non cepisse, quem latiorem Europa universa duxisse exercitum Veterum litteræ nobis testantur, quis hic indictum innominatumque transeat? Bellum contra Græcos patris Darii morte interruptum instauraturus, septingenta de regno, trecenta de auxiliaribus civitatibus armasse dicitur millia. Quæ bellica vis etsi ingenti admiratione auditores perstringat, nescio tamen si eorum opinioni accedere debeam, qui hunc peditatus decies septies centena millia, equitatus octoginta, præter Arabes Pœnosque, qui camelorum præsidio expeditionem fulciebant, quos numerant viginti millia, præter summas copias classi decem millium navium destinatas in expeditionem duxisse prædicant, ut non immerito Scamandri, qui primus tan-

A tæ multitudini se agenti occurrebat, fluentum hominibus jumentisque non sufficiffe, Xerxemque conscenso prætorio, e quo late in campos mariaque præbebatur prospectus, ob dolorem, brevi temporis spacio etiam tantæ multitudinis interitura vestigia, oculis lachrymas destillasse sit proditum. Quæ unquam oratio hujus potentiam digne celebraverit, quæ cum flumina bibentium multitudine exsiccarentur, invicta, inconcussa, infractaque perstiterit! Sed hujus venientis fama ut omnia pavore repleverat, ita abeuntis fœdissimum timiditatis exemplum perpetuam nomini ejus infamiam adposuit. Sic dum diis etiam invidiosas ducit copias, irreparabiles regni Persici ruinas traxit. B

Cap. X.

De ultimo Dario.

Vix ulla unquam Persici regni tempora tanta potentiæ documenta, quanta sub ultimo hoc Dario Rege dederunt, magni animi juvene Alexandro quietum jam regni statum summis viribus oppugnante, viresque jam diutino otio resides novis bellorum tumultibus in arma concitante. C Cujus belli fax in Adrastis campis exarsit. In aciem producit Darius sexcenta Persarum millia, ingentibus interim copiis sub bello præfectis loca oportuna tenentibus, quæ bellica Alexandri peritia, militumque virtute, tanquam largissimo aquarum diluvio subito in armis sunt suffocatæ. Nihilo illum tantæ cladis terror aut timidiorem animo, aut viribus imbecilliorem reddidit. Secundum enim pugnæ eventum tentaturus, trecentis peditum, centum equitum millibus contractis, castra castris jungit. In aciem progressum est. Alteri rerum gestarum amplitudo, & indomitum Argyraspidum robur animos erexerat. D Alterum veteris Persicæ gloriæ memoria tantaque hominum inundatio victoriæ spe confirmaverat. Validissimo impetu inter se collisa arma concrepuere, ancipitique diu Marte pugnatum, Darii copiis demum partim inordinate fugientibus, partim trepide pugnantibus, fœdissima per campos Persarum strages editur. Atque nunc quidem quis in tantis cladibus aliud quam regni ruinam exspectabit? Atqui hactenus, non fractæ, non debilitatæ, sed irritatæ vires Persarum erant. Revertenti enim ab Ægypto victori (cum non nisi iniquissimis conditionibus pacis redimendæ offerretur facultas) tertio quadringentis peditum milli- E bus, equitum centum millibus occurrit. Nulla pugnæ mora. Cœca rabie utrinque in bellum ruitur, cum hos toties victi hostis contemtus, illos omnis fortunæ desperatio furiali quadam rabie in vulnera ac cædes incitaret. Sed eadem fortuna, quæ toties acciderat, Persas comitante, violenter hoc prælio Asiæ raptum imperium est, non quod instaurandi belli spes deficeret, sed quod fortuna, quæ a Medis in Persas regnum transtulerat, fatali quadam vicissitudine id alio transferre velle videbatur, deo Alexandrique fœlicitati cedendum esse duxerint. Sic tribus præliis totidemque annis (difficillima fides F dictis) decies quinquies centena peditum equitumque millia consumta sunt, atque hæc quidem ex eo regno, unde ante annos non admodum multos decies novies centena millia profligata referuntur, quanquam extra has clades, per eosdem tres annos & Asiæ civitates plurimæ oppressæ sint, & Syria tota vastata, Tyrus excisa, Cappadocia subacta, Ægyptus adflicta, Rhodus quoque Insula libertate excussa servitutis jugum accepisset.

CAP. XI.

De Agamemnone.

QUanto ore Græciæ exercitus amplitudinem tonat inclytus ille Trojani belli Scriptor Homerus? digna profecto res quæ divino ejus vatis celebretur ingenio, quam haud scio si quisquam verborum majestate æquaturus fuerit, ni in eam se hujus extendissent orationis atque eloquentiæ flumina. Quando unquam in eodem campo diutius B resedit belli tempestas, quæ decennii spatio, cum & Asiam Europamque quotidianis cladibus territasset, vix tandem detonuit. Dicuntur Græci ad hoc bellum 886. hominum millia, Trojani 776. millia conduxisse, ut mirandum non sit, quanquam ferali odio in mutuam rueretur perniciem, nullumque propemodum tempus a bellicis concursibus eruptionibusque vacuum intermitteretur, utriusque partis nervos intensos ad tanta tempora perstitisse.

CAP. XII.

C

De Philippo Macedonum Rege.

GRæciæ ruinis Macedoniæ regnum ignobile ante, Philippi Regis tanquam e specula insidiantis fraudibus evectum est. Cujus tanta subito emersit potentia, ut Athenienses florentissimos tum imperio atque opibus superarit: hinc ad Illyrios arma, omnia cædibus atque ruinis complens, transtulerit; Thessaliam quoque, cujus equorum robore exercitus sui vires confirmaret, in potestatem redegerit; Scythis quoque servitutis jugum D imponere conaretur. Sed hactenus potentiæ ejus quasi infantia quædam exstitit, quæ dum delectu per Græciam habito ad quamvis rei bene gerendæ occasionem, præter invictum Macedoniæ exercitum, infinitamque gentium barbariem, ducenta peditum, quindecim equitum millia armavit, in justum virilitatis robur tandem excrevit.

CAP. XIII.

De Thomyri Massagetarum Regina.

E

THomyris Regina Cyrum, triginta annos perpetua atque continua victoria gaudentem, diutina mora longius a Regni pomeriis allectum, innumera juvenum manu correpta, ita adtrivit, ut ne nuncius quidem cladis relinqueretur. Quo in prælio ducenta Persarum millia cæsa, ne interim quidem a sacratissimo Regis capite ultore gladio abstinente. Tantum facinus mulierem, quam recens cæsi filii cum tertia copiarum parte mors in desperationem prostraverat, sine infinito lectæ pubis F robore confecisse quis credat?

CAP. XIV.

De Thalestra Amazonum Regina.

THomyridis exemplum in Thalestræ Amazonum Reginæ memoriam nos deducit, quæ cum 300. mulierum bellatricum millibus, 25. dierum inter infestissimas gentes emenso itinere, Alexandro, prolem ex eo quæsitura, occur- A rit, ut viri fortissimi sanguis Amazonico misceretur.

CAP. XV.

De Zoroaste Bactrianorum Rege.

NOn soli Assyrii Nini temporibus potentiæ exemplis effulsere, ut omnium reliquarum gentium robur eorum comprehensum imperio fuisse, stetisseque id nationum, populorum, Regumque omnium viribus quis existimet. Siquidem & Zoroastes Bactrianorum Rex virium regni sui fiducia elatus, quadringentorum millium exercitu collecto, venienti Nino, omniaque late depopulanti occurrit, collatisque signis cum parte copiarum Nini confligens, hostili cruore late campos madefecit, ac nisi Regis suppetias ferentis adventu acies diffusa sese in arma collegisset, Monarchiam cum Regis cæde exercitusque strage non dubium erat, quin rapturus fuerit.

CAP. XVI.

De Ægyptiorum numerositate.

ÆGyptus arctissimis limitibus circumscripta, neque etiam Monarchiæ titulo honorata, hominum numero quasvis propemodum nationes superavit, utpote quæ prisco ævo insigniorum oppidorum decem & octo millium, amplitudine autem regni decrescente Ptolomæi Lagi tempore, trium millium numero clara exstiterit. Populi numerum antiquitus septies decies centena millia confecisse, libri, quos ipsi ob rerum gestarum fidem sacros vocant, edocent. Huic plusquam humana Pyramidem opera, centum portarum vetus Thebæ, Coloniæ primo in universas Orbis partes deductæ, a Belo formidabile Babylonis nomen, a Danao, Argi omnium Græciæ urbium antiquissima, Colchorum gens, quæ in Ponto est, ab iisdem derivata, fidem conciliarint. Verum ut res tanquam per transennam jam ostensa evolvatur, statutum est per aliquot ejusdem potentiæ exempla consueto narrationis ordine divagari.

CAP. XVII.

De Sesostri Ægyptio Rege.

PRimus hic florentissimis regni rebus incitatus, tanquam superiorum Regum castigaturus ignaviam, sublimi spiritu adsumto ad Orbis imperium animum adjecit. Ex lectissimo milite exercitum sexcentorum millium pedestrium copiarum, equitum quatuor & viginti millium conscripsit, falcatorum curruum octo millium numero his tantis juncto copiis, Æthiopes sub ipsis Solis ardoribus constitutos adortus est. Victis victor pacis conditiones præscripsit. Pleraque Asiæ (& quæ rara alias cuiquam fuit gloria) etiam Alexandro intactas gentes expugnavit. Neque hic victoriæ fines stetere. Scytharum enim immanissimam gentem victor peragravit, Jonii Maris Insulas regno suo adjecit, ausus etiam Europæ limites bello tentare, Thracia expeditionis meta constituta. Atque hæc quidem terra gesta. Primus omnium longarum navium usu cognito Rubri Maris Insulis omnibus, maritimisque

que partibus ad Indos usque quadringentarum navium classe subjugatis, vetustati præclaram admirationem, sibi virtutis immortalem laudem est consecutus.

Cap. XVIII.

De Psamnitico Rege.

A Deo luxurianti populi multitudine Ægypto cum unicus Rex frena sese posse injicere desperaret, regni status ad duodecim Regum arbitrium delatus est, qui cum quindecim annis concordibus animis regnum administrassent, in Psamniticum tandem totius regni affectati suspicio incidit, quæ res in mutuum excidium Ægypti vires convertit: undecim enim ingentibus collectis copiis dum tanto furori obviam ire festinant, universam regionem cladi cædibusque involvunt: nam aut victi belli rabie omnes absorpti sunt, aut ignobili fuga elapsi in Libyæ partibus turpiter delituerunt. Tam luctuosa cruentaque cæde ut nihil Ægypti vires diminutæ sunt. Dum enim de regno tuendo laborare credi posset, quod cædibus exhaustum exteris invadendi occasionem præbere videretur, Syriam opibus populoque florentissimam, præter Arabes, Cares, Iones, quorum auxiliis Reges undecim profligarat, Ægyptiorum ducentis millibus adsumtis lacessere non dubitat. Admirandam sane Ægypti potentiam, quæ tot cædibus labefactata, inter tot circumpositarum Nationum odia, robore suo firma inconcussaque perstiterit!

Cap. XIX.

De Chemmi Ægypti Rege.

VErum ne dum nos bellica multitudo occupatos tenet, exemplorum pacis tempore gestorum oblivio subeat, Chemmis nobis est dicendus, qui suspectæ illius ac septem Orbis miraculorum nomen meritæ molis auctor, ad viginti annos, trecenta hominum millia, admiranti hujus operis prodigio fatigavit.

Cap. XX.

De Thebis Ægyptiorum.

ÆGyptias Thebas centum portarum numero nobilitatas non minor potentiæ splendor claras reddidit, quas imminente belli terrore, uberrimo gremio viginti curruum millia ad ingruens Martis discrimen avertendum effundere solitas, Scriptorum litteræ nobis tradiderunt, eumque non temporarium, sed perpetuum ad subitas inopinasque bellorum minas destinatum. Receptacula equorum centum habuerunt, quorum singula supra ducentos equos recipiebant.

Cap. XXI.

De Simandio Ægyptiorum Rege.

SImandius operum in Ægypti memorandorum gloria nulli secundus, a filiis quatuor imperium in Bactrianos exercentibus, atque a se (ut quidam volunt) justissimis caussis descicentibus, exercitu quadringentorum millium peditum, viginti equitum millium, persecutis violatæ pietatis pœnas exegit. Sed ut potentissimi ducis famam, sic impiissimi patris exsecrandum nomen hac re sibi lucrifecit.

Cap. XXII.

De Pharaone illo θεομαχῷ.

NImia potentiæ gloria innumeræque multitudinis præsidio elatus Pharao, licet variis plagis superioris Numinis adflictus, non potuit tamen falsæ ac umbratilis illius potentiæ opinione inflatus, majorem se Dei potentiam agnoscere, neque tot portentis monitus superiori cedere. Cruentis flumina ferebantur vorticibus; Dulcem insolito humore vitam in aquis pisces efflabant; Ranarum, pediculorum, muscarumque examina terras tantum non inundaverant; Contagiosa lues cujuscunque generis animantia peste suffocabat; Horrenda insolitæque magnitudinis grandinum saxa, late summam edentia calamitatem, famem minitabantur; Quicquid ea pestis reliquum fecerat, locustarum ingluvies depascit; Et quo certior majoris potentiæ fides esset, triduanæ tenebræ insolita caligine terras inumbrant, cadit cujuscunque generis primogenita soboles Deo percutiente; neque tamen potentiæ suæ vana confidentia inescatus, immodicos illos superbosque spiritus deponit. Cum enim Judæi immodicis operum injuriis fatigati, æthere favente, Mose duce iter fugæ causa arripuissent, celeriter correpto milite insecutus, tanto exercitus adparatu, curruumque bellicorum multitudine ita horribilis subito adparuit, ut populum Dei ad sexcentorum fortissimorum millium numerum, quem rapti auri argentique copia fortem reddiderat, quem desperatio in virtutem excitabat, in eas angustias conjecerit, ut ne hostis quidem ferre posset conspectum. Certum Ægyptiæ potentiæ argumentum, cum eam sexcenta virorum millia, quibus divina jussio evasionis spem fecerat, omni salute desperata, omnique resistendi audacia sublata, timuere.

Cap. XXIII.

De Sesaco Ægypti Rege.

NON parum quoque hujus rei gloriæ Sesacus regno suo conciliavit, quem in Judæos veri Dei cultus temeratus incitavit; nimia enim fœlicitate luxuriantes Judæi (ut fere fit) spretis veri Dei legibus ad alienos ritus sequendos, insolentiamque immodicam transversi agitabantur. Cujus incredulitatis aut potius ingratitudinis pœnas divina ultio repetens, Sesacum mille ducentis curribus falcatis, sexaginta equitum millibus, pedestris exercitus innumerabili agmine stipatum, in Judæos proritat. Qui superatis montibus, omnibusque ejus regionis urbibus aut vi aut deditione captis, infestas ipsi Hierosolymorum urbi copias admovet. Et jam hostiliter erat urbem direpturus, cum scelerum conscientia permoti, supplicio capiti jam imminentem Dei iram avertunt. Nihil enim Rex urbe potitus (fatis sic statuentibus) cruentius violentiusque constituit, quam quod opes, quæ in insolentiam animos efferarant, in victoriæ præmium abstulerit, tributaque quotannis imperarit. Sed ancoris velisque sublatis in Judæam cursus nobis arripiendus est.

CAP. XXIV.

De Mose Israelitarum duce.

IN tantum numerum septuaginta illos Israelitas, qui post Judæi sunt dicti, in Ægyptum duce Jacobo translatos, excrevisse, inter tot plagarum miseriarumque, quibus ab Ægyptiorum tyrannis onerabantur, injurias, principem hujus gentis gloriam facile sibi vendicaverit. Mirandum auditu, ex iis tanquam cinere conditis scintillis tam latum prorupisse incendium, idque inter acerbissimas operum exactiones laborisque acerbitatem, quæ quotidianis propemodum funeribus funestabantur, cum regio edicto, ob invalescentis in dies multitudinis metum, dimensum accisius redderetur, laboris autem molestia cresceret. Licet tantis molestiis vexationibusque tantum non oppressi essent, nihilominus eorum ad sexcenta fortissimorum hominum millia, præter promiscuæ senum, puerorum atque mulierum multitudinis innumerabile agmen, Moses prudentissimus dux ex servitutis perpetuique laboris faucibus eripuit. Verum ut tunc divina promissione gentis ejus multitudo stellarum cœli exæquabat numerum, ita nunc in Christum verum Messiam ingratitudo inter ignobiles inhonoratasque gentes eam obscuram delitescere fecit, ut cujus cultu olim etiam cœlum digitis pulsabat, ejus blasphemia, Numine nimirum pœnas repetente, in nebulam imaginemque quandam gentis redigeretur.

CAP. XXV.

De Saule Israelitarum Rege.

HIC ab aratro regio titulo honoratus, ab eodem quoque in urbem reversus, belli furiis, supplicum Galaaditarum precibus, quos nulla (nisi omnium dextris erutis oculis) pacis conditio ab Nahæ Ammonitarum Regis tyrannide vindicabat, accensus, quam subito (dii immortales!) belli tempestatem excivit. Celeriter enim trecentis Israelitarum millibus, ex Juda triginta millibus in arma correptis, effervescentem Ammonitæ furorem retudit. Atque hæc quidem in ipsis regni incunabulis effecit, priusquam ejusdem vires atque potentia essent confirmatæ.

CAP. XXVI.

De Davide Rege.

TAceant immodici nunc Persicæ opulentiæ buccinatores, velut operta maria, flumina multitudinis potu guttas tenuissimas in alvei imo trahentia, cum quod illi totius Orbis suffulti viribus effecerunt, arctissimis limitibus contentum splendidissimi opulentissimique Regis Davidis imperium, abundantius locupletiusque aliquanto præstitisse videatur. Cepit Regem præmatura regni vires cognoscendi cupido: numeri itaque ad se referendi Joabo facile a se secundo provincia datur, qui aliquot mensibus pervagatus regionem cum bellatorum nomina in tabulas retulisset, ex Israelis posteritate undecies centena millia, ex Judæ vero quadringenta septuaginta eorum qui arma ferre possent ad Regem protulit millia. Sic jam olim exspectationi promissorum Abrahæ datorum, quæ ad Libyci maris arenas stellarumque

A numerum ejus posteros multiplicandos spondebant, est satisfactum.

CAP. XXVII.

De Roboam Rege Juda.

EST quod in Roboam Solomonis filio admiremur, cujus licet intempestiva procacitas, qua se subditorum oneri adpositurum minabatur, totius propemodum regni potentiam viresque in Hieroboam ex Ægypto reversum transtulisset, exque duodecim Tribubus duas tantum Juda & Beniamin reliquas fecisset, ausus hic tamen est
B ex his duabus Tribubus centum octoginta millibus lectissimorum hominum in arma correptis, spem regni recipiendi concipere. Tantam hominum vim, imago quædam potentiæ relicta, viribus nempe alio translatis, subito ex se armavit. Sed tibi hanc gloriam tantum, non id quod conabaris, conciliasti.

CAP. XXVIII.

De Abia Rege Juda & Hieroboam.

C MOrtuo Roboam, cujus sævitia in Jeroboam totius propemodum regni opulentia viresque concesserant, filius Abia in imperio successit, qui cum patriam Jeroboam illata ignominia injuriaque, deinde tædio pudoreque paterni regni amissi confunderetur, ad repetendas olim a patre Roboam possessas urbes validissimum quadringentorum millium coegit exercitum. Nec Jeroboam pugnam detrectat, utpote validioribus regni viribus suffultus. Ad primam tumultus famam celeriter præmaturo Regis furori atque libidini obviam iturus, exercitu octingentorum fortissimorum virorum millibus progreditur. Acriter
D armis concurritur. Hunc regni paterni per vim ademti spes in virtutem excitat. Illum rei indignitas, ab invalido atque olim a patre victo se oppugnari, retinendique quod semel paraverat libido, ad fortitudinem exacuit. Ancipiti itaque Marte diu pugnatur, dum hic quod pater amiserat, repetere, ille quod pepererat, retinere studet. Dolo interim utitur Jeroboam: exercitus enim parte circumducta, & a fronte & a tergo inferentium signis clamore sublato, Abiæ exercitum repentino pavore consternatum opprimere tentat. Hostes eodem quo petebantur dolo contra in hostes circumfusos utentes, terribili tuba-
E rum taratantara, promiscuis virorum clamoribus, quos periculi, metus horribiliori boatus strepitu exasperabat, terrorem ingeminantes, trepidos perterritosque eos qui in spem circumveniendi venerant, in fugam agunt. Siccatæ terræ, quæ nunc justo Dei judicio inhonoratæ ignobilesque quodam quasi situ squalent, divinis promissionibus, tantis copiis in aciem concurrentibus, fidem conciliarunt.

CAP. XXIX.

F *De Asa Rege.*

ASA post patrem Abiam regni Judaici gubernacula cum occupasset, pari ne dicam clariore exemplo regni Juda potentiam perpetuæ hominum memoriæ sacravit. Trecentis enim millibus scutis hastisque armatorum hominum de Juda, ducentis & octoginta de Tribu Benjamin millibus constantem exercitum,

contra Zara Æthiopum Regem, qui decies centenis millibus, innumerabilique curruum adparatu vicinos agros populabundus vastabat, educit, contrasistit, hostem fundit fugatque, nec aliter quam pecudes ad stabula redire cogit. Eam regno tuo gloriam conciliasti, dum divino brachio innixus, invicto animo contra mala audentior incederes, quo sustentamento subtracto, atque in ejusdem locum Syriæ Regis auxiliis repositis, simul cum pietate potentiæ bellicæque gloriæ naufragium simul fecisti.

A

CAP. XXX.

B

De Amasia Rege Juda.

CUi liceat hic maximi animi validissimæque potentiæ virum Amasiam Regem indictum pertransire? Stimulatus hic Assyriorum injuriis, qui exitialibus cladibus totam Judæam adfecerant, Regemque patrem, ademto omni imperii auctoritatisque honore, etiam vulgi manibus furorique interficiendum exposuerant, collecto ex Juda & Benjamin Tribubus trecentorum (quos ipse ætatis flos commendabat) millium numero, stipendioque centum millibus Israelitarum in belli societatem adscitis, nuper patre regnante acceptam cladem multorum millium cæde expiavit.

C

CAP. XXXI.

De Ozia,

NOn parum quoque hic gloriæ regno suo adjecit; iisdem enim quibus pater vestigiis insistens, gravissima cruentaque cum Philistim Arabibusque, perpetuis incursibus observata occasione in regnum Judaicum irrumpentibus, bella exercuit, atque tanta virtute contudit, ut munitissimas Ægypti fauces, potentiæ virtutisque existimatione terrore non modico quassarit. Exercitum trecentorum millium omni armaturæ genere munitissimum duxit, præterque cæteros hac laude insignes, munificentiæ quoque gloria emicuit: universum enim exercitum clypeis, hastis, galeis, loricis, arcubus, reliquisque quæ præsens bellum postulabat, sua liberalitate insignem in prælium dimisit. Sed heu te lætius arridentis fortunæ facies in exitium quoque ut patrem præcipitavit!

D

E

CAP. XXXII.

De Zorobabele Judæorum principe.

IN servitutis infamiam molestiamque sub Nabuchodonosore Babyloniorum Rege Judæi traducti, universa regione, ipsaque Hierosolymorum urbe hostiliter direpta, infinita hominum multitudine vario Martis eventu cæsa, principibus interfectis, post septuaginta servitutis annos, quanta (dii immortales!) Cyro annuente multitudine patriam repetierunt, ut nil aliud ab Assyriis accepta clades, perpessa servitutis incommoda, quam ut clar[illegible] re potentia jam collapsum instauraretur imperium, effecisse videantur. Sexcentis enim atque eo ampliore numero, hominum millibus, Judaici regni reliquiæ commutatæ, insigniori potentia fumantia ipsius Hierusalem mœnia roborarunt, atque in eas flammas jam dudum sopiti exarserunt cineres, ut non multo post, cum fortunæ gratulandi causa Hierosolyma contenderetur, euntium multitudo, qui duodecimum annum attingebant, ex Tribu Juda & Benjamin, quater mille millium numerum, teste Josepho *lib.* 2. *cap.* 1. Levitarum quatuor millia septuaginta, mulierum infantiumque promiscua multitudo quadraginta millia & eo amplius effecerit.

F

CAP. XXXIII.

De undecim Tribuum cum Tribu Benjamin conflictu.

ÆTernam quoque posteritatis memoriam undecim Tribuum cum Benjamin conflictus ob ingentem belli adparatum meretur, qui cum ex nefario scelere originem traxerit, eventum quoque tanta impietate dignum habuit. Cum forte virum Levitam in Gabaam cum uxore hospitium receptum adolescentes quidam ætatis ardore fervidi conspexissent, formæque illectamentis in Veneris furias exarsissent, noctu fores pulsare, seni hospiti cædem minitari, ni peregrina ilico reddatur. Quam cum frequenti inscensione per totum noctis spacium exagitatam animi deliquio exanimassent; vir quo sceleris fœditate, spectaculique atrocitate Tribuum animos in ultionem raperet, in duodecim partes uxorem dissecuit; atque cuique Tribui partem spectandam exhibuit. Qui omnes iracundiæ adfectu ob insoliti sceleris fœditatem concitati, injuriæ auctores ad supplicium sibi dedi postulant: quod nisi fiat, ferro se tantum nefas expiaturos minitantur. Cumque Gabaonitæ adolescentum nobilitate permoti se quod petebatur minime facturos renunciassent, extemplo jusjurandum, non nisi confecto bello quemquam tecta subiturum, inter Tribus undecim sancitur, quadringenta educuntur virorum millia, ut quod paucorum pœna non poterat, communi excidio expiaretur. Committuntur acies. Vincunt quorum arma justiore causa commendabantur. Cadunt Gabaonitæ, atque eo quidem exemplo ut de Tribu reparanda communi auxilio sit labor.tum. Sic Lucretiæ Romanæ pudicitia, Bruti vindicis pietas, hoc exemplo æquata sunt; belli Romanorum pro tuenda pudicitia gesti magnificentia hoc adparatu etiam longe est superata.

CAP. XXXIV.

De excidio Hierosolymitano sub Tito Vespasiano.

OMni ætati, omni memoriæ lamentabile illud Romanorum cum Judæis gestum bellum insignia veteris populositatis exempla occinere non desinet. Vix unquam tanta populi pervicacia pugnatum est, vix tantam Populo Romano molestiam quisquam exhibuit. Quoties intestinis inter se conciderunt odiis? in quot partes miseræ urbis viscera distracta? Quot passi Assyriorum, Ægyptiorum, Æthiopum, [illegible]tarum, Palæstinorum, Madianitarum, reliquorumque qui latera regni hostilibus armis toties pulsarunt, irruptiones? Pompejum, cui terræ mariaque omnia subjecta parebant, Antonium illum belli fulmen, Cestiū, Herodem, cæterosque bellica gloria insignes imperatores quanto animo sustinuere? Per omnes terras cædibus

exagitati, dissensionibus intestinis, exterorumque bellis fracti, quanta tamen multitudine funesto illo sub Tito excidio horribiles adparuere? Præter captivorum nonaginta & septem millia, decies centena millia, quos partim famis violentia, partim pestifera lues, insepultorum fœtore ipsas etiam auras funestante, partim hostilis ensis hauserat, post innumeros casus, quibus justa Dei ira in ipsos supervenientе multis ætatibus exagitati sunt, reliqua Romanorum gloriæ permanserunt. Neronis autem imperio multo floridiores civitatis vires fuere inventæ: Pontificibus enim in Cestii gratiam ipso Paschæ festo multitudinem numerantibus, vicies centena ac septingenta hostias offerentium millia inventa sunt. Hæc quidem admiratione singulari digna forent, licet nullis bellorum intestinarumque dissensionum remoris florentis regni cursus foret impeditus. Nunc in tantis omnium nationum odiis, quibus in hanc maxime Gentem laboratum est, hæc adparuisse exempla, quis admirari satis queat unquam?

CAP. XXXV.

De Regibus Cananæorum.

DUm Judaicarum rerum narrationi immoror, stili cursus retro flectendus est, videndumque quis rerum status eis terris fuerit, antequam in Judæorum sortem concessissent. Hunc cruentissimæ clades, quibus, dum patriam retinere coguntur, affecti sunt incolæ, tanquam ἐπὶ γραφῆς quod dici solet nobis indicaverint. Ex unica Cananæorum natione cætera colligo, qui peregrinorum vires in dies invalescere ægre ferentes, cum tanquam ad prima incendii nutrimenta exstinguenda concurrissent, exercitu armatorum tercentum millium, decem equitum, duorum curruum millium, horribiles insurrexere, quæ omnis belli tempestas Josue fortissimi imperatoris virtute, divino consilio freta, quo equos hostium subnervari, currus incendi jubebatur, præter quos aut fuga servarat, aut montium latebræ tuebantur, extincta est. Sic dum nimia potentia velut œstro incitati divinis reluctantur consiliis, immodici fastus æqua pependere supplicia.

CAP. XXXVI.

De Staurobate Indorum Rege.

NUlla res efficacius Indiæ populositatem comprobat, quam quod in summis rerum regnorumque tumultibus unica hæc gens ab omni belli contagione secura abfuerit, nisi Semiramidis ambitioni atque Alexandri tantum potentiæ secus fuisset visum. Sollicitavit uterque innoxiam placidaque quiete contentam gentem. Verum quanto cum dedecore quantaque exercitus jactura uterque fugit? Invasi enim a Semirami ter decies centenis peditum millibus, equitum quingentis millibus, curruum centum millibus, ampliores his accivere copias, licet primo hostium ingressu plus centum millia in servitutem essent abducta. Quid vis multa? Tantam potentiæ suæ admirationem præbuerunt, ut nullus succedentium Regum, prioris fugæ ignominiam novo pugnæ periculo eluere auderet; nec immerito, cum a nobilissimis Scriptoribus quinque urbium millia ab his habitari sit proditum.

CAP. XXXVII.

De Cuphtibus & Gandaris Indiæ Populis.

CEleberrima illa Alexandri in Indiam expeditio maximam & terræ & genti potentiæ æstimationem conciliavit, quem tot victoriarum numero gravem & si non aperta fuga, difficultate tamen validissimam gentem subjugandi rejecit. Nihil eorum vires Cleophidis Reginæ, cujus non modica in iis terris erat auctoritas, labefecit defectio; Nihil Pori præcipui Indorum Regis infœlicissima pugna; Nihil Adrestæ, Gesteani, Præsidæ cum totis exercitibus cæsi, publicam gentis majestatem fregere. Unica Cuphtum natio, quæ ducentis equitum millibus in finibus suis Alexandrum operiebatur, tantos spiritus, tantam juvenis regnandi cupiditatem mole sua retudit. Nec molliores ad Gandaros aditus sibi repperit, qui intrepidi quoque eam per terras sese effundentem tempestatem audiverant. Ut enim quatuor elephantorum millibus eos in armis esse audivit, universæ Indiæ potiundæ spe delapsus, totius Orbis victricia arma alio illinc coactus est convertere.

CAP. XXXVIII.

De præcipuis Indiæ Populis.

ATque hæc quidem cum belli vigeret necessitas adparuerunt. Cæterum ex septem Tribubus, in quas ea gens divisa fuisse dicitur, unicum militiæ ordinem, quem perpetuo regia fovebat liberalitas, tam uberem virorum proventum largissimo quasi sinu effudisse majoris miraculi vires habebit. Gandaridum Calingarumque Regi (quorum regio Parthalis vocabatur) LXX. peditum millia, equites mille, elephanti septingenti in procinctu excubare sunt soliti. Quin & ejusdem gentis Populi Modubæ, Molindæ, Preti, Calissæ, Sasuri, Passalæ, Colubæ, Orzulæ, Abali, Taluctæ, Regi suo quinquaginta peditum, equitum tria millia ad quosvis belli tumultus suppeditabant. Validior his gens Andaræ Regi præbebat peditum centum millia, equitum II. millia, elephantos mille. Sed omnium in India potentiam claritatemque antecedunt Prasii, qui Regi suo peditum sexcenta, equitum triginta, elephantorum novem millia, per omnes dies stipendiabantur. Sed ingressi itineris longitudo hinc alio gressus jubet maturare.

CAP. XXXIX.

De Æthiopia & Zara Rege.

QUid nunc de Æthiopum populositate dicam? aut quo stili honore ejus gentis potentiam celebrabo? Quam reliquæ gentes cladibus instaurandisque bellis gloriam meruere, hi unico hoc nomine in se transtulerunt, quod nullius unquam exteri Regis servitutis jugum collo suo susceperint. Cujus rei quidam ementitas etiam quasdam regionis causas attulere, cum minime interiora Æthiopicæ potentiæ sacraria perscrutati, ejus rei causas reperire nequivissent, vano nimirum fictitiorum deorum cultui adsignantes, (cui præ cæteris ea gens deditissima esse solet) quod potentiæ oportuit tribuisse. Quos cum maximis copiis potentissimi Orbis Monarchæ invaserint, nihil aliud, quam quod gentis vires mani-

festiore comprobarint testimonio, effecerunt. Quanta mole, quanto animo Cambysem amisso exercitu in summam infamiam atque in extremum vitæ periculum conjecere? Semiramidem, cui par rerum gestarum fama, consiliique militaris promtitudo animos addidit, repentina fuga, vix ingressam excedere compulere. Ne Herculi quidem ipsi etiam inferi Regis auso turbare penetralia huc aditus patuit. Dionysius quoque cum cædibus Indiam fœdasset, hic crudelitatis suæ limites constituere coactus est. Atque ut summa in aliorum armis propulsandis potentia clari fuere, ita ab aliorum limitum affectatione fuerunt alienissimi, & ut tuendi propria cura laborabant, ita de aliena tranquillitate sollicitanda non admodum anxii fuere. Zara tamen Rex resides jam ab omni bellico exercitio animos in Judæorum fines introduxit, veteremque continentiæ laudem novo tyrannidis tuendæ propagandorumque limitum studio mutavit. Hic quanta se belli tempestas subito effudit. Decies centenis hominum millibus, trecentis curribus in Judaici regni limites prorupit; superatisque regni ejus propugnaculis in Maresam minitantes produxit copias, inopinaque trepidatione exterritum Asam, qui tum Judææ præerat, ad pugnam excivit. Castra castris collata sunt. Eductæ utrinque in aciem copiæ, cum hunc immodicus belli adparatus, illum innocentiæ libertatisque tuendæ studium in furias concitaret, ex utraque parte valide impressa concrepuere arma, ancipitique victoria pugnatum est, dum cælo demissus pavor subita trepidatione hostium perstringens pectora in effusam tantos apparatus fugam conjecit, docuitque quanto pacis studium bellicis curis esset commodius.

CAP. XL.

De Antiocho Magno Syriæ Rege.

ERit quoque in vetustatis laudem Antiochi exercitus referendus. Trecenta huic peditum millia fuere, equitum falcatorumque curruum non minor numerus, elephanti quatuor & viginti. Quid vis amplius? Tanta fuit hic copiarum fiducia, ut non tam de belli discrimine & victoria, quam de victoriæ præmiis etiam ante prælium cogitarit. Insulis occupatus ocia & luxus quotidianasque sub sericis auratisque tentoriis, jam de belli eventu securus, agitabat commessationes. Hujus atque Romanorum arma apud Thermopylas M. Glabrione Consule inter se collisa gravissime concrepuere, quo tonitru ultra quadraginta millia ex regio exercitu adflati concidere. Qua in re cum Romanorum esset tentata virtus, ad pacem Regis consilium spectare cœpit, quod cum iniquioribus legibus gravatum concidisset, reparatis copiis multo terribilior subito adparuit. Hannibal nativo ab incunabulis ipsis juramento sancito odio in Romanos ardens instructissima classe cum Romanis infeliciter concurrit. Hac clade novo ac uberiore supplemento sarta ad Mæandrum amnem ac Sypilum montem (incredibile dictu) trecentis peditum millibus, equitum falcatorumque curruum pari numero consederat. Sed nimbosus aer humore arcus fundasque ac jaculorum amenta emolliens, ipsaque magnitudo sibi obstans, Romanis fugandi uberrimam materiam præbuere. Tantis copiis non aliud effectum est, quam quod victoris virtutem splendidiore triumpho honorarit, ac terribilem illum Xerxis in Græciam adventum fœdissimo eventu in hominum animis fugacissimus imperator renovarit.

CAP. XLI.

De Mithridate Rege Ponti.

PLurimum quoque splendoris nobilitatisque admirandæ vetustati Mithridatis potentia, calamitatibus illustrior, damnis clarior atque terribilior resurgens, conciliavit: cujus magnitudo non suæ ætatis tantum, sed omnia superioris ætatis regna, infracta virorum virtute superavit. Nec est cur in conjecturarum biviis, ut his dictis fides concilietur, errabundus vager, cum atrocissimum cum omnium gentium victore Populo, tanto Urbis pavore, bellum gestum, locupletatissimum ejus potentiæ exhibeat argumentum. Satis fuit Pyrrho quatuor annis Romanam exercuisse virtutem, Hannibalis odium, cum ipso propemodum mammæ fructu imbibitum, XVI. anno irritum cecidit. Hic per annos quadraginta sex horrido pavore Urbem territavit, ac sæpius profligatus, terribiliore adsumta specie (velut hydræ capita uno resecto uberius olim a Poetis dicuntur suppullulasse) in arma denuo resurgit, neque Syllæ fœlicitate, Luculli virtute, Pompeii magnitudine, cujus adventum & Caspia regna Mœoticaque tellus horruere, potuit prohiberi quo minus in avito regno vita decedens, filium hæredem reliquerit. Quem Orbis terrorem & cœlestes minæ, & inconsueta cometæ portenta miseris denunciarunt mortalibus. Sexaginta enim dies per utrumque & nativitatis regnique auspiciorum tempus tristi incendio, quo cœlum ipsum conflagrare videbatur, cometa rutilantibus inhorruit crinibus, qui fulgore ipso Solis nitorem offuscare videbantur, ut dii ipsi ad tanti incendii flammam, quam cometa præsagire videbatur, restinguendam totius Orbis vires convocasse videri possint. Tanto impetu undiquaque tentatum ejus fuit regnum. Romanorum Prætores, qui finitima circum loca regebant, Cassius, Manius, Appius, diversis itineribus qua proximum erat, ad gliscentis belli flammas sopiendas, in Mithridatem insurgunt, quilibet quadraginta virorum millium viribus suffultus. Aderat & Nicomedes, quem præcipue exoriens adflarat incendium, peditum quinquaginta, equitum sex millia secum agens. Mithridates ex propriis regionibus peditum ducenta, equitum quingenta millia armavit. Naves cataphractas trecentas, dicrotas centum, cæterarum ingentem traxit adparatum. Latissime secundo fortunæ successu serpentem Regis furorem Sylla cum quinque legionibus missus compressit, atque ni cum Mithridate illi res fuisset, totius belli alea hoc prælio jacta fuisset. Siquidem ex centum viginti millium exercitu vix e fuga decem millia recollegit Archelaus belli præses. Sed quid momenti tanti exercitus cæde est factum? Octoginta statim hominum millia in stragis acceptæ supplementum Archelao in Græciam mittuntur, quibus simili quoque eventu absorptis, non tam exercitus reparandi diffidentia, quam nimia imperatoris Romani fortuna permotus, ad pacis conditiones animum adjicere cœpit Mithridates. Sed nimia luxuriantis regni fœlicitas inita pacis fœdera modico interjecto tempore disrupit, cum durissimis a Sylla præscriptis conditionibus subjectam se inique pateretur. Sed ab hac quid magni, quid horrendi exspectandum fuit? Exercitum enim, quem strages reliquum fecerat, victori tradendum, omnemque belli gesti impensam solvendam, atque intra regni paterni terminos regium cohibendum imperium, conditiones latæ mandaverant. Sed quid hujusmodi frænum potentiæ ejus injectum aliud effecit, quam ut ter-

go denuo insidens sessor graviori impetu excuteretur, Murena præsidio relictus vinceretur, Bosphorus Achæique qui ultra sunt in regni Mithridatici ditionem redigerentur, Cotta in Europam progressus Bithynia expelleretur? Nec satis fuit Europam bellicosissimorum peditum centum quadraginta millibus vastare, ni & eodem tempore Eumacho ingentibus copiis stipato Phrygiam Pisidas, Isauros, Ciliciam invadendi datum esset negocium. Sed ut tempestas hæc atrocissimos habuit impetus, sic Luculli virtute brevi tantæ bellorum minæ in cassum cecidere. Fame enim jamdiu pressum fugientemque Eumachum assecutus, Æsopum Granicumque amnes trucidatorum multitudine cruentos reddidit. Nec mitior Regis cum mari pugna: centum enim navium classem, adparatu bellico gravem, in Pontico mari adorta tempestas, tam fœda strage laceravit, ut navalis belli instar efficeret. Plane quasi Lucullus quadam cum fluctibus procellisque societate inita debellandum Regem ventis tradidisse videretur. An quicquam a tot cladibus adfecto Rege deinde exspectas? Imo in Cyzici obsidione plus quam trecenta hominum millia fame & morbo amisisse fertur. Quadraginta rursus peditum, equitum trium millium exercitu quasi resumtis viribus denuo contra hostem vadit: quibus quoque simili fortuna profligatis, avaros militum animos sparso per vias auro ab insequendo se continuit. Neque hæc illum calamitas fregit, cui etiam tum delectu habito, ad septuaginta peditum millia, equitum triginta millia habere licuit. Subito Romanos de rebus ejus propemodum securos adgreditur, atque quingentis occisis reliquos primo prælio in fugam vertit: acrius prælium repetens, servitiis etiam ipsis in libertatem vendicatis, genu saucius atque sub oculo sagitta ictus, pugnam intermittit. Quo curato Romanos consecutus fœdissima fuga, tribunis militum quatuor & viginti, centurionibus centum quinquaginta interfectis, dissipat, conversusque deinde ad proximas gentes, totum fere Orientem & Septentrionem ruina sua involvit; Iberi, Caspii, Albani, & utræque sollicitabantur Armeniæ, & quanquam victus debellatusque victoriam cogitare non destitit. Multum sane admirationis per tanta temporum intervalla gestum cum clarissimis imperatoribus bellum sibi vendicabit. A quibus acceptas clades novis victoriis strenuissime resarcivit sæpissime. Nam L. Cassium, Q. Appium, Manium, Attilium Rom. duces, captivos ad ignominiam circumduxit; Fimbriam, Murenam, Cottam, Fabium insuper ac Triarium prælio vicit, ita ut quamquam victus quo regni sui ruinas consoletur, affatim habeat.

CAP. XLII.

De Tigrane Armeniorum Rege.

AUsus Tigranes, animos secundis rebus tollentes Romanos, virium multitudinisque fiducia fretus invadere, infestissimumque Urbi Romanæ Mithridatem pristina potentiæ gloria exutum viribus suis protegere, repentino tumultu ad trecenta hominum millia, Cappadociæ retia innectens, in arma rapuit, etiam quibus terrarum orbis cedebat furorem in se lacessere ausus. Nihilominus tamen quod armis non poterat, victoris clementia obtinuit.

CAP. XLIII.

De Hierone Siciliæ Rege.

QUÆ ætas non miretur insperatum Hieronis Siciliæ Regis adversus Romanos belli adparatum? qui ducentarum viginti navium classem, ab excisa arbore quadraginta diebus paratam, e portu in altum eduxit. Quæ tamen adparatus celeritas nil aliud quam præmaturæ victoriæ palmam Romanis tribuit, ut prius se victum, quam hostem vidisset ipsemet fateretur.

CAP. XLIV.

De Syracusis Siciliæ civitate.

NEque æquum foret Siciliam ab hujusmodi laudis participatione nostro silentio alienam reddere, quam ab unius urbis Syracusarum potentia æstimari volumus, ex qua Dionysius peditum centum viginti millia, equitum millia duodecim armavit. Nec minor navium classis maria obtexit; magnarum enim navium, partim triremium, partim quinqueremium quadringentarum classem ex unico eduxit portu. Non exclamem, O tempora! O urbem bellorum adparatibus populique multitudine florentissimam!

CAP. XLV.

De Parthis.

INter memoratissima ac opulentissima Assyriorum, Medorum, Persarum, ac Bactrianorum regna, summæ ante ignobilitatis res Parthica enascens, magnificam & genti & vetustati gloriam conciliavit. Quare & ea nobis in vetustatis laudem nominatissimi exempli loco adducetur, quippe quæ sola, cum jam omnia Romanorum armis cederent, iis non tantum par, sed etiam victrix trinis præliis a maximis gestis ducibus exstitit. Cum duæ Romanæ legiones cuivis terrori satisfacere posse crederentur, Crasso undecim legiones in hos ducendæ, equitum quatuor millia, levis armaturæ par equitibus numerus est adsignatus. Qui cum tanti exercitus strepitum in se agi audissent, inanes ridentes minas etiam alienorum invadendorum cura atque occupationibus sese implicuerunt. Periculosissimo enim cum Rom. suscepto bello, Orodes Rex Armeniam populans, Surenam quendam auctoritate sibi facile secundum impigrum ducem præficit. Tanta Barbaro multitudinis opinione inerat securitas. In apertos campos deductum Crassum in grandinis modum cælo præcipitatis telis obruit, immodicamque Consulis cupiditatem ipsius &, quod miserabilius, undecim legionum strage expiavit. Neque mitius Antonium, quo ea ætas audacia, tolerantia, militaris rei peritia, corporisque viribus superiorem non temere quenquam habuit, excepere. Licet gravissimum sub Crasso acceptum esset vulnus, exercitus omnis cum ducibus omnibus a Cassio Crassi quæstore, ac post a Ventidio attritus, Rex quoque Pacorus esset cæsus, horribiliores denuo belli undas sceleratissimus Phrahates excitavit. Antonio sexdecim validissimarum legionum agmen agenti, cujus arma ultra Bactrianos extimuerunt & Indi, iterum 400. equitum millibus occurrit, atque in eas fortissimi imperatoris res angustias conjecit, ut Artabazes maximus Armeniorum Rex,

A qui auxiliares Antonio copias junxerat, desperatis Romanorum rebus, trepidus in regnum refugerit. Quas angustias etiam Antonii ipsius confessio comprobavit; nam satellitem sacramento adactum compulit, ut cum jussisset se mucrone transfigeret, caputque corpori ademtum cum confusis corporibus confunderet, ut nec vivus capi, nec mortuus dignosci ab hostibus posset. Nam & milites cum in loca ab hoste secura, multis repentino incursu cladibus acceptis, pervenissent, non aliter quam tempestatibus jactati e pelago intuentes terram, sese passim prostraverunt, ac ad lachrymas ex nimia lætitia ortas & mutuos complexus atque aggratulationes sunt versi. Sed quid conjecturis rem persequor, B cum inter initia surgentis ejus regni Arsaces primus conditor, populositatis ejus gentis, bello cum Antiocho Seleuci filio centum peditum millibus, viginti equitum, gesto, locupletissima exhibuerit argumenta.

Cap. XLVI.

De Gallia.

C Quid dicam de Gallica terra olim fortissimorum hominum fertilissima? cujus agri feracitas licet nulli præstantia facile cederet, abundantem multitudinem nec alere, nec Ambigatus Rex, virtute atque auctoritate maxime pollens, in officio continere potuit. Hic prægravante turba regnum exonerare cupiens, Belloneso ac Sigoneso sororis filiis impigris juvenibus quantam vellent hominum multitudinem exciere permisit, quibus in exteras terras deorum auguriis datas deferantur. Sigonesus fortibus Hercynios saltus insedit, Belloneso haud paulo lætiorem in Italiam dii D dederunt viam, qui Alpium cœlo junctorum jugis superatis, fusisque juxta Ticinum amnem Thuscis, qui tum venienti occurrebant, clarissimam urbem Mediolanum condidit. Semel inexpugnabili Alpium celsitudine devicta, novis semper copiis priorum sequentibus vestigia, tota inter Alpes & Padum loca armis tenuere. Recenti tandem augmento fulti, etiam Padus trajicitur, Hetrusci & Umbri pelluntur, Urbs tot devictarum gentium spoliis onusta obsidione cingitur, atque memoratissima clade absorbetur. Cæterum ea quæ Hercyniam sylvam insederat tempestas paulatim Pannoniam occupavit. Quæ cum perpetuo in bellis ge- E rendis successu esset usa, altiores spiritus erigere cœpit. Quare pars Græciam, pars Macedoniam, omnia ferro ignique depopulantes, & quacunque irent obstupefactos incolarum oculos in se rapientes, non terrore tantum, sed & corporis virtutisque admiratione pleraque sibi subjecerunt, effectumque ut & Reges nondum bello lacessiti ad pacem atque firmanda fœdera ingentem his offerrent pecuniam Solus Ptolomæus Macedoniæ Rex, avita gloria ac veteribus Macedoniæ terrarum victricis, virtutis insignibus animos tollens, intrepide cum Gallici exercitus terrorem imminentem audi- F verat, quem hostes juvenili temeritate exsultantem atque in aciem egressum, ad perpetuam Macedonici regni infamiam, multis vulneribus saucium capiunt, caputque tota acie ad Macedonum terrorem lanceæ impositum circumferunt. Eousque tandem vecors ille animi furor progressus est, ut hominum spoliis fastiditis, impias manus templorum direptionibus incestare meditarentur. Ea enim fuit hominum colluvies, ut virium fiducia etiam deos ipsos contemnerent, sacrilegiaque sua ne a iis quidem puniri posse crederent. Tanta enim eorum fœcunditas fuit, ut Asiam omnem velut examine aliquo implerent, denique neque Orientis Reges sine mercenario Gallorum exercitu ulla bella gesserint, neque pulsi regno ad alios quam ad Gallos confugerint. Quam autem falso eos hujuscemodi habuerit opinio, exitus declaravit: ex tanto enim exercitu nemo victor ad patria arva remigravit; ad unum omnes cœleste Numen, sacrilegii pœnas exercens, diversis cladibus absorpsit.

Cap. XLVII.

De eadem.

Sed hæc parva videri possint, trecentis hominum millibus levatam Galliæ annonam, nisi his omnibus diversis præliis a Camillo, Manlio, L. Valerio & Dolabella sic cæsis, ne quis exstaret in ea gente qui a se Urbem incensam gloriaretur, novum rursus examen prosiliisset, quod partim animi feritate, partim numero fretum, alias sæpe, maxime autem Britomaro duce, lumbos baltheis se non soluturum sacramento confirmarat, ni Urbe secundum capta Capitolium adscendisset. Non illud prioris multitudinis clades deterruit, nec exhausta jam funeribus Gallia tantis inceptis quicquam derogavit. Et jam novis ruinis erat pridem incensæ Urbis flammas oppressurum ni Æmilius, furore represso, tanto sceleri obviam ivisset, atque captum a juramenti religione in Capitolio discingens liberasset. Neque hi tertium licet recenti hac clade copiis debilitatis, novis atque inexhaustis supplementis terribiliores resurgentes Aristonico duce, de incendendæ Urbis consilio quicquam remiserunt, tanta spe atque vincendi fiducia, ut Marti torquem ex Romanis fundendis voverint. Impii hujus conatus repressi, tu Flamini, gloriam tibi habeto. Ne hujus quidem pugnæ infelicissimo eventu impediti, sub Viridomaro Rege quartum arma resumunt; hanc pugnam a Marcello Jovi Feretrio tertia post Romulum opima dicata spolia claram omnibusque seculis memorandam effecerunt. Non summa hic admiratio occurret, toties belli alea infœlicissime tentata majoribus copiis acceptam cladem resartam esse, toties victis recentes suffecisse milites, tot cladibus fractam Galliam non tantum juvenili vigore stetisse inconcussam, sed novis semper belli minis ipsos etiam victores territasse?

Cap. XLVIII.

De bello Cimbrico.

Age Cimbricus quoque terror quantam inexhaustæ viris Galliæ gloriam tribuit, qui ab extremis ejus finibus profugi, Teutonis Tigurinisque quos idem furor agitabat adsumtis, novas sedes toto Orbe quærebant. Hi terra sibi a Silano atque Senatu Romano negata, quod eo tempore Respublica Agrariis legibus perniciosissime contenderet, precibus negatum locum ferro sibi aperire constituerunt. Opponentes se Silanum, mox C. Manlium, deinde Cæpionem facili victoria in fugam conjectos trinis castris exuerunt. Et jam immaturo excidio Romanum erat lapsurum Imperium, ni tertius Romanæ Urbis conservator Marius eo contigisset seculo. Qui impetuosam Barbarorum violentiam levi certamine expertus, militem seu timore, seu commodioris rerum agendarum occasionis exspectatione, in castris continuit. Mora Romani militis altius animos erigentes Barbari, etiam castra adoriuntur, quæ cum frustra oppugnassent, pars vulnerati, pars pilis obruti

increpantes discessere. Tum primum quæ tempestas in montibus consedisset, adparuit. Totos sex dies Marii castra prætergrediebantur, ecquid habeant quod uxoribus mandari per se velint milites irrisorie interrogantes. Tanta capiendæ urbis fiducia tumentes Marius a tergo adgressus in loco quem Sextias aquas vocant oppressit, qua pugna horum plus quam decem Teutonum myriades sunt absorptæ. Cum non minore interim (licet hoc terrore sublato) Catulus, qui in Cimbros secundo agmine Alpes superare nitentes exercitum duxerat, timore quateretur, collegam Marium, coque sese transitu prohibere eos diffideret, victricibus armis adsit quam primum per litteras commonefacit. Hic primo Gallicæ patientiæ adparuerunt exempla: ut enim robur elationemque animi ostentando Romanorum castris terrorem incuterent, nudi per altissimas nives atque Alpium glacies incedebant, & cum non paulo difficilior descensus quam adscensus foret, novo inusitatoque modo huic miseriæ occurrerunt. Scutis latissimis corpori suppositis per præcipitia atque locorum abrupta ex alto in descensum ferebantur. Objecta & altera huic terrori fuit difficultas flumen Athesis, quem non ponte, non navibus, sed gigantea violentia, tumulis vicinis evulsis, montiumque præruptis, vastissimis trabibus flumen oppletum transiere. Eam spirantes ferociam si Urbem accessissent, ultimus ille dies regno gentique fuisset. Qua sensim natura cœli, vini deliciarumque dulcedine languescente, Marius molliores ad eum terrorem delendum aditus invenit. Dictus pugnæ dies. In aciem progressum est: Catulus viginti duxit millia, Marius duo & triginta; Barbarorum acies quoquoversus per triginta extendebatur stadia. Varie diu certatum est victoria. Tandem & ipso æthere Romanis militante, horrenda Barbarorum strages editur. Pars furiis acti sibimetipsis cruentas manus intulere, partim fugientes a fœminis suffocati sunt. His casibus licet innumerabilis multitudo ceciderit, captæ tamen sunt sex myriades, cæsi ultra centum millia. Tertium Tigurinorum agmen, quod quasi subsidio Norica insederat Alpium juga, in diversa lapsum fuga ignobili evanuit.

Cap. XLIX.

De eodem.

Sed quid miror? Omnibus his bellum contra C. Julium Cæsarem decem annos gestum, omnes omnium propemodum gentium copias non parum excedens, fidem adferat. Hic si alias unquam non pro imperio, sed pro salute dimicatum est. Siquidem cum jam Romani per omnes terras victricia circumtulissent arma, se tutos nisi Gallia quoque domita planeque confusa fore desperarunt. Tantam fera barbaries proximis præliis in victorum animis virtutis multitudinisque reliquerat admirationem, ut si is denuo furor per Alpium juga infestis agminibus majorum repetens pœnas sese effudisset, Italiam totius Orbis victricem turpi fuga Romani fuerint relicturi. Sic enim, ut inquit ille, semper Romani habuere, omnia virtuti suæ pervia esse; cæterum cum Gallis non de imperio, sed salute se pugnare solitos. Prima belli tempestas ab Helvetiis, angustioribus quam pro tanta multitudine limitibus clausis, est orta. Quos, ne cuiquam spes in patriam reditus foret efferata rabie incensis mœnibus, se per Galliam trecentis sexaginta hominum millibus effundentes, non aliter quam ad stabula pecudes domum redire coegit. Quo conatu represso, horribilior denuo belli facies e Gallia adparuit; Belgæ enim fortissimus totius Galliæ populus,

A senescentis apud se Romani exercitus tædio in arma conjurant, inter quos Bellovaci, quorum prima & virtus & auctoritas, hominumque numerus erat, ex sese lectissima sexaginta hominum millia armarunt: Suessiones quinquaginta, totidem Nervii, Atrebates quindecim, Ambiani decem, Morini quindecim, Menapii septem, Caletæ decem, Velocasses & Veromandui totidem, Aduatici viginti novem, Condrusi, Eburones, Cæreses, Pœmani quadraginta millia dicto citius conflarunt. Quæ copiæ castra latitudine amplius millia passuum octo patentia, Cæsaris adventum exspectantes, insederunt. Levi tandem conflictu Romanorum virtutem

B Cæsarisque fortunam experti, cum retro domum quisque inordinato agmine rueret, maturam hosti victoriam, seseque quantum erat diei spacium cædendos præbuerunt, ut terribiliores-ne ante conflictum, an nunc despicatiores Romanis sint habiti, haud facile dixeris. Ac clade hac nihil debilitatos libertatis vindicandæ spe Vercingentorix ille corpore, armis, spirituque terribilis, coactis peditum circiter ducentis quadraginta millibus, equitum septem, in arma concitavit. Ipsis præterea capitibus urbibus firmissimo præsidio munitis, Avarico quadraginta millium, Alesia ducentorum quinquaginta millium, Gergovia, cui maxima belli rabies in-

C cumbebat, octoginta millium juventute suffulta. Fœlicem virtute numeroque Galliam, ni eam Cæsaris fortunæ dii in gloriam reservassent.

Cap. L.

De Hispania.

Proxima e Gallia digressum Hispaniæ nobilissima terrarum regio excipiat, cujus si invictissimæ opinionis exercitus a primis, quibus ea

D nobilitata est regio, copiis exordium traham, quis non videt quam inextricabilibus Labyrinthorum ambagibus me involverem: deinde hoc quid sit aliud quam inutili labore ocium nostrum perdere, simul & tædio multitudinis patientiam Lectoris tentare. Omissis igitur fallacis erroris itineribus, mucido jam ex vetustate situ collecto obductis, notiores frequentique pede tritas peragremus semitas. Sic enim jucundior olim transgressi itineris futura est recordatio, & ego faciliori aditu ad animo destinatam metam citius pervenero. Maxima autem inexhaustæ multitudinis hæc dedit documenta secundi Punici belli tempore, utriusque partis Ro-

E manorum & Carthaginensium exercitibus ei incubantibus, enixeque eam armis retinere conantibus, quo in bello ipsa sibi Hispania stragis fomitem atque alimenta subministravit, dum alternante fortuna cladibus exhaustos novo supplemento subministrato, in spem Provinciæ retinendæ erigeret. Quanta rursus (dii immortales!) Hannibalem vix Hispaniæ appulsum belli tempestas excepit? Carpentanorum, Olcadum, Vacciorumque centum millia gravem rapinis prædaque exercitum turbarunt. Quæ ille ferro incendiisque omnia proterens victor funera edidit? Quot Saguntina miserrima clades populos absorpsit? Quantas sola hujus civi-

F tatis devastatio copias hausit? Quanta vero Hispanicæ multitudinis documenta edidit, quæ Hannibalis copias centum quinquaginta hominum millia ad octavum usque mensem sustinuit, ut minime mirandum sit eam regionem per annos viginti tres arma exercuisse, priusquam servitutis jugum in se acciperet. Hoc præter omnia omnium gentium exempla miraculi habet, quod cum intestinis bellis quantumvis validarum gentium frangantur vires, hæc cum periculosissimo bello in sua visce-

viſcera per annos quatuordecim, (quibus pars Romanis fovebat viribus, pars Carthaginenſium fovebat amicitiam) enſes ſceleratos converterit, firmo tamen ſtabilique priſtinæ virtutis perſtitit veſtigio. Minimo temporis momento florentiſſimum illud Macedonum regnum, dum inteſtino diſſidentium hæredum quateretur bello, concidit. Romanum quoque regnum etiam ſemotiſſimis gentibus tremendum, quantas ſceleratiſſimo Pompeii & Cæſaris bello ruinas traxit: cum Hiſpania, quæ tot annos mutuo certarat odio, (hinc Scipionibus, hinc Carthaginenſium imperatoribus populos in bella cientibus) ætate tam longa Romana exercuit arma. Atque hæc quidem omnia, non in communione collatis totius regionis viribus, ſed alterna conſpiratione, prout belli contagio ſerpſerat. Nunquam enim univerſæ Hiſpaniæ ſimul ad bellum inſurgendi animus fuit, neque unquam collatis viribus libertatem publice tutati ſunt, ſed ſola Provinciarum omnium poſtquam victa fuit ſe cognovit viresque intellexit ſuas. Quæ licet tam ſegniter bella gereret poſt ducentos prope annos, quibus inſidiatum ipſorum libertati eſt, Romano tandem paruit Imperio. Quid de Numantia dicam, quæ totius orbis terrarum viribus ſuffultum populum per totos quatuordecim annos, ſine muro, ſine turribus, modice tantum edito in tumulo ſita, non tantum ſuſtinuit, ſed continuis cladibus ita attrivit, ut non niſi ab eo qui Carthaginem delerat tanti hominum ſpiritus retundi poſſe viderentur. Viriatus quoque ille ex venatore latro, ex latrone belli dux factus, quantam Luſitaniæ hujus admirationis gloriam dedit? qui armis reſumtis per quatuordecim annos, omnibus citra ultraque Iberum Tagumque flumina igni ferroque depopulatis, Romanis, horumque imperatoribus Claudio Unimano, deinde Nigidio oppreſſis, libertatem tutatus eſt. Atque hec quidem omnia prout privata aliqua injuria aliquam eorum gentem adflarat. Quid facturi? Quas copias producturi fuerant, ſi junctis auxiliis Martis aleam tentaſſent aliquando, aut ſi priuſquam in terris ſuis alienos incubare permiſiſſent imperatores, potentiam multitudinemque cognoviſſent? Quorum licet vires in aperta non proruperint exempla, ego tamen eas ſimili orationis quo cætera elogio proſequar, ac quæ fieri ab his potuere, tanquam ſi præſtita ſint ſum habiturus.

CAP. LI.

De Africa.

CRISPUS Saluſtius celeberrimus Romanæ Hiſtoriæ Scriptor, de Carthaginis opulentia gloriaque dicturus, veretur ne dicendo rem vero minorem efficiat, quanto magis mihi earum cautium periculum, cui exigua orationis vena laborantibus vix emanat guttis, eſt pertimeſcendum? quanquam non ſuis coloribus lineamentiſque rem depingere, ſed tanquam notis quibuſdam politis cujuſmodi ea natio claruerit exemplis indicare mihi ſit propoſitum: quæ non aliunde commodius quam ex ſumtuoſiſſimis, quæ cum omnium terrarum victore Populo Romano geſſerunt, bellis ſpectabuntur. Non denego interim tamen ſuam gloriam Coloniis in Iberiam uſque ab eodem Populo emiſſis, Carthaginis Hiſpanicæ ſtructure, victoriis magnificentiſſimis, quibus Sicilia, Sardinia & quæcunque mari illi adhærent Inſulæ occupatæ ſunt. Non claſſi, qua totius Africæ apparatus copiæ vehebantur, a Duillio Rom. imperatore fugatæ merſæque, cum tamen eodem tempore ea belli moles in terra hæſerit, quæ Attilii Con-

A ſulis opprimendi ſpem auderet concipere, cui etiam eventus reſponſurus fuerat, ni ſingulari M. Calphurnii Tribuni militum virtute tanta trepidatio eſſet profligata. Atque hæc quidem in Sicilia. In Africa interim iis copiis emicuere, ut cæde non profligari, ſed irritari vires viderentur. Terris omnibus marique excuſſi cum nihil præter Carthaginem ſibi reliquiſſent, trecenta caſtella in littore cum juſto præſidio erexere, quæ Attilii Reguli virtute omnia ſunt prodita. Proſpere enim hactenus cum hoſtibus pugnarat Regulus. Magnam juventutis vim duceſque ipſos prælio captos, B claſſem præterea præda triumphiſque gravem in Urbem miſerat, ipſumque belli ſeminarium obſidione urgere, ipſiſque Carthaginis portis inhærere cœperat. At ne ſic quidem horum potentia convelli diſſiparique potuit. In tantum enim ſubito duce Xanthippo Lacedæmonio terrorem inſurrexere, ut Romanum jam non de bello, ſed belli reliquiis conficiendis cogitantem, exercitu fœdiſſima clade cæſo vivum prælio ceperint, atrociſſimo exemplo trucidarint, qua re effectum eſt, ut qui de ipſius Carthaginis mœnibus trepidarant, jam in ſpem de Sicilia recipienda venirent. His conatibus occurrit Metellus: ejus prælii cladem C ſpecioſiſſimus ex hoſte reportatus triumphus Metelli, in quo quatuordecim Africæ duces, centum viginti elephanti populo oſtendebantur, docuit. Nec ſatis. Jam claſſis per Italiæ maria bellum portans volitabat, quæ tempeſtatibus oppreſſa, Africam, Syrtes, omnium imperia gentium, Inſularum littora naufragio opplevit. Hic quis tantis cladibus obrutos in nova arma inſurrecturos credat? Mirabile viſu, ſexcentarum navium claſſe, exercitu, armis, propugnaculiſque gravida, Himilcone imperatore proſiliunt, quæ a Luctatio Catulo apud Ægeates Inſulas depreſſæ, totum inter Siciliam Sardiniamque pelagus D naufragio operuerunt.

CAP. LII.

De ſecundo Punico bello.

TOT continuis cladibus quid effectum eſt aliud a Romanis, quam quod adverſis calamitatibuſque in majorem audaciam evectos Carthaginienſes in perniciem fere inevitabilem armarunt, & quos jam fractos de proprio regno laborare credas, in totius Orbis ſpem evexerint. Res plane eſt omni ætati admiranda poſt primi belli E tempeſtatem, quæ viginti duos annos, non dico cædibus, ſed ſtragibus innumeris editis tonuerat, vix quadriennii conceſſa requie, multo terribilius cladium atrocitate ſecundum exortum eſſe, quod trecenta atque eo amplius hominum millia cædibus, quadringentas urbes in Italia per ſex & decem annos Hannibale duce incendiis hauſerat. Eo tempore maxime Carthaginis vires in apertum prorupere. Ejuſdem enim propemodum belli tempore Hannibal 90. peditum, 12. equitum millia Iberum traduxit; Saguntoque Romanis confœderata, octo menſium obſidione capta, invia Italiæ clauſtra Alpes nubibus junctos tranſcendit: F Scipionem apud Ticinum, apud Trebiam Sempronium Longum, Flaminium apud Traſimenum, Paulum & Varronem apud ignobilem vicum Cannas ſuperavit, & Hiſpaniam, quam a Rom. Legatis ſollicitari audiverat, Haſdrubale fratre, præſidioque peditum Afrorum XI. mille, octingentorum quinquaginta Ligurum, trecentorum Balearium, non contemnendi quoque equitum numeri, elephantis quatuordecim, claſſe quinquaginta quinqueremium firmavit. Erant & octo-

decim peditum millia, funditores octingenti, equites mille ducenti patriæ præsidio relicti; si fortasse quid novi se absente emersisset. Neque segnius interim illos Siciliæ recipiendæ spes sollicitabat; sub idem enim tempus navium longarum quinque & quinquaginta classis in magnum Syracusanum portum ex alto decurrere. Himilco quoque viginti quinque peditum millibus, tribus equitum, duodecim elephantis Heracleam cæterasque ejus oræ civitates sollicitabat. Asdrubal Gisconis delectu habito, brevi cladem a Scipionibus acceptam novo supplemento restituit, atque de integro belli fortunam de Hispania recipienda tentavit. Hannibali quoque Italiæ incubanti in supplementum eorum, quos intolerabile Alpium frigus, pugnarumque cum Alpinis hominibus alternans fortuna absumserat, sexaginta Numidarum millia, sexaginta elephanti, auri argentique multa talentorum millia, a Carthaginiensibus sunt missa. Quanta deinde Scipionem in Africam transgressum belli mole Asdrubal Gisconis & Syphax excepere? Ille triginta peditum, tribus equitum millibus, hic quinquaginta peditum millibus, omnia late vastanti Scipioni occurrunt; quibus bis victis tanta tamen belli instaurandi sedit Carthaginensibus fiducia, ut diversis in Senatu relatis sententiis, eam quæ arma resumenda suadebat amplecti maluerint. Centum naves, quæ ad intercludendos commeatu Romanos more tenebant, militibus armisque instructæ Romanam classem, quæ in Uticensi portu steterat, subito invasere, etiam fugæ abitusque spem iis, quos decedere merito optare debuerant, tentantes eripuere. O admirabilem fiduciam! O Orbis imperio dignos Carthaginienses, quos ita spes comprimendi hostes jam toties victores erexerat, ut quos post ipsas Carthag. portas obsidione quatientes conspecturi erant, resumtis armis se opprimere posse sperarint, & cum de mœnibus trepidare deberent, ac quovis modo hostem ad abitum sollicitare, retinere tamen eundem victoriæ spe non dubitarunt! Nec Syphacis interim animum priorum calamitatum memoria labefactarat, intuentis virorum equorumque copiam, regnique per multos annos florentis vires, quæ etiam desidi degenerique pectori animos addere possent. Exercitu igitur haud minore eo quem ante habuerat, atque adeo prorsus novo, Masinissæ Lælioque proximus castra metatus est. Sed priore insequente fortuna captus Masinissæ jucundum præbet spectaculum. Sic tanta renascentis belli nebula brevi Romanorum atque Masinissæ discussa virtute, pacis futuræ serenitatem visa est promittere, quam tamen rursus Annibalis ex Italia revocati adventus conturbavit. Expertus tandem Scipionis fortunam, non tam militum inopia, quam senescentis jam atque adeo Campanis deliciis animi vi fracta arma dissuasit resumenda. Mirandum dictu post tanti ducis confessionem, fuisse qui ad dissuadendam pacem processerint, repertosque qui eorum sententiæ aures accommodarint. Vincentibus tandem fatis, tam tristi lugubrique bello, quod Carthaginis potentiam perpetua hominum admiratione celebrabit, finis est impositus.

CAP. LIII.

De eodem.

QUis jam non cum Carthagine præsertim durissimis subacta conditionibus bellum jam decoxisse atque consenuisse credet? At in quam juventæ spe senectute deposita brevi revixit? Atque hæc maxima hujus laus, quæ superstes Romanis etiam victoribus libertatis spem adimebat. Siquidem non ita multo post secundi belli inita fœdera, cum forte Romanorum Legati componendis contentionibus, quæ iis cum Masinissa de regni limitibus exortæ erant, evocati, regionem per occasionem scrutarentur, magnosque adparatus, splendores, ostentantem, civiumque multitudine non multo post Scipionis victoriam adauctam conspexissent, reversi, non tam æmulatione, quam metu in dies invalescentis Urbis, nihil tutum illis esse, atque adeo ne libertatem constare posse, Carthagine salva atque incolumi exponentes, proclivem per se satis in eam rem metu exorientis potentiæ, Senatum in bellum stimulant. Manilio Censorinoque conficiendi belli datur negocium; qui in altum evecti repentino, ac ne belli quidem nunciis pro more missis, Urbem territarunt. Falsa tandem pacis spe injecta classem acceptam in ipsius Carthaginis conspectu incendere, ducenta armorum millia, sagittarum telorumque infinitam multitudinem, catapultas præterea & jacula usque ad duorum millium numerum pro pacis redemtione accepere. Cum tandem omni moto lapide fixa evertendæ Carthaginis sederet sententia, patientia in furorem versa, timore in audaciam, quæcunque & facere & pati, quam urbe excedere, atque si defendere non liceat simul cum ipsa interire, animo obfirmato decrevere. Omnes tum bellicis instrumentis vacabant officinæ, clypeos centum, enses trecentos, catapultas mille, sagittas mille, jacula quoque & lanceas quingentas singulis diebus cuderunt. Quæ autem rabies? Mulieres capillos funibus nectendis contulere, in novæ classis usum tecta domosque rescidere, aurum argentumque pro ære ferroque conflatum est. Ausi etiam sunt a repentino metu aliquantulum recreati, Censorinum tumultuaria multitudine coacta vallo dejicere, ingentem armorum vim Himilcone duce rapere, castra incursu territare. Quicquid per diem machinis convellitur, noctu reparatur, plus cum semiruta civitate quam cum integra negocii fuit. Et jam videbantur obsidionem virtute sua soluturi, cum Scipio fatale Africæ nomen imperium curamque negocii conficiendi adgreditur. Urbs capitur, per septem integros dies cædes continuatur, incendium omnia fœdat, ac passim senes, pueros, mulieresque, quibus militum rabies pepercerat, ruinis opprimit. Sed Deum immortalem, quanta rursus quasi ex sopito incendio flamma emicuit! Quadraginta virorum millia, quos Byrsa tuebatur, salutis indulgentia impetrata Scipionis sese fidei dediderunt. Sic florentissima omnibus rebus, armis, divitiis, audacia & promtitudine facile princeps civitas, non tam vi quam Populi Romani fortuna, incendiis hausta sibi atque Scipioni perpetuum admirationis decus conciliavit. Tam speciosa adparuisse exempla in Populo non tam bellis quam pestifera lue sub idem tempus exagitato, quis non admirabitur? Vix enim a bellorum incendiis quiescentem regionem horribilis perditio insecuta est. Immensa locustarum vis omnia depascens rapido correpta vento diuque per aerem portata, Africano tandem immergitur Pelago, quæ cum urgentibus undis per extensa late littora essent propulsa, tetro & tabido odore aerem corrumpunt. In Numidia, cui tunc Micipsa Rex præerat, octingenta hominum millia circa maritimam oram, cui Carthago Uticaque incumbunt, plusquam ducenta millia M. Plautio & M. Fulvio Consulibus exstincta dicuntur.

Cap. LIV.

De primo Rom. bello adversus Siculos & Carthaginenses gesto.

Populi Romani potentia post annum ab Urbe condita quingentesimum, quum domita tanto tempore Italia in virilis ætatis robur adolevisset, tandem adparuit. Nam quanquam præcedens adolescentiæ tempus, viris armisque concitatissimum, juvenili quodam furore exarserit, non tamen virili stabilitate roboreque fultum, justa potentiæ adultæ edidit argumenta, priusquam omnibus intra Alpes, fretum, ac maria utraque, in loca ab Orbe suo semota, arma victricia contulit. Tum demum quanta se subito tempestas effudit? Hieronem Syracusanum Regem, Pœnorum junctis copiis suffultum, tanta celeritate oppressit, ut Rex ipse in Romanæ potentiæ laudem, se ante victum, quam congressus fuerit, confiteretur. Pœnorum præsidium Agrigentum opere manuque firmissimum obsessum ab iisdem est: neque potuit adveniens Hanno cum triginta peditum millibus obsidentes turbare, impedireque quo minus post victoriæ laudibus fruerentur. Nec minor mari potentia: Annibale enim seniore Italiæ oram vastante, intra sexagesimum quam sylva cæsa fuerat diem, centum sexaginta navium classis perfecta, omnibusque instructa armis in ancoris deducta stetit: ut non arte factæ, sed quodam deorum munere navium formas induisse arbores viderentur. Hinc quodam quasi contagio in proxima serpente bello, Sardinia Corsicaque peti cœptæ sunt. Pœnorum cædi imperatoris Hannonis morte accedente, omnis ea natio quasi vento dissipata evanuit. Tantis jam concitatarum gentium motibus, tantis armis, tantis molestiis difficultatibusque novus quoque labor adjicitur. Trecentis triginta navibus in Africam bellum navigat; Clupea prima in deditionem recipitur: Trecenta castella subito expugnantur, circumequitantis agminis adspectu miseri cives, Carthaginisque portæ trepidarunt, nec Hasdrubales duo, nec accitus ex Sicilia Hamilcar novam illam ex gentium exterarum victoriis partam alacritatem impetumque sustinuere. Bellica inundatio quasi ruptis aggeribus omnia vastat, sternitque. Decem & septem millium clades editur: quam stragem oppidorum octoginta duorum deditio consequitur. Quid profuit Xanthippum Lacedæmoniorum imperatorem innumerabili Pœnorum, Gallorum, ac Hispanorum, quos mercede conductos habebat, multitudini præpositum suppetiis ferendis advocari? Quid clades triginta millium ab hoc commissa, duci catenæ injectæ Romanorum vires attrivit; si ex interfectorum sanguine trecentarum navium classis subito emerserit; si duobus fortissimis ducibus unus sit commutatus; si denique victorem Xanthippum adventus sui fama Romani Provincia expulerint? Quod & eventus ipse paulo post docuit; nam dum tanto terrori venienti pari classe obviam itur, centum triginta quatuor aut fluctibus aut hostibus produntur. Hannones duo validissimo comparato exercitu nihil aliud quam se cædendos præbuerunt. Sed debuit major jactura Romana potentia exerceri. In Italiam classis victrix remeans opulentissima prædis, triumphisque dives, cum adversis ageretur ventis, naufragio Africam & Syrtes, omnium denique imperia gentium, Insularumque littora implevit; ex trecentis enim vix octoginta abjectis oneribus (miserabilis rerum facies) ab undis superstites remansere. At non potuit hujus A periculi metu nimia horum potentia refrenari. Servilio Cæpione, Sempronio Blæso Consulibus, ducentarum sexaginta navium classe iterum in Africam transvehitur bellum. Rebus fortiter fœliciterque gestis, omnia ora maritima devastata, plurimis captis eversisque civitatibus, ingenti præda ad littus acta, cum in Italiam retro iter tenderetur, centum quinquaginta naves scopulis illisæ, prædam fœliciter partam, infœlicius amisere. Hinc acriores potentioresque resurgentes in Sicilia apud Panormum ita hostes Carthaginienses ceciderunt, ne amplius in ea Insula concitarentur. Ingentis victoriæ argumentum centum & quatuor B elephantorum captivitas. Hæc quoque victoria cruentissima clade fœdata est. Ambo enim Consules cum ducentis navibus & quatuor legionibus profecti Lilybæum, majore exercitus parte amissa, ægre evaserunt: Claudium quoque Consulem eadem fortuna est infecuta; nonaginta enim navibus aut captis aut demersis, cum triginta vix in castra incolumis pervenit. Jam totius Italiæ sylvas navium fabrica exhaustas quis non credet, ni Luctatius ducentarum navium classe in Siciliam transvectus, certam hosti victoriam e manibus eripuisset. Vix miserabilior clades, vix ad- C mirabilior unquam contigit victoria. Tantam classium jacturam, splendidiore numerosioreque multitudine minimo temporis spacio tanquam ex naufragio nova suppullulante classe resartam, quis non miraculi loco duxerit? cujus tantæ fuerunt vires, ut quadringentas naves turpi ac inhonesta fuga quoquoversus disjecerit, sexaginta tres ceperit, centum viginti quinque alto demerserit, ultra quadraginta quatuor aut bello ceperit, aut interfecerit. Dii immortales! quot exercituum agmina, quantus navium numerus, eo bello adparuit, ut non Roma Carthagini, sed universus terrarum orbis mutuis viribus concurrisse videa- D tur.

Cap. LV.

De secundo bello Gallico.

Gallicum quoque bellum secundum non exiguam veteris potentiæ habet admirationem, præsertim in populo per annos quingentos variis maximisque bellorum motibus exagitato. Erat per ea tempora cum vicinis totius Italiæ populis cruentissimis sæpe luctatum victoriis: Sabinis, Vejentibus, Cæninensibus, Albanis, Ardea, O- E triculo, Gabiis, Suessa Pometia, cum opulentissimo Hetruscorum Rege Porsenna, cum universo Latio, denique cum Gallis universi exercitus clade, Urbis incendiis atque ruinis, cum Pyrrho clarissimo Græciæ Rege, totius Epiri, Thessaliæ, Macedoniæ, armis, invisis in id tempus belluis, Apulorum, Campanorum, Lucanorum viribus fulto, luctuosissimo prælio pugnatum. Incredibilem hominum naviumque vim primi belli Punici tempestas absorpserat, ut exhaustas jam arboribus sylvas, hominibus civitates credi posset. Sed Romanorum potentia calamitate non supplan- F tari, sed efflorescere adsueverat. Gallorum enim tumultu nunciato, tanta quanta haud temere alias multitudine in armis exstitere; peditum septingenta millia, equitum millia octoginta, ex sua tantum Italia sine externis ullis auxiliis, atque etiam tunc sine Transpadanis armarunt; effectumque ut quam primo incursu auro superbi pacem vendiderant, nunc supplices precibus postulare cogerentur. Nihil enim aliud prior illa Gallorum in Romanos strages edita, nihil aliud incendium effecerat, quam ut Urbs nova per an-

num erecta unum, priorem paupertatem, Romulique caſas abſconderet, atque ex cæſorum ſanguine, velut ex Lernæa hydra, multa armatorum millia ſubito enaſcerentur.

CAP. LVI.

De ſecundo bello Punico.

TUMULTUOSISSIMAM illam Gallici belli tempeſtatem graviores Africæ violentiæ motus excepere, in quo præter omnia quæ unquam geſſere Romani bella, potentiæ ſummæ eluxere indicia, quo neque cladium atrocitate terribilius, ſupplementis amiſſarum legionum admirabilius, odio utriuſque populi perſeverantius, ullum alias adparuit. Hannibali ruptis inviis rupibus, cœloque junctis Alpibus ſuperatis in Italiam deſcendenti Scipio Conſul occurrens, omni propemodum exercitu cæſo, prætextati filii Scipionis (cui poſt Africani nominis acceſſio ex virtute facta eſt) pietate, graviter vulneratus vix evaſit. Hæc prima tempeſtas apud Ticinum amnem detonuit; ſupplementis novis exercitu firmato pari clade rurſus eodem Conſule dimicatum eſt. Nec Sempronius Longus, collegæ periculo ex Sicilia avocatus, mitiore fortuna conflixit: quippe qui omni amiſſo exercitu ſolus pene fuga periculo ſe ſubtraxerit. Tantis cladibus cruentiſſima ad Traſimenum lacum viginti quinque millium Romanorum, ipſius quoque Conſulis Flaminii cædes acceſſit. Quantus ibi armorum crepitus, quis pugnantium ardor? Graviſſimum motum terræ fundamenta quatientem, qui & urbes integras eliſerat, fluminum vortices retro egerat, utraque acies cædibus intenta omnino non ſenſit. Tantum reſpirationis Romanis datum eſt, tantum requiei ſenſit, quantum Fabii Maximi cunctatio, mora non acie dimicantis, impetravit. Sed erat majori clade Romana potentia nobilitanda. Reſtabat ignobilis Apuliæ vicus Cannæ, qui Populi Romani clade, ut ante Traſimenus, debuit nobilitari. Hic quadraginta quatuor Romanorum millia miſerabili clade, Varronis Conſulis impatientia trucidata; Aufidus cruentas trahit undas; fluminis meatus corporum ſtrage ſuffocantur; tres annulorum modii in victoriæ magnitudinem Carthaginem ſunt miſſi. Eadem quoque fortuna L. Poſthumus Galliam provinciam ſortitus, cum viginti millium exercitu eſt cæſus; Sempronius quoque Gracchus Proconſul in inſidias ductus, cum exercitu juſto trucidatus eſt. Centenius Penula obſcuræ originis, præcipitis audaciæ vir, cum octo millibus occiſus eſt. G. Fulvius Prætor exercitum præterea eodem tempore amiſerat. His tot malis circumventos in ſpem Hiſpaniæ armis retinendæ, Scipionibus validiſſimo exercitu credito, veniſſe; tria inſuper tranſmarina ſuſcepta bella, Macedonicum contra Philippum potentiſſimum Regem; alterum contra Aſdrubalem Annibalis fratrem; tertium in Sardinia. Syracuſas præterea obſidione cinctas, captas, domitas, Capuam receptam quis credet? niſi qui eodem tempore Hannibale ad Urbis mœnia ſedente, milites ſub vexillis, averſa porta in cæſorum ſupplementum in Hiſpaniam miſſos cognoverit. Nunc Scipio in Africam terram hoſtilem ejuſdem belli tempore miſſus, cum longarum navium duarum ſupra quinquaginta, onerariarum quadringentarum claſſe, celocum interim ac lemborum innumerabili multitudine, tantis copiis, ut volucres ad terram militum ſublatus ad æthera clamor dejecerit, nemo aut in Sicilia aut in Italia relinqui videretur, quantam potentiæ gloriam vetuſtati conciliavit? Stupet magnitudinis memoria animus, tot acceptas clades, tot præſidia urbibus locisque oportunis diſpoſita, tot in armis cum exercitibus Conſules, Proconſules, Prætores, Capuam obſeſſam, excuſſa Hannibalis præſidia, Syracuſas expugnatas, Hiſpaniam armis vindicatam, Sardiniam bello receptam, ipſam illam hoſtilis exercitus ſeminatricem belli caput Africam, cum res Romanorum deploratæ crederentur, quod intentarat, ſervitutis jugum in ſe coactam fuiſſe accipere. Sed animus ſtilique vigor magnitudini operis ſuccumbit. Tantos turbines, tantas Romani Imperii clades, quæ excepit tranquillitas? Macedonici nempe belli procella. Initi cum Hannibale fœderis dum Italiæ inhæreret memoria, Athenienſiumque ſupplicum preces, quos Philippus inſolentius habere videbatur, pronum jam atque per ſe ad bella præcipitem populum perculere. Bis Rex victus, bis fugatus, bis caſtris exutus, a Conſule pacis conditiones petere cogitur. Sub Nabide duce Lacedæmonii ferocius ſpirantes, Romanorum quoque attoniti arma horruere. Punici quoque belli ignes jam ſopiti, Amilcare Pœno duce, qui remanens Inſubrum, Bojorum, Cænomannorum viribus ferociebat, in novas atque periculoſiſſimas flammas exarſere, quæ a Fulvio Prætore non ſine maximo negocio reſtinctæ ſunt. Sempronius Tuditanus cum omni exercitu Romano in Hiſpania oppreſſus interiit. Graviſſimum quoque vulnus a Gallica Gente alterius Conſulis exercitu amiſſo acceptum eſt. Et ecce tot annorum præliis atque cladibus confectos novus Syriaci belli adparatus novo terrore rurſus exercuit. Nihil Antiocho totius Aſiæ imperium; nihil armorum virorumque copia; nihil Hannibalis conſilia; nihil potentiæ fiducia; nihil trecentorum millium peditum, equitum falcatorumque curruum non minor numerus; nihil terribiles belluarum barritus, profuere. Hæc rurſus victoria variis cladibus expiata eſt. Siquidem eodem tempore, quinque millia contra Gallos amiſſa ſunt. S. Digitius Prætor in Hiſpania totius exercitus infame naufragium fecit. L. Æmilius Proconſul cum univerſo exercitu a Luſitanis cæſus interiit. Eadem fortuna L. Bæbium in Hiſpanias proficiſcentem rariſſimo exemplo, ut ne cladis nuncius ſuperfuerit, perſequitur. Miſſus in Bæbii exercituſque ultionem Marius Conſul non multo mitiore fortuna exercitus reliquias meliori occaſioni reſervavit. Hic rurſus quo ſe Roma erexit? Q. Fulvio Flacco Prætore in citeriore Hiſpania viginti tria hominum millia maximo bello interfecta. Sempronii Gracchi ductu ulterioris Hiſpaniæ centum quinquaginta oppida tormentorum machinis quaſſata ad deditionem coacta ſunt. Exſurgit & Philippi Macedonici Regis filius Perſeus, antiquæ nobilitatis recordatione, præſentis fortunæ contemplatione incitatus. Totius Orientis vires, Thracum, Illyriorumque barbaries in belli ſocietatem adſciſcitur; erat deinde illi, præter Macedonicum invictæ opinionis exercitum, decennalis belli ſumtus olim jam a patre in theſauris horreiſque paratus. Huic adparatui neque ducis prudentia deerat, quippe qui regionis ſitum a ſummo Hæmo ſpeculatus, poſitis per abrupta caſtris, ita Macedoniam ſuam armis ferroque vallaverat, ut non reliquiſſe aditum niſi a cœlo venturis hoſtibus videretur. Omnes has belli gerendi difficultates Romana vicit potentia. Devictum Regem in catenis triumphi ſpectaculo populi oculis ſubjecit. Tertium quoque cum Macedonibus ſimulque cum Pœnis eodem tempore geſtum eſt bellum; quod non tantum non exhauſit, ſed & Rempublicam Romanam locu-

pletavit: avita enim illa Macedonum virtus, quæ per omnes terrarum mariumque oras victoriæ trophæa fixerat, Regem suum Philippum catenatum in Urbem trahi pati cogitur. Carthaginiensium furor, quo in novæ classis usum tecta domorum rescindebantur, pro armis aurum argentumque conflabantur, pro tormentorum vinculis matronarum capilli radebantur, quid aliud quam præsens malum in diem distulit? Tanto tutius erat cum Romanis precibus quam armis contendere. Præter bella hæc difficultate periculoque plena, aliis quoque curis eadem tempestate Roma distringitur. Atroci accepti erant eorum Legati ab Corinthiis oratione. Res quæ bello vindicaretur digna est visa. O potentiam! Cum tantarum nationum odia ipsam Urbem circumstreperent, dubiisque bellorum eventibus versaretur, eam potentiæ opinionem nihilominus resedisse, ut leviculas injurias tanto adparatu persequendas existimarit: & cum omnium gentium, regionum, Regumque favor eblandiendus videbatur, alios insuper hostes atrocissimis adjecisse. Duobus præliis gravissima clade Achajæ vires corruere. Urbs toto tunc Orbe omnium florentissima opulentissimaque incensa diruitur. Sic per duas diversasque mundi plagas victricia arma eodem tempore circumtulere. Interim rursus in Hispania quantis viribus-ne dicam an cladibus certatum est? Viriatus quidam genere Lusitanus, pastoralis latro, per annos quatuordecim citraque ultraque Iberum Tagumque igni ferroque populatus, castra etiam Prætorum ac Præsidum adgressus ingentem nominis sui terrorem late diffuderat. M. Vitilium Prætorem, pene omni exercitu cæso, fugat, vincit, subigit, C. Plautium multis præliis fractum in fugam conjicit; Claudius quoque Unimanus dum superiorum Prætorum ignominiam virtute abolere conatur, infamiam veterem nova fuga exaggerat, latioresque trahit Romani Imperii ruinas. Quid dicam cum Numantinis per annos quatuordecim terribilissima circa eadem tempora bella gesta? Pompejus fœdus tandem cum viris inire cogitur. Hostilius quoque Mancinus assiduis cædibus ita exagitatur, ut suprema desperatione exercitu adfecto turpissimum fœdus facere cogeretur. At quantis rursus viribus Romani Imperii lacerti se iterum movent? Brutus in Hispania interiore sexaginta Galleciorum millia qui auxilio Lusitanis veniebant, asperrima periculosissimaque pugna oppressit; Numantia, quæ non solum quadraginta Romanorum millia per annos quatuordecim sustinuerat, sed etiam vicerat, pudendis fœderibus adfecerat, Scipione duce virium Romanarum impetu opprimitur, ut hactenus non vires, sed imperatorum fœlicitas desiderata esse videretur.

CAP. LVII.

De seditionibus Rom. bellisque a Numantiæ excidio ad Cæs. Augusti tempora.

ADversus omnes has in eadem fere tempora incidentes belli calamitates stabile infractumque Romanum Imperium perstitit. Quid superest nisi ut videamus, quæ potentiæ argumenta, dum discordiis civilibusque bellis furiali quadam regnandi cupiditate excitatum misere per interiora viscera discinderetur, exhibuerit. Tiberius Gracchus primam dissensionis facem incendit; dum Tribunus plebis populi studium favoremque Agrariis frumentariisque legibus eblandiri nititur; quæ non sine ingenti ruina incendiisque fuit exstincta. Hujus flammæ evanescentis scintillas C.

A Gracchus, non tam juris æquitatisque quam fraternæ necis vindictæ studio, iterum excitavit. Intra ipsa Urbis mœnia (miserabilis heu rerum facies!) civium inter se agmina concurrunt, C. Gracchо, Fulvio Flacco dissensionum auctoribus, Decio Bruto consulari viro atque Opimio senatoriæ majestatis conservandæ datur provincia, quæ non mediocribus malis Urbem adflixit. Tria millia civium quæstione habita præter eos, quos subito turbatio absorpserat, sunt interfecta. Quanquam domi is rerum status esset, ut Urbis custodiam requirere videretur, nihilominus Baleares Insulas Metellus pervagatus tunc edomuit. G. Domitius B Allobrogum viginti millia trucidat. Cum Bituito Arvernorum Rege Fabius Consul ita conflixit, ut perpetuam ea strages genti infamiam conciliarit, centum enim quinquaginta millia vel cæsa vel submersa fuere. Cum vaferrimo Jugurtha Numidiæ Rege variis dimicatum est eventibus. Aulus Posthumus, quadraginta armatorum millibus præfectus, opprimitur. Marius bellicæ disciplinæ peritissimus non virtute sed imbre telorum amenta laxante victoriam licet cruentissimam reportat. L. Cassius Consul insidiis a Gallis circumventus cum L. Pisone Legato interfectus est. His Impe- C rii vulneribus non pacis tranquillitas respiratioque, sed horribilior rerum facies meditatur. Tumultuosissimum enim cum Cimbris, Teutonibus, Tigurinis, Ambronibusque, qui simul in Romani nominis internecionem conspiraverant, bellum emersit. Præter ferociam multitudinemque hostium etiam infœlicissima Cæpionis Manliique cum iisdem pugna, validissime Romanorum quassavit latera: octoginta enim Romanorum sociorumque millia, quadraginta calonum trucidata sunt, decem tantum fuga elapsis, quorum oratione nuncioque miseria augeretur. Sed non aliter quam si pede pulsata Italia innumera edidisset mil- D lia, (quod Pompejus jactasse dicitur) subito cladis rumore nunciato ingentes prosilierunt copiæ. Occurrit Marius jactantiæque auram, qua imbuti Romanis artibus exitium ferentes progrediebantur, indignantibus de pulmone revellit, quem hic terrorem accessit, subiit, disjecit, fugavit, delevit? Qui diis ipsis naturæque bellum indicere videbantur, humanis viribus superari posse edocuit. Tigurinorum Ambronumque ducenta millia interfecit, nonaginta millia cepit. Confectum deinde duobus præliis bellum trecenta quadraginta millia absorpsit, centum quadraginta millia ad hostium ludibrium viva reservavit. Nondum requies respi- E ratioque a bellis data est; sed gravior (propemodum dixerim) unda, domestica dissensione Imperii dignitatem tentat evertere, miserabilique prorsus turbatione ipsum Reipublicæ corpus in sua viscera enses stringit sceleratos. Adsertor Gracchanæ legis L. Apulejus Saturninus infamium ausorum dux atque auctor in foro cum Mario Consule armatis aciebus concurrit. Aquilæ pares, signa paria, teterrimo exemplo per Urbem volitabant. Quid servile ab Herdonio bellum tentatum, tribunitiis dissensionibus obsessumCapitolium memorem? Quid Prætorum in Sicilia, Manilii, Lentu- F li, Pisonis, Hipsæi, per Servorum insolentiam castra direpta? Quid Drusi furores dicam, qui totius Italiæ arma in matris parentisque suæ excidium immanissimo scelere impulit? Interim & Q. Servilius Proconsul cum exercitu apud Asculum cæsus interiit, omnesque Romani cives indicta caussa lymphatico quodam furore ciente in urbe Asculo sunt trucidati. C. Pompejum Picentes bello vicere. Jul. Cæsarem, cæso exercitu, vix fuga servavit. Rutilium Consulem incautius exercitum habentem, cum splendidissimo totius propemo-

dum nobilitatis ordine, exercitusque universo Marsorum insidiæ pessum dedere. Cæpionem quoque eadem temeritas, idem hostium consilium, ea fortuna persecuta est. Quantum rursus tot malis acceptis, tanquam ex largissimo sinu subito copiarum, principumque virorum Roma effudit? cum non tantum gentes, nationes, regna pravis consiliis ab ea desciviissent, sed & misera dissensione lanciparetur, atque vix sopiti civilis incendii ardor horrendum etiamnum fumaret: malis enim clarius illucescens, vera tum tandem admiratione memoriaque digna dedit documenta. Adgressi singulos Marius sex millia Marsorum cædit, septem examat; Sylla Æserniam, Romanaque præsidia viginti quatuor cohortibus obsidione liberat; C. Pompejus Asculi expugnatione Picentes gravissimo prælio fundit: octodecim millium sanguine consularium exercituum manibus, eversarumque urbium diis tutoribus litat; Porcius Cato Hetrusco rum Umbrorumque gentes adgressus devincit. Piget gladiatorum furoris interim meminisse. Plus centum millibus fugitivorum hic inhorruit. Clodii Prætoris castra eruptione expugnantur, horrenda committitur cædes, ipse in fugam agitur. Consules ambo victis post copiis gravissima accepta clade aufugiunt. Idem furor C. Cassium proconsulari dignitate eminentem oppressit. Nondum quoque Jugurthini belli tempestas detonuerat. Jam Marianum atque Cinnanum Roma parturiebat incendium. Syllanæ cladis rogus accensus ardebat. Lepidus Italiam in arma concitat, Brutus Galliam, Perpenna Liguriam, Sertorius Hispaniam, singuli tanta formidine ut territare, labefactare, imo evertere stabilem Imperii statum posse viderentur. Horum tamen omnium impressiones eo tulit animo, ut & infestissima illa quatuor bella externa, Macedonicum, Dalmaticum, Mithridaticum, Macedonicum, suscipere non detrectaret. His non tantum restitisse, sed summa cum gloria ex voto confecisse, quis dignis laudibus satis poterit prædicare?

CAP. LVIII.

De eodem Populo Rom.

Difficilius aliquanto fuit Romæ seipsam quam hostem vincere. adeo crebris dissensionibusne, an bellis intestinis dicam, pro cujusque potentis libidine misere exhauriebatur: Cædibus, proscriptionibus eam misere vexarant Marius, Cinna, Sylla, Lepidus, Spartacus. Gladiatorum furor, Socialis, Servilisque belli exsecranda nomina per distracta jam Reipublicæ vescera atrocirer bacchabantur; quæ res propensum jam in scelera Catilinæ animum, ad patriam opprimendi, Senatum confodiendi, Consules trucidandi, cædibus incendiisque Urbem funestandi, consilium descendere incitarat. Inferenti in Urbem signa Antonius occurrit. Atrocissime pugnatur, utrinque virtutis clarissima eduntur exempla, cum Antonii militum fortissimi atque audacissimi quique aut vulnerati aut trucidati fuerint: hostium nemo superfuerit, sed quem vivus tenuerat locum, eundem anima effusa corpore tegeret. Nulla iis bellis fessis datur requies. Pompejus enim Syriam Phœnicenque populationibus pervagatus ipsosque Arabas edomuit. Hinc reflexo itinere Judaicæ gentis caput Hierosolyma evertit, solo exæquat. Non simplex hujus Orientalis belli erat injuria; siquidem duos & viginti Reges adtingebat. Unicum hoc inexhaustæ bellis omnium gentium intestinisque discordiæ quantam addidit Romæ gloriam? cui plus claritatis statim Gallicum bellum a Cæsare susceptum addidit. Hic septem legionibus numerosissimam immanissimamque aggreditur gentem, decimo demum anno perniciosissima libertatis ardentem cupiditate, veterisque belli gloria superbientem, ita exsanguem, effœtam reddidit, ut nemo aut novis rebus studere auderet, aut si audeat maxime, non metuendus admodum videretur. Helvetios incensis urbibus, pagis privatisque ædificiis, ne quem redeundi aut spes aut cupiditas sollicitaret, domum non aliter quam greges ad pastorum stabula redire coegit. Quantas Ariovisti copias insatiabiliter per 50. millia insequendo dissipavit. Tenchterorum Usipetumque, qui Gallias sibi subjicere parabant, quadringenta sexaginta millia fortiter disjecit; Belgarum, qui inter cæteros virtute eminebant, ducenda septuaginta lectissimorum militum millia temporis momento fundit, fugat, sternit, cædit, dissipat; Avaricum quadraginta millium præsidio fultum sustulit. Quæ vis, quæ potentia Alexiam non nisi desuper venturis hostibus patere visam, & quod admirandam magis reddit expugnationem, ducentorum quinquaginta millium juventute subnixam, flammis incendiisque solo æquavit. Gergovia quoque operis, naturæ, octoginta insuper lectissimorum militum firmitudinem inaccessa Romanorum potentiæ, Cæsarisque virtuti gloriam conciliент. Atque hæc quidem omnia cum undecim legionum strage, Crassi avaritia gravissimum a Parthis esset vulnus Romanis inflictum. Unum hoc deerat, ut sceleratissimo bello clarissimi imperatores, Cæsar Gallorum spoliis, Pompejus Orientis triumphis onustus, non ferente se nimiatriumphantis Urbis fœlicitate, illustriore exemplo Romanorum vires patefacerent, dum hinc undecim legiones, illinc duodeviginti in armis starent, atque in mutuum exitium plusquam bacchico furore ruerent. Quarto tandem anno ea tempestas detonuit. Hic cum effœta plane bellis exhausta videri posset, ad magnificentissimam potentissimamque Monarchiæ gloriam adscendit, & quæ Assyriorum, Persarum, Macedonumque regna labefactata transtulere, ea Romam ad summum in terris imperii nomen evexere, ut verissime sit dictum, Romanæ Urbis magnitudinem calamitatibus atque miseriis comprobari.

CAP. LIX.

De Augusto Cæsare.

Ex tantis bellorum Labyrinthis, quæ nullius certæ personæ fortunis auspiciisque, sed invicem in Imperio succedentium Imperatorum ductu, gesta sunt, quæque a consueto scribendi genere, quo cuique quod præclare gesserit tribuere solemus, nos avocarunt, gaudeo me tandem evolutum. Atque utinam quemadmodum feliciore nunc Republica statu haberi cœpta est, sic etiam fœliciori nunc stilo mihi oratio defluere incipiat. Movit enim (si unquam alias) robustissimos potentiæ suæ nervos Respublica Romana sub Augusto, qui postquam sapientia atque solertia incredibili perculsum undique dissensionibusque misere laniatum ordinasset Imperii corpus, Pompeii domum paterna repetentem, trecentarum quinquaginta navium classe maria infestantem, gravemque Urbi Romanæ famem adferre conantem, mirabili ne dicam an miserabili fuga superavit. Antonium quoque dignitatis suæ æmulum pacis nodum moramque Mutinensi obsidione castris exuit, ac memoratissimo illo, quod Cleopatræ totiusque Orientis opibus gerebatur, bello, ducentis navibus,

turribus tabulatisque castellorum urbiumque specie eductis tumentem, quæ non sine maris gemitu laboreque ventorum ferebantur, pulcherrima victoria ad extrema coegit. Frustra enim Arabum Sabæorumque agmina Romani Imperii vires perfringere conata sunt, sub cujus vexillis tunc quadraginta quatuor legiones stipendia faciebant. Sed hic tituli hujus meta defigatur, ut quemadmodum ab hoc robusta illa Romani Imperii virilitas ad effœtam quandam ac senilem ætatem Imperatorum succedentium inertia defluxit; ita nos quoque scribendi officio atque labore defungamur.

Cap. LX.

De sumptuosis bello Victorum Triumphis.

Gaudeo tandem ex hoc bellicæ calamitatis naufragio lacera propemodum puppe in pacis tranquillitatisque portum me emersisse, atque ex horridis illis armorum aciebus, ex intentatis hastarum gladiorumque cuspidibus, ex virorum diverso adfectu clamores miscentium strepitu, in amœnum pace editorum operum hortum, licet sero, pervenisse, ut recentis stragis memoria atque metus, si non prorsus exstirpari possit, præsentis voluptatis illecebra aliqua ex parte saltem mitigetur. Quibus autem lege id virtutis ornamentum tribui sit solitum, hic commemorare supervaneæ cujusdam fuerit diligentiæ, cum aliunde facile cognosci possit, atque ad id, quod nos instituimus, omnino nihil faciat. Neque obscuros, nullisque Scriptorum litteris celebratos, Liberi patris de Indis devictis triumphos; Neque Tatios Sabinorum Reges; Neque Tarquinium Priscum aureo tantum (quod ad nos litteris tantum allatum est) paludamento triumphantem; Neque ejus, cui Publicolæ populare cognomen, ædes e summa Velia in Vicum minime suspectæ celsitudinis translatæ addiderunt, ex Veiis Tarquiniensibusque virtute meritos triumphos, ociosus quis hic frustra requiret, cum & veteris ævi Scriptores nulla eos memoria dignos judicarint, & nobis tantum ea sectari in animo sit, quæ singularis alicujus magnificentiæ nomine Priscis sint commendata.

Cap. LXI.

De Furio Camillo patriæ Liberatore.

Celebratur imprimis magnificus, ex Veiis devictis, Camillo dicatus triumphus, qui cum decem continuos annos majori propemodum obsidentium quam obsessorum clade Vejorum territasset urbem, atque cuniculis clandestinisque irruptionibus, artibus Romano nomine indignis, eandem tandem cepisset, ejusmodi virtutis ornamentum est consecutus. Hujus rei gloriam Titus Livius his verbis celebrat: *Adventus Dictatoris omnibus ordinibus obviam effusis celebratior quam ullius unquam antea fuit. Triumphus omnem consuetum honorandi diei illius modum aliquantum excessit: maxime conspectus ipse est, curru equis albis juncto Urbem invectus, parumque id non civile modo, sed humanum etiam visum. Jovis Solisque equis æquiparatum Dictatorem etiam in religionem trahebant, Triumphusque eam ob unam maxime rem clarior quam gratior fuit.* Nullæ prædæ Populo distributæ magnificentia clarus exstitit, quoniam quæ in populum spargi solebant, universus Populus Romanus ad Vejos captos evocatus ante avexerat. Quod si hæc triumpho tuo reservasses, nullo post inferior reputatus, inter clarissima jam numerareris exempla. Quanquam quid interest, ante-ne an in triumpho tanta opum profusio inundarit?

Cap. LXII.

De Q. Fabio.

Q. Fabii triumphus illustribus exemplis inspergatur, hoc nomine, quod ex præda militibus æris octogenos binos sagaque & tunicas, splendidissima militiæ exactæ præmia, singulis contulerit.

Cap. LXIII.

De Papirio Cursore Cons. Romano.

Qua verborum veneratione & te in hac splendidissimorum virorum classe attingam, qui ærarium vicies centum millibus æris gravis, auri triginta millibus locupletasti?

Cap. LXIV.

De Livio Salinatore & Claudio Nerone Coss.

Claudius quoque Nero Liviusque Salinator, summa celeritate Asdrubale Annibalis fratre victo cæsoque, qui novo adducto exercitu nova belli mole fratris jam totius Italiæ victoris vires roboraturus adventabat, sestercium millies octoginta millia æris in ærarium adductis, splendidissimum virtutis suæ meruerunt triumphum.

Cap. LXV.

De Scipione superiore.

O Te fœlicem, (si tamen tibi aliqua felicitas contingere potuit) cujus rerum gestarum famam posteritatis memoria etiam nunc adprehendit, qui pace terra marique parta cum Carthaginiensibus continuis bellorum cladibus jam fractis, triumpho omnium ante ea tempora clarissimo in Urbem lætitia diffluentem invectus dignam virtute hac tua invenisti venerationem! Hujus pompam, quanquam exactissime Appiano diligentissimo Scriptori conscripta est, & quanquam non parum ad reliquorum splendorem illustrandum conducere videretur, ad nominis tui gloriam huc transferemus. Ejus verba sunt hæc: Scipio post hæc ex Libya in Italiam profectus, universas copias classe traduxit, Romamque ad triumphum reversus est, quem omnium ante se splendidissimum dicitur egisse. Ejus forma ut nunc fit ab eo servata est. Fuit autem hujuscemodi. Sertis redimiti omnes præcinentibus tubis, currus spoliis refertos deducebant. Ferebantur & captarum urbium simulachra, tabulæque exprimentes res gestas; aurum deinceps & argentum, partim

rudibus massis, partim signatum; Coronæ præterea, quas virtutis gratia urbes dedissent: Candidi deinde boves & elephanti illos sequebantur: Post hos Carthaginiensium ac Numidarum principes bello capti. Imperatorem lictores præibant, purpureis amicti vestibus, tum citharœdorum ac tibiarum turba, ad Hetruscæ similitudinem pompæ. Hi succincti, coronisque aureis redimiti, suo quisque ordine canentes psallentesque procedebant, hos Ludiones appellant, ut facile crediderim Hetruscos a Lydis sumsisse originem. Horum in medio quispiam talari veste fimbriis ac armillis auro splendentibus amictus, gestus varios edebat, hostibusque devictis insultans risus undique ciebat. Post thuris & odorum copia Imperatorem circumsteterant, quem CURRU DEAURATO multifariam que refulgenti candidi vehebant equi, auream capite gestantem coronam, lapillis ornatam gemmisque: is vestem succinctus purpuream patrio more aureis intextam syderibus, altera manu eburneum sceptrum, altera laurum præferebat, quæ Romani victoriæ signa profitentur. Currum exercitus in turmas aciesque divisus sequebatur. Milites redimiti lauro, laurum manibus præferentes, quibus meritorum insignia adjuncta. Aderant & qui hos laudibus vehebant, hos mordacibus salibus adspergebant, nonnullos infamia notabant. His pompæ splendoribus finitis, Imperator Capitolii adscensu superato, amicis epulas nitidissima elegantia præbuit. Præter has laxissimas profusionis habenas, præter quadragenos æris quos militibus diviserat, ærarium pondo centum millibus XXIII. locupletavit.

CAP. LXVI.

De M. Porcio Catone.

M. Porcius Cato summum frugalitatis exemplum, eodem cibo, eodemque vino quo remiges usus, de Celtiberis Hispaniæ robore partam victoriam referens, magnificus circa triumphorum splendorem (in cæteris parcus) exstitit, quem argenti viginti quinque millia pondo, auri mille quadringenta in Urbis ærarium translatis, (præter ducenos septuaginta æris, quibus militum virtutem collaudabat) perpetuæ hominum memoriæ consecrarunt.

CAP. LXVII.

De L. Quintio Cincinnato.

NOnne & qui ab aratro dictaturæ insignia acceperat Quintius Cincinnatus, relictis sordidis ruris officiis, splendidissimo triumpho insignis enituit? qui Minutio Consule, qui a Volscis Sabinisque Cælio Graccho duce in Algido monte obsidebatur, liberato, hostibusque cæsis, ducem in deditionem acceptum ante currum egit triumphalem.

CAP. LXVIII.

De Quinto Flaminio.

RUtilantes æternitatis radios Quintii Flaminii gloria a se emittit. Hic Philippum Macedoniæ Regem, avita paternaque gloria elatum, supplicum Rhodiorum Pergamenorumque vocibus Romæ Regis injurias querentium a Senatu commoto missus, Macedonesque veteri virtutis fama etiamnum ferocientes, recentibus successibus, virtutisque experimentis virenti militum flore adgressus, brevi Nabide Lacedæmoniorum duce, quem ad belli aleam sollicitaverant devicto, ad pacis conditiones adegit. Triumpho igitur tanti viri virtus honorata est, qui non infima veteris opulentiæ documenta exhibuit. Infecti argenti, ut habet Livius, fuit octodecim millia pondo & ducenta septuaginta, facti vasa multa omnis generis, cælata pleraque quædam eximiæ artis, ad hoc clypei argentei decem, signati argenti octuaginta quatuor millia fuere Atticorum; auri pondo fuerunt tria millia septingenta decem quatuor, & clypeus totus aureus, Philippei aurei quatuordecim mille quingenti quatuordecim. Quin & coronæ aureæ dona civitatum centum & quatuordecim fuere, & hæc quidem omnia, præter largissima munificentiæ exempla, quæ totius exercitus virtutem ornaverat, fuisse, quis non munifici exempli loco habendum censebit?

CAP. LXIX.

De P. Scipione Nasica.

SCipio ille, cujus virtutis indicia in toga maxime adparuerunt, quique tantum in ea quantum uterque Africanus in armis meruit, se ab hujus rei gloria abesse, nequaquam passus, victoriam de Boiis validissima gente reportans splendidissimo triumpho in Urbem evectus est, quo præter summam aureorum torquium multitudinem, præter centenos vicenos quinos asses, quos militum virtuti elargiebatur, æris mille quater centum septuaginta, auri ducenta quadraginta sex, argenti infecti trecenta sexaginta pondo in ærarium retulit.

CAP. LXX.

De M. Fulvio Nobiliore.

ANtiocho Syriæ Rege devicto, Asiatici belli persequendi cura M. Fulvio delegata est, qui Ætolorum gentis capite Ambracia urbe machinis quassata placidas pacis leges non de ea tantum, sed & Cephalenia & Zacyntho omnibusque Insulis ejus maris inter Ceraunios montes jugumque Maleum, ad quas Ætolici belli contagium serpserat, victoriam reportavit. Triumpho igitur victor in Urbem invectus, qui aureis coronis duabus centum decem pondo, argenti pondo octuaginta tribus, auri pondo ducentis & ultra, tetradrachmarum Atticarum centum octodecim; Philippeorum nummorum decem millibus, quadringentis triginta tribus, profusione in milites quinorum vicenorum denariorum, est decantatissimus.

CAP. LXXI.

De C. Manlio Vulsone.

MAgnificentissimorum huic virorum numero & Manlius Vulso adscribi meretur. Hic provinviam Scipionis Asiatici ordinandi provincia adsumta Gallogræcos, qui in Asia sub Antiocho meruerant, mixtis his qui olim Brenno duce in

Asia

A Asia firmas sedes collocarant, cum devicisset, triumphi insignem honorem meruit. In hoc autem laudis opulentiæque genere commemoranda Asiaticæ luxuriæ opera in Urbem invecta, aureæ coronæ ducentæ duodecim, argenti ducenta viginti millia, tetradrachmarum Atticarum ducenta millia, Philippeorum nummorum millia sexdecim. Militibus insuper quadrageni bini denarii divisi sunt, duplex Centurionibus peditibusque stipendium elargitum est, triplex in equites.

CAP. LXXII.

De Paulo Æmilio.

B Age & Macedonici triumphi amplitudinis quid vetat meminisse, qui omnes quondam terras mariaque magnificentiæ fama implevit? ut hactenus opulentiæ quædam tantum semina jacta, nunc in uberrimam divitiarum messem erupisse videantur. Cum reliquæ gentes Syriaci belli periculo altissimum tenerent silentium, Macedones avitæ virtutis recordatio in bellum stimulat. Itaque recollectis viribus, Thracibus Illyriisque ad belli communionem allectis, Perseus Philippi filius ita Macedoniam armis ferroque muniverat, ut non reliquisse aditum nisi a cœlo venturis hostibus videretur, quod & sinistra Crassi Consulis fortuna exercitusque Romani cædes indicium fecit. Paulus deinde Æmilius, cujus virtus illi Macedonici nomen indidit, Consul creatus est, qui diligentius exploratis accessibus, per Astrudem paludem, per arduos inaccessosque tumulos, quos volucribus etiam invios Rex putarat, subito adventus sui terrore ita terruit, ut, ne periret, omnem pecuniam in mare mergi jusserit, aliisque ducibus belli summa commissa, ipse in Samothracen, Dei Asylo se abdens, trepidus confugerit. Hujus exercitu cæso, eoque e fuga ab Octavio (quem ad persequendum Consul miserat) retracto, redeunti Consuli pulcherrimum divinaque magnificentia splendescens triumphi decus exhibitum est, qui spectaculo totum triduum implevit. Prima enim dies vix statuis, signis, & tabulis transvehendis suffecit; sequens pulcherrima ornatissimaque Macedonum arma, Romanorum oculis exhibuit, galeas, scuta, thoraces, ocreas & Cretenses peltas, triaque virorum millia numismata argentea vasis trecentis quinquaginta ferentia: vas quodlibet trium talentorum, quatuor virorum humeris portabatur. Adde his ingentem numerum calices, crateras, phialasque argenteas certo ordine ferentium. Quin & aureas coronas ad quadringentas, quas ob virtutem a Græciæ civitatibus acceperat, Romani obstupuere. Quid moror? Tantis opibus Reipublicæ vires confirmatæ sunt, ut exinde ad Cæsaris tempora, plus minus centum annos, tributum Romanus pendere desierit.

CAP. LXXIII.

De Lucullo Romano.

Luculli quoque maxima rerum gestarum gloria florentis virtus simili virtutis præmio insignita est. Sed quoniam invidiosa calumnia tacitis obtrectationum stimulis illius gloriam pupugit, factum est, ut non pompæ longitudine rerumque spectandarum multitudine admirandum duxerit triumphum. Exhibuit nihilominus falcatos currus decem, navium rostratarum decem supra centum numerum. Ipsius quoque Mithridatis aureum simulachrum pedum sex longitudine, clypeumque pretiosissimis imo non æstimandi precii margaritis exornatum. Quin & argentea vasa xx. aureorum poculorum, armorum, nummorumque duo supra triginta numerum populi oculis dedit. Octo quoque mulos lecticis aureis defecatoque argento sex & quinquaginta; alteros præterea centum & septem paulo minus quam decem ducentis septuaginta millibus nummorum onustos.

CAP. LXXIV.

De C. Pompejo Magno.

Pompejus toties renascentibus Mithridatici belli in Lerneæ belluæ similitudinem capitibus amputatis, ipsoque devicto Mithridate, qui ad quadraginta annos Romanam virtutem exercuerat, triumphum etiam diis ipsis invidiosum duxit, certissimum veteris opulentiæ argumentum. Mithridatis filiique Pharnacis statuas argenteas exhibuit, ejusdemque metalli currus, tabulas lusorias e gemmis duabus, tres pedes latis, longis quatuor; Lunam auream, triginta triclinares lectos argenteos, aureos tres; &, o vesanæ mentis humanæ luxuriam! montem aureum quadratum, qui variis ferarum fruticum arborumque generibus oppletus C conspiciebatur. Hic Musarum effigies, gemmarum corporibus incisas, triumphantisque Pompeii imaginem, ex margaritis contextam repræsentabat. Ærarium auro argentoque signato ad viginti talentorum millia, præter ea quæ militum virtus acceperat, quorum nemo minus mille quingentos æreos tulit, locupletavit, tributumque Romanæ Urbis in majus auxit; quippe quod ex quinquagies decies centenis talentorum millibus ad octua gies & quinquagies decies centena millia excreverit.

CAP. LXXV.

De Divo Julio Cæsare.

D Quis te, C. Cæsar, intactum, indictumque in hoc laudis genere transmittat? qui Gallos sæpius avitæ gloriæ memoria libertatisque more stimulantibus, arma resumentes, decem annorum spacio cum edomuisses, excellentissimum magnificentissimumque duxisti virtutis tuæ indicem triumphum. Neque de his tantum triumphasti, sed & de Pompejo potentiæ tuæ æmulo in E campis Pharsalicis devicto, aut, ut quidam volunt, de Ptolomæo Ægypti Rege egisti triumphum. Huic successit Africanus, quem a bello cum Pompejanis reliquiis gesto, cui Petrejus Scipioque amplissimi homines præerant, accedentibus & Jubæ Mauritaniæ Regis viribus rettulisti. Quid de Pontico dicam triumpho, qui inter pompæ fercula triumphorum verborum rettulit titulum *Veni, Vidi, Vici*? Jam tanto verborum compendio virtutis apud Mundam exhibitæ meminisse, propemodum mihi fuerit religio, nisi hæc celebranda alii F loco reservaremus. Hic mihi triumphi dicuntur; neque historiæ ordinem texo, sed opulentiæ alicujus exempla in hujus Operis nostri mellificium referre laboro. Hos quinque diverso adparatu instrumentoque egit; Veteranarum legionum prædæ nomine in pedites singulos super bina sestercia distribuit; In equites vicena quaterna millia nummum dedit; Populo præter frumenti denos modios,ac totidem olei libras, trecentos quoque num-

mios, quos pollicitus olim erat, viritim distribuit. Adjecit & epulum ad viscerationem & duo prandia; cum enim prius parcius quam pro liberalitate imperatoria præbitum judicaret, quinto die sordium suspicionem eluere volens, aliud multo sumtuosius præbuit. O divitia! O animum tantis divitiis dignum!

CAP. LXXVI.

De F. Vespas. & Tito Vespasiano Flavii filio.

Licet ad finem anhelantem, opulentissimæ nihilominus Judaicæ victoriæ a F. Vespasiano, filioque ejus Tito partæ splendor me retinet. Miranda enim sunt, quæ F. Josephus natione Judæus, qui diligentissime Judaicarum rerum persecutus est historiam, de hoc triumpho commemorat. Pro merito (inquit) narrari multitudo spectaculorum magnificentiaque non potest, in omnibus quæ quisque aut artium egregiis factis, aut divitiarum ostentatione, vel naturæ novitate excogitavit. Nam pæ- A ne quæcunque hominibus, qui usquam sunt, fortunatis paulatim quæsita sunt, aliis alia mirabilia atque magnifica, hæc universa illa die Romani Imperii magnitudinem probaverunt. Etenim argenti aurique, eboris in omni specie operum multitudinem, non ut in pompa ferri cerneres, sed si quis dixerit omnia fluere; & alias quidem vestes ex rarissimi generis purpura portari, alias arte variegatas Babylonica; gemmæ autem clarissimæ & tam multæ, aliæ coronis aureis, aliæ aliis operibus inclusæ traductæ sunt, ut adpareat, frustra nos earum usquam rerum esse aliquid suspicari. Ferebantur autem simulachrorum singula, quæ illi Deos habebant, B & magnitudine mirabili, & arte non defunctorie facta, horumque nihil non preciosa materia. Vanitatis suspicionem vix effugero, si quæ opulentiæ præterea argumenta hujus triumphi splendor habuerit memorare pergam. Et jam veteris magnificentiæ gustum aliquem posteris dedisse videmur. Quare & Lectores legendi opera, & nos scribendi molestia aliquando tandem levemus.

FINIS.



PHIL. LUDOV. HANNEKENII

D. ET PROF. ORAT.

DE

CURA DOMESTICA ROMANORUM,

DISSERTATIONES IV.

P R Æ F A T I O.



OMANOS rerum Dominos gentemque togatam dum accuratius mecum perlustro, vix citra difficultatem definiri posse arbitror, publicis-ne an privatis in rebus eorum magis eluxerit Prudentia. Clarissime illa in publicis eminet, adeo, ut omnibus reliquis hujus Universi gentibus palmam eripuerit. Longum foret illius specimina in scenam producere, satis illa ex legum constitutione, Magistratuum ordinatione, bellandi ratione, militum disciplina, vectigalibus, aliisque rebus ostenduntur. Sed quantacunque in publicis fuerit; non minor sane meo judicio fuit in privatis & domesticis. Ea enim tam rite apud illos disposita invenimus, quam apud aliam Gentem vix ullam; certos nimirum & natura duce experientiaque rerum edoctos, inde publicæ felicitatis momenta dependere, ubi scaturiginem habeant rei familiaris privatæque exoptati successus. Juvat eorum domos, quas Veterum monimenta posteritati transmissa nobis reserarunt, aliquanto penitius inspicere, & citra incommoda domesticæ pacis ipsorum œconomiæ ordinationem curiosiori indagare oculo. Congruum autem est certo ordine domesticum ipsorum ordinem percensere. Præibit viam Philosophorum Princeps Aristoteles, qui Stridonensi patri *finis humani* vocatur *intellectus*. Hic l. 1. *Oecon.* c. 2. duas domus partes constituit, hominem & facultates; cum autem in hominis consideratione triplex oriatur respectus, conjugis, heri, & parentis, totam hanc materiam quatuor Dissertationibus commode tractari posse existimamus. Præcipuæ partis consideratio præcedet, de respectu primo, qui conjugis est dictus, id est, de matrimonio Romanorum. Adsistat gratia sua Jesus!

INDEX CAPITUM.

PHIL. LUDOV. HANNEKENII

D. ET PROF. ORAT.

DE

CURA DOMESTICA

ROMANORUM,

DISSERTATIO I.

CAPUT I.

Summaria.

Legum matrimonialium origo. Uxorum communio. Una uxor. In matrimonio respectus nationis, conditionis, gentis & sanguinis. Tres matrimonii modi; usus, confarreatio & coemtio. Conjugii Etym. & Synonymia. Sponsalia. Iis Auspices adbibiti. Tabulæ matrimoniales. Annulus pronubus. Dos. Epulum. Tempus nuptiarum. Quot diebus nuptiæ. Ornatus sponsæ. Domum deductio. In domum ingressus. Cœna genialis. Nucum sparsio & Fescenninorum cantilena. Lectus genialis. Repotia.

I.

R*Eserat unius ætatis populus virorum*, ait Florus *l.* 1. c. 1. cum narrasset, quomodo Romulus Asylo constituto virorum turbam, uxoribus destitutam, congregasset. Vere id quidem: nam, ut inquit Sen. in *Hippol.* ℣. 468.

Excedat, agedum, rebus humanis Venus,
Quæ supplet ac restituit exhaustum genus,
Orbis jacebit squalido turpis situ;

nedum urbs una. Itaque meditatur ille providens Urbis Parens,

Cum tam rapaces cerneret fati minas,
Ut damna semper subole repararet nova.

Sed unde? *Fieri nequit*, ait Arist. 1. *Oecon.* 3. *ut hoc absolvat fœmina absque mare, aut mas absque fœmina*. Jam vero nec mulieres habebat maxima pars Romanorum, nec a rogatis vicinis impetrabat. Dolo res tentabatur; quod precibus non obtinuerat, vi se obtenturum sperabat Romulus. *Consualia* (ludos Neptuno sacros, de quibus Dionys. *l.* 1. *c.* 33. & *l.* 2. *c.* 31. Plut. in *Vita Rom.* August. 2. *Civ. Dei* cap. 7.) *simulavit*, ait Aurel. Victor pag. 336. *ad quos cum utriusque sexus multitudo venisset, dato suis signo virgines raptæ sunt*. Ita providit Romulus, ne res esset unius ætatis populus virorum. Nam *natura sic complet perpetuitatem, specie nimirum, cum nequeat numero*, teste Arist. l. 1. *Oecon.* 3. Ex eo tempore certis quibusdam Romani legibus in conjugio usi sunt, v. Plut. in *Vita Rom.* Neque enim ignorabat Romulus, quantum valeret in Republica legitimus nuptiarum contractus; V. P. Cermin. Rapf. *de recta Regni ac Rer. adm.* cap. 39. Jamque habuerat illius instituti Magistros Cecropem, v. Scal. *Poet.* pag. 390. & Lycurgum, v. Xen. *de Rep. Laced.*

A Quod boni regiminis fundamentum calculo suo approbat Plato, cum l. 6. *de Rep. Primæ*, inquit, *in Republica bene constituta leges de matrimonio esse debent*.

II. Absit autem, ut ejusmodi, cujus Plato l. 5. *Reip.* nobis fingit, quæ promiscuam ordinant Venerem, de connubiis ferantur leges! Quæ enim inde non oriuntur mala? V. Arist. 2. *Reip.* 2. 3. & 4. Arnis. 1. *Pol.* 2. *p.* 52. Schonb. 1. *Pol.* 10. pag. 156. & alii. Obtinuit tamen mos ille pessimus apud multas gentes, Æthiopes, Solin. *c.* 39. Garamantes, Plin. *l.* 5. *c.* 8. Limerinos, Stob. *serm.* 42. & alias, quarum catalogum texit Alex. Sar- [B] dus l. 1. *de mor. & rit. Gent.* c. 1. Non meliores illis fuerunt Arabes, Nabathæi & Britanni, quibus una uxor cognatorum fuit, Clem. l. 19. *Recogn.* c. 7. Verum ab ejusmodi impuris congressibus abhorruerunt Romani; suam enim quisque habuit uxorem, cum qua consuesceret; ita tamen, quod minime laudandum, ut eam alii nonnunquam daret usurariam, idque secundum antiquam Romanorum consuetudinem factum esse, auctor est Strabo *l.* 11. p. 127. sed *admodum absurde*, ait Cæl. Rhod. *l.* 28. *c.* 17. Non pauca ejus rei vestigia in Rom. monimentis animadverti- [C] mus. De Catone Uticensi refert Plut. in *ejus Vita* pag. 461. quod Hortensio Martiam suam uxorem petenti concesserit; quam tamen post Hortensii mortem receperit, vel oratione Martiæ commotus, quæ est apud Lucan. *l.* 2. *p.* 41. vel, quod in bellum profecturus, eam ad domus meliorem procurationem idoneam judicarit, ut vult Plut. in *Vita* pag. 476. Ex ea etiam consuetudine Liviam uxorem Nero tradidit Augusto, *καὶ ἐξέδωκε αὐτὴν αὐτὸς ὁ ἀνὴρ, ὥσπερ τις πατὴρ*, ait Dio, v. Suet. in *Aug.* c. 62. & in *Tib.* c. 4. Ad eundem modum Caligula Lolliam Paulinam C. Memmio nuptam sibi poposcit uxorem, & paulo ante Li- [D] viam Orestillam C. Pisoni nubentem, Suet. in *ejus Vita* c. 25. Cato quidem sponte sua humanæ prudentiæ instinctum, qua alias excellebat, posuit abjecitque; sed reliquos metu potius Principum (quorum *potestas non solum si invitet, sed etiam, si supplicet*, cogit, ut ait Macrob. l. 1. *Sat.* c. 7. multisque demonstrat Picc. *Dec.* 5. *c.* 3.) id permisisse crediderim. Hujus patientiæ impatiens Meno, supremus Nini Præfectus, sibi ipsi vitam abrumpere maluit, quam suam Semiramidem a se abductam Nino copulatam videre, Matth. *Tb. Hist.* l. 1. p. 34. b. Fuerunt tamen non paucæ Gentes, quæ alios uxorum suarum fœcunditate largi- [E] ter frui permiserunt. De Sarracenis Cæl. Rhod. 15. *Ant. Lect.* 17. Spartanis Plut. in *Vita Lyc.* Tapyris Strabo *l.* 11. *p.* 127. incolis Provinciæ Camul Marc. Paul. Ven. l. 1. *de reg. Orient.* c. 46. de aliis alii id referunt.

III. Sed revertamur ad Romanos, qui ut in eo peccarunt, quod uxorum suarum usum aliis nonnunquam concesserunt, (confer. Arnis. 1. *Pol.* 3 p. 82.) ita præ cæteris Gentibus laudem merentur, quod 700. fere per annos una uxore contenti vixerunt. Nam primus Antonius duas habuit uxores, de quo v. Faber l. 2. *Semestr.* c. 1. Neque enim Romanis legibus plures una habere licebat. Hinc Julius Cæsar, omnium mulierum vir Curioni dictus, Helvium Cinnam Tribunum pl. legem ferre jusserat, ut uxores liberorum quærendorum causa, quas & quot vellent, ducere liceret, Suet. in *Vita* c. 52. sed non est perlata, v. Bodin. l. 5. *de Rep.* p. 793. Postmodum vero Valentinianus Imperator legem tulit, qua duas legitimas habere uxores licebat, si fides est habenda Diac. Cassiod. Eutr. l. 11. c. 2. Niceph. *l.* 11. *c.* 33. Socrat. l. 4. *Hist.* c. 26. & aliis, quam tamen ipsis multi hac in re derogant, de quibus v. Exc. D. Mich. Siricii, Prof. hujus Acad. (Gissæ Hassorum) meritissimi, *Tract. de una ux.* c. 1. p. 23. Alias plurimis gentibus uxorum pro facultatum copia licitam fuisse consuetudinem, ex historiis constat. Indis id usitatissimum fuisse, patet ex Val. M. *l.* 2. *c.* 6. *ex.* 14. Id decreto ab Atheniensibus facto jus fuisse, testis est Agell. *l.* 15. *c.* 20. ubi etiam scribit, Euripidem ea de re tot conviciorum plaustra in mulieres evertisse, quod duas pessimas uxores (ἐπὶ πήματι πῆμα, ut ait de illis *Phocyl.* 193.) habuerit. Siculis hoc usu receptum fuisse, exemplo Dionysii probat Alex. *l.* 1. *c.* 23. qui uno die duas duxit uxores, Doridam & Aristomacham, Cic. 5. *Tusc. Quæst.* p. 258. D. & Ælian. *l.* 13. *c.* 10. Taceo Judæos, Turcas, alios, quos eundem cum merulis sensum habere quis diceret, cum & de illis scribat Ælian. 1. *de Anim.* c. 14. quod marium quisque cum multis fœminis complexu venereo jungatur. Alias pleraque animalia uni tantum junguntur fæmellæ, ut Polygamia ipsi quoque naturæ adversari videatur, qua de re differit Connan. l. 1. *Com.* c. 4. Sed nullus præterea relinquitur vero conjugali amori locus. Certe Arist. 2. *de Rep.* c. 4. *Duo sunt*, inquit, *quæ homines ad curandum atque amandum maxime impellunt, proprium aliquid esse, ac unicum:* quod posterius ab ejusmodi conjugio exsulat; inde & verus amor conjugalis. Verebantur hoc matronæ Romanorum, quæ lepido Papyrii mendacio deceptæ, lacrymis ac precibus obtundebant Senatum, ne unus duas uxores haberet, nihil minus, quam tale quid decernere meditantem, apud Agell. *l.* 1. *c.* 23.

IV. Quadruplex autem apud Romanos in conjugio contrahendo observabatur respectus. Primus erat nationis, ne Romanus nisi Romanam duceret, ut in *Inst. Justin.* habetur. Ubi tamen per Romanam non eæ tantum intelligendæ sunt mulieres, quæ Romam natale salutabant solum; verum & illæ, quarum gens civium Roman. jure donata, rogatione ad plebem id beneficium impetrasset, v. Sigon. l. 1. *de ant. Jure C. R.* c. 9. p. 138. Alias multa Livii loca explicari non possunt, quæ connubia Populo Romano cum Campanis & aliis Latii populis intercessisse testantur. Confer. Rhod. *l.* 28. *c.* 22. Videtur hic mos ab Atheniensibus originem traxisse, apud quos non legitimum erat matrimonium, quod inter civem & peregrinam contrahebatur; ipsique filii, ex ejusmodi contubernio prognati, sub nothorum nomine veniebant, quo in significatu vox nothi apud Virg. & Aristoph. sumitur, v. Grot. *de Jure B. & P.* l. 2. c. 5. §. 15.

V. Secundus erat conditionis respectus. Neque enim libertinus ingenuam, vel ingenuus libertinam antiquitus ducere audebat, nisi ex SC. quo Hispalæ libertinæ aliquando indultum est, ut enubere posset, neque ei, qui eam duxisset, id fraudi esset. Postea vero incitandis cælibum pœnis & augendo ærario legem Papiam Poppæam sanxit Augustus, teste Tac. l. 3. *An.* c. 25. ut omnibus ingenuis, præter Senatores eorumque liberos, uxores libertinas habere liceret. Invenimus tamen apud Cassiod. 7. 40. solitam a Principe veniam impetrari ducendæ mulieris, quæ inæqualis esset conditionis. Quod si vero, præter leges, cum inæqualis conditionis fœmina consuesceret Dominus, concubinæ illa non uxoris titulo notabatur; cujus quæ conditio fuerit, uberius docet Gerh. T. 7. *Loc. Comm.* c. 10. sect. 2. Quædam de his etiam legere est apud Grot. l. 2. *de Jure B. & P.* c. 5. §. 15.

VI. Tertius erat gentis respectus, quo cavebatur, ne Patritiis cum Plebeiis Romæ connubium esset. Auctores hujus legis perhibentur Decemviri, Liv. *l.* 4. *c.* 4. in quibus præcipue Appius, Dionys. *l.* 2. ne scilicet unquam Patres cum Plebe rursus conjungerentur; quod per nuptias factu erat facillimum. Hanc causam exhibet Manut. l. *de Leg. Rom.* At Zasius in *cat. leg. ant.* auctor est, idcirco eam a Decemviris constitutam esse, ne auspicia solis Patritiis debita (v. Sigon. l. 1. *de ant. J. C. R.* c. 7.) nuptiis Plebejorum turbarentur. Eandem prætexunt causam Consules apud Liv. *l.* 2. *c.* 4. & 6. Verum Canulejus Tribunus pl. hanc Senatui legem extorsit, v. Liv. *l.* 4. *c.* 6.

VII. Quartus respectus erat sanguinis, quo cavebatur, ne arctiori consanguinitate conjuncti matrimonio copularentur. Id distinctius explicandum videtur. Atque *primo*, plane improbabant & detestabantur parentum ac liberorum concubitus, quos *dictu audituque fœdos ac pudendo* vocat Alex. *l.* 1. *c.* 24. Imo hanc legem in natura a Diis conditam ac positam esse, μήτε γονέας παισὶ μίγνυσθαι, μήτε παῖδας γονεῦσιν, inquit Socrates apud Xen. l. 3. Ἀπομν. Unde mater Dionysii filio ipsius pudicitiam incesta commixtione polluere machinanti, *Tyrannus*, inquit, *leges civiles mutare potest, non autem naturales*, Erasm. in *Apoph.* Monstrum ergo hominis fuit Nero, non homo, qui vetitum matris concubitum appetens naturæ leges migrare voluit, Tac. 14. *An.* c. 2. Quanquam ejusmodi concubitus apud Magos, Aug. *in Lev.* c. 18. Nauros, Curt. *l.* 8. *c.* 2. Indos, Hier. l. 2. *adversus Jovian.* Persas, Plut. in *l. de fort. Alex.* & alias Gentes, quas recenset Tiraq. l. 7. *Conn.* num. 33. in usu fuisse accipimus.

Neque *secundo*, apud Romanos fas erat, genero cum socru, vel novercæ cum privigno, vel vitrico cum privigna, vel socero cum nuru concumbere, uti ex Tiraq. patet & Alex. *l.* 1. *c.* 24. Hinc Caracalla præter instituta majorum fecisse scribitur, dum novercam Juliam, Imperatoris Severi viduam, uxorem duxit, Matth. *Th. Hist.* l. 2. p. 198. b. Et Cicero, cum socrum genero nupsisse narrasset, subdit: *O mulieris scelus incredibile, & præter hanc unam in omni vita inauditum!* &c. *T.* 2. *p.* 354. *F.* Moscovitæ multi hic Ethnicis turpiores sunt, cum persæpe impuberi filio sponsam quærant, cum qua tamen ipsi interim concumbere ac liberos procreare consueverunt, testis est Lyd. l. 1. *Serm. Conviv.* p. 12. b. Nec citra causam reveritus est Seleucus, ut est apud Plut. in *Vita Demetr.* uxorem suam Stratonicen Antiocho filio nuptum daturus, ne ipsa offenderetur τῷ μὴ νενομισμένῳ, cum ipsa natura ab ejusmodi congressibus abhorreat, quod vel ex brutorum quorundam patet exemplis, quæ v. apud Varr. l. 2. *R. R.* c. 7. Arist. 9. *de Anim.* c. 47. Plin. *l.* 8. *c.* 42. Ælian. l. 4. *de Anim.* c. 5. & l. 5. c. 47.

Neque *tertio* fororum vel confanguinearum, vel uterinarum, vel germanarum maritales concubitus apud Rom. permittebantur. Nam Lud. Vives *ad Aug. l.* 15. *de C. D. c.* 16. fcribit: *Romani morem ducendi forores nunquam receperunt*. Et Corn. Nep. in *Præf.* ait: *Id quidem* (germanam fororem in matrimonio habere) *noftris moribus nefas habetur*. Ubi fororem germanam nonnulli ὁμοπάτριον intelligunt, ut infra dicetur. Hinc reprehenditur Caligula, quod non folum cum omnibus fororibus fuis ftupri confuetudinem fecerit; fed ex his Drufillam quoque a Caffio Longino abductam in modum juftæ uxoris propalam habuerit, Suet. in *ejus Vita* c. 24. Ad quem locum notat Beroaldus, quod Commodus Imperator, eodem die quo Caligula natus, tanquam eundem habuiffet horofcopum, forores fuas, inhumanum nefas! conftuprarit. Athenis tamen non quidem germanarum, fed confanguinearum matrimonia licita erant. Videtur nobis obftare C. Nep. in *Præf.* ubi ait: *Neque Cimoni fuit turpe fororem germanam habere in matrimonio; quippe cum cives ejus eodem uterentur inftituto*. Verum ipfe in *Vita Cim.* c. 1. fe explicat, quam per fororem germanam intellexerit, cum, *Athenienfibus*, inquit, *licet eodem patre natas uxores ducere*. Non hic audiendus eft Muretus, qui l. 7. *Var. Lect.* c. 1. & l. 15. cap. 5. Nepotem turpiffimi infimulat erroris, quem rectiffime defendit Jan. Rutgerf. l. 1. *Var. Lect.* c. 9. & Bœcler. *ad C. Nep. Cim.* 5 *c.* 12. Non vacat, licita hæc Ægyptiis, Pauf. in *Att.* p. 12. Perfis, Herod. in *Thal.* aliis, vid. Tiraq. l. 7. *Conn.* num. 32. & Grot. l. 2. *J. B. & P.* c. 5. §. 15. uberius explicare; pergamus ad alios fanguinis refpectus.

Quarto lege vetitum erat prifcis temporibus, ne vel fratris vel fororis filiam in matrimonium affumere fas effet. Primus Claudius Imperator, Agrippinam fratris filiam ducturus, decretum flagitavit, *quo juftæ inter patruos fratrumque filias nuptiæ etiam in pofterum ftatuerentur*, &c. Tac. 12. *An.* c. 7. 2. Verum ejufmodi conjugia fuccedente tempore a Nerva fuerunt inhibita, uti refert Dion Nicæus in *ejus Vita*, quanquam & ante ejus regimen jam prohibita fuiffe demonftrat Tiraq. 7. *Conn.* num. 42. Apud Græcos vero in ufu fuiffe, exemplo Alexandridis, (vel, uti eum Herod. *l.* 5. vocat, Anaxandridis) probat Alex. *l.* 1. *c.* 24.

Attamen *quinto* inter fobrinos connubia fuere licita, ut liquet ex Bruto Portiam fobrinam ducente apud Plut. in *ejus Vita*; multo magis inter fobrini filiam, exemplo Scipionis Nafica, Alex. *l. c.* Sic nec defunctæ fororis uxorem * ducere vetuerunt leges, idque obfervavit Cæcilius Metellus; nec mortui fratris uxorem, quam Lucius Craffus fibi copulavit, Alex. *l. c.* Pluribus hæc explicat Tiraq. in libro toties laudato.

VIII. Sic inter quos non iniri, & quos inter iniri potuere ex parte, quantum ad inftitutum noftrum fufficit, vidimus conjugia, videamus quot modis illa fuerint inita, & quales ifti. Fuerunt autem tres, Ufus, Confarreatio, & Coemtio. Dempft. *ad Rof. p.* 974. addit quartum, Sortitionem, eamque probat 1. ex Plauti *Cafina*: verum non legitimus ille erat ducendi modus, uti locum intuenti patebit. 2. ex Suet. *Tib.* c. 35. fed in correctioribus libris legitur, *quod uxorem pridie fortitionem ductam, poftridie repudiaffet*; quam lectionem Turn. & Torrent. approbant. In reliquis Auctorum locis, quæ laudat Dempfterus, verbum fortiri tropice, pro accipere, explicandum videtur. Potuit tamen fortitio locum habere nonnunquam, ceu requifitum aliquod certa ratione, ut fortitione facta deinde confarreatio aut coemptio fequeretur. Tribus ergo tantum modis legitime contrahebantur matrimonia; ufu, confarreatione, & coemtione.

* Hæc inverfa fic reftit. *uxoris fororem*.

IX. *Ufu fieri matrimonium dicebatur, cum tutoribus auctoribus mulier in matrimonium conveniebat, & cum viro ita confuefcebat, ut cum jufto marito, adeo, ut fi ufus ille intra annum non interrumperetur*, (quod a parentibus uxori aliifve amicis trinoctii ufurpatione fieri poterat) *pro ufu capta jam haberetur*, verba funt Sigon. l. 1. *de ant. Jure C. R.* c. 9. Quædam hujus ritus veftigia exftant in Agell. *l.* 3. *c.* 2. Plura qui cupit, adeat Rof. 5. *Ant. R.* c. 37. p. 955. D. Briffon. l. *de R. N.* f. 215. & Sigon. *l. c.*

X. Confarreatione fiebant matrimonia, in quibus contrahendis farreum libum adhibebatur, ut vult Ulp. *tit.* 9. *Inft.* vel ut Plin. *l.* 18. *c.* 3. ubi novæ nuptæ farreum præferebatur; quo confarreationis vinculo in facris nihil fuit religiofius. De illo ait Cæl. Rhod. *l.* 28. *c.* 17. *Legitima facraque matrimonia Prifcorum religiofa fedulitas Farreacea vocavit, a farris communione &c.* Videtur Alex. *l.* 2. *c.* 5. afferere, folos Pontifices id matrimonii contrahendi genus ufurpaffe, cum ait: *Confarreatio folis Pontificibus dabatur*: cui fubfcribit Boeth. in *Top.* ubi, *confarreatio*, inquit, *peculiaris erat Pontificibus*. Sed cum Rævardo hæc loca fic expono: Confarreatio per folos Pontifices fuit peracta. Nam & Serv. Danielis in *Excerptis a Pithœo* ait: *Farre nuptiæ fiebant, cum per Pontificem M. & Dialem Flaminem per fruges & molam falfam conjungebantur*. Hinc licet farreatis nuptiis Flaminicam jure Pontificio in matrimonium neceffe effet conveniri, uti teftatur idem Serv. & requireretur ut Flamen creandus confarreatis parentibus genitus effet, quod patet ex Tac. l. 4. *Ann.* c. 16. attamen & alii per hos nuptiarum ritus matrimonium inire poterant, uti recte fentit Tiraq. *ad Alex. l. c.* v. Rævard. l. 4. *Var.* c. 12. & 16. & in *Comm. XII. Tab.* c. 21. Ad hunc confarreationis ritum allufiffe Hof. *c.* 3. *v.* 2. auctor eft Lyd. 1. *Serm. Conviv.* p. 29. b. quod Theologi videant. Macedonum tamen ritus, in pane inter fponfum & fponfam dividendo occupatus, ab hoc non omnino abit, cujus meminit Curt. *l.* 8. *c.* 4. Unum hic adjicio: Diffarreationem vocat *Feftus*, matrimonii per confarreationem contracti diffolutionem. Reliqua huc fpectantia ex Tacito *l. c.* peti poffunt.

XI. Coemtione inftituebatur conjugium, quando, ut ait Varro apud Non. Marc. *veteri Romanorum more nubentes mulieres tres ad virum affes ferre folebant, atque unum quidem, quem in manu tenebant, tanquam emendi caufa marito dare*; (tunc fefe in coemendo invicem interrogaffe puto, quod notat Serv. in 4. *Æn.* Virum ita: an fibi mulier materfamilias effe vellet; illam refpondiffe, velle: mulierem contra; an vir fibi paterfamilias effe vellet; illum refpondiffe, velle) *alium, quem in pede habebant, in foro Larium familiarium ponere: tertium in facciperio cum condidiffent, compito vicinali folebant refignare*. Quæ ita ducebatur uxor, hæreditatem mariti defuncti adibat, eratque in manu & mancipio viri, v. Sigon. *l. c.* & fola dicebatur materfamilias, notante Agell. *l.* 18. *c.* 6. Hæc matrimonii fpecies remancipatione diffolvebatur, ut, qui acceperat, in alterius manum redderet.

XII. His abfolutis, ipfos conjugii ritus accedamus, præmiffis tamen quibufdam de ipfo nomine. Dicitur Conjugium a jugo, quod conjuges fint quafi ejufdem jugi partes, ut ait Feft. l. 9. *Orig.* Inde conjugii Præfes Juno, Juga cognominata eft, cujus ara Romæ in Jugario Vico fuiffe legitur apud Alex. *l.* 6. *c.* 4. Appellatur alias matrimonium, & quidem a matrona, quæ nomen ha-

habet a matre, quamvis & illud nomen nondum mater ob ſpem commeruerit, teſte Agell. *l.* 18. *c.* 6. Hinc & Junoni Matronæ cognomen datum fuiſſe crediderim: ejus meminit Liv. *l.* 2. *Dec.* 3.

XIII. Nunc ad ſponſalia. Quæ uti a ſpondendo dicebantur, ita intervenire oportebat ſponſiones ab utraque parte, ſi legitimum contrahendum eſſet conjugium. Nam *qui ſponſam ducturus erat, illam ſibi in conjugem dari ſolemni ſtipulatione poſtulabat; qui vero daturus, illi futuram uxorem ſpondebat*, ait Alex. *l.* 2. *c.* 5. Explicat hæc uberius Agell. *l.* 4. *c.* 4.

XIV. Ante vero, quam proco ſponderent virginem, auſpices adhibebantur, qui deorum captarent conſenſum; id quod liquet ex Val. M. *l.* 2. *c.* 1. multiſque aliis Auctorum locis, quæ laudat Demp. *ad Roſ. p.* 967 & Tiraq. *ad Alex. p.* 132. Captabant illi vel noctu vel ſub diluculum, teſte Alex. *l. c.* Nihil tam incongruum erat nubentibus, quam cœli & terræ motus, Serv. *ad* 4. *Æn.* Quod ſi vero cornicum darentur auſpicia, auſpicatiſſimum credebatur id ſignum, modo ne una tantum conſpiceretur cornix, v. Ælian. 3. *Anim.* c. 9. & Plut. in *Dial. quod bruta ratione utantur*. Ratio facile patet, cum feliciſſimi matrimonii ſymbolum ſint cornices, quod demonſtrant Phyſici. Ideo canebatur in nuptiis Græcorum, Κορει κόρη κορώνην, hoc eſt, *Satura puella cornicem*; ſcilicet ut non minus fauſtum tibi contingat connubium, quam virgini illi apud Athen. quæ ficus pro prandio cornicis attulit. Atque ita quidem cantatum eſſe ſolide aſſerit Lyd. l. 1. *Serm. Conviv. p.* 33. non autem, ut vult Hadr. Junius, ἐκκόρει κόρη κορώνην. Cur enim eliminaret puella cornicem, quæ proſperi conjugii eſt ſymbolum? Aliud felix nuptialibus negotiis augurium erat Circi accipitris altero pede claudi adſpectus, teſte Plin. *l* 10. *c.* 8. Forte tum Vulcanum ignis deum nuptiis affore ominabantur, ideoque id felix omen, quod ignis activum generationis omnium rerum credatur principium. Erat & fulmen lætum nuptiis omen, quod patet ex Claud. 2. *Rapt. v.* 230 Confarreationes autem tonitru dirimi reliquit Serv. Dan. in *Excerptis a Pithœo*, ut notat Lip. *ad Tac.* 4. *Ann.*

XV. Cum ita proſpera obſervaſſent omnia auſpices, peragebatur deſponſatio & ſponſalium conventio in tabulas referebatur, quæ ſignatoriis eorum, qui interfuerant, annulis obſignabantur. Hinc Juv. *Sat.* 11. *Signatæ tabulæ*, &c. nec obſcurum hoc ex Suet. in *Claud.* c. 29. & Plut. in *Pomp.* p. 286. Idem mos apud Judæos obtinuiſſe videtur, nam *Tob.* 7. 16. legitur, ἔγραψε συγγραφὴν, καὶ ἐσφραγίσατο. Obiter hoc adjiciendum: apud Romanos in ſponſaliis propria ſponſi & ſponſæ nomina non eſſe adhibita, ſed horum loco ſubſtituta Cajum & Cajam, v. Plut. in *Probl. Rom.* c. 29. & Quint. *l.* 5. *c.* 10. Cajam ſe quoque ante mariti ædes interrogata vocavit ſponſa, v. Plut. in *Quæſt. Rom.* 30.

XVI. In argumentum ſponſaliorum ſponſæ a ſponſo arrhæ dabantur, v. Alb. Gent. l. 3. *de Nupt.* c. 16. Imprimis annulus pronubus. De illo ait Iſid. l. 3 *de officiis*: *Quod in nuptiis annulus ſponſæ a ſponſo datur, fit nimirum, vel propter mutuæ dilectionis ſignum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur*. Ex ferro & ſine gemma hic fuiſſe dicitur Plin. *l.* 33. *c.* 1. ſed Tertull. in *Apol.* c. 6. ex auro. Conciliat hos auctores Junius ita, ut dicat, ſponſum quidem, cum ſponſam ſibi arrha quadam conjugare vellet, aureum illi annulum dediſſe pronubum: ſed poſtea etiam ferreum gemmaque carentem, tanquam τῆς οἰκουρίας ſymbolum, domum illi miſiſſe. Inſereba-

A tur is quarto digito, *quia in eo vena quædam ſanguinis ad cor uſque perveniat*, ait Iſid. *l. c.* Idem inculcant Agell. *l.* 10. *c.* 10. Joh. Sarib. l. 6. *Polycr.* c. 12. Gratian. *canon. fœm.* 30. quæſt. 5. Alex. *l.* 2. *c.* 19. Dauſquej. *ad Sil. Ital. l.* 11. Sed hæc ſententia jamdudum a recentioribus Anatomicis exploſa eſt, v. Læv. Lemn. l. 2. *de Occult. Naturæ* c. 2. Lotich. in *Comm. ad Petron.* l. 1. c. 15. Pluribus de hoc annulo agit Cl. Kirchm. l. *de Ann.* c. 18. quibus hoc addo, quod notat Sebaſt. Munſterus *in c.* 30. *Geneſ.* Judæos quoque ſponſas ſuas pronubo donaſſe annulo, cui inſcriptum erat, מזל טוב, hoc eſt, *Planeta bonus*. Vovebant illo, ut ſidera

B largos operi maritali præſtarent influxus.

XVII. Dotem quoque certam in his ſponſaliis ſponſæ dici, & in codicillis matrimonialibus conſignari oportebat. Hac ſi deſtituerentur pauperiores, quarum parentes de Rep. bene meruerant, ex publico illius hæc tribuebatur. Factum hoc eſt C. Fabricii, Cn. Scipionis, ac Manii Curii filiabus, quod ob res domi anguſtas pro natalium ſplendore nubere non poſſent, uti notat Alex. ab Al. *l.* 4. c. 8. Mutuarunt forte hoc inſtitutum ab Athenienſibus, qui Ariſtidis filias ab indotatis nuptiis liberalitate ſua vindicarunt, teſtis eſt C. Nep.

C in *Vita* c. 3. Certas autem leges priſcis temporibus dotis ſummæ præpoſitas fuiſſe licet ſuſpicari, cum antiquitus dotem apud Romanos æs grave fuiſſe, poſtea 10000. æris non exceſſiſſe inveniam apud Alex. *l. c.* Quales leges Rebuſpublicis ſaluberrimas aſſerit Bodin. *l.* 5. *c.* 2. Sed obſcura ſunt ejus rei apud Auctores veſtigia. Subjici meretur Lycurgi inſtitutum, quo virgines ſine dote nubere jubebantur, Juſtin. *l.* 3 *c.* 3. Nec abſimilem in modum Chinenſium ſponſæ nubunt, v. Nic. Trigaut. *de Chriſt. Exped. apud Sinas* l. 1. c. 2.

XVIII His rite conſtitutis hilarem ſumebant

D diem, & ſponſaliorum ſolemnitatem epulo amico finiebant. Meminit Dempſt. *ad Roſ. p.* 973. *c.* ſed pleraque exempla quæ affert, nec id videntur confirmare, nec hoc convivium repotia dici ſolitum. Quid autem fuerint repotia, infra in *Artic.* 23. dabitur dicendi locus. Nunc ex Cicerone produco locum, dictis meis fidem qui faciat, ex l 2 *ad Q. Fr. ep.* 6 verba hæc ſunt: *A. d.* VIII. *Id. April. ſponſalia Craſſipedi præbui. Huic convivio puer, optimus Q. tuus meuſque defuit*. Idem colligio ex Juv. *ſat.* 11.

> *Signatæ tabulæ, dictum, feliciter! ingens*
> *Cœna ſedet.*

E Uſitatum quoque Judæis hoc fuit, uti patet ex *Gen.* 24. 54. & *Tob.* 7. 17.

XIX. Prius quam diſcederent, de die nuptiis dicendo conſilium capiebant. Conventæ conditio is actus dicebatur, Feſtus. Magna in hujus electione Romanorum vigebat ſuperſtitio, quam multis explicat Briſſ. *de R. N.* p. 11. & Ant. Hottom. *de vet. R. N.* c. 13. Nefas ipſis habebatur in Majo menſe nuptias celebrare. Unde & in adagionem, apud Ovid. 5. *Faſt.* res abiit, *Majo menſe malæ nubunt*, v. Eraſm in *Chil.* Varias ejus rei cauſas dant Plut. *Quæſt. R.* 86. & alii.

F In quibus hæc præcipue, quod funeſtus videretur Majus, cum propter Remi cædem, tum ob funeſta, quæ peragebant, piacula, effigies hominum de ponte in Tiberim dejicientes. Præterea Majus a majoribus natu dictus nuptiis juvenum non convenire videbatur. Lepide hoc explicat Lyd. l. 2. *Serm. Conviv.* p. 62. Eundem ſuperſtitionis ſtuporem multos etiamnum tenere Pontificios ex Thadeo Piſone Soaccio tradit Gerh. T 7. *Loc. Com.* p. 248. ubi etiam pluribus de nefa-

ſtis nuptiarum diebus agit, in quibus ſingulorum menſium Calendæ, Nonæ, & Idus fuerunt, v. Macrob. l.1. *Sat.* c.15.

XX. Quot diebus Romani nuptias celebrarint, vix certo autumem definiri poſſe. Salmuth in *Not. ad Panc. T.*1. *tit.*59. tres nuptiarum dies legitimos fuiſſe affirmat, ſed nullam adducit veteris Scriptoris auctoritatem. Imo: *Primus*, inquit, *a Græcis dicebatur* προαύλια, *Scaliger pater deſponſalia reddidit: in eo enim deſpondebatur virgo*. Nam quid ergo deſponſatio & nuptiæ tam immediate ſe invicem ſequebantur? quid tum opus fuit, ut biennii ſpatio tempus ſponſas habendi coarctaret Auguſtus? uti Dio *l.*54. & Suet. in *Vita* c.34. refert. Viderint eruditiores. At Judæos per ſeptem dies nuptias celebraſſe patet ex *l. Jud. c.*13. 11. & 12. Unde lucem accipiunt verba, quæ habentur *Gen.* 29. 27. facem præferente Auguſt. *in Gen. quæſt.* 88.

XXI. Die nuptiarum multo apparatu ſponſa ornabatur & comebatur. Comebatur haſta celibari, quæ in corpore abjecti occiſique gladiatoris ſteterat, Arnob.2. *adverſus Gentes*. Rationes addit Feſtus *l.*3. *ut quemadmodum illa conjuncta fuerat cum corpore gladiatoris, ſic ipſa cum vi o ſit; vel, quia matronæ Junonis Curitis in tutela ſunt, quæ ita appellatur a ferenda haſta, quæ lingua Sabinorum Curis dicitur; vel, quod fortes viros genituras ominetur, &c.* confer. Plut. *Quæſt. R.*87. Sic comta coronabatur, ut & ſponſus. Notum eſt illud Catulli, *cinge tempora*, &c Et de Proſerpina coronam texente canit Claudianus 2. *Rapt.*140.

Nunc ſociat flores ſeſeque ignara coronat,
Augurium fatale tori.

Eleganter de iis coronis diſſerit Athen. *l.* 15. *c.* 3. earumque cauſas tradit. Chryſoſtomum ſi audimus, ideo coronabantur, ut probarent, ſe in Gymnaſio vel Palæſtra paternæ domus egregia caſtitatis ſpecimina edidiſſe. Apud Judæos quoque ſponſos & ſponſas coronatas fuiſſe, colligitur ex *Cant.*3. 11. *Eſ.* 61. 10. *Ezech. c.* 16. In Bœotia ſponſas aſparago coronatas ad ſponſum acceſſiſſe, eo, quod aſparagus ſpina quidem ſit, ſed fructus proferat ſuaves, teſtis eſt Lyd. l.1. *Serm. Conviv.* Idem *l.*2. ſcribit, apud Ruthenos Flaminem ſerto ligneo viridi, cui inſcriptum erat, *creſcite & multiplicamini*, ſponſi ſponſæque caput coronare. Redimus ad Romanos: apud quos rectam quoque tunicam induebat ſponſa, in omen æque felicis, ac Cajæ Cæciliæ, matrimonii, quæ prima ejuſmodi togam texuit, Plin. *l.*8. *c.*48. Qualis ea fuerit, difficile eſt explicatu: Dalech. *ad h. l. Plin.* recto filorum ductu textam, ὀρθοστάδιον, ἄρραφον, ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸν δι' ὅλου appellat. Ultima horum verborum eadem ſunt cum *Johannis*, quæ *c.* 19. 23. de Chriſti tunica inconſutili adhibet. Quod ſi ejuſdem, cujus Chriſti tunica, generis fuit, optima explicatio ex Ferrar. l.3. *de Re Veſt.* c.16. peti poteſt. Cingulo etiam cingebatur ſponſa, quod ex lana ovis confectum erat, ut, ſicut illa, teſte Sexto Pomp. in glomis ſublata, conjuncta inter ſe eſt; ſic vir ſuus ſecum vinctus cinctuſque eſſet. Celebre hinc erat Junonis Cinxiæ nomen in nuptiis, quæ ita ab hoc ſponſarum cinctu vocitabatur, Feſt. *l.*3. Mox nuptiali mundo comta pelle lanata ſedere jubebatur, eique pellem ſub pedibus ſternebant; forte, ut vetuſti moris, quo pellibus Veteres uſos fuiſſe notiſſimum eſt, repræſentatione, Veterum frugalitatem ſponſæ inculcarent, v. Plut. in *Probl.* 30. & Cæl. Rhod. *l.* 27. *c.* 14. Tum demum ſponſa faciem obvelabat ad ſponſum deducenda, quod nubere dicebant, v. Tertull. *de v*[i]*rt. Virg.* Idem obſervaſſe Judæorum ſponſas colligitur ex *Gen.* 24. 65. Et notum eſt, Hebræis vocem עלמה, quæ notat *Virginem*, a rad. עלם, hoc eſt, *abſcondidit*, deſcendere. Apud Ruthenos quoque velo lineo tecta ad templum procedit ſponſa, Lyd. *l.* 2. *Conv. S. p.* 47. Flammeum dicebatur illud ſponſæ velamen, ejuſque color erat luteus, Plin. *l.*21. *c.*8. Multas hujus cauſas enarrant Auctores; unam atque alteram dabimus. Tegebat faciem flammeo, *primo* boni ominis gratia; quod eo Flaminica uteretur, cui divortium facere aut iterum nubere non licebat, Dalech. *ad Plin. l. c. Secundo*, pudoris velandi ergo, qui ex nullarum rerum memoria facile ſubnaſci poterat, Vetus Schol. *ad Juv. Sat.*6. *v.*225. Inde eſt, quod nubere de ſolis virginibus dictum videatur Scaligero; quod refellit Ph. Carol. *ad Ag. l.*1. *c.*6. *animad.*3.

XXII. Hoc ornamento ſpectabilis ſponſa gremium matris vel alius cognatæ fœminæ habebat, blandam vim ſuſpenſo exſpectans animo, qua inde abrepta viro adduceretur. Proculdubio hujus conſuetudinis origo a Romuli inſtitutis arceſſenda eſt, cui feliciter virginum raptus ceſſerat: Feſti ea de re verba hæc ſunt: *Rapi ſimulatur virgo ex gremio matris, aut ſi ea non eſt, ex proxima neceſſitudine, cum ad virum trahitur, quod videlicet ea res feliciter Romulo ceſſit*, citat ea Ræv. in *Comm. XII. Tab.* c.21. Eundem modum obſervant Serviani, v. Busb. *Ep.*1. *p.*22. nec non Lacedæmonii, qui hoc virginali pudicitiæ dabant, conveniens eſſe arbitrantes, ut quaſi invita ad virum abriperetur, Lyd. 2. *S. C.*

XXIII. Sic abrepta in domum ſponſi deducebatur, Non. Marc. *c.* 2. 431. Invocabant tunc deum Domiducum puellæ, ut ipſarum itinera protegeret, & ad optatas domos duceret, quod conſtat ex Mart. Cap. *l.* 2. Præcedebat ſponſam frequenti cognatorum comitatu ſtipatam tibicen, quique canebat Hymenæum, Alex. *l.* 2. *c.* 5. Quoniam vero non niſi ſub noctem conjugium inibant veteres Rom. v. Plut. *Probl.* c.65. quod & Syris quibuſdam in uſu fuiſſe ex *Job* 3. 6. non nemo colligit; unam facem novæ nuptæ præferebat matrimus ac patrimus puer: duo autem alii nubentem manu ducebant: auctor eſt Feſt. *l.* 14. Quamquam Plut. in *Probl.* c. 2. non plures nec pauciores quinque facibus in nuptiis adhibitas fuiſſe, multis rationibus adductis contendit. Concilient hæc loca eruditiores. Forte, ſi conjicere licet, unam tantum facem ſponſæ prætulit patrimus ac matrimus puer; reliquas vel vulgares Daduchi reliquis nuptialibus prætulere, vel in domo mariti primum accenderunt. Utut ſit, crebra eſt tædarum mentio apud Auctores, quorum multa loca congeſſit Dempſt. *ad Roſ.* p. 981. Conficiebantur vel ex pinu, vel ex ſpina; hujus meminit Plin. *l.* 16. *c.*18. illius Cat. in *Ep. Manlii*, v. Tiraq. *ad Alex. pag.* 137. Apud Græcos tædam matres filiabus deſponſatis præferebant, uti ex Eur. & Apoll. notat Dalech. *ad Plin. l.c.* Nec Judæis inſolens fuit faces nuptis præferendi ritus; quod tamen miniſterium non pueri, ſed virgines exſequebantur: utrumque ex *Job c.* 3. *Jer.* 25. *v.* 10. *Pſ.* 45. 15. & *Matth.* 25. 7. conjectat Lyd. 2. *S. C.* p. 74. Comitabatur ſponſam colus comta & fuſus cum ſtamine, teſte Plut. *Quæſt. R.* 31. Hoc in memoriam Tanaquilis optimæ lanificæ, cujus lanam cum colo & fuſo per multum tempus in templo Sangi duraſſe auctor eſt Varro, inſtitutum fuiſſe, ex Plin. *l.* 8. *c.* 48. apparet. Præter hæc utenſilia & mundus muliebris univerſus ab impuberi puero in vaſe operto, cui nomen cumerum, geſtari

consueverant; puer Camillus dicebatur, ut Festus docet. Hoc comitatu ad mariti ædes mulris floribus frondibusque præcinctas accedens, illarum postes lana coronabat, teste Plut. in *Quæst. R.* 32. & Plin. *l.* 29. *c.* 2. adipe etiam suillo ungebat, Plin 28. 10. hoc omine, ut tam fœcunda esset, quam scropha, quæ denos parit, Dalech. *ad h. l. Plin.* vel etiam lupino, ne quid mali medicamenti inferretur, Plin. *l. c.* Inde uxor quasi unxor dicta perhibetur Servio *ad.* 4. *Æn.*

XXIV. Consumto adipe ante limen stabat obstinata, invitam sese in eum locum duci significans. Tollebatur itaque a Pronubis aut Paranymphis trans limen, v. Plut. *Quæst. R.* 29. & in *Vita Rom.* p. 35. ubi & alias dat causas: quibus hanc jungo Varronis; ne a sacrilegio inchoaret, si, virginitatem depositura, rem Vestæ sacram, limen calcaret. Scal. 3. *Poet.* c. 101. ob fugam veneficiorum, quæ sub liminibus defodi solebant, id factum asserit. Cui & illa addi potest, quod omnis pedum offensio, qualis sponsæ limen calcanti facile accidere poterat, Ethnicis mali res ominis fuit; qua de re v. Mart. del Rio l. 3. *Disq Mag.* p. 2. quæst. 4. Beroald *ad l.* 9. *Apul.* Meurs. *mant. ad l. de Luxu R. c.* 9. & Salm *ad Panc. T.* 1. *tit.* 59. qui in eo tamen minus recte sentire videtur, quod illam liminis non attingendi fugam a sponsa paternam domum egressura observatam scribit; cum ea ab antiquis Scriptoribus ad mariti ædes observata notetur. Delata in mariti ædes sponsa igne & aqua accipiebatur, Serv. *ad* 4. *Æn.* Nam titionem ex felici arbore & aqualem aquam una cum sponso attingebat, v. Turn. *l.* 29. *c.* 27. De hoc ritu Lact. 2 c. 16. *Inst.* *A Veteribus*, inquit, *institutum est, ut sacramento aquæ & ignis nuptiarum fœdera sancirentur, quod fœtus animantium humore & calore reparentur, & ad vitam animentur.* Plures rationes affert Plut. *Quæst. R.* 1. & Salm. *ad Panc. T.* 1. *p.* 318. Tum claves a sponso accipiebat sponsa, quo domesticarum rerum custodiam in easque dominium ipsi offerebat; id quod ex natura clavium traditarum uberius explicat Salm. *ad Panc. p.* 324. *T.* 1. Festus quidem per earum traditionem partus facilitatem vult innui, verum prior ratio potior videtur.

XXV. His rite peractis, genialem cœnam comitibus dabant, in quam semper majores sumtus facere licuit, quam in alias. Etenim cum Fannia lex certis diebus 100. æris impendi permitteret, nuptiis 200. indulsit, cæterisque diebus statuit æris 30. Post Julia lex profestis diebus 200. festivis 300. nuptiis & repotiis 1000. HS. permisit, v. Agell. *lib.* 2. *c.* 24. Exhilarabat epulas Thalassii nomen crebro inclamatum; quod jam a Romuli temporibus in usu fuit, v. Liv. *l.* 1. *c.* 9. Plut. in *Rom.* p. 35. vel quod in raptu Sabinarum Thalassio se sponsam adducere a militibus crebro est proclamatum; vel quod lanificium saltem exercere debuerit uxor, nam Græcis ταλασία lanificium significat. Græcis in nuptiis Hymenæus crebro dicebatur, qui erat nuptiarum Deus, ἀπὸ τοῦ ὑμένος dictus.

XXVI. Concubitus maritalis tempus de medio fere jam cœlo Hespero indicente, sponsus nuces inter ludibundos spargebat pueros. Hinc Virg. *ecl.* 8. 30.

Sparge marite nuces.

Variæ hujus moris dantur rationes, v. Plin. *l.* 15. *c.* 22. & Ludov. de la Cerda *ad Virg. l. c.* Optima hæc videtur, quod hoc pacto Neonymphi omnia puerilia se pueris resignare indicarint, v. Erasm. *Chil.* 1. *Cent.* 5. 35. Dum pueri de nucibus contenderent, undique Fescennina strepebant, omnis lasciviæ ac mollitiei plenissima. Dicebantur Fescennina, vel quod ex urbe Fescennina originem traherent, vel quod fascinum pellerent, auctor est Festus. Appellabantur alias prætextata verba, quod ea, cum nupturæ puellæ prætextam deponerent, ad demulcendum pudorem nuptiali licentia cantarentur, v. Ferrar. l. 2. *de Re Vest.* c. 1. Labi videtur Salm. *ad Panc. p.* 322 *q. T.* 1. ubi nuptis verbis contraria asserit prætextata, cum ea, dem cum nuptis verbis fuerint. Nam Festus ait prætextata verba, quod nubentibus depositis prætextis a multitudine puerorum obscœna clamarentur. Quod si prætextata verba sunt obscœna, non sunt nuptis contraria, sed ejusdem commatis.

XXVII. Interea lectus genialis, Serv. *ad.* 6. *Æn.* quasi generalis dictus, optime adornabatur floribus, si eorum daretur copia, instratis, v. Lyd. 2. *S. C.* p. 80. Impudicitiæ etiam varia, ut ferebat satanica superstitio, simulachra e regione ponebantur, quæ nominare hic religio erit, v. Alex. *l.* 2. *c.* 24. Lact. 1. *Inst.* 20 & August. 6. *C. D.* c. 9. & l. 7. c. 24. Studebant quoque, ut facem prælucentis prætextati abriperent amici; causam ex Festo & Servio affert Ros. *p.* 963. *F.* & sponsam in lectum componebant Pronubæ, quæ uni semel nupserant, Festus *l.* 14.

XXVIII. Postridie nuptiarum apud novum maritum repotia instruebantur, nomenque hoc obtinebant, quod instauraretur quasi & redintegraretur potatio, v. Turn. 3. *Advers.* c. 26. Græcis ille repotiorum dies dicitur ἕωλος, hoc est, qui jam novitatis gratiam amisit, quomodo Tullius ἕωλον librum vocat, qui in novitatis ἀκμὴν jam esse desierat. Hesychio dicitur παγίας: aliis ἐπίβδη, notante Lyd. 2. *S. Conv.* Dabatur eo die vilioribus sportula, Symm. *l.* 9. *ep.* 96. honestioribus convivium, Auson. *ep.* 13. Ipse vero sponsus & sponsa numera nuptialia accipiebant, quibus & sportularum nomen fuisse constat ex Sym. *l. c.* ubi, *In duobus*, inquit, *solidis ad te misimus sportulam nuptialem.* Earum offerendarum pompam describit Erasmus *Ch.* 4. *Cent.* 2. 71. Ut autem omnia a Diis inciperent, hoc die ex sacrificiis nova nupta uxoriam libertatem inchoabat, v. Macrob. l. 2. *Sat.* c 55. Quænam & quomodo peregerint sacrificia non omnino planum est. Apud Hetruscos vero novam nuptam cum marito in conjunctione nuptiali porcum immolasse, quod propter πολυσημίαν nominis dignus fuerit nuptiarum insigni, constat ex Varr. l. 2. *R. R.* Causas hujus sacrificii affert Lyd. l. 1. *Serm. Conv.* p. 31. Atque hæc de Romanorum nuptiis dixisse sufficiat.

CAP. II.

Castitas conjugum. Amor mutuus. Concordia. Hæc quomodo conservetur. Maritus tueatur uxorem. Ei alimenta præbeat. Secreta non committat. Uxor mariti imperio se subjiciat. Parce foris ambulet. Vinum non bibat. Divortium. Nuptiæ secundæ.

I. EXpositurus jam officia conjugum a Rom. præstita, ea in tres partes dispesco. Vel enim ad utrumque simul, vel ad maritum, vel ad uxorem tantum spectant. Agam primo loco de illis, quæ utrumque concernunt. In quibus illud chorum ducat officium, quo nihil minus vir quam mulier inviolabilis tori castitatem sartam tectam tueri tenetur. Egregia sunt Arist. verba *l.* 2. *Oecon.* 2. *Nihil magis est uxori, nec magis illi a*

viro præstandum, quam sancta & intemerata societas, &c. Præeunt conjuges ipsa bruta. Elephantes nulla norunt adulteria, Plin. 8. *c.* 5. Ætnæus, piscis ἄλλης ὐχ ἅπτεται, Æl. 1. *Anim.* 13. Idem de columbis Plin. 10. 34. cornicibus Æl. 3. *Anim.* 9. palumbis Porphyr. 3. *de abst. esus carnis*; porphyrione ave Tzez. *chil.* 9. 356. turturibus Arist. 9. *Anim.* 7. testatur. Non parva hujus virtutis latus est in Turcicis fœminis, v. Busbeq. *Ep.* 3. *p.* 135. Vocarem eas Penelopes, nisi Penelopen nihil minus quam pudicam fuisse probasset Voss. 1. *Inst. Orat.* p. 127. Tam amabile est hoc decus, ut etiam immerentes hujus laudem sibi arrogare nitantur! Certe Alexander castissimus videri voluit, quod & probare allaborat Matt. *Th. Hist.* l. 3. p. 33. b. sed contrarium demonstrat Voss. 1. *Inst. Or.* p. 122. Nec Scipionem castum fuisse probat Cam. *Cent.* 1. *Hor. Subc. c.* 49. cui certatim hanc laudem Scriptores tribuunt. Insignia tamen sunt Romanæ castitatis exempla. Multorum vicem expleat unum Lucretiæ in Romana Historia decantatissimum; quod multæ mulieres secutæ fuerunt, uti constat ex Cam. *Cent.* 3. *c.* 78. Hujus officii ut eo sæpius admonerentur mulieres, Pudicitiæ ædem in Foro Boario Æmilius consecravit, ad cujus sacra frequentes supplicatum irent matronæ. Hanc cum sibi solam vendicarent Patritiæ, pro Plebeiis alia est exstructa, v. Liv. *l.* 10. *c.* 23. Neque enim familiæ nobilitas vel ignobilitas quicquam de hoc munere sibi detrahi patitur; cum & æqualis pœna adulteris quibuscunque Romæ constituta fuerit. Nempe adulteras ultra ducentesimum lapidem, adulteros paulo longius relegabant, v. Arnis. 1. *Pol.* c. 3. Quamquam & aliæ adulterii pœnæ apud Romanos fuerunt, quas in R os. l. 8. *Ant. Rom.* c. 24. legere licet. Aliæ gentes quomodo adulteros puniverint, docent Salm. *ad Panc. T.* 2. *p.* 86. Alex. ab Al. *l.* 4. *c.* 1. Alex. Sardus *l.* 2. *c.* 29. & Arnis. *Pol.* p. 88. Facile ex his constat, quanto studio maritalem colendam inculcarint castitatem, quæ quantivis est pretii, censente Tibullo *l.* 2. *el.* 2.

II. Fulcrum insigne ejus est amor mutuus. Mutuum dico; cum *nullus sit affectus, qui magis vices exigat*, ut ait Plin. *Paneg.* p. 78. Recte Seneca *ep.* 4. *Monstrabo tibi*, inquit, *amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficæ carmine; si vis amari, ama.* Et hæc conjugum conditio aurea est, cui optime applicantur verba Hor. 1. *Od.* 12. 17. & Hug. 3. *el.* 3. 9. Multa ejus sunt in Rom. monimentis exempla. Julius Cæsar uxorem repudiare noluit, licet Sacerdotio, uxoris dote & gentilitiis hæreditatibus mulctaretur, Suet. in *Vita c.* 1. Quantus fuerit uxoris in Pætum maritum amor, notum est ex Plin. *l.* 3. *ep.* 16. Addantur his exempla, quæ Val. Max. *l.* 4. *c.* 6. & Cam. *Cent.* 1. *Hor. Subc.* cap. 51. collegit. Etiam in exteris gentibus egregia amoris conjugalis exstant documenta. De Deiphonte & Hyrnethone, Paus. *l.* 2. *p.* 128. Palantho & uxore, id. *l.* 10. *p.* 573. Aspasia in Cyrum, Ælian. *l.* 12. *c.* 1. Hystaspis F. in Artystonam, Herod. *l.* 7. de Indorum, Val. M. *l.* 2. *c.* 1. Thracum, Pomp. Mela *l.* 2. *c.* 2. Catheorum, Strabo *l.* 15. & Erulorum uxoribus, Procop. l. 2. *de Bello Goth.* De aliis Picc. *dec.* 5. *c.* 10. Unum adjicio, marito cavendum esse, ne amor in uxorem sit nimius, de quo v. Cæl. Rhod. *l.* 16. *c.* 24.

III. Ex decenti amore necessario fluit concordia, & in omnibus rebus agendis unanimis consensus. Commendat eum Arist. 2. *Oecon.* c. 1. dummodo sit in rebus honestis & legitimis; quod uberius exponit Casus *ad Arist.* 2. *Oecon.* 3. *quæst.* 3. Hunc inculcarunt nuptis Macedones, panem in duas partes dividendo, v. Lyd. 1. *Serm. Conv.* p. 29. b. Græci, cantando, κόρει κόρη κορώνην, id. p. 32. Fuit ejus studium non vulgare Romanis, ut historiæ docent. Macrinum laudat Plinius Junior, quod per 39. annos cum uxore sine jurgio vixerit, sine offensa. Duplex quoque inscriptio Romæ reperta, quam Cam. *Cent.* 1. *p.* 332. exhibet, de summa conjugum quorundam concordia testatur.

IV. Conservatur hæc concordia diutius, 1. Si maritus cognatis ac parentibus uxoris suæ, & uxor mariti eandem exhibeat reverentiam. Docet hoc Arist. l. 2. *Oecon.* c. 4. quod egregie ad hunc loc explicat Casus *quæst.* 1. 2. Si maritus, quæ foris sunt, curet, mulier, quæ domi, ex præcepto Arist. 2. *Oecon. c.* 1. Ita tamen, ut uxoris domesticum regimen mariti reverentiæ & mandatis subsit. Hinc Arist. *l c.* eam dominam sumtuum dicit, sed *quos permiserit vir*, v. Casus *q.* 1. & Arnis l. 1. *Pol.* c. 3. p. 108. 3. Si omnium rerum communione fruantur, seu prosperæ sint, seu adversæ. Illud Romani per ignem & aquam a Neonymphis attactam innuere voluerunt, v. Salm. *ad Panc. T.* 1. *p.* 318. Qua de causa consortia rerum secundarum adversarumque conjugia dicuntur Tacito 3. 34. 6. Intellexit hoc Texena Agathoclis fida uxor, cujus huc facientia verba refert Just. 23. 2. 8. Notabilis etiam est vox Portiæ Bruti uxoris apud Plut. in *Vita Bruti* p. 527. Arist. l. 2. *Oecon.* c. 1. hac de re ita loquitur: *Decet non solum in prosperis rebus unanimem se viro præstare, sed etiam in adversis*, &c. 4. Si uxor marito, maritus uxori debitum exhibeat honorem & timorem. Num quid ergo viri est timere uxorem? maxime, sed certo modo, v. Casus *ad Arist.* 2. *c.* 3. *q.* 1. Eam quoque honorare. Nam uxori de via decesserunt Romani, Plut. in *Rom.* p. 39. Quomodo eam honorare debeat, docet Arist. 2. *Oecon.* c. 2. Uxorem in honore conjugi præstando informat Schonb. 1. *Pol.* cap. 6. p. 40. Quæ quidem eo magis maritum suspicere debet, quod omnis ille, quem ei deferunt honorem, a mariti dignitate pendeat, ut docet Arnis. *p.* 99. His observatis sine dubio inter conjuges concordia perdurat. Quod si vero apud Romanos jurgia quædam conjugum animos turbassent, non ad lites neque ad verbera mutua procedebant, sed in Deæ Viriplacæ templo congressi, intervenientibus cognatis, quicquid conceptum erat odii, deponebant, Val. M. *l.* 2. *c.* 1.

V. Exponemus nunc officia conjugum peculiaria, quæ sic prudentissimis Rom. uti aliis gentibus populisque, id quod ex Scriptoribus patebit, in usu fuere. Mariti officium in eo primum consistit, ut uxoris tutelam suscipiat, eamque adversus omnium injurias defendat, v. Schonb. *p.* 36. Huc respiciebant Judæi, cum sponsas suas veste vel pinna pallii obtegebant, uti patet ex l. *Ruth.* c. 3. v. 9. v. Lyd. *S. C.* p. 40. Multo minus ipse illi injuriam inferre debet ex sententia Arist. 1. *Oecon.* c. 4. Quid autem de illis statuendum, qui Ruthenorum more uxores suas identidem fustibus mulctant? Eos τοῖς ἁγιωτάτοις ἱεροῖς προσφέρειν τὰς χεῖρας cum Catone dicimus: Schonb. *p.* 36. raro ad verbera descendendum monet. Sed ei reclamamus; nunquam ad verbera descendendum. Habeo consentientes Lyd. l. 2. *Serm. Conviv.* p. 48. Cas. *ad Arist.* 1. *Oecon.* 4. *q.* 1. Tibul. 1. *el.* 10. Gerh. *T.* 7. *Loc. Comm.* p. 237. & alios. An ergo mulierum delicta non sunt corrigenda? Sunt, sed cum D. ad levia est connivendum, de gravioribus commonefacienda est uxor verbis, non verberibus, v. Arist. 2. *Oecon.* 2. & Cas. *ad h. l. q.* 4.

VI. Secundum mariti est officium, ut alimenta

uxori præftet, v. Schonb. *p.* 33. Ad ea & ornamenta mulieris referuntur, quibus quomodo uti debeat, docet Arift. 2. *Oecon.* cap. 1. Hic notandum, fi mulier ultra honeftatem ornari expetat, virum non obligari ejus phantafiæ morem gerere, v. Cafus *ad Arift.* 1. *Oecon.* 4. *q.* 4.

VII. Denique cavendum eft marito, ne uxori fecreta ad Remp. fpectantia denudet, v. Cafus *ad Arift.* 2. *c.* 1. *q.* 4. Notum eft enim, quam garrulæ fint mulieres, v. Ph. Carol. *ad Agell. l.* 1. *c.* 23 quotq; arcana per illas detecta fuerint, v. Richt. *Ax. Pol* 276.

VIII. Superfunt uxoris officia exponenda, quam ante omnia decet, mariti imperio fe fubmittere. Innuebant hoc Romani eo, quod hafta celibari caput nubentis comerent: nam hafta fumma armorum ac imperii eft, ait Feftus. Idem confitebantur fponfæ, caput flammeo obnubentes, v. Lyd. *S. C.* pag. 38. b. Quod apud Mofcovitas eo declarant nuptæ, dum caput calceis fponfi illidunt, teftis eft Herbeft. *de rebus Mofc.* p. 104. Hæc lex ipfi naturæ confentanea eft, quod multis demonftrat Cafus *ad Arift.* 2. *Oecon.* 1. *qu.* 5. ipfumque Deum agnofcit auctorem, *Gen.* 3. qui eam multoties quoque per Apoftolos denuo inculcari voluit, *Colof.* 3. 18 *Ephef.* 5. 22. 1. *Petr.* 3. 1. 1. *Cor* 11, 10. 1. *Timot.* 2. 12. Sub fcribunt illis prudentum fcita. Alios ut taceam, Arift. 2. *Oecon.* 1. *Exiftimare*, inquit, *debet mulier bene compofita, mores viri effe legem vitæ fuæ impofitam fibi a Deo per conjunctionem matrimonii.* Quod fi verum, cur duello cum fponfa inito imperii arbitrium committebant fponfi apud Sacas? Ælian. 12. *V Hiftor.* Cur Perfæ Semiramidis juffu mulierum dicto audientes erant? Cæl. Rhod 23. 5. Cur, cum omnibus mortalibus imperarent Romani, Romanis imperabant mulieres, ex effato Catonis? Plut. in *Vita*. Certe viri non viri fuerunt, imo fervi. Nam, *an ille mihi liber videatur, cui mulier imperat*, &c. ait Cic. *Parad.* 5. Quam miferi vero funt illi viri, quibus cum ejufmodi malo confligandum eft, ut non immerito Romani in proverbio dixerint, *mifer eft vir, in cujus domo gallina cantat*: fæpe enim hoc tanta fit cum contentione, ut & ipfi gallinaceo filentium imponat. Miferiam iftam fcite depingit Juv. *Sat.* 6. *verf.* 206. ex quo quis illam non didicit? Et tamen tot inveniuntur viri, qui non Deum Lunum, fed Deam Lunam appellant, v. Æl. Spart in *Carac.* Dicerem Germanos folos nofce mulieribus imperare, cum ifti, *der Mond*, in genere mafculino dicant; nifi aliud Viennenfis perna (v Ph. Car. *ad Ag. p.* 48.) ocreæque Noribergenfes (v. Schupp. in *Or. de Opin.* p. 17.) clamarent, quod fummum eft dedecus.

IX. Præterea frugi uxoris eft parce extra fores prodeambulare, cum fatis negotii domus afferat, fiquidem eam, uti debet, curare velit. Hoc Helienfes fœminas ut doceret Phidias, Venerem fecit, quæ teftudinem calcaret. Et Ægyptiis inde uti calceis non fuit patrii moris, ut ita domi fe tenere quodammodo cogerentur, ut refert Cæl. Rhod. *lib.* 10. *cap.* 3. Atque ut Venetæ mulieres eo diligentius domi refiderent, tam altos cothurnos tamque longum fyrma ipfis datum effe auctor eft Lyd. 1. *Serm. Conv.* pag. 35. a. Idem fuis inculcare volebant Bœotii, dum currus axem, quo fponfa advecta fuerat, præ foribus comburebant, Alex. ab Alex. *lib.* 2. *cap.* 5. Maxime hoc in fœminis commendabant Romani. Itaque cum C. Cæcilia diligenter fe domi continuiffet, in ejus honorem aliifque in exemplum in fano Sangi ftatuam ipfi collocarunt, cui fandalia & fufi adjacebant, Plut. in *Quæft. Rom.* Ufurpent ergo induftriæ mulieres illud Græcum, οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος, quippe quas ad opera facienda fedentarias effe voluit natura, auctore Ariftot. 1. *Oecon.* cap. 3.

A X Unum fupereft de mulierum officio dicendum, ne fcilicet vinum bibant. Sed nihil rei mihi vobifcum, Rheno vicinæ mulieres, quæ plus vini, quam cerevifiæ aut aquæ forbillatis: de Romanis loquor. Illæ fi vinum biberent, æque graviter puniebantur, ac fi adulterium commififfent, uti conftat ex Agell. *lib.* 10. *cap.* 23. Plin. *lib.* 14. *cap.* 13. Dionyf. *l.* 2. Val. M. *lib.* 2. *cap.* 1. Athen. *lib.* 10. Vict. *lib.* 7. *cap.* 24. Ulterius hæc explicat Jof. Paffus *l. de ftatu mar.* pag. 138. Rupert. *ad Val. M.* & Carol. *ad Agell. loc. cit.*

XI. Vidimus de officiis conjugum, jamque capiti finem impofituri effemus, nifi quædam de divor-
B tio & nuptiis fecundis viderentur fubjicienda. Divortium cuilibet viro, fi uxorem in adulterio, aut veneficio, aut clavium adulteratione deprehendiffet, per Romuli legem facere licebat; mulieri autem nunquam a viro divertere permiffum erat, tefte Alex. ab Al. 4. *cap.* 8. ubi etiam multa eorum exempla recenfet, qui uxorem levem fæpe ob caufam repudiarunt. Id quod Judæis etiam folemne fuit, v. Connan. l 8. *Com. Jur. Civ.* cap. 12. §. 5. Primus Romæ Sp. Carbilius tefte Val. M. *lib.* 2. *cap.* 1. Plut. in *Probl.* cap. 13. Agell. 4. *cap.* 3. Plin. *lib.* 9. *cap.* 11. fterilitatis caufa dimifit uxorem; ubi tamen eft Au-
C ctorum diffenfio de tempore, v. Cujac. l. 1. *Obferv.* cap. 39. Formula divortii, cum claves depofuiffet uxor, hæc erat: *Res tua tibi habe. Tuas res tibi agito*, v. Salm. *ad Panc. T.* 1. pag. 324. b. Eraf. *Ch.* 2. *Cent.* 4. 4 & *Chil.* 4. *C.* 9. 4. Sigon. l 1. *de ant J. C. R.* cap. 9. Confer. Briff *de R. N.* pag. 58. Seld. 3. *de Ux. Hebr.* cap. 38. Cæl. Rhod. *lib.* 28 *cap.* 16. Grot. l. 2. *J. B & P* cap. 5. §. 11. Arnif l. 1. *Pol* pag. 85. Cafum *ad Arift. Oecon. pag.* 263. Alb. Gent. l 4. *de Nupt.* cap. 4. Filef. *de Ux. jufta* cap 9. & Schonb. l. 1. *Pol.* cap. 6 Hæc de divortio. Ad quæ infuper notandum eft difcrimen Eruditorum in vocabulis repudii & divortii, illud ad fponfum proprie, hoc
D ad maritum pertinere afferentium, v. Auf. Popma *de diff. verb.* l. 2. pag. 65

XII. Nuptiæ fecundæ non fatis bene apud Romanos audiebant. Flamini non licebat eas iterare; hinc conjuge defuncta Flaminio abire cogebatur, v. Plut. *Probl.* cap 49. Quid quod *multorum matrimoniorum experientiam, quafi illegitimæ cujufdam intemperantiæ fignum effe* credebant, ut ait Val. M. *lib* 2. *cap.* 1. Inde tot monogamias encomia, tot polygamias fucceffivæ vituperia leguntur, quæ congeffit Rupert. *ad Val. M. loc. cit.* Unde & illud inftitutum, quo, quæ iterum nupfiffet, Pudicitiæ fimulacrum tangere vetabatur, v. Joh. Meurf. l. *de*
E *Luxu Rom.* cap. 10. quæ autem uno viro contenta matronale decus incolume fervaffet, pudicitiæ corona ornabatur, Val. M. *loc. cit.* Sed quicquid contra nuptias fecundas fenferint Romani, quibus album adjicit calculum Sarisber. *p.* 581. & 582. & Hieron. *l.* 1. *in Jovian.* multa tamen funt, quæ pro iis in medium poffint afferri. Præftitit eam operam Bernegg. *in Tac. Quæft.* 110.

CAP. III.

F *Toga. Tunica. Lacerna. Læna, Caracalla. Pænula Calceus. Solea. Soccus. Capitis tegumenta. Stola. Pallium.*

I. PRivato Romanorum veftitui explicando deftinatum eft hoc caput, multorum Eruditorum ingenio vexatæ & erroribus refertæ materiæ. Nobis cura erit optimorum veftigia lege-

re, & qua fieri poteſt brevitate rem expedire, quam nunc aggredior, primum de virili veſtitu dicturus. Illius princeps erat toga, a tegendo Varroni dicta. Temenus Arcas eam inveniſſe, Græcoque nomini τηβέννῳ originem dediſſe, dicitur Artemidoro *lib.* 2. *cap.* 3. Materia ejus lana fuit, quod patet ex Plin. *lib.* 8. *cap.* 47. ſed alia alia pretioſior. Cum villorum denſitas in recentibus veſtimentis nec tramam nec ſtamen apparere ſineret, pexas dicebant veſtes, ut Mart. 2. *epiſt.* 44. Eis opponebantur tritæ vel decotes, interdum quoque raſæ, quæ utplurimum eædem erant cum ſcutulatis. Sero admodum ſericarum veſtium uſus apud Romanos invaluit. Fuere hæ duplicis generis; aliæ ſericæ, aliæ bombycinæ; hæ rurſus vel Aſſyriæ, vel Coæ, confer. Plin. *lib.* 6. *cap.* 17. & *lib.* 11. *cap.* 23. Qualeſcunque autem erant, hoc laborabant vitio, quod per illas corpus tranſpareret, v. Juv. *Sat.* 2. v. 77. qui eas veſtes etiam *multitia* vocat. Erant & hæ vel ſubſericæ, vel holoſericæ. Harum meminit Vopiſc. in *Aurel.* illarum Spart. in *Heliogab.* Color togarum promiſcue albus erat, Lipſ. & Man. Cur igitur, qui honores petebant, Candidati ſunt dicti? R. Togis Candidatorum lotis Umbrica ſuperinducebatur, poſtea illæ prælo ſubjiciebantur, quod communiter factum non fuit, v. Ferr. l. 1. *R. V.* cap. 21. Sed Romani ſolemnibus diebus potiſſimum albati incedebant, ex Ovid. 3. *Triſt.* 13. Reſpondet Ferr. *cap.* 22. a fullone recentes togas tunc indutas fuiſſe. Albi coloris loco in luctu atrati incedebant Romani, Kirchm. 2. *de Fun. R.* cap. 17. Hæc toga dicebatur pulla, Laz. l. 8. *de Rep. R.* cap. 3. Forma togæ fuit clauſa & rotunda, quæque uno injectu corpus involveret. Nihil hic moramur Sigonium, cui jam quadrata, jam ſemicircularis dicitur, l. 3. *de Jud.* cap. 18. ſatis eum refutavit Ferrarius 1. *R. V.* 2. & ſeq. Communis ejus geſtandæ modus fuit, ut dextrum brachium, qua parte, ad cervices patuit, exſereretur; ſiniſtrum vero ſub ipſa toga extenſum laciniam in rugas contractam ſubduceret ad pectus læva exſtante. Rugas eas ſinum togæ dixerunt Veteres, qui duplex erat, inferior a lævo brachio factus, & ſuperior ſub dextro brachio dimiſſus; uterq; vel major erat vel minor, prout ſtrictior laxiorve toga eſſet; qui ſi arte coacti nodo coſtringerentur, dicebantur umbones. Cingi autem non poterat commode toga, quod non recte ſtatuit Sigon. *loco cit.* Quomodo enim ſinus effici potuiſſet, ſi cincta fuiſſet? Cæſar cum male præcinctus dicitur, intelligendum hoc eſt de tunica. In militia tamen cum antiquitus uterentur Romani togis, eæ cingebantur ita, ut togæ lacinia lævo brachio ſubducta in tergum rejiceretur ac retraheretur ad pectus, atque ita in nodum colligeretur, ut togam contraheret ac breviorem ſtrictioremque redderet. Cinctus ille dicebatur Gabinus. Neque fibulæ uſus erat in toga, quamvis hoc diſertis afferat verbis Panc. *T.* 1. *tit.* 44. uti patet, ſi Veterum imagines inſpiciantur. Demittebatur toga uſque ad calceos, omniſque conditionis hominibus erat communis. An vero etiam domi geſtarint eam, diſquiritur. Demp. *ad Roſ. pag.* 1000. togas in domeſticas & forenſes dividit; ſed potior mihi videtur illorum ſententia, qui tunicatos tantum Romanos domi inceſſiſſe ſtatuunt. In conviviis tamen ſolemnioribus earum uſus fuit, uti patet ex Spart. *Hadr.* niſi eas cœnatoriis mutarent, quæ erant veſtes in cœnis & feriis Saturnalibus uſitatæ, alioque nomine ſyntheſes dicebantur, formam pallii fere habentes. In toga etiam mortui efferri conſueverant, Kirchm. 1. *de Fun. R.* cap. 10. Pacis erat geſtamen; antiquis temporibus etiam belli. Sed cum libertate in deſuetudinem veniebat, ita tamen, ut ave matutinum Patronis dicentes & ſportulam petentes togati incederent, ut & Oratores per multum tempus, & pauci alii, v. Ferr. l. 1. *de Re Veſt.*

II. Alia virorum veſtis erat tunica, Græcis χιτὼν dicta, cui toga ſuperinjiciebatur. Romuli tempore ejus uſus fuit ignotus: cujus moris æmuli Cethegi & Cato ſine tunicis toga amicti fuerunt, ut & Candidati, licet reliqui communiter ſub toga tunicam geſtarent, imo ſæpe una plures, hyeme præſertim. Interior tunica dicebatur interula vel ſubucula, quæ ſero demum ex lino confici cœpit, cum ante ex lana texeretur. Superior ejus erat vulgo menſuræ, ut paulo infra genua caderet: demiſſiores qui geſtabant, ut & qui manuleatas, molles audiebant. Ne ultra decorem eſſent demiſſitiæ cinctura temperabat; eundemque cum togis colorem habebant, niſi quod proceſſu temporis etiam ruſſatæ fuerint.

III. Sub Imperatoribus lacernæ quoque habitum ſumſerunt Romani in pace, cum antea veſtimentum fuiſſet militare, idemque cum chlamyde. Ea fuit amiculum, ſeu pallium laneum apertum, quod ipſi quandoque togæ, vel depoſita toga tunicæ injiciebatur adverſus cœli injuriam, nectebaturque fibula vel in humero, vel ad pectus. Gauſapinas plerumque lacernas habebant; has hyeme, alias leviores in æſtate gerebant, erantque jam pulli, jam albi, jam alius coloris. Cum rufi erant coloris, birrhi dicebantur, v. Ferrarium.

IV. Lacernæ vel gemina vel non multum diſſimilis fuit Rom. læna, apertum, denſum, ac villoſum togæ vel tunicæ integumentum. Utebantur ea præprimis e balneis ad cœnam accedentes, erantque pro cœnatoriis in hyeme, interdum quoque pro ſtragulis.

V. Non multum ab illa diſcrepabat caracalla, quam a Gallis mutuatam Caracalla Imperator introduxit, Xiphil. & Dion *l.* 78.

VI. Huic ſubjicienda eſt pænula, veſtis itineraria, quæ ſupra tunicam pluviæ cauſa adhibebatur, Nonius. Sub Flaviis jam intra Urbem quoque geſtabatur, Juv. *Sat.* 5. ſeu udum eſſet cœlum, ſeu ſudum; eamque a Senatoribus etiam geſtari permiſit Alex. Severus, Britan. *ad Juv. Sat.* 5. Duplices erant pænulæ, vel ſcorteæ, vel laneæ, hæque vel Canuſinæ, vel Gauſapinæ, Martialis, Plinius. Forma ejus erat clauſa, rotunda, quæque togæ inſtar corpori injiceretur, illudque ambiret, niſi quod ſtrictior erat ac brevior; præterea cum in toga dextrum brachium per ſummam oram exſereretur, pænula utroque brachio ſubducebatur.

VII. Pedum tegmina erant vel calceus, vel ſolea, vel ſoccus. Calceus erat vel lunatus, vel purus; ille ad Senatores, Plut. *Q. R.* 79. hic ad reliquos ſpectabat, eratque communiter albi coloris, apud delicatiores etiam coccinei, Lipſ. 1. *Elect.* 13. quos ſæpe gemmis ornabant, Ræv. 1. *Var.* 8. De materia eorum multis diſputat Dempſt. *ad Roſ. p.* 949. Is uſos eſſe Romanos fere ad exemplum Capucinorum, auctor eſt Panc. *T.* 1. *tit.* 44. Quod calceamenti genus ſoleas dixerint, docet Agell. *l.* 17. *cap.* 21. ubi notat Ph. Char. quod ſolea & tunica domi, calceo & toga foris uſi fuerint, *p.* 505. Socco etiam uſos fuiſſe Romanos conſtat ex Sen. 2. *Ben.* cap. 12. Alia Rom. calceamenta exponit Laz. l. 8. *de Rep. R.* cap. 13. Ubi & hoc notandum, Romanos nonnunquam nudis pedibus inceſſiſſe, v. Caſaub. *ad Suet. p.* 38. *l.* 4. & Dorl. *ad Tac.* 2. *Ann. p.* 279.

VIII. Pauca de capitis tegumento addo. Romanos utplurimum detecto inceſſiſſe capite, niſi in ſacris, ludis, Saturnaliis, peregrinatione & militia, ſatis probarunt, Turn. 8. *Alv.* cap 4. Alciat. l. 8. Παρεργ. 10. Lip. Lipſ. 1. *Elect.* 23. & *de Amph.* 20. A. Gnil. *in Polyb.* cap. 1. Salm. *ad Panc. loc. cit.* J. Arch. *ad Onuph. p.* 84. Bonifac. *Hiſt. lud.* 20. Cum

res poſceret, caput tegi, ſuperiorem togæ partem ad cervicem, quæ nempe ſiniſtro humero inſidebat, & dextro dejiciebatur, attrahebant in caput, v. Ferr. 1. *R. V.* 20. Dorl. *ad Tac.* 2. *Annal.* *p.* 212. Præter certas cauſas qui capite operto incederet, mollis habebatur, v. Lipſ. *l. c.* & Meib. in *Mæc.* cap. 19. 16. Poſtea tamen pluviæ arcendæ vel latendi cauſa frequens fuit cuculli cum lacerna ſumti uſus, v. Ferr. 1. *R. V. p.* 2. 20.

IX. Hæc de virorum, paucis de mulierum veſtitu. Hæ primum toga quoque utebantur, Nonius. Poſtea hanc viris & meretricibus reliquerunt, Acro *ad Hor.* 1. *Sat.* 2. Pudicæ autem geſtabant ſtolam, uſque ad imos pedes demiſſam tunicam, cujus imam partem ambibat inſtita aſſuta, Porph. *ad Hor.* Purpurea matronarum, aureiſque ſegmentis ornata, Val. M. 2. *c.* 1. zonaque cingebatur, Ovid. 1. *Am.* 7. Sed in luctu erat alba, Plut. *Probl.* c. 25. quam tamen nonnulli atram fuiſſe ſcribunt, v. Ferr. 1. *R. V.* 23. Kirch. *de Fun.* pag. 236. Stolæ injiciebant pallium, quod palla dicebatur, Varr. *L. L.* & ad extremos uſque pedes demiſſum erat, Ovid. 3. *Am.* 13. Ejus loco in luctu ricinium ſumebant, Kirchm. *de Fun.* pag. 237. Utebantur etiam amiculo, Liv. *l.* 27. & 34. & pænula, Lampr. in *Severo*. Alias veſtes muliebres v. apud Ferr. 3. *R. V.* 20. De mitris, calanticis, vittis, reticulis, Roſ. *lib.* 5. *cap.* 35. Deque earum calceamentis Dempſt. *ad Roſ.* 946.

DISSERTATIO II.

DE

RESPECTU HERILI.

CAPUT I.

Summaria.

Servus unde. Definitio ejus. Diſtinctio. Alii ſervi natura dicuntur, alii Lege. Servorum venditio. Qui in ſervitutem redigebantur. Varia ſervorum miniſteria.

I. BEne ac ſapienter ſupremum illud Numen, & ſapientiſſimus rerum omnium Opifex inſtituit, ut quemadmodum certi planetarum ordines in convexo, ita diſtincti quidam gradus in hominibus conſtituerentur. Celſior Venere Saturnus, celſior Luna Venus in æthere ardet, ſtellaque ſtellam ſplendore quodam ſingulari vincit; In Orbe etiam alius alio ſuperior, alius imperat, alius paret, vid. Toloſ. *lib.* 1. *cap.* 1. Hic ordo ſi tollatur, & quilibet *εἷ κοίρανος, εἷς βασιλεὺς* eſſe vellet, quantæ diſcordiarum faces undique accenderentur! totus terrarum orbis eandem repræſentaret tragœdiam, quam olim Julius Cæſar & Cn. Pompejus totius Romæ detrimento egerunt. Quapropter Deus T. O. M. in prima ſtatim creatione fœminam viro ſubjecit; de illa ſubjectione maritali quoniam in præcedenti Diſſertatione actum, nunc de reſpectu herili dicere animus eſt. Antequam de hero agamus, neceſſaria quædam de ſervo præmittenda eſſe videntur, quo ex relatorum ratione heri natura melius patere poſſit. Nomen igitur ſervorum deducit Euſtathius ab *ἐρύω*, quod idem ei eſt quod *φυλάττειν*; cum ſibilo autem fit ex *ἐρύω* ſervo; & Feſtus ſervitutem dictam refert erudinem, vid. Bodin. *lib.* 1. *cap.* 5. Sed melius creditur inde deductum, ut, qui belli jure occidi poterant a victoribus ſervarentur, qui poſtea ſervi fiebant, a ſervando appellati, Auguſt. *de Civ. D.* l. 29. quod confirmat JCt. Anton. Perez. *Inſtit. Imper.* lib. 1. tit. 2. Adde Grot. lib. 3. *de Jure Belli & Pac.* cap. 3. §. 5. Polyd. Virg. lib. 2. *de Invent. rerum* cap. 2. ex Macrob. lib. 2. *Sat.* Hi ſervi mancipia etiam dicuntur, eo quod manu capiantur, Anton. Per. *l. c.* & Cæl. Rhod. l. 25. *Lect. Antiq.* c. 17. Valla mancipium dici vult a manu ſeu poteſtate in qua eſt lib. 5. *Etym.* cap. 34. Germani hæc mancipia vocant *Leibeigene*, de quibus ſatis teſtatur Weſtphalia, Ruſſia, &c. qui non multum ab Antiquorum ſervitute abeſſe dicuntur, a D. Chriſt. Liebenth. *Coll. Polit.* Exerc. 3. §. 44. Ut autem ad definitionem ſervi veniamus, definit ipſum Ariſtot. lib. 1. *Polit.* cap. 6. Eſſe *κτῆμα ϗ ὄργανον τ̃ δεσπότȣ ἔμψυχον, λογικὸν, πρακτικὸν, τῇ φύσει μὲν κτητὸν, ἀλλὰ χωριστὸν*, id eſt, *bonum & inſtrumentum ſui Domini animatum, ratione præditum, aptum ad aliquid agendum, natura quidem in ejus poteſtate, ſed tamen ab eo ſeparatum.* Horum ſingulorum explicationem ſi quis cognoſcere deſiderat, aderat D. Liebenth. loco quem ſupra adduxi §. 14. 15. &c. Cellar. lib. 1. *Polit.* c. 3. ipſumque Ariſtot. c. 4. 5. 6. lib. 1. *Polit.* & Comment. ejus Joh. Caſum. Cæterum genera ſervorum aut dicuntur ratione originis, aut ratione operis. De his poſtea. Ratione originis aut natura tales dicuntur, aut lege.

II. Conſtat nimirum experientia duos hominum ordines inveniri, alios, qui ad imperandum, alios, qui ad parendum idonei ſunt. Hinc quemadmodum Pelopidam natura imperatorem fuiſſe dicunt, non quidem quod talis natus fuerit, ſed quod prudentiam regiam natura habuerit, Plut. in *ejus Vita*, ita multis hæc ratio deminuta eſt, (hi ſervi natura ab illis dicuntur) qui nec ſuis commodis proſpicere, nec in longitudinem conſulere poſſunt, adeo ut ad aliis ſerviendum nati eſſe videantur Arniſ. lib 1. *Politic.* cap. 5. Id quod & Busb. ſentit. Non omnes, inquit, ita nati ſunt, ut ſe regere & ſuo arbitrio recte uti ſciant, melioris ductu atque imperio tanquam adminiculo opus habent, *Epiſt.* 3. pag. m. 119. corpore quidem hi valent, ut beſtiæ, ideoque eorum lacertos humeroſque miramur, ſed imbecilli ſunt animo, Sen. *Ep.* 8. Nec iſtam ingenii imbecillitatem in quibuſdam ſolum hominibus deprehendimus, imo integrarum Gentium ingenia ad ſervitutem abjecta fuerunt. De Syris lege Cic. *de Provinc. Conſ.* de Barbaris, Euripid. *Iphig. in Aulide* de Mariandynis Heracleotarum ſubjectis, Athen. *lib* 6. *c.* 18. Sic in Hiſtoriis notavit Poſidonius Stoicus, multos olim fuiſſe, qui ſuæ imbecillitatis conſcii ſe aliis in ſervitutem dediderunt, Hug. Grot. l. 2. *de J. B. & P.* cap. 5 27. Quicunque igitur monente Ariſtotele tanto cæteris hominibus ſunt inferiores, quanto animus corpori & homo feræ præſtat, hi ſunt ſervi natura, quibus melius eſt, ut regantur & aliis ſerviant, lib. 1. *Politic.* cap. 5.

III. Sunt porro alii ſervi *lege*, qui certis ex cauſis dominorum poteſtati ſubjecti ſunt, atque ita vitam ſuam ad nutum arbitriumque dominorum componere coguntur, Georg. Schonb. l. 1. *Pol.* cap. 9. Tales ſunt duplices, 1. jure gentium, 2. jure civili. Jure gentium, aut captivitate, aut nativitate, D. Liebenth. *Exer. Pol.* 3. Naſcuntur ex ancilla ſeu ſerva, qui vernæ dicebantur; partus nimirum ſequitur conditionem parentum, atque ita capiendum illud tritum Ulpiani: Lex naturæ hæc eſt, ut, qui naſcitur ſine legitimo matrimonio, matrem ſequatur: hæc ſervitus referente Caſo eſt veluti lepra, &

a parentibus in liberos serpit, &c. *ad lib.* 1. *Aristot. Oecon. c.* 9. Captivitate servi fieri dicuntur, quia jus belli apud omnes omnino nationes confirmatum est, ut videlicet capta urbe victor omnes sibi subjicere & in servitutem asserere possit, confitente Cyro apud Xenoph. *l.* 7. *ad fin.* vid pl. in Grot. l. 3. *de Jure Belli & P.* c. 7. 81. Hinc Scipio ad Masinissam: Syphax Populi Romani auspiciis victus captusque est, itaque ipse, conjux, regnum, ager, oppida, homines, qui incolunt, quicquid denique Syphacis fuit, Populi Romani est, Liv. *lib.* 3. *dec.* Hoc itaque summum jus ne summa injuria fieret, sensim mitigatum est, ut, qui jure occidi poterant, servarentur ;& servi fierent; hinc Dion Prusæensis cum modos acquirendi Dominii recitasset, inquit: Τρίτος ᾗ κτήσεως τρόπος, ὅταν ἐν πολέμῳ λαβὼν αἰχμάλωτον τȣ̃τον τ̃ τρόπον ἔχῃ καταδȣλωσάμενον: communis possessionis modus est, ubi quem quis bello nactus captivum hoc modo servum factum possideat.

IV. Jure civili servi fiunt, quando 1. aliquis recto utens judicio major 20. annis se ipsum vendit, quales quidam homines in Thusco vico fuisse testatur Plaut. in *Curcul.* & Hor. l. 3. *Satyr.* 3. Ad hunc locum respexisse videtur Ulpian. Si quis, inquit, eo se conferat, quo solent venire, qui se venales postulant, *leg. quid sit fugit.* §. 17. 2. Emtione, si scilicet captum quis ab hoste redimat. Redemtus enim fit statim redimentis. Nota hic, quod Romani servos brutorum animalium more vendiderint, horum titulus per barbara colla pependit, Propert. *l.* 4. *eleg.* 5. in quo vitia & morbos adnotatos emtor videbat, Ulpian. lib. 1. *de Ædil. edict.* Quo pretio emti fuerint, addit Fung. *Etym.* sub tit. *serv.* pag. 1076. Mos quandoque inolevit, ut mercatores salis vim magnam in mediterranea loca subvectantes a barbaris plerumque gentibus mancipia reciperent. Thracum populis hoc peculiare fuit, eo modo, nempe sale mancipia commutare, quæ deinde πρὸς ἁλὸς ἠγορασμένα, id est, *sale coemta* dicebantur, Cæl. Rhod. l. 25. *Antiq. Lect.* c. 29. Nullius vero pretii erant, qui nullo pretio sed sale emebantur, quod probat ex Polluce *l.* 7. *c.* 2. Pont. *Attic. Bell.* Synt. 2. rit. 68. Vendebantur præterea mancipia sub corona; qua ratione id factum fuerit, quia hic omnia adscribere non possumus, docebit Phil. Carol. *ad Q. Curt. l.* 2. *Animadv.* Quid sit de Lapide emere servum, vid. Andr. Tiraq. *ad Alex. l.* 3. *Gen. D. cap* 16. Quid pileatos vendere significet, dicit Cæl. Rhodig. l. 25. *Lect. Antiq.* c. 22. Pont. *Attic. Bell.* Syntag. 2. rit. 70. & inprimis Agell. *l.* 7. *c.* 4. & Comm. elegantiss. Phil. Carolus. Pedibus cretatis seu gypsatis vendebant Antiqui servos, de quibus passim apud Auctores, quos adducit Dalechamp. *ad Plin. l.* 45. *Nat. H. cap.* 18. Lotich. *ad Arbitr.* Brod. l. 1. *Miscell.* c. 17. Alex. Sard. *de mor. Gent.* l. 1. cap. 16. Tiraq. *ad Alex. l.* 3. *G. D. c.* 16. *&c.*

V. In servitutem apud Romanos redigebantur isti homines, qui erga patronum suum ingrati animi crimen ostendissent; quapropter libertinos ingratos, de quibus patroni querebantur, revocasse Claudium in servitutem scribit Suet. in *Vita ejus* c. 20. Licet enim manumissus solidam nanciscatur libertatem, hæc tamen exceptio semper subintellecta fuit, nisi ingrati invenirentur; quare Ambrof *de Jacob.* cap. 3. Ita libertatem accepisti, ut meminisse manumissoris tui debeas, ut patrono tuo legitimum obsequium deferendum intelligas, ne ab ingrato revocetur libertas. Atque ideo Athenarum illud institutum. Formula autem talis fuit: Supersedeo te habere civem, tanti muneris impium æstimatorem, nec adduci possum, ut credam urbi utilem, quem domi scelestum cerno; abi igitur & esto servus, quoniam liber esse nescisti, Val. Max.

A *l.* 2. *c.* 6. §. 6. Alex. ab Alex *l.* 3. *c.* 30. *G. D.* Perelegantem locum habet J. Lips. *Comm. ad lib.* 13. *Ann. Taciti* f. 223. Debitores etiam, qui sortem pariter usuramque negabant, aut qui non erant solvendo, vinculis servilibus addicebantur, vid. Sig. l. 1. *Antiq. Jur.* c. 11. Frid. Gronov. l. 1. *Observ.* cap. 8. pag. 76. Alex. ab Alex. *Gen. Dier.* l. 5. c. 4. Ideo autem forte graviter puniebantur, quia societatem humanam tollunt, nec se solum, sed ut Cæcias nubes ita post se multorum virorum ruinam trahunt, Cic. *pro L. Man.* p. 340. Tales nexi apud Romanos plurimi erant; hinc quidam apud Liv. in forum se conjecit veste squallida, fœdiore corporis habitu, &c. B sciscitantibus, ubi ille habitus, unde deformitas? Sabino bello, ait, se militantem tributum iniquo suo tempore imperatum, æs alienum fecisse, & primo se agro paterno exutum, deinde fortunis aliis, postremo veluti tabem pervenisse ad corpus ductum se a creditore non in servitium, sed in ergastulum & carnificinam, *lib.* 3. Imo corpus debitoris creditorum multitudo in partes secabat & partiebatur, Quint. *l.* 3. *c.* 8. Tertull. in *Apol.* cap. 4. De immanitate illa secandi partiendique corporis humani, si unus ob pecuniam debitam judicatus addictusque sit pluribus, non libet meminisse, & piget dicere; quid C enim videri potest efferatius? quid ab hominis ingenio diversius, quam quod membra & artus inopis debitoris brevissimo laniatu distrahebantur, sicut nunc bona venum distrahuntur? Hæc Gell. *lib.* 20. *cap.* 1. Hinc timet sibi Terentianus Phormio, cum nihil haberet, ne duceretur damnatus domum. Ob hunc ergo barbarum rigorem excita sæpe ac mota nexorum turba vario tumultu Urbem distraxerunt, quam tamen Menenii Agrippæ, aliorumque Consulum prudentia ad quietem concordiamque reduxit, vid. passim Livium, Val. Max. Dionys. Halicarnas. alios.

VI. Genera servorum num. tertio distinximus 1. D ratione originis, 2. ratione operis. De illis supra dixi, de his jam dicenda restant. Notum est, varias apud Romanos servorum fuisse species, quibus singulis præcipuum munus a dominis erat demandatum. De servorum publicorum ministeriis hic nihil adjicimus, quibus tamen lubet ea cognoscere, adeant Rosin. l. 8. *Antiq. Rom.* cap. 31. Thys. *ad Val. Max. l.* 2. *cap.* 10. Servi privati partim a ministerio mensæ, partim administratione domus officiique sumebantur. Quod ad mensæ ministerium attinet, erant Romanis *servi* ministrantes *ad pedes*, qui in conviviis a pedibus accumbentium stabant, Græci tales vocabant ἀνδράποδα, Thom. Hurt. Tolet. *d. V. Mart. Fid. ref.* 64. *digress.* 5. *membr.* 4. De E his Seneca: servus, inquit, qui cenanti ad pedes steterat, narrat, quæ inter cœnam ebrius dixisset, l. 3. *de Benef.* c. 27. & de quodam ebrio domino facete Martial. *l.* 12. *epigr.* 89.

Bis Cotta soleas perdidisse questus,
Dum negligentem ducit ad pedes vernam,
Excalceatus ire cœpit ad cœnam.

F Caligula sibi cœnanti ad pedes stare succinctos linteo passus est, Suet. in *Vita* cap. 26. Qui vero vinum ministrabant ad cyathum & vinum stare dicebantur. Caj. Memmius etiam ad cyathum & vinum Nicomedi stetisse objecit cum reliquis obsoletis pleno convivio accubantibus, Suet. *Cæs.* c. 49. & Horat. *lib.* 1. *Od.* 29.

Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum statuetur unctis.

Vid.

Vid. Hor. Comm. Acron. Bad. Afcenf. Glarean. & Chrift. Landin. Gron. l. 2. *Obferv. c.* 24.

VII. *Obfonatores* fervi, quos Græci *Αγῶνας*, *ἀγοραςὰς*, *καὶ ὀψώνας* appellant, fuerunt, qui in obfoniis emendis occupati erant, quales Terentius monftrat; Plaut. in *Milit. Glor.* primarii parafiti, atque obfonatoris optimi meminit. *Structores* a ftruenda menfa dicti, feu quibus *cura penum ftruere*, ut inquit Virg. *l.* 1. Communis mos erat, ut famuli, quibus erudita manus erat, fpectantibus convivis appofita dividerent. In hanc fententiam Seneca: cum ad cœnandum difcubuimus, alius fputa detergit, alius pretiofas aves fcindit, certifque ductibus circumferens eruditam manum in frufta excutit, *ep.* 47. & Petron. in *Conviv. Trimalc.* Convenientem materiæ ftructor appofuerat cibum. Confule Joh. Sarisb. *Policrat.* l. 1. c. 4. Græcis *τραπεζοποιὸς* nuncupabatur, Athen. *l.* 4. *c.* 21. Eleganter hos Satyricorum Princeps Juven. *Satyr.* 5. depingit:

Structorem interea, ne qua indignatio defit,
Saltantem fpectas, & Chiromanta volanti
Cultello, lepores, & quo gallina fecetur.

Vid. plur. apud eund. *Satyr.* 11. & *Sat.* 9. Mart. 10. *epigr.* 48. Lotich. *ad Petron. Comm. fub cœnam Trimalc. Peniculi* fervi, qui peniculo five penicillo menfas abftergebant: quale inftrumentum fuerit, vid. Wolf. Lazius l. 12. *Comm. Reip. Rom.* c. 5. Utitur hoc verbo Plaut. in *Menæchmis*:

Juventus nomen fecit Peniculo
Mihi ideo, quia menfam, quando edo, detergeo.

Coqui apud Romanos veteres non adhibebantur, fed domini conducebant ex macello, ut ex Plaut. *Aulul.* colligo, ubi legitur,

Poftquam obfonavit herus, & conduxit coquos.

Ita Plin. *lib.* 18. *cap.* 11. *Nec coquos habebant in fervitiis, eofque ex macello conducebant.* Poftea vero privatos coquos fibi compararunt, quibus dominici palati notitia fubtilis effet, quique fcirent, cujus rei illum fapor excitet, cujus delectet adfpectus, cujus novitate naufeabundus erigi poffit, Seneca *ep.* 47. De his coquis Martialis in *Apoph.* l. 14. ep. 220. verfum conftruxit:

Non fatis eft ars fola coquo, fervire palato,
Atque coquus domini debet habere gulam.

Hinc tot *dulciarii* piftores, qui conficiendis dulciis feu mellitis, quæ Græci *μελίπηκτα* dicunt, præpofiti erant, Apul. *l.* 10. At illorum, inquit, alter piftor dulciarius, qui panes & mellita concinnabat edulia, Cæl. Rhod. l. 3. *Antiq. Lect.* c. 10.

VIII. Adminiftrationi domus præerant *atrienfes* fervi. Hos inter lautiores numerat Cicero *Paradox.* 5. Plaut. *Pfeud.* 2. 2. & *Afinar.* 2. 2. ℣. 84. Obfervabant atrium & fupellectilem ædium, vafa efcaria, potoria emundabant, vid. Columell. *l.* 12. *c.* 3. Plin. *l.* 19. *ep.* 3. Apul. libr. *de Mundo*, Cujac. l. 19. *Obferv.* c. 34. Notandum vero hujufmodi fervos *æditues* quoque appellatos fuiffe, quæ poftea vox ad Ecclefiam tranflata fuit, quod oftendit Lazius *Com. Reip. Rom.* l. 12. c. 5. *Amanuenfes* a manu dicti, quorum opera in fcribendo ufi funt, vid. Suet. *Cæf.* c. 74. & *Neron.* c. 44. Alex. ab Alex. *l.* 3. *Gen. D.* c. 25. Frid. Gronov. *Obf.* l. 2. c. 24. *Difpenfatores*, qui pecuniam habebant, eamque mandante domino pro neceffariis difpenfabant. *Exa-*

A *ctores, calculatores*, vid. Laz. *l. c. Curfores* Græcis *Ἡμεροδρόμοι*, *Hemerodromæ*, vulgo *Lachen* ad currendum conftituti. Seneca *ep.* 123. Omnes jam fic peregrinantur, ut illos Numidarum præcurrat equitatus, ut agmen *curforum* antecedat. Martial. *l.* 3. *ep.* 100.

Curforem fexta tibi, Rufe, remifimus hora.

Horum creber curfus eos ad languorem fæpe dabat, adeo ut fuccifi poplites membra vix fuftinerent, quod fatis indicat illud Plautini in *Mercat.*

B *Genua hunc curforem deferunt.*

Hos divites adhibebant, qui indicarent per vias de lapidibus, ad quos offendere poffent, quod ipfum ex Luciano adducit Fung. *Etym.* p. 1071. *Lecticarii*, qui heros in geftatoriis fellis ferre folebant, homines robufti, quales Liburni, Syri, Germani, Schild. *Not. in Suet. Calig. c.* 58. Hi non folum Imperatoribus fuam operam, ut quidam volunt, miniftrabant, qualem præftiterunt Galbæ, licet non
C fatis fidelem, Tacit. l. 1. *Hift.* p. 426. & Salvio Otthoni, Suet. in *Vita* c. 6. fed etiam aliis civibus fui erant Lecticarii, vid. Cic. l. 4. *Ep. Fam.* & apud antiq. Scriptorem celeberrimum *Επειτα ἧκέ τις*, &c. Tandem venit ad Senatum quidam T. Latinus ægrotus lectica delatus, vir fenior, & fatis amplarum facultatum dominus, Dionyf. Halicar. l. 7. *Ant. R.* Tit. Latinum civem fuiffe, non Senatorem, patet ex fequentibus, uti Jup. Capitol. in fomno ipfi mandat, ut fuis civibus id annunciet, &c. Liv. ipfum de plebe hominem appellat *Dec.* 1. *l* 2. *c.* 30. Sed quid veritatem accendo, ut magis appareat nuda? Servi præterea alii erant receptitii,
D Gell. *l.* 17. *c.* 6. Actores, Prifc. *l.* 1. *c.* 1. Saltuarii, Pont. *Attic. B.* p. 718. Apolides, Alex. ab Alex. l. 3. *Gen. D.* c. 25. Fornacarii, Cæl. Rhodig. l. 25. *Antiq. Lect.* c. 23. Topiarii, Alex. *l. c.* Supellecticarii, Monetarii, Medici, Thom. Tolet. *R.* 63. *Digr.* 4. *mem.* 5. Et quis fervorum omnium officia recenfebit, *quorum fi nomina dicam, Icariæ numerum fcribere coner aquæ?*

CAP. II.

E Summaria.

Societas herilis quid. Herus quotuplex. Peculium quid? hoc fervis concedebatur. Heri poteftas in fervorum facultates, corpus, vitam. Furca. Paufícape. Servi litterati. Piftrinum. Damnati in rus, in metallum, & opus metalli. Crudelitas dominorum in fervos, cui frena injecta, ideoque Afyla inftituta funt. Miferrima fervitus.

I. SOcietas herilis, feu *κοινωνία δεσποτικὴ ἐστι ὁμιλία τοῦ δεσπότου καὶ δούλου φυσικὴ, τῆς σωτηρίας ἕνεκα, ἢ διὰ τὸ ζῆν*, *eft commercium inter domi-*
F *num & fervum naturale, ob confervationem, feu bene vivere.* Quemadmodum igitur alium natura, alium lege fervum effe fupra diximus; ita ex oppofitorum ratione alius natura dominus eft, alius lege. Natura dominus dicitur, qui mente poteft profpicere id quod alter corpore efficere debet, Arift. l. 1. *Polit.* c. 2. Lege dominus eft, qui bello, cui dominari poffit, acquifivit; aut bello captum certo pretio fuum fecit, Cellar. l. 1. *Polit.* c. 3. 1. In illius igitur dominus facultates jus habet, & poteftatem. Eft autem poteftas jus perfonæ in perfonam

quod vel imperium dicitur, in cives; vel patria potestas, in liberos; vel dominium, in servos. Hæc ipsa potestas jure gentium est, datque arbitrium domino in servos & disponendi licentiam de eorum rebus, quæ mox, ut acquisitæ sunt, cedunt & acquiruntur domino, cum servi nihil proprium habeant, & quæ possidentur, possidere ipsi non videantur, ut inquit Ant. Perez. l. 1. *Imp. Inst.* tit. 8. *Δοῦλοι γὰρ μὴ αὐτοῦ φύσει, ἀλλὰ ἄλλου*, servi enim non sunt sui natura, sed alterius, Arist. l. 2. *Pol.* 4. Hinc servus, quantus quantus est, domini sui est, bona nulla habere potest, & quicquid acquirit, domino suo acquirit, id quod citat ex JCt aliquo Phil. Catol. *Oecon.* 1. ideoque Thomæ definitur servus per instrumentum, Victorio per possessionem. Possessio nimirum tota pertinet ad dominum, quod eleganter & pulchre ostendit summus ille Stagyrites l. 1. *Pol.* c. 4.

II. Licet autem a servo, quæ paravit, omnia ad herum suum referantur, tamen nonnunquam dominus conniventibus oculis & æquitate jus strictum temperans *peculium* concedebat. Est autem peculium, quod dominus servum pro suo jure tractare patitur, ut inquit Isidor. *l.* 5. *Etym.* c. 15. seu, ut Casaubonus ex Celso *ad Suetonium* affert, est id, quod servus domini permissu separatum a dominicis rationibus habet. Plinius de servis suis: *Permitto servis quasi testamenta facere, eaque ut legitima custodio. Mandant, rogantque, quod visum. Pareo ocius. Suis dividunt, donant, relinquunt duntaxat intra domum*, &c. *lib.* 8. *ep.* 16. Apud Germanos servi etiam peculium sibi acquisiverunt, Alex. ab Alex. *l.* 3. *c.* 20. Quamquam sæpenumero de morositate dominorum & avaritia sit querendum, quod ipsum Terentianus ille Davus de populari suo Geta satis dolenter testatur in *Phorm.* act. 1. Sc. 1.

Quam inique, inquit, *comparatum est, ii, qui minus habent,*
Ut semper aliquid addant divitioribus
Quod ille unciatim vix demenso de suo,
Suum defraudans genium, comparsit miser,
Id illa universum abripiet, haud existimans,
Quanto labore partum.

Quid demensum fuerit, & quot modios frumenti servis in mense demensi sint Romani, scite exponit clariss. Jac. Kockert. in *Ind. Ter. s. Voc. Demensi*. Sed quæris, in quem finem servis peculium permiserit Antiquitas? nimirum, ut ita non solum promtiores alacrioresque fierent ad rem faciendam; verum etiam ut diligentiam suam hoc ipso testarentur, quales tandem evasuri essent, ad Reipublicæ & dominorum emolumentum promovendum. Hinc servos in usus heriles contulisse legimus, ut si filius duxisset uxorem, *Phorm. ib.* si hera peperisset, si dies natalis pueri celebraretur, &c. Hug. Grot. l. 3. *de J B. & P.* c. 14. §. 6. Peculio se mancipia in libertatem asserebant, ideoque cupiditate peculii nullam conditionem durissimæ servitutis recusarunt, Cic. *Paradox.* 5. p. m. 586. Ideo Seneca in *epist. Mancipia extremæ conditionis, & in his sordibus nata, exuere conantur servitium, peculiumque, quod compararunt ventre fraudato, pro capite numerant.* Hujus meminit Dionys. Hal. l. 4. *Antiq.* vid. Briss. *de Form. l.* 6. p. 559. Donat. *ad Ter. Phorm.* Lotich. *Comment. ad Petr. p.* 68.

III. Tametsi vero hoc peculio tanquam concesso aliquo privilegio uterentur, alia tamen onera & pœnæ ipsis erant perferendæ. Dominorum enim lubido 2. potestatem suam exercebat in servorum corpora, quod vel exinde patet, siquidem nequam & contumax servus, verba sunt Alex. ab Alex. l. 3. *G. D.* cap. 20 *plaustri lignum, cui affigebatur temo, in collo ferebat, & eo quasi jugo subactus manibus post terga revinctis, per ora omnium circumferebatur.* Furciferum hunc vocabant, Donat. *ad Andr. Ter.* 3. 5. Plutarch. in *Coriol.* Erat autem furca apud priscos Romanos duplex, *ignominiosa*, & *pœnalis*. Illa est, qua collo imposita servi circumduci solebant ob culpam aliquam ostentui & ad irrisum. Hinc Furcifer dicitur, qui ob leve delictum cogebatur a dominis ignominiæ magis quam supplicii causa furcam circa Urbem ferre, prædicans peccatum suum, ac monens cæteros, ne quid simile peccarent. *Pœnalis* ea fuit, qua item collo imposita circumducebantur, sed verberibus & pœnæ loco: atque adeo mors plerumque hanc consequebatur, vid. J. Lips. l. 3. *de Cruce* p. 352. Forte tale supplicii genus fuit, quo mane servum aliquem quidam paterfamilias nondum commisso spectaculo sub furca cæsum medio egerat Circo, vid. Liv. *l.* 2. *Dec.* 1. *c.* 36. Sed factum diis non placuit, consequentia prodigia recensent D. Hal. 7. *R. Antiq.* p. 473. Macrob. l. 2. *Satur.* c. 10. Liv. *l.* 2. *Dec.* 1. Alias dominorum in servorum corpus pœnas expetis? en vincti pedes & manus incedentes nonnunquam *Pausicape*, qua ori manus admovere prohibentur, opus faciebant, Alex. ab Alex. *l.* 3. *c.* 20. Pausicapen appellant machinulam servorum collo circumpositam orbicularemque, qua ori manus admovere prohibebantur, ne farinam vorarent, quod *κάπτειν* dicunt, intus dum operantur, Cæl. Rhod. l. 25. *Antiq. Lect.* c. 22. Eust. *Iliad.* l. 22. Multa videlicet in servos servasque exercebant nefanda. De Appio illo Claudio notum est, quem cum flagrans amor & cupido virginis plebejæ stuprandæ invaderet, cumque spem explendæ libidinis virgo illa pudore armata interficeret, ad vim animum convertens M. Claudio clienti negotium dedit, ut virginem in servitutem assereret, natamque servam confingeret; hoc enim si impetrasset Appius, rem fore salvam arbitrabatur, quia dominum servum sequi æquum esse adeoque sua in potestate teneri sciret, Liv. *Dec.* 1. *l.* 3. *c.* 44.

IV. Candenti lamina vel litteris frontes eorum & ora inurebantur, Alex. ab Alex. l. 3. *Gen. D.* c. 20. Hinc inscripti vultus, Plin. *l.* 18. *c.* 3. de quibus Ausonius *:

Ergo notas scripto tolerasti Pergame vultu.

Et Martialis †:

Quatuor inscripti portabant vile cadaver.

Bod. l. 1. *de Rep.* c. 5. quid sint servi *subverbusti* ex Plauto, vid. Henr. Salmuth *ad Panc. de Nov. Rep. tit.* 2. Qui nota tali insigniebantur, *litteratos* vocabant; Diog. Laert. *l.* 4. de Bionis Phil. patre ante servo: *ἔχων οὐ πρόσωπον, ἀλλὰ συγγραφὴν ἐπὶ τοῦ προσώπου τῆς τοῦ δεσπότου πικρίας σύμβολον.* Ita Samiorum populi describuntur *πολυγράμματοι* ab Aristophane, quod Græcum verbum eleganter expressit Petronius his verbis: *Implevit Eumolpus frontem utriusque ingentibus litteris, & notum fugitivorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit.* Hæ inscriptæ in frontem litteræ non atramento saltem rubro aut cœruleo pingebantur, ut vult Stellar. l. 1. *de Coron.* c. 14. sed face candenti inurebantur, Tolet. *de V. Martyr. F. J. c.* Pont. *Attic. Bell. Synt.* 4. *tit.* 28. 52. Cæl. Rhod. *l.* 7. *c.* 31. Apul. *de Asino aur.* lib. 9. Alex. ab Alex. *l.* 5. *c.* 28. Turn. *l.* 8. *c.* 22. Brod. *l.* 4. *c.* 24. Poteram hic adjungere de Paulo *stigmatizato*, quænam &

* Epigr 15 † Lib. 8. epigr. 75.

qualia ſtigmata habuerit, quæ ipſe nominat in cap. 6. *ad Galat.* v. 17. verum quia longum foret, mitto Lectorem ad clariſſ. & innumeræ lectionis virum Tolet. *lib. ſupr. ci ato*. Magna præterea onera ſervis imponebantur, ut cum eos in piſtrinum detruderent, de quo loco fatigationis & miſeriarum pleniſſimo cum omnium ferme loquantur libri, me tacere convenit, Phil. Carol. *ad Agell. l. 3. c. 3.* Multa apud Ter. & Plaut. occurrunt. Iſidor. *l.* 20. *c.* 8. Columel. l. 12. *R. Ruſt.* c. 50 Th. Dempſt. *ad Roſin.* l. 1. *Ant. R. c.* 14 In *ergaſtula* etiam detrudebantur, unde Seneca ait, *magnam rem ſine dubio fecerimus, ſi ſervum in ergaſtulum miſerimus*, l. 1. *de Ira*, & Lact. l. 5. *c.* 9. Eſt autem locus in quo vincti operantur, vid. Stell. 1. *de Cor.* c. 9. & Cic. *pro Rabir.*

Quid ſuadet juveni lætus ſtridore catenæ,
Quem mire afficiunt inſcripta ergaſtula, carcer
Ruſticus.

Juven. *Satyr.* 14. *v.* 23. vid. plura in Colum. l. 1. *de R. Ruſt* c. 5. Caſp. Barth. l. 34. *Animadverſ.* c. 9 In rus etiam ablegabantur ſervi, compedibuſque clauſi laborabant: Grumio Plautinus Tranioni, *Moſtell.* 1. 1.

Scis te in piſtrinum actutum tradi,
Augebis ruri numerum genus ferratile.

Forte huc Ovid. l. 1. *de Ponto* el. 7. reſpexit:

Hoc facit ut vivat foſſor quoque compede vinctus,
Liberaque a ferro crura futura putet.

In metallum denique, aut quod levius eſt, *in opus metalli* damnabantur, Tolet. *d. V. M. F. Ref.* 64 *membr.* ad Salm. *ad Pancir. R. Dep. tit.* 61. Cælius Rhodiginus verſiculos iſtos Martialis *,

Ductor ferreus inſularis, æque
Laternæ videar fricare cornu,

ad opus in ſubterraneis facientes transfert, qui teſte Plinio ad lucernarum lumen montes cuniculis per magna ſpatia excavarunt, alii vero ad Apolidas ſervos & inſulares ſpectaſſe Scriptorem dicunt, l. 25. *Lect. Antiq.* c. 20.

V. Sic in corpora mancipiorum ſæviebant, ſed utinam hic miſeriarum finis fuiſſet! 3. In *vitam* impune pro animi lubidine invehebantur, non perpendentes, quanti humana anima conſtet; ut enim faber inſtrumentum repudiat, projicitque, quando libuerit, ſic ſibi licere quod liberet, & famulantium ceu vivorum inſtrumentorum animam projicere ſe poſſe putarunt. Quare Cajus, apud omnes, inquit, gentes advertere poſſumus dominis in ſervos vitæ necisque poteſtatem fuiſſe, l. 1. *§.* 1. *de his qui ſunt ſui juris*. Lycurgus ante malo exemplo Romanis prævivit, qui dominis jus interficiendorum ſervorum dedit, Plut. in *Vita*, Heraclid. lib. *de Polit.* c. 2. Ejus ſententiam Seneca expreſſit: *Nulla*, inquit, *eſt perpeſſio, quæ non impune ſervis imponatur, nulla actio, quæ non quovis modo imperetur, aut extorqueatur, ita ut etiam ſævitia dominorum in ſerviles perſonas impunita ſit*, *Controv.* l. 1. c. 5 Huc pertinet illud Donati *ad Ter. Andr.* 1. 1 Quid non juſtum domino in ſervum! *Verberare ſervum ac vinculis & opere coercere, rarum; occidere ſolent, non diſciplina ac ſeveritate, ſed impetu ac ira, ut inimicum, niſi quod impune*, Tacitus *de mor. Germ.*

A c. 25. Ob hanc ſervilis ſanguinis vilitatem factum, ut, quoties contingeret, dominum a ſervo fuiſſe necatum, omnes reliqui ſervi, qui ſub eodem tecto fuiſſent, ad ſupplicium traherentur, Cic. *pro Roſc. Amer.* Nam cæſo Pediano Urbis Romæ Præfecto ſervi 400. ad ſupplicium trahi decreti ſunt, nulla numeri, ætatis, ſexus, & indubiæ aliorum innocentiæ habita ratione, Tacit. l. 14. *Annal.* c. 42. & 45. *Et ſervum quendam L. Quintus Flaminius exoratus in convivio a ſcorto, ut ſecuri feriret aliquem eorum, qui in vinculis eſſent, quo cœnaret jucundius, atque ſcorti gratiam in medio convivio peremit*, Cic. *Cat. Maj.* p. m. 549. Plut. in *Flam.* c. 32. Nec id

B prætereundum exiſtimo de fœda Vedii Pollionis in ſervum immanitate, qui ob fractum vitrum cryſtallinum murænis piſcibus in eſcam ceſſit, Seneca *de Ira* l. 3. c. 40. Dion. *l.* 54. Bodin. l. 1. *de Rep.* c. 36. Thallionis obitum narrat Suet. *Aug.* c. 67. Tibicinis alicujus miſeriem, id. *Tiber.* c. 44. Denique mancipia ad ſeram redacta ſenectam miſere tractabant; exemplo eſt Cato, qui ætate confectos ſervos tanquam inutilia pondera domo ejiciebat, Plut. in *Vita* c. 10 *Beatiores certe Athenienſium mulæ, Minervæ templo dicatæ, quæ, quod laborem plu-*

C *rimum toleraſſent, liberæ ad paſcendum dimittebantur.*

VI. Sed o iſtam Romanorum feritatem ob leviſſimas ſæpe cauſas adhibitam! Hanc zelo quodam notabili Romanus ille ſapiens Seneca *ep.* 47. reprehendit, quæ digna eſſet, ut tota adſcriberetur, Macrob. l. 1. *Saturn.* c. 10. Hug. Grot. l. 3. *de J. B. & P.* c 14. *§.* 2. 3. Sapientis Hebræi dictum eſt: *Si ſervum habeas, ut fratre utere, talis enim eſt, qualis tu*. Quo enim illa inhumanitas pertinet?

D *Si quis eum ſervum patinam qui tollere juſſus,*
Semeſos piſces, tepidumque ligurierat jus,
In cruce ſuffigat?

merito exclamamus cum illo Satyrico lib. 1. *Serm.* Satyr. 3. Diu autem inſana iſta & barbara in ſervos licentia conſiſtere non poterat, ut ſunt nulla violenta diuturna; ideoque æquitas illam ſuſtulit. Sævitiæ illorum frena injecit Nero, qui judices dedit, qui ſervorum querelas audirent, Seneca *l.* 3. *de Benef.* & Hadrianum quæſtionem decreviſſe legimus adverſus eos, qui ſine cauſa ſervos occidiſſent, Bodin. l. 1. *de Rep.* c. 36 tum Divi Pii conſti-

E tutionibus cavetur, ut in eum, qui occidiſſet ſervum ſuum, haud ſecus pœna diceretur, quam qui alienum necaſſet, Alex. ab Alex. l. 3. *Gen. D.* c. 20. ibique Tiraquel. Hebræa certe lege ſervo aut ſervæ non pro oculo tantum, ſed etiam pro dente per injuriam excuſſo libertas debebatur, *Exod.* 21. *v.* 26. 27. Æquitas præterea invenit, ut ſervi dominorum iracundia premente ad ſtatuas Deorum ac Principum confugerent, Bod. l. 1. *de Rep.* c. 37. Hinc Sueton. in *Tiber. Noviſſime calumniatus modo ad ſtatuam Auguſti, modo ad exercitus confugit*. Epheſi templum Dianæ id juris habuit, ut ad illud confugientes mancipio liberarentur. Romulus ante

F aſylum etiam aperuerat, ad quod accedentes impunitate donabantur, Virg. l 8. *Æneid.* & Ovid. l. 3. *Faſt.*

Romulus ut ſaxo lucum circumdedit alto,
Cuilibet, huc, dixit, confuge; tutus eris.

Aurel. Vict. *de V. Illuſt.* Macrob. l. 1. *Satur.* c. 6. Lact. *l.* 2. *c.* 7. Eutrop. *l.* 1. *c.* 4. Grot. l. 3. *de J. B. & P.* c. 14.

* De ſuo hoc addit Auctor, Cælius enim tantum citat carmen obſcœnum, quod eſt 32. in *Priap.* p. m. 41.

VII. Exinde oppido videmus, quam misera fuerit servitus. Habebant quidem & celebrabant mense Decembri Saturnalia & libertate fruebantur, Hor. *Serm.* l. 2. Satyr. 7. Hoc mense domini, Martio vero matronæ servis suis cœnas apponebant, Athen. *l.* 14. *c.* 17. suorumque servorum servi erant: Macrob. Luc. Accii versus adducit l. 1. *Saturn.* c. 7. Verumenimvero, *tristis voluptas, stabile gaudium!* reliquarum miseriarum cumuli hoc leve gaudii tempus facile supprimunt ac delent; quid enim servis miserius? quid magis calamitosum? adeo ut si ingratæ vitæ mora protrahatur, bis mori videantur. His mors vita & munus quoddam ac levamen dici poterat. Quapropter violentas sibi sæpe manus injecit eorum desperatio, & emori potius cum Catilina putarunt, *quam vitam miseram & inhonestam, ubi alienæ superbiæ ludibrio fuerint, per dedecus amittere*, Sallust. *Catil.* c. 20. Hoc jugum, ut quidam captivus in curru effugeret, inter vehendum caput eo usque demisit, donec radiis inserens cervicem in circuente rota frangeret, Philip. Carol. *ad Curt. Animadvers.* 3. Servitutem ideo *mortis imaginem* vocat Joh. Sarisb. *Polycr.* l. 7. c. 17. p. 469. & ipsi cum *pecudibus* ab Arnisæo comparantur lib. 1. *Pol.* c. 5. Miseriam & onera servorum Apelles cum depingere vellet, attribuit ipsis aures asininas, nares porcinas, manus omni instrumentorum genere refertas, humeros patulos, ventrem macilentum, pedes cervinos, labra duabus seris clausa, Cas. *ad l.* 1. *Pol. Arist. c.* 3. vid. plura hanc in rem facientia in Berneg. *ad Tacit. de Mor. Germ. quæst.* 134. Alex Sard. *l. de Gent. mor.* p. 34. Cæl. Rhodig. *l.* 7. *c.* 31. Hic quæri potest, an illa omnia secundum vel contra naturam eveniant homini? ℞. Contra naturam hominis fieri videntur. Si enim rem ab ovo & ratione originis consideremus, omnes in statu integritatis eramus liberi, nullius imperio subjecti, post lapsum etiam paternum illud regimen summa tranquillitate peragebatur. Postea vero Nimrodus potestatem, quam a Deo acceperat ad tuendum bonos, & malos coercendos, in tyrannidem vertit, &, quod Chrysostomus tom. 29. ait, abusus est naturæ privilegiis, servitudinemque invenit. In hac sententia plerique sunt Theologi & Doctores Ecclesiæ, quos citat Matth. *Theatr. Hist.* l. 1. p. 12 b. & non ratione tituli, sed ratione exercitii Tyrannum fuisse contendunt; hinc נמרד Nimrod derivant a מַר *amarus* & רדה *dominatus est*, quasi dicatur amarus dominator, quoniam amarum, hoc est, tyrannicum, erga subditos gessit imperium; & non tam feras quam homines venatus est, quod certe violentia quædam fuit, ideoque contra naturam servitutem induxit, quod ipse etiam JCT. Florent. l. 4. *de stat. hominis* comprobat, quia servitutem definit, quod sit constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur. Nec obstat, quod Chami posteritas damnata sit in servitutem fratrum, *Gen.* 6. Respondent pro me summi Theologi Ambrosius & Augustinus: *Nusquam*, inquit, *legimus servum prius, quam hoc vocabulo Noah peccatum sui filii vindicaret. Itaque illius culpa meruit, non natura*, l. 19. *de Civ. Dei* c. 15. Ambros. in *Serm. de Jejun.* Multa alia sunt, quæ objici possunt, sed ea disputationi subjicio.

CAP. III.

Summaria.

Multitudo servorum. Lectisternia. Lararia. Mulier non imperet. Boni patrisfamilias Idea: non nimis molliter, nec nimis rigorose servos tractet. Exinde enim sæpe servorum motus & seditio. Quædam ingenia liberaliter tractari volunt. Manumissio. Tres manumittendi modi.

QUanta apud Romanos servorum fuerit multitudo, nemini non exploratum esse potest. Nota est Crassi familia, Cic. *Paradox.* 4. Appius Herdonius 4000. exsulum & servorum conscripsit, Liv. *l.* 3. Seneca l. 7. *de Benef.* c. 10. Lipsius l. 2. *magn. Rom.* c. 15. Idem *ad Tacit. l.* 3. *Annal. c.* 53. Hanc belluam multorum capitum bene regere, ne excussis servitii vinculis rebellarent, magnum profecto & arduum opus fuit, Jac. Mart. l. 1. *Polit.* c. 9. Quod si enim potentiam suam nossent, quantilla opera poterant dominis imperium eripere, unde caute intercessit Senator quidam Romanus Senatusconsulto de distinguendis ordinibus per vestitum, ne, si multitudinem suam viderent servi, contra dominos insurgerent, Bodin. l. 1. *de Rep.* c. 5. Quapropter ante omnia patrifamilias videndum, ut bono exemplo suis præluceat. *Nam, si falsa est regula prima, omnia mendose fieri & distorta necesse est*, Lucret. *l.* 4. Qualis Rex, talis grex, qualis dominus, talis servus. Hinc quidam Philosophus *servos herorum umbras* vocitabat; ut enim umbræ figuras corporis, ita hi dominorum mores adumbrant, si corpus itaque curvum, frustra rectam umbram jacere laborabis, Engelgraff. *in Luc. Evang. Rom.* 6. *post Pascha embl.* 28. Ergo 1. in cultu sacro ut adsuefiant servi & familia tota, videat; quem cum alii inculcent, nolo prolixus esse, Romanorum saltem cultum attingam, qui fuit duplex, aut *publicus*, aut *privatus*. Ad illum pertinebant supplicationes & lectisternia sacra, scilicet convivia. Ejusmodi epulæ appellantur pulvinaria deorum a Cic. 4. *Tuscul.* ad quæ celebranda tota civitas accedebat, Alex. ab Alex. *l.* 5. *c.* 27. Paucis omnia ferme complexus sum in *Rud. Latii Exerc.* 3. *c.* 2. *Lectisternium primum ob pestilentiam factum fuit; id epulum erat diis sacrum, quod a Triumviris, Septemviris Epulonum indicebatur, ut supplicatum ad deorum pulvinaria procedere, populus ibique decumbens epularetur.* Alios in divinis adhibitos cultus præbent, Lazius *de Rep. Rom.* l. XI. c. 1. 4. 5. Philipp. Car. l. 1. *Antiq. Eccles.* c. 6. Tiraq. *ad Alex. ab Alex. l.* 5. *c.* 27. ut & ego l. 2. *Dier. Intercis.* Ad *privatum* cultum sacrum, quæ domi peragebantur, præcipua erant sacra *Lararia*. Inde vero suam originem traxisse putantur, quia locum eum religiosum fecerunt, qui defunctum cadaver & cineres contineret. Jam vero primis temporibus intra suas quisque ædes defossa cadavera habebat, unde postea Lares in singulis domibus colendi religio pervasit, Alex. ab Alex *l.* 6. *c.* 14. Nec solum deorum, sed illustrium virorum imagines in Larario celebrabant, Festus. His Laribus pueri mactabantur, quod tamen abrogabat Brutus, & alli & papaveris capita celebrari voluit, Alex. *l. c.* Hi dii vocabantur Antistites, Præstites, Ovid. *l.* 5. *Fast.* Præsides, Plutarch. *Probl.* c. 51. Dii Domestici, Ter-

tull. *Apoll.* c. 13. Hos coronabant, Tibull. *l.* 2. *eleg.* 1. illisque in foco, ara deorum Penatium, porcum immolabant, Hor. *l.* 2. *Sat.* 3. Had. Junius *Animadverſ.* l. 4. c. 7. primitias ciborum illis libabant, Alex. *l.* 5. *c.* 21. Philipp. Carol. l. 4. *Antiq. Eccleſ.* c. 7. ſed in his nolumus immorari longius, ad patremfamilias revertimur.

II. Hic ante omnia ſit vigil Argus, & imitetur ſtellam Heſperum, quæ mane, antequam Sol ipſe ſurgit, præcedit, & cum jam occiderit, tanquam pediſſequa ſequitur: quam vigilantiam ipſe approbat Philoſophus, dum excitari de ſomno prius docet, quam familiam, & poſterius cubitum ire debere contendit, l. 1. *Oecon.* c. 5. & 6. Ipſe etiam ſi recte omnia curata velit, quæ domi gerantur, inſpiciat, monente Columel. l. 3. cap. 1. *namque minus furem metuunt, quæ ſæpe videntur*, ut inquit Muretus, vid. Ariſt. l. 1. *de Cura rei fam.* c. 6. Colum. *l.* 1. *c.* 1. & 4. *c.* 4. quæ niſi accurate ab hero obſerventur, idem contingit, quod Jupiter apud Plaut. in *Amphitr.* Act. 1. Sc. 3. dicit:

Ubi ſummus Imperator non adeſt ad exercitum,
Citius quod non facto uſus eſt, fit, quam quod facto opus eſt.

Et Flac. l. 1. ep. 6. ℣. 45.

Tunc exilis domus eſt, ubi non & multa ſuperſunt,
Et dominum fallunt, & proſunt furibus.

Ad diſciplinam domeſticam porro quod attinet, tria ſervo conferenda *Siracides* 33. 25. proponit, quæ ſunt ἄρτος, καὶ παιδεία, καὶ ἔργα, *panis, & diſciplina, & opera.* De operibus ſervo præſtandis non multum ſolliciti ſumus, de alimento & diſciplina loquemur: igitur δούλῳ μισθὸς τροφὴ ſervo pro mercede alimenta danda ſunt, Ariſt. l. 1. *Oecon.* 5. Non ſervis male præcipiunt, qui ita jubent uti, ut mercenariis, operam exigendam, juſta præbenda, Cic. l. 1. *Off.* c. 13. Eſt aliquid quod dominus præſtare debeat ſervo, ut cibaria, veſtiarium, Sen. l. 3. *de Benef.* c. 21. Caſ. *ad Oecon. Ariſt. l.* 1. *c.* 5. Damnatur ab Hiſtoricis Siculorum crudelitas, qui captivos Athenienſes fame necarunt, Thucyd. *l.* 7. Diod. *l.* 32. Nota eſt Catonis importunitas, Plutarch. in *ejus Vita*. Sed audi aureum illum Chryſoſtomum *ad Ephеſ. v.* 2. differentem ὅταν ἕτος, &c. Ubi ille corporis miniſteria exhibet, tu eum alere & curare debes, ut præter victum habeat, quod induat, quo calceitur, &c. Grot. l. 3. *J. B. & P.* c. 14. Diſciplinam paterfamilias non committat mulieri, quæ tamen imperare ſemper deſiderat, Pet. Toloz. l. 7. *de Rep.* cap. XI. Juvenal. *Satyr.* 6. quia, ut Menander ait, γυναικὶ ἄρχειν οὐ δίδωσιν ἡ φύσις, *fœminæ non dedit natura imperium.* Ratio patet, quia eſt imbecillis animi; quare etiam נשים mulieres ab oblivione dictæ, quod minus memoria valeant, ſeu, quod in illis oblivioni detur & exſtinguatur paterna familia, Buxtorf. *Lex.* p. 491. & 188. Cicero, mulieres omnes, inquit, propter imbecillitatem conſilii majores in tutorum poteſtate eſſe voluerunt, *pro Muræna Orat.* 23. p. m. 479. imo nullam rem privatam illis committere voluerunt, teſte M. Porc. Catone. Eraſmus earum imbecillitatem eleganter in ſapienti ſua ſtultitia depinxit: Nam quod Plato, ait, dubitare videtur, utro in genere ponat mulierem rationalium animantium, an brutorum, nihil aliud voluit, quam inſignem ejus ſexus ſtultitiam indicare, &c. in *Moria* p. 64. & ſeq. Probus porro Oeconomus det operam, ne nimis molliter & familiariter ſervitia tractet, quippe animus eorum, ut eſt ingenium omnium hominum a labore proclive ad libidinem, facile langueſcit, & ad labores ſuſtinendos difficilis redditur:

—— Non habeat ſuos
Laxe nec nimium molliter, ut bonus
Dux virtute ſua militis utitur,
Indicitque operas, atque vigil cavet,
Ne marcore ſitum pectora contrahant

Hug. Grot. Trag. *Sophomp.* act. 1. Eam ob cauſam Perſæ olim vinum ſervis negarunt, Ariſt. *l. c.* Nec nimis familiariter cum ſervis herus verſetur; optima verba Cælii Rhodigini: Allocutio cum ſervis quodammodo ſit imperium, neque jocus ullus cum illis habeatur. Quod multi ſtulti facientes, dum delicatius eos nutriunt, blandiſſimeque alloquuntur, difficiliorem vitam & ſibi ad imperium & illis ad obediendum reddunt, &c. lib. 25. *Lect. Antiq.* c. 21.

III. E contrario vero multos dominos reperias, qui mollem illam diſciplinam fugientes in contraria & tyrannicum imperium curant. Ut vero iſtos rejicimus, ſic hos etiam nulla ratione probamus. In Conſtitutionibus, quæ Clementi Rom. adſcribi ſolent, legitur *l.* 7. *c.* 14. οὐκ ἐπιτάξεις δούλῳ σου, ἢ παιδίσκῃ ἐν πικρίᾳ ψυχῆς, *cave, ſervo, aut ancillæ imperes acerbo animo*: & *Deut.* 15. 17. Venuſte de his Philo Judæus diſſerit *de ſpecial. leg.* & Seneca, *numquid æquum eſt, gravius homini, aut durius imperari, quam imperatur animalibus mutis; atqui equum non crebris verberibus exterret dominandi peritus magiſter. Fiet enim formidoloſus & contumax.* Sed apud Romanos multos omnis miſericordia emortua erat, petulantemque animum & in ſævitiam pronum in ſervos effundebant. Exempla ſupra allata ſunt. Itaque iſta crudelitas quid peperit? quid boni produxit? ſervos ſibi hoſtes faciebat, dum Regum induebant animos, omnia ſibi licere putantium. Hinc iſtud jactatur proverbium: Totidem hoſtes, quot ſervi. Hi dominos, domini illos timebant, quia neceſſe eſt multos timere, quem multi timeant; nec poteſt amor cum timore miſceri, ideoque domini eos militare noluerunt, Salmuth *ad Panciroll.* p. 334. Grot. *l. c.* Pontan. *Attic. Bell.* pag. 767. Cæl. Rhod. *lib. c.* p. 1414. Sæpius tamen ſeditiones moverunt, tacite ſecum dicentes, Flectere ſi nequeo dominos, fera bella movebo: Ergo, qua data porta ſeditionum, ruebant; facillimeque eos ad ſua caſtra pellexit calliditiſſimus Catilina, Salluſt. *Catil.* c. 37. Servilia bella recenſet Flor. *l.* 3. *c.* 12. De Tyriorum ſervis rebellibus vid. Juſt. *l.* 18. *c.* 3. & ibi Berneg. in *Not.* p. m. 297. Hinc Appius Herdonius Sabinus collectis multis millibus ſervorum civitati maximum injecerat timorem, quæ verebatur *ne ſuus cuique domi hoſtis eſſet, cui nec credere, nec non credendo, ne fieret infeſtior, fidem abrogare ſatis tutum erat.* Conſule Berneg. *in Tacit. quæſt.* 134. Rupert. *in Flor. l.* 3. *c.* 19. Arniſ. *Polit.* l. 1. c. 3. Unum adjicio memorabile ſervilis vindictæ exemplum. Servus cum acerbius tractaretur, domino abſente oſtia concludens uxorem & liberos comprehendit, ubi dominum redeuntem cernit, unum præcipitem dat, mox alterum. Pater conſternatus rogat, ut tertium vivum ſervet; Servus paciſcitur ſalutem filii ea lege, ut dominus ſibi ipſi nares præcidat. Illis ex pacto amputatis, ſervus, cum tanta clade herum ſuum ultus eſſet, tertium quoque, poſtea ſeipſum dejecit, Bodin. l. 1. *de Rep.* c. 5.

IV. Ex his patet melius eſſe leniorem in ſervis regendis viam ſequi. Cui enim juſta & clemens

fuit ſervitus, illi amor & fides in herum ſuum innaſcebatur: *Dedit aliquis domino ſuo vitam, ſervavit periturum, & hoc, ſi parum eſt, pereundo ſervavit*, Seneca. Urbinii Panopionis ſervus, cum aliquos ad occidendum cognoviſſet, commutata cum domino veſte, mutatoque annulo ſe in cubiculo ut Panopionem occidi paſſus eſt, Val. Max. *l.* 6. *c.* 8. Quid memorem de Medico Domitii ſervo, de Cæpionis, de aliorum ſervis, de quibus legantur, Seneca l. 3. *Benef.* c. 23. &c. Valer. Max. *l.* 8. *c.* 4. Camer. Cent. 1. *Hor. Subc.* c. 5. qui acceptorum beneficiorum memores reddiderunt beneficium, imo auxerunt. Obſervet etiam herus, ut inter ſtupidos & liberalioris ingenii homines diſcrimen faciat; non enim ſecundum effatum Mœonidis*, *ἥμισυ τῆς ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεὺς ἀνέρος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλησι*, *Jupiter omnibus dimidium mentis abſtulit, qui ſervitutem ſerviunt*. Lydii ſervum quendam in Regem elegerunt, Heracl. in lib. *de Polit. Cumæor.* Multos Philoſophos, Diogenem, Epictetum, &c. ſervos numeramus, Macr. l. 1. *Sat.* cap. 11. Gell. *l.* 2. *c.* 18. Volunt hæc & talia ingenia liberaliter tractari, ſimilia plantæ ocimi, quæ leviter & ſuaviter contrectata odorem ſpargit, attrita vero non ſolum perdit, ſed etiam ſcorpiones generat, Auguſt. Juſtinin. *Genuenſ. Hiſt* l. 6. Notatu dignum eſt, quod obſervavi in Plut. *Apophth. Laconicis* de puero Spartano, qui ab Antigono Rege venditus in cæteris domino bene ſerviit, matulam autem porrigere noluit; cum inſtaret herus, puer conſcenſo tecto dixit, *Senties, cujuſmodi mercatum feceris*: mox ſe præcipitem dedit. De Poſthumi Agrippæ ſervo generoſo, Tac. l. 2. *Annal.*

V. Videamus præmia, quæ ſervis domini propter amorem in ſe & fidelitatem præſtabant. Varia erant, nulla autem majora dari poterant, quam ſi pileo collato in libertatem aſſererentur, quod vel ex Ter. *Andr.* liquet, ubi Simo ad Soſiam:

Feci e ſervo, ut eſſes libertus mihi,
Propterea quod ſerviebas liberaliter;
Quod habui ſummum pretium perſolvi tibi.

Act. 1. *Sc.* 1. Plaut. *Pœnul.* 1. 1. Et ſane æquum erat, quod poſt tot exantlatos labores præmia illis conferrent. In hoc laudanda benignitas legis Hebrææ, quæ ſervum certo tempore exacto manumitti omnino jubet, nec ſine donis, Grot. l. 3. *J. B. P.* c. 14. §. 6. Et Cicero non libertate ſolum, ſed etiam omnibus præmiis digniſſimos ſervos judicat, qui domini caput defenderunt, *pro Milon* c. 22. Ad hanc libertatem aſſequendam nullum refugiebant ſervi laborem: huc vota, huc omnia eorum ſuſpiria tendebant. Hinc capillos radere erant ſoliti, ut eo quaſi ſymbolo tempeſtatem ſervitutis viderentur aufugiſſe, ſicut naufragio liberati ſolent, Juvenal. *Satyr.* tantumque gaudii illa manumiſſio præbuit, ut tota urbe diſcurrerent, Eraſm. *Chil.* 2. *Cent.* 1. *Prov.* 27. de quo manumittendi modo cum ſæpe apud claſſicos Auctores occurrat, lubet eum penitius inſpicere. Atque ut a nominis derivatione incipiamus, deſcendere putant a manu, (aliam tamen in num. ſeq. vide) quæ vox inter alia ſignificata etiam poteſtatem denotat: Perot. exempla adducit, *Corn. Copiæ* p. 468. & Auguſt. l. *de Leg. & Senat. Conſ.* p. 170. ex Gellio *l.* 4. *c.* 6. Inde teſte Ulpiano manumiſſio dicta eſt datio libertatis.

VI. In manumiſſione autem ſervi vertebantur, circumagebantur, circumducebantur; unde vertigo, circumactio, circumductio apud Auctores, Pont. *A. B. Synt.* 4. *tit.* 35. Fuit enim antiqui moris, ut, qui ex ſervitute in libertatem vocabantur, cum domino ad Prætorem itarent, Liv. *Dec.* 1. *l.* 2. cumque ad Prætorem perveniſſent, dominus, qui manumittere ſervum volebat, caput ſervi aut aliud membrum tenens, ita diceret, *Hunc hominem liberum eſſe volo*: & emittebat eum ex manu. Tum Prætor vindicta, id eſt, virgula, capiti ſervi impoſita ita ſubjiciebat, *Dico eum liberum eſſe more Quiritium*: aut etiam lictor accepta a Prætore vindicta, aut feſtuca in eum jacta, cum eum vertiſſet dominus, Prætoris juſſu caput percutiebat, vid. Juvenal. *Sat.* 5. Carol. Sig. l. 1. *de Judic.* c. 13. Alex. ab Alex. *l.* 4. *c.* 10. Jacob. Rævardus *l.* 4. *c.* 9. Aug. Polit. l. *Miſcell.* c 98. Anton. Cuj. l. 2. *Lect.* c. 9. Jacob. Cujac. *l.* 5. *c.* 13. Stell. l. 1. *de Coron.* c. 14. Obſerva quoque dum vindicaria virgula ſervos manumittebant, aliam adhibuiſſe ceremoniam; nam cum manumittebant eos, colaphum impingere ſoliti fuerunt, atque ideo fortaſſe origo manumiſſionis fluxit, quaſi palma & alapa mittere; ſic enim interpretatur Iſidor. *l.* 9. *c.* 12. & Cornutus *in Perſium*; quoties manumittebant, inquit, eos alapa percuſſa circumagebant, & liberos confirmabant, unde manumiſſio dicta eſt, eo quod manus eis immitteretur, Claud. *Conſ.* 4. *Honor. Imper.*

Triſtis conditio pulſata fronte recedit
In civem, rubuere genæ, tergoque removit
Verbera.

Tolet. l. *de V. Martyr. F. l. c.* Roſin. l. 1. *Antiq. Roman.* cap. 20. Quibus rite peractis nomen manumiſſi in acta referebatur adjecta cauſa manumiſſionis, Boeth. in *Topic.* Feſtus *l.* XI. Nota alias formulas, quibus ſervi liberi proclamarentur, nimirum has, *Liber eſto*. Plaut. *Menæch.* 5. 7. Ter. *Adelph.* 5. 9. item, *Abito quo voles*, ſeu, *Nil te moror*, Plaut. *Stich.* 3. *v.* 23. Philipp. Carol. *Oecon.* cap. 5. 11. Hi ſervi jam manumiſſi pileum etiam libertatis inſigne geſtabant; hinc iſtud Plautinum:

Quod ille faciat Jupiter,
Ut ego hodie raſo capite calvus capiam pileum.

Amph. 1. 1. in quod conſpirat Plut. in *Flamin.* *ἔτοι γὰρ ἄνδρες, καθάπερ ἦθος ἐςὶ, ὅταν ἐλευθερωθῶσι, ξύρεσθαι τὰς κεφαλὰς καὶ πιλία φέρειν.* Unde etiam proverbium ad Pileum vocare, ſeu vocari, Schil. *ad Suet. Neron. c.* 4. Philipp. Carol. *ad Gell. l.* 7. *c.* 4. Sed ubi pilea ſumebant? in Feronæ (quæ dea libertorum) templo, Servius *in* 8. *Æneid.* Copioſiora deſideras? adi Tiraq. *ad Alex. l.* 4. *c.* 10. Antiquam pilei formam depingit Salmuth *ad Panciroll. de R. Deperd. tit.* 44.

VII. Tribus autem modis ſervos manumitti, quæ manumiſſio civilis dicebatur, in Antiquitate animadvertimus. Namque civitas Romana, ut Cic. in *Topicis* ſcribit, tum competebat ſervis, cum cenſu, aut vindicta, aut teſtamento liberi fierent. *Cenſu*, quod Servius Tullius VI. Romanorum Rex inſtituit, nempe ut Severinus loquitur, ſi conſenſu domini ſervi nomen in cenſum delatum eſſet, referente Auguſt. *l. de Leg. & Senat. Conſ.* pag. 92. quod ipſum videre eſt in Dionyſ. Halicar. *l.* 1. *Antiq. R.* pag. 226. aut, ut Ulpianus aſſerit, ſi in peculio centum habeant, &c. Roſin. *l.* 1. *cap.* 20. 2. vindicta, de qua ſupra 3. teſtamento, qui per id dominorum conſenſu liberi fiebant. Certus autem numerus lege Fuſia Caninia ponebatur, quo cavebant, ne nimium excreſceret, Auguſt. *l. c.* Qui tali teſtamento manumiſſi erant, omnes defuncti domini funus pileati antecedebant, Salmuth *ad Panciroll. de R. Dep.*

* Homer. *Odyſſ.* P. ℣. 322.

l. 44. imo ipsum portabant, quod colligitur ex Persii versibus *Satyr.* 3. v. 103. ibique Schrevel. polite ad ista verba commentantem. In hos dominos maxime invehitur Dion. Halicar. quia multi ex illis erant malefici, adeoque impura civitatis membra, l. 4. *Antiq. Rom.* p. 228. Addunt Jureconsulti alios tres modos aliquem liberum faciendi, nimirum inter amicos, per mensam, & per epistolam. Manumissionem inter amicos appellant, quando quis in præsentia amicorum libertatem nanciscitur. Per mensam, cum libertatis dandæ gratia servum conviviis adhibent. Per epistolam, quando servus aliis in locis degens certior a domino redditur, ut liber vivat, Rof. l. 1. *A. R.* cap. 20. Hi minorem libertatem consequebantur, & ex lege Junia Norbana dicebantur *Latini Juniani*. Latinorum enim legitimæ successiones nullæ penitus erant, quia licet ut liberi vitam suam peragebant, attamen ipso ultimo spiritu simul libertatem amittebant, & quasi servorum bona ex lege Junia Norbana manumissores detinebant, Augustin. *l. de leg. & Senat. Conf.* p. 94. Tres vero modi superiores plena libertate gaudebant, vid. Alex. ab Alex. *l.* 4. *c.* 10. Exinde duplex nascebatur forma libertatis, quam recenset Lipsius *ad Tacit.* una justa, altera non justa, seu una juridica, altera privata. De justa vid. Suet. *Aug.* c. 40. De privata, Tacit. l. 13. *Annal.* Et hæc de manumissione Romana. Progrediamur Deo duce ad Romanorum convivia, & quomodo se in hisce gesserint, videamus.

C A P. IV.

Summaria.

Convivia unde. Ante convivium se in balneum conferebant. Cœnatoriam vestem induebant, soleas demebant. Unguenta, coronæ dabantur. Triclinium. Mensæ. Sigma. Convivarum numerus. Sero venientes. Convivium postea a precatione sumebatur. Convivarum accubitus. Ab ovis, postea a lactuca initium cœnandi capiebant. Rex convivii. Majorum frugalitas, recentium luxuria in cœnando. Musica interea resonabat. Pocula varia. Modus potandi. Post convivium compotationes. Christi cum Discipulis accubitus.

I. Cum integri libri exstent, qui doceant, quomodo paterfamilias domum instruere debeat, operæ pretium non duco huc ea adjicere; legatur Cardan. *Arcan. Polit.* c. 37. & seq. & alii. Nos saltem, quæ ad veterum Romanorum convivia spectarint, enarrabimus. Ad quæ adeunda unumquemque Lectorum vocatum cupio, æqui bonique consulturos sperans, licet non tam magnificas opipararum cœnarum suavitates, quam aliquem Latinorum conviviorum ectypum ero appositurus. Si quis ergo antiquam Romanæ familiæ administrationem consideret, matrem quandam bonæ frugalitatis deprehendet; Sin vero subsecutorum temporum mores, pronamque in conquirendis gulæ deliciis luxuriam inspiciat, discincti cujusdam nepotis imaginem videbit. Dum autem de conviviis aliquid in medium proferre conor, considerabo 1. quæ ante convivium, 2. in convivio, & 3. post convivium gesta sunt, si modo ejus nomen explicavero. Elegans igitur est derivatio, & longe melius quam Græcorum nomen, quo convivium exprimunt. Hi enim a compotatione, commessatione, isti a vivere, convivere deducunt. Bene majores nostri, inquit Tullius, accubationem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, convivium nominarunt melius quam Græci, qui συμπόσιον, ϗ σύνδειπνον nominant, *Cat. Maj.* p. m. 550. Saresb. *Polyc.* l. 1. c. 6. Utinam hoc observassent Quirites, & secundum convivii nomen convivia instituissent, longius fortasse res eorum durasset! verum dum luxuria & superbia hostes perniciosissimi, & ægræ imo morientis civitatis indicia crescerent, majestas & nomen Romanorum retro sublapsum paulatim etiam exstinctum est.

II. Ante convivium Romani tum *publice in publicis balneis*, Varro l. 8. *de L. Lat.* tum *privatim* apud convivii dominum lavabantur, quod vale- B tudinis conservandæ, voluptatis capiendæ, sordium abluendarum & lassitudinis eximendæ causa fiebat. De his concinne Hieronym. Mercur. l. *Gymnas.* c. 10. Hora octava æstate, hieme nona se lavabant, Plin. l. 3. *ep.* 1. Cic. l. 13. *ad Attic.* Nunciat octavam, &c. Mart. *l.* 10. Hadrianus referente Spartiano ante horam octavam neminem nisi ægrum lavari voluit, Alex. ab Alex. Ipsa vero lavandi hora sonitu tintinnabuli indicabatur, quod colligitur ex Martialis disticho, *lib.* 14. *epigr.* 163.

C *Redde pilam, sonat æs thermarum, ludere pergis?*
Virgine vis sola lotus abire domum?

Loti accubabant. Ideoque Cicero *Orat. pro Dejot. Hut te e balneo, priusquam accumberes, ducere volebat*; & Plautus *Amphitr. Lavasti*. Amph. *quid postquam lavi*. Alcm. *accubuisti, cœnasti mecum in eodem lecto*. Antequam vero accumberent, vestem mutabant, & cœnatoriam seu convivalem vestem sumebant, quam cœnatoria dixerunt. *Cœnatoria repetimus, & in proximam cellam ducti sumus, in qua tres lecti strati erant*, Petr. Arbit. Philipp. Carol. *Oecon.* c. 7. Soleas etiam pedibus D demebant, ne lectum conspurcarent. Ita intelligendus est Plaut. in *Truc.*

Jam rediit animus; deme soleas: cedo, vinum.

Mart. l. 5. *Epigr. Deposui soleas, &c.* & Nasidienus apud Horatium, cum e convivio abire vellet, soleas, quas deposuerat, poposcit, *l.* 2. *Satyr.* 8. Accurrunt servi, &c. *Ter. Heaut.* 1. Sc. 1. In marmore Bibliothecæ Farnesianæ hæc conspiciuntur, Fulv. Ursin. *ad Ciacc. Tricl. p.* 120. Manus & pedes, si in balneo non fuissent, lavabant, E Philip. Car. *Oecon.* c. 7. Sen. *Contr.* xx. Unguenta deinde dabantur manibus pedibusque, Mart. *l.* 3. *ep.* 12. Tibull. *l.* 2. *eleg.* 2. Ursin. *l. c.* Coronabant etiam caput, collum, &c. Pont. *Attic. Bell. Synt.* 4. *rit.* 215. Ovid. l. 5. *Fastor.* Concise & apposite Martial. *l.* 2. *epig.* 59.

Frange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo.

Ægyptii quoque ad coronas aviculas, quæ Δακνάδες nominabantur, devinciebant, quarum & cantu assiduo, & crebris rostri unguiumque puncturis efficeretur, ne ipsi inter potandum obdor- F mirent, Perott. *ad Martial. p.* 994. Uberiora petantur ex Alex. ab Alex. *l.* 5. *c.* 21. ibique Tiraq. Dubium occurrit de coronis floribus contextis, & miror, quod Alex. Sardus *l.* 1. *de morib. & rit. Gent.* c. 22. p. 64. ponat, & asserat, floribus omnibus Romanos coronatos fuisse, excepto apio, mortuis dicato: sed memini, me in nostro Horatio legisse, quod apium in convivio Romani adhibuerint; quorsum enim ista verba tendunt? quæ habet *l.* 1. *od.* 36.

Neu desint epulis rosæ,
Neu vivax apium, neu breve lilium.

Et *l.* 2. *od.* 7.

——funde capacibus
Unguenta de conchis: quis udo
Deproperare apio coronas,
Curatve myrto?

Ista verba, inquam, nusquam alio tendunt, quam ut apium cœnis adhibitum fuisse ostendant. In meam sententiam conspirat Joh. Bond, felicissimus Horatii Commentator; Acron etiam subnectit rationem, quia ebrietatem fugat, *l.* 4. *od.* 11.

III. His peractis triclinium stratum erat, in quod se convivæ conjiciebant. Est autem triclinium cœnaculum a tribus lectis discumbentium dictum: apud Veteres enim in loco, ubi convivii apparatus exponebatur, tres lectuli strati erant, in quibus discumbentes epulabantur. Κλίνη enim lectus vel accubitus dicitur, ex quo confectum est triclinium, Isid. l. 15. *Etym.* c. 3. A Græcis οἶκος dicebatur, & a numero lectorum, qui in eo sterni poterant, οἶκος τρίκλινος, πεντάκλινος, &c. appellabatur. In his tricliniis Veteres sedentes primum cœnare solebant, a Laconibus & Cretensibus hunc morem accipientes, Rosin. *l.* 5. *c.* 28. Apud Veteres, ait Isidor. non erat usus accumbendi, unde & considere dicebantur, *l.* 20. c. 11.

Perpetuis soliti patres considere mensis.

Virg. *Æneid.* 7. Postea vero, ut Varro ait. viri discumbere cœperunt, mulieres sedere, quia turpis visus est in muliere accubitus, Val. Max. *l.* 2. *c.* 1. Atque id fortasse exemplo Græcorum, apud quos hoc turpe erat, Ursin. *ad Ciacc.* Subsecutis temporibus mulieres quoque viris accumbere cœperunt. Testis est Cicero, in cujus convivio Cytheris accubuit, *ad Famil.* l. 9. epist. 26. Accumbebat summo toro maritus Psychen gremio suo amplexus, Apul. l. 6. *Milesf.*

Cum premet ille torum, vultu comes ipsa modesto
Ibis ut e accumbas,

Ovidius lib. 1. *Trist.* eleg. 4. Pueros etiam adhibebant, qui ad fulcra lectorum sedentes vescebantur, Just. Lipf. *ad Tac. l.* 13. *Annal. pag.* 218. Hi triclinares lecti culcitis, herba, pluma, aut tomento fartis sternebantur; culcitæ vero, quia ex tortis herbis fiebant, tori sunt appellati, Varr. l. 2. *de Vit. Pop. R.* His culcitis seu pulvinis pelles antiquitus injiciebantur, hinc istud Ovidii:

Qui poterat pelles addere, dives erat.

His pellibus loco stragularum usus Cato est, Val. Max. *l.* 4. *c.* 3. Idem fecit Tubero in exemplum frugalitatis, Seneca *ep.* 45. quanquam isto tempore florebant stragulæ vestes, quæ Peristromata vocabantur. Hæc erant purpurea, Virg. l. 1. *Æneid.* textili opere fabrefacta, Cic. *Tusc.* 5. acu picta, &c. Tricliniorum materia varia erat, quædam ex ebore, Stat. l. 3. *Sylv.* 1. quædam testudinea, Clem. Alex. *Pædag.* l. 2. c. 4. In hæc Seneca invehitur l. 7. *de Ben.* c. 9. Alia citrea, Perf. *Sat.* 1. Posteaquam vero mensæ citreæ, quæ rotundæ erant, in maximo pretio esse cœperant, adeo, ut earum pretium auro appenderent, Alex. ab Alex. *Gen. Dier.* l. 5. c. 21. pro tribus lectis *stibadium* faciebant, quod a similitudine τῦ *Sigma* litteræ Græcæ, quæ hac forma scribebatur C. Sigma appellarunt. Apulejus semirotundum suggestum vocat *l.* 5. Heliogabalus de croco Sigma stravit, cum summos viros rogasset ad prandium pro eorum dignitate se fœnum exhibere dicens, Lampr. in *ejus Vita.* Hæc stibadia a numero hominum, quos capiebant, nomina accipiebant, ut Hexaclina, Heptaclina, Octoclina dicerentur. Mart. *l.* 9. *ep.* 60.

Et testudineum mensus quater Hexaclinon.

Et *lib.* 10. *ep.* 48.

Septem Sigma capit, sex sumus, adde Lupum.

Ac *lib.* 14. *ep.* 87.

Accipe lunata scriptum testudine Sigma,
Octo capit, veniat, quisquis amicus erit.

Stibadium Romæ inventum tradit Fulv. Ursin. *Append. ad Ciac. Tricl. p.* 129. Multa hic dicenda essent de humilibus, de altis lectis, &c. sed cogimur esse breves.

IV. A tricliniis ad mensas. Antiqui ex ulvis palustribus mensas conficiebant, id quod ex Tibullo didicimus *l.* 2. *el.* 6. Mox invadente luxuria *citreas* habuerunt, Plin. l. 13. *Nat. Hist.* cap. 15. Mart. *l.* 14. *ep.* 81. *argenteas* etiam, quas Heliogabalus multarum repertor luxuriarum induxisse dicitur, Alex. ab Alex. *l.* 5. *c.* 21. mox *eburneas*, *ibid.*

—— Non ita Romuli
Præscriptum, & intonsi Catonis
Auspicium veterumque norma.

Hor. *l.* 2. *od.* 15. Hæc de materia, de forma restat. Quadrata primum mensa utebantur, Varr. l. 4. *de Ling. Lat.* Plin. l. 33. *Nat. Hist.* c. 11. Postea rotundis & orbiculatis, Alex. *l. c.* Rationem addit Athen. l. 11. c. 13. *Dipnos.* quia multo commodiores erant. Pauca adjicimus de *convivarum numero*, de *sero venientibus*, & *legibus convivii*. De numero convivarum Agell. l. 13. *N. Att.* c. 11. Hi non pauciores erant, quam tres, nec plures, quam novem, addit Auctor, *convivarum numerum incipere oportere a Gratiarum numero, & progredi ad Musarum*, id est, proficisci a tribus & consistere in novem. In hoc conspirat Alex. *l.* 5. *c.* 21. lege Hor. l. 3. *Carm.* od. 19. venuste id exprimentem. De *sero venientibus* multi multa: inelegans quippe olim habebatur, si quis ad convivium rogatus sero advenisset, unde Plutarch. in *Sympos.* cognomina quædam in eos jactata adducit. Hinc Κωλυσιδείπνυς vocabant, veluti morem * cœnaturis injicientes. Item ζοφεροδόρπιδες, tanquam in noctem protrahentes convivium, &c. Cæl. Rhod. l. 27. *Antiq. Lect.* c. 24. De legibus sub convivium observatis & recitatis vid. Gell. *l.* 13. *c.* 11. & ex professo tractantem J. Lipf. *Antiq. Lect.* l. 2. c. 1.

V. *In convivio:* Initium cœnæ a precationibus sumebatur; quare in mensa olim statuam alicujus dei ponebant, veluti tutelam & mensæ genium. Ita Herculem *Epitrapezium* legimus in Stat. *Sylv.* qui Vindici fuit *castæ genius tutelaque mensæ*. Exempla apud Pindarum, Homerum, Aristophanem, ubi dii quæsiti in cœlo, non sunt inventi, Pont. *Att. Bell. Synt.* 4. *rit.* 105. Hos invocabant, Quint. *Decl.* 301. *Habuisti honorem diis, & illud humile limen intrasti, & adisti mensam, ad quam cum venire cœpimus, deos invocamus*, Lipf. *de Glad.* l. 1. c. 2. In initio cœnæ proni in ventrem decumbebant, pulvinis pectori appositis,

* Resçr. *moram.*

Hier.

Hier. Merc. l. 1. *Gymn.* c. xi. Postea procedente convivio in cubitum se reponebant:

Languidus in cubitum jam se conviva reponit.

Hor. *l.* 2. *Sat.* 4. In ipso convivio *Sceleton humani capitis* pendebat, non quod homines se esse meminissent, sed quo alacrius se ad bibendum excitarent, lege Mart. *l.* 2. *epigr.* 59. Petr. *Satyr. prof.* 6. & *metr.* 6. Jos. Scalig. *l.* 2. *c.* 26. jocos ibi adhibebant, Philipp. Carol. *ad Agell. l.* 6. *c.* 13. ænigmata jactabant, Cæl. Rhod. *l.* 28. *c.* 4. poetabantur, Pont. *Attic. Bell. Synt.* 4. *rit.* 132. philosophabantur, Macrob. *l.* 7. *c.* 1. ubi probat, & recte, quod liceat philosophari, quicquid etiam alii obganniant. Legebant, Seneca *ep.* 64. Plin. *l.* 3. *ep.* 1. Primus eorum cibus erant ova; hinc *δείπνου προοίμιον*, *cœnæ procemium*, & *κεφαλὴ δείπνου* dicebantur, Athen. *l.* 4. Exinde fluxit proverbium *ab ovo usque ad mala*, id est, ab initio cœnæ ad finem, Hor. *l.* 2. *Sat.* 2. Cic. *ad Famil.* lib. 9. epist. 20. *integram tamen* * *ad ova adfero*. Mel etiam quandoque initio apponebant, Varr. l. 3. *de Re Rust.* c. 16. & lactucam, nota sunt verba Martialis l. 13. *Xen.* epig. 14. imo etiam olivas, id. *ibid. ep.* 33. Singulis convivis primum singulæ partes apponebantur, postea in commune vesci civilius visum, Plut. *l.* 2. *Sympos.* quæst. 10. Præficiebatur etiam aliquis cœnæ, quem *βασιλέα* *Regem* vocabant, Sidon. *l.* 9. *ep.* Modimperatorem potandi, Varr. l. 20. *rer. human.* Dominum convivii, Gell. *l.* 13. *c.* 11. Symposiarcham, Plut. l. 1. *Symp.* cap. 4. Magistrum & arbitrum bibendi Horatius vocat: ubi notandus venit mos Romanorum, qui talorum jactu unum aliquem creabant, qui præscriberet modum cœnæ, hinc Horatius,

Nec regna vini sortiere talis.

L. 1. *od.* 4. & alibi:

—— *Quem Venus arbitrum*
Dicet bibendi?

L. 2. *od.* 7. Ubi *Venus* non pro libidine ponitur, sed pro felici in tesseris jactu, sicuti jactus *Canis* jacturam afferebat, quod liquido apparet ex versibus Propertii,

Me quoque per talos Venerem quærente secundos,
Semper damnosi subsiluere canes.

L. 4. *el.* 9.

VI. Cœnabant exquisitissime, non ut frugalis illa Romæ antiquæ domus, quæ iis se saturabat, *ὡς γαῖα τρέφει*, Alex. Sard. l. 1. *Gent.* c. 20. Sæpius pulte quam pane victitabant, Val. Max. *l.* 2. *c.* 1. Conf. delicatam oden Hor. *epod.* 2. Ut autem frugalitatem nemo facile felici stylo & facundia se traditurum speravit, teste Valerio; ita nec prodigalitatem Romanorum nemo prodigo stylo satis exprimet, aut prodiga lacrima deflebit: quorsum enim ingeniosa illa gula? quæ omnem deliciarum apparatum ex peregrinis terris conquisivit? Inspiciamus Lucullum, apud quem cum Cicero & Cn. Pompejus ex improviso cœnarent, servis suis saltem dixit, se in Apolline cœnaturum: in cœna ducenta HS. consumta sunt, Plutarch. in *ejus Vita* p. 167. de Histrione Æsopo, Plin. *l.* 10. *c.* 51. de Apicio, Seneca l. *ad Albin.* cap. 10. Totos apros in mensa apposuerunt, Juven. *Sat.* 1. Quantus vero luxus piscium erat! Meurs. l. *de Luxu Rom.* c. 14. eapropter Cato Senior mirari se dicebat, quomodo servari posset civitas, in qua pluris veneat piscis quam bos, Pont. *Att. Bell. Synt.* 3. *Apophth.* xi. uberiora exempla concinne tibi Dempster. *ad Rosin. l.* 5. *cap.* 29. proponet. Reviviscat M. Curius, aut eorum aliquis, quorum in villa ac in domo nihil splendidum, nihil ornatum fuit præter ipsos, &c. Cic. *Paradox.* 5. Inspice Plinii Secundi cœnam, *l.* 3. *ep.* 1. & *l.* 1. *ep.* 15. Quid memorem de mensis secundis, ubi nuces, poma, ficus, & alia gulæ irritamenta afferebantur: de quibus vid. Tiraq. *ad Alex. l.* 5. *capite* 21. Phil. Car. *l. c.* Mart. *l.* 5. *ep.* 78. Nec his deliciis musica deerat, omnes omnino sensus mira jucunditate deliniebantur; audisses canentium & psallentium ordines, variis concentibus certantes, Macrob. l. 2. *Sat.* c. 5. Hor. *l.* 1. *od.* 11. Familiam Chrysogoni quantam putatis? animi & aurium causa tot homines habet, ut quotidiano cantu vocum & tibiarum nocturnisque conviviis tota vicinitas personet, Cic. *pro Rosc. Amer.* pag. m. 48. Pueri & puellæ canebant, Gell. *l.* 19. *c.* 19. pueri, puellæ ministrabant, Apul. l. 2. *Miles.* Phil. Car. *Oecon.* cap. 8. Interea strenue potabant ex poculis varia materia & arte expolitis. Antiqui ex ligno ea faciebant, Tibull. *l.* 2. *el.* 1. Ex *boum cornibus* etiam bibisse Veteres affirmat Hier. Merc. l. 1. *Gymn.* c. 11. Pont. *Att. B. Synt.* 4. *rit.* 138. Postea vitrea, ærea, argentea, aurea, gemmis lapidibusque pretiosis distincta adhibebant; hæc omnia exemplis probabit Fulv. Urs. *ad Ciac.* Dempster. *ad Ros. l.* 5. *c.* 30. Pocula coronabant, Tiraq. ad *Alex. l. c.* A parvis ad majora pocula procedebant, cur hoc factum sit, recensebit excellentiss. Medicus Hier. Merc. *l. c.* & Pont. *l. c. rit.* 121. Ter aut novies bibebant,

Ter bibe, vel toties ternos, sic mystica lex est.

Ausonius *eidyll.* xi. Ter cum biberent, in honorem Gratiarum, novies in honorem Musarum fiebat, Phil. Carol. l. 4. *Antiq.* c. 7. Fuit etiam mos Romanis, tot cyathos bibere, quot fuissent litteræ in amici vel amicæ nomine, Mart. *l.* 1. *epigr.* 72.

Nævia sex cyathis, septem Justina bibatur,
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.

Item quot digitos haberent, & quot annos alicui precarentur, Ovid. l. 3. *Fast.* Ursin. *ad Ciac.* Vina faccis castrabant, & nive frangebantur, ut mitiora lenioraque forent, atque plus biberetur: *σακκίζειν* Græci vocant, Mart. *l.* 12. *epig.* 61.

Turbida sollicito transmittere Cæcuba sacco.

Hinc elegans phrasis illa Apuleii *l.* 5. *sauciare aquam vino*. Evolve De la Cerda *ad Virg. l.* 5. *Æneid.* ℣. 94. Barth. *Adversf.* l. 10. cap. 1. Plin. *l.* 19. *c.* 4.

VII. Post convivium manus lavabant, servi reliquias colligebant, Ursin. *l. ult.* Immoderatis compotationibus indulgebant; has in feram usque noctem, imo in diem trahebant, Hor. *l.* 3. *od.* 8. Germani potum soporiferum seu dormitorium vocant, Muret. l. 4. *Var. L.* cap. 12. Istos heluones vetus quidam Poeta apud Athenæum nominat *convivii nautas* ac *poculorum remiges* & *trabones*.

* Rep. *famem.*

Talis Bacchi Bessique socius fuit Archidiaconus Oxoniensis walter de Mapes tempore Henrici Angliæ Regis, cujus rhythmos adducit Philipp. Carol. *ad Gell. l. 3. c.* 12. de Panormitano Æneas Sylv. l. 2. *Comm.* Verum a tam luxuriosis & insanis Romanorum sumtibus tacebimus, & potius de accubatione Christi cum Discipulis Coronidis loco apponemus. Multi hunc Christi accubitum plane negant, cum omnes ferme pictores nunquam accumbentes, sed sedentes Discipulos depingant; sed *pictoribus atque poetis quidlibet audendi semper fuit æqua potestas*. 2. Miratur Johannes Maldonatus Jesuita, nec intelligere potuit, quomodo dicatur stetisse mulier erecta ad Christi pedes. Ignoravit certe morem Romanorum ac tricliniorum formam, quæ pedes altos habebant. Virg. l. 6. *Æneid.*

—— lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris.

Imo ad ea gradibus adscendebant, Varr. l. 4. & 7. *de L. Latina.* 3. Indecoram fuisse putant, ac Christi vita moribusque alienam, talem discumbendi formam; sed respondet Corn. Nepos in *Præfat.* Isti expertes litterarum nihil rectum, nisi quod istorum moribus conveniat, putant. Hi, si didicissent, non eadem omnibus esse honesta atque turpia, sed omnia majorum institutis judicari, non admirarentur Christum in tales se usus accommodasse. 4. At Christus Hebræus fuit, adeoque Romano more non vixit. Nonne Hebræi jam inde a Pompejo in ditionem potestatemque Romanorum redacti ad victoris dominantisque Populi instituta se accommodaverant? quod ipsum comprobat Josephus: *Hebræi*, inquit, *semper secuti sunt ritus Romanorum, postquam sub eorum ditionem pervenerunt*: quod multis porro argumentis demonstrat Hieron. Merc. l. 1. *Gymn.* c. 11. Ex variis etiam Scripturæ locis id manifestum redditur. Euangelistæ τὸ ἀνακλίνειν ipsum accumbendi vocabulum adhibent, *Luc.* 7. 36. &c. Romani accubituri soleas deponebant, & fœmina quædam peccatrix nudos Christi pedes lacrimis irrigavit, *Luc.* 7. *v.* 38. Ungebant se Romani, & mulier illa Christum oleo in convivio perfudit, *Matth.* 26. Manus, pedes unguento Romani perlinebant; idem leges *Luc.* 7. *v.* 38. Romani accubituri vestem mutabant, & Christi Discipulos id fecisse inde colligitur, quod adolescens ille, qui a cœna cum Christo in hortum secesserat, amictus sindone super nudo traditur fuisse, quasi veste adhuc cœnatoria indutus. Romani liberos suos, aut quos habebant caros, in sinu collocabant, Petr. Ciac. *Tricl.* p. 27. & Johannes Christo maxime carus in sinum ipsius & in pectus ejus quam familiarissime se conjecit. Ex quibus satis elucet, eorumque grandis error deprehenditur, negantium, Christum tali ratione, qua Romani usi sunt, accubuisse. Ulteriora si quis expetat, adeat Hieronym. Merc. l. 1. *Gymn.* c. 11. Ciacc. *loco cit.*

CAP. V.

Summaria.

De Servorum Vestitu.

Atque ut, unde inceperit, inde etiam terminetur Dissertatio nostra, paucissima de servorum vestitu delibare atque adjicere volumus. Eorum insignia graphice describit Apul. *l.* 9. *Frontes*, inquit, *ipsorum litterati, capillum semirasi, & pedes annulati*. Notat hic Thom. Hurt. Toletanus, quod *servi urbani* toto capite rasi fuerint; *ergastularii* semirasi, quæ radendi forma in majoris ignominiæ signum facta est. Ferreum annulum gestabant, sicut libertini argenteum, Isidor. 32. *c.* 12. Aureos quidem annulos ipsis habere licebat in peculio, sed gestare prohibebantur, quanquam fuere, qui ferrum auro superinduerunt, Plin. *l.* 33. *c.* 2. In quem vero usum annulum gestabant? non ad ornatum, sed ad signandum, quod probat ex Apul. clariss. Kirch. l. *de Ann.* c. 15. Hi servi, ut & reliqui, ab ingenuis primum distinguebantur, quod diu Romæ mansit constitutum, propterea quod non nisi Romano civi togæ jus esset: Suet. in *Præfat. de Clar. Rhet.* exemplum affert, ubi ad fallendos portitores formosum & pretiosum puerum bulla & prætexta ornarunt. Quodnam vero illud fuerit signum, quo distincti fuerint, varie inter Auctores disceptatur. Vetus Interpres ad illud Juvenalis *recitaverit ille togatas, hoc autem distabat*, inquit, *inter servos & dominos, quia servi non utebantur colobiis nigris, sed albis*. Verum Servius *ad versum Virg. Romanos rerum dominos*, dolobia servis absolute adimit. Idem facit Alex. ab Alex. *l.* 5. *cap.* 18. Quid colobia fuerint, explicat Ferrarius. Servis vero erant *Exomides*, *vestes strictæ & angustæ*, quæ brachium excludebant, ita ut totum nudum conspiceretur; quanquam non solum servorum habitum fuisse ex Aristophane elicitur, ubi cives senes ajunt, *Exomides exuamus*. Alii *byrrhum* & *cucullum* servis attribuunt; sententiam suam dabit Ferr. l. 3. *de Re Vest.* cap. 24. Faber omnes servos atratos fuisse putat, propterea quod legisset in Marcellino *atratum culinæ ministerium*: sed quis non videt, istud tropice, & pro suo ingenio, stilique sublimitate locutum fuisse Marcellinum, & ideo atratum culinæ ministerium nominasse, quod inter fumum & caliginem * sæpius versentur. Quid igitur ex his omnibus sentiam, accipe, benevole Lector; servos ab ingenuis fuisse primum habitu distinctos existimo, quod ex multis Auctorum locis evidentissimum est; postea vero parum discriminis inter ipsos fuisse auguror: quod vilior materia & color vestium faciebat: rationem addit Seneca *de Clementia*: *In senatu dicta est aliquando sententia, ut servos a liberis cultus distingueret; deinde apparuit, quantum periculum immineret, si servi nostri numerare nos cœpissent*. An vero servorum vestes *rufæ*, *albæ*, *nigræ*, an *fuscæ* fuerint, varia sunt variorum judicia, exponet tibi, cum hæc pagina ista non capit, doctissimus Ferrarius *loco citato*, cui libenter album calculum adjicio l. 3. part. 1. *de Re Vest.* cap. ultimo.

* Forsan rectius, *fuliginem*.

DISSERTATIO II.

DE

RESPECTU PARENTALI.

CAPUT I.

Summaria.

Reſpectus parentalis quid? unde? Finis matrimonii. Ætas nubendi. Præmia maritorum. Diſcrimen liberorum. Ingenui. Libertini. Servi. Adoptativi. Arrogati.

I. PEr reſpectum parentalem, de quo hoc loco aſſiſtente divini Numinis gratia ſumus diſſerturi, nihil aliud intelligo, quam ſocietatem iſtam, quæ eſt inter parentes & liberos naturalis. Quid parentes ſint, nemo non intelligit; cum Seybot. *doct. œcon.* c. 2. illos ita definiamus, quod ſint ii, qui ex ſocietate conjugali liberos ex ſe habent procreatos. Liberos autem qui ex hac ſocietate a parentibus ſunt prognati. Ariſtoteles de illa agens, *πατρικὴν* ſeu *paternam* a potiore ſcilicet hujus ſocietatis perſona eam denominat, 1. *Pol.* 12. alibi 8. *Eth.* 12. ſocietatem patris erga liberos; 1. *Pol.* 3. *τεκνοποιητικὴν*. Eſtque ſecundum ipſum nulla alia, quam *ὁμιλία* quædam *τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ τέκνου φυσικὴ καὶ βασιλικὴ, οὐ μόνον τῆς λειτουργίας, ἀλλὰ καὶ τῆς ὠφελείας ἕνεκα*.

II. Unde ſocietas hæc exſiſtat ſeu originem trahat, Perez. *Inſtit. Imp. l.* 1. *tit.* 10. nos docet his verbis: *Jus patriæ poteſtatis acquiritur tribus modis; Nuptiis juſtis, Legitimatione, & Adoptione*. Quid ad nuptias juſtas ſeu matrimonia requiratur, in *Diſſertatione* prima dictum eſt. Cur autem ineunda ſint, proprie hujus eſſe videtur loci. Ob finem ſcilicet, qui ut in omnibus rebus, ita etiam in legitimo reſpiciendus matrimonio. Finem hunc diverſi diverſim explicant atque diſtinguunt, nos generaliter loquendo, ex vi inſtitutionis divinæ ſtatuamus eum (1.) multiplicationem hominum, quo reſpectu in politico ſtatu ſocietas iſta ad locupletandam civitatem & ſtabiliendum ad poſteros imperium ſolet ambiri: (2.) ſpecialiter procreationem liberorum & noſtram poſt mortem in ſanguine vitam. Primum quod attinet, Deus ipſe in primæva creatione hominum hanc legem dedit primis parentibus, ut creſcerent & multiplicarentur. Ut enim reliquis animantibus dederat vim & efficaciam propagandi ſuam ſpeciem, ita hominum generi tanquam creaturarum omnium nobiliſſimo hac quoque ratione proſpexit, ne totum genus humanum hoc privatum ſubſidio in ſemet rueret. Conjugium enim, ut Nazianzenus ait, radix ac fulcrum vitæ eſt, quo omnis humana ſpecies propagatur, quod ſi quis e mundo tollat, is, ut recte Muſonius apud Stobæum ait, abolebit familiam, civitatem, & totum genus humanum, quod abſque generatione non poteſt permanere:

Vis orbem exſcindi? ſubvertito funditus urbes:
Vis urbes ipſas tollere? tolle domos:
Vis delere domos? careat fac conjuge conjunx,
Vanaque ſint ſancti fœdera conjugii.

A Non ignobilis quondam Poeta cecinit. *Nihil* proinde *in rebus mortalium æque venerandum atque matrimonium, quippe ex quo liberi omniſque deinceps ſobolis ſeries exſiſtat, quod regiones atque civitates frequentes reddat, unde denique optimæ fiat Reipublicæ coagmentatio*, recte ſcribit Juſtin. *Novel.* 140. Et inde eſt, quod tot leges ac ſancita de matrimoniis in omnibus fere bene conſtitutis Rebusp. a prudentibus legumlatoribus unanimi conſenſu conſtituta reperiantur. Romanorum certe Reſp. ut in omnibus, ita in hoc etiam nihil quod ad augendam amplificandamque civitatem facere poterat omiſit. Teſtis eſt ipſe Romulus, auctor Ur-
B bis. Hic in ipſo primordio cum videret, non tantum privatas hac ratione familias veluti quodam perenni conſervari fonte, ſed multo magis Reipublicæ & Imperii ſalutem incolumitatemque in eo conſiſtere, magnitudini ejus ac frequentiæ inter alia hoc modo conſuluit. (1.) Omnes qui per ætatem poterant lege uxorem ducere cogebantur, Dion. Halic. *l.* 9. *p.* 428. (2.) Neceſſitatem colonis imponebat educandi quicquid eſſet maſculum, & e filiabus primogenitas; nullam prolem necari permiſit minorem triennio, niſi ſi quid mutilum, aut alioqui monſtroſum in ipſo partu eſ-
C ſet editum. Tales enim fœtus exponi a parentibus non vetuit, ſed oſtenſos prius quinque-Viris e vicinia proximis, ſi illi quoque exponendos eſſe cenſuiſſent. Si quis contra hanc legem commiſiſſet, præter alias mulctas etiam dimidiam bonorum partem addixit ærario publico, idem *l.* 2. *c.* 66. Quod ut eo melius obſervaretur, publicis Cenſoribus inter alia hoc officium in ſubſequentibus temporibus injungebatur, quod Cic. l. 3. *de LL.* ex 12. *Tab.* demonſtrat, *Cenſores*, inquiens, *populi ævitates, ſoboles, familias, pecuniaſque cenſento*; & poſt pauca, *cælibes eſſe prohibento*. Exemplum habemus in F. Camillo & Poſthumio, quam
D ſeveras leges irrogarint illis, qui ad ſenectutem cælibes pervenerant, quique viduarum nuptias, quarum viri bello ciciderant, devitarant; v. apud Val. Max. *l.* 2. *c.* 9. ubi agit de ſeveritate Cenſorum, it. Plut. in *Camil.* Al. ab. Al. *l.* 4. *c.* 8. In Q. Metello Numidico: omnes omnino liberorum procreandorum cauſa ut uxores ducerent, Sigon. l. 2. *de Rep. Rom.* Oratio ejus, quam in Cenſura dixit ad populum de ducendis uxoribus, exſtat apud Gell. *l.* 1. *c.* 6. in D. Julio, a quo lex Julia, quemadmodum Tiraquell. vult. *ad Al. ab Al.* & Funger. *Lex. Etym.* De hac lege ita Alex. ab Al. *l.* 4. 22. *Lege Julia de maritandis ordinibus apud*
E *Veteres cautum fuit, ut hi, quibus vigor juvenilis foret, primo flore ætatis ad uxores ducendas liberoſque educandos propagandamque ſobolem non ſolum præmiis invitati, ſed pœna deterriti cogerentur*. Quanta ſeveritate Auguſtus poſtmodum hanc legem, cum ſuas de maritandis ordinibus ferret, emendarit, v. apud Sueton. *c.* 34.

Gaviſa eſt certe ſublatam Cynthia legem,
Qua quondam edicta flemus uterque diu,
Ne nos divideret.

F Propert. *l.* 2. *eleg.* 7. Et huc ibat ſolennis illa formula, quæ tabulis matrimonialibus ſolebat inſeri, LIBERORUM PROCREANDORUM CAUSA. Item vulgata iſta quæſtio Cenſorum ad Neonymphos, EX ANIMI TUI SENTENTIA UXOREM HABES. Quæ quantas vires habuerint, exinde videre eſt, quod neglectæ totum nonnunquam conjugium irritum redderent, ad quod alias nunquam aut non niſi graviſſimis de cauſis deſcendebant. Adducam unicum illud Sp.

Carvilii exemplum. Vir licet summæ præ cæteris auctoritatis, jurare tamen a Censoribus, divortium facturus, cogebatur, uxorem se liberorum quærendorum causa dimissurum, Agell. *l.* 17. *cap.* 21. Sic alius quidam cum joco quodam excepisset hanc ipsam quæstionem, dicens: habeo equidem, sed non ex animi tui sententia, in ærarios propter jocum relatus est, referente eodem, *l.* 4. *c.* 20.

III. Eandem ob causam certum quoque tempus nubentibus constituebatur, tam in ætate juvenili quam senili: auctor ejus erat Augustus; ante enim ipsum cuilibet hoc liberum fuisse tradit Lipsius in *Not. ad Annal.* 3. In ætate juvenili duodecimus annus ad nuptias definita ætas censebatur, v. Arnis. *Pol. c.* 3. ubi idem hoc ex aliis JCT. locis demonstrat, præ cæteris auctoritate Leonis in *Novell.* 109. cujus hæc verba, *ne fœmina minor* 12. *mas* 15. *annis nuptias contrahat, nisi per Rescriptum Imperatoris lege abrogetur.* An vero hæc justa & conveniens ætas sit, aliis relinquo dijudicandum, vid. Henricus Salmuth celeberrimus Ambergensium quondam Syndicus *ad Pancirol. p.* 2. *tit.* 10. Media ætas a Veteribus optima censebatur, nempe in maribus annus septenarius quintus, sc. ab anno 28. ad annum 35. & in fœminis septenarius tertius, seu potius ab anno 16. ad 24. quo etiam tendunt sententiæ Veterum, Solonis, Hesiodi, Platonis, Arist. & aliorum, quas cum Arnis. *Pol.* 2. 3. & Schonb. *l.* 1. *c.* 6. collegerint, ego hac opera supersedeo. Eundem morem etiam observasse cultiores gentes, utpote Lacedæmonios, Ægyptios, Hebræos, &c. passim occurrit, v. Xenoph. in *Spart. Rep.* Germanos laudat Tacitus, quod sint robusti, quia sera apud illos Venus, *l. de mor. Germ.* in turpissimis enim habitum ante 20. ætatis annum uxoris notitiam habuisse, scribit de illis Cæsar *l.* 6. *de Bello Gall.*

IV. Ætatem senilem quod attinet, lege Papia Poppæa cautum fuit, ne 50. annis minor sexagenario nuberet, aut vir hac ætate junior quinquagenariam fœminam duceret in uxorem, Rof. *l.* 8. *c.* 16. Causam cur hoc caput Claudius post edicto abrogarit tradit Lips. *ad l.* 3. *Annal.* Censorius Cato, teste Plin *l.* 7. *c.* 14. 80. anno exacto e filia Salonii clientis sui generavit, quam ob rem aliorum etiam ejus liberorum propago Liciniani sunt cognominati. Masinissa Numidiæ Rex post 86. filium generavit, quem Methymnatum appellavit, v. Val. Max. *l.* 8. *c.* 13. quorum exempla nonnulla Rupert. in *Not. ad Val. Max. l.* 8. *c.* 13. adducit, qui 100. annos nati liberos generarunt. Tali tamen in re urgentes requiri rationes, ut qui tali parente se editum velit asserere, id apertissimis rationibus ostendere necessum habeat, quandoquidem assertioni tali cum juris præsumtio, tum naturalis ratio obstet, recte Salm. *ad Pancir.* annotat *tit.* 10. Hinc Augustus simile etiam conjugium injustum pronuntiabat. Val. Max. *l.* 7. *c.* 7. recteque Dionysius matri præter ætatem nubere cupienti, *Civilia*, inquit, *o mater, jura violari possunt, naturæ jus nequaquam*, Erasm. l. 5. *Apoph.* Quamquam plerumque magis observatur Euripidion illud, quod Demetrio Poliorcetæ Antigonus identidem in aures insusurrabat, cum ad Philæ Antipatri filiæ nuptias compelli non posset, eo quod jam edentula senioque confecta esset, ὅπου τὸ κέρδος, παρὰ φύσιν γαμητέον, *ubi lucrum affulserit, ibi præter naturam uxor ducenda.*

V. Præmia quoque certa nubentibus constituebant. Constituimus quidem singulare huic rei caput; quoniam vero demonstrare hoc loco animus satagit insignem Romanorum hac in re in-

A dustriam & curam, duo tantum hic exempla, quæ maritis reperio solis concessa, adducam, reliqua, quæ parentibus communicata fuere, in c. 3. uberius explicabimus. Primum erat honestior in spectaculis locus. Meminit ejus Suetonius, ut video, in *Augusto* c. 44. *militem secrevit a populo: maritis e plebe proprios ordines assignavit.* Alterum erat prærogativa in sumendis fascibus. De hoc Agell. *l.* 2. *c.* 15. *Capite* 7. *legis Juliæ priori ex Consulibus fasces sumendi potestas est, non qui plures annos natus est, sed qui plures liberos quam collega aut in sua potestate habet, aut bello amisit. Sed si par utrique numerus liberorum est, maritus aut qui in numero*
B *maritorum est præfertur.* Hoc certum exploratumque habemus, unico hoc subsidio & fulcro quasi ad tantum eos adspirasse fastigium, ut totius orbis appellarentur domini. Remoto hoc totum etiam imperium simul labascere cœpit, ut adeo recte Aventinus dixerit, conjugium & militiam Veteribus magnopere curæ fuisse, quibus neglectis imperium firmum & durabile manere haud unquam posse. Neglecta enim sobolis procreatione, etiam militia eorum contemtui est habita, idque imprimis animadversum fuit, tempore Valentis Imperatoris, ut Camerar. ostendit in suis *Op. Subc.* Cent. 2. c. 65. Proinde inter principalia præcepta
C Arrian. *Epict.* l. 3. c. 7. recenset Remp. tueri, uxorem ducere, procreare liberos, &c. Cujus Plato non immemor publico edicto divulgavit, *uxorem quisque a* 30. *anno ad* 34. *ducito, si non duxerit, damnas esto*, &c. l. 4. *de LL.* Sic de Persarum Regibus Strabo memorat, quod ἆθλα πολυτεκνίας decreverint, ut hac ratione regnum semper populosum haberent, & nunquam deessent, quorum opera contra hostem uterentur, Neander in *Syn. Chron.* p. 55. Apud Lacedæmonios Lycurgus ἀγαμίου, ὀψιγαμίου, & κακογαμίου pœnas statuit, ac præmiis ad conjugia cives invitavit, Plut. in
D *Lyc.* Apud Athenienses ἀγάμοις dicam fuisse scriptam refert Sigon. l. 3. *de Rep. Ath.* c. 1. Imo adhuc hodie in ditione Palatinatus Oden Wald, qui excesserunt 25. ætatis annum, cælibatum professos, dici *Hagelstaltzen*; eorumque bona post mortem devolvi ad Fiscum, quod annos suos consumserint & mariti & patris nomine vacuos, Schonb. *Pol.* c. 6. l. 1. meminit.

VI. Alterum finem diximus procreationem liberorum & nostram in sanguine vitam; de hoc eo brevius, quo altius cuilibet est insitus. Naturale enim ut in plantis & animalibus cæteris, ita in homine est desiderium, quale ipse est, tale alterum relin-
E quendi, Arist. 1. *Pol.* 2. quem exinde 8. *Eth.* 4. esse natura animal conjugale dicit. Sicuti exinde quoque societas nuptialis 1. *Pol.* c. 2. conjunctio vocatur naturalis. Probe hoc intellexit Episcopus Florentinus, cum Pontifices inciperent Clericis conjugia interdicere, Antichristum dicens prodiisse, quia prævidebat, illud mandatum sine peccato minime posse servari, Sigon. l. 9. *Hist. Ital.* & hinc est quod conjugium inter alia voce quoque matrimonii denotarint, *a matris scil. nomine, non adepto jam, sed cum spe & omine adipiscendi*, Gell. *l.* 18. *c.* 6. August. l. 19. *contra Faustum* c. 26. *matrimonium*, inquit, *ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debeat fœmina nube-*
F *re, quam ut mater fiat.* Nimirum, affectibus humanis omnibus cum tenerior sit æternitatis cupiditas, eamque sibi promittere nemo possit, nititur summis viribus insita potestas, ut se ad effigiem quandam & imaginem immortalitatis & divinitatis componat; *ut, quoniam corruptioni obnoxium idem numero animal nequit perseverare, ortu vicario mortalitati, qua fieri potest & patitur ratio, adminiculetur, ac velut tibicinibus præfultam ab occasu vendicet*, Cæl. Rhod. *l.* 28. *c.* 13. Hinc Romani ut graviori supplicio

a perduellionis crimine averterent ſubditos, non contenti auctorum cæde, pœnam extenderunt in poſteros, acerbius morituros putantes, qui & nomen ſuum una ſecum exſtingui, & familiam radicitus exſtirpari ſcirent, Arniſ. in *Relect. Pol.* l. 1. cap. 1. *Idcirco enim filios filiasve concipimus atque edimus*, dicente Calliſtrato JCTO, *ut ex prole eorum earumve diuturnitatis nobis memoriam in ævum relinquamus*.

VII. Diximus jam de fine legitimi conjugii, primumque modum indagavimus, unde reſpectus hicce parentalis exſurgat, jam ad ipſos accedamus liberos, primumque quinam fuerint, quotuplices, & cujus diſcriminis explicabimus, poſthæc duos illos alteros modos, adoptionem ſcil. & legitimationem, quæque alia iſtuc pertinent, ſubnexuri.

VIII. Quinam liberi ſint, ex Seyboth. paulo ante vidimus. Rationem cur Romani parentes natos natasve ſuas hoc nomine vocarint, tradit Phil. Carol. *ad Agell. l. 2. cap. 13. Ad ominis*, inquiens, *proſperitatem, & differentiam ſervorum liberos nuncupabant, malam ſcævam ſervitutis abominantes*. ſcil. Quam inviſa ſervitus, tam cara contra ac pretioſa cenſebatur libertas, adeo ut ab eo tempore, quo in libertatem ſeſe vendicarint, LIBERTAS tanquam dea ab illis habita ac culta ſit, Roſ. *l. 2. c.* 18. templa quoque in honorem ipſius conſecrata, *ibid.* Plurium autem numerum ideo amabant, quod unam ſobolem non ſatis firmum præſidium ad poſteritatem reputarent. Sive enim filius eſſet, ſive filia, fieri poſſe, ut ille quidem turbato ordine naturæ exſtingueretur; hanc autem ſciebant paterni nominis malam eſſe cuſtodem. Hinc etiam unum filium filiamve liberos multitudinis loco appellarunt, quod ex l. Sempr. *Aſellio*, Agellius *l. 2. c.* 13. demonſtrat, ubi de Graccho ita ſcripſit: *Orare cœpit, ut ſe defenderent, liberoſque ſuos: eum, quem virilis ſexus tum in eo tempore habebat, produci juſſit populoque commendavit prope flens*. Sic Plaut. *Aul.* Act. 4. Sc. 10.

—— Quid ego de te merui, adoleſcens, mali,
Quamobrem ita faceres, meque meoſque proditum ires liberos.

Loquitur Euclio ad Lyconidem adoleſcentem, & dicit liberos, cum tamen de ſola filia Phædra intelligat, quam vitiarat Lyconides. Plura exempla Voſſ. 3. *Art. Grammat.* c 42. Bangius l. 1. *Obſerv. Philol. c. de defect.* p. 318. nec non clariſſ. Kockertus in *Ind. Ter.* ad vocem liberorum ſuppeditant. Diſtinguebantur autem apud Romanos in 3. genera; in Ingenuos, Libertinos, & Servos. Ex ingenuis ingenui, libertinis libertini, ſervis naſcebantur ſervi. *Nati ad parentes pertinent*, ait Dion. Halic. *& ejuſdem cum illis conditionis ſunt, ingenui aut ſervi, ſi matres liberæ, ipſi liberi ſunt. ſi ſervæ ſervi, & quidem eorundem dominorum, quibus matres eorum ſerviunt.*

IX. Ingenui erant, qui ſtatim, ut nati, liberi erant, Sigon. *de antiq. Jure Rom.* l. 1. c. 6. Dempſter. *ad Roſin. l. 9. c. 3.* vel ut Perott. *Cor. Cop.* p. 330. Sunt ii, qui libera matre nati nec poſtea ſervi facti ſunt. Nonnulli ipſos ex duobus ingenuis progenitos affirmant. Sic Appius Claudius apud Livium: *An hoc ſi Claudiæ familiæ non ſim, nec ex patritio ſanguine ortus, ſed unus Quiritum quilibet, qui modo me duobus ingenuis ortum, & vivere in libertate ſciam, reticere poſſem?* Alii vero, præſertim veteres JCTI, non eos, qui ex duobus ingenuis nati ſunt, ſed etiam qui ex duobus libertinis, ſive altero libertino, altero ingenuo: eſt inter hos Sigon. *de antiq. Jure Rom.* c. 6. Quamquam diverſo jure fuerint. Ingenuus enim libertini nepos longe alio jure erat, quam ingenuus ingenui filius, libertini nepos, libertis pronepos; item quam ingenuus ingenui filius, & nepos, libertini pronepos, liberti abnepos. Dabit horum diſcrimen Dempſterus *ad Roſinum l. 1. c.* 20. Sigon. *l. c.* ita: *Ingenui quidem fuerunt, ſed tamen libertinæ conditionis aliquid retinuerunt, quia patronus in liberti quoque ſui filium juris aliquid habebat*. Ultimo notandum, ingenuos tria plerumque habuiſſe nomina, *Prænomen, Nomen*, & *Cognomen. Prænomen* erat, quod nominibus gentilitiis præponebatur; diſtinguendorum filiorum atque nepotum cauſa inventum, ut Varroni placet, graviſſimo inprimis Auctori. Aſſentit ipſi Sigonius, item Priſcianus, cauſas, cur Romani nomina duplicaverint, duas recenſens; unam, ut qui in quaque familia eodem nomine vocarentur, præpoſito aliquo alio nomine diſtinguerentur: alterum, ut Sabinorum gratiam benevolentiamqule colligerent, quos Romulus in civitatem ſuſceperat, aut ſuis Sabinorum nomina, aut ſua contra Sabinorum nominibus præponentes. Sic alia a Romanis, alia a finitimis populis frequentius uſurpata leguntur. Romana ad 30. fuiſſe ex Varronis ſententia tradit Valerius; ut Agrippa, Appius, Aulus, Cæſo, Cajus, Cnæus, Decimus, Fauſtus, &c. peregrina vero Ancus, Aruns, Lar, Lucumo, Metius, Numa, &c. de quorum prænominum origine atque ſignificatione perdocte Sigon. l. *de Nom. Rom.* item Alex. ab Alex. *l. 5. c. 4. Nomen* dicebatur, quod perpetuum erat in aliqua gente, eratque proprium gentilitium, hoc eſt, quod originem gentis vel familiæ declarabat, ut P. Cornelius, M. Tullius. Unde per metaphoram nomen aliquando pro gente ponitur, Virg. *noſtrumque in nomen ituras*. Ducebatur a generis auctore, ut a Julo gens Julia, &c. quandoque ab oppidi nomine, velut Tarquinii ab Hetruſcorum oppido Tarquiniis, Al. Sard. *l. 1. c.* 9.

Cognomen, quod nominibus gentilitiis ſubjungebatur; ut Cicero, Scipio, Cato, quam tertii nominis rationem propterea primum Romanos excogitaſſe, ut, qui idem prænomen nomenque ferebant, nota aliqua internoſcerentur, auctor eſt Sigon. c. 5. *de Rom. Nom.* hac ratione L. Tarquinium Priſcum, & L. Tarquinium Superbum, cum & prænomine & nomine convenirent, inquit Dionyſius, Priſcum illum, quod natu major, hunc Superbum, quod contumacior eſſet, eſſe vocatum. Poſt valuit inprimis hic cognominum uſus creſcente multitudine ad confuſam ipſarum familiarum turbam diſtinguendam. Sic Valerii omnes unius erant gentis, quia uno nomine continebantur omnes: at vero patres gentis hujus erant plures, quæ ex cognominum varietate diſtinctæ erant, eæque familiæ nominabantur; ut in gente Valeria Maximi, Meſſalæ, Flacci: Cornelia, Scipiones, Lentuli, &c. In quibus tamen nominibus (1.) hoc obſervandum, ſæpe Veteres nominum loco prænomina adhibere, ut cum dicit Cicero: Appius in ſermonibus dictitabat: declarat pluribus hoc Funger. *Lex. Etym.* (2.) Non niſi inter ingenuos, aut ex ingenuis oriundos ullum gentilitatis cognomen fuiſſe. Nam ut Al. ab Al. *l. 5. c. 6.* ſervorum libertorumque nulla cognatio nec gentilitas erat. (3. In ſcriptione alia ſingulis, alia binis, alia ternis litteris ſcribi ſolita, quorum exempla apud Sigon. *c.* 3.

X. Alterum liberorum genus erat libertinorum. Hos varii varie deſcribunt. Nonnulli antiquioribus temporibus libertinorum appellationem ſic acceptam fuiſſe tradunt, ut libertini dicerentur, quicunque in infinitum deſcendiſſent ex iis, qui olim manumiſſi eſſent, quod tamen ex nullo Veterum Scriptore probari poſſe Roſ. ſtatuit *l. 1. c.* 20. Alii libertos & libertinos pro iiſdem ſumunt; ſine dubio reſpicientes ad Appii Cæci tem-

pora, post cujus Censuram libertos ac libertinos A pro iisdem acceptos testis est Rof. *ib.* hinc libertinos definiunt, quod sint ii, qui ex justa servitute manumissi sunt. De illis Sigon. l. 1. *de antiq. Jure Civ. Rom. c.* 6. ita: *Quod si qui sunt manumissi, libertinorum nomine appellati non sunt: quo tandem alio sunt? non servorum, cum essent libertate donati; non ingenuorum, cum ex ingenuis non sint geniti; non libertorum, quod libertus patrono opponatur, non ingenuo; & libertus respectum significet ejus a quo liberatus est, non hominis de qua nunc agimus conditionem: itaque eundem hominem dicimus libertum, & libertinum; sed libertum quidem ejus a quo est liberatus; genere vero & conditione libertinum,* B *id est, ex iis unum, qui servitute, quam aliquando servierunt, liberati sunt.* Tertia ratio est eorum, qui libertinos plane distinguunt a libertis. Fuisse enim primis temporibus aliam libertinorum, aliam libertorum rationem, præter Rosin. l. 1. *Antiq.* c. 20. testis est Sueton. cujus hæc verba in *Vita* Claudii; *Latum Clavum* (sc. Imperator Claudius) *quamvis initio affirmasset, non lecturum Senatorem, nisi civis Romani abnepotem,* &c. Cujus verba non satis intellexisse Sigonium, dum l. 1. *Antiq.* c. 6. Tranquillum erroris insimulat, quasi libertinos ac ingenuos pro iisdem accepisset, satis demonstrat Rosin. *ibid.* De libertorum ac libertinorum jure C v. Dempst. *ad Rof.* 1. c. 20.

XI. De servis eorumque conditione actum est in *Differt.* II. Missos ergo hos faciamus, & sicuti jam liberos naturales, ita paucis adhuc liberos etiam non naturales, arrogatos, item adoptativos explicabimus. Ut enim Perez. JCT. *Instit. Imper. l.* 1. *tit.* 11. scribit; *est adoptio quasi naturæ æmula, quæ vices subit nuptiarum: nam ut justis nuptiis naturales & legitimi nascuntur, ita per adoptionem legitimi tantum fiunt.* Hinc etiam definiunt adoptionem, quod sit legis actio, seu legitimus actus, quo qui natura liberi non sunt, lege efficiuntur. Simulac enim a patre emanci- D pabantur, a sacris etiam patriis dimittebantur: quique adoptabantur, sacris iis, quæ pater adoptans colebat, obstringebantur, idemque jus teste Sigonio *l.* 1. *cap.* 10. ac naturales filii habebant, propinquos & libertos adoptantium assequebantur. De ritu isto adoptatorum in sacra patris adoptivi transeuntium v. Rupert. *ad Val. Max. l.* 7. *cap.* 7. idem quoque jus adoptantibus, quod patribus competebat, scil. jus vitæ & necis concessum probatum it Arnis. in *Pol.* c. 4. verbis Cicer. quibus alloquitur Clodium pro domo: *Credo*, inquiens, *quanquam in illa adoptione legitime factum est nihil, tamen te esse interroga-* E *tum: Auctor-ne esses, ut in te P. Fontejus vitæ necisque haberet potestatem, ut in filio,* &c. sed hic locus sine dubio magis arrogationem respicit. Vix enim credibile est, tantam adoptantis potestatem fuisse, ut ipsa summa jura patris simul consecutus sit. *Pater filium suum eo modo dare alteri non potest, ut jus paternum plene in eum transeat, & ipse paterno officio exsolvatur. Id enim natura non sinit: sed potest filium alteri commendare & alendum dare quasi substituendo.* Sunt verba Grotii *de J. B. & P.* l. 2. cap. 26. Perez. *Instit. Imper.* distinguit inter personas extraneas & non extra- F neas. Si a persona non extranea, puta, avo, proavo, fuerit adoptatus, in adoptantis familiam & potestatem omnino transit: si vero ab extranea, non transit: neque jura patris naturalis dissolvuntur. *Robustiora* siquidem *illa sunt,* ait, *quam ut civili aliqua ratione tollantur, nec quicquam ad patrem adoptativum transit, & adoptatus remanet in potestate patris naturalis, quasi adoptatus non esset. Hoc tantum ex adoptionis actu adoptans consequitur, quod adoptatus etiam filius dicatur ejus, qui adoptat, & ad legitimam successionem admittatur, si intestatus pater adoptivus decesserit.* De nominibus quæ acceperint v. Alex. ab Alex. *l.* 5. *cap.* 4 Voss. 1. *Annal.* c. 7. in quo tamen notandum, nomen gentilitium quemque suum retinuisse, in fine duntaxat aliquo modo mutatum, ex. gr. L. Pauli Æmilii filius, a filio Scipionis primi Africani adoptatus, Scipio Æmilianus cognominatus est; alia exempla v. in Lazio *l.* 2. *p.* 82. Præterea non omnibus *adoptio* permittebatur, sed iis tantum, quibus vel natura vel lex impedimento non erat. *Natura* minor natu majorem adoptare non poterat. *Adoptio* enim *naturam imitatur: & pro monstro est, ut major sit filius, quam pater.* Hinc Cic. in *Or. pro Domo ad Pontif.* accusat Clodium, quod jus adoptionis polluerit, cum se in adoptionem dederit Fontejo, qui annos 20. vix natus erat, factusque sit ejus filius contra fas, cujus per ætatem pater esse potuisset. *Lege* prohibebantur fœminæ. Item qui tutelam, vel curam alicujus administrabant. Adoptativus dimissum a potestate filium iterum adoptare non poterat; neque illi, qui minores erant 60. annis. Magis enim liberorum procreationi studere debebant, Perez. *Instit Imp. l.* 1. *tit.* 11. Hinc quibus civibus Romanis animus erat quempiam in filii locum adoptare, eos oportebat causæ suæ cognitionem Pontificibus subjicere, quod dare sc. liberis operam amplius non possent, alias res omnis erat irrita. Adoptiones enim contra jus Pontificum factæ pro nihilo habebantur. Quæ idcirco causa cuique esset adoptionis, quæ ratio generis, aut dignitatis, quæ sacrorum, quæri a Pontificum collegio solebat; qua de re insignis exstat locus apud Cic. *pro Domo.*

XII. Ceremonias, quas adhibuerint in adoptionibus, suppeditat nobis illud Tranquilli in *Augusto, Cajum & Lucium adoptavit domi per* LIBRAM *&* ASSEM. Qui ritus retinentissimus erat Populo Rom. adeo ut nulla ferme res a quovis abalienari posset, nisi per hanc dictam solennitatem. Rem ipsam, ex Cajo JCTO & Boetio in 3. *Comment. Topicorum*, Lazius l. 1. *Reip. Rom.* ita recenset; *Adhibitis non minus* 5. *testibus Civibus Romanis puberibus Sextus ejusdem conditionis Libram coram Prætore tenebat æneam, qui Libripens appellabatur. Tunc is qui mancipium emebat, aut alterius familiæ hominem adoptabat, percutiens Libram ære: Hunc ego hominem, dicebat, ex jure Quiritium meum esse ajo, isque emtus est hoc ære æneaque libra, ac simul accipiens æs dabat ei a quo mancipium emebat, aut cujus filium agnatumve adoptabat precii quodammodo loco, ex l.* 12. *Tab.*

XIII. Alter adoptandi modus erat *Arrogatio*, in multis eadem, in multis etiam diversa. Hinc nonnulli duplicem eam constituunt, vel *adoptionem in specie*, vel *arrogationem*. Illa Magistratus imperio, hæc auctoritate Principis perficiebatur, Perott. *Cor. Cop.* p. 741. 58. illa per Prætorem, hæc per Populum, Sigon. *l.* 1. *cap.* 9. illa domi, hæc in foro, Sueton. *August.* c. 64. & 65. Illa in eos, qui in potestate parentum; hæc in homines, qui sui juris erant: unde omnis diversitas. Quoniam enim illi, qui modo morte parentum suorum jam ipsi patresfamilias, adeoque sui juris erant, cives erant ejusdem civitatis, non nisi in foro consensu Populi coram Pontificibus lege Curiata in alterius transire potestatem permittebantur. *Homo liber enim caput mutare nequit, nisi Populo consentiente.* Cives quippe ejusdem Reip. sunt, quemadmodum ex Torrent. excerpsit Schildius *ad Sueton.* Hinc etiam *arrogatio dicta, quod per Populi rogationem fit*, Gell. *l.* 5. *c.* 19. verba

hæc erant: *Velitis, Jubeatis, ut L. Valerius L. Titio tam jure legeque filius fiet, quam si ex eo patre matreque familias ejus natus esset: utque ei vitæ necisque in eum potestas fiet, uti pariendo filio est: hoc ita, ut dixi, ita Vos, Quirites, rogo.* Vel ut alii; quod is, qui adsciscit aliquem in filium, interrogatur, an velit illum justum esse sibi filium; & is, qui adsciscitur, rogatur, an id fieri patiatur. Et huc pertinent verba ista Cic. in *Orat. ad Pontif. Credo enim, quamquam in illa adoptione legitime factum est nihil, tamen te esse interrogatum, auctor-ne esses, ut in te P. Fontejus vitæ necisque potestatem haberet, ut in filio, quæro, si aut negasses, aut tacuisses,* &c.

Legitimatio tertius modus erat acquirendæ patriæ potestatis, cum ex naturali seu extra matrimonium prognato filio legitimus efficiebatur. In Antiquo Jure fiebat 1. per oblationem Curiæ. 2. per sequens matrimonium. In Novo fit 1. per Rescriptum Principis. 2. per nominationem filii naturalis in testamento, vel alio publico instrumento, Perez. *Instit.*

CAP. II.

Summaria.

Στοργὴ parentum & liberorum. Major parentum an liberorum? Nutritio, educatio. Potestas patria Bona liberorum. Operæ. Corpus. Libertas. Vita.

I. Liquet, uti spero, ex his, quæ in I. capite allata sunt, quibus modis patria potestas sit constituta, seu quinam fuerint in potestate parentum. Superest respectum ipsum inter parentes & liberos accuratius aliquanto ruminemur, quæque observatu dignissima, brevibus adjiciamus. Prima fronte sese mihi offert summus ille amor, Græcis στοργὴ, omnibus animantibus a supremo Numine implantatus. *Quis talis effectus extraneus inveniatur, ut vincat paternum?* ait Justinian. *l. ult. in pr. C. de curat. furios.* Nec immerito. Natura enim licet multos affectus tanquam stimulos & aculeos animis hominum inseverit, nullus tamen naturalem superat amorem & charitatem, teste Caso *in Arist. Oecon. l. 1. c. 3.* Magnus amor conjugum, sed major liberorum, Arnis. *Pol.* c. 4. Hinc Thales, qui unus erat ex 7. Sapientibus, Plutarcho memorante, metu quo confici parentes solent ex filiorum interitu a nuptiis & liberorum procreatione revocatus est. Nimirum cum juxta Euripidem ἅπασι δ' ἀνθρώποισι ἡ ψυχὴ τέκνα, q. anima sint; *στέργουσι τὰ τέκνα, ὡς ἑαυτῶν τι ὄντα, amant etiam suos tanquam quiddam ex se, imo ut se ipsos,* uti Philos. l. 8. *Eth.* c. 14. loquitur. Qua positione mentis fuerit Æneas, cujus omnis cura stabat in Ascanio, nemini non notum est. Rulliani, Cæsetii, Octavii Balbi, Seleuci Regis, Ariobarzanis nimius in sobolem amor, & in multis non probandus exstat apud Val. Max. *l. 5. c. 7.* Matres ipsas in Cantabrico bello filios interemisse, ne vivi in hostium manus devenirent, testis est ex Strabone Camer. *Cent.* 2. *c.* 45. Idem accidisse Principi Thessalicæ Theoxenæ memoriæ reliquit Liv. *l.* 40. in pr. De duabus illis fœminis in conspectu filiorum præ nimio gaudio exspirantibus, idem *l.* 22. Imo Solon ipse, quantumvis unus ex 7. a Thaletis tamen sapientioris commento delusus, non prope abfuit, quin corpori suo impatientia ægre faceret, cum de filii morte subornatum nuntium accepisset, nisi dolum Thales mature detexisset, Plut. in *Solone*. Prætermitto alia. *Quid bestiæ?* inquit Lactantius, *nonne frigus & famem patiuntur, & pro suo partu ita propugnant,* A *ut nulla vulnera, nullos ictus reformident?* Martyr l. 2. *Legat. Babyl.* mentionem Crocodili cujusdam facit, cui fœmellam eripuerat nauta, dicitque non secus insultasse in currentem navem, ac si occisorem inde deposceret in vindictam conjugis sibi dedendum. De Pelicanis, qui effuso sanguine suos pullos alunt, Franc. *Hist. Animal.* Merulis marinis, quæ liberis nondum natis sedulo timent, Ælian. l. 1. *Hist. Anim.* c. 14. Summo Glauci piscis in suum fœtum amore, idem *c.* 16. non minore Caniculæ marinæ in suum, *c.* 17. in primis maximo Delphini fœminæ in suum, *c.* 18. adeo verum illud esse videmus, quod Cic. *Ep. ad Att.* στοργὴν φυσικὴν εἶναι πρὸς τὰ τέκνα. B Qua causa excitus Philosophus, vitium in his nullum esse dixit, propterea quod unumquodque eorum per se expetendum esset natura, 6. *Eth.* 4. §. 107.

II. Sicuti autem in parentibus, ita etiam in liberis hic amor mutuus sese offert. Unde etiam deductum est eorum nomen ἀπὸ τῆς φιλίας, non tantum, quod eos parentes ament, sed quod etiam liberorum erga parentes arctissima debeat esse conjunctio & amicitia, censente Funger. *Lex. Etym.* Sic Xenophon vocari eos solitus γηροβοσκοὺς, ut pietatis naturalis eos nomine ipso admoneret; hujus non C immemor erat Æneas, de quo Vir summus l. 3. *Benef.* c. 37. vicisse eum beneficiis parentem suum, quem juvenilibus humeris per media hostium agmina, per cadentis circa se Urbis ruinas, per ignes medios tulit, colendumque inter conditores Romani Imperii posuit. Scipio patrem in prælio reum defendit & conspirationi inimicorum præripuit, id. *l. c.* Talis Manlius Torquatus, Val. Max. *l.* 6. *c.* 9. Talis M. Cotta, id. *l. c.* Cimon, patris causa, vinculis se constringendum tradidit, Corn. in *Cimone*, Just. *l.* 2. *c.* 15. Seneca 9 *Controv.* 1. Quibus tamen contrarium facit Demosth. vir magnus in var. lect. qui non patris causa, sed ob affectatam tyrannidem D mulctatum Cimonem scribit *Or. contra Ariston* Bernecc. *ad Justin.* utrumque factum credit, sed diversis temporibus.

III. An autem in hoc statu major parentum erga liberos, an liberorum erga parentes sit amor, difficile est dictu. Juxta Luciani sententiam, ἡ φύσις τοῖς πατράσι τοὺς παῖδας μᾶλλον, ἢ τοῖς παισὶ τοὺς πατέρας ἐπιτάττεται φιλεῖν. Cui suffragatur Arist. *Nic.* 8. μᾶλλον συνῳκείωται τὸ ἀφ' οὗ τῷ γεννηθέντι, ἢ τὸ γεννώμενον τῷ ποιήσαντι. *Magnis afficitur causa gignens erga genitum, quam genitum erga gignentem.* Illustrabimus hoc egregia Historia, quæ olim Gandavi accidit, & adhuc ibi ære incisa conspicitur, E teste Camerar. *Hor. Subcis.* c. 92. Cent. 1. Cum pater & filius uterque propter enormia scelera morti adjudicati essent, Comes Flandriæ, cupiens periculum facere, in quo esset ardentior στοργὴ, dicitur concessisse alterutri vitam, qui alteri caput præcideret. Tandem patrem multis argumentis ægre persuasisse filio diu renuenti, ut carnificis officio in genitorem fungeretur. Adeo verum illud expertus est, quod vulgo dici solet, amorem descendere potius quam adscendere, patremque minore molestia alere & tueri 10. liberos, quam 10. liberos unicum parentem.

F IV. Quemadmodum autem nullus amor neque sibi neque aliis satisfacit, nisi amoris sui constantiam signo aliquo prodat: ita etiam ex amore hoc fluunt omnia ista beneficia, quæ quidem a parentibus in liberos proficisci possunt. Casus *in Arist.* hac de re eleganter: *Non satis putat peperisse nisi etiam dulcissima ubera præbeat, fasciis involvat, osculetur sæpe, ulnis amplectatur semper. O quam molliter caput in sinum flectit mater! quam vigil est, ne infantem premat! Si ploret fortasse infans, cantando plorantem sedat; si adhuc plorat, timet ne*

lasserit, &c *l.* 1. *c.* 3. Adeo cura ista in prima statim incipit infantia. Neque immerito. Quis enim non crediderit in ipsis infantibus affectus quosdam, quibus vis magna futuræ vitæ & virtutis inest, naturales latere? quis negarit mores infantulorum ab uberibus exsugi? *Si nimium deglutiant infantes, suffocatur ingenium; Si nimium clament, rideant, timeant, irascantur, & ab incunabulis istorum affectuum pungantur aculeis, conceptum venenum adolescentes facti retinebunt, nec nisi difficulter id ipsum deponent*, Casus *l.* 2. *c.* 2. unde auctor est, neque vagitum infantum negligendum: *Si ovium lacte hœdi aut caprarum agni alerentur, constat ferme in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem. In arboribus etiam & frugibus major plerumque vis & potestas est, ad earum vim vel detrectandam vel augendam, aquarum atque terrarum quæ alunt, quam ipsius quod jacitur seminis. Ac sæpe videas arborem lætam & nitentem in locum alium transpositam, deterioris terræ succo deperisse. Sic & nati infantis modo animus & corpus, bene ingenitis primordiis inchoatum, insitivo degenerique alimento lactis alieni corrumpitur: præsertim cum adhibetur nutrix serva, impudica, temulenta, barbara, aut ejusmodi malis moribus prædita*, &c. Hinc de Caligula scriptum exstat, quod non ex parentibus, sed ex nutrice tyrannidem suam hauserit. De Tiberio legitur, quod per nutricem ebriosam & ipse factus sit ebriosus. Remum & Romulum latrociniis addictos putant, quod expositi lacte lupæ a quibusdam nutriti aliquamdiu credantur, Just. *l.* 43. *c.* 2. Habidem Regem Curetum filium antiqui Regis Gurgoris ex conversatione nutricis cervæ scilicet tantam pernicitatem accepisse, ut inter cervorum greges diu montes saltusque haud inferior velocitate peragrarit, ad postremum laqueo captus Regi dono datus sit, tradit idem *l.* 44. *c.* 5. Merito ergo laudandi veteres Romani, apud quos publica lege edictum, ut primo biennio infantes a maternis uberibus penderent, observante Caso *in Arist. l.* 2. *c.* 2. Quod tamen in subsequentibus temporibus non observatum, conqueritur in *Dialogo* Quintilianus, qui Corn. Tacito falso est inscriptus, *Jam primum*, inquiens, *suus cuique filius ex casta parente natus, non in cella emtæ nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur, cujus præcipua laus erat tueri domum, inservire liberis. At nunc natus infans delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adjungitur unus aut alter ex omnibus plerumque vilissimus, nec cuiquam serio ministerio accommodatus.* Idem prisci Germani, de quibus Tacitus *c.* 6. *Sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur*, nisi eadem hodierna, quæ tunc temporis Romanorum, esset perversitas. *Erubescit enim fieri nutrix, quæ facta est mater*, ait Chrysost *Ps.* 50. *Hom.* 1. cum tamen binas idcirco mammas natura illis tribuerit, censente Schonb. *Pol.* l. 1. quas Catull. idcirco nutrices vocat: & Agell. *l.* 12. *c.* 1. fontem sanctissimum corporis, generis humani educatorem, v. ad hunc locum Plutarch. *de educatione*, Timpler. l. 2. *Oecon.* cap. 4. Kekerm. *Philos. disp.* 28. 9. 13. Stuck. l. 1. *Antiq. Conviv.* c. 12. & alios, quorum una eademque sententia materno lacte nutriendos infantes, nec nisi summa necessitate urgente adhibendas nutrices. Quales autem nutrices eligendæ, si mater ipsa liberos alere nequeat, de eo Plut. περὶ παιδ. ἀγωγ.

V. Et hæc cura in infantia. Major adhibenda succedente pueritia cæterisque annis. Utpote in qua ætate radix vitiorum libere pullulascit, nisi parentes diligenter imperent, & disciplinæ frænis fortiter in moderandis affectibus utantur. *Anima enim hominum, maxime juvenum & puerorum, est tan-*

A *quam tabula rasa, in qua, quod volueris, facile ab initio est sculpere vel scribere vel pingere. Ast ubi primos colores, &, ut loquar significantius, primos characteres exceperit, vix efficitur, ut ita mutari possit, quin saltem priorum non remaneant maculæ. Ut vasa nova primum, quem infuderis, liquorem odore retento referunt*, Tholoz. *l.* 15. *c.* 1. *Quemadmodum* ergo *prægnantibus & parturientibus mulieribus adhibentur prudentes & providæ obstetrices; quæ eis auxilio esse possint, & exitum facilem & commodum partui afferre: sic animis juvenum prægnantibus, & quibusdam naturalibus propensionibus in partum properantibus, adhiberi debent diligentes ingenii dire-* B *ctores & ductores, qui partus excipiant & informent*, idem *ib.* ut adeo recte Philosophus moneat 5. *Pol.* c. 8. plus curæ & diligentiæ in liberorum educatione, quam aliis in rebus esse adhibendum. Satius enim foret, juxta Kekerm. sententiam, non procreare liberos, quam procreatos non bene educare, *Philos. disp.* 28. 9. 17. Athenienses quanti hoc officium fecerint, patet ex lege Solonis, qua sancitum, ut si filius a patre nullam artem fuisset edoctus, nulla ei senio confecto deberet alimenta, Plut. in *Solone.* Quam tamen Solonis legem merito rejicit Bodin. l. 1. *de Rep.* c. 4. Baleares a pueri- C libus annis adeo exercebantur, ut alioqui ne parvis quidem cibus exhiberetur pueris, nisi funda quicquam prius attigissent, Strab. *l.* 3. Veget. l. 1. *de re milit.* c. 16. De Parthis idem ferme traditur: idem de Brachmannis Philosophis, qui pueros impransos extrudere soliti sunt, si quando nihil utilis operæ vel parentibus, vel suis rebus necessariis dedissent, Camerar. *Hor. Subcis.* c. 15. Cent. 1. quod etiam apud Ægyptios observatum, ut pueri non prius cibo potirentur, quam 180. stadia cursu confecissent, auctor est Diod. Sic. *l.* 2. *c.* 1. Cretenses juventutem venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando erudiunt, Cic. 2. *Tusc.* D *Quæst.* alii alia via ac ratione; veluti Indi, Arcades, Persæ, Lacedæmonii, &c. de quibus Alex. Sard. *l.* 1. *c.* 13. Alex. ab Alex. *l.* 2. *c.* 25. Videamus Romanorum instituta, quæ si in aliis, hac profecto in re laude erunt omni dignissima. Reputabant secum prudentissimi Quirites, parum prodesse, foris esse strenuum, si male domi viveretur. *Expugnentur licet urbes, corripiantur gentes, regnis injiciantur manus, nisi foro & curiæ officium ac verecundia sua constiterit, partarum rerum cœlo æquatus cumulus sedem stabilem non habebit.* Sunt verba Val. Max. *l.* 2. *c.* 9. Hinc ab ipsis incunabulis certos custodes liberis præficiebant, quorum severitatem E ac disciplinam circa educandos formandosque liberos Quintil. celebrat loco paulo ante citato: *Eligebatur*, inquit, *aliqua natu major, propinqua, cujus probatis spectatisque moribus omnis cujuspiam familiæ soboles committeretur; coram qua neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere, quod inhonestum factu videretur. Ac non studia modo curasque, sed remissiones etiam lususque puerorum sanctitate quadam ac verecundia temperabant. Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Cæsaris, sic Attiam Augusti matrem præfuisse educationibus ac produxisse principes liberos accepimus.* Cato Censorius ipse liberos suos propterea instituebat, Plut. in *Vita.* Item Augustus F Octavius: Nihil nisi palam loqui aut agere vetabantur, quod in diurnos commentarios referri poterat, Sueton. in *Vita.* Idem Cato Censor Manlium senatu movebat, quod interdiu præsente filia uxorem suaviasset, Plut. in *Vita.* Hieron Epicharmum Comicum mulctabat, quod coram filia lascivos versus edidisset, Plut. *Apophth.* tantaque Romanæ verecundiæ observatio & morum exempla erant, ut nec pater cum filio pubere, nec socer cum genero lavaret, nudosque conspicere parentes ne-

nefas ducerent, Alex. ab. Alex. *lib.* 2. *cap.* 25.

VI. His moribus domi instituti, ducebantur in ludum litterarium. Aut enim arte aut Marte excellere cogebantur. Qui Marte, filios suos adhuc impuberes secum adducebant in Provinciam seu militiam, ut mature adsuescerent. Qui mos nunquam satis laudandus. Nicolaus Caussinus inter recentiores Rhetoras haud postremo loco ponendus lib. 10. *de Eloq. sac. & hum.* cap. 2. *Utrum*, inquit, *paratior accedet ad forum, qui ex hac umbratili exercitatione, magna cum ingenii commendatione discesserit; an is, qui nunquam scholas viderit, nunquam hominum vultum tulerit, nunquam os ad dicendum aperuerit?* &c. *Discit primum canis venaticus in aula pelles allatrare, mox feras in sylvis persequitur: balbutientibus modulis, mellitissimis cantibus proludunt lusciniæ: spectant e nido Solem aquilarum pulli, antequam propius aggrediantur, & sustineant firmius; ad legitimos congressus pugnæ simulacra sternunt viam. Nihil prius in fructum erumpit, quam in florem*, &c. Eadem mens erat Romanorum. A primis pubertatis annis in campum ducebantur a doctoribus suis, quos *Campiductores* appellabant, Laz. *lib.* 4. *cap.* 9. Campus ille dicebatur *Martius*, quod Marti consecratus erat; eratque locus extra Urbem Romam prope portam Flumentanam, Rof. *lib.* 6. *c.* 11. celeberrimus omnium camporum, Fabric. cap. 8. *de Campis Rom.* Pratum equis & juventuti in armis exercendæ accommodatum, unde etiam schola dicitur militiæ Romanæ ab Rosino *lib.* 6. *cap.* 11 Quænam in eo ludicra & exercitia tractarint, Hor. lib. 1. *Carm.* Od. 8. describit:

—— Cur apricum
Oderit campum patiens pulveris atque Solis?
Cur neque militaris
Inter æquales equitet, Gallica nec lupatis
Temperet ora frenis?
Cur timet flavum Tiberim tangere? &c.

Scilicet omni armorum genere exercebantur: *Caput petendo, lateribus insidiando, poplite succidendo, insiliendo, resiliendo, punctim potius quam cæsim feriendo*, &c. Rof. *lib.* 6. *cap.* 11. confirmat idem Alex. ab Alex. *lib.* 2. *cap.* 25. *Hastilia jacere, sudem torquere, equum agitare, arma tractare, Romanæ juventutis peculiare erat.* Finitis his exercitiis, nandi studio lassata corpora ac membra reficiebant, Alex. *lib.* 1. *cap.* 20. Quod inter summa virtutum exercitationis studia, maximeque militiæ necessarium esse, probat inter alia Veget. lib. 1. *Rei Milit.* cap. 17. item Sil. Ital. *lib.* 8.

—— Undosum frangere nando
Indutus thoraca vadum, spectacula tanta
Ante acies virtutis erant.

Sic Augustus nepotes suos ipse natare docebat, Sueton. *cap.* 64. quod Alexander Macedo apud Plutarchum serio licet, sed nimis sero detestatus, *O deterrimus*, inquit, *ego, qui nare non didici!* moxque rapto incumbens clypeo tranat: de proverbio isto, *μήτε νεῖν, μήτε γράμματα, neque natare, neque litteras*, v. Erasm. *Chil.* 1. *Cent.* 4. In ipsa Urbe aut ad Urbem hoc olim factum, ex Lipsio observavit Schild in *Not. ad Sueton. Romani veteres*, inquiens, *Campum Martium vicinum Tiberi ideo delegerunt, in quo juventus post exercitium armorum sudorem pulveremque dilueret*: huc faciunt ista Horatii:

Cur timet flavum Tiberim tangere?

VII. *Artes* qui sequebantur usque ad annum 14. sub disciplina Præceptoris erant, observante Corn. Schrev. *ad Pers.* ex Lubino: *Hetruscas primum litteras, mox Græcas, & haud multo post circumscriptas sententias, quas chrias Græci vocabant, ediscebant: deinde studia liberalia & animi cultum*, Alex. ab Alex. *lib.* 2. *cap.* 25. præ cæteris in declamationibus summo semper studio exercebantur; scil. ut pueri statim ad bene dicendum instituerentur, ut, cum adolevissent, in judiciis ac consiliis publicis facundiæ suæ vires experiri possent. Hinc Pers. *Sat.* 3.

Sæpe oculos, memini, tingebam parvus olivo,
Grandia si nollem morituro verba Catoni
Dicere, non sano multum laudanda Magistro,
Quæ pater adductis sudans audiret amicis.

Quantam Tullius operam huic studio navarit, ex lib. *de Clar. Orat.* patet, cum ita ait: *Huic ego Doctori & ejus artibus variis atque multis ita erantum* deditus, ut ab exercitationibus Oratoriis nullus dies vacuus esset. Commentabar declamitans sæpe cum M. Pisone & cum Q. Pompejo, aut cum aliquo quotidie*, &c. Eandem ob causam in curiam quoque assumebantur, ut ex seniorum factis dictisque discerent imposterum similia & dicere & consulere. Ut enim Q. Scævola legum clarissimus & certissimus vates quondam professus est, aptius & facilius negotia implicita explicari possunt ab his, qui quotidiano usu eadem tractarint, Val. Max. *lib.* 8. *cap.* 12. Qui tamen mos exemplo Papirii pueri postmodum sublatus, cui exinde cognomentum honoris gratia inditum PRÆTEXTATO, Macrob. lib. 1. *Saturn.* cap. 6.

VIII. Schola egressi ducebantur ad *ludum saltatorium*, ubi cum crotalis, nervorumque & tibiarum cantibus ad numerum certo modo psallere docebantur, Alex. ab Al *lib.* 2. *cap.* 25. Nimirum, *sunt*, ut monet Seneca *ep.* 15. *exercitationes & faciles & breves, quæ corpus & sine mora laxent, & tempori parcant, cujus præcipue ratio habenda est.* Inter reliqua saltationis genera, & *motus Ionicos* summo studio agitabant, quoniam Iones psallendi normam & molles saltus primi invenisse traduntur, Al. ab Al. *ibid.* Sic Horat.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo.

Unde patet filias quoque virgines inter studiosa numerasse saltandi meditationem, v. Macrob. *Saturn.* 3. cap. 14. Item *Saltationem Pyrrhicam*: in qua licet præcipuus esset gladii usus, hanc tamen saltationem non modo tyrones & milites, sed nobilissimos quosque adolescentes, & Principes interdum ipsos esse edoctos, tradit Dempst. *ad Rof. lib.* 5. *cap.* 25. Frequens præterea juvenum erat *pilarum usus* in Campo Martio fieri solitus: ita dicta, quod pilis plena, Perott. *ad Mart. epigr.* 9. Exque his altera *paganica*, cui nomen a pagis seu villis, propterea quod in iis primus aut frequentior ejus usus fuerit, Dempster. *ad Rof lib* 5. *cap.* 1. *Trigonalis* altera, a figura denominata propter tres angulos, vel, ut Perott. vult, a Trigone, qui locus erat in Thermis triquetra, hoc est, triangulari figura, quam Græci *τρίγωνον* vocant, ad hujusmodi pilæ lusum ædificatus. Maximus ejus usus erat in corporis motu & agilitate, ut scirent apte pilam jacere atque excipere, modo incurrere, modo recurrere, Alex. ab Alex. *lib.* 3. *cap.* 21. Hinc etiam non senum aut ætate profectorum † erat, quibus non firmum latus, aut

* Leg. *eram tum.* † Rescr. *provectorum.*

annis exhaustæ vires, sed juvenum esse consuevit, teste Dempstero *ad lib.* 5. *Ros. cap.* 1. ubi plura de pilarum generibus. Consule Galenum, qui integrum de hac librum tanquam re exercendo corpori maxime idonea conscripsit. Item Hieron. Mercur. Medicum Patavinum in lib. *Artis Gymnast.* 2. c. 2. Dicerem de cæteris, de quibus Plaut. in *Bacch.*

Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugillatu, pila,
Saliendo sese exercebant magis, quam scorto aut suaviis:
Ibi suam ætatem extendebant,

nisi Alex. ab Alex. *lib.* 3. *cap.* 21. Dempster. *ad Ros. l. c.* Hieron. Mercur. *eodem libro* pluribus eademque egregie hæc omnia fuissent persecuti.

IX. Fundamentis adeo privata hac exercitatione in omnibus jam probe jactis, in apricum producenda erat juventus, & ut Tullius ait 1. *de Orat.* *Educenda dictio ex hac domestica exercitatione & umbratili medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra, atque aciem forensem. Subeundus usus omnium, & periclitandæ ingenii vires, & illa commentatio inclusa in veritatis lucem proferenda erat.* Solenni itaque officio a parentibus in forum ducebantur. Nimirum, ut Cæl. Rhod. scribit, ut aliquo insigni indicio civibus suis noscerentur. Actio illa Tyrocinium dicebatur; ipsi autem Tyrones. *Ille in foro primum dictus est, Tyro dictus est*, Seneca 3. *Declam.* De ritibus, qui circa istam deductionem sunt observati, plura dicenda erunt in *c.* 4.

X. Et hæc officia sunt parentum; quæ consistunt, ut dixi, in generatione, nutritione, & institutione: quæ beneficia omnium maxima vocat Arist. 8. *Eth.* cap. 11. & 12 Jure merito illis subnectimus officia liberorum; consistentia (1.) in obedientia, (2.) in honore & reverentia, (3.) in grato animo. Nota hæc sunt ex Politicis. Ethnici tanti hoc officium faciunt, ut ceu expressum id mandatum divinum de parentibus honorandis habeant. Constat hoc ex Lege Platonis: SI QVIS MINVS QVAM DECET PARENTES COLAT, NEQVE MAGIS EOS QVAM FILIOS NEPOTESQVE ET SE IPSVM ETIAM DILIGAT, &c. quam cum integram ex Platone lib. 2. *de LL.* Camerar. in *Op. Subcis.* p. 1. cap. 92. adscripsit, non operæ pretium erit pluribus eam adducere; liber ipse omnium teritur manibus. Aristoteles dignos esse pœna ducit, qui DEVM & parentes colendos negant, 7. *Top.* Sicuti enim DEO nulla pro meritis gratia potest referri, ita neque parentibus; unde DEVM etiam atque parentes ubique conjungit, quando iis negat ἀνταπόδοσιν κατ' ἀξίαν posse propter beneficiorum reddi magnitudinem; non absimilis istis, qui parentes tanquam DEOS venerati sunt, sicuti de Veteribus tradit Simplic. *Enchir. Epict.* *Antiquissimi quique mortalium venerabantur parentes, ut Deos eos appellare non dubitarint.* Romani respicientes tum ad hanc quæ a natura erat eminentiam, tum ad labores, quos pro liberis parentes sustinebant, liberos parentibus sine omni exceptione subjectos esse volebant. Platoni hæc potestas propter summam ejus auctoritatem δυσπλασία ἀρχὴ vocatur. Manlio apud Liv. *l.* 8 majestas patria. Ulpiano Lex Quiritum κατ' ἐξοχήν. Aliis jura Patrum, Ovid. 10. *Metam.*

Dii precor, & pietas, sacrataque jura Parentum.

Hinc Sigon. *de antiq. Jure Civ. Rom.* cap. 10. id prope infinitum & Quiritum proprium fuisse ait; a qua sententia Just. *lib.* 1. *Instit.* non alienus videtur, *jus potestatis*, scribens, *quod habemus in liberos, proprium est civium Romanorum. Nulli enim sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus.* Dicit nullos fuisse homines. Neque immerito. Quænam enim Gens unquam reperta est, cujus tanta in liberos parentum potestas, quam Romana. Non diffitemur quidem ipsum vitæ & necis jus aliis etiam Gentibus usu receptum fuisse, veluti de Gallis scribit Jul. Cæs. l. 6. *Belli Gall.* de Ægyptiis, Diod. Sic. *l.* 25. Sclavis, Accurs. *Instit. patr. pot.* Muscovitis, Sigism. Baro *Hist. Musc.* Lappis, quibus par potestas est in liberos & servos, Joh. Hugo *L. ad Schott. in Rel. Indic.* c. 26. p. 2. Persis, Arist. 8. *Eth.* cap. 10. Verum, ut Arnis. *Rel. Pol.* c. 4. de his judicat, hi forte non patria, sed regia potestate in liberos usi sunt. Simplic. *in Epict.* nullum esse dubium ait, quin Romanæ leges patriæ potestati multo excellentiores addiderint effectus, adeoque quod a rudi natura inchoatum receperunt, in splendidam juris formam elaborarint, *fretæ sc.* ut ait, *naturali liberorum erga parentes pietate.* Audiamus judicium hac de re summi inter Antiq. viri Dion. Hal. *Qui formas vivendi Græcis condiderunt civitatibus* (instituit comparationem inter Græcos & Romanos) *certum quoddam tempus præscripserunt, quo liberi patribus essent subditi, sed admodum breve; quidam usque ad annum pubertatis tertium; quidam tantisper dum cœlibes manent; nonnulli donec publice inter viros adscripti essent, &c. pœna etiam in contumaces filios statuerunt non graves, permittentes patribus eos domo pellere, atque exhæredare, præterea nihil, &c. Romanorum autem addit Legislator, omnem potestatem patri dedit in filium, idque toto vitæ tempore, sive in carcerem eum detrudere, sive flagris cædere, sive vinctum ablegare ad rustica opera, sive necare libeat, etiamsi filius tractet Rempublicam, etiamsi Magistratus gesserit maximos, etiamsi studii erga Rempubl. laudem sit promeritus: juxta hanc certe legem illustres viri, fruentes aura populari, detracti e suggesto, abducti sunt a parentibus, pœnas daturi ex ipsorum sententia &c. Nec contentus hanc potestatem parentibus dedisse, permisit etiam vendere filium, nihil deterritus crudelitatis specie, &c. l.* 2. *c.* 73. *p.* 96. Tantum datum fuit ea ætate auctoritati patriæ. Quod Consuli, quod superiori cuicunque potestati non licuisset, licuit privato patri. Inde non immerito supra Just. dixit; Talem in liberos potestatem alios non habere, quam suos Romanos. An autem quamdiu filius exsequitur munera publica, patriæ potestati subjacere debeat, quoniam magis politicum est, Lectorem ad Arnis. *Rel. Pol.* relego, qui erudite satis, ut in aliis, hanc quæstionem *c.* 4. §. 10. persecutus est.

XI. Consistebat autem patria hæc potestas quinque potissimum in rebus, (1.) in bonis seu rebus, quas possidebant; (2.) in operis, quas præstare poterant; (3.) in corpore; (4.) libertate; (5.) in vita. Primum quod attinet, filiusfamilias nihil poterat habere proprium. *Quicquid ad liberos pervenerat, (exceptis peculiis castrensibus) hoc parentibus suis acquirebant sine ulla distinctione, adeo, ut jus esset patri, quod per unum acquisitum esset, illud alii filio vel extraneo donare, vendere, aut alio quocunque modo in alium transferre: cum enim vi patriæ potestatis persona & corpus liberorum subjiceretur parentibus, multo magis eorundem res & bona*, Petez. *Instit. Imper. lib.* 2. §. 9 Ratio hæc est, quoniam ex jure gentium in potestate sua habere non potest, qui non est suæ potestatis. Ideoque ut a servis, ita & a filiisfamilias,

quodcunque acquiritur, acquiritur illi, in cujus potestate est acquirens, adeo, ut, dicente Ulpiano, ne momento quidem res acquisita consistat in persona acquirentis, sed statim transeat ad eum, cui acquiratur, Arnis. *Pol.* cap. 4. Ne autem omnibus privarentur, aliquid pecuniolæ ex indulgentia parentum illis concessum est, quam peculium (a pecu sic dictum, ut Isidoro, Festo, aliisque placet, aliis quasi pusillam pecuniam) dixerunt. Quantum ad liberos attinet, quadruplex id ipsum fuit: *Profectitium*, *Adventitium*, *Castrense*, & *quasi Castrense*. *Profectitium* dicebatur, quod erat profectum ex bonis paternis. *Adventitium*, quod aliunde, scilicet a matre, avo, vel cognatorum B testamentis, advenerat. *Castrense*, quod occasione militiæ filius familias in castris comparaverat. *Quasi Castrense*, quod acquisiverat ex forensi militia, vel bonarum artium professione. (2.) Consistebat in *operis*, quas præstare poterant. Romuli Legis verba & sensum sic refert Dion. Hal. *l.* 2. *Romulus omnem parentibus in liberos potestatem in perpetuum dedit, coercendi, verberandi, rusticis in operibus habendi, ac demum occidendi*. L. Manlium, filium Torquatum, quod infacundior esset, & lingua impromtus, rus ad plaustrum & aratrum damnasse notum est ex Val. Max. item Liv. *lib.* 7. Sic Demea filium minitabatur rus abigere, atque illic C exercere opere rustico, Ter *Andr. Act.* 5 *Sc.* 3. (3.) Respicit *corpus*. Quo parentibus non secus ac bonis liberorum licebat facere, quodcunque lubebat. *Romanorum* enim *Legislator Romulus Solonis, Pittaci, Charondæque leges, permittentes patribus filios exhæredare, domo pellere, non satis graves esse judicans, omnem potestatem patri dedit in filium, idque toto vitæ tempore, sive in carcerem eum mittere, sive flagris cædere, sive vinctum ablegare, &c.* Dion. Hal. *l.* 2. *p.* 96. De Auxone Equite Romano Tiraquell. in *Not. ad Alex. ab Alex. l.* 6. *c.* 10. illum tam immoderate filium suum virgis cecidisse tradit, ut Romæ publice a parentibus omnibus & filiisfamilias, nihil D Equestrem dignitatem reveritis, obsessus stylisque confossus fuerit; & Augustus vix potuerit confossum liberare. (4.) *Libertatem*. Per quam nihil aliud proprie intelligimus, quam facultatem agendi, qua in patria constituti potestate destituebantur. Post tertiam venditionem nanciscebatur filius libertatem plenam, vid. Halicar. *lib.* 2. *pag.* 97. De libertate civili autem alia est quæstio, de qua Paulus lib 5. *Sentent. tit.* 1. *§.* 1. *Qui contemplatione extremæ necessitatis, aut alimentorum gratia filios suos vendiderint, statui ingenuitatis eorum non præjudicant. Homo enim liber nullo pretio æstimatur. Iidem nec pignori ab his, aut fiduciæ dari possunt. Ex quo facto sciens creditor deportatur. Operæ tamen eorum locari possunt*. Hinc Arnis. *Rel. Pol.* cap. 4. erroris insimulat Montecatinum, quod servitium, in quod vendebantur liberi, confundat cum servitute vera. Nam libertas a nullo parente, etiamsi jus vitæ & necis haberet, ulli filio eripi potuit, dicit ex *lib. ult. cap. de patr. pot. lib.* 2. *in fi. cap. de pat. qui fil. distrax.* Quamquam Numa Pompilius hanc ad legem Romuli exceptionem postea adjecit, ne pater filium, qui suo consensu uxorem duxisset, vendendi jus haberet, Sigon. *l.* 1. *c.* 10. (5.) Concernit *vitam*. Sic enim lex 12. *Tab. Habeat paterfamilias jus in eum vitæ & necis terque eum venundandi potestatem*. Exempla nobis satis multa suppeditat Livius Historicus: quemadmodum *Horatii*, qui in deprecatione pro filio ajebat se judicare filiam jure occisam, alioquin privata potestate in filii vitam adversurum fuisse; *Cassii*, qui filium occidit & bona ejus Cereri dicavit &c. Sallustius; item *P. Attilii*, qui filiam stupri convictam ipse intra privatos parietes intere- A mit; *A. Fulvii Senatoris*, qui ob partes Catilinæ a patre interfectus; & aliorum, qui non solum ex his, sed passim ex Val. Max. Floro, Seneca, Tacito, Suetonio, aliisque Historicis peti possunt. Quomodo probanda aut improbanda hæc sit potesta multis hic non disputabimus. Interrogati autem dabimus responsionem distinctam.

Cap. III.

Summaria.

De Gloria multitudinis liberorum.

Præter hanc patriam potestatem, quam parentibus in liberos concesserant, præmia quoque certa & privilegia constituebant, quo magis magisque civium animi spe immunitatis & præmiorum alacres redderentur. Non ignari sc. optimam dari regiminis formam, quæ præmiis & pœnis contineatur, eoque plerumque impendi laborem ac periculum, unde honos atque emolumentum speretur. Πᾶν τὸ τιμώμενον αὔξεται, ἐλαττοῦται δὲ τὸ ἀτιμαζόμενον. *Augetur & crescit quicquid in honore est, deficit quicquid in contemtu*, ait ille apud Stobæum *serm.* 46. Hinc, quemadmodum apud antiquissimos Romanorum, neque generi, neque pecuniæ præstantior honos tribui quam ætati solitus, majoresque natu a minoribus culti ad Dei prope & parentum vicem, atque in omni loco inque omni specie honoris priores potioresque habiti, sic postquam soboles civitati necessaria visa est, honores illi in parentes plurium liberorum posthabita ætate cumulati sunt, & viridis ætas, quæ prolem Reipublicæ dedisset, annosis senibus antelata, Gell. *l.* 2. *c.* 15. Quosnam vero honores, quænam præmia & commoda præ cæteris habuerint, jam explicabimus. Honores hi erant. Plurium liberorum parentes in omni negotio pauciores liberos habentibus, aut sine uxore degentibus anteferebantur, teste Alex. ab Alex. *lib.* 4. *cap.* 8. Præturas, quæsturas, & consulatus, honoresque & Magistratus, nisi parentibus plurium liberorum, Comitiis dabant, idem *l. c.* In petitione præferebantur, Tacitus *lib.* 11. in sorte provinciali, idem *Annal.* 15. in Magistratu, Agell. *lib.* 2. *cap.* 15. in honoribus petendis. Minores enim 25. annis ad honores non admittebantur, nisi beneficio prolis. Qui ergo 5. habebant, anno 20. admittebantur, qui tres anno 22. & sic deinceps. E Pluribus hoc probat Lips. *ad Annal.* 3. Quod præmia ac privilegia concernit, itidem habebant talia præ cæteris majora: πολυπαιδίας, inquit Dio, ἆθλα ἐπέθηκεν. Licet enim nonnulli ob penuriam rei familiaris Rempublicam juvare non possent, sobolis tamen procreandæ ergo civitate fruebantur, unde etiam a munere officioque edendæ prolis appellati sunt proletarii, Agell. *lib.* 16. *cap.* 10. Sic pro tribus liberis alimenta usque ad puberem ætatem accipiebant ex publico, Dion. Hal. Quod idem fere Appianus lib. 2. *Belli Civ.* ait: *Si qui trium liberorum jus habuissent, neque esset unde alerent, iis legem Agrariam promulgari solitam.* F Et eandem ob causam Jul. Cæs. agrum Campanum extra sortem 20. millibus civium, quibus terni pluresve liberi essent, in consulatu suo dividebat, ut notat Sueton. *cap.* 20. Apud Persas, (non enim solum apud Romanos, verum alias etiam nationes idem in usu erat) illis, qui plurimos liberos procreassent, Rex, tanquam strenuum quippiam præstitissent, singulis annis munera mittebat. Quod ipsum, recensen-

te Camer. in *Hor. Subc.* observatur adhuc quotannis in nonnullis Imperii civitatibus apud nos Germanos, in frequenti cœtu hominum cum publica gratulatione munuscula veluti industriis offeruntur cum hoc encomio, *dasz sie die Welt gemehret haben*. Lex erat apud Lacedæmonios, *Qui tres genuerit filios, eum esse immunem a custodia. Qui vero quatuor, immunem ob omnibus oneribus*, Ælian. *lib.* 6. *cap.* 6. Et hinc est, quod Orbonam deam colerent Romani, scil. ne orbos faceret, ut docet Rosinus *lib.* 2. *cap.* 19. Sicut enim liberorum plurium parentibus honores habebantur, ita iis, qui vacui erant liberis, contemtus. Totos idcirco dies precabantur & immolabant, ut sui liberi sibi superstites essent, Cic. l. 2. *de Nat. Deor.* Et alter alteri boni quid precaturus, superstites liberos precabatur, sicuti ille apud Senecam in *Controv. Quid tibi, optime socer, pro ista misericordia tua, qua mihi & patri pepercisti, precer, nisi superstitem filiam?* Notum est votum illud Lesbiæ ex Terent. *Andr.* Act. 3. Sc. 2.

Deos quæso, ut sit superstes!

Item Sostratæ ad Clitiphonem filium. Idem *Heaut.* Act. 5. Sc. 4.

Ita mihi atque huic sis superstes!

Quanquam hæ, de quibus diximus, immunitates & privilegia apud Romanos πολυπαιδίας gratia concessa, tandem non solum in abusum & desuetudinem abierunt, verum etiam plane neglecta sunt. Causa erat prava Imperatorum indulgentia. Ut enim Dio *lib.* 55. *Quibus seu viris seu fœminis fatum aliquod proventum tot liberorum negavit, iis lex antea quidem per Senatum, nunc autem per Principem jura gratificatur natorum. Ita ut neque pœnis orbitatis obnoxii sint, & præmia omnia multitudinis liberorum consequantur.* Juvenali privilegium hoc jus vocatur parentum; Tacito privilegium parentum; Tertulliano auctoritas trium liberorum; Aliis jus liberorum seu jus trium liberorum. Hoc enim qui habebat, cum aliquid populo viritim dividebatur, pro tribus accipiebat, quasi tribus filiis alimenta præstiturus esset. Institutum in laudem Horatiorum, qui tergemini adversus Curiatios Albanos pro Romano Imperio pugnaverunt, ut dicit Perott. *p.* 657. Hinc Plin. *ad Trajan. lib.* 10. *Exprimere, domine, verbis non possum, quantum mihi gaudium attulerit, quod me dignum putasti jure trium liberorum*, ep. 2. Et Mart. *epigr.* 91. lib. 2.

Quod fortuna vetat fieri, permitte videri,
Natorum genitor credar ut esse trium.

Jus etiam quatuor liberorum fuisse, quod Claudius Princeps mulieribus dedit, testis est Tranq. *cap.* 19.

CAP. IV.

Summaria.

De Vestitu Infantum. Puerorum. Juvenum. Puellarum, ac Virginum.

I. ULTIMO loco restat, ut agamus de Romanorum vestitu. Capiamus primordium ab ipsis infantiæ ac pueritiæ annis. Infantes quod attinet, gestabant illi in collo jocalia quædam aurea & argentea, quæ *Crepundia* dicebant. Sic ille apud Comicum *,

Faciam quasi puero in collo pendeant Crepundia.

Effigies eorum pro cujuslibet arbitrio & inventione varie effingebatur. Plautus in *Rudente* Act. 4. Sc. 4. infantulæ cujusdam nobis describens, *Ensiculum aureum*, fuisse ait, *securiculam* item *auream, in quibus patris & matris nomen fuerit insculptum, ut deperdita olim filia parentes suos scire posset*; item *duas connexas maniculas, & suculam argenteam*. Dicebantur alias *Crepitacula*, a crepando scil. quod ob frequentem strepitum in deliciis essent puerorum, & ad fletum sedandum plurimum facerent. Multa præterea alia infantum imo & puerorum collis apponebantur, quæ adversus invidiam & omnia veneficia valentissima fore arbitrabantur; cujusmodi remedii genera Græcis ἀλεξίκακα a depellendis malis, Latinis vero a præbendo, ut sint tuti, qui id in collo gerunt, *præbia*, & ab amula *amuleta* dicuntur, v. Perott. *Corn. Cop.* p. 210. Amuletum enim, quasi amola ab amoliendis periculis dictum, nihil aliud erat quam vasculi quoddam genus, quod religionis & expiandorum malorum gratia gestabatur; quale Plinius nobis his verbis descripsit: *infantibus alligatur succinum amuleti ratione formam vasculi habens.* Nimirum, ut ait *Scholiast.* Theocr. fascini vis major credebatur in tenera atque imbecilla, καὶ μάλιστα παῖδας. Vales. *de sacr. Phil.* cap. 68. dicit, superstitiosum hunc esse timorem, ex stulta vulgi opinione profectum, fascinationisque nomen nullum naturalem morbum significare, sed superstitionem vanam, ex vulgari natam opinione. Verum Plutar. lib. 5. *Quæst. Conviv.* 7. hanc opinionem probabilem reddere satagit. Causas affert infirmitatem & humiditatem infantum, quibus facile corpus convertitur in deterius. Consentit in hoc Alex. quoque Aphrod. lib. 2. *Problem.* 54. Si Plinio credimus, sunt in terra Africa familiæ voce & lingua effascinantes, quæ si impensius forte laudaverint, pulchras arbores, segetes lætiores, infantes amœniores, emoriantur repente necesse est. Verumenimvero hanc disputationem jam nostram non faciemus. Sufficit hoc loco annotasse antiquam Veterum superstitionem. Quænam in istiusmodi amuletis remedia habuerint inclusa, de eo v. Henr. Salm. *ad Pancirol. p.* 1. *tit.* 43.

II. *Pueritia* usque ad annum 13. *pallium* gerebat. Quod quia veluti alas haberet *aliculam chlamydem* in communi vocatum, testis est Ferrar. p. 2. lib. 3. cap. 1. *de Re Vest.* Meminit ejus Sueton. in *Tiber.* cap. 6. *Munera, quibus a Pompeii sorore in Sicilia donatus est, chlamys & fibula, item bullæ aureæ durant, ostenduntur que adhuc Baiis.* Cujacius lib. 10. *Observ.* cap. 18. breves togas Aliculas interpretatur, ex Martial. auctoritate, qui quam brumæ diebus Aliculam missam dicebat ab Umbro, eandem alicubi brevem togam appellat *l.* 10. *ep.* 14. Verum si Ferrario & Velio Longo de orthographia credimus, qui Aliculam, quod alas humeris injecta contineat, dictam contendunt, utique non toga, quippe quæ rotunda & clausa alas habere non poterat, neque juxta Hottomannum manicata tunica dici potest, sed proprio vocabulo chlamys, v. Ferrar. hac de sent. *lib.* 2. Pancirol. *p.* 1. *tit.* 43.

III. Exacta hac ætate *Prætextam* sumebant, quam & *togam puerilem* dictam testis est Laz. *lib.* 8. *cap.* 2. Forma ejus hæc erat: Vestis scil. oblonga seu talaris, sine manicis, cujus ora & circuitus purpura prætexebatur, quæque supra humerum dextrum fibula adstringebatur, totumque sinistrum latus obtegebat, v. Pancirol. *tit.* 43. *p.* 1. Materia erat ex serici genere aliquo, Sigon. *lib.* 8. *cap.* 2. Græcis dicebatur περιπόρφυρος, id est, *circumquaque purpuram habens.* Sicuti Latinis propterea etiam

* Plaut. *Mil. Glor.* Act. 5. Sc. 1.

prætexta, quod in extremitatibus & limbis purpuram prætextam seu circumtextam haberet instar fimbriarum. Origo ejus erat a Tarquinio Prisco, quinto a Romulo. Hic filium suum annos natum 14. quod hostem manu percusserat, pro concione laudavit, & bulla aurea prætextaque donavit, Macrob. l. 2 *Saturn.* c. 6. Inde deductus mos, ut prætexta in usum puerorum nobilium usurparetur. Quamquam non eadem omnium. Idem enim Priscus, teste Macrob. *l. c.* cultum ingenuorum inter præcipua duxit, instituitque, ut Patritii bulla aurea cum toga, cui purpura prætexta, uterentur, duntaxat illi, quorum patres curulem gesserant Magistratum: cæteris autem, ut prætexta tantum uterentur indultum, sed usque ad eos, quorum parentes stipendia justa meruissent. Libertinis vero nullo jure, nisi eorum filiis. Qua de causa v. idem *l. c.* Et hoc erat pro majestate Ordinis, quo a Plebe in ipsa statim pueritia distinguebantur, Alex. ab Alex. *l.* 5. *c.* 18. meretur hac de re legi Henr. Salm. *in Pancirol.* item Sigon. l. 8. *Reip. Rom.* c. 2.

IV. Eodem Tarquinii instituto *Bulla* in collis puerorum suspendi solebat, quod in eadem prætexta *ornamentum pueritiæ, indicium atque insigne fortunæ* fuisse, ait Tullius *in Verrem*. Ingenuis aurea, libertinis vero scortea dabatur. Plut. *Problem.* c. 101. Ascon. 3. *in Verrem*. Ex quo illud Juvenal. *Sat.* 5.

Vel nodus tantum aut signum de paupere loro.

Cur ante pectus suspensum sit, tradit Sigon. *l.* 9. *c.* 13. *ut bullam*, inquiens, *inspicientes in prima illa ætate, ita demum se homines esse meminissent.* Hinc etiam repræsentabat cordis figuram, Macrob. l. 1. *Saturn.* c. 6. Nonnulli ἀπὸ τῆς βουλῆς, vocis significationem secuti, ideo datam pueris gestandam dicunt, quod ætas ea alterius consilio sit regenda, quod autem *Perott. Corn. Cop.* plenum esse censet insaniæ, bullam ad similitudinem ejus bullæ, quæ spiritu in aqua excitatur, pueris appensam scribens, ut non immemores illius, quod vulgo dici solet, forent, *Homo bulla*.

V. Has bullas puberes jam facti Penatibus ac Laribus consecrabant: non secus ac Servi catenas e servitute liberati, Gladiatores gladios, Equites lanceas, & qui erepti fuerant ex aliquo ingenti periculo anathemata sua Servatori deo. Spectat huc illud Persii *Sat.* 5.

Cum primum pavido custos mihi purpura cessit,
Bullaque succinctis Laribus donata pependit.

Prætextam quoque deponebant, & *togam* induebant, quæ discriminis ergo tribus nominibus insigniebatur. (1) *Virilis*, quod qui eam sumerent, ex ephebis transscriberentur in viros. (2) *Pura*, quod tota alba esset, nihil purpuræ admixtum habens. (3) *Libera*, quia ephebi tum primum e magisterio excedebant, & ut loquitur Persius *Purpuræ custodiam exibant*. Hinc toga pura pro ipsa adolescentia nonnunquam ponitur, ut quando scribit Cic. ep. 8. *ad Att.* l. 7. *Habebamus autem in manibus Antonii concionem, habitam* 10. *Kal. Jan. in qua erat accusatio Pompeii usque a toga pura.* Quo autem ætatis anno sumta sit, dissentiunt Auctores, v. Salm. *ad Pancirol. tit.* 43. plerumque tamen post pubertatem, & quidem ipso Tyrocinii die, quo a parentibus in Capitolium ducebantur, ibique virilem togam accipiebant, quod multis exemplis probat Sigon. l. 3. *de Judic.* cap. 18. Eodem quoque anno modestiæ ac pudoris ostentandi ergo brachium extra togam exserere ipsos fuisse prohibitos, auctor est Turneb. l. 7. *Adversf.* hinc Seneca *Declam.* 5. *Apud Patres nostros, qui forensia stipendia auspicabantur, nefas putabatur, brachium extra togam exserere.* Et Cic. *pro Cælio: Nobis quidem olim annus erat unus ad cohibendum brachium toga constitutus, ut exercitatione ludoque campestri tunicati uteremur.*

VI. Puellarum ac virginum vestitus hic erat. (1) Crinibus posituque comarum discernebantur a matronis. Matronarum enim capillus in duas partes æqualiter discriminatus discrimen quoddam Græcis διάκρισιν faciebat; virgines vero & cirratæ erant & crinem in vertice contumulatum & colligatum gerebant absque ulla διακρίσει. Tertull. *de Virginibus velandis: Simulque se mulieres intellexerunt, vertunt capillum & acu lasciviore comam sibi inferunt, crinibus a fronte divisis, apertam professæ mulierositatem.* Sic *cirratas fœminas* dicit Ammian. *l.* 14. & intelligit innuptas, uti colligo ex Lips. *in l.* 3. *Annal.* Crinibus his seu pexis seu flexis ornamenti gratia *vittas* additas, quæ crinibus innecti solebant, ne diffluerent, easque alias nuptarum, alias virginum fuisse, præter Turneb. declarat Val. Flaccus l. 8. *Argon.*

Ultima virgineis tum flens dedit oscula vittis.

Hinc a vinciendo etiam dicebantur, teste Isidoro aliisque. (2) Zona utebantur, παρὰ τὸ ζωννύειν, id est, *cingendo*, sic dicta: unde & ἄζωνοι dicuntur a Poetis. Propria licet mulierum esset, virgines tamen etiam ea tanquam propugnaculo & tegmine pudoris usas, auctor est Al. Sardus *l.* 1. *c.* 19. item Kornmannus *de Virginitate* c. 100. hinc solvere zonam pro eo, quod est virginitatem eripere. (3) *Supparum* gestare solitæ sunt, cujus meminit Alex. ab Alex. *l.* 5. *c.* 18. Variæ variorum de hoc indumento Auctorum sententiæ. Nonnullæ vestem interpretantur puellarem, eandemque esse existimant cum ea, quæ & subucula & camisia dici alias solet: aliæ autem, inter quas Varronis l. 4. *de L. L.* dicunt esse genus togæ levis & angustæ, quod supra induatur: quemadmodum subucula, quæ subtus. Arridet hæc sententia præ cæteris Ferrar. l. 3. *de Re Vest.* c. 20. (4) Prætextam quoque induebant. Quem habitum utrique sexui communem fuisse, præter Ascon. Pedian. Cicero 3. *in Verr.* expressis his verbis docet: *Eripies igitur pupillæ togam prætextam, detrahes ornamenta non solum fortunæ, sed etiam ingenuitatis.* Quam tamen quemadmodum die Tyrocinii a pueris, sic a puellis quoque nuptiarum die depositam ex Festo exploratum habemus: *Nubentibus depositis prætextis, a multitudine puerorum, obscœna clamabantur.* De mulierum vestitu in Dissertatione prima dictum est.

DISSERTATIO IV.

DE

FACULTATIBUS.

CAPUT I.

Summaria.

Nomen facultatis. Definitio. Divisio. Agriculturæ studium. Tribus rustica. Exempla insignium agricolarum. Pœna ob agrum neglectum. Privilegia rusticorum. Honor vitæ rusticæ. Festa rusticalia. Pecuaria. Villæ. Pecunia: Commutatio. Materia. Signa. Species Pecuniæ. Æs, Aurum, Argentum signatum, factum, non factum. Agricultura, secundum naturam. Mercatura.

I. QUod humano corpori ministerium nervi, idem rei domesticæ præbent facultates. Tolle nervos ex corpore, & immotum jacebit corpus, tolle ex domo facultates, & pœnitendos in re familiari ludos dabis. Quemadmodum enim nervi prima in corpore animalis sensus motusque sunt instrumenta, ejusque actionis etiam causæ, ut Physici loquuntur, ita quoque facultates domestici regiminis membra æquabili quodam tenore conservant. Quod secum reputans Aristoteles haud immerito alteram bene constitutæ domus partem posuit facultates, l. 1. *Oecon.* c. 2. *Civibus enim facultates & copiæ rei familiaris suppetant necesse est*, l. 7. *Pol.* c. 9. *ut frugaliter & temperanter vivere possint*, l. 2. *Pol.* c.6. Hanc pertractare nunc animo decretum, cum primam partem tres priores Dissertationes absolverint.

II. Atque ut rem quod ajunt ab ovo deducamus, nomen facultatis primo notandum videtur. Derivationem a facilitate accepisse Festus auctor est, & Perottus inquit: *Facultas proprie facilitatem agendi significat, quoniam cum divites sumus facile quæ volumus agimus*. Unde Petronius.

Quisquis habet nummos secura navigat aura,
Fortunamque suo temperat arbitrio.
Multa loquor, quidvis nummis præsentibus opta,
Et veniet; clausum possidet arca Jovem.

Hac de sententia nec abludit Corn. Fronto, facultas, inquiens, locupletis facilitas artificis est, itaque dives facultatem habet, multa l. emendi, l. redimendi, artifex opera perficiendi facilitatem. In plurali notat nervum, quem vocamus rerum gerendarum, seu copiam rei familiaris. Sic Liv. *l.2.c.*16. de P. Valerio: *Moritur gloria ingenti copiis familiaribus adeo exiguis, ut funeri sumtus deesset, publico est elatus*. Græci accurate exprimunt χρήματα καὶ κτήματα, quæ utensilia & instrumenta ad colendum agrum necessaria, pecuniæ itidem, possessionesque exprimuntur, quam significationem nos hoc loco apprehendimus.

III. Definitionem facultatum seu possessionum quod attinet, sic cum Caso dicimus, quod sit instrumentum externum & utile hominis, vel a na- A tura datum, vel comparatum industria, quo ad beatam efficiendam domum paterfamilias utitur, in *Th. Oecon. ad Arist. l.1.c.2.* Qualem quoque definitionem fere formavit Reyh. in *Ep. Oecon.* th. 29. Possessio, inquit, est instrumentum domesti cum, quo paterfamilias utitur cum ad vivendum, tum ad commode vivendum. Aristoteles brevius: Possessio est multitudo instrumentorum domesticorum & civilium, l.1. *Pol. c.*9. Cui Seybot. causam adjicit finalem, quod sint instrumenta ad vitam, *Doct. Oecon.* c.6.

IV. Definitio, quam ex Caso jam adduximus, distinctionem quoque in se continent, facultates B nempe dispescit 1. in eas quæ a natura dantur. 2. quæ comparantur industria. Primum quod concernit, facultates a natura datæ Romanis præcipue constiterunt in agrorum pecorumque possessionibus; Secundum vero quod attinet, facultates industria comparatæ plurimæ & diversæ quidem fuerunt, ex quibus hoc tamen loco pecuniam potissimum tangemus. Primo, adspirante supremo Numine, de agrorum pecorumque possessione sumus differturi.

V. Vere loquitur Phocylides apud Stobæum,

C *Χρῄζων πλȣ́τȣ μελέτην ἔχει πίονος ἀγρȣ̃.*
Ἀγρὸν γάρ τε λέγȣσιν Ἀμαλθείης κέρας εἶναι.

Hinc Veterum suffragiis Plutus deus divitiarum e Cerere & Jasone natus esse dicitur, quoniam, ut Poeta ante dixit, opes e prædiorum proventu & agricolarum industria nascuntur, Jasonque pater ejus nominatus *ἀπὸ τȣ̃ ἰᾶσθαι a medendo*, quia Ceres laboranti mortalium inopiæ subvenire credebatur, Nat. Com. *l.* 2. *c.* 10. Optime ergo suis consulet rebus paterfamilias, si hoc agriculturæ studio familiam sustentare studebit. Vera namque D est sententia Aristotelis, quæ alimenti rationem oportere primam habere suadet 7. *Pol.* c. 8. Quare juste reprehensus architectus Dinochares ab Alexandro M. qui in condenda urbe Alexandria, quam in Atho ac in altissimi montis specula collocari suadebat, rationem alimoniæ non perpendisset, Plut. in *Alex.* Nicol. in *Dissert.* l. 1. c. 1. Quod nec olim Arcades cogitasse, qui montibus cunctas apposuere suas urbes, asserit Dion. Halic. Nec Majores nostri id consideravere in occupandis altissimis jugis, quorum ædificationem merito improbavit Carolus V. Imperator, Chytr. in *Orat. fund. Car. V.* Neque Turcæ, qui utilissimum illud E agriculturæ studium valde negligunt, & quamvis Turcicus Imperator amplissimas regiones easque multis locis fertilissimas habeat, in magna tamen annonæ caritate vivere quam agrum colere malunt, Berneg. *ad Tac. Germ. quæst.* 17. De Thracibus refert Herodotus eos contemtissimos agricolas habere, *l.*5. *c.*6. & Ægyptiis nonnullis nullam hujus artis esse curam ait idem *l.* 1. *c.*41. quod de Scythis etiam dicit Justin. *l.*2. *c.* 2. Neque facimus cum Bodino, qui sterilem & arenosum locum civitatibus constituendis, quam uberem glebam, consultiorem existimat lib. 5. *de Reip.* num.18.

F VI. Melius Romani, quid e re sua erat, noverant: hi quicquid unquam divitiarum possedere, ex agriculturæ studio fere collegerunt. Romulum si consideramus, duo tantum ingeniis reliquisse studia, rem militarem, ac rusticam, invenimus, in pace omnes assuefaciens, ut ruris manentes incumberent operi; Dionys. Hal. *l.* 2. p. 98. Liv. *l.* 1. Cujus vestigia hac in parte pressit Numa Pomp. Populum Rom. ad agriculturam & pacis & honestatis studium traducens, ita quidem,

ut solertes homines in ea re præmiis excitarit, ignavos autem ignominiæ metu deterruerit. Plut. in *Numa*. Neque deflexit ab antecessoribus suis Ancus Martius, qui diligentes colonos laudabat, malos prædiorum suorum curatores objurgans ut cives nequaquam stabiles, Dion. Halic. *l.* 3. p 177. Quæ exhortationes tanto hujus studii amore inflammarunt Romanos, ut non tantum agros Romam circumjacentes, sed toto in Latio & Italia sitos coluerint. Testatur hoc Livius, cum scribit, *Posthumium Consulem ad agrum publicum a privato dirimendum in Campaniam missum, cujus ingentem modum possidere privatos paulatim proferendo fines constabat*, *l.*42. Nam & T. Quintium Patritium virum agrum in agro Tusculano coluisse, & Sp. Ligustinum civem Romanum in Tribu Crustuminia in Sabinis habitasse, apud eundem *l.*42. est videre. Ciceronem quoque in Campania Villas suas habuisse Puteolos, Cumanum, &c. auctor est Buno *ad Cluv. l.* 3. *c.* 29. in *Not.* Suffragatur huic sententiæ ipse Tullius in *Agraria* scribens, Campanum agrum coli & possideri a Romana plebe, modestissima aratorum. Neque vero in Italia tantum a cive Romano hoc studium exercitum est, ipsa Sicilia, Gallia, aliæque Provinciæ arantem viderunt. Unde dixit Cic. *in Verrem*, Siciliam cives Romanos partim cum quæstu compendioque dimittere, partim retinere, ut arare, pascere, negotiari libeat, ut denique sedes ac domicilium collocare: & in *Fontejana*, referta est Gallia civium Romanorum, negotiatorum colonorum, publicanorum, aratorum pecuariorum numero. Consule Sigon. *de J. C. R.* l. 1. c. 3.

VII. Quæ causa mihi exstitisse videtur, quod rusticæ tribus longe plures quam urbanæ fuerint. Urbanæ quidem quatuor fuerunt, rusticæ a Servio Tullio institutæ 15. quibus subsequenti tempore 16. adjectæ fuerunt, & hic tribuum numerus usque ad extrema Reipublicæ tempora perduravit, v. Rosin. *l.* 5. *c.* 15. Sig. l. 1. *de J. C. R. c.* 3. Tribus autem rusticæ urbanis longe fuerunt honoratiores. Quicunque enim tribu movebantur, aut ex honestiori in sequiorem tribum migrare cogebantur, ex rustica in urbanam veniebant. Nobiliores autem rusticas urbanis esse habitas probat Marcell. Donat. in *Diluc. in Liv. l.* 24. Quod etiam Plinius laudes agriculturæ narrans demonstrat, cum ait: *Jam distinctio honosque civitatis non aliunde erat rusticæ tribus laudatissimæ eorum, qui rura habebant, urbanæ vero in quas transferri ignominiæ esset, desidiæ probro*. Et varro *de Re R.* inquit. *Non sine causa viri magni Majores nostri rusticos Rom. præponebant urbanis, ut ruri autem qui in villa vivunt ignaviores quam qui in agris versantur in opere aliquo faciendo, sic qui in oppido sederent, quam qui rura incolerent, desidiores putabant*. Plura conscripsit hac de re Sig. l. 1. *de J. C. R.* c. 3. & Rosin. *lib.* 6. *cap.* 15.

VIII. Summum hoc agriculturæ studium suo clarissimi viri exemplo etiam comprobant, quamvis enim familiam ad opera rustica peragenda alerent, manutamen sua stivam apprehendere non erubuerunt. De Catone dicitur, quod magnus Orator, magnus Senator, magnus Imperator, bonus agricola & rusticus fuerit, Toloz. l. 4. *de Rep.* Marius sero Urbem vidit, ante in villa agri Arpinatis Cirræatone vitam antiquæ Romanorum educationi similem egit, Plut. in *Vita* c. 3. Syllam quoque Dictatorem deposita potestate in villam recessisse, ibique operibus rusticis vacasse, auctor est App. Alex. lib. 1. *Belli Civil.* De Scipione Seneca *ep.* 87. In hoc agello ille Carthaginis horror, cui Roma debet quod tantum semel capta est, abluebat corpus laboribus rusticis fessum, exercebat enim opere se terramque, ut mos fuit Priscis, subigebat. Idem a Valer. Corv. factitatum, qui sexies Consul fuit, tradit Val. Max. *l.* 8. *c.* 14. Cum itaque semper operibus rusticis adeo intenti viverent, factum sæpe est, ut ab aratro quidam ad Consulatum accerserentur. *Cincinnato quatuor sua jugera aranti Viator attulit dictaturam, & quidem ut traditur nudo plenoque pulveris etiamnum ore*, Plin. *l.* 18. *c.* 3. Alex. ab Alex. *l.* 3. *c.* 11. Colum. in *Præf. l.* 1. Dion. Hal. *l.* 10. De hoc Persius: *

—— Sulcoque terens dentalia Quinti,
Quum trepida ante boves Dictaturam induit uxor;
Et tua aratra domum lictor tulit.

Obiter hic notamus, Viatores hoc loco dici, qui Proceres civitatis in agris commorantes a villis in Senatum convocarunt, etsi interdum alia etiam obierint munia, quæ hic tangere nostri non est instituti. De his Festus. Viatores appellati, qui Magistratibus apparent eo, quia initio omnium tribuum cum agri in propinquo erant Urbis, atque assidue homines rusticabantur, crebrior eorum opera in via erat, quam Urbe, quod ex agris plerumque homines vocabantur a Magistratibus. Quam antea sortem expertus erat Cincinnatus, ea quoque beavit Serranum, quem serentem invenerunt dati honores: ut Plin. *d. l.* loqui amat. & quid alios, Curium, Regulum, Varronem, Fabricium, &c. laureata manu vomerem versantes commemorem? de quibus ita Tullius *pro Roscio*: *Næ tu, Eruci, accusator esses ridiculus, si illis temporibus natus esses, cum ab aratro accersebantur, qui Consules fierent: etenim qui præesse agro colendo vitium putes, profecto illum Attilium, quem sua manu spargentem semen, qui missi erant, convenerunt, hominem turpissimum atque inhonestissimum judicares. At Hercule Majores nostri longe aliter & de illo & de cæteris talibus viris existimabant. Itaque ex minima tenuissimaque Republica maximam & florentissimam nobis reliquerunt: suos enim agros studiose colebant, alienos non appetebant*.

IX. Hæc circa agrum industria apud alias quoque Gentes valde obtinuit. Cyrus agrum ipse sibi conserebat, arboresque sua manu satas demetiebatur, unde Xenophon de eo testante Tullio dixit: Nihil sibi tam regale videri quam studium agri colendi. De Laerte Homerus, quod senectutis molestiam agro colendo absterserit, quo in opere Ulysses ipsum ex tot annorum exsilio rediens invenit. Eodem opere intenti fuerunt Attalus, Col. *l.* 1. *c.* 1. Hiero, Philometor, Archelaus, Xenophon, Pœnus Mago, & alii, de quibus Plin. *l.* 18. *c.* 3. Sceptrum Polonicum etiam priscis seculis Piasto agricolæ delatum reliquit Kirchn. in *Disp. Pol.* 13. & quis ignorat Primislaum a ferrea mensa, hoc est, a vomere, in quo prandebat, ad solium & regnum accitum Bohemorum. Sylv. *Hist. Boh.* c. 6. Sed ne extra oleas vagemur, redeamus ad Romanorum agricolas.

X. Qui uti strenue agriculturæ dediti erant, ita illos qui contemnebant, vel negligebant etiam, mulctare soliti sunt. Id cum aliorum exempla demonstrant, tum maxime P. Nasicæ, de quo Valerius ait: *Cum Ædilitatem Curulem adolescens peteret, manumque cujusdam opere rustico duratam more candidatorum tenacius apprehendisset, joci causa interrogavit eum, num manibus solitus esset ambulare; quod dictum a circumstantibus exceptum ad populum manavit, & causam repulsæ Scipioni attu-*

* Sat. 1. ℣. 73.

lit. Omnes namque rusticæ tribus paupertatem sibi ab eo exprobratam judicantes iram suam adversus contumeliosam ejus urbanitatem distrinxerunt. Similem in modum negligentia hujus studii pœnæ subjecta fuit. Si quis agrum suum passus fuerat sordescere, eumque indiligenter curaverat, neque purgaverat, censoria virgula notabatur, Agell. *lib.4.c.12.* Plin. *d. l.* Alex. ab Alex. *lib. 3. cap. 11.* Perpetuæ enim inscriptum erat memoriæ quid damni caritas illa annonæ, & in cultis agris per secessionem plebis in montem sacrum exorta Reipublicæ intulerat. Eadem annonæ caritas ne facile iterum metuenda esset, hoc providerunt instituto, quo octo dies culturæ agrorum impendebant, nonum tantummodo urbanis rebus & nundinis destinantes, Macrob. l.1. *Sat.* c. 6. Dionys. *lib. 2.* & *lib.7.* Plut. in *Cor.* & *Probl.* cap.40. ubi tunc necessaria emebant, leges accipiebant, quæ triundino die propositæ in tanta celebritate a singulis atque universis facile cognosci poterant, Laz. *Comm. Reip. Rom.* lib. 11. c. 1. Hinc Appianus scribit, Tib. Gracchum rusticos ad comitia evocasse, sed eos colligendis æstate fructibus non affuisse.

XI. Qua ratione tot privilegia & immunitates agricolis concessa, de quibus Plato in *d. tit. C. de Agric.* Ne quis rusticum ab opere avocaret, sed in securitate vivere pateretur. *lib. 2. ff. de nund. cap. 1. C. de agric.* Syrac. *cap.39.* & ideo sancta rusticitas dicta, quod inviolabilis non modo pacis, sed etiam belli tempore esse debeat, Cam. *H. S.* l. 1. c. 5. Refert Arianus l.2. *Rer. Ind.* nefas fuisse hac in gente agrum vastare aut bello capere: *Reliqui*, inquit, *bellum inter se gerunt seseque mutuo interficiunt; ipsi juxta eos tranquille, aut arationi, vel frondationi, vel messi vocant:* quod confirmat Strabo *Geogr.* lib. 15. Idem Fridericus II. Mandato suo, quod *in Cod. Just. sub tit. quod res pign. obl. poss.* Verba ejus ita habent: *Agricultores, & circa rusticitatem occupati, dum villis insident, & agros colunt, securi sint quacunque parte terrarum, ita ut nullus inveniatur tam audax, qui personas, vel boves, vel agrorum instrumenta, aut si quid aliud sit quod ad operam rusticalem pertinet, invadere, capere, aut violenter auferre præsumat*, &c. Plura suppeditat Cam. *Hor. Subc.* l.1. c. 5. Ex quibus omnibus satis clare patescit indefessus ille Gentium, præsertim Romanorum, in agriculturam ardor.

XII. Honorem tantum Reipublicæ Proceres vitæ rusticæ habere consueverant, ut nomina inde sibi deducere maximæ judicarint gloriæ. Fecerunt hoc Pisones, Plin. *l. 18. c. 3.* Cicerones & Lentuli, idem *ib.* Alex. ab Alex. *lib. 1. cap. 9.* Plut. in *Cic* Fabii, quos tamen ab Hercule nomen trahere docet Fest. *lib.6.* Lactucini, Plin. *lib. 19. cap. 4.* & Diod. Sic. *lib 2.* Hortensii, Alex. ab Alex. *d. l.* Pilumni, Plin. *d. l.* Serv. *in lib. 9. Æn.* Serrani, Quint. *lib. 1. cap. 8.* Gell. *lib.15. cap. 18.* Suilli, Plut. in *Vita Public.* Bubulci, Plut. *ib. cap. 2.* Caprarii, Varro *de Re R.* lib.1. cap. 1. Porcii, idem *ib.* Ovinii, idem *ib.* Equitii ac Tauri, idem *ibid.* Tauri triumphatoris meminit etiam Suet. in *Nerone* cap. 35. Atque Caligulam idcirco filio suo Cn. Julio Agricolæ cognomen velut honorificum imposuisse, quod ipse gloria rusticationis admodum delectaretur, apud Seneca *l. 2. c. 20.* est videre. Huc pertinet illud Catonis lib. *de Re R. Bonum*, inquit, *virum cum laudabant, ita laudabant bonum agricolam, bonum colonum.* Quin imo beatum prædicat illum Romanæ fidicen lyræ *Epod. lib. Od. 2.*

—— qui procul negotiis
Paterna rura bobus exercet suis.

Et Tullius *de Senect.* ait: *Haud scio, an ulla vita beatior esse possit, neque solum officio, quod hominum generi universo cultura agrorum est salutaris, sed & delectatione & saturitate, copiaque rerum omnium, quæ ad victum hominum, cultumque etiam pertinent.*

XIII. Recte tamen ex parte senserunt Gentiles frustra omnem in agris colendis atteri operam, nisi hanc divina secundet benedictio. Hac re commoti Romani diversa deorum honoribus sacrarunt festa rustica, quibus largam agrariæ pecuariæque rei copiam deos exorarent, vel pro large suppeditatis proventibus iisdem gratias agerent. Ejusmodi fuerunt Ambarvalia, Floralia, Paganalia, Palilia, Robigalia. &c. Ambarvalia fiebant XI. Cal. Maj. & VIII. Cal. Aug. lustrandi segetes, & deos in eorum fœcunditatem inclinandi ergo. Peracta autem hoc modo: Victimas, aurum videlicet, suem, & ovem, maturis frugibus circum arva ducebant, omnes inde clamantes subsequebantur, quorum unus querna decoratus fronde eleganti & sonora voce in Cereris laudes assurgebat; in iisdem vinum & lac libabatur, porca consecrabatur, priusquam frugibus falcem immitterent. Sacrum hoc bene depingit Virgilius *Georg. 1.*

Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret:
Cui tu lacte favos & miti dilue Baccho:
Terque novas circum felix eat hostia fruges:
Omnis quam chorus & socii comitantur ovantes,
Et Cererem clamore vocent in tecta: neque ante
Falcem maturis quisquam supponit aristis,
Quam Cereri tota redimitus tempora quercu,
Det motus incompositos & carmina dicat.

Preces, quas pro incolumitate frugum hoc in festo fuderint, Ovidius 1. *Fast.* reliquit, v. Alex. ab Alex. *l.3. c.12.* & Ros. *l.4. c.17.* Floralia a Flora nobili scorto dicta, (quæ opibus abundans Populum Romanum hæredem constituerat) sacra erant Sibyllæ oraculis instituta, ut omnia bene deflorescerent, & ad justam perfectionem fructus pervenirent, IV. Cal. Maj. celebrata, quorum celebrationem prolixius dabit Varro l. *de Re R.* Macrob. *l.1. c.4.* Lactant. *l.1. c.20.* Plin. *l.18. c. 29.* Aug. *de C. D.* l. 4. c. 8. & l. 6. c. 7. Paganalia erant, in quibus solenni pompa circumire atque lustrare pagum, & liba quotannis deorum aris inferre solebant. Auctor horum fuit Serv. Tull. teste Dion. Halic. *l. 4.* De illis Ovidius *Fast. 1.*

Pagus agat festum, pagum lustrate coloni,
Et date paganis annua liba focis.
Placentur matres frugum, Tellusque Ceresque
Farre suo gravidæ, visceribusque suis.

Palilia a Pale Pastorum dea denominationem traxerunt, cum in finem ordinata, ut pro felici pecoris partu sacrificarent. Adhibuerunt ibi libum ex milio, lacte & sapa confectum; quique alii ritus usurpati fuerint, Fastorum Scriptor cecinit. * Diem Paliliis sacrum Romæ Urbis natalem fuisse consignavit Eusebius. Robigalia Numæ debent ori-

* Lib. 4. *Fast.* ℣. 743. & seq.

originem, eam ob caufam inventa, ne rubigo, uredo, grandoque fruges confumeret, Plin. *lib.* 18. *c.* 29. His Romani folemnitatibus deorum favorem agris fuis emendicare ftudebant.

XIV. Proxima huic agrorum curæ erat cura rei pecuariæ, *qua Romani a mansuetis animalibus gregibus & armentis victum quærebant*, Caf. *pag.* 68. Hæ multis jam feculis ante Romæ incunabula ab Italiæ incolis exculta fuit, quorum omnes fere potentiores boum copia cenfebantur, quibufque ipfis vitio non vertebatur boum armenta oviumque greges protinus agere, inde Herculem ab ultima Hefperia huc boves egiffe fert fama. Notumque eft de Evandro Rege, quod cum ejus hofpitio profugus Æneas fuccederet paffim pecorum errantes greges fuerit confpicatus. Traxit ab hoc pecorum ftudio Italia nomen fuum: nam veteri Lingua boves Italos vocarunt, unde & vitulis nomen remanfit, Ferrar. *Prol.* 5. Non poterat Æneæ progenies hujus ftudii fummam non habere rationem, cujus non folum ipfa, quam inhabitabat, terra eam admonebat, verum & multivarium inde proveniens emolumentum. Perfequebantur hoc omni opera, & non omnino vanum effe illud de arietis aureo vellere figmentum experiebantur: nam varias exinde colligebant opes. Nec id diffimulabant, quippe qui oves & divitias fub uno *opum* nomine fignificabant. Ex qua appellatione opicerdæ etiam, & opilionis nomen deductum eft, uti notat Taubm. *ad Plaut. Trin.* 2 *p.* 466. ubi addit Græcis fimiliter πολύμηλον ad verbum effe opulentum. Spectat huc mos ille antiquus, quo mulctatio non nifi ovium boumque impendio dicebatur, ut ait Plinius *lib.* 18. *cap.* 3. id quod Dalechampius *ad hunc locum* ulterius fic explicat: Maxima mulcta, inquit, non plus 30. bobus & duabus ovibus fuit, minima ove una. Bos centum affibus æftimabatur: ovis decem. Romani Reges homicidii convictos ariete mulctabant, qui fupplicando diis immolaretur, unde dicta funt fupplicia. Quod fane fatis vile fuit fupplicium, quale illi innumeris fere vicibus fubire potuerunt, quibus cum Cajo Cæcilio Claudio Ifidoro juga boum 3600. reliqui pecoris 2507000. fuerunt, de quo Plin. *l.* 33. *c.* 10. Et hæc pro ratione promiffi breviter de re pecuaria.

XV. Commodum hic quædam de Villis fubnectere, quas in agrariæ & pecuariæ rei majorem commoditatem exftruxere Romani. Hæ erant domus extra Urbem exftructæ, quæ non tantum pecora armentaque recipere poffent, fed etiam omnis generis artifices ac familiam. Dictæ, ut Varro libro 1. *de Re R.* vult, quod a villico in eas collecti convehantur fructus, & evehantur iterum, quando veneunt. Tres villæ hujus erant partes, una pars elegantior, quam ipfi domini inhabitabant, tabulis exornata; ut Varro auctor eft, quæ Prætorium quoque appellabatur. Hujufmodi fuerunt Pompeii Firmianum, Tullii Tufculanum, & Academia. Huc pertinet illud Ælii Spartiani in *Hadr. Tiburtinam*, inquit, *Villam mirifice ædificavit, ita ut in ea & Provinciarum, & locorum celeberrima nomina infcriberet, veluti Lyceum, Prytaneum, Academiam, Canopum, Tempe, &c. vocaret.* De Marii Villa his verbis Plut. in *Vita*, Villam in Mifenenfi amœnius & mollius exftructam poffidebat, quam deceret virum militarem, & tot bellorum victorem. Eam ajunt CIↃ. LXXV. denarium emiffe Corneliam, nec multo poft L. Lucullum quingentis millibus denarium & ducentis, Lipf. *ad Tac. Ann. l.* 6. Ædificia vero hæc voluptuaria & amœnitatis gratia exftructa, in qua fui colligendi caufa fecedebant, dicebantur alias Diætæ Romanis, Græcis Zetæ, ut conftat ex Lamprid. in *Heliog.* Briff. *l.* 13. Secunda villæ pars erat, in qua pecora cuftodiebantur, & familia fervique habitabant, qui opera faciebant ruftica; hanc indicant Poetæ, Horatius lib. 2. *Serm. Sat.* 3.

Si vacuum tepido cepiffet villula tecto.

Et Martialis *lib.* 1. *epigr.* 56.

Pinguis inæquales onerat cui villica menfas.

Quibus Ciceronis illud adjicimus villulam fordidam & valde pufillam nominantis, lib. 18. in *Ep. ad Att.* Tertia pars erat locus, ubi fructus fundorum ac reditus decimæque reponebantur. Hoc modo Cic. lib. 1. 10. ep. *ad Att.* accipit: Cum Piliæ noftræ villam ad Lucrinum villicofque Procuratores tradidiffem, & Plinius *lib.* 18. Modus hic probatur ut neque fundus villam quærat, neque villa fundum. Encomia quarundam villarum præbent Auctores. Sic agri Laurentini villam defcribit Plinius *lib.* 2. *ep.* 17. Tufculanam, idem *l.* 5. *ep.* 6. Tiburtinam Manlii Vop. Stat. 1. *Sylv.* Verum fufficiat jam pro ratione noftri inftituti de Romanorum facultatibus ex natura tractaffe; reftat, ut facultates induftria conquifitas curiofiori oculo indagemus.

XVI. Conftiterunt illæ potiffimum in pecunia. Hanc antequam in fpecie aggrediamur, prius quædam in genere præmittenda effe cenfemus. Definitio ejus hunc in modum proponi folet, quod fit inftrumentum œconomicum, quo ibi ex venditione fuperfluorum comparato in coemendis neceffariis paterfamilias utitur, Reih. in *Ep. Oecon.* th. 58. Vel ita, quod fit inftrumentum commutationis & contractus, propterea in ufu non in cifta reponenda, cum omnis inftrumenti effentia confiftat in ufu, Seybot. *Man. Phil. doct. œcon.* cap. 6. th. 11. Quo collimat Arift. *l.* 2. *c.* 5. Ὅλως τὸ πλουτεῖν ἐστὶν ἐν τῷ χρῆσθαι μᾶλλον ἢ ἐν τῷ κτῆσθαι.

XVII. Non immerito hic quæftio moveri poteft, an pecuniæ inter veras divitias cenferi queant? Ex Liebenthalii fententia *Exerc. Pol.* 3. *quæft.* 11. negat hoc Ariftoteles *Pol.* cap. 8. 9. lib. 1. hac hypothefi, quod illæ demum fint veræ divitiæ, quæ poffefforem fuum fame interire non finant; Atqui pecuniam tale quid non effe; E. nec divitiarum titulo effe infigniendam. Minorem probat exemplo Midæ, qui precatus quicquid attingeret in aurum commutaretur, hujufque voti damnatus omnia quæ volebat comedere in aurum transformata miferabili inediæ morte perire fit coactus. Verumenimvero non facile dixerim, hanc fuiffe Ariftotelis mentem, quia ibi loqui videtur in refpectu ad eas facultates, quæ ex natura comparantur. Namque Philofophum haut ita ftatuiffe, ex aliis ipfius locis fatis fuperque colligere licet. Teftatur hoc lib. 1. *Rhet.* c. 5. Inter divitiarum partes primum pecuniæ locum attribuens: & l. 1. *ad Nicom.* c. 9. afferit: Impoffibile effe, aut non facile res preclaras agere, cui bona externa non fuppetant. Et quidem vere. Ubique enim locum habet illud Demofthenis, Δεῖ δεῖ τῶν χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἐστι γένεσθαι

A *τῶν δεόντων*. Hinc experiens vir clamabat olim, *Νεῦρα τῆς ἡγεμονείας τὰ θρήματα εἶναι*. Et C. Cæsar dicere solebat, *δύο τε εἶναι, καὶ τὰς δυναστείας παρασκευάζοντα, καὶ φυλάσσοντα, καὶ ἐπαυξάνοντα, στρατιώτας, καὶ χρήματα*.

XVIII. Fuit tamen aliquando tempus, quo mortale genus non tam pecunia quam mutua rerum commutatione utebatur, quæ plerumque, vel coriis boum nummorum loco, aut bobus pecudibusque, ac ferreis virgis apud Trojanos facta est, Homeri testimonio ita canentis *:

B *Ενθεν ἄρ' οἰνίζοντο καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ,*
Ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ,
Ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτοῖσι βόεσσιν,
Ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσι, τίθεντο δὲ δαῖτα θάλειαν.

Unde reportabant criniti vina Pelasgi,
Æris quidam, alii fulgentis munere ferri,
At scutis alii, pars bobus mancipiisve,
Mutabant passim, & convivia læta parabant.

V. Alex. ab Alex. *l.* 4. *c.* 15. Cæl. Rhod. *l.* 23. *cap.* C 17. Eandem servarunt consuetudinem Indi aliquando, qui pro Græcorum, quæ illic comportatæ fuerant, rebus Indicas reposuere merces; item Armeni, Strabo *lib.* 1. Scythæ, Just. *lib.* 2. Seres, Amm. Marcell. lib. *Hist.* 23. & Solin. *cap.* 53. Romanos etiam olim merces non pecuniæ interventu, nec signato ære, sed rebus commutasse scribit Alex. ab Alex. *l.* 2. De hac permutandi ratione ita Aristoteles l. 1. c. 9. *Pol. omnibus in rebus locum habet, eaque primum quidem initium duxit ex eo, quod est naturæ consentaneum, quia homines aliarum rerum majorem, aliarum minorem, quam satis esset habebat copiam*, &c. *Non omnis* D *fert omnia tellus.*

XIX. Cæterum morem illum non semper obtinuisse satis constat. Nam tempore antediluviano jam Cainum Adami filium anxie cumulandis pecuniis studuisse tradit Joseph. *Ant. Jud.* lib. 1. Fuit autem nummus introductus 1. ob faciliorem & compendiosiorem rationem faciendæ permutationis. Ea enim, quibus caremus, cum non tam facili opera importari, nec quorum copia nobis præsto est, sine molestia exportari queant, num- E mus inventus est, cujus auxilio facile legitima quædam coemtio institui potest. 2. quod multæ reperiantur regiones sterilitate adeo laborantes, nequeant, ut commutationem substinere plane cum desit unde ex suis retribuant, Jacob. Martin. *Eth.* libro 2. capite 8. Sed accedamus jam ad ipsos Romanorum nummos, ita tamen, ut illorum scrinia abacosque magis inspiciamus, quam exhauriamus. Et primo quidem de materia eorum, deinde de signo, & ultimo tandem de speciebus nummorum quorundam carptim dicemus.

XX. Materiam tripliciter distinguimus, in æneam, argenteam, & auream. Quanquam etiam Imperii infantia sequiori usi fuerint pecuniæ F materia. Numam in congiarium Populo Romano scorteum donasse nummum auctor est Plut. in *Vita* & Alex. ab Alex. *l.* 4. *c.* 15. fuit ille ex corio bubulo confectus & antiquis temporibus valde usurpatus. Unde illud D. Hieronymi *in Ruf. U. cum montes aureos pollicitus fueris, ne scorteum quidem nummum de thesauris tuis proferas*. Lacedæmonii quoque scorteos habebant nummos, ut prodit Nicolaus *περὶ ἐθῶν*, & ex eo Stob. *Coll.* c. 42. & Sen. *de Benef.* lib. 5. c. 45. ita ait: *Æs alienum habere dicitur, & qui aureos debet & qui corium forma publica percussum*. Alii alia usi fuerunt materia; Syracusani stanneo nummo, Al. Sard. *l.* 1. *c.* 18. Indi nonnulli aurichalco, idem *ib.* alii aliis; quos nunc missos facimus, Romanorum monetam potissimum explicaturi. Ea primis temporibus seu sub adolescente populo ænea erat. Unde Naso lib. 1. *Fast.*

Æra dabant olim, melius nunc omen in auro est,
Victaque concessit prisca moneta novæ.

Hoc pecuniæ genus quingentorum annorum spatio constantissime retinebatur, Gronov. *l.* 3 *de P. V.* c. 9. Convenientius nimirum paupertati bonæ mentis sorori sacra facere, quam luxuriæ fontes in Urbem derivare videbatur. Postmodum, cum Romana plebs lascivire inciperet, paulatim argentum irrepebat, cumque populus inde arceri non poterat, ingens pretium supra æs statuendo cupidini hominum fræna injecta sunt, ut a paucioribus appeteretur. Factum hoc est quinto demum ante 1. Punicum bellum anno Coss. Q. Ogulnio Gallo & Q. Fabio Maximo, 260. post excessum Servii annis, Liv. *l.* 15. Quicquid etiam sit, quod apud Sosipatrum Varroni *nummus argenteus, quem flatum primum a Servio Tullio dicunt, quatuor scriptulis major quam tunc esset*, fuisse dicatur. Quod si autem hic nummus unquam fuit, non fuit ordinarius & communis, nec in usum venit, Gronov. *de Pec. V.* libro 2. capite 2. Sic & tres quatuorve illi, quos ostentat Savotus, non stata lege monetæ, sed privatorum libidine percussi fuerunt, quod & hodie in imperiis, & urbibus, nobilibusque familiis usu venire solet, idem *ib.*

XXI. Num Romani plumbeos etiam adhibuerint nummos, ex quibusdam Plauti locis evinci posse videtur. Sic in *Casina* Act. 2. Sc. 3.

Cui homini hodie peculi nummus non est nisi plumbeus

Et in *Mostell.* Act. 4. Sc. 2.

Tace, sis faber, qui cudere soles plumbeos Nummos.

His adstipulantur illa Martialis loca *l.* 10. *ep.* 74.

Centum merebor plumbeos die toto.

Et *lib.* 1. *ep.* 100.

Constemus tibi plumbea selibra.

Sed nusquam alibi fere apud probatum Auctorem de hac pecuniæ materia legimus, itaque cum rem nullius pretii describere vellent, hoc loquendi genus ipsis usurpatum esse dicimus, & cum ferulo Plautino facessere jubemus fabrum cudentem plumbeos nummos.

* Iliad. 7. ℣. 472.

XXII. Ære autem rudi Romanos usos fuisse ex Timæo Plinius *lib.* 55. *cap.* 5. reliquit, qui mos usque ad Servii Tullii tempora protractus, qui primus æs signavit. Non quod ante ipsum æris signati non fuerit usus, sed quod hic Romæ rudi æri certas quasdam indiderit notas. Nam alias constat, multis ante Servium sæculis Janum æs signasse, qui cum a Saturno navi illuc advecto ruris colendi peritiam accepisset, in altera quidem nummi parte sui capiti effigies, in altera navem exhibuit Saturni hospitam, Macrob. *l.* 1. *c.* 7. Liquet hoc ex Ovid. lib. 1. *Fast.* dicente:

Multa quidem didici: sed cur navalis in ære,
Altera signata est, altera forma biceps?

Et inde refert:

At bona posteritas puppim formavit in ære,
Hospitis adventum testificata Dei.

Ex eo fonte ritum illum, quem Antiquorum pueri observare soliti sunt, promanare crediderim, ubi pueri in aleæ lusu denarium in sublime jactantes capita, aut navim exclamabant. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

XXIII. Fuit autem illa Servii Tullii moneta ovium boumque effigie signata, Plinius *libro* 18. *cap.* 3. qualem quoque habuerunt Athenienses a Theseo insculptam, Plutarch. in *Vita Thes.* cap. 25. itaque cum in Deliacis spectaculis cui munus dandum erat, præco pronuntiabat, *tot boves illi dabuntur*. Inter alias vero nummorum figuras successu temporis bigarum quoque nota recepta est, unde tales nummi bigati fuerunt appellati, ut a quadrigis quadrigati, quorum creberrima mentio fit apud Liv. *lib.* 23. *cap.* 13. & l. 33. *cap.* 8. In usu quandoque etiam nummos fuisse ferratos videri posset, nisi hanc sententiam ipsa refutaret experientia: *Nam ut bigatos plures videre datur apud eos, quibus antiquitatis monumenta colligere curæ est: ita qui serræ formam impressam aut incusam nummo viderit, inventus est nemo. Verisimilior ergo illorum sententia est, qui nummos aliquos ideo serratos appellari statuunt, quod eorum ambitus dentatus atque asper erat, quæ fuit probæ monetæ nota, ex qua colligebatur e talibus nummis longo usu, aut resectione nihil periisse*, verba sunt Berneg. *ad Tac. Germ.* quæst. 19. Præterea nummis præclarorum virorum & sæpissime Cæsarum imagines insculptas Eruditorum partim testimonia, partim ipsæ imagines, quarum quædam ad nos pervenerunt, demonstrant. Notum est ex sacris Pandectis de Tiberii imagine nummis impressa, *Matth.* 22. *v.* 20. De Neronis in habitu citharœdico insculpti forma est apud Sueton. in *Vita* cap 25. De Gallieno Trebel. Poll. in *Vita* refert, cum Odenatum tot insignes a Persis victorias Romanis reportasse comperisset, ejus monetam, qua Persas captivos duceret, cudi jussisse. Brutum quoque nummum sua percussisse imagine cum pileo & duobus pugionibus, indicans se Patriam iterum strenue in libertatem vindicasse, scribit Dio *lib.* 42. Alia, & quidem sat insignia, hac de re congessit Jesuita Masenius in *spec. imag. ver. occ.* lib. 3. cap. 4. Moris hujus causam suppeditat nobis Cassiodor. *lib.* 6. *ep.* 2. Ut imago Principum subjectos videretur pasce-

A re per commercium. Eundem enim honorem imagini Principis, quam ipsi Principi habendum existimabat Stratonicus, cum putaret se Regem calcitrare, progressu tamen inveniens, quod calcaverat aureum Regis esse numisma, Artemidorus Daldian. libro 4. *Oneirocrit.* capite 33.

XXIV. Similis formarum nummis imprimendarum consuetudo apud alias quoque gentes obtinuit. Sic Athenienses noctuam cum Minerva, Poll. *libro* 9. Plutarch. in *Lys.* Trœzenii tridentem, Plut. in *Thes.* & Pausan. in *Corinth.* Persæ sagittarium, Plut. in *Ages.* Locri

B & Ozolæ stellam Hesperum, Strabo *lib.* 9. Dardani gallos, Poll. *lib.* 9. *cap.* 6. Rhegini leporem, idem *ib.* Corinthiaci Pegasum, id. Argivi murem, de quibus omnibus consuli potest Alexand. ab Alex. *loco*, quem supra allegavimus. Sed ne extra oleas vagemur, ad Romanorum revertimur pecuniam, de quibusdam ejus speciebus acturi. Atqui ut ab ære exordiamur. Vocabulum illud æris peculiari Auctorum usu usurpari solet pro æreis nummis seu assibus, ut centum millia æris sint assium Romanorum centum millia, v. Prevot. *de Mag. R.* cap. 1. Gron.

C lib. 1. *de P. V.* cap. 10. Assem enim & æs idem interdum Auctoribus esse colligitur ex Varr. *de L. L.* cum quæ assi partes eædem & æri attribuantur. Varia horum assium exstiterunt genera, inter quæ nonnulli librales, quidam unciales, alii semunciales, & triunciales dicuntur. De his Auctor *Genialium Dierum* ita: *Primo Punico bello Populus R. cum ærarium laboraret, asses unciales fecit, placuitque æreum denarium sedecim assibus permutari, quinarium octonis, sestertium vero quaternis assibus valere. Postea vero lege a Papirio lata asses semunciales facti. Antea libralis assis, & dupondius æque ap-*

D *pendebat. Quo autem tempore Decemviri legum ferendarum causa imperitarunt, Romani librariis assibus usi fuerunt, tametsi Q. Fabius M. asses riunciales fecisse dicatur. Cumque II. Punico bello librarii asses fierent, ex singulis assibus librariis senos percussere, ita ut ex librariis sextarii fierent, qui demtis tribus unciis tantundem valerent: plerumque tamen compertum est denos asses pondo singulas libras efficere. Sed tamen assem minorem esse monetam, & haud multo æstimari argumento est, quod in mulcta a Prætore irroganda bos centussibus æstimabatur, ovis decussibus*, libro 4. *cap.* 24. Hinc Agell. ait: Quis erit tam inops,

E quem ab injuriæ faciendæ libidine viginti quinque asses deterreant, *Noct. Att.* lib. 20. cap. 1. Notamus hic C. Fannii legem, secundum quam deni modo asses domesticis cœnis singulis diebus, præterquam Saturnalibus, impendendi erant. Quæ verba nobis tantum pro assium diversitate valebunt. In re alias intricatissima, & de qua doctissimis haud convenit viris, nolumus esse prolixi.

XXXV. In discrimine sestertiorum, quorum magna solet esse confusio, solatium aliquod affulget ex Clariss. Gronovii sententia, quam instar omnium hic nobis aliisque, qui-

F bus visum ita fuerit, sistemus, ex libro 1. *de Vet. Pec.* capite IV. & V. *Hoc est immotum, vere adjectiva esse τὰ sestertius, denarius, neque id esse desinere in re nummaria, sed pro intellecto substantivo, genus & significationem, & terminationem mutare. Masculinis nempe intelligitur & explicatur nummus. Ita denarius significat nummum denarium sic dictum, quod taxaretur assibus libralibus decem, seu decem libris æris. Sestertius nummum sestertium*

sic dictum, quod esset æstimatione dupondii & semis, seu binarum librarum æris & dimidiatæ, quamdiu as libram pondo fuit. Postea manserunt hæc nomina respectu ad originem habito, etsi levioribus nummis æreis, quatuor assibus sestertius, sedecim denarius censeretur, &c. Et in *cap.* 5. ait: *Quia sestertia, uti dictum est, sunt pondera librarum argenti binum seminis, non pondo, sed in nummis, qui nummi mille sunt argentei, & sestertii vocantur, quod olim totidem libris æris vel assibus singuli censerentur; dubium non est, quin bis sestertium habeat quinque libras argenti, & sic duo millia nummum, ter sestertium septem libras & dimidiatam seu tria millia, quater sestertium decem libras, ideoque quater millia nummum, &c. Centies sestertium ducentas quinquaginta libras nummum centum millia; bis centies vel ducenties sestertium quingentas libras, nummum ducenta millia, & sic deinceps.*

XXVI. Non prætermittemus hic morem illum, juxta quem Romani pecunias suas in templis reponere solebant, quod verum adeo, ut quidam omnes fortunas suas in illis haberent. Herodianus *lib.* 1. 44. de templo Pacis, quod exustum sub Commodo: Πλουσιώτατον δὲ ὂν πάντων ἱερῶν δι' ἀσφάλειαν· ἕκαστος δὲ ἃ εἶχεν, ἐκεῖσε ἐθησαυρίζετο, ἀλλὰ τὸ πῦρ ἐκ τῆς νυκτὸς πολλοὺς ἐκ πλουσίων πένητας ἐποίησεν. *Omnium templorum locupletissimum illud erat propter securitatem. Quilibet enim suam substantiam eo gesserat, sed ignis una nocte multos ex amplis facultatibus ad inopiam redegit.* Neque vero privatæ tantum, sed publicæ etiam pecuniæ in templis reconditæ fuerunt. Ærarium Roman. sanctius in æde Saturni erat, in quo aurum vicesimarium seu incesimarium dictum, quod ex vicesimis rerum exigebatur, ad ultimos Reipubl. casus servabant. Quem morem confirmat Ciceronis illud l. 5. *Epist. Fam. illud me non advertisse moleste ferrem, ut adscriberem, te in Fano pecuniam meo jussu deposuisse.* Et Cæs. l. 1. *B.C. Pecuniæ municipiis imperantur, a Fanis tolluntur, omnia divina humanaque jura permiscentur.* Illustrarunt hunc morem Brodæus in *Miscell.* Budæus *ad l. Si hominum H. depos.* Scipio *ad Apulej. Apolog.* Eumque morem adhuc Venetis frequentatum ajunt, Car. *ad Agell. lib.* 3. *cap.* 10.

XXVII. Vidimus Romanorum pecuniam partim ex ære, argento, auro constantem, videamus etiam, quomodo illæ materiæ in aliarum rerum usum sint translatæ. Celebris est distinctio illa inter æs, aurum, argentum, factum, infectum, & signatum. Signatum est, quod in nummis conspicitur, & de hoc in præcedentibus actum. Factum est, quod in vasis & signis, infectum quod in massis est, ex Serv. Isid. *l.* 15. *c.* 17. Huc pertinet æs grave, quod tale in sua massa dicitur, vid. Gron. *l.* 3. *l. cit. cap.* 15. Factum illud æs, aurum, argentum erat in varia supellectili, cui sua Majorumque suorum facta laude digna insculpi patiebantur, ut Virg. 1. *Æn.* de Didonis argenteis vasis Augusti * indicans testatur:

Ingens argentum mensis, cælataque in auro
Fortia facta Patrum series longissima rerum
Per tot ducta viros antiqua ab origine gentis.

De Crassi vasis argenteis referunt Auctores, quod in singulas libras senis sestertiis fuerint æstimata, adeo ut ipsemet Crassus etiam confessus fuerit, se iis uti propter verecundiam non ausum, Plin. *l.* 33. *c.* 11. Idem de more hoc hunc in modum scribit: *Vasa coquinaria ex argento fieri Calvus Orator queritur, at nos carrucas ex argento cælari invenimus, nostraque ætate Poppæa conjux Neronis Principis delicatioribus jumentis suis soleas quoque ex auro induere solebat, &c.* Rufinus duplici vice Consulatu & Dictatura functus, propterea Senatu a Censoribus motus, quod decem pondo vasa argentea comparasset, Valer. Max. *l.* 2. *c.* 9. de hoc Agell. *l.* 17. *c.* 21. Censores eum Senatu movisse, causamque subjunxisse, quod eum comperissent argenti facti cœnæ gratia decem pondo habere. Palmam tamen luxuriæ omnibus dubiam fecit Drusillanus quidam, quingenariam lancem habens, quæ quinque millibus aureorum fuit æstimata, atque hujus comparandæ peculiarem exstruxit officinam, præterque hanc alias numero octingentas singulas 58. librarum, Panc. *R. D.* t. 50. plura dabit Plin. *d.* l. Inter alia vasa utebantur quoque poculis, & quidem argenteis, quibus imagines quædam insculptæ erant, quod ipsum ex Virgilio *Æneid.* 5. colligitur:

Cymbiaque argento perfecta atque aspera signis.

Imago illa plerumque erat navis, Latinis cymba alias dicta. Tale fuit illud poculum, in quo Hercules tam navigare quam bibere potuit, Macrob. *Sat.* l. 5. c. 21. Salm. *ad Panc. tom.* 1. *t.* 2. Neque absimiles his videntur fuisse trullæ: has enim Alciatus appellat trullas vinarias, quæ profundiores & oblongiores fuerunt naviculæ instar, l. 7. *Parerg.* c. 3. Aurearum trullarum usum fuisse testis est locuples Juvenalis, inquiens:

—— laudare paratus,
Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.

Antonium etiam aurea adhibuisse vasa Beroaldus retulit l. 2. *ad Apul.*

XXVIII. Habuerunt præterea vasa ex ære Corinthiaco confecta. Fuit autem illud æs, incensa a Consule Mumio Corintho, casu quodam ex ære, argento, & auro liquefacto mistum, Panc. *t.* 1. *tit.* 34. Hujus nitore Plebs Romana capta vasa utensilia exinde sibi conficienda curavit, qualia sunt trullæ, triclinia, fulcra, falina, candelabra, &c. Tria ejus erant genera. Candidum argento maxime simile, alterum flavum, quod ad auri materiam quam proxime accedebat, tertium, in quo æqualis omnium temperies fuit, Panc. *d. l.* Hic præterire nequimus, Verrem nulla alia de causa exilio mulctatum, quam quod Corinthiis se ei cessurum negavisset. Legimus etiam Spurium Carvilium Camillo pro crimine objecisse, quod rostra ærata haberet in domo.

XXIX. Atqui satis jam dictum de ære, auro, argentoque Romanorum, in fine hujus capitis quæstionem instituamus, quænam facultates ex his, de quibus disseruimus, a natura suam trahant originem, & annon optime exinde petantur? Philosophorum coryphæus quando hac de materia sermocinatur, facultates, quas per agriculturam consequimur, naturæ maxime consentaneas esse affirmat, Arist. lib. 1. *de Rep.* cap. 8. *Hæc etenim nutrix vitæ, quæ veluti ubera semper distenta & lacte referta habet, ex quibus dulcissimam vitam & victum familia &*

* Hic aliquid videtur deesse.

A *civitas ubertim hauriunt*, Caf. *in th. Oec. l.* 1. *c.* 2. *Nam quemadmodum natus infans sine nutricis lacte non potest ali, neque ad vitæ crescentis gradus perduci; sic civitas sine agris & eorum fructibus in mœnibus affluentibus non potest crescere, nec sine abundantia cibi frequentiam habere, populumque sine copia tueri*, Vitruv. l. 2. *de Archit.* Hinc viri quondam celeberrimi ad agriculturæ studium magno ardore ferebantur. Quando oculos in primævum humani generis statum conjicimus, primum jam hominem fatali illa vi atque imperio naturæ agro colendo addictum videmus, qui naturæ stimulus posteritatem quoque non B tenuiter instigavit. Satis facer testatur Codex de Noah, Abrahamo, Jacobo, Davide, Ozia, &c. & nos in antecedentibus jam singularem hunc naturæ instinctum demonstravimus, imprimis illum, qui in Romanorum Gente mirum quantum emicuit.

XXX. Nec alii fere modi antiquis usitati Romanis, antequam externorum regnorum Provinciis crescerent. Maximum respectum illustris Publicanorum societas ad agriculturam quoque habebat. Aliæ facultatum quoque comparandarum species floruere, inter quas non minimum mercatura locum meretur. Neque hic moramur C Halicarn. *l.* 2. qui mercaturam ita contemnit, ut ejus studiosos ne inter cives quidem Romanos relinquat, neque Martianum Negotiatores servis accensentem, *l. legat.* 65. *de leg.* 3. Cum admissi fuerint ad suffragia, Sig. *l.* 2. *de J. C. R.* c. 2. Cic. in *Parad.* honestos eorum quæstus vocavit, qui mercaturam facerent, operas darent, publica sumerent. Horum duo fuerunt genera, alteri Mercatores, qui Romæ in Urbe domicilium & sedem suam fixam habebant, quamvis interdum etiam in Provinciis per aliquot menses vixisse legantur; alteri Negotiatores in Provinciis plerumque tantum familiam & D negotia habentes Romam non nisi censendi, caufa decesserunt, Sig. *de J. C. R.* l. 2. c. 10. Institutum est illud Mercatorum Collegium anno V. C. CCLIX Claudio Servilio Cos. teste Livio, qui dicit: *Certamen Consulibus inciderat, uter dedicaret Mercurii ædem. Senatus a se rem ad Populum rejecit. Utri eorum dedicatio jussu Populi data esset, eum præesse annonæ, Mercatorum Collegium instituerunt*, &c. Itaque ædes Mercurio dicata, unde forsitan nomen Mercurialium susceperunt, Sig. *d. l.* De Negotiatoribus crebra apud Ciceronem mentio, unicum hic sufficiat adducere exemplum ex *Ep. ad Q.* E *Frat.* Alia ex eo genere civium, qui aut, quod Publicani sint, nos summa necessitudine attingunt, aut, quod ita negotiantur ut locupletes sint, nostri Consulatus beneficio se incolumes habere fortunas arbitrantur. Ad secundum caput pergimus, ubi de utilitate, quæ in Rempublicam ex egregiis facultatibus redundavit, sumus dicturi.

CAP. II.

Census quid? Auctor ejus. Censores. Lustrum Censorum munus. Census utilitas. Quæ relata in Censu. Locus Census. Incensi. Senatorum, Equitum, Plebis Census, æqualitas bonorum. An per Censum recte fiat ad honores gradus.

I. COmmodum magnarum facultatum evidenter elucescit ex censu, ut fere ordines civitatis, & pacis bellique discrimina in populo inde essent. Etenim, cum census instituebatur, quo quis ampliores possidebat facultates, tanto largius ad Remp. conservandam poterat contribuere. Ex quibus perspicere licebit, censum nihil fuisse aliud, quam factam rerum & bonorum æstimationem, secundum quam tributa pendebantur, Festus p. 848. 50. Cum itaque facultates census fuerit objectum, de hoc paulo latius agendum videtur.

II. Distinguimus vero censum a censura, quæ fuit animadversio in mores aut luxus eos, qui legibus non arcebantur, Lipf. *Polit.* l. 4. c. 11. Convenientissimum enim hoc ejus officium ἐπανορθοῦν, ὅσα μήτε τινὸς τιμωρίας ἄξιά ἐστι, καὶ παρορώμενα πολλῶν καὶ μεγάλων κακῶν αἴτια γίνεται. *Corrigere ea, quæ pœna digna nondum sunt, neglecta tamen aut insuper habita multorum magnorumque malorum causam præbent*, Dio *l.* 25. Sed aliud census, de quo nos loquimur, officium fuit. De eo eleganter loquitur Theoph. *l.* 1. *Inst. t.* 5. σ.ωὶς ἤτοι χάρτης: ἔνθα Ῥωμαῖοι ἀπεγράφοντο τὰς οἰκείας περιουσίας, ἐπὶ τὸ ἐν καιρῷ πολέμου κατὰ τὸ μέτρον τῆς ἰδίας ὑποστάσεως ἕκαστον εἰσφέρειν. *Census significat tabulam, aut chartam, in qua Romani facultates suas conscribebant, ut belli tempore pro modo patrimonii unusquisque conferret.*

III. Auctor ejus omnium calculo statuitur Servius Tullius sextus Romanorum Rex; ab hoc, inquit Florus, *Populus Romanus relatus in censum, digestus in classes, curiis atque collegiis distributus, summaque Regis solertia ita ordinata est, ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium officiorumque discrimina in tabulas referrentur, ac si maxima civitas minima domus diligentia contineretur.* Fusius hæc proposita videbis a Dion. Halicarn. *l.* 4. & Liv. *l.* 1. Sig. *de J. C. R.* l. 1. c. 10. Ante Servii Tullii tempora istiusmodi censendi mos nondum obtinuit, sed qui tunc fuit, per capita solum est actus. Quem morem neglecto Tullii laudabili instituto introducere iterum conatus est Tarquinius Superbus 10. denarios pro cujusque capite efflagitans, Toloz. *de Rep.* l. 3. c. 4. Verum Regibus ejectis cum omnibus institutis censum, quasi certissimum publicarum fortunarum ac civitatis firmamentum, mordicus retinuerunt, Bodin. *de Rep.* l. 7. c. 1. Postmodum summa diligentia actus est, primo quidem tempore F regia potestate a Consulibus. Cum vero huic oneri sustinendo, propter varia, quibus distrahebantur, bella, ipsorum humeri impares, Censores creati fuerunt, ac primi quidem L. Papir. & L. Sempronius in 5. annos reliquorum Magistratu per annuum modo spatium durante. Et accidit, cum L. Mamerco Censori creato tam diuturnum tempus displiceret, ignominia nobilitatus, quod illam Censorum potestatem infringere conatus fuis-

ſet, vid. Bod· *l. c.* Eorum originem pulchre ediſſerit Liv, *l.* 4. Appellatum fuiſſe Cenſorem exiſtimat Varro, quod ad ejus cenſionem, id eſt, arbitrium, cenſeretur populus ; & Feſtus, quod rem ſuam tanti quis æſtimare ſolitus fuerit, quanti Cenſor cenſuerit, vid. Plut. in *Æmil.* & *Cat.* Aſcon. l. 2. *in Ver.* Feneſt. *c.* 8. Læt. c. 22. *de Mag. Romanorum*.

IV. Primum autem, quod Cenſores inſtituerunt, luſtrum undecimum fuit, poſt ſingulis quinquenniis conditum eſt, Cic. & Aſc. *Orat. in Ver.* quod licet Clodius vehementer impugnarit, Cæſar tamen reſtauravit, Plut. in *Vita Aug.* Auguſtus etiam triplici vice cenſum repetivit ; tandem Veſpaſianus ſeptuageſimum quintum cenſum eumque ultimum egit. Nam quamvis Domitianus pro perpetuo ſe venditarit Dictatore, luſtrum tamen non condidit, referente Suet. in *Vita Dom.* De luſtro videantur Dion. Halic. *l.* 4. Iſidor. *l.* 5. *Orig.* c. 37. Varro l. 5. *de L. L.* De Veſpaſiani luſtro videatur Plin. *l.* 3. *c.* 5. & *l.* 7. *c.* 49. Jul. Capitol. in *M. Antonino Philoſopho*.

V. Officium Cenſorum inter alia fuit facultates Civium exquirere, iiſque honores ſeu ordines ac tributa accommodare; ita commendat Florus cenſum Servii Tullii, quod cum patrimoniorum diſcrimina in tabulas retulerit, ſingulis certa imperaverit tributa, cum antea æqualiter omnes conferrent. Totam enim Plebem in quinque diſtinxit claſſes pro facultatum portionibus ſeparatas, & talis ex cenſu & bonorum æſtimatione civium diſtinctio in Populo Athenienſium inoleverat, ut conſtat ex *Orat.* Dem. *de mun.* Noverat nimirum cenſum rem ſaluberrimam magno futuro imperio, Liv. *l.* 1. *c.* 41. ideo nempe ut ſuo ſe pede metiri diſceret civitas, & intelligeret, quantum numero militum, quantum pecunia valeret, Liv. *l.* 29. *c.* 37. Nec ultra facultatum vires tributi onus excreſceret, Zev. *ad Flor.* c. 6. hinc in quibuſdam fœderati Belgii Provinciis, ubi multa ad bellum gerendum requiruntur, nonnulla a ditioribus exigi ſolent, a quibus alios excuſat paupertas, idem *ib.* *Δικαιοῦντε καὶ σύμφερον τῷ κοινῷ τὸ αὐτὸ ἡγῆμαι, τοὺς μὲν πολλὰ κεκτημένους πολλὰ εἰσφέρειν, τοὺς δὲ ὀλίγα ἔχοντες, ὀλίγα*, ait Servius apud Dion. Halic.

VI. Male conſulit regimini Magiſtratus, ſi hanc hominum differentiam haud accurate ſecum penſitans cenſum ex cujuſvis patrimonio in tributo exhibendum negligit. Sic namque tributum deſcribitur : Reale onus rebus impoſitum, quod quiſpiam ratione patrimonii ſuo Magiſtratui in cujus territorio patrimonium poſſidet, præſtare tenetur, Lieb. *Coll. Pol.* exerc. 15. quæſt. 30. Cum vero in tributis Reipub. nervos ex Ulpiano *l.* 1. *in cauſa. ff. de quæſt. imp. nov.* 62. doceamur, quanti intererit, ut cenſus ratio, iuxta quem tributa exiguntur, recte inſtituatur? Perquam bene divinus ille, Plato l. 12. *Leg.* Τετιμῆσθαι μὲν ἕκαστον τὴν οὐσίαν ἕνεκα τῶν πολλῶν χρεῶν. *Quemque opes ſuas in cenſum deferre, ad multa utile.* Conſentit & in hoc Tullius 2. *in Verr.* inquiens : Cenſores populi ætates, ſoboles, familias, pecuniaſque cenſento, quibus poteſtas omnis æſtimationis ſummæque faciendæ permittatur. Quæ quidem conſuetudo, etiamſi ſua laude carere nequaquam debeat, neque poſſit, ſæpius tamen haud exile concitavit periculum; quid enim proclamante imperatore tam durum tamque inhumanum eſt, quam publicatione, pompaque rerum familiarium, & paupertatis tetigi vilitatem & invidiæ exponere divitias? Male hoc ceſſiſſe Reginæ matri Scotorum, & Archiepiſcopo Bremenſium ſcribit Thuan. *Hiſt. ſui temp.* l. 17. & l. 19. Solet plerumque magnis Principibus commune eſſe vitium ut locupletiſſimum quemque in prædam rapiant, Tacit. *Hiſt.* 2. 84. 3. quotidie novas rationes excogitantes, quibus civium opes attenuent. Hinc centeſimæ, quadrageſimæ, quinquageſimæ, id *Ann.* 3. 51. 3. quæque alia actionibus illicitis nomina grypi iſti invenerunt, id. *An.* 3. 51. 3. Interdum vero contingit, ut ditiores colla jugo ſubducant, & pauperes ad ſanguinem uſque exfugantur, quod Thekoeis contigiſſe prodit *Neh.* 3. *v.* 5. Legimus apud Florentinos temporibus Coſmi Medicæi exorta bella civilia ob pecuniarum exactiones, quæ tenuiores cives magis quam opulentos premebant, Æn. Piccol. *com.* 51. Sed prudenter Alexander, *καὶ κηπουρὸν μισῶ τὸν ἐκ ῥίζων ἐκτέμνοντα τὰ λάχανα*, *hortulanum odii, qui a radice olera exſcindit.* Bato Dalmaticis rebellantibus cum Tiberio Romæ tractans de pace, Cæſare interrogante, cur ita deficerent ; vos, inquit, in culpa eſtis, qui ad veſtros greges cuſtodiendos non paſtores mittitis, ſed lupos, Dion. Halic. 5. Tondere quippe decet pecus, non deglubere, juxta effatum Tiberii *in* Tranq. *c.* 32.

VII. Ad hoc igitur cenſus conferebat, ne civibus majus, quam facultates tolerare poſſent, tributum imponeretur. Quænam vero in cenſum delata fuerint, indicat Sig. *l.* 1. *de Jure Civ. Rom.* c. 14. Prædia nempe urbana & ruſtica, pecuniæ, ſervi, pecudum numerus, fundorum inſtrumenta, &c. ita autem agri referente Ulpiano *l.* 4. *de Cenſ.* in cenſum referebantur : *Nomen fundi cujuſque, & in qua civitate, & quo pago ſit, & quos duos vicinos proximos habeat, & arvum, quod in* 10. *annos proximos ſectum erit, quot jugerum ſit, vinea quot vites habeat, olivetum & quot jugerum & quot arbores habeat : pratum, quod intra* 10. *annos proximos ſectum erit ; quot jugerum paſcua eſſe videantur. Erant tamen exceptæ quædam res, quibus immunitas profeſſionis & tributorum concedebatur.* Sic portus Siciliæ, ut notat Alph. *in l. cenſ. de Ver. Sig. P.* Sic agri eorum excipiebantur, Cic. *de Nat. Deor.*

VIII. Locus civibus cenſendis deſtinatus, primo quidem tempore forum, deinde villa publica in Campo Martio erat ; hunc neglexiſſe morem Auguſtum * Imper. retulit Suet. in *Vita*, qui cenſum vicatim per dominos inſularum egit, ac ne qui novi cœtus recenſionis cauſa moveri quandoque poſſent, inſtituit quotannis in demortuorum locum ex his, qui recenſiti non eſſent, ſubſortitio a Prætore fieret. Pœna per ſuam culpam incenſi graviſſima fuit, ſecundum Halicar. is enim lege S. Tullii publicatis bonis verberatus venibat. Idcirco Zonaras bona publice vendita tradit.

IX. Reliquum eſt, ut, quantus Senatorius, Equeſtris, Claſſiumque cenſus fuerit, oſtendamus. Cenſus Senatorius ante Auguſtum ſeſtertium octingenta millia fuit, quem Auguſtus ampliavit ac pro octingentorum millium ſumma duodecies HS. taxavit, ſupplevitque non habentibus, auctore Tranquillo in *ejus Vita*. Qua de re Dio ſcribit : *Inde Senatus lectus eſt, poſtquam enim iis cenſus primum centum millium*

* Rep. *Jul. Cæſarem*, & v. Suet. cit. cap. 41.

præfinitus erat, quod multi patrimonia bellis amisissent, procedente autem tempore divitiis magnis partis usque ad CCL. *millia perductus erat, nemo reperiebatur, qui legi vellet. Imo vero & filii, & nepotes Senatorum afflictare familiari non solum senatoriam dignitatem non appetebant, sed ea quoque se abdicabant.* Non enim tantum si quis supplere hunc censum haud valebat, Senatu excludebatur, sed etiam, quando jam lectus naufragium patrimonii passus fuisset, ab honore hoc Magistratus removebatur, quod indicat Tull. *ad Valer. Caj.* Curtius habet in Volaterano possessionem, hoc autem tempore Cæsar eum in Senatum legit, quem Ordinem iste ista possessione amissa vix tueri potest. Equestris census Senatorio minor sestertium quadringentorum millium, quod innuit Martialis *lib.* 5. *epigr.* 39. dicens:

Quadraginta secat, qui dicit, σῦκα μερίζε,
Uno credis equo posse sedere duos?

Censum hunc primis temporibus frequentatum uno ore consentiunt. Quemadmodum vero per censum Equestrem insignia hujus Ordinis consequebantur, ita si facultates suas dilapidassent, honore suo privatos esse potest quis suspicari. Respexit huc Suet. in hunc modum scribens: *Cum plerique Equitum, attrito bellis civilibus patrimonio, spectare ludos e* XIV. *non auderent, metu pœnæ theatralis,* Augustus *pronunciavit, non teneri ea, quibus ipsis parentibusve equester census unquam fuisset.* Constat enim insigne hujus Ordinis fuisse jus spectandi in XIV. ordinibus in theatro, id est, quatuordecim gradibus, ut Senatorius Ordo in orchestra spectabat. Census classium ratione distinctus erat varius, prima erat possidentium centum millium æris plusve, secunda intra centum usque ad quinque & septuaginta millium, tertia quinquaginta millium, quarta quinque & viginti millium, quinta duodecim millium; quibus vero res domi angustior, capite censi & proletarii dicebantur, ut docet Agell. *l.* 16. *c.* 10. *Nam qui in plebe*, inquit, *Romana tenuissimi pauperrimique erant, neque amplius quam mille quingentum æris in censum deferebant,* proletarii *appellati sunt, qui vero nullo aut perquam parvo ære censebantur,* capite censi *vocabantur. Extremus autem census capite censorum æris fuit* CCCLXV.

X. Non incongruum foret quæstionem de æqualitate bonorum in Republica huc referre, cum tam distinctas Romanorum facultates audiamus, ut vel suo illam exemplo posthabendam docuerint. Sed cum plurimi Auctores in hac rejicienda calamum lassarint, paucissimis eam saltem delibabimus. Quietissime viverent homines, si duo verba tollerent, meum & tuum, ait P. Syrus; quam opinionem Plato quoque fovet lib. *de Rep.* ubi putat requiri ad istam communionem non tantum omnes in universum agros, bona & possessiones, quæ per familiarum discrimina cuique appropriantur, verum etiam uxorum & liberorum communionem. Unde Lycurgus fundos omnium æqualiter inter omnes divisit, ut æquata patrimonia neminem potentiorem altero redderent, Just. *l.* 3 *c.* 3. Pythagoras etiam hanc bonorum communionem inter discipulos instituit, Agell. *l.* 1. *c.* 9. Laert. in *ejus Vita*, Jambl. *de Myst.* His subscripserunt, Plotinus, Cubani, Essæi, Garamantæ, Stoici, Brachmanni, & moderni Anabaptistæ. Rationes illorum dabit Lieb. *Coll. Pol.* ex 2. q. 8. & *Coll. Eth.* ex 9. q. 7. Quidam pro defendenda sua assertione allegant communionem bonorum in primitiva Republica Christiana usitatam, *Act.* 4. & 5. & exempl. Ananiæ, qui divinitus punitus, quod quædam sibi reservare vellet, *Act.* 5. Aristoteles autem & saniores Politici respuunt hanc sententiam ob varia incommoda, quæ hæc sunt: *Labores inæqualiter distribuuntur; æque enim illi qui plurimum operæ impendunt, participant de fructibus, quam illi, qui manum admovere nolunt. Unde discordiarum semina, & liberalitatis, quæ de propriis bonis erogare præcipit, neglectus*, vid. Arist. *l.* 2. *c.* 2. 3. 4. 5. *Nec frugalitas ibi esse potest, ubi nihil proprii habetur*, Lactant. l. 3. *Inst. Div.* c. 21. vid. Cassel. *Disp. Eth.* 2. *Q.* 8. Lieb. *Coll. Pol.* l. c. Schonborn. l. 1. *Pol.* c. 15. Ex quibus & illud patescit, recte Romanos fecisse, qui pro facultatum copia distinctas habuerunt civium classes. Antequam vero hoc caput finiamus, examinanda venit Romanorum consuetudo, quæ ex census copia vel inopia honores civibus distribuit, rectene an secus hæc observata fuerit. Cum discrimine hic loquendum esse arbitramur, sæpe enim sub palliolo sordido latet magna sapientia, quæ trabeam purpura auroque distinctam destituit; quod si vero sint, qui simul ingenio & rei familiaris abundantia pollent, satius esse videtur divitem quam pauperem eligere, præsertim cum omne bonum bono additum faciat illud præstabilius, Arist. 10. *Ethic.* c. 3. Hi enim, teste Isocr. in *Nicocle*, domesticis negotiis minus ut pauperes impediti diligentiam majorem in Rebuspublicis tractandis adhibent. Cumque in Magistratu non tantum amor subditorum, sed etiam potentia requiratur, hanc ad rem divitiæ plurimum commodant, Arist. *Pol.* 5. *c.* 9. ideoque scribit Agell. *l.* 16. *c.* 10. *quoniam res pecuniaque familiaris obsidis vice pignorisque esse apud Rempublicam videbatur, amorisque in patriam fides quædam in ea firmamentumque erat, neque proletarii neque capite censi milites, nisi in tumultu maximo scribebantur, quia familia pecuniaque iis, aut tenuis, aut nulla esset.* Sunt præterea divites rerum experientia instructi melius quam pauperes, quia non domi ut pauperes delitescunt, sed in luce vivunt, Arist. *Pol.* 3. c. 7 Quare perniciosam in imperante tenuitatem & animal periculosum Regem pauperem appellat Simanca l. 3. *de Republ.* c. 15. ex Cass. l. 1. *Var.* & Flaccus de inopia rei familiaris cantat:

—— jubet
Quidvis & facere & pati;
Virtutisque viam deserit arduam.

l. 3. *Carm.* Od. 24. Quod an semper verum sit, non immerito quis ambigat, cum multi viri inopia pressi magnis imperiis summa cum laude præfuerint. De Thebanorum Epaminonda Plut. in *ejus Vita*; de Aristide, idem in *Vita*, de Alcibiade, id. in *Nicia*. Apud Romanos C. Scipio erat, qui rebus præclare in Hispania gestis tanta in pauperie obiit, ut filiæ ejus de publico elocarentur, Frontin. *l.* 4. de Æmilii Pauli paupertate, Plut. in *Vita*, Plin. *de Vir. illust.* c. 56. Valer. Max. *l.* 4. *c.* 3. Quid de Scauro, Plin. *de Vir. illust.* quid de Cotta memorem?

Nonne Camilli majestati omnes Magistratus cesserunt, Livius *l.* 6. at hunc.

Sæva paupertas tulit, & avitus apto
Cum lare fundus,

Horat. *l.* 1. *od.* 5. Proinde sapientissimus Plato in id incumbendum esse vult, ut qui utiliter ac decenter Magistratu fungi debent, sint divites, bonis animi, justitiæ, sapientiæ, pietatis auro abundent, l. 7. *de Republ.*

Superesset inopia rei familiaris explicanda, quæ plerumque apud Romanos creditorum exactionibus debuit originem ad libertatis usque ereptionem crudelium. Sed cum illud aliqua ex parte exposuerit Dissertatio secunda, ad hanc te, B. L. remittimus.

FINIS.



IN-

INDEX AUCTORUM,

QUI IN HOC TOMO

laudantur, illustrantur, explicantur, vindicantur, perstringuntur, notantur, emendantur, ac refutantur.

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

N

O

P

Q

R

T

X

Z

F I N I S.





SPECIAL
OVERSIZE
N
5610
G872
V.1
82-B
1306
GETTY CENTER LIBRARY

